Migne Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA INNOCENTII III (ANNO 1216) *PRO LATINIS ET CONCILII FLORENTINI* (ANN. 1439) *PRO GRÆCIS FLORUÈRUNT :*

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

LUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT:

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS CXXVII.

ANASTASII BIBLIOTHECARII TOMUS PRIMUS.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES. EDITORES ET J.-P. MIGNE, SUCCESSORES

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1879

BR
60
.M4
t.127

CLICHY. — EX TYPIS PAULI DUPONT, VIA DICTA BAC-D'ASNIÈRES. 1339.12.79

SÆCULUM IX.

ANASTASII

ABBATIS,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ PRESBYTERI ET BIBLIOTHECARII,

OPERA OMNIA.

EDITIO PRÆ ALIIS OMNIBUS INSIGNIS,

AD FIDEM MANUSCRIPTORUM CODICUM
ET JUXTA PROBATISSIMAS EDITIONES EXPRESSA, BLANCHINI NEMPE ROMANO-VATICANAM, QUOAD LIBRUM PONTIFICALEM, MABILLONII, CARDINALIS MAII, ETC., ETC.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS PRIMUS.

PARISIIS,
APUD GARNIER FRATRES, EDITORES, ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,
IN VIA DICTA : *AVENUE-DU-MAINE*, 189; OLIM *CHAUSSÉE-DU-MAINE*, 127.

1879

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXVII CONTINENTUR.

ANASTASIUS ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER ET BIBLIOTHECARIUS.

Prolegomena ad vitas Romanorum pontificum. *Col.* 19
Vitæ Romanorum pontificum. 1004

LIBRARY
SCHOOL

ANNO DOMINI DCCCLXXXVIII.

ANASTASIUS

ABBAS ROMANUS

ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER ET BIBLIOTHECARIUS.

IN ANASTASIUM

NOTITIA HISTORICA ET BIBLIOGRAPHICA

(Apud Oudinum, Script. Eccles. tom. II.)

ANASTASIUS abbas Romanus, Ecclesiæ Romanæ presbyter et bibliothecarius, ordinis mihi incomperti, sed, quantum augurari licitum est, ordinis divi Benedicti : bibliothecarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, officium quod hoc sæculo nono viris litteratissimis conferri consueverat. Cujus autem ille loci abbas fuerit, constat jam ex Itinerario Italico litterario Joannis Mabillonii, parte II, pag. 82, ubi Anastasius iste in prologo ad quædam miracula sancti Basilii episcopi, sic orditur : *Urso venerabili subdiacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu medico et domestico domini nostri sacratissimi papæ Nicolai Anastasius exiguus abbas monasterii sanctæ Dei genitricis Mariæ Virginis, siti trans Tiberim, ubi olim circa Domini nativitatem fons olei fluxit, in Domino salutem*, etc. Hinc labente sæculo nono, sub summis pontificibus Nicolao I, Adriano II et Joannes VIII floruit. Juxta clarissimum Spanhemium in Disquisitione historica de papa femina § 55, pag. 271, « Claruisse eum jam sub Leone IV, cui a secretis fuerit, et successoribus aliquot pontificibus, urgent precario nonnulli historici pontificii. » Et quot habet Onuphrius pag. 126, ad *Platinam*, referre ipsummet Anastasium « se creationibus Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, Nicolai I, Adriani II et Joannis VIII interfuisse, » in Anastasio hocce minime legimus. Verius autem Joannes Launoius, epistola ad Michaelem *Morollium* parte III, epist. II, pag. 170, « floruisse sub Adriano II et Joanne VIII pontificibus. » Petrus Lambecius in Commentariis bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, lib. II, pag. 277, « floruisse sub papa Nicolao I, Adriano II et Joanne VIII. » Sane Adriano II inscripsit versionem synodi Anti-Photianiæ, vulgo octavæ, cujus extremis interfuit anno 869. Constantinopolim eo ablegatus anno ad Basilium Macedonem, a Ludovico II imperatore, in causa *nuptialis commercii* (sic ille) inter filium imperatoris Basilii et Ludovici Augusti filiam procurandi. Addunt hunc ipsum Anastasium, creationis papalis non unius testem, Benedicti III, mox ab excessu Leonis IV, creationi speciatim interfuisse, ex his verbis : *Missi quoque qui imperatori nostrum Decretum de benignissimi electione Benedicti porrexerunt.* Talem igitur esse, qui nonnisi perspecta et animadversa litteris mandaverit, nec in rebus hujus temporis memorandis *malæ fidei accusari possit* : ut idem Launoius in epistola ad Carolum Mauricium Tellerium, parte IV, pag. 155 : « Erat Vossius et si qui alii, Illum cum Anastasio presbytero cardinale S. Marcelli, et bibliothecario Gregorii IV papæ confundunt, qui a Leone IV in synodo Romana anno 850 est exauctoratus, eo quod contra canones Ecclesiam suam quinquennio deseruisset. » Hæc Labbeus contra Vossium, quem cum A in opere de Historicis Latinis accurate volverim, nihil tale ab eo scriptum a me repertum est. Verum sententia ista est Antonii Possevini Jesuitæ, tomo I Apparatus sacri, pag. 71, ubi sic : « Anastasius Romanus monachus, et abbas ordinis sancti Benedicti, congregationis Specuensis, presbyter cardinalis tituli sancti Marcellini, et bibliothecarius Gregorio IV pontifice Maximo. Sed anno 850 in synodo Romana, a Leone papa IV exauctoratus, quod Ecclesiam suam contra canonum decreta, per annos quinque deseruisset Vir quidem perdoctus, ingenii sui monimenta reliquit Continuationem Historiæ pontificiæ S. Damasi papæ, ab ejus obitu usque ad Adrianum papam, hujus nominis secundum. Transtulit e Græco in Latinum sermonem Vitas SS. Joannis Eleemosynarii, Demetrii martyris, et aliorum Patrum. Unam Dionysii Hierarchiam, Septimam synodum, et alia. » Hæc Possevinus. Vir fuit pro ævi sui genio non indoctus Anastasius, qui B utriusque linguæ Græcæ et Latinæ peritiam habuit haud vulgarem, denique cum primariis sæculi hujus viris, Photio et Hincmaro arctam satis amicitiam coluit. Si porro vera est cardinalis Baronii chronologia, usque ad annum ferme 886 vitam produxit, etsi quonam mortuus sit anno, nullus huc usque detexerit. De scriptis autem ejus agunt Bellarminus in opere de Scriptoribus ecclesiasticis, ad annum 858, breviter. Sed fusius post ipsum Philippus Labbeus in Dissertatione Historica de Scriptoribus ecclesiasticis a Bellarmino recensitis, tomo I, pag. 63 ; Guillelmus Cavus in Historia Scriptorum Ecclesiæ, ad annum 870, pag. 559, ubi cum multa a Bellarmino omissa referant, non omnia tamen Anastasii opuscula recensent : unde occasionem hic agendi de omnibus nobis notis Anastasii abbatis Operibus accepimus. Claruit ergo tum propriis operibus, tum Græcorum operum seu Græce scriptorum variis in lin- C guam Latinam versionibus, quibus nomen suum posteris immortale commendavit.

I. Itaque *Concilium Generale octavum* seu *Constantinopolitanum* IV, cui præsens ipse Constantinopoli anno 869 interfuit sub Basilio Macedone, partim Latine scripsit, partim ex Græco vertit, atque Adriano papæ II dicavit, quod exstat Conciliorum tomo VIII, col. 961 ad 1175, ultimæ editionis Parisiensis anni 1672, quæ Labbeana passim dicitur. Illud autem ex Græcis in Latinam linguam, horridiorem quidem illam et minus cultam transtulit, liberiori modo adjiciens et mutans : cujusmodi sunt et quæ sequuntur.

II. *Concilium* VII *Generale seu Nicænum secundum*, quod ille obtulit Joanni papæ VIII, inscriptum : *Domino coangelico Joanni pontifici summo, et universali papæ, Anastasius exiguus. Ex interpretata nuper*, etc.,

A 97

quod exstat quoque tomo VII dictorum Conciliorum citatæ editionis, col. 29 et sequentibus. Addit Labbeus, *ut quod omiserunt alii observare, etiam* VI *Generale seu Constantinopolitanum tertium*. Sed debuerat Labbeus indicare quibus ille rationibus vel quanam auctoritate hoc assereret : an ob styli similitudinem interpretationis hujus concilii œcumenici sexti cum interpretationibus septimi atque octavi? An ex vetere quodam scriptore hoc attestante ? Id quod me latet.

III. Latinam fecit *Vitam sancti Joannis Eleemosynarii, patriarchæ Alexandrini,* de qua hæc Sigebertus cap. 103 de Scriptoribus ecclesiasticis : « Anastasius, jubente Nicolao papa, transtulit in Latinam linguam Vitam Joannis Eleemosynarii, scriptam Græce a Leontio episcopo. » Idem ferme Joannes Trithemius. Habes autem illam ex interpretatione Anastasii in Vitis Patrum Heriberti Rosweidi societatis Jesu, Antuerpiæ et Lugduni sæpius impressis, ut omnes sciunt. De illa sic Lambecius tomo VIII Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis. p. 271. « Transtulit hanc Vitam ex Græco in Latinum sermonem Anastasius, S. Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, abbas Romanus ordinis S. Benedicti, et presbyter cardinalis tituli S. Marcelli, jussu papæ Nicolai primi, qui anno Christi 858 electus est, et anno 867 obiit. Eaque versio Latina, post alias varias editiones impressas, optime edita est ab Heriberto Rosweido soc. Jesu in libro I de Vitis Patrum, et a Bollando et Henschenio in tomo II de sanctis Januarii mensis, die 23. »

IV. Item *Vitam sancti Demetrii martyris* ex Græca Latinam reddidit, necnon Acta pleraque et Passiones quæ in manuscriptis codicibus occurrunt. Exstat autem *Passio sancti Demetrii martyris* ab eodem Anastasio translata, tomo I Veterum Analectorum Joannis Mabillonii, *Domino piissimo imperatori Carolo semper Augusto* nuncupata, p. 65.

V. Inter ea multa quæ ex Græcis Latina fecit, habes *Vitam S. Dionysii Areopagitæ*, cujus translationem anno 876 ad Carolum Calvum imperatorem misit. Opusculum istud deperiit, præfatione excepta, quam habemus apud Surium tomo V ad diem 11 Octobris, in fine *Areopagiticorum*. Hanc eamdem præfationem recudit ad mss. codicum fidem Joannes Mabillon in Analectis suis. In ea autem ait se non κατὰ πόδας vertisse omnia, sed sensum tamen bona fide expressisse.

VI. Scribit Gerardus Joannes Vossius lib. II de Historicis Latinis, cap. 35, pag. 349, editionis ultimæ, in Bibliotheca Cantabrigiensis in Anglia Academiæ, haberi mss. Dionysium *de Hierarchia cœlesti de Hierarchia ecclesiastica, de divinis Nominibus et Mystica Theologia,* codice III *cum præfatione Anastasii ad regem Carolum Calvum*. Hæc ille aliena fide, ex relatu nempe Thomæ Jamesii, in Ecloga Oxonio Cantabrigiensi, cui reponit ipse Labbeus in opere suo de Scriptoribus ecclesiasticis tomo I, verbo *Anastasius bibliothecarius*, pag. 67. « In Codice ms. collegii nostri Bituricensis societatis Jesu, elegantissima manu ab octingentis circiter annis, in membranis exarata leguntur S. Dionysii Areopagitæ opuscula quatuor. I. De cœlesti Hierarchia. II. De ecclesiastica Hierarchia. III. De divinis Nominibus. IV. De Mystica Theologia, ex versione Joannis Eringenæ Scoti, cujus etiam habetur præfatio cum quibusdam versibus, ad Carolum Calvum regem Francorum. Præmisit vero Anastasius S. R. Ecclesiæ bibliothecarius, ad eumdem Carolum regem epistolam datam x Kal. Aprilis, indictione VIII, hoc est anno, ut reor, 875, in qua de scholiis a se in Latinum sermonem conversis, quæ in codice ad marginem ascripta habentur, hæc habet : *Ipso merito anxius cœpi sedulus quærere,* etc., quæ si cui arriserint, non erit operosum communicare, profutura publicæ eruditorum utilitati. » Exstant quoque duo mss. codices ejusmodi, in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter mss. codices theologicos Latinos 20 et 496, ut notat Lambecius lib. VIII Commentariorum hujus bibliothecæ, paginis 183 et 186. Item ejusmodi alter codex inter mss. codices Bodleianæ, bibliothecæ codice 3614; in codicibus Hyperoi Bodleiani, codice 148. Hæc denique eodem Dionysii Areopagitæ Opera cum *præfatione Anastasii Bibliothecarii* ad scholia a se in Latinum versa, habentur quoque mss. in bibliotheca Paulina Lipsiensi, ut constat ex Catalogo manus criptorum hujus bibliothecæ librorum, impresso Lipsiæ anno 1686, cura et studio Joachimi Folleri bibliothecarii, p. 102, n. 2 et 3.

VII. *Historia Ecclesiastica sive Chronologia tripartita,* in qua S. Nicephori patriarchæ Constantinopolitani Chronicon, ordinem et maximam partem Chronici a Georgio Syncello, et Theophane confessore atque Agri abbate celeberrimo, ab initio mundi ad Leonis Armeni imperium deducti, Latine interpretatus est : ut ipsemet pluribus, in præfatione ad Joannem urbis Romanæ diaconum explicat. Ex his vero Græcorum Excerptis multa in Miscellam quæ dicitur historiam derivata sunt : aut ab hoc ipso qui precibus suis extorserat, Joanne diacono : aut a Landulfo Sagaci, aut quocunque alio illius consarcinatore : qui alius omnino esse debuit a Paulo Warnefridi Longobardo, Aquileiensi diacono ac Cassinensi postea monacho, cui tamen plerique ferme omnes Miscellam hanc hactenus historiam tribuerunt

VIII. *Collectanea de iis quæ spectant ad historiam Monothelitarum hæreticorum, et Martyrium sancti Martini papæ, itemque sancti Maximi abbatis et aliorum,* quæ Jacobus Sirmondus edidit in 8° ; Parisiis anno 1620, apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa, sub Ciconiis. Ibi de eis qui sub Constante imperatore Orientis, vincula, carceres, variasque vexationes passi sunt, in quibus duo Anastasii recensentur. Alter S. R. Ecclesiæ apocrisiarius, alter sancti Maximi discipulus, quorum epistolæ in iisdem leguntur Collectaneis, quæ in gratiam supradicti Joannis diaconi, cum ecclesiasticam Historiam meditaretur, et Græcis versa in unum concinnavit. Quod vero idem sit et Collectaneorum et Historiæ ecclesiasticæ auctor, ex præfatione disces, in qua id aperte profitetur, nonnullaque ex iis opusculis exponit, quæ Latinitate donata, in hanc Collectionem conjecerat : quæ tibi ex subjecto indice, si careas, imposterum saltem erunt notissima.

1. *Anastasii Bibliothecarii epistola ad Joannem diaconum urbis Romæ.*

2. *Joannis IV papæ Apologia pro Honorio I papa, ad Constantinum imperatorem, Heraclii filium.*

3. *Excerptum ex epistola sancti Maximi ad Marinum presbyterum, apologiam inter cætera pro Honorio facientis.*

4. *Ex epistola ejusdem sancti Maximi ad Petrum illustrem, ubi Pyrrhi et Sophronii Heirosolymitani, ac papæ Honorii mentionem facit.*

5. *Ex epistola ejusdem sancti Maximi, ad Marinum presbyterum Cyprium, de processione Spiritus sancti.*

6. *Theodori papæ synodica, ad Paulum patriarcham Constantinopolitanum.*

7. *Ejusdem propositio transmissa Constantinopolim.*

8. *Ejusdem epistola ad episcopos qui consecraverunt Paulum patriarcham Constantinopolitanum.*

9. *Commemoratio quid legati Romani Constantinopoli gesserint, ex epistola S. Maximi ad abbatem Thalassium.*

10. *Anastasii Bibliothecarii epistola ad Martinum episcopum Narniensem.*

11. *Martini papæ epistola ad Theodorum.*

12. *Ejusdem epistola secunda ad Theodorum.*

13. *Commemoratio eorum quæ in sanctum Martinum Constantinopoli acta sunt, ex epistola cujusdam ad Occidentales.*

14. *Martini papæ epistolæ duæ ab exsilio scriptæ.*

15. *Relatio factæ motionis in sanctum Maximum et socium ejus, coram principibus in secretario.*

16. *Sancti Maximi epistola ad Anastasium monachum, discipulum suum.*

17. *Anastasii monachi epistola ad monachos Calaritanos.*

18. *Relatio de dogmatibus quæ agitata sunt inter sanctum Maximum, et Theodosium Cæsareæ Bythyniæ episcopum, et proceres qui cum eo erant.*

19. *Anastasii, presbyteri et apocrisiarii Romæ, epistola ad Theodosium Gangrensem, una cum subjacentibus testimoniis et syllogismis,*

20. *Hypomnesticon declarans Gesta sanctorum Maximi et utriusque Anastasii atque Martini papæ, necnon Theodori, Euprepii et aliorum.* Bernardus de Montfaucon vir eruditus, monachus Benedictinus congregationis sancti Mauri in Gallia, in Diario Italico, Parisiis, in-4°, anno 1702 edito, cap. 21, pag. 309, hæc *Collectanea Anastasii Bibliothecarii*, Græce mss. exstare inquit in Italia, in bibliotheca sancti Joannis de Corbonaria, Augustinianorum.

IX. Transtulit quoque ex Græco in Latinam linguam *Passionem MCCCCLXXX martyrum*, quæ versio exstat Romæ in bibliotheca sanctæ Crucis in Jerusalem, cujus prologum nobis obtulit Joannes Mabillon in Itinerario suo Italico parte II, pag. 80, ubi etiam in hac præfatione Anastasius meminit quod opusculum istud susceperit agendum: *Post translatam a se ad petitionem ejusdem, Passionem præcipui doctoris et martyris Petri, Alexandrinæ urbis episcopi*: quæ etiamnum alicubi in Legendariis illis infinitis latet, quæ in bicliothecis pulvere obtecta latent.

X. Idem ex Græco in Latinum produxit *Vitam sancti Basilii Cæsareæ Cappadocum archiepiscopi*, cujus operis integram præfationem edidit idem Joannes Mabillon, in eodem Itinere Litterario Italico, parte II, pag. 82. Hanc operam laudat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, die prima Januarii, ibidemque indicat præfationem Ursi S. R. Ecclesiæ subdiaconi in Vitam S. Basilii a se Latinitate donatam. Quam etiam habes apud Heribertum Rosweidum in Vitis Patrum lib. I, pag. 116, et in notis pag. 125, versu *Urso*. Verum præfatio illa cum Vita quæ subsequitur, non alia est ab Anastasiana, quæ habetur in isto Itinere Italico, inscriptione excepta, quæ apud Rosweidum aliosque decurtata ac mutila est. Ex qua autem integra manifeste colligitur, Anastasium vulgatæ Vitæ esse interpretem, quæ Urso perperam in impressis tribuitur: ideoque imposterum Vitæ interpretationem istius, tribuendam esse Anastasio bibliothecario, qui eam Urso instigante aggressus est.

XI. Idem aggressus versionem *Passionis sanctorum Cyri et Joannis*, cujus prologus refertur in eodem Itinerario Italico, pag. 83, exstatque cum textu Passionis in veterrimo codice bibliothecæ sancti Petri apud Carnutas, ordinis divi Benedicti. Nomen quidem Anastasii, quod in vitioso atque ex situ corrupto ms. exemplari erat obliteratum, ex conjectura restituit Joannes Mabillon loco citato, eo quod tempus et stylus Anastasio conveniant. Idem sane dicendi genus, eadem præfationis methodus, quæ in præfatione Anastasii ad *Passionem MCCCCLXXX martyrum*. Itemque in *Præfatione Vitæ sancti Joannis Eleemosymarii*, apud Heribertum Rosweidum in Vitis Patrum p. 137 editionis Lugdunensis anni 1617.

XII. Denique idem edidit *Translationem ex Græco in Latinum Vitæ sancti Donati episcopi apud Euriam in Syria*, cujus prologum idem qui supra profert in eodem Itinere Italico, pag. 85, hanc Versionem esse Anastasii non dubitans, tametsi ejus nomen in Cassinensi codice desideretur, ex quo præfationem descripsit. Integrum autem libellum edere, ipsi visum non est operæ pretium, cum ipsissima ista quæ in codice Cassinensi sunt, apud Mombritium vulgata sint: tametsi in Aprili Bollandiano ad diem 30 non alia Donati Acta referantur quam ex Menæis Græcorum.

XIII. Exstat *Anastasii presbyteri et abbatis ac bibliothecarii S. Romanæ Ecclesiæ ad Adonem archiepiscopum Viennensem epistola* in Conciliis ultimæ editionis Labbeanæ Parisiensis anni 1672, tom. VIII, col. 568, *De obitu Nicolai papæ I et electione Adriani II*, inter epistolas Nicolai papæ primi, anno 867, indict. XV. Videas et ejus epistolam nonis Januarii anni 876 ad Hincmarum Rhemensem archiepiscopum indictione IX datam, tomo III Conciliorum Galliæ, pag. 423, quam ex Codice Rhemensi exhibuit Jacobus Sirmondus, Binio aliisque Collectoribus antea incognitam. Unam quoque ad Anastasium Bibliothecarium scripsit epistolam Photius patriarcha Constantinopolitanus, ordine 170, pag. 244, brevem, ex qua concludere promptum est magnæ tunc auctoritatis fuisse Anastasium Romæ.

XIV. Exstat quoque S. *Theodorii Studitæ* abbatis Constantinopolitani sermo *de sancto Bartholomæo Apostolo*, qui circa annum 820 inter Græcos clarus doctrina atque pietate emicuit, quem Anastasius S. R. Ecclesiæ bibliothecarius ex Græcis in Latinam linguam transtulit et ex ms. codice edendum curavit, Spicilegii tomo III, pag. 13, Lucas de Acherio monachus Benedictinus congregationis sancti Mauri in Gallia.

XV. Cum mortuo Adriano II Romano pontifice cujus bibliothecarius seu referendarius, vel, ut modo loquuntur, secretarius et ab epistolis fuerat, idem munus sub Joanne VIII successore egisset, tanquam bibliothecarius seu Secretarius Joannis VIII papæ prædicti, cujus lateri et epistolis adhærebat, epistolas sex sub nomine ejusdem Græcas Latinasque simul edidit, ad negotia Orientalis Ecclesiæ spectantes, quæ exstant tomo VIII Conciliorum editionis Labbeanæ, in Appendice ad concilium octavum Constantinopolitanum ex ms. codice Vaticano, columnis 1451, 1461, 1473, 1477, 1479, 1485. Qui si superstes diutius in vivis fuisset, alias quoque pontificis ejusdem epistolas utraque lingua Græca ac Latina posteris reliquisset. Mortuo autem illo sub Joannis VIII pontificatu, Zacharias illi in bibliothecarii seu referendarii officio successor datus est, anno mihi incomperto.

NOTITIA BIBLIOGRAPHICA ALTERA.

(Apud Fabricium, Biblioth. med. et inf. Latinitatis, tom. I.)

ANASTASIUS, bibliothecarius Romanus, abbas et presbyter, imo *presbyter cardinis*, sive *cardinalis* ab an. 848 clarus temporibus Nicolai I, qui ab anno 858 Adriani II, qui ab anno 867, et Joannis VIII, qui ab anno 858 ad 882, pontificatum gessit, et fortasse etiam secutorum temporibus, Multa ex Græcis Latine

vertit « rudiore plerumque stylo et semibarbaro, quanquam, » ut Combefisius in Bibliotheca Concionatoria recte judicat, « nec ipso inutili, plerisque in mediis illius ævi auctoribus Græcis nobis futuris perobscuris, nisi lucem ille scientia quam sermone peritior, vel ita nobis reddens affudisset. » Habemus vero ex Anastasii versione : 1. *Chronologiam Nicephori Contantinopolitani,* qui an. 828 diem obiit, eique subjunctam stichometriam librorum sacrorum 2. *Historiam Ecclesiasticam,* quæ inter Scriptores Historiæ Byzantinæ prodiit, ex eodem Nicephoro, Georgio Syncello et Theophane confessore circa annum 872 contractam. 3. *Acta synodi sextæ* Constantinopoli in Trullo habitæ anno 680. 4. *Acta synodi septimæ,* sive synodi Nicænæ II an. 787. 5. *Acta synodi octavæ* Constantinopolitani an. 869, cui ipse interfuit. 6. *Collectanea* ad controversiam et historiam Monothelitarum spectantia, a Sirmondo edita, atque Combefisio, et obvia etiam tom. XII Bibliothecæ Patrum Lugdunens. De quibus singulis dixi tomo IX Bibliothecæ Græcæ, pag. 337 seqq., de Chronologia etiam tom. VI, pag. 153. *Passio* 10000 *martyrum* sub Adriano et Antonino Pio exstat in Actis Sanctorum 22 Junii, tom. IV, pag, 182. *Vita Joannis Eleemosynarii* patriarchæ Alex. apud Rosweidum lib. I de Vitis Patrum, et in iisdem Sanctorum Actis 23 Januarii. *Passio S. Demetrii* martyris apud Joannem Mabillonium tom. I Analect., pag. 65, et editionis novæ pag. 172. Encomium S. Bartholomæi apostoli ex Græco Theodori Studitæ in Dacherii Spicilegio, tom. III, et editionis novæ tom II, pag. 123, atque in Combefisii Bibliotheca Concionatoria tomo VII. Epistola ad Carolum Calvum præfixa *Scholiis S. Maximi et Joannis Scythopolitani in Dionysium* Areopag. ab Anastasio versis, edita ab Usserio in Epistolis Hibernicis, pag. 45. Epistola ad eumdem Carolum præmissa *Vitæ Dionysii* scriptæ a Methodio, apud Surium ad 8 Octobris, et Petrum Franciscum Chifletium de uno Dionysio, aliosque. De vita illa ab Anastasio versa vide Mabillonium tom. I Analect., pag. 59 seq. et novæ editionis pag. 212, ubi Hincmari de eadem ad Carolum imperatorem litteras exhibet. Idem Mabillonius tomo I Musei Italici pag. 80 seq. vulgavit Anastasii prologos in versas a se *Passionem* 1480 *martyrum* in Palæstina sub Chosroe (de quibus Acta Sanctorum 22 Junii, tom. IV, pag. 188). *Miracula S. Basilii Cæsareensis, Passionem SS. Cypri et Joannis,* et *Vitam S. Donati episcopi apud Euricon in Syria.* Tribuitur illi etiam versio *Historiæ de Josaphat et Barlaam* inter Joannis Damasceni Opera, *Epistolæ S. Cyrilli Alex. ad Gennadium,* Vitæ *Petri Alexandrini,* Passionis *S. Agathii* sociorumque ejus: et narrationis *Miraculi Berytensis,* de imngine Christi a Judæis transfixa an. 765.

Præterea ipse scripsisse traditur Anastasius *Vitas Pontificum (a)* a Petro usque ad Nicolaum I, quas cum Guilelmo Bibliothecario de Vita Adriani II et Stephani VI sub Anastasii nomine primus ex Marci Velseri Bibliotheca vulgavit Joannes Busæus, Moguntiæ 1602 4. Deinde Carolus Annibal Fabrottus cum Historia Anastasii Ecclesiastica, Parisiis 1649 fol. inter Scriptores Historiæ Byzantinæ, quos novissime Venetis typis recusos constat. Antonii Dadini Alteserræ notæ et observationes excusæ separatim, Parisiis 1680 4. Post Busæum et Fabrottum, splendidam hujus Libri Pontificalis editionem auspiciis Clementis XI papæ curare cœperunt doctissimi viri Franciscus Blanchinus et Joannes Vignolius notis et observationibus illustratam (*b*), Romæ 1718, 1724, 1728 fol. neque tertio hoc tomo opus absolvitur, qui in Gregorio Magno jam desinit. Post absolutam a Fabricio Bibliothecam hanc Latinam prodiit quartum volumen Remanæ editionis Ilujus tria priora a Fabricio indicata sunt. Præcedunt prolegomena nonnuila, in quibus continentur Josephi Blanchini Veronensis congregationis Oratorii de Urbe presbyteri dissertationes epistolares septem ; tum opusculum de Vitis Romanorum pontificum a B. Petro apostolo usque ad S. Paulum primum ex Veronensi codice. Item aliud opusculum continens codicem Sacramentorum vetus Romanæ Ecclesiæ a S. Leone papa confectum, de quo dicemus, cum de S. Leone agendum erit. Opusculum III exhibet Gelasii I decretum e Florentino codice desumptum cum aliis duobus collatum. IV. Eragmentum Catalogi Pontificalis in Vigilio desinens, quod integrius recuditur, quam legeretur in tom. III ejusdem editionis Anastasianæ. Opusculum V dat Fragmentum Invectivæ in Romam pro Formoso. Opusculum VI fert appendicem seu variantes ad Martyrologium Bedæ editum in principio tomi II Actorum SS. Bollandi collatum cum codice Veronensi sæculo circiter x. VII Opusculum exhibet Psalterium cum Canticis juxta Vulgatam antiquam, et Italam versionem cum variantibus, et collatione instituta cum aliis vetustissimis Psalteriis. Excipit hæc omnia Cajetani Cenni presbyteri Pistoriensis Chronologia Cæsarea pontificia tomi IV ab an. Christi 590 usque ad 768.

Totum vero luculenter recensitum exstat novo ejusdem Vignolii (*c*). Romæ 1724, forma quarta majore, atque sub idem fere tempus clarissimi Muratorii studio in tomo tertio Rerum Italicarum, Mediolani 1723 fol., addita (*d*) etiam aliorum auctorum veterum continuatione de Vitis Pontificum a Leone IX ad Joannem XXII.

Chronicon breve *Cassinense* in anno Christi 857 desinens, quod Anastasio tribuitur, edidit laudatus Muratorius tomo secundo magnæ illius atque Italis honori semper futuræ Collectionis tom II, p. 249, sed Anastasium auctorem esse vix ac ne vix quidem sibi persuadet.

Epistola ad Adonem archiepiscopum Viennensem, atque altera *de obitu Nicolai I papæ et electione papæ Adriani II* et tertia *ad Hincmarum* leguntur in tomis Concilior. Regia XXXIII, Labbei VIII, Harduini V, et Veneta Coleti X.

Martini I, papæ *Epistolas* XIV, XV, XVI, XVII et XVIII versas ab Anastasio exhibet et præfationem ejus ad Martinum Narniensem episcopum memorat Binius tom. II Concilior. edit. 1618, atque inde alii.

(*a*) Neutiquam omnium, sed paucorum quorumdam fortasse a Gregorio IV ad Nicolaum I, quibus vicinus vixit auctorem posse esse Anastasium, non sine causa monent eruditi. Vide præ cæteris Friderici Spanhenii Opera tom. II, p. 649 seq. et quæ collegit Oudinus tom. II, p. 258 seqq.

(*b*) Giornale de Letterati d'Italia tom. XXXI, pag. 451 seq. Acta Eruditorum an. 1719, pag. 425. Anno 1725, pag. 153. Anno 1631, pag. 349.

(*c*) Acta Eruditorum an. 1727, pag. 52. Journal des Savants an. 1726. Jun. pag. 248. Memoires de Trevoux an. 1727. pag. 89.

(*d*) Vide conspectum meum thesauri Litterarii Italiæ pag. 27 seq. et Acta Eruditorum anno 1724, pag. 377 seq. ubi etiam de *Petri Boerii* episcopi circa an. C. 1380. Urbevetani notis in Anastasium MSS.,

ELOGIA PRO ANASTASIO.

Guilielmus S. R. E. bibliothecarius in Vita Adriani II (a)

Legati S. R. E. textum synodi *(nempe octavæ generalis Constantinopoli celebratæ)*, verentes ne quid falsum Græca levitas in eam congesserit, Anastasio sanctæ sedis apostolicæ bibliothecario (qui tunc temporis pro causa Ludovici serenissimi nostri Augusti cum Suppone archiministro post eos Constantinopolim, divina, ut creditur, dispensatione advenerat) subtiliter inquirendum, antequam subscribant, committunt. A quo quia in utrisque linguis eloquentissimus existebat, studiosissime perscrutatus, omne quod ad laudem serenissimi nostri Cæsaris, sanctissimus dominus Adrianus pontifex in *epistola* sui decessoris Arsenio episcopo imminente adjecerat, reseratum inveniunt.

Joannes Trithemius, de Scriptoribus ecclesiasticis.

Anastasius apostolicæ bibliothecæ custos et instaurator sagacissimus, in divinis Scripturis eruditus, et in sæcularibus litteris nobiliter doctus, Græco et Latino multum peritus eloquio, fertur nonnulla composuisse opuscula, sed ad manus nostras nihil eorum pervenit. Transtulit autem multa Græcorum volumina in Latinum, nam jubente Nicolao papa I transtulit Vitam Joannis Eleemosynarii: lib. I. Unam S. Dionysii Hierarchiam: lib. I. Synodum VII universalem: lib. I. Vitas multorum SS. Patrum: lib. I, et alia plura. Scripsit et Historiam Ecclesiasticam usque ad sua tempora, rogante Carolo II, cui imprimis charus erat. Claruit sub Ludovico imperatore secundo, anno Domini 860.

(a) Exstat in hoc opere.

B. Platina [de Vitis Pontificum, in JOANNE IX.

Carolus imperator Normannorum regem in gratiam recipiens, e baptismatis fonte levavit, ut scribit Anastasius, qui tum in pretio erat Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, vir sane utraque lingua doctus, ut e Græco in Latinum et septimam universalem synodum, et Hierarchiam Dionysii Areopagitæ, et Vitas multorum Caroli gratia in Latinum eleganter et docte transtuleris.

Onuphrius Panvinius in Platinam, annotat in Nicol. um I.

Anastasius monachus, et S. R. E. bibliothecarius usque ad Nicolaum I Romanorum pontificum Vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit, sub quo et ejus successoribus Adriano II et Joanne VIII in Urbe floruit. Quæ sequuntur concinnavit Guilielmus quidam, alter bibliothecarius, quæ in libro sub Damasio nomine circumfertur, exstant.

Sigebertus Gemblacensis, de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. 104.

Anastasius, jubente Nicolao papa, transtulit in Latinum Vitam Joannis Eleemosynarii, scriptam Græce a Leontio episcopo.

Cæsar Baronius Annalium Ecclesiasticorum tomo IX.

Anastasius bibliothecarius, etsi rudi stylo, fidelissime tamen rerum gestarum historiam enarravit, imo in rerum sui temporis narratione nullum fideliorem et meliorem scriptorem habemus, apud quem magis cum simplicitate veritas quam cum fuco mendacia valuerunt.

VITÆ ROMANORUM PONTIFICUM

AB. PETRO APOSTOLO AD NICOLAUM I PERDUCTÆ

CURA

ANASTASII

S. R. E. BIBLIOTHECARII,

ADJECTIS VITIS

ADRIANI II ET STEPHANI VI

AUCTORE

GUILLELMO BIBLIOTHECARIO

EDITÆ PRIMUM

Maguntiæ typis Albini anno MDCII, *ex Bibliotheca Marci* VELSERI *Augustanæ R. P. II Viri; deinde Parisiis a Carolo Annibale* FABROTTO *J. C. Typis Regiis* MDCXLVII. — *Cum variis lectionibus exceptis tum ex codd. mss. bibliothecæ Vaticanæ, tum ex Conciliorum tomis* CRABBEI *et* BINII, *tum ex Annalibus Ecclesiasticis cardinalis* BARONII, *necnon ex aliis codd. mss. Germaniæ et Galliæ, præsertim Freherianis II Regio, Mazarino, et Thuanis II.*

NUNC TERTIUM PRODEUNT

Cum Auctario variantium lectionum jampridem descriptarum ex vetustissimis exemplaribus, et catalogis mss. Vaticanis II, Florentinis II, Cassinensi, Regio, Farnesiano, bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, reginæ Sueciæ, et Colbertinæ per Lucam HOLSTENIUM et Emmanuelem A SCHELESTRATE bibliothecæ Vaticanæ præfectos; — Additis etiam pluribus collectis ex veteri cod. ms. Cavensi a Francisco PENIA S. Rotæ Romanæ auditore, antea non editis.

Servata ubique divisione sectionum Benedicti MILLINI, *Christinæ Sueciæ reginæ bibliothecarii, quibus singillatim subduntur Lectiones omnes supra recensitæ.*

CUM PRÆFATIONE ET INDICE LOCUPLETIORI,

OPERA ET STUDIO

FRANCISCI BLANCHINI VERONENSIS

IN SACELLO APOSTOLICO SUBDIACONI,

Et ejusdem sanctissimi domini nostri ab honore sacri cubiculi.

EPISTOLA DEDICATORIA

Sanctissimo domino nostro CLEMENTI XI, pontifici maximo, Joannes Maria SALVIONI typographus Vaticanus.

Cum artium bonarum præsidio, et incremento datum. BEATISSIME PATER, te agnoscant facultates utiles, ac necessariæ in republica optime constituta; typographia non postrema tuo se munere ac largitate restitutam sentit; quin etiam de tuo judicio gloriatur: quod hanc veluti administram universarum impense foveas, earumque in primis, quæ in religionis officiis procurandis beneficia sua referunt ad æternitatem. Quos itaque labores in eadem excolenda, tenues quidem, sed non pœnitendos, tuis auspiciis, hactenus impendi, experior a clemencia tua ita benigne susceptos, et munificentia tua ita largiter ornatos ad me rediisse, ut in domicilio Romanæ Universitatis, quam Sapientiam vocant, officina amplissima instructa, in eodem

Archigymnasio typographus, mox etiam Vaticanus, te dante, sim renuntiatus.Hæc nominis amplitudo me sollicitum reddit, ut qui par gratiæ referendæ non sim munifico erga me principi, exspectationi sanctissimi Patris saltem pro modulo respondere connitar. Qua igitur ratione id contendam hoc editione Operis Anastasii, id tibi, PATER BEATISSIME, laboris, et consilii mei non tantum domino indulgentissimo, verum etiam judici ac patrono clementissimo, exponendum humiliter duxi : tuoque sub auspicio cæteris aperiendum, ut sciant quicunque opella nostra imposterum usuri sunt, quibus præsertim operibus prela officinæ nostræ exerceri cupiam, ex quo Vaticani typographi munere a sacerdote maximo sum donatus.

(a) Typographiam Vaticanam cum institueret immortalis memoriæ pontifex Sixtus V, professus est eo consilio fundatam, ad sanctorum scilicet opera restituenda, catholicamque religionem toto orbe propagandam. Quanto autem studio se comparaverint ad implendum susceptæ provinciæ munus quotquot ejus officinæ librariæ curam administrabant, satis ostendunt opera egregia per eos annos edita typis Vaticanis : utriusque Testamenti lectio quam emendatissima, conciliorum generalium Acta ex probatissimis codicibus descripta, sanctorum Patrum lucubrationes ad veterum exemplarium fidem summopere castigatæ. Annales Ecclesiæ a Baronio tunc inchoati, et ejusmodi librorum genera nunquam intermoritura. Næ celebres illi editores Vaticani Aldinam elegantiam cum utilitate et majestate argumenti omnium gravissimi conjunxerunt. Post uberem igitur messem undique conquisitam, et adeo feliciter illatam in Ecclesiæ horreum, quale spicilegium supererit a me colligendum, eo dignum nomine, quo placuit SANCTITATI VESTRÆ conatus meos honestare, dum in vitam revocaret post unum, aut alterum sæculum typographiam Vaticanam ? Animo tamen despondere nos minime sinit sacrorum seges, quam magnus pater familias paratam servat industriæ coloni, non secus ac vineæ fructus, et mercedis proventum vinitoribus vocatis ad horam nonam, et undecimam. Nam quæ provincia tibi non ferax futura sit, BEATISSIME PATER, si ab extrema etiam Syria, et desertis, ac solitudinibus Nitriæ ac Thebaidis colligis fructus, pluribus ante nos sæculis denegatos aut occultatos ? Acta enim Martyrum, ab Eusebio collecta, et turbine quodam ætatis barbaræ ita abrepta ac dispersa, ut post annos non integros trecentos frustra quærerentur in scriniis Ecclesiæ, nuper ex Oriente attulisti cum aliis præclaris codicibus ducentis, tuo jussu ac munificentia comparatis ad instruendam novis copiis bibliothecam Vaticanam. Quanta amplitudo regionis nostris laboribus excolendæ hoc uno in prospectu ante oculos aperitur ! Cum itaque materia editionum defutura minime sit sub optimo principe, sacris litteris impense addicto, præstabit, ut ego arbitror, specimen ejus diligentiæ exhibere, quam tua Vaticana typographia polliceri potest cultoribus graviorum disciplinarum, tum in delectu operum edendorum, tum in castigatione atque elegantia editionis.

Tria hæc spondere cum ausim, etiam præstare conatus sum in his excudendis Romanorum Pontificum Vitis, quæ Anastasii nomine donari solent. Delectus in primis utilis reputari profecto debet, qui gesta præcipua complectitur decessorum tuorum in Petri cathedra, successionemque non interruptam : universa hæc genuinis notis descripta ex diptychis et heortologiis nascentis Ecclesiæ. Non alia rudimenta maximi operis Annalium Baronio fuisse fatetur inclytus scriptor *(b)* in epistola nuncupatoria ad Sixtum pontificem, quam Vitas sanctorum et exempla Patrum : unde adversaria colligens ad usum familiarium concionum, pro consuetudine Oratorii sui quotidie habendarum, ex parvo semine ingentem arborem exortam vidit. At Vitæ maximorum pontificum hoc etiam brevitate enuntiatæ, qua potissimum veritas gaudet, quanto rerum pondere et momento polleant, satis, spero, indicabitur in præfatione ad Lectorem. Castigatio accurata (quod erat alterum a me pollicitum et præstandum) se prodet in uniuscujusque folii conspectu primo. Videbit Lector, omnium fere cultarum nationum, quæ in Europa sunt, collatis studiis hanc operis emendationem esse adornatam. Codicum præstantiorum variantes lectiones, quas bibliothecæ præ cæteris celebres attulerunt, Vaticana, Cæsarea Vindobonensis, Regia Ludovici Magni, Regia Christinæ, Florentina, Farnesiana, Barberina, Otthoboniana, Cavensis et Colbertina, occurrent ad singulas lectiones. Ex Germania superiori Velserus, et Freherus, necnon Binius, et Surius ; ex inferiori Lucas Holstenius, et Emmanuel a Schelestrate ; ex Gallis Labbeus, et Fabrottus ; ex Hispanis Penia ; ex Italis Baronius (ut unus sit instar omnium) symbolam suam contulerunt. Hoc agmen scriptorum primi subselii vadem adhibeo delectus operis a me suscepti, et castigationis promissæ : quod etiam pertinet ad dignitatem Ecclesiæ omnium matris, libenter approbaturæ, in tot nationum filiis devotam sibi pietatem feliciter occupatam in describendis fideliter gestis pontificum maximorum. Tertium illud, quod pollicebar ductus auspicio jussionis, et beneficentiæ tuæ, PATER BEATISSIME, est elegantia editionis : quam usus docuit conferre plurimum ad operis perennitatem. Hanc vero consectatus sum impensis non mediocribus, consilio præstantium virorum, et comparatione editionum, quæ peritorum consensu habentur maxime nobiles. Felicem me reputabo, si pro votis id obtinuero, ut SANCTITAS VESTRA persuasum habeat, typographi sui fidem, obedientiam, ac diligentiam ita semper paratam fore ; ut is apostolicis pedibus sæpe accidens, et per salutis nostræ signum pontificia manu productum a Deo vires impetrans, a quo omnis sufficientia nostra est, ex hoc qualicunque speci-

(a) Ex R. P. Bonanni in expl. nummi postr. Sixti V.
(b) Baron. tom. I. Annal. in epistola Dedic. ad Sixtum V.

mine, veneratione maxima tibi oblato, ad constitutam sibi Vaticani impressoris metam nunquam non progredi videatur.

CLEMENS PAPA XI

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Cum, sicut nobis abunde perspectum est, dilectus filius Joannes Maria Salvioni, ubi primum typographiam suam in ædibus gymnasii Sapientiæ nuncupati almæ urbis nostræ ei ad id jussu nostro assignatis, nostraque impensa ampliatis, magnifice aperuit; impensius autem et alacrius, postquam nos illum per speciale chirographum die 28 Augusti anni proxime præteriti manu nostra signatum typographiæ Vaticanæ ad ædes prædictas a nobis translatæ præposuimus, et typographum Vaticanum cum honoribus, privilegiis, prærogativis et facultatibus consuetis, congruo ei insuper constituto stipendio, deputavimus; in eam curam, nullis parcendo sumptibus, indesinenter incubuerit, ut libri nitidissimis characteribus impressi, summaque diligentia ac fide recogniti et emendati, ab eadem sua typographia in publicum ederentur: nec sane laudabili proposito frustratus, sit, cum quamplura, quæ ille hactenus vulgavit, volumina, præsertim sacrorum ecclesiasticorumque scriptorum ita exculta, ornata atque correcta in lucem prodierint, ut a litteratis viris, iisque omnibus, apud quos bonæ artes in pretio sunt, communi plausu excepta fuerint. Novissime vero, sicut idem Joannes Maria nobis nuper exponi fecit, ipse celebrem librum, cui titulus: *Anastasii Bibliothecarii de Vitis Romanorum Pontificum, a B. Petro apostolo ad Nicolaum I, adjectis Vitis Adriani II et Stephani VI, Auctore Guillelmo Bibliothecario,* suis typis ad publicam omnium ac præsertim ecclesiasticæ historiæ studiosorum utilitatem mandare decreverit; sed tamen vereatur ne, postquam editus fuerit, alii, qui ex alieno labore lucrum quærunt, librum hujusmodi in ipsius Joannis Mariæ præjudicium terum imprimi curent. Nos ejusdem Joannis Mariæ indemnitati, ne ex impressione hujusmodi aliquod dispendium patiatur, providere, illumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequente harum serie absolventes, et absolutum fore censentes: supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Joanni Mariæ, ut viginti annis proximis a primæva libri præfati impressione computandis durantibus, dummodo tamen ille a dilecto filio magistro sacri palatii apostolici approbatus sit, nemo tam in Urbe præfata, quam in reliquo Statu ecclesiastico mediate vel immediate nobis subjecto librum prædictum sine speciali memorati Joannis Mariæ, aut ab eo causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel aliis impressum vendere, aut venalem habere, aut proponere possit, apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus et indulgemus. Inhibentes propterea utriusque sexus Christi fidelibus, præsertim librorum impressoribus, et bibliopolis sub quingentorum ducatorum auri de Camera, et amissionis librorum et typorum omnium pro una Cameræ nostræ apostolicæ, et pro alia præfato Joannis Mariæ ac pro reliqua tertiis partibus accusatori, et judici exsequenti irremissibiliter applicandis, et eo ipso absque ulla declaratione incurrendis pœnis, ne dictis viginti annis durantibus librum præfatum, aut aliquam ejus partem, tam in Urbe, quam in reliquo Statu ecclesiastico supradictis, sine hujusmodi licentia imprimere, aut ab aliis impressum, aut impressam vendere, seu venalem habere quoquomodo audeant, seu præsumant. Mandantes propterea dilectis filiis nostris, et apostolicæ sedis de latere legatis, seu eorum vice legatis, aut præsidentibus, gubernatoribus, prætoribus, et aliis justitiæ ministris provinciarum, civitatum, terrarum, et locorum Status nostri ecclesiastici præfati, quatenus prædicto Joanni Mariæ, seu ab eo causam habentibus prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistente; quandocunque ab eodem Joanne Maria fuerint requisiti, pœnas prædictas contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exsequantur. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis, et consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem ut præsentium transsumptis et jam in ipso Libro impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima Junii 1718, pontificatus nostri anno 18.

F. cardinalis OLIVERIUS.

CATALOGUS ET SERIES PONTIFICUM ROMANORUM

DE QUIBUS

IN HOC OPERE ANASTASII AGITUR.

		Sect.				
I.	Sanctus Petrus.	1	A	LIX.	S. Agapetus.	94
II.	S. Linus.	2		LX.	S. Silverius.	97
III.	S. Cletus.	3		LXI.	Vigilius.	102
IV.	S. Clemens.	4		LXII.	Pelagius.	109
V.	S Anacletus.	5		LXIII.	Joannes III.	110
VI.	S. Evaristus.	6		LXIV.	Benedictus.	111
VII.	S. Alexander.	7		LXV.	Pelagius II.	112
VIII.	S. Sixtus.	8		LXVI.	S. Gregorius.	113
IX.	S. Telesphorus.	9		LXVII.	Sabinianus.	114
X.	S. Hyginus.	10		LXVIII.	Bonifacius III.	115
XI.	S. Anicetus.	11		LXIX.	S. Bonifacius IV.	116
XII.	S. Pius.	12		LXX.	S. Deusdedit.	117
XIII.	S. Soter.	13		LXXI.	Bonifacius V.	118
XIV.	S. Eleutherius.	14		LXXII.	Honorius.	119
XV.	S. Victor.	15		LXXIII.	Severinus.	121
XVI.	S. Zephyrinus.	16		LXXIV.	Joannes IV.	124
XVII.	S. Calixtus.	17		LXXV.	Theodorus.	125
XVIII.	S. Urbanus.	18		LXXVI.	S. Martinus.	130
XIX.	S. Anterus.	19	B	LXXVII.	S. Eugenius.	134
XX.	S. Pontianus.	20		LXXVIII.	S. Vitalianus.	135
XXI.	S. Fabianus.	21		LXXIX.	Adeodatus.	137
XXII.	S. Cornelius.	22		LXXX.	Donus.	139
XXIII.	S. Lucius.	23		LXXXI.	S. Agatho.	140
XXIV.	S. Stephanus.	24		LXXXII.	S. Leo II.	147
XXV.	S. Sixtus II.	25		LXXXIII.	Benedictus II.	151
XXVI.	S. Dionysius.	26		LXXXIV.	Joannes V.	154
XXVII.	S. Felix.	27		LXXXV.	Conon.	156
XXVIII.	S. Lutychianus.	28		LXXXVI.	Sergius.	158
XXIX.	S. Caius.	29		LXXXVII.	Joannes VI.	165
XXX.	S. Marcellinus.	30		LXXXVIII.	Joannes VII.	167
XXXI.	S. Marcellus.	31		LXXXIX.	Sisinnius.	169
XXXII.	S. Eusebius.	32		XC.	Constantinus.	170
XXXIII.	S. Melchiades.	33		XCI.	S. Gregorius II.	177
XXXIV.	S. Silvester.	34		XCII.	S. Gregorius III.	198
XXXV.	S. Marcus.	49		XCIII.	S. Zacharias.	206
XXXVI.	S. Julius.	50		XCIV.	Stephanus II. *triduo vixit in Pont.*	227
XXXVII.	S. Liberius.	51		XCV.	Stephanus III.	227
XXXVIII.	S. Felix. II	53		XCVI.	S. Paulus.	257
XXXIX.	S. Damasus.	54	C	XCVII.	Stephanus. IV.	262
XL.	S. Siricius.	55		XCVIII.	S. Hadrianus.	290
XLI.	S. Anastasius.	56		XCIX.	S. Leo III.	358
XLII.	S. Innocentius.	57		C.	Stephanus V.	426
XLIII.	S. Zosimus.	59		CI.	S. Paschalis.	430
XLIV.	S. Bonifacius.	60		CII.	Eugenius II.	452
XLV.	S. Cœlestinus.	62		CIII.	Valentinus.	453
XLVI.	S. Sixtus III.	63		CIV.	S. Gregorius IV.	457
XLVII.	S. Leo.	66		CV.	Sergius II.	479
XLVIII.	S. Hilarus.	68		CVI.	S. Leo IV.	494
XLIX.	S. Simplicius.	72		CVII.	Benedictus III.	556
L.	S. Felix III.	73		CVIII.	S. Nicolaus I.	577
LI.	S. Gelasius.	74		CIX.	Hadrianus II.	613
LII.	S. Anastasius II.	75			Vitæ desiderantur	
LIII.	S. Symmachus.	76		CX.	Joannis VIII.	
LIV.	S. Hormisda.	82		CXI.	Marini.	
LV.	S. Joannes.	87		CXII.	Hadriani III.	
LVI.	S. Felix IV.	90		CXIII.	Stephani VI.	641
LVII.	S. Bonifacius II.	94			Vita superest.	
LVIII.	S. Joannes II.	93				

IIDEM PONTIFICES JUXTA ORDINEM ALPHABETI.

Adeodatus.	137	Agatho.	140	Anacletus.	5
Agapetus.	94	Alexander.	7	Anastasius.	56

Anicetus.	11	Gregorius III.	100	Pius.	12
Anterus.	19	Gregorius IV.	457	Pontianus.	20
Benedictus I.	111	Hadrianus I.	290	Sabinianus.	114
Benedictus II.	151	Hadrianus II.	613	Sergius I.	158
Benedictus III.	556	Hilarus.	58	Sergius II.	179
Bonifacius I.	60	Honorius.	119	Severinus.	121
Bonifacius II.	91	Hormisda.	82	Silverius.	97
Bonifacius III.	115	Hyginus.	10	Silvester.	34
Bonifacius IV.	116	Innocentius.	57	Simplicius.	72
Cœlestinus.	62	Joannes I.	87	Siricius.	55
Caius.	29	Joannes II.	93	Sisinnius.	169
Callixtus.	17	Joannes III.	124	Sixtus I.	8
Clemens.	4	Joannes IV.	110	Sixtus II.	25
Cletus.	3	Joannes V.	154	Sixtus III.	63
Conon.	156	Joannes VI.	165	Soter.	13
Constantinus.	170	Joannes VII.	167	Stephanus I.	24
Cornelius.	22	Julius.	50	Stephanus II.	227
Damasus.	54	Leo I.	66	Memoratur, sed non describitur ejus Vita, quia decessit die tertia post electionem.	
Deusdedit.	117	Leo II.	147		
Dionysius.	26	Leo III.	358		
Donus.	139	Leo IV.	494	Stephanus III.	227
Eleutherius.	14	Liberius.	51	Stephanus IV.	262
Evaristus.	6	Linus.	2	Stephanus V.	426
Eugenius I.	134	Lucius.	23	Stephanus VI.	641
Eugenius II.	452	Marcellinus.	30	Symmachus.	76
Eusebius.	32	Marcellus.	31	Telesphorus.	9
Eutychianus.	28	Marcus.	49	Theodorus.	125
Fabianus.	21	Martinus.	130	Urbanus.	18
Felix I.	27	Melchiades.	33	Valentinus.	453
Felix II.	53	Nicolaus.	577	Victor.	15
Felix III.	73	Paschalis.	130	Vigilius.	102
Felix IV.	90	Paulus.	257	Vitalianus.	135
Gelasius.	74	Pelagius I.	109	Zacharias.	206
Gregorius I.	113	Pelagius II.	112	Zephyrinus.	16
Gregorius II.	177	Petrus.	1	Zosimus.	59

IN VITAS PONTIFICUM ROMANORUM PRÆFATIO

AUCTORE FRANCISCO BLANCHINO VERONENSI

Basilicæ Lateranensis canonico et subdiacono sacelli pontificii.

SYNOPSIS PRÆFATIONIS.

1. Utilitas inquirendi de auctoribus Vitarum pontificum Romanorum, quas complectitur hic liber dictus. PONTIFICALIS : eorumque de auctorum ætate, stylo, præstantia, illustrata per eruditos præsules Holstenium, Ciampinum, et Schelestratium in Operibus Romæ editis.

2. Labores Holstenii commendant plurimum operis dignitatem in præclara Dissertatione Schelestratii : quæ recenset exemplaria Italicarum bibliothecarum præcipua, ab utroque præsule consulta.

3. Ilius Dissertationis integra editio reservatur tomo secundo, complexuro notas variorum ad hunc librum pontificalem.

4. Interea meditata potiora utriusque præsulis (Holstenii, et Schelestrati) inde scriguntur, pertinentia ad criticem istius libri, augenda novis observationibus in hac præfatione ; ubi agendum proponitur, *de nomine libri, ejusque ætate auctoribus, origine, et incrementis, necnon de illius historiæ fide, ac doccumentis.*

5. Nomina vetustiora hujus libri sunt : LIBER PONTIFICALIS, *seu* LIBER GESTORUM PONTIFICALIUM, *seu* VITÆ PONTIFICUM ROMANORUM. Licet novissime appellatus a Velsero fuerit LIBER ANASTASII BIBLIOTECARII DE VITIS PONTIFICUM ROMANORUM, attamen pars maxima ejusdem sæculo integro ante Anastasium conscripta fuit. Enumerantur exemplaria libri. Anastasii ætate antiquiora.

6. Ab Holstenio probatur pars prima libri complectens Vitas summorum pontificum a S. Petro ad Gregorium III, edita istius ætate circa annum Christi 730, ex hujus Vita incompleta in vetustis codicibus ms. ibi desinentibus.

7. Schelestratius confirmat sententiam Holstenii ex testimoniis libri in Vita Leonis II et in Vita Cononis : quæ indicant earumdem auctorem scripsisse ante annum 750.

8. Primæ huic collectioni Vitarum usque ad Gregorium III accesserunt appendices duæ, a diversis scriptoribus adjectæ. Prima complectitur Vitas Zachariæ et Stephani III, posterior reliquas usque ad Adrianum secundum : quas inter Anastasius Bibliotecarius unicam scripsit Nicolai papæ primi et Guillelmus, Anastasii successor, duas postremas.

9. Hic Liber Pontificalis, licet contextus ab auctoribus octavi et noni sæculi, desumptus est magna sui parte ex duobus Catalogis pontificum Romanorum, quorum prior conscriptus fuit quarto Christi sæculo sub Liberio papa, alter sub Felice papa IV, ætate Justiniani. Sed priori catalogo genuino adjecit impostos aliquis sequioris ætatis commentitias epistolas duas, Hieronymi ad Damasum, et Damasi ad Hieronymum : quæ in errorem traxerunt incaute appellantes hunc librum nomine Damasi.

10. His delibatis ex Dissertatione Schelestratii, et ex medietatis Holstenii, proponitur in hac Præfatione agendum de origine, auctoritate ac fide historiæ in hisce Vitis expressæ, ejusque documentis, seu probationibus.

11. Origo prima debetur duobus Catalogis indicatis, primo scilicet sub Liberio, et alteri sub Felice IV. Auctor

secundi Catalogi sexto sæculo transcripsit verba prioris jam contexti quarto sæculo ; et ex aliis documentis addidit plura in Liberianæ ætatis Catalogo, utpote breviori, non expressa. Scriptor vero primæ partis Libri Pontificalis retulit octavo sæculo in Vitas Pontificum verba secundi Catalogi, et plura similiter adjecit aliunde percepta.

12. Additiones Libri Pontificalis supra Catalogum secundum plerumque sunt expositiones, ac veluti notæ uberiores, clarius exponentes ea quæ contractius et obscurius in secundo Catalogo indicabantur.

13. De auctoritate rerum in utroque Catalogo enuntiatarum. Et primum agitur de utriusque Catalogi ætate, exemplaribus et editione.

14. Prior Catalogus, sub Liberio conditus, circa annum 354, editus fuit a Bucherio cum aliis reliquiis opusculorum ejusdem sæculi quarti, plurimo in pretio habitis apud eruditos. Descriptus fuerat in vetustis membranis, olim spectatis a Cuspiniano. Inde transcriptus, atque iterum collatus cum aliis exemplis, castigatior editus est a Schelestratio.

15. Alter Catalogus sub Felice IV, ætate Justiniani contextus, circa annum Christi 530, vulgatus fuit a Schelestratio ex codice scripto ætate Caroli Magni, olim in regia BibliothecaChristinæ Suecorum reginæ, nunc in Vaticana asservato : collata opera Stephani Baluzii, ministrantis lectiones variantes codicis Colbertini, ejusdem ætatis Caroli Magni.

16. De auctoritate rerum in Catalogis expressarum, quæ sunt : in priori quidem nomen pontificis, anni regiminis, et paria consulum, quibus inivit, et quibus desiit ; in secundo autem Catalogo additur nomen patris, et regio Urbis, si Romanus est, vel patria, si extraneus ; et numerus ordinationum : et aliquot decreta seu Constitutiones illius pontificis de quo agitur.

17. Nomen pontificis reddere cum patris nomine probatur fuisse ex more ætatum quibus catalogi scribebantur. Regionis nomen, in pontificibus natione Romanis observatum, videtur ex institutione Clementis primi, et indicat Catalogum illum fuisse collectum ex Actis martyrum, scriptis per septem notarios, ab eodem S. Clemente constitutos in Urbe. Quæ Acta in persecutionibus Decii et Diocletiani fuerant absumpta, supplebantur satis per historiam Hegesippi superstitem ætate Eusebii, necnon ex testimoniis Irenæi, et aliorum scriptis, unde Eusebius, potuit successionem pontificum Romanorum edere, adeoque etiam auctor Catalogi scribens Eusebii sæculo eamdem successionem potuit exhibere.

18. Chronologia pontificum Romanorum, per consulatus in utroque Catalogo consignata, haberi etiam potuit quarto et sexto sæculo, partim ex inscriptionibus martyrum, depositorum in cœmeteriis suburbanis, partim ex actis eorumdem pontificum et martyrum, necessario memorantibus principes et magistratus sub quibus martyrio afficiebantur.

19. Acta genuina passionis S. Ignatii probant ætate S. Clementis eadem Acta signari consuevisse epocha imperatoris et consulum. Alia vero Acta Romana cum recenseant præfectum Urbi, et Provincialia cum memorent præsidem, aut præfectum provinciæ, continet characteres ætatis satis definitos, ad contexendum sæculis quarto, et sexto, primum, et ultimum Catalogum.

20. Ordinationes per secundum Catalogum memoratæ in singulis pontificibus probantur haberi debuisse in Ecclesia Romana ex prima institutione sacerdotalis hierarchiæ servato exemplo veteris sacerdotii, epocham ordinationum memorantis in divinis litteris.

21. In Urbe tanta fuit existimatio sacerdotii etiam profani apud ethnicos ut hi diligenter expresserint cooptationes et initiationes suas æreis et marmoreis documentis, et Fastis Collegiorum, per consules et annos Urbis referentibus successiones sacerdotum etiam minorum ; et in Kalendariis, ætate Augusti, et Claudii publice propositis, adnotaverint diem pontificatus maximi per eosdem principes assumpti.

22. Mos incidendi tabulis marmoreis Acta sacerdotalia apud Romanos viguit a primo Christi sæculo ad quartum, ut probatur testimoniis lapidum quæ supersunt.

23. Quare episcopi Romani Petri successores in pontificatu vere maximo per Christum instituto, necnon primi fideles, de tanto sacerdotio, ejusque hierarchiæ gradibus pro dignitate sentientes, secuti morem sacrarum litterarum, et usum pariter suorum temporum, studuerunt etiam prioribus Ecclesiæ sæculis diligenter curare tabulas ordinationum sacerdotalium. Quin etiam tempore persecutionum nobis reliquerunt decreta marmoribus impressa (ut in marmorea sede S. Hippolyti cernimus) de Paschate, ac jejunio, referenda ad Acta pontificum.

24. Pace Ecclesiæ reddita sub Constantino, multo plura documenta marmoreis tabulis insculpta fuerunt a successoribus Petri in sede apostolica Romana, ut comprobant genuinæ inscriptiones S. Damasi papæ, et aliorum adhuc superstites.

25. Ex utroque numero inscriptionum tempore persecutionis, et in pace Ecclesiæ contexti sunt indiculi depositionum episcoporum, et martyrum, ad usum Ecclesiæ Romanæ quarto Christi sæculo : quorum aliquot edidit Bucherius una cum priori Catalogo pontificum Romanorum sub Liberio.

26. Mos in Romana Ecclesia custoditus signandi epochas pontificum per consulatus, et colligendi ex eis diptyca, et indiculos, ac successiones, apparet transmissus ad alias proximas sedes episcopales ; in Italia subinde fundatas auctoritate summi pontificis. Afferuntur exempla Ecclesiæ Nolanæ episcoporum ita signatorum in antiquis lapidibus, spectantia ad ætatem inter utrumque Catalogum interceptam. Quare multo diligentius servatus est mos non interruptus istius chronologiæ in Ecclesia Romana, omnium matre per beatum Petrum instituta.

27. Summi pontifices Christiani quarti et quinti sæculi, sacras ordinationes plerumque celebrantes in basilica Vaticana (uti constat ex sermonibus Leonis Magni) jure merito curarunt tot monumentis publice incisis celebrare dignitatem maximi sacerdotii, a Christo Domino percepti, et communicati B. Petro, et successoribus, ut apponerent sacra veræ religionis, hoc præsertim in loco Vaticani collis, quem Roma ethnica fœdaverat Actis sacerdotalibus profanarum suarum religionum, sive superstitionum.

28. Recensentur Acta marmorea collegii Fratrum Arvalium, et cooptationes ethnici sacerdotii, et initiationes Isiacorum, Mithræ, Sarapidis, Matris magnæ, Solisque sacerdotum, reperta in ipsa crepidine collis circa basilicam Vaticanam, quæ ostendunt, ibi fuisse ab ethnicis frequentatas hujusmodi superstitiones, quibus abolendis, ut ait Leo Magnus, feliciter destinatus Petrus Apostolus sedem veritatis in Urbe fixit, omnium errorum tunc temporis magistra sub impp. Claudio, et Nerone, et a se reddita discipula veritatis.

29. Ex veteri ara insculpta anno æræ Christianæ 160, et Lugduni reperta, atque illustrata per R. P. Dominicum de Colonia soc. Jesu theologum, percipimus, secundo Christi sæculo ab ethnicis usum inductum transmittendi ex Vaticano colle Romano ritum superstitiosum Ideæ Matris deorum ab iisdem dictæ in Colonias : æmulante diabolo, ut ait Tertullianus, in idolorum mysteriis irrito conatu subvertere nostra sacra per sacrilegam imitationem.

30. Conatus ethnicorum irriti, non secus ac Dagonis simulacrum coram arca testamenti conciderunt : nostrique Romani præsules super ruinas confractæ idololatriæ erigentes crucis tropæum, et Acta sacerdotii Christiani semper illustriora, ac firmiora ostendentes, eadem signarunt marmoreis tabulis, et ad perennem rei memoriam fixerunt publice, præsertim in Vaticana basilica, etiam ætate S. Gregorii tertii, qua scilicet edebatur hic Liber pontificalis. Quare satis constat de fide, et auctoritate rerum in utroque Catalogo memoratarum, unde Liber Pontificalis desumptus fuit.

31. Gradus fit ex documentis Catalogorum ad documenta reliquæ historiæ super Catalogos additæ in eodem Libro Pontificali. Ostenditur, ætate sancti Gregorii tertii plurima documenta superfuisse rerum, quæ narrantur in Libro Pontificali, non solum in Archivis, sed etiam in publicis inscriptionibus : quibus hæc ipsa historia comprobatur juxta tria potiora rerum capita in Libro enuntiata. Ea vero sunt : 1. Chronologia et successio pontificum. 2. Eorum sacræ ordinationes, Hierarchiam Ecclesiæ constituentes, et decreta, seu constitutiones. 3. Sacrarum ædium fundationes, instaurationes, donaria et reliqua gesta pontificalia.

32. Dum Liber Pontificalis conscribebatur sub Gregorio III, primum caput pertinens ad chronologiam pontificiam præter adjumenta duplicis Catalogi, firmamenta obtinuit in diptychis Ecclesiarum, in Actis conciliorum, Historia, et Chronicis Eusebii, et cæterorum Latinæ et Græcæ Ecclesiæ scriptorum, aliorumque Orientalium, in genuinis inscriptionibus cœmeteriorum SS. martyrum, præsertim Romanis, quæ nostra etiam ætate supersunt post annos mille ab editione Libri Pontificalis.

33. Caput alterum referendum ad decreta et ordinationes

colligi poterat ex iisdem fontibus, tum etiam ex ritibus liturgiæ in Ecclesia Romana observatis, necnon ex epistolis pontificum Romanorum.

34. Harum epistolarum aliquot fragmenta producta in Eusebii Historia, continent indicia decretorum sedis apostolicæ antistitum, præcedentium easdem epistolas ab Eusebio relatas.

35. Ordinationes episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, memoratæ in Catalogis, et inde descriptæ ab auctore Libri Pontificalis mirifice confirmantur ex memoriis genuinis consecrationis ecclesiarum, et altarium, quæ marmoribus mandari cœperunt etiam prioribus Ecclesiæ sæculis. Profertur consecratio ædis sacræ marmori commendata a S. Damaso papa: aliæque epochæ fundationum ecclesiarum eodem sæculo signatæ, et insculptæ marmoribus etiam in provinciis Occidentalibus.

36. Sacri fontes a SS. Damaso, Sixto III et Hilario constructi, aut amplificati, necnon aliæ structuræ ecclesiarum cognoscuntur ex eorumdem pontificum inscriptionibus genuinis.

37. Ætate S. Gregorii III etiam Acta concilii Romani, memorati in hoc Libro Pontificali, leguntur marmori incisa et asservata in cryptis veteris basilicæ Vaticanæ.

38. In basilica S. Pauli via Ostiensi legitur incisum ætate ejusdem S. Gregorii III ipsius diploma, seu Breve, ut vocant, de numero quotidiano missarum et oblationum ibidem constituto. Quare complura genuina documenta decretorum apostolicæ sedis antistitum ab initio tertii sæculi ad nonum non modo legebantur in marmoreis tabulis ætate scriptorum Libri Pontificalis, sed etiam nostra leguntur.

39. Eadem monumenta inscriptionum barbaro stylo incisarum ostendunt ætatem Libri Pontificalis : primum contexti paulo post initium octavi sæculi, quando barbaries a Longobardis in Italiam invecta, et late producta per ducentos annos eorumdem dominationis, Latinæ linguæ cultum ita fœdaverat, ut etiam regii diplomatum magistri ac notarii Latini sermonis regulas omnes negligerent.

40. Producuntur exempla duorum diplomatum Desiderii Longobardorum regis postremi, et Adelchis ejus filii ; ex autographis asservatis Brixiæ in archivo monasterii S. Juliæ.

41. Eadem barbaries irrepserat in Galliæ partem littoralem Italiæ proximam, tunc temporis turbatam a Saracenis, ut ostendit inscriptio Massiliensis, incisa circa ætatem Gregorii III.

42. Notarii principum Longobardorum Capuæ et Spoleti nihilo clementius habuerunt per eadem tempora Latinas litteras : quos deinde posteri sunt imitati usque ad sæculum decimum. Quare comprobatur undequaque ex stylo ætatis proprio in publicis monumentis, scriptores Libri Pontificalis octavo, et nono sæculo illum dictasse.

43. Tertium caput rerum in Vitis Pontificum memoratarum complectitur bona mobilia et immobilia ecclesiis donata, quæ partem non modicam Libri constituunt. Horum pariter donorum complura documenta, eaque publica, ministrabant scriptoribus Libri Pontificalis archiva ecclesiarum, ex legibus sacrorum canonum, et pontificum decretis instruenda regestis, ac documentis genuinis ejusmodi donationum.

44. Præter membranas archivorum, etiam marmora ecclesiarum incidebantur, non raro nominibus fundorum, et actis donationum.

45. Donatio S. Gregorii Magni ad luminaria concinnanda in basilica Vaticana adhuc legitur incisa marmoribus ejusdem ætate, et modo cernitur parieti affixa in porticu ejusdem basilicæ.

46. In basilica S. Pauli legitur diploma ejusdem pontificis, commendatum tabulæ marmoreæ simili de causa, datum vero ad Felicem subdiaconum et rectorem provinciæ Patrimonii viæ Appiæ in primo [illegible] Augusti consulatu indict. VII, VIII februarii, hoc est anno Christi 604; ex quo manifestum apparet jussio pontificia de autographo præcepto scriniis apostolicis inferendo.

47. In alio marmore basilicæ Liberianæ sub Gregorio quarto non modo legitur enumeratio fundorum ecclesiæ

A donatorum. sed etiam producitur causa, et comprobatur usus per eadem tempora frequentatus incidendi marmoribus documenta publica donationum, post acta genuina in archivum relata. Unde colligitur abundasse documentis donationum ætatem scriptorum Libri Pontificali tam in archivis quam in parietibus sacrarum ædium.

48. Leguntur etiam insculptæ vetustis lapidibus formulæ precum a summis pontificibus incisæ, et præsertim a S. Gregorio III, quæ supersunt in cryptis Vaticanis.

49. Præter basilicas patriarchales Urbis, etiam tituli presbyterorum, et diaconiæ, aliæque ædes sacræ, et monasteria servant marmorea documenta fundorum ad eadem sacra loca pertinentium. Videmus exemplum in titulo Pammachii, sive SS. Joannis et Pauli, in diaconia S Mariæ in Cosmedin, quæ etiam *Schola Græca* dicitur, eique proxima in ecclesia, nunc diruta, Sancti Valentini: necnon in Græca inscriptione destructi Monasterii S. Erasmi prope titulum S. Stephani in monte Cælio : et in dotatione sepulcri anno Christi 577 servata in sacrario S. Angeli in Burgo.

B 50. Communis hæc praxis, et consuetudo urbana in basilicis, titulis, diaconiis, ecclesiis etiam minoribus, monasteriis, imo et in sepulcralibus donationibus Romæ observata a sexto sæculo ad decimum, derivata etiam fuit ad proximos Urbi episcopatus, ut comprobant inscriptiones ecclesiæ cathedralis Anagninæ ac Tiburtinæ.

51. Quin etiam in ecclesias et regiones Italiæ ab Urbe remotiores id moris penetrasse docet inscriptio, ætate S. Gregorii III incisa prope Ravennam in celebri æde S. Apollinaris in Classe.

52. Pleraque hæc monimenta in Urbe et extra Urbem producta, cum pertineant ad ætatem scriptorum Libri Pontificalis, abunde docent studium peculiare illorum temporum in proponendis publice indicibus bonorum mobilium, et immobilium ad ecclesias pertinentium : in quibus propterea describendis tantam operam collocarunt indicati auctores Vitarum, pro more et ingenio suorum æqualium. Universa vero docent, superfuisse tunc temporis copiam documentorum ad universa comprobanda, quæ Libri contextus et historia complectitur.

53. Illustrantur hæc documenta ex numismate Crispi Cæsaris, edito per cardinalem Baronium, nunc denuo reperto inter cimelia excellentissimi principis Burghesii, et C huic præfationi præfixo. Numisma describitur.

54. Numisma jam tum recognitum a Fulvio Ursino antiquariorum principe, ab eoque comparatum et vindicatum, affertur a card. Baronio ad annum 324 tanquam indubitatæ antiquitatis testimonium, et documentum publici cultus Christianæ religionis in Urbe a Constantino susceptæ.

55. Et donorum ab eodem principe oblatorum in Lateranensi basilica Salvatoris ; cum in adversa parte expressa videatur statuta sedens vel Christi Domini, vel apostoli Petri, quales ex argento utrique positæ a Constantino in eadem basilica memorantur in hoc Libro Pontificali.

56. Ea donaria principum cum supercssent ætate scriptorum Libri Pontificalis, ostendunt cuique patuisse complura documenta publica rerum in illo memoratarum.

57. Hactenus de observationibus generatim pertinentibus ad Vitas pontificum hoc in libro collectas. Quæ speciatim de singulis dicenda sunt tomus secundus exhibebit. Ratio notarum in editione observanda proponitur.

58. Cum in hoc tomo typographus ea collegerit quæ pertinent ad germanam Libri lectionem, ejusque usum, et commoda inde percipienda ; spondet in secundo tomo collectum iri potiores *Adnotationes Variorum* in Vitas Pontificum, partim descriptas ex impressis ab Altaserra, Binio, Ciacconio, Labbeo, partim ministratas ab aliis historiæ ecclesiasticæ studiosis, quorum nomina singillatim præfixa juxta ordinem alphabeti tribuent cuique suas notationes.

59. Chronologicæ observationes in tomo secundo præfigentur, [illegible] edendæ sint tomo tertio : cui etiam reservatur totius systema chronologiæ restitutæ, sive reparationis temporum ab exordio æræ Christianæ.

60. Epilogus rerum de opere et editione dictarum in præfatione.



Nimus Crispi Caes. ex Musæo Princip. Burghesii, clim Fulvii Ursin.

PRÆFATIO.

1. Erunt fortasse qui judicent minime necessarium præfari in Vitas pontificum Romanorum, et de Anastasii nomine illis præfixo, tum de vero auctore, sive auctoribus, eorumque ætate, stylo, præstantia, diligentius inquirere hoc nostro sæculo, quo præclara illustrium criticorum judicia prelo commissa teruntur omnium manibus, non modo apud scriptores bibliothecarum, sed etiam apud eos qui hoc de argumento dissertationes aut Libros nominatim et in Urbe ediderunt. Quis enim nesciat examen *Libri Pontificalis* (quo nomine donatur hæc Vitarum collectio) ab erudito præsule Joanne Ciampino typis Romanis editum anno 1688, et post quadriennium ab illa editione in tomo primo *Antiquitatis Ecclesiæ Illustratæ* per alium celeberrimnm præsulem Emmanuelem a Schelestrate Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum fuisse vulgatam Dissertationem tertiam, in primis eruditam et gravem, hoc titulo insignitam: *De antiquis Romanorum Pontificum Catalogis, ex quibus Liber Pontificalis concinnatus fuit, et de Libri Pontificalis Auctore et præstantia?*

2. Hanc certe Dissertationem, novem capitibus distinctam, tanti faciendam judico, ut operæ pretium ducam eamdem integram, edere quando notæ in Anastasium prodibunt: cum complectatur matura judicia, et observationes tum ipsius Schelestratii, tum ejus decessoris in Bibliothecæ præfectura clarissimi Lucæ Holstenii: cujus laboribus, per annos plurimos assidue impensis potiora quæque deberi, quæ de præclaro hoc monumento ecclesiasticæ historiæ ad nos pervenerunt, satis ostendet testimonium, ejusdem Holstenii manu signatum in eo exemplari Anastasiano, in quo variantes lectiones A præstantissimorum totius Italiæ codicum mss. a se collatas retulit ex bibliothecis Vaticana, Regia Christiniana, S. Marci Florentina, Cassinensi, et Farnesiana. Præstat, ut numerum tertium capitis V. Dissertationis Schelestratii describam integrum: ut ex Holstenii verbis in eo relatis resultet, quæ dignitas libri sit, tantum virum occupantis parte non modica ætatis suæ in vera ejus lectione restituenda; quæ etiam antiquitas codicum, unde eamdem collegit, in aliquibus superans sæculum Anastasii, et ostendens priorum Vitarum scriptores esse Anastasio vetustiores:

« Cum ex prædictis Annibalis Fabrotti verbis (ait Schelestratius num. 3) manifeste appareat, editiones Libri Pontificalis ad suum usque tempus mendis B repletas fuisse, et meliorem editionem ex ms. codicibus curari posse, curam hanc in se susceperat vir doctissimus prædecessor quondam meus Lucas Holstenius, qui Anastasii Historiam de Vitis Romanorum Pontificum editionis Moguntinæ cum præstantissimis totius Italiæ codicibus contulit, ut illam correctiorem emendatioremque ederet. Autographum Holstenii ex libris Moroni emptum in bibliotheca Vaticana reposui, in cujus primo folio manu Holstenii adnotata sunt sequentia: « De mss. codicibus, ad » quos Anastasium contulimus. Quæ a principio li- » bri usque ad paginam 53 atramento notata sun » in margine, variæ lectiones sunt ex codice ms. » Vaticano, qui fuit sacri Monasterii Casinensis, vel » ex Sanctuario Mombritii, vel etiam collectione C » Canonum Anselmi Lucensis, quæ manuscripta » exstant in bibliotheca eminentissimi cardinalis » Barberini. Quæ minio notata a principio usque

» ad eamdem paginam 53, sunt variantes lectiones
» optimi codicis manuscripti Florentini ex biblio-
» theca conventus S. Marci. Inde pagina 54 inci-
» piunt collationes ms. Farnesiani scripti litteris
» majusculis, quo nihil antiquius exstare puto in
» hoc genere, et codex haud dubie ante natum Ana-
» stasium scriptus fuit, vel saltem eo tempore quo
» ipse Anastasius vixit. Et quia collationes Farne-
» siani codicis minio scriptæ sunt usque ad pagi-
» nam 63, hoc est usque ad Bonifacium IV, idcirco
» ad distinguendum codicum diversorum lectiones
» a pag. 54 usque ad 63 collationes Codicis Floren-
» tini atramento notavi. Inde a pag. 63 usque ad 72,
» ad Vitam S. Eugenii, Farnesianæ collationes atra-
» mento, Florentinæ minio notatæ sunt. Iterum a
» pag. 72 usque ad paginam 107, ubi incipit Vita
» Zachariæ PP., Farnesiana minio Florentiniana
» atramento collata sunt. Pag. 107. Vita Zachariæ
» in Farnesiano desideratur Collationes ex Floren-
» tino codice minio notatæ sunt usque ad paginam
» 115, ubi Farnesianus iterum incipit. Ubi iterum
» Florentinæ lectiones atramento notantur usque ad
» paginam 136, inde rubro usque ad mediam pagi-
» nam 138. Inde enim iterum atramento notantur
» usque ad principium paginæ 143, nam inde usque
» ad paginam 158 Florentini codicis lectiones si-
» gnantur rubro, atque ibi in Vita Adriani desinit.
» Habui deinde alium codicem manuscriptum Lon-
» gobardicum antiquissimum, ex eadem bibliotheca
» conventus S. Marci, multo vetustiorem priore:
» ejus lectiones atramento notavi; ubi cum Farne-
» siano et Florentino I convenit, lectiones dictorum
» codicum linea nigra subduxi, qua hujus optimi
» codicis consensus notatur : sed ubi peculiare
» quid habet, atramento signavi, apposita nota Fl.
» 2, hoc est Florentinus codex 2. Desinit autem co-
» dex iste in Leone II, pag. 80; præterea mutilus
» est a pag. 47 usque ad pag. 58. Cum hoc codice
» Florentino 3, in omnibus ferme consentit cod.
» Vatic. 5269, qui desinit in Gregorio II. Hujus co-
» dicis notæ sunt Vatic. Minor. vel V. M. »

3. Hæc itaque cum ego sentiam de Holstenii et Schelstratii laboribus plane admirandis, limatoque judicio circa Librum Pontificalem ab eis prolato, actum agere fortasse arguar novam præfationem attexens; et videbor Lectorem non relevare meditatis præstantium virorum, sed inutilibus meis onerare; si differam in tomum notarum referre Dissertationem integram Schelestratii, et hanc obtrudam utinam non improbandam.

Abstinuissem utique a pertractatione argumenti, adeo feliciter tentati et promoti per tantos viros, si ad nos integra pervenissent Holstenii meditata, nec præmatura ejus morte subrepta fuissent complura quæ is addere proposuerat, uti Schelestratius observat; aut si hujus scriptoris secundi Dissertatio tota de Anastasio foret, quæ præcipue conscripta est *De Antiquis Romanorum Pontificum Catalogis*, et capita nonnulla continet, edita ad eos *Catalogos* illustrandos, qui opus Anastasianæ collectionis pluribus sæculis præcesserunt.

4. Cum igitur viderem excerpi posse ab illa Dissertatione ea quæ Librum Pontificalem pressius attingunt, et præstantibus, quæ supersunt, observatis Holstenii addi non pauca posse, quæ recte per eum constituta confirment magis, et vitarum hujusmodi historiam, criticen, ac documenta propemodum præsentia reddant, ac demonstrata, non inutiliter me adlaboraturum speravi, si contraherem potiora ab iisdem scriptoribus fusius petractata et probata: eaque nectendo invicem, et inosculando cum recentibus observatis, definitum undequaque judicium referre satagerem de origine, incrementis, usu, documentis, et præstantia hujus *Libr Pontificalis*.

5. *Librum Pontificalem* hunc appellatum fuisse ante Velseri editionem, qui complectitur Vitas pontificum Romanorum a S. Petro ad Nicolaum primum, omnes consentiunt. Anastasio monacho S. R. E. Bibliothecario primus Velserus attribuit, Bellarminio, et Panvinio consentientibus citra ullam asserti rationem. Baronius intercessit præjudicatæ opinioni Velseri, et collectorem potius quam scriptorem earumdem Vitarum ante Adrianum II affirmavit habendum esse Anastasium (Baronius *ad ann.* 867, *n.* 139): cui sententiæ Holstenius subscribit, et cum eo Schelestratius, triplicem causam proferens ita sentiendi (Schel. *diss.* 3, *cap*, 7, *n.* 1).

6. Prima posita est in testimonio scriptorum, vita functorum ante Anastasium, qui diserte profe-runt *Librum Gestorum Pontificalium* : quos inter Beda, sæculo integro præcedens ætatem Anastasii. Alii vero scriptores postea insecuti hunc librum, *Pontificalem vocant*, et *Gesta Romanorum Pontificum*; nunquam vero appellant *Librum Anastasii*. Altera ratio ducitur ex ætate codicum, observata a Labbeo et Lambecio, judicibus optimis scripturæ librorum. Labbeus libro de Scriptoribus in *Damaso* affirmat, Anastasium non posse esse auctorem prioris partis; inquit, *viderim manuscriptum codicem optimæ notæ, tempore Caroli Magni exaratum, in quo vitæ illæ Damaso jam tribuebantur antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex prioris infantiæ crepundiis emersisset*. Lambecius indicat alium præclarum codicem, ad Ludovici Pii tempora pertinentem, qui Vitas Pontificum Romanorum claudit in Stephano II, aliis III dicto. Hujus autem electio cadit in annum 752, obitus in 757. Schelestratius producit tres alios codices, Vaticanum 5269, desinentem cum Vita S. Gregorii II, qui obiit annis centum ante Anastasium ; Regium Christinæ, et Florentinum S. Marci, quorum uterque desinit in Adriano I, nondum nato Anastasio: *Ex quibus*, inquit, *satis superque constat, Librum Pontificalem Anastasio antiquiorem esse : adeoque illum istius libri auctorem esse non posse*. Tertiam rationem colligunt Holstenius et Schelestratius ex diversitate styli, quæ observatur in Vitis successorum S. Gregorii tertii, scilicet Zachariæ et subsequentium ; cum *præcedentes Vitæ*

usque ad Gregorium tertium eumdem stylum et auctorem præseferant. Differentias singulorum enumerant capt. 7, num. 7, et cap. 8, num. 5 et seqq.

His autem diligenter expensis, de Libri ætate, atque Auctore, ita definiunt (Schel. cap. 8, num. 2). « Videtur itaque Liber Pontificalis conscriptus fuisse post mortem Constantini papæ, qui anno 714 obiit, idque firmatur auctoritate manuscripti codicis Vaticani 5269; qui licet ante 500 circiter annos exaratus sit ex antiquiore tamen descriptus fuit, utpote finiens Catalogum pontificum, quem Libro Pontificali præposuit, in Gregorio II, Constantini successore. Liber vero Pontificalis, qui Catalogum in codice subsequitur, finit his verbis: *Gregorius natione Romanus, ex patre Marcello sedit annos* XVI, *menses* XI, *dies* XI. *Fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis atque Constantini Augustorum;* ubi tantum refert tempus pontificatus sine ullis actis. Ex quo colligitur, auctorem inchoasse quidem Vitam Gregorii, sed non absolvisse, dum Liber Pontificalis prodiit. Putarem igitur post obitum Constantini prodiisse Librum Pontificalem, quod omnino convenit iis quæ supra notavimus de Venerabili Beda, a quo omnium primo Liber Pontificalis citatus reperitur. Vixit enim Beda ab anno 673 usque ad annum 735; cumque post Gregorii secundi pontificatum, qui anno 714 cœpit, et anno 731 desiit, Venerabilis Beda superstes fuerit, Librum Pontificalem videre et citare potuit. Ut igitur mentem meam aperiam de Libri Pontificalis tempore, quo primum in lucem prodiit, paucis absolvam. Crediderim ante annum 732 publici juris factum, et huic collectioni appendicem postea ab eodem auctore adjunctam, quæ Vitas Gregorii II et Gregorii III complectebatur. Quod firmatur ex iis quæ observavit Lucas Holstenius. Cum enim omnes pontificum Vitas sedulo pervolvisset, adnotavit, gesta pontificum a Petro apostolo usque ad Zachariam, Gregorii III successorum, eodem omnino stylo adeoque ab eodem Auctore conscripta fuisse. »

7. Eamdem ætatem colligit Schelestratius *(ibid.* num. 4) ex ipsius libri verbis in Vita Leonis secundi. *Hic suscepit Sanctam Sextam Synodum, quæ per Dei providentiam* NUPER *in Regia Urbe celebrata est.* « Cum enim, inquit, auctor testetur, *Nuper* in urbe Constantinopolitana celebratam fuisse sextam synodum, celebrata autem sit sexta synodus sub Agathone, Leonis secundi prædecessore, anno 681, auctor hæc scribere debuit non procul a fine septimi sæculi, etc. » Addit indicium, par ex Vita Cononis, de cujus assumptione ad pontificatum, quæ contigit anno 686, ita scribit: *Et missos pariter una cum clericis, et populo ad excellentissimum Theodorum exarchum,* UT MOS EST, *direxerunt.* « Notanda sunt, ait, hæc verba *ut mos est.* Non enim dixit auctor *ut moris fuit,* vel *ut fieri solebat,* sed *ut mos est;* significans illis verbis hanc Vitam conscriptam fuisse quo tempore ad exarchos de electione novi pontificis referebant: adeoque tunc cum exarchi Ravennæ erant. Fuerunt autem ducentis ferme annis. Longinus enim primus a Justino Juniore institutus est exarchus anno 567, postremus Eutychius ab Aistulpho Longobardorum rege pulsus anno 752. Unde ex prædicto loco patet auctorem Vitæ Cononis scribere debuisse ante medium octavi sæculi, quo exarchi seu præfecti imperatoris Constantinopolitani in Italia esse desierunt: scribere autem potuisse circa octavi sæculi initium, quo Ravennæ nondum sedere desierant exarchi, ad quos de electione novi pontificis referri solebat, ut ex Libro Diurno constat.

Satis igitur evidenter patet tum ex ipsomet Libri Pontificalis auctore, tum ex æqualibus, et proxime subsequentis ævi scriptoribus, Vitas pontificum, quæ a sancto Gregorio pertingunt ad Constantinum papam, conscriptas, et vulgatas esse a viro in Urbe versante sub S. Gregorio II, et administrante archivum apostolicum, aut bibliothecæ curam gerente: a quo Vitæ SS. Gregorii II et III post eorumdem obitum adjectæ fuerunt.

8. Vitas autem pontificum Romanorum a S. Petro ad SS. Gregorium II et III (quæ sunt pars potior, et prima istius collectionis) auxerunt appendices duæ, subinde additæ, quæ appellari etiam possunt pars altera et tertia collectionis ejusdem. Illam, nempe secundam partem, tribuit Schelestratius anonymo alicui ex clero Romano, cui archivum patebat. Ea complectitur Vitas Zachariæ et Stephani III. Tertiam seu postremam partem sive appendicem assignat compluribus, plerumque viventibus ætate illorum pontificum, quorum scripserunt Vitas: ita ut hæc tertia pars possit etiam jure subdividi in plures, si essent partes pro scriptorum numero dividendæ. Anastasio autem monacho et bibliothecario sedis apostolicæ (ut Panvinio dicitur) Vitam Nicolai primi esse assignandam non diffitetur; cui Guillelmus bibliothecarius duas postremas adjecit, in codici Fabrottiano expressas; cum Velserianus codex desiisset in Vita Nicolai per Anastasium contexta; inde illi placuit nomen Anastasii tribuere universæ collectioni, quod erat ejus coronidi tantummodo accommodandum.

9. Post assignatas auctoribus octavi et noni sæculi partes singulas operis, quod recudimus, quæret aliquis non immerito, cur Damasi liber a pluribus dicatur, et habeatur is qui Vitas pontificum illius decessorum complectitur, licet stylus prodat auctorem sub Gregorio II tum has, tum reliquas prioris, quam diximus, partis Vitas conscribentem? Aperuit causam erroris sæpe laudatus Schelestratius, ostendens ea quæ leguntur in Vitis pontificum indicatis, et quæ priorem partem constituunt istius collectionis, descripta fuisse ineunte octavo sæculo totidem ferme verbis ex duplici Catalogo longe antiquiori antistitum Romanæ sedis, adhuc superstite in membranis. Prior autem ex his duobus Catalogis, indicans ætatem Liberii papæ, qui Damasum habuit successorem proximum, occasionem referendi ad eumdem Damasum papam, tanquam ad auctorem contextus aut approbationis illius Catalogi, obtulit nescio cui sequioris

ætatis homini male feriato: qui suo marte procudit duas epistolas commentitias, sancti Hieronymi ad Damasum, poscentis eumdem Catalogum sibi communicari, et Damasi ad Hieronymum transmittentis Catalogum quem poposcerat. Fraus impostoris non difficulter obrepsit sæculis imperitis, quando post incursum Longobardorum concederant litteræ: eaque de causa contigit ut Carolina ætate in codice membranaceo ad Colbertinam bibliothecam nodo pertinente, et in altero paris antiquitatis ex Reginæ Sueciæ libris, ab Alexandro VIII comparatis, et dono datis bibliothecæ Vaticanæ, in qua nunc asservatur, utraque epistola, licet fictitia, Vitis præponeretur. Quod autem mirandum magis est, etiam hoc nostro sæculo, aut certe proxime superiori, quo studia historiæ et critices, situ et squalore deterso, non modo refloruerunt, sed etiam ad maturitatem perducta fuere, inventi sunt qui adeo oscitanter legerent tum eas epistolas, tum etiam septimam cum responsione, a Martio Milesio editas inter Opera sancti Damasi, ut non attenderent contextum, chronologiam et sententias. Quare Labbeus tomo II Conciliorum easdem ita sigillat: *Supposititicæ, apocryphæ, et ineptissimæ viris doctis habentur: tantumque a stylo Damasi et Hieronymi distant, quantum cœlum a terra, et polus Antarcticus ab Arctico.* Subdit Schelestratius hac dissertatione num. 4, cap. 3. *Neque ulteriori probatione hæc indigent, cum vel litteras inspicienti eadem plane occurrant, prout ex epistolis per Martium Milesium publicatis adeo clare ostenderam in prima Antiquitatis Ecclesiasticæ editione, ut V. C. Papebrochius in Propylæo ad quartum tomum Maii, pag.* 3, *sententiam Henschenii prædecessoris sui retractandum duxerit, adjungens se, rationibus meis convictum, malle epistolas illas ex tomo primo Aprilis expunctas.*

Supposititicæ igitur litteræ Damasi papæ ad Hieronymum, et Hieronymi ad Damasum, quæ ab inepto viro sequioris ætatis confictæ, et præpositæ fuerant Catalogis vetustioribus, uni scilicet collecto sub Libero, et alteri post hunc proximo inter antiquos ad medium sæculi sexti referendo, illæ, inquam epistolæ per fraudem appositæ Catalogis quando describebantur ætate Caroli Magni, et præ oscitantia posterorum minus attente observatæ, in causa fuerunt ut Martinus Polonus aliique pauci crediderint, Damasum papam auctorem esse nominandum sive Catalogi sive libri in quo gesta pontificum continentur. Re autem vera neque Liber iste Pontificalis a B. Damaso scriptus est; cum totis trecentis et quadraginta circiter annis post Damasum papam sub Gregorio II primum contextus fuerit ex genuinis documentis publicæ auctoritatis, quæ servabantur in bibliotheca pontificia, aut in archivis etiam præcipuarum Urbis ecclesiarum; neque alteruter ex Catalogis Damaso est ascribendus, cum vetustior ille prodierit sub Liberio Damasi decessore in quo desinit, quare nec annos enumerat ejus pontificatus nondum absoluti; alter vero Catalogus ad sæculum sextum pertineat, utpote pertingens ad Felicem IV, sub Justiniano.

10. Cum itaque neque Damasus vetustiorum Vitarum hujusce collectionis auctor habendus sit, neque Anastasius illarum, aut recentiorum quippe qui unicam Nicolai papæ I addiderit præcedentibus contextis sub Gregorio II, sed anonymos habeant scriptores quotquot a Gregorio III supersunt usque ad Nicolaum I: dubitari fortasse continget de auctoritate ac fide gestorum quæ describuntur; aut si æquabilius agere Lector malit, saltem requiret causam cur fidenter asseramus quæcunque in hoc Libro narrantur fuisse collecta ex genuinis documentis publicæ auctoritatis, quæ in bibliotheca pontificia, et archivis, aut monumentis præcipuarum ecclesiarum Urbis patebant anonymis scriptoribus, inde colligentibus Vitas et gesta pontificum Romanorum.

Præfationis nostræ præcipuum caput hoc esse libenter agnosco: neque provinciam detrecto, aut difficultatem dissimulo; sed plane ostendendum assumo anonymos istos auctores Vitarum ex genuinis documentis publicæ auctoritatis ea desumpsisse quæ in hunc codicem retulerunt. De singulis distincte ut id probem, præfationis modus minime patitur, cum potius hoc pertineat ad notas, sed universim ut ostendam, ac veluti fontis indicem unde scriptores illi suas areolas irrigarunt, ita perspicue præstari posse autumo, quam quod maxime.

11. Certum in primis est duos illos Catalogos, sive Indiculos pontificum Romanorum editos quarto sæculo sub Liberio I, et sexto sæculo sub Felice IV, esse texturam præcipuam earumdem Vitarum in Libro pontificali, quæ hanc ætatem metiuntur. Tanta id evidentia constat, ut oculis judicandum subjecerit admodum providenter cum Holstenio sæpe laudato proximam ab eo laudem promeritus Schelestratius. Plures in columnas divisit spatia paginarum. Tres autem adhibuit ad exhibendam in singulis pontificibus historiam Vitæ, juxta triplicem contextum primi, et secundi Catalogi, et libri pontificalis, ut in hoc specimine percipere unusquisque poterit et comparare.

Verba primi Catalogi.	*Verba secundi Catalogi.*	*Verba Libri Pontificalis.*
Clemens annis IX, mensibus XI, diebus XII. Fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a consulatu Trachali et Italici usque Vespasiano VII et Tito.	*Clemens* natione Romanus de regione Cœlio monte ex patre Faustino, sedit *annos* IX, *menses* II, *dies* X. *Fuit* autem *temporibus Galbæ et Vespasiani consulatu Trachali*	*Clemens natione Romanus de regione Cælio monte ex patre Faustino, sedit annos* IX, *menses* II, *dies* X. Vixit *autem temporibus Galbæ et Vespasiani a consulatu Trajani* [codex Vatic. Florent. et duo Cassin., *Tragali*] *et Italici usque Vespasianum IX et Titum.* Hic dum multos libros zelo fidei Christianæ religionis ascriberet, *martyrio coronatur. Hic fecit septem*

Verba Libri Pontificalis.	*Verba secundi Catalogi.*	*Verba primi Catalogi.*
regiones dividi [Cassinens. *et divisit*] *notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquireret.* Hic fecit duas Epistolas, quæ Catholicæ nominantur. Hic ex præcepto B. Petri suscepit ecclesiam [*Florent.* Ecclesiæ pontificatum] et pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra tradita, vel commissa; tamen in epistola, quæ ad Jacobum scripta est, qualiter ei a B. Petro commissa est Ecclesia reperies. Ideo Linus et Cletus ante eum scribuntur, eo quod ab ipso principe apostolorum ad ministerium episcopale exhibendum sunt episcopi ordinati. *Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem presbyteros* x, *diaconos* II, *episcopos per diversa loca* XV. *Obiit martyr anno Trajani III, qui etiam sepultus est in Græcia* VIII *Kal. Decembris : et cessavit episcopatus dies* XXII.	*et Italici usque Vespasiano IX et Tito.* Martyrio coronatur. Hic fecit septem regiones, et divisit notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquireret, et fecit duas Epistolas. Hic fecit ordinationes tres, presbyteros X, diaconos II, episcopos per diversa loca V, per mensem Decembris. Obiit martyr tertio Trajani : qui sepultus est in Græcia IX Kal. Decemb. et cessavit episcopatus dies XXI.	

42. In prima columna exprimuntur verba prioris Catalogi sub Liberio editi, per characteres *rotundos*, ut vocant; in secunda vero eadem verba Catalogi vetustioris, quæ in alterum Catalogum relata sunt quando edebatur sub Felice IV, redduntur characteribus obiquis, quos *Italicos* appellant, ut ictu oculi percipiatur quidquid retinuit scriptor sub Justiniano ex Indiculo sub Liberio, et quidquid addidit ex aliis documentis in priori Catalogo non expressum. Tertia vero columna, quæ destinatur excipiendo contextui Libri Pontificalis, eadem methodo refert characteribus *Italicis*, sive *obliquis*, quæcunque descripta sunt totidem verbis ex Catalogo condito sub Justiniano: *rotundis* vero litteris alia, quæ scriptor Vitæ adjecit non expressa in Catalogis prædictis, sed aliunde percepta. Observare tamen licet hoc in specimine vitæ S. Clementis, additiones a scriptore Libri Pontificalis appositas contextui verborum secundi Catalogi esse vix aliud, quam notas, aut explicationes earumdem rerum, quæ in Catalogo contractæ, et quodammodo involutæ continebantur. Duas additiones hoc in exemplo exhibet Liber Pontificalis, primam in martyrio Clementis, alteram in successionis ordine, et auctoritate, qua post B. Petrum Ecclesiæ præfuit. Martyrium expresserat Catalogus illis verbis: *Obiit martyr anno Trajani*: quæ Liber Pontificalis ita retulit: *Obiit Martyr anno Trajani tertio.* Sed istius libri auctor putavit recensendam esse occasionem martyrii Clementis: nempe cum libros complures conscriberet beatus pontifex zelo Christianæ religionis, et Acta martyrum diligenter colligi curaret per notarios fideles, septem regionibus singillatim attributos, martyrio fuisse coronatum. Utraque scripta Clementis et notariorum etiam in Catalogo memorantur. Auctor vitæ videtur in additione innuere, Clementis martyrium consecutum ex occasione religionis nostræ per hujusmodi scripta propugnandæ ac propagandæ. Constat enim sub Domitiano ex Suetonio in ejus Vita, cap. 12, Judaicum fiscum acerbissime actum, *ad quem deferebantur, qui velut professi Judaicam intra Urbem viverent vitam* (quo censu Judaicæ vitæ Christianos passim confundi consuevisse per illam ætatem nemo dubitat); unde etiam Clementi nostræ religionis professio in scriptis edita negotium facessere per delatores facilius potuit. Quin etiam sub mitioris ingenii principibus Antonino Pio, et M. Aurelio, cum postea compertum sit scripta in defensionem Christiani dogmatis capitale judicium intulisse Justino, Quadrato, Athenagoræ, Apollonio, pœnam supremam decernente senatu vel magistratibus, adnitentibus plerumque sacerdotibus ethnicorum ut in nos Christianos, tanquam impios violatores superstitionis suæ, etiam Augusti mitiores, utpote ceremoniarum suarum vindices, et maxime gentilium sacrorum arbitri, easdem pœnas decernerent et irrogarent; mirum non est, sub Trajano primum, vel præcipuum post apostolos et evangelistas auctorem tot voluminum Christiana sacra tuentium occasionem martyrii subeundi ex iis operibus percepisse: quod videtur indicare in hac prima additione ad Catalogum secundum Liber Pontificalis.

Altera additio respicit ordinem successionis, qua B. Petro subrogatus est Clemens omnimoda cum potestate totius Ecclesiæ Christianæ gubernandæ. Hæc autem periocha non admodum differt ab annotatione, et quasi interpretatione textus Catalogi. Siquidem in priori Catalogo Clemens præponitur Cleto; cum in secundo Catalogo et in Libro Pontificali Clemens postponatur. Causam diversitatis scriptor adjecit. Quantæ autem auctoritatis habenda sit hæc additio colligi potest ex verbis S. Leonis papæ secundi, a Vendelino relatis apud Labbeum Conciliorum generalium tomo I, pag 490. Postquam enim retulerat, ex anonymo scriptore Græco, beatum Petrum Roma abscedentem ordinasse Linum, veluti coadjutorem in iis exercendis quæ sunt muneris episcopalis, reversum in Urbem duodecimo Neronis anno invenisse Linum martyrio e vita sublatum: quare in ejusdem locum subrogasse Clementem, qui paulo post Petro in crucem acto successit; addit

testimonium Leonis secundi, idem indicantis de Cleto. Verba Vendelini hæc sunt: « Ecce, ut vivente adhuc Petro Linus sederit episcopus: quem propterea chorepiscopum Marianus, aliique scripserunt: inter quos Leo II, successor Agathonis: *Petrus,* inquit, *adjutores sibi ascivit Linum, et Cletum, non tamen pontificiam potestatem eis tradidit, sed Clementi.* Tam certum semper fuit, una cum Petro Linum præfuisse fidelibus Romanis, et ab eodem Petro traditum pontificatum Clementi. Sic ergo liquidior incipit fluere hæc chronologia in hunc modum, »

Hic non assumo dirimendam quæstionem de Lini et Cleti pontificatu maximo, quam inter notas ad Librum Pontificalem ad examen revocabimus. Id unum ostendere cupio, quod proponebam, nempe contextum Libri Pontificalis a sancto Petro usque ad Felicem IV desumi plerumque ex Catalogo summorum pontificum per eam ætatem condito: et additiones, quæ ab auctore Libri Pontificalis adjectæ sunt, desumptas fuisse ex documentis auctoritatis non dissimilis ab enuntiatis in primo et secundo Catalogo.

13. Verum ordo ratiocinii postulat ut ipsa de auctoritate rerum in utroque Catalogo enuntiatarum paulo diligentius inquiramus. Cum enim hujusce Libri textura præcipua fuerit ex Catalogis desumpta, ignoraremus profecto quantum tribui possit Vitarum collectoribus, nisi ante exploratam haberemus fidem utriusque Catalogi, totiusque operis fundamentum. Age igitur primum de exemplarium fide ac vetustate videamus, unde Catalogi descripti sunt; mox de documentis genuinis unde scriptores Catalogorum potuerint illa desumere quæ ad nos transmiserunt.

14. Catalogum priorem sub Liberio conditum circa annum 354 edidit primus Pater Ægidius Bucherius in præclaro suo Commentario ad Canonem Paschalem Victorii Aquitani, una cum quatuor aliis opusculis ad eamdem ætatem referendis, uti constat ex enumeratione consulum Romanorum, expressa in primo opusculo de præfectis Urbi, et in secundo, complexo Fragmentum veterum Fastorum, cum Feriis, Epactis, et Cyclo Latinorum per annos 84 diffuso: de quo etiam librum celebrem ætate nostra conscripsit Henricus cardinalis Norisius. Quinque hæc opuscula, inter quæ principem locum obtinet Catalogus de quo agimus, continebantur in antiquis membranis, a Joanne Brennero, regio secretario et actuario in senatu Luxemburgensi, dono datis Ansovillio, regi catholico a privatis Bruxellæ consiliis: et ex iis Cuspinianus transcripserat nomina complurium consulum, ut persæpe testatur in suo libro Fastorum; ita etiam observante Bucherio *(cap. 14, pag. 244)*: *Iis membranis) pluscula ignoti quidem, sed antiquissimi, et qui sub Constantino Constantini Magni filio vixisse videtur, scriptoris continebantur opuscula quæ Cuspinianus in manus habuisse se pluribus Fastorum suorum locis significat.* His addit cardinalis Norisius eruditorum nomine commune votum (*Dissert. ad Fast. Consular.* par. 1), ut easdem potius membranas quam illarum fragmenta Cuspinianus vulgasset. *Laterculos,* inquit, *consulares ex laudato anonymi codice excerptos suo volumini passim inseruit, quos sane viri eruditi integros ab eodem editos maluissent.* Exemplum duplex hodie superest indicati Catalogi, descriptum a vetustiore aliquo autographo, cujus apographum membranæ ipsæ censendæ sunt, Cuspiniano olim tractatæ, hodie deperditæ. Unum exemplum servat bibliotheca Cæsarea Vindobonensis inter mss. historicos consignatum num. 56, teste Lambecio lib. IV Commentariorum, et Schelestratio dissert. 3, cap. 2, num. 1, Antiquitatis Ecclesiæ. Alterum visitur in bibliotheca Antuerpiensi RR. PP. societ. Jesu, quo usus est in sua editione Bucherius, conquestus membranas Brenneri ætate sua non esse superstites.

Schelestratius (*Antiq. Eccl.*, diss. 3, cap. 2, n. 1) curavit lectionem exempli Cæsarei Vindobonensis conferri cum Bucheriana, sive Antuerpiensi, per R. P. Janningum; tum, ut lacunas hujus impleret ex Vindobonensi; tum etiam, ut variantes utriusque exempli lectiones daret: quemadmodum Bucherius in margine annotavit ea quæ variant in suo codice a lectione Cuspiniani. Horum igitur illustrium virorum collatis laboribus, deprehendimus Catalogum quidem fuisse contextum sub Liberio papa, sed ejusdem autographum non superesse. Ex pluribus tamen exemplis inde transcriptis unum membranaceum Cuspiniano spectatum hodie desiderari, duo chartacea superesse minoris antiquitatis, et in eis deprehendi aliquot errata amanuensium, quæ Schelestratius curavit detergere per collationem utriusque codicis cum Cuspiniano; adeo ut in Schelestratii editione satis emendatum opusculum habeamus.

15. Alter Catologus ad ætatem Justiniani refertur, cum desinat in Felice IV, circa annum Christi 530. Editus primum fuit ex codice membranaceo quadratæ formæ, scripto circa ætatem Caroli Magni: quem Parisiis emptum a regina Christina, et Romam translatum, post ejus vero mortem ab hæredibus coemptum Alexander papa VIII bibliothecæ Vaticanæ donavit cum cæteris codicibus mss. Ex eo codice reginæ Christinæ vulgarunt primi RR. PP. Henschenius et Papebrochius in Prolegomenis ad tomum primum Aprilis. Verum non satis accurate descriptum deprehendit ill. præsul Schelestratius, cum ab inclyta regina Romæ commorante facultatem obtinuisset ejus vivendi ac penes se habendi per menses complures. Quin etiam cum percepisset aliud exemplum ejusdem Catalogi reperiri in vetusto codice bibliothecæ Colbertinæ (*num.* 1868) ejusdem antiquitatis, nempe ætatis Caroli Magni, impetravit a clarissimo viro Stephano Baluzio ut inde fideliter transcriberetur. Plurimum vero gavisus est cum utramque lectionem, codicis Reginæ Christinæ, seu Vaticani, et Colbertini plane consentire expertus est: leviori tantum discrimine aliquando intercedente unius elementi in litteris vel unitatis in numeris: et

per utrumque codicem vidit dari ordinatam seriem priorum pontificum Romanorum, eamque respondentem Canoni ; quam lectionem editio Henscheniana turbaverat. De codicum scriptura atque ætate suppari Carolo Magno dubitare non sinit figura characterum et libri, necnon adjectio sequentium pontificum, in Colbertino quidem ad Adrianum primum, et Leonem quartum : in Vaticano vero, seu Christiniano et Alexandrino ad Paschalem I ; ubi etiam legitur testimonium ætatis in periocha his concepta verbis : *A passione Domini nostri Jesu Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini papæ sunt anni* 276, *menses* 8. *De apostolatu jam facto Christi martyris Marcellini usque ad tempus domini Caroli regis* 25 *annis regni ejus, hoc est usque ad* VIII *Kal. Aprilis sunt anni* 490 *et menses* 13. Hæc de Catalogorum antiquitate, ac de vetustate atque auctoritate codicum unde petita editio illorum fuit, delibasse sufficiat. Qui plura cupit, adeat laudatam Schelestratii dissertationem.

16. Gradus inde faciendus est ad inquirendum de auctoritate rerum in utroque Catalogo enuntiatarum. Summatim agendum est, quibus subnixus documentis auctor quarti sæculi sub Liberio rescire posset, ac nobis tradere quæcunque scripta retulit in primum Catalogum ; parique lege quærendum est de alterius Catalogi auctore sub Justiniano, quibusnam de fontibus hauserit ; tum ea quæ adjecit supra Catalogum primum pontificibus in eo memoratis usque ad Liberium, tum ea quæ in cæteris post Liberium perduxit ad Felicem IV.

Ut justæ disquisitioni faciam satis, attendi velim, in priori Catalogo a sancto Petro ad Liberium hæc recenseri in singulis pontificibus : nomen, annos, menses, ac dies eorumdem regiminis ; consulum paria, quibus initium ac finem pontificatus consignat ; et alicubi decreta nonnulla, ut in Fabiano ; aliquot vero ædificia in Julio, quem Liberius excipit illius Catalogi postremus. In secundo autem Catalogo additur nomen patris, et locus in Urbe, aut in provincia, ubi natus est is qui pontifex postea evasit. Adjecta sunt decreta et institutiones rituum sacrorum præsertim in sacrificio missæ peragendo, aut circa publicam Ecclesiæ disciplinam inductæ. Adjectæ etiam ordinationes in duplici ordine hierarchico hujus sanctæ Ecclesiæ Romanæ, presbyterorum scilicet ac diaconorum, necnon episcoporum extra Urbem, ab aliis pontificibus celebratæ. Per illas vero ætates, unde incipiunt, et in quas desinunt Catalogi prædicti, usu receptum erat hæc omnia memoriæ mandare, præsertim in describendis indicibus sacerdotum. Videndum est accurate per singula.

17. Nomen pontificis conjungere cum parentis indicatione solemne fuit tum apud Christianos, tum apud Hebræos, imo et apud Romanos ethnicos, constante Vita beati Petri. Nullum documentum illustrius afferri potest quam quod sacrosanctis in Evangeliis veritas consignavit. Jesus Christus æternus pontifex a Simone cum diceretur, indicatione veri Patris, *Filius Dei vivi*, eumdem Simonem designatum vicarium suum nominat *Simonem Bar-Jona, Simonem filium Joannis*, deinde *Cephas, Petrum (Matth.* XVI). Præcursor Christi Joannes de genere sacerdotali dicitur *Joannes Zachariæ filius*. Joannes evangelista, et Jacobus ejusdem frater vocati ad apostolatum dicuntur *filii Zebedei*. Satis elucet his in exemplis consuetudo ætatis ac regionis : quam ab Hebræis passim retentam ea tempestate addiscimus ab eorumdem sacerdote atque historico Josepho, proprium nomen ita consignante in prologo ad librum de bello Judaico : *Ego Josephus Matathiæ filius, Hebræus, sacerdos ex Hierosolymis*. Quid huic consuetudini similius, quam ea quæ servatur in secundo Catalogo ? *Anicetus, natione Syrus, ex patre Joanne, de vico Amisa*, etc. *Pius, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia*, etc. *Soter, natione Campanus, ex patre Concordio, de Civitate Fundis*, etc. *Eleuter, natione Græcus, ex patre Abundantio, de oppido Nicopoli*, etc. Apud Romanos vero, præsertim in Catalogis contexendis, id passim servatum fuisse docent inscriptiones. Cum enim in pluribus vitæ civilis usibus habenda esset ratio ætatis, familiæque plebeiæ aut patriciæ ea necessitas memorandi parentes, patriam, ætatem induxit apud Romanos consuetudinem ut illa plerumque consignarentur non modo in libris censoriis (unde pars maxima eorumdem historiæ fluxit, teste M. Tullio), verum etiam in talibus marmoreis, auctoritate publica positis aut privata. Quod autem attendi meretur, præcipue in secundo Catalogo, id est, in Pontificibus Romanis in Urbe natis, non memorari *tribum*, cui erant ascripti ut cives, sed *regionem*. Id vero indicat, ut ego arbitror, hasce notiones, quæ in Catalogis reperiuntur, fuisse collectas ex tabulis et regestis conscriptis per septem notarios Ecclesiæ Romanæ, a Clemente I Petri discipulo et successore assignatos totidem regionibus ecclesiasticis Urbis, in quas contraxit quatuordecim ab Augusto constitutas, ad martyrum gesta colligenda. Martyrum autem in numero sunt omnes Romani pontifices usque ad Sylvestrum. *Hic fecit septem regiones* (sunt verba Catalogi secundi in Clemente) *et divisit notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite et curiose* UNUS QUISQUE PER REGIONEM SUAM *diligenter perquireret*. Mos iste ad octavum sæculum perductus est, cum infra Adrianus I (num. 291) a Paulo I fuerit constitutus *notarius regionarius*.

Legimus itaque in secundo Catalogo : *Cletus, natione Romanus, de regione Cœlio mente, ex patre Faustino*, etc. Regionis Urbanæ indicatio omittitur in Zephyrino proximo decessore Callisti : quod scilicet Acta, quæ satis integra sub Antoninis servata fuerant, cum illi principes Ecclesiam mitius haberent, adeo turbata sunt in persecutionibus Severi et Decii, ut providentia Fabiani sub Decio passi fuerit iterato occurrendum, ne omnino interirent, et consulendum reparationi Actorem veterum, ac futurorum securitati per novam divisionem regionum

septem in Urbe, totidem diaconis assignatis, parique ferme numero subdiaconorum, qui notarios sollicitarent ad colligenda martyrum gesta : quemadmodum uterque Catalogus testatur in Fabiano, num. 21 : *Hic regiones divisit diaconibus.* Ita refert Catalogus primus. Addit secundus Catalogus : *Et fecit sex subdiaconos, qui septem notariis imminerent, ut gesta martyrum fideliter colligerent.* Verum hæc ipsa gesta recentiora collecta post Fabianum, incendio plerumque sublata per immanem persecutionem Diocletiani, præclari operis reliquias admodum paucas nobis transmiserunt, quemadmodum Schelestratius annotat ad hunc locum : *De paucis admodum martyribus*, ait, *mentio fit in antiquiore Catalogo ; et eorum Acta non describit, sed tantum martyrii genus verbo indicat. Unde putem Acta martyrum, a notariis et subdiaconibus primitivæ Ecclesiæ descripta, in persecutionem Diocletiani cum cæteris Ecclesiæ membranis periisse. Vel si quæ integra ex incendio evaserunt, ea ad manus nostras non devenisse, sed temporum vetustate ferme omnia consumpta esse.* Acta vero plura servata sunt martyrum, qui præcesserant I et II sæculo æræ Christianæ cum descripta jam forent exiguo aut nullo periculo sub Antoninis ; ita ut Hegesippus Romæ agens inde potuerit ea tempestate contexere libros quinque ecclesiasticæ Historiæ sub Eleuthero papa, testibus Hieronymo et Eusebio, quorum ætate superstites fuisse idem Eusebius scribit lib. IV, cap. 22. Ex iisdem Commentariis Hegesippi, cum iste fateatur *(Hist. Eccl.* lib. IV, cap. 8) se dedisse complura quæ verissimam apostolicæ prædicationis historiam complectebantur, et præcipue Catalogum, et successionem pontificum Romanorum colligat non in uno loco *(ibid.*, cap. 22), arguere possumus superfuisse notariorum Acta, exprimentia nomen, patriam, regionem et annos illius pontificis qui martyrio afficiebatur ; monente etiam Cypriano lib. III, epistola 6, ad presbyteros et diaconos Romanos data, ut ne omitterent consignare diem obitus eorum qui in carcere pro Christo decedentes erant martyribus accensendi.

18. Quin etiam loculus sepulcralis non raro consignabatur die et anno depositionis indicato per consules ordinarios ; quod in privatis etiam fidelibus, nec martyrio affectis, nec sacerdotio insignitis passim occurrit, dum inspicimus cœmeteria suburbana, et titulos legimus vel in cryptis martyrum, vel in libris Romæ subterraneæ, effossas inde tabulas et epigraphes memorantibus. Hinc Eusebius potuit Romanorum pontificum initia et successionis tempus finemque conferre cum annis imperatorum (quod sæpe facit) ex indicio consulatus, quo electus quisque fuerat ad regimen Ecclesiæ capessendum, et quo sacerdotium ac vitam expleverat. Exemplum demus in Telesphoro et Hygino. Scribit Eusebius Hist. lib. IV, cap. 10 : *Cæterum Adriano vita perfuncto, cum unum et viginti annos imperasset, Antoninus cognomento Pius administrationem imperii suscepit. Hujus anno primo cum Telesphorus migrasset e vita anno suscepti episcopatus undecimo, pontificatu Romanæ urbis sortitus est Hyginus.* Historiæ Augustæ scriptores Græci ac Latini consignant annum emortualem Adriani, et primum imperantis Antonini cognomento Pii, Nigro et Camerino consulibus ; confirmante lapide apud Gruterum, fol. CCLV n. 4, signato in adversa parte eorumdem consulum collegio, ut advertit eminentissimus Norisius Epistolæ consularis pag. 85. Catalogus secundus refert excidium pontificatus Hygini ad consules Camerinum Magnum (ita enim vitio amanuensium imperitorum factum est ut *Nigrum* in *Magnum* conversum videamus), nempe Camerinum et Nigrum. Licet in prio Catalogo lacuna impediat ne consulum nomina le possint, supplentur hæc facile ex præcedentibus consequentibus ; quibus tribuitur vitæ terminus d cessoris et initium episcopatus in successore. P stremi consules, quos idem Catalogus numerat sed Telesphori, sunt Cæsar et Balbinus (Albinum corru pte reddidit amanuensis una littera dempta) nemp *L. Ælius Cæsar II et P. Cælius Balbinus,* ita inci in Auximati marmore apud Gruterum fol. CCCCXL 10, posito VI Idus Julii. Hos consules proxime exci piunt Camerinus et Niger in Fastis Consularibu quarto Christi sæculo descriptis (adeoque ætat ejusdem cum priori Catalogo) et a Bucherio simu editis, illustratis vero a card. Norisio in dissert. po epochas Syromacedonum. Recte igitur ponuntu postremi consules Telesphoro assignati Ælius *Cæsa II* et *Balbinus,* et primi Hygino attributi *Camerinu* et *Niger.* Rursus confirmantur ex aliis præcedenti bus collegiis in utroque Catalogo recensitis cum anni pontificum, et pariatis cum annis imperatorum. Na uterque Catalogus assignat Telesphoro annos episc patus undecim, et menses tres, ejusque proxim decessori Xysto annos decem, et menses duos v tres : quorum sit exordium collegium consulu Nigri et Aproniani, finis vero Coss. Verus et Ambi bulus. Summa episcopatuum Xysti et Telesphori da annos XXI et menses circiter sex. Adrianus in impe rio exegit annos XX et menses XI, Dione teste in eju Vita ; cui nummi et lapides suffragantur, si Norisi observationes adhibeamus Epist. Consularis pag 85. Dio autem tradit se accepisse ea quæ scripsit a Aproniano, patre suo, qui tunc Chiciæ præerat, cu decedente Trajano in eadem provincia, Adrian adoptio, et imperium factione Plotinæ processit. Qu consules igitur fuerunt ordinarii, Trajano decedent Selinunte die 10 Augusti (fuerunt autem Niger e Apronianus, ut universa monimenta comprobant, e historici cum Dione), eosdem incidisse fatendum es in exordium Xysti. Uterque autem catalogus paria initium Xysti cum iisdem Coss. Nigro et Antoniano. Decimo autem ab illis loco subsequuntur i fastis Verus et Ambibulus, quos pariter æquata rati annorum undecim Xysto assignatorum ostendit re spondere. Consensus itaque summæ annorum tam i imperio principum quam in episcopatu pontificu Romanorum respondens laterculis consulum utro

bique positis, tam in catalogis memoratis quam in Eusebii Chronico et Historia, eodem sæculo scripta quo prior Catalogus edebatur, demonstrat illa ætate superfuisse indiculos et documenta notariorum Ecclesiæ Romanæ, unde scriptores Catalogi non minus certam quam Eusebius chonologiam et seriem pontificum concinnarent.

49. Verum quis dubitet ætate Eusebii et prioris Catalogi ad Liberium pertingentis, in Ecclesia Romana exstitisse indiculos annorum et consulatuum, unicuique pontifici assignatorum? cum Acta martyrum, qui Romæ præsertim patiebantur ætate ab apostolis proxima, persæpe exprimant nomina consulum aut præfectorum Urbi, aut imperii principum, et diem passionis. In Actis sancti Ignatii, n. 2 et n. 8 editionis Ruinartii legimus quoque annum imperii cum consulibus pariatum. *Facta autem sunt hæc die ante* XIII *Kal. Januarias præsidentibus apud Romanos Syria et Senecio secundo* (ita habent num. 8, numero autem 2 scribitur) *post annum quartum* [Ruin. corrigit *nonum*] *Trajani, ejusque victorias de Scythis ac Thracibus* [intellige *Dacis*] reportatas ea contigisse. C. Sosius Senecio III et L. Licinius Sura II Coss. anno Trajani quarto processerunt, et interposito quinquennio cum nonus annus ejusdem imperii labaretur, iidem consules Senecio IV et Sura III fastos aperuerunt. Victoria vero Trajani Dacica contigit anno sexto imperii Trajani, ejusque tribunitiæ potestatis habente, ut ex numismatibus luculenter probavit eminentissimus Norisius Epistolæ Consularis, pag. 66. Quare monebat recte Ruinartius *post annum* IV *Trajani* mendum esse amanuensis vertentis in IV numerum IX; cui optime convenit epocha Dacicæ victoriæ ante triennium relatæ, et expeditio suscepta in Parthos et in Armeniam, quæ in ejusdem Actis pariter memoratur. Et revera contextus verborum ita videtur requirere, cum Senecio et Sura secundo præsidentes, hoc est iterum collegæ in consulatu (negligenter expresso per voces *Syria et Senecio secundo*) recurrant anno Trajani nono. In sepulcralibus etiam titulis depositis martyrum signata non rara legitur nominibus consulum, ut passim ostendere possumus in fragmentis lapidum quæ e sacris cœmeteriis quotidie extrahuntur. In Actis martyrum in Urbe passorum nomen præfecti Urbis quandoque exprimitur: qui magistratus licet non esset annuus, relatus tamen ad alias notiones expeditionum, victoriarum, mortis principum, aut simile quidpiam, incidens in ea tempora, et in Actis martyrii expressum, redditur character satis idoneus ad pariandum cum consulatu. In Actis Justini martyris Rusticus præfectus Urbi eumdem ac socios interrogat et capite plectit. Publicus præfectus Urbi legitur in Actis S. Felicitatis sub Antonino. Si hodie haberemus integram seriem præfectorum Urbi per duo priora sæcula æræ Christianæ, quemadmodum integra series legitur successorum in eo magistratu ex anno Christi 254 ad 354, in opusculo quarti sæculi edito per Bucherium ex iisdem membranis, in quibus reperit primum catalogum; ex indicio præfectorum perinde ac ex notione consulum epochas martyrum (adeoque et pontificum) colligi posse compertum foret. Quarto autem sæculo Christi dum Catalogus prior conscribebatur, seriem præfectorum fuisse perspectam arguit fragmentum illud præservans per solidos annos centum singulos successores. Hanc vero consuetudinem, sive etiam necessitatem historicam eosdem magistratus commemorandi in gestis Ecclesiæ viguisse dixi ætate ab apostolis proxima. Neque id moris justo maturius a me inchoari quispiam reputet, cum evangelicis oraculis doceamus, a divino Spiritu dictatam regulam ita definiendi epochas illustrium gestorum Christi, ejusque discipulorum. Natalis Domini consignatus a S. Matthæo (*Matth.* I) per annos postremos regni Herodis Magni, a S. Luca indicatur per descriptionem primam, ex edicto Augusti factam præside Syriæ Cyrino (*Luc* II). Ejusdem baptismus ac prædicatio Joannis refertur ad annum quintum decimum imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysinia Avilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha (*Luc.* III); cujus etiam postremi annuo pontificatu designatur a Matthæo, Marco, et Joanne annus Dominicæ passionis (*Matth.* XXVI, 3, 47; *Marci* XVI, 61; *Joan.* XI, 49; XVIII, 14). Apostolorum vero gesta per S. Lucam Romæ conscripta tot abundant indiciis chronologiæ per successiones præsidum Syriæ, et magistratus, tum in provinciis tum Romæ agente Paulo ibidem recensitos, ut S. Hieronymus colligat historiam pertingere *ad biennium Romæ commorantis Pauli, id est, usque ad quartum Neronis annum* (S. Hieronym. *in lib. de Script. Eccl. in Luc.*). His igitur exemplis eruditi scriptores ecclesiasticæ historiæ, præsertim Romæ agentes, et cum apostolis versati aut cum viris apostolicis, quemadmodum versatus est Hegesippus, inter cætera veritatis criteria, quibus opera sua confirmarunt. non omisere gestorum tempora ad notas epochas revocare. Hegesippi locum produxit Eusebius de martyrio Jacobi fratris Domini. Epocham illius martyrii significavit proximam obsidionis Hierosolymitanæ paulo post subsecutæ. *Nec multo post,* inquit, *obsidio Vespasiani, et Judæorum captivitas subsecuta est. Hæc Hegesippus, cum Clemente consentiens* (Euseb. *Hist. Eccl.* lib. II, cap. 23). Sunt verba Eusebii: qui cum adducat eodem loco testimonium Josephi, referentis cædem Jacobi Justi ad intervallum trium mensium, numeratum ex morte Festi ad Albinum procuratorem a Nerone subrogatum, quo trimestri spatio Ananus junior gessit pontificatum, confirmat morem gentis atque ætatis suæ, et Romæ scribentium historicorum, ut epochas non omitterent identidem memorare gestorum quæ describebant: et historiæ suæ hoc lumen non denegare, quod Romana archiva in gestis provincialibus, et inscriptiones publicæ ministrabant. Eadem vero archiva, et mar-

mora, et indiculi, et historiæ adhuc integræ labente quarto Christi sæculo, quo Eusebius et Hieronymus florebant, apertum ostendebant hoc ipsum lumen temporum auctori Catalogi sub Liberio, cujus de documentis chronologicis inquirere duxi non omittendum.

20. Gradum hinc faciam ad cognoscendam et aliis comprobandam certitudinem atque auctoritatem cæterarum rerum quæ in utroque Catalogo memorantur. Ordinationes presbyterorum, et diaconorum Urbis, nec non episcoporum hinc transmissorum ad alias ecclesias vel fundandas, vel gubernandas, obtinent locum potiorem, cum in singulis pontificibus reperiantur. Videndum igitur est qui fieri potuerit ut per tria priora sæcula a Christi Domini passione tam diligenter numeratas repererint ordinationes in Ecclesia Romana auctores secundi Catalogi, pertinentis ad ætatem Felicis quarti et Justiniani.

Nemo negaverit ab exordio Mosaicæ legis fuisse consignatum annum ac diem erectionis tabernaculi, ejusque consecrationis, simulque Aaronis pontificis, et filiorum ejus sacerdotum Exodi capite XL : *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Mense primo, prima die mensis eriges tabernaculum testimonii, et pones in eo arcam,* etc. *Applicabisque Aaron et filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, et lotos aqua indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, et unctio eorum in sacerdotium æternum proficiat. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus. Igitur mense primo anni secundi prima die mensis collocatum est tabernaculum. Erexitque Moyses illud,* etc. *Laveruntque Moyses, et Aaron ac filii ejus manus suas et pedes cum ingrederentur tectum fœderis et accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi.* Nec tantummodo in sacris litteris consignatus est dies consecrationis Aaronis primi pontificis summi, verum et ejusdem obitus dies, mensis et annus, et filii Eleazari successio et inauguratio ad maximum sacerdotium expresse memoratur Numerorum cap. XXXIII, vers. 38 : *Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor jubente Domino : et ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum viginti trium.* Inde incipit pontificatus Eleazari filii Aaron. Domino enim præcipiente Moyses spoliavit Aaron vestibus suis, et induit eis Eleazarum, ut refertur Numerorum XX. Et tunc Aaron decessit e vita collectus ad patres suos. Epocham sacerdotii summi Mosaicæ legis diligenter relatam in divinas litteras cum animadverterent nostri pontifices Christiani, censuerunt non minori cura esse referendam in Ecclesiæ tabulas dedicationem cathedræ, quæ responderet erectioni tabernaculi ; ac statuerunt cujuslibet episcopi ordinationis diem annua memoria celebrare, quæ Aaronis consecrationi compararetur. Quia etiam in ritualibus libris vetustissimis, et in Canonibus Conciliorum conspicimus, fuisse assignatas certas preces cuique sacerdoti secundi ordinis, nempe presbytero, ut annuo sacrificio recoleret diem suæ ordinationis : quas preces edidit cardinalis Thomasius libro III Sacram. Rom. Ecclesiæ, pag. 211, hoc titulo : *Oratio in natali presbyteri, qualiter sibi missam debeat celebrare.*

Cum itaque et mos vetustissimus fuerit sacerdotum prioris fœderis, ut consignarent diem inaugurationis et obitus publicis tabulis ; et in exordio Sacerdotii novi fœderis dies natalis cathedræ non minus quam natalitius martyrii in Petro sit annotatus ; eaque ratio sit habita in successoribus Petri, et ad episcopos minorum urbium derivata sit, imo, et in presbyteri consecratione adhibita deprehendatur, quis dubitet a notariis Ecclesiæ Romanæ hæc potissimum documenta in litteras relata et in Archivis custodita, unde postmodum catalogi, et diptycha, et indiculi sunt collecti ?

21. Romæ vero accuratius curatas et consignatas fuisse ordinationes Christiani ac vere divini sacerdotii quis inficiabitur, qui observet etiam profanos antistites ethnicarum superstitionum apud Romanos tanto in pretio fuisse habitos, ut cooptationes eorum insculperentur nummis, marmoribus, aris, tam in Augustis universi imperii moderatoribus cum occuparent deorum suorum maximum pontificatum, quam in privatis quibusque minus aliquod sacerdotium adeptis ? Omitto annales pontificum eorumque libros linteos esse primam originem Romanæ historiæ, ut in libro secundo de Oratore memorat Marcus Tullius : *Erat historia nil aliud nisi annalium confectio : cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi ; ii qui etiam nunc annales maximi nominantur.* Satis fuerit inspicere tabulas cooptationum ad sacerdotia quæ supersunt, apud Gruterum descriptæ e marmoribus Romanis fol. CCC, et apud Panvinium in Fastis ad annum Urbis 743. Præter anni notam, per collegia consulum indicatam, incisa est etiam epocha annorum ab Urbe condita. Fragmentum dabo ex collectione excell. domini Alexandri Albani :

. . *COELIO APOLLINARE COS.*
P. R. C. A. DCCCCXXII.
Q. CLODIVS MARCELLINVS
COOPTATVS
T. AELIO CILONE II. FLABIO LIBONE. . . .
P. R. C. A. CCCCL
M. VALERIVS PAETVS AQVIL. . . .
COOPTATVS
C. IVNIO ASPRO II C. IVLIO ASPRO . .
P. R. C. A. DCCCCLX . . .
FAVSTINIANVS
COOPTATVS
. . . . . AVG. III ET COMA . . . .
P. R. C. A. DCCCCLXX . . .

Nummos qui cupiat ejus rei testes, observet argenteos et aureos Neroni Cæsari a senatu cusos sub patre Claudio, cum epigraphe : SACERDOS COOPTATVS IN OMNE COLLEGIVM SVPRA NVMERVM EX S. C. Eamdem cooptationem refert marmor vetustum apud Grute

rum fol. ccc, ad consulatum v Claudii Augusti, collega Orfito post Romam conditam anno 804. Pontificatus autem Maximi a se initi diem ita incidit Augustus in Kalendario marmoreo, olim apud Maffeios, hunc autem in Farnesianis ædibus asservato ad Campum Floræ : HOC DIE CAESAR PONTIF. MAXIM. FACT. EST (ad diem pridie nonas Martii); et in alio Kalendarii fragmento nuper effosso apud Antium cura et impensis laudati vindicis eruditæ antiquitatis excell. Alexandri Albani SS. D. N. fratris filii signatur dies XIV Kal. Nov.

HOC DIE CAESAR TOGAM VIRILEM SUMPSIT

. . . . . supplentibus fracturam marmoris, quæ sequentia surripuit, Nicolao Damasceno, et Suetonio, quorum ex testimoniis collegit card. Norisius in Cenotaphiis Pisanis dissert. II, pag. 115, Augustum eadem die togam puram induisse, deposita puerili prætexta, et pontificem creatum in locum L. Domitii. In alio lapide apud Gruterum pag. CCXXVIII, 8, non solum indicatur dies quo Tiberius Cæsar pontifex maximus creatus fuit, sed de industria asseritur idem dies allectus ad dedicandas statuas Cæsarum et Augustarum. PERPETVOQUE EIVS DIE DEDICATIONIS DATVROS NOS TESTATI SUMUS QVEM DIEM QVO FREQVENTIOR QVOTANNIS SIT SERVABITVR VI IDVS MARTIAS QVIA HAC TI. CAESAR PONT. MAX. FELICISSIME CREATVS EST.

Solemne igitur erat apud Romanos æræ Christianæ sæculis primo, secundo ac tertio, ut memorati lapides docent, signare in Fastis collegiorum sacerdotalium (nedum in libris pontificalibus) cooptationes novorum sacerdotum, et electiones pontificum minorum et maximorum. Quin etiam diem certam cooptationis in collegium fratrum Arvalium (in sacerdotium scilicet collatum Romulo ab Acca Laurentia, adeoque inter antiquissima Urbis censendum) ita insculptum ostendunt monumenta ejus collegii quæ Musæum Albanum illustrant, a nobis sæpe consulendum. Dabo partem inscriptionis quæ ad nostram rem pertinet, cum reliqua videri possint descripta ex eodem marmore apud Sponium, Miscellan. pag. 5, et apud Fabrettum Inscriptionum pag. 442.

. . . . . ISDEM COS (nempe L. Ceionio Commodo D. Novio Prisco) K. MART. IN AEDE CONCORDIAE ADSTANTIBVS FRATRIBVS ARVALIBVS EX TABELLA IMP. CAESARIS VESPASIANI AVG. MISSA C. SALVIVM LIBERALEM N. BASSVM IN LOCVM C. MATIDI PATRVINI DEMORTVI COOPTAMVS IN COLLEGIO ADFERVNT L. VERATIVS. QVADRATVS C. VIPSTANVS APRONIANVS L. MAECIVS POSTVMVS C. SALVIVS LIBERALIS N. BASSVS. ISDEM COS. MAG. C. SALONI MATIDI PATRVINI IN CVIVS LOCVM SVCCESSIT OBIIT MAGISTERIVM EODEM ANNO ISDEM COS. K. MART. P. SALLVSTIVS. BLAESVS. ISDEM COS. V. ID. NART. IN AEDB CONCORDIA MAG. L. SALLVSTIVS BLAESUS COOPTATVS IN LOCVM G. MATIDI PATRVINI COLLEGI FRATRVM ARVALIVM CONVOCAVIT ET . . . . .

22. Tabulæ complures marmoreæ, Actis hujus collegii insculptæ, et in Gruteriana collectione memoratæ post fol. CXVIII, quæ olim apud Fulvium Ursinum, nunc vero in palatio Farnesiano visuntur superstites, demonstrant etiam sequentes ætates, usque ad quartum et quintum sæculum Christi, eamdem consuetudinem custodisse, incidendæ scilicet diei qua vota publica concipiebantur pro salute Cæsarum, et qua concepta solvebantur ; ritu superstitionis ethnicæ diligenter explicato in aliis quoque marmoribus ejusdem collegii, quæ ante annos circiter viginti effossa ad sextam lapidem extra Urbem, et inde a me reportata edidit recolendæ memoriæ præsul Philippus a Turre episcopus Adriensis, mihi dum viveret amicissimus. Eadem modo asservatur in paulo ante laudato museo excell. D. Alexandri Albani.

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO AVG. IIII. C. AVFIDIO VICTORINO II. COS. IN CAPITOLIO, etc. ISDEM COSS. . . . . VII ID IANVAR IN PRONAO. . . . FRATRES ARVALES SACRIFICIUM DEAE DIAE INDIXERVNT. Q. LICINIVS NEPOS MAGISTER VELATO CAPITE CONTRA ORIENTEM . . . QUOD BONVM FAVSTVM FELIX FORTVNATVM SALVTAREQVE SIT IMP. CAES. M. AVRELIO (nomen Commodi abrasum) ANTONINO AVG PIO SARMAT GERM MAXIMO P M PP COS IIII OPTIMO MAXIMOQVE PRINCIPI DIVI M ANTONINI FIL DIVI ANTONINI DEPOTI DIVI HADRIANI PRONEPOTI DIVI TRAJANI ABNEPOTI SENATVI P Q R FRATRIBVSQVE ARVALIBVS SACRIFICIVM DEAE DIAE HOC ANNO ERIT ANTE DIEM XVI KAL IVNIAS ROMAE ANTE DIEM XIIII. K IVN IN LVCO ET DOMI XIIII. K IVN CONSVMMABITVR DOMI ADFVERVNT IN COLL Q LICINIVS NEPOS MAG etc. et pluribus interpositis ritus hujusce superstitiosi Sacrificii persoluti ita describitur

ISDEM COS XVI K IVN.

IN DOMVM LICINI NEPOTIS MAG FRATRES ARVALE PRAETEXTATI SACRIFICIVM DEAE DIAE TVRE ET VINO FECERVNT IBIQVE DISCVMBENTES TORALIBVS SEGMENTATIS MINISTRANTIBVS PVERIS PATRIMIS ET MATRIMIS SENATORVM FILIS AELIO AVIOLA ET ACILIO SEVERO etc. ISDEM COS XIIII K IVN IN LVCO DEAE DIAE Q. LICINIVS NEP MAG AD ARAM IMMOLAVIT. . PORCILLAS PIACVLARES N LVCI COINCHVENDI ET OPERIS FACIENDI IBIQVE BACCHAM HONORARIAM ALBAM AD FOCVLVM IMMOLAVIT SACERDOTES IN TETRASTVLO CONSEDERVNT ET EX SACRIFICIO EPVLATI SVNT SVMPTISQVE PRAETEXTIS ET CORONIS SPICEIS BITTATIS LVCVM DEAE DIAE SVMMOTO ASCENDERVNT ET PER Q. LICINVM NEPOTEM ET CATILIVM SEVERVM PROFLAMINEM AGNAM OPIMAM IMMOLAVERVNT PERFECTO SACRIFICIO OMNES TVRE ET VINO FECERVNT DEINDE CORONIS INLATS SIGNISQVE VNCTIS PETRONIVM PRISCVM EX SATVRNALIBVS PRIMIS IN SATVRNALIA SECVNDA MAG FECERVNT ET FL SVLPICIANVM FLAMINEM

Retuli tot versus hujusce inscriptionis e multo rumdem concepti, ac persoluti, et magistrorum collegii, et Flaminum creatorum. Ad sæculum tertium pertinet alia inscriptio ejusdem collegii sub Caracalla, quæ cum præcedenti reperta fuit, et legi potest in laudato libro præsulis de Turre edita post disser-

pluribus quibus ea constat, ut ostenderem, imperante Commodo circa finem sæculi secundi viguisse morem inscindendi in publicis tabulis collegiorum sacerdotalium apud Romanos annum, ac diem sacri co-

tationes de Veteribus Monumentis Antii et de Mithra. Referuntur vero ad quartum sæculum æræ Christianæ marmora non dissimilis argumenti, licet ad Mithram pertineant, cum ejusdem superstitiones adhuc ab ethnicis in Urbe retinerentur. Apparent in iis inscriptionibus signati consulatus ac dies initiationis eorum qui sacerdotibus Mithriacis ascribebantur, ritu a Prudentio expresso. Lapides ejus rei testes a Grutero memorati folio MLXXXVII visuntur adhuc in palatio Barberino ad Quirinalem. Licet enim traditio Persicorum, et Eliacorum, et Cryphiorum ostensio memorata sub initium inscriptionis sint potius verba sacrorum, quam initiationis propria, ut placet laudato auctori dissertationis de Mithra, cap. 5, pag. 203, attamen dies et annus consecrationis diserte exprimitur in eodem lapide peractæ in consulatu v Valentis et Valentiani junioris primo, quando Aurelius Victor Augentius Æmiliano Corfoni filio consecrato sacerdoti Solis tradidit Coracica.

DATIANO ET CEREALE CONS
NONIVS VICTOR OLYMPIVS V. C.
PP. AVR. VICTOR AVGENTIVS V. C. P.
TRADIDERVNT PERSICA PRI. NON. APRIL. FEL
CONS SS. TRADIDERVNT ELIACA
XVI KAL. MAI. FELIC
OSTENDERVNT CRYPHIOS VIII
KAL. MAI. FELIC
DD. NN. VALENTE. V. ET
VALENTINIANO IVNIORE PRIMVM
AVGG. CONS. VI. IDVS. APRIL
AVR. VICTOR AVGENTIVS. V. C.
P. P. FILIO. SVO. AEMILIANO CORFONI
OLYMPIO. C. P. ANNO. TRICESIMO
CONSECRATIONIS. SVAE. TRADIDIT. CORACICA
FELIC. CON. SS. OSTENDERVNT
CRYPHIOS. VIII. K. MAI. FELIC

23. Alias consecrationes die certo signatas ostendit Gruterus fol. XXVIII et sequentibus : quas inter singularis est illa, ubi Sextilius Agesilaus Ædesius se in æternum renatum dicit Taurobolio Criobolioque percepto DD. NN. Valente V et Valentiano Jun. Augg. Coss. Idibus Augustis ; unde dignoscitur posita circa finem sæculi quarti cum pluribus ejusdem ætatis inscriptionibus ibi relatis.

Cum igitur collegia sacerdotalia ethnicæ superstitionis, quæ Romæ vigebant a primo Christi sæculo ad finem quarti, sodalium suorum Fastos et Acta, initiationes, ritus, decreta, dedicationes non modo mandarent litteris in libris linteis, aut eburneis tabellis inscriberent, sed etiam marmoribus insculperent, et proponerent in atriis, et in pronao suarum ædium, tum etiam Kalendariis insererent in foro positis, ad auctoritatem et perennitatem conciliandam suis institutis ; Christianæ professionis cultores non minus providi, et multo sanctioribus exemplis imbuti per divinas litteras utriusque Testamenti, merito censuerunt ad dignitatem veræ religionis pertinere, ut laterculos ederent pontificales, et martyrum passiones, veluti Fastos Ecclesiæ triumphales, ornarent notis chronologicis anni, seu consulum, mensis ac diei, quo veritati testimonium præbuerant sanguine et confessione. Intelligebant enim pergratum Deo futurum, et posteris maxime utile, ut fides publica Actis constaret, et annua memoria recoli posset eorum ingressus ad gloriam, in iis præsertim cœmeteris suburbanis in quibus martyres atque pontifices deponebantur. Decreta vero pontificum aut conciliorum, quæ prioribus etiam sæculis ante Constantinum Magnum edita fuerant, aliquando expressa fuisse tabulis, aut cippis marmoreis aperte nobis ostendit inscriptio Canonis Paschalis in vetusto marmore exprimente cathedram pontificalem S. Hippolyti episcopi et martyris sub Severo Alexandro cum ejusdem statua insidente, quam ex cœmeterio Lucinæ in agro Verano translatam ad bibliothecam Vaticanam tot eruditorum libri illustrarunt, chorum ducentibus Baronio et Bucherio. Titulus ita inscriptis est ἔτους Α, etc. id est ANNO PRIMO REGIMINIS ALEXANDRI IMPERATORIS FACTA EST XIV PASCHAE IDIBVS APRILIBVS SABBATO CVM MENSIS EMBOLISMALIS FVISSET. ERITQVE SEQVENTIBVS ANNIS SICVT IN TABVLA SVBIECTVM EST. EVENIT VERO IN PRAETERITIS SICVT INDICATVM EST. SOLVERE AVTEM OPORTET IEIVNIVM VBI DOMINICA INCIDERIT. In hoc igitur lapide, inciso anno Christi 222, lex Sacrorum, quæ proponitur observanda in Festo præcipuo celebrando Paschatis Christiani, continet institutum jejunii solvendi Dominica die, ab apostolica traditione perductum ad Ecclesiam Orientalem et Occidentalem, et confirmatum decretis Pii, Eleutheri et Victoris pontificum Romanorum, post coacta hujus postremi præsertim jussu concilia a Theophilo in Palæstina, et alibi, uti suo loco dicendum erit. Quare super. sunt vestigia non obscura pontificiarum constitutionum, et sacrarum legum observandi ritus festorum, et jejunii solvendi, incisa vetustis in marmoribus Romanis, etiam constante persecutione, ut jam tum addiscerent hierarchiæ summi hujus Ecclesiæ omnium principis, Urbana marmora Christianis sacris insculpta erigenda esse ad instar cippi triumphalis supra confractas tabulas ethnicæ superstitionis : quæ tunc a fratribus Arvalibus, aliisque Dæmonum mysteriis, et sacerdotibus Isidis, Serapidis, Mithræ, Solis, et Matris Magnæ dedicabantur, sub fallaci spe promissæ sibi æternitatis, tanquam

præsidia profani cultus inanium deorum nunquam interituri ; cum eodem sæculo cederent in prædam, et verterentur in monimenta victoriæ de triumphatis erroribus partæ a veritate religionis Christianæ. Verum hæc alias. Nunc in ea digitum intendimus hac tantum de causa, ut appareat auctoritas rerum, quæ enuntiantur in vetustis Romanorum pontificum Catalogis, quarti præsertim, et sexti sæculi (unde hic Liber Pontificalis agnoscitur contextus sub Gregorio II et III) cum per eas ætates consuetudo vetus Romæ vigeret, tam apud Christianos quam apud ethnicos, consignandi marmoreis tabulis perinde ac libris pontificalibus acta et decreta collegiorum, initiationes et sacerdotia eorum potissimum qui cœtui præessent.

24. Acta et ordinationes Ecclesiæ Romanæ splendidius consignata leguntur post assertam libertatem divini cultus a Maximo Constantino. Beatus enim Damasus papa, qui tabulis marmoreis convestiri curavit atria ecclesiarum, aditus cœmeteriorum, sepulcra martyrum, quæ tabulæ postmodum dictæ sunt *Platoniæ*, elegantibus etiam versibus complexus est in earumdem inscriptionibus complura documenta historiæ decessorum suorum, et martyrum : quorum aliqua integra supersunt ætate nostra in hypogæo basilicæ Vaticanæ, in æde S. Sebastiani extra muros, et in titulo Equitii : alia leguntur apud Gruterum, et tomo IV Veterum Analectorum Mabillonii, descripta ætate Caroli Magni ; alia denique collecta a Martio Milesio in editione operum B. Damasi.

25. Cum vero et in cœmeteriis martyrum appareat sæpe annus ac dies depositionis, plerumque scalpro cælatus in tabulis marmoreis, occludentibus loculum, non raro in calce exaratus, aut minio coloratus in cæmento crustas marmorum jungente cum margine loculamenti ; quis non videat, ex his autographis collectas fuisse tabulas, sive indiculos, et laterculos depositionum, et rudimenta illa Martyrologii Romani, a Bucherio reperta in membranis quarti sæculi aut quinti, et ab eodem edita post Canonem Paschalem Victorii Opusculo tertio pag. 276 ?

DEPOSITIO EPISCOPORUM *(a)*.

Sexto Kalendas Januarias, Dionysii in Callisti.
Tertio Kalendas Januarii, Felicis in Callisti.
Pridie Kalendas Januarii, Sylvestri in Priscillæ.
Quarto Idus Januarii, Miltiadis in Callisti.
Decimo octavo Kalendas Februarii Marcellini (Marcelli) in Priscillæ.)
Tertio Nonas Martii, Lucii in Callisti.
Decimo Kalendas Maii, Caii in Callisti.
Quarto Nonas Augusti, Stephani in Callisti.
Sexto Kalendas Octobris, Eusebii in Callisti.
Nonis Octobris, Marci in Balbinæ.
Sexto Idus Decembris, Eutychiani in Callisti.
Pridie Idus Apriles, Julii in via Aurelia miliario III. in Callisti.)

26. Verum de diligenti cura notariorum apostolicæ sedis tum in incidendis epochis depositionum in loculis summorum pontificum, tum in colligendis diptychis, et catalogis ex earumdem inscriptionum et Actorum autographis nemo jure dubitaverit, cui perspecta sit diligentia, quam pari ferme studio impenderunt proximarum Italiæ civitatum episcopi in decessorem suorum memoriis præservandis posteritati. Liceat mihi proferre ex Nolana ecclesiæ illustre documentum, quod ante annos quindecim inde collegi, cum a S. D. N. Clemente XI ascriptus comitatui eorum, quos eminentissimo cardinali Carolo Barberino legato de latere ad Catholicum regem Hispaniarum Philippum V Neapoli tunc agentem administros delegerat legationis, permissu ejusdem cardinalis Nolam me contulissem ad sacras antiquitates perlustrandas ejus ecclesiæ et cœmeterii S. Felicis in Pincis dicti : ubi supersunt complures basilicæ partes, musivo et inscriptionibus decoratæ a S. Paulino episcopo Nolano. Tanti sacrarii monumenta bene multa edere cum possim publica luce dignissima, iis tantum contentus ero quæ pertinent ad argumentum a me susceptum ad pertractandum in hac præfatione, nempe ad sarcophagos et sepulcrales tabulas aliquot episcoporum insculptas, die et anno depositionis per consules indicato.

In Zophoro litteris musivi operis legitur epigramma S. Paulini, æquale testimonium ædis sacræ a se amplificatæ.

Parvvs erat locvs ante sacris augvstvs agendis,
Svpplicibvsque negaus pandere posse manvs.
Nvnc popvlo spatiosa piis altaria præbet
Officiis medii martiris in gremio.
Cvncta Deo renovata placent. Novat omnia semper
Christvs et in cvmvlvm lvminis amplificat
Sic et dilecti solivm Felicis honorans
Et splendore simvl protvlit et spatio.

In arca marmorea apud altare.

DEP. SANC. FELICIS EPS. V. ID FEBR. POS. CONS, FA. VS. TI. VC (b).

Cum S. Paulini obitus referatur ad annum 430, sanctus Felix octennio post depositus ejus ætatem æquat.

In alia proxima arca marmorea

DP. EP. PAVLINI IVNIORIS D. III. ID. SEPTE FL. DIOSM ORO (c) VC CONS.

In alio sarcophago detritæ sunt litteræ inscriptionis : ita ut incertum sit an episcopus ibi recondatur. Sed nomina consulum supersunt integra : quæ indicant annum 359.

SEMPER OB MERITVM VIVEIS PRAECONIA LAVDIS
ET BONA PROGENIES . . .
PEVIA SV . . .
RELIQUIAE . . .
IA . . .
. . . ELA . . . SEMPER ERIS . . . OMINE DVCI
A . . . OR . . .
. . . FELICIS
EVSEBIO ET YPATIO COSS DP. IN PACE
VI KAL IVN

In alio marmore

(a) Nempe Romanorum a Lucio ad Julium.
(b) Anno Christi 438.
(c) Ita mendose incisus Fl. Dioscori consulatus incidens in annum Christi 442.

DP. THEODOSI — EPC — DIE VII-IDVS-DECEMBRES-FL-FAVSTO — JUNIORE — SC. CONS (a)

Non omittenda est inscriptio Aureliani episcopi, licet indicio consulum destituta (nescio an ejus, qui Nolanorum præsulum habetur quintus): ubi anni ejusdem sedis ita memorantur.

† DPS. SANC. M. DMN. AVRELIANI EPISC. IN PACE QUI BIXIT ANNS
PL M LXXX SEDIT CNN. XXXVIII. DEP. ES. OCTABV. KAL. AVG.

In sequenti marmore memoratur Leo episcopus: Et inscriptio pertinere videtur ad annum 547 sextum post consulatum Basilii

† *HIC REQVIESCIT APOL*
LONIA SACRA VIRGO

A *DOM SOROR LEONIS EPISC. VIX. ANN. PL M. LXXV.. DEPST I...*
SEXXIES. P. CONSULATUM...

Leoni tertii episcopi nomen legitur in marmore sepulcrali, sito in pavimento ante absidem basilicæ.

LEO TERTIUS EP CREDO RESURGERE

Alterius Leonis ex Monacho Antistitis est epigramma sepulcrale, quod sequitur, in pavimento situm.

P HIC LEO VIR SCS. SOCIAT.
. . . ENS PIETATE POTENS: IC. .
QVI VITA EX MONACHO S . . .
ABSTINVIT TANTVM TANTOQ. . .
VT QUASI IAM ANGELICV. . .

Luperci etiam episcopi visitur epigraphe marmorea in structura, ipsius jussu adornata circa annum Christi 555, qua ætate præfuit Nolanæ Ecclesiæ.

† HOC QVOD CERNITIS DISCITE QVOD LVPERCVS EPISCOPVS COMPSIT ET
ORNAVIT IN HAC ECCLESIA
LVPERCVS EP FIERI PRECEP
AMORE DI ET SVORVM FELIC. ET PAVLINI RVFI LAVRENTI ET PATRICII

S. Patricius nepos B. Martini Turonensis episcopi auditor fuit sancti Paulini Maximi episcopi Nolani.

Ab his non disjungendi sunt lapides sepulcrales presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, et sacrarum virginum, eadem in ecclesia superstites:

B quorum aliqui memorant annos sacerdotii, diem depositionis, aut consulatum.

Adeodati archipresbyteri tale est epitaphium marmoreum: in quo etiam visitur insculpta columba pro more Christianis familiari.

ADEODATVS INDIGNVS ARCHIPRESVITER. SCE. NOL. ECCL. REQVIE
SCIT HIC

Hæc videntur ejus jussu lapidi insculpta, cum sibi pararet sepulcrum. Cætera quæ sequuntur addita a confratribus post ejus obitum:

DILECTVS A DO ET HOMINIBVS. IN SACERDOTIVM
ERAT. ENIM. SERMONE. VERAX. IN. IVDICIO. IVSTVS. IN. COMMISSO. FIDELIS
DVLCIS ET BENE SVADVS. IN VERSIBVS. SVIS SEMPER
ATDVXIT. MVNERA. QVOPIOSA. QVANDO. INGRESSVS EST. IN SCM FELICEM
TEMPORE. QVO. NVLLVS. FVIT. PRETIOSIOR ILLOS SACERDOS
VIXIT CVNCTIS DIEBVS. VITE. SVE. ANTE. ORDINATIONE ANN XXX
SEDET. SACERDOTALI ORDINE. ANN L ET DEP EST . . .

In abside antiqua tabula marmorea modo affixa parieti testatur depositionem Urani presbyteri, quem a ecretis fuisse S. Paulini Nolani episcopi constat: cujus etiam litteræ complures sunt ad Uranium datæ.

DEPOSITIO VRANI PRESB. XI KAL IANVARIAS

Leguntur etiam depositiones presbyteri Patricii, Honorati presbyteri Florentii.

Diaconi Reparati depositio adjunctas habet chronologicas notas diei 19 Octobris et anni 553.

DEP. SANCTE. M. REPARATI
DIAC. DEP. D. XIIII. KAL NOVEMB
XII P. C BASILI V C

Subdiaconi Filicelli depositio consignata est marmori, in quo Januariæ (fortasse ejus matris, aut consanguineæ, aut agnatæ) nomen, et epocha conspicitur anni 536.

† HIC REQVIESCIT IN PACE IANVARIA †
. . Q VIXIT PL M ANN XXVIIII Cum MA
RITV FEC ANN XV. M XI. D. X. DEP
D XV KA FEBRVAR P C BILI
SARI VI P N D PRIMA
† HIC REQVIESCIT IN PACE FILICELLVS SBD
QV. . . . .

Sacrarum autem virginum depositiones duæ pertinent ad sæculum quintum. Prior refertur ad annum consulatus Aetii, nempe 431, vel 437, vel 446 vel 454.

DEP. SACR. VIRG. M. . . . .
DIE XIIII. KAL. MART AETIO ET
. . . . . ET PAVLI PRESB

(a) Hoc est, anno 490.

Justæ virginis nomen cum legerem compositum cum consulatu Flavii Severini, bis occurrente in Fastis ad annos 461 et 483,

SACRÆ VIRGINIS
DEP. IVSTI. V. IDS. NOBEBR
FILS. SEVERINO V. C. CONS

monuit pius sacerdos hujus templi Præpositus, sacra hæc monumenta mihi indicans, repertam fuisse hanc postremam tabulam marmoream ita inscriptam sub columna ecclesiæ dum paries reficeretur, occludens loculum in topho excavatum, ubi cernebantur Justæ virginis ossa integra, deposita manibus cancellatis cum lamina plumbea pedibus apposita, in qua visuntur litteræ, nomen, ac statum virginis indicantes sub monogrammate Christi Domini :

A ☧ Ω JUSTA VIRGO

Ibi etiam numisma Licinii repertum fuisse narravit.

26. Hæc omnia cum reputo, post Nolam a Gothis captam et vastatam, adhuc reperiri unius in ecclesiæ ambitu, quæ fuerat a B. Paulino restituta et amplificata, atque in marmoribus quinti et sexti sæculi video nomina, ætates, depositiones episcoporum consignari per consulatus, necnon memorari presbyterorum ordinationes, diaconos etiam (æque ac subdiaconos, et sacras virgines) ibidem conditos fuisse, non neglectis temporum notis, universa demum aptata video ad exemplar cœmeteriorum Urbis, necesse est ut inde colligam duo corollaria : primum est, B. Paulinum ejus basilicæ instauratorem, qui origine Romanus, licet in Gallia natus, maximam ætatis partem in Urbe transegerat, in qua etiam inter senatores relatus consulatum quoque gesserat anno Christi 375, cum perspectam haberet consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, hæc diligenter curantis per notarios regionarios, intulisse eamdem consuetudinem in Ecclesiam Nolanam, vel antea inductam confirmasse. Alterum corollarium est, ætate Paulini et proxima, nempe sæculo quarto, quando Catalogus ille prior pontificum Romanorum sub Liberio conscribebatur, abundasse tot documentis genuinis et publicis historiam hujus Ecclesiæ Romanæ, ut sola ex inspectione brevium inscriptionum, quæ legebantur in cœmeteriis Christianis chronologia satis absoluta Romanorum pontificum colligeretur ; aut certe ita luxata ratio temporum pontificiorum proferri nequaquam posset, cujus emendatio non esset facilis apud eos qui attente consulerent titulos sepulcrales Romanæ Ecclesiæ, præsertim si adhiberentur etiam Acta martyrum, versibus inclusa per Damasum, et incisa eorumdem memoriis, eaque conferrentur cum inscriptionibus Cæsarum et magistratuum a quibus publico judicio fuerant damnati et pro Christo occisi.

27. Redeo nunc ad intermissam comparationem Actorum, quæ corpora sive sodalitates (ut Cato appellat apud Tullium de Senectute) ethnicorum numinum cultui in Urbe ascriptæ, Fratrum scilicet Arvalium, Pontificum Majorum, Augurum, Epulonum, Sodalium Titiorum, Augustalium, Isiacorum, cultorum Herculis, Solis, Mithræ, aliæque hujusmodi sacra professæ, et in decurias plerumque distributæ, ut observat Fabrettus Inscript. cap. 6, pag. 429 et 449, solebant marmoreis tabulis insculpta affigere templorum adytis et vestibulis. His vero Actis publica auctoritate propositis ab ethnicorum superstitione visa est indicere singulare certamen nostræ religionis a Deo protecta virtus et constantia per summos hierarchas Ecclesiæ Christi militantis : ut Acta veri sacerdotii Christianæ legis ære perennius incisa nostris in basilicis, titulis et collegiis triumphales veluti fastos opponerent in Petri Capitolio profanis ethnicorum initiationibus et mysteriis impietatis. Nam Romanæ Ecclesiæ pontifices ad perennitatem memoriæ, et historiæ fidem, et documentum posteris transmittendum æterni sacerdotii Christo collati a Patre, ab eoque communicati Petro et successoribus vices suas in terris obeuntibus, ibidem tropæa apostolorum, et sacras leges, ac successionis jura, et seriem spectandam proposuerunt marmore et ære incisam, ubi ab idolorum mystis *diligentissima superstitione habebatur collectum quidquid usquam fuerat vanis erroribus institutum ;* quemadmodum observat S. Leo Magnus serm. 1, de SS. apostolis Petro et Paulo. Ita nempe par erat, ut omni genere documentorum evidens redderetur, Christum Deum, Regem, *et Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech dominari* etiam per servos suos *in medio inimicorum suorum (Psal. CX).* Id clarius ut percipiatur, quod plurimum refert ad asserendam firmitatem historicam rerum in Libro Pontificali memoratarum, præstat observare, ubinam reperta fuerint Acta illa paulo ante memorata cooptationum ethnicæ professionis sacerdotum. Fratrum Arvalium, et cultorum Isidis, Attidis, Matris Magnæ, Mithræ, et Solis, quibus nostræ religionis antistites veri sacerdotii Christiani Acta esse opponenda censuerunt.

28. Cooptationes decuriarum illius sacerdotalis collegii ethnicorum, cui Nero Cæsar ascriptus legitur sub Claudio imperatore, affirmat Gruterus pag. CCC, repertas fuisse *Romæ in æde nova S. Petri in Vaticano anno* 1596, *mense Junio.* Acta Collegii Fratrum Arvalium sub Domitiano, quæ V. C. Fabrettus produxit Inscriptionum pag. 443, docet asservari in archivo basilicæ Vaticanæ, ubi etiam custodiebatur fragmentum illud ætate sua repertum, quod exhibuit fol. 494. Initiationes sacerdotum Mithræ criobolio taurobolioque perfecto in aris pluribus insculptæ, additis consulibus, et die dedicationis effossæ sunt prope flexum circi Vaticani, dum fundamenta jacerentur meridionalis lateris transver-

sæ navis basilicæ, ubi SS. Simonis et Judæ apostolorum ara postmodum fuit excitata : asserente Jacobo Grimaldi, notario ad hoc muneris allecto, ut singula diligenter referret in litteras quæ in dejectione veteris basilicæ atque in molitione novæ per dies singulos reperirentur. Id præstitit diligenter in tabulis auctoritate publica exaratis, et munitis impressione signaculi, quarum autographum hodie asservatur in archivo canonicali ejusdem basilicæ principis apostolorum. Enumerat igitur Grimaldus fol. 43 aras complures marmoreas circa basilicam eodem modo repertas, et a Pompeio Ugonio antiquitatis studium professo recognitas, quæ indicabant ab ethnicis Isidem deorum suorum matrem ibidem cultam fuisse. Dabo Grimaldi verba : « In loco ubi nunc est sacellum apostolorum Simonis et Judæ in absida novi templi quæ ad meridiem vergit, mausoleum S. Petronillæ a scriptoribus appellatum, etc. Id quidem Marti sacrum fuisse scribitur. Sed vir doctus, et Urbis ecclesiarum antiquitatis indagator studiosissimus, dominus Pompeius Ugonius, dictæ basilicæ clericus beneficiatus, orator insignis, non *Marti,* sed potius *Matri,* corrupto vocabulo in *Matrem* primitus dicatum fuisse existimat. Idque inter alia potissimum elicit, quod hoc tempore cum Pauli V pontificis maximi jussu anterioris faciei angelus versus Campum Sanctum fundaretur, effossæ sunt ibi quamplures aræ *Matri Deum Magnæ Idææ* sacræ, sculptæ Taurobolii et Criobolii sacrificiis, temporibus Constantii et Maximiani nobilissimorum Cæsarum, Gratiani Augusti, et Meraubaudis Coss., Valentiniani Aug. et Neoterii Coss., et aliæ hujusmodi, quæ in spretum acervatim projectæ huc illuc, ac fractæ a Christianis olim fuerant. Nunc visuntur in vinea cardinalis Burghesii extra portam Salariam. »

Inscriptiones ex autographis descriptas exhibet fol. 164, quarum nonnulæ, licet editæ legantur a Martinello in opusculo de Imagine B. Mariæ Virginis apud moniales SS. Xysti et Dominici, paucæ etiam occurrant apud Fabrettum Inscriptionum cap. 9, fol. 665, a neutro tamen universæ proferuntur. Quare ex Grimaldi codice præstat tum impressas, tum ineditas hic exhibere.

1.

M. D. M. I
DD. NN. CONSTANTIO
ET MAXIMIANO NOBB.
CAESS. V. CONSS. XVIII
KAL MAII (a) IVLIVS. ITA
LICVS. V. C. XV VIR
S. F. TAVROBOLIUM
PERCEPI. FELIC.

2. *(b)*

ANTONIN. . . . . .
V. C. PONTIF. ET DECEMVIR. SA. F
TAVROBOLIO. CONFECTO. III. KAL. MA.
FL. ANICIO. ET. NIGRINIANO. CON. ARAM
FELICITER CONSECRAVIT

3.

M. D. M. I.
ET. ATTIDI MENO
TYRANNO CONSER
VATORIBUS SVIS CAE
LIVS HILARIANVS V. C.
DVO DECEMBVR
URBIS ROMAE
P. S. ET. HIEROCERVX
I. M. S. D. L. S. D
HECATE
D. N. GRATIANO AVG
ET MEROBAVDE
CONSS. IIII. IDVS
MAIAS. (c)

4. *(d)*

ANTONIN. . . .
V. C. PONTIF. E . .
DECEMVIR SA. F
TAVROBOLIO
CONFECTO. III KAL
MA. FL. ANICIO. ET.
NIGRINIANO CON
ARAM. FELICITER
CONSECRAVIT

5.

DIIS OMNIPOTENTIBVS
LVCIVS RAGONIUS
VENVSTVS. V. C.
AVGVR. PVBLICVS
P. R. Q. PONTIFEX
VESTALIS MAIOR
PERCEPTO. TAVROBOLIO
CRIOBOLIOQVE
X. KAL. IVN.
D. N. VALENTINIANO
AVG. IIII. ET. NEO
TERIO CONSS (e)
ARAM. CONSECRA
VI

6.

M. D. M.
ET. ATTIDI. SANCTO
MENO TYRANNO
Q. CLODIVS. FLAVIANVS
V. C. PONT. MAIOR
XV. VIR. S.F. SEPTEM
VIR EPVLONUM
PONTIFEX DEI SOLIS
TAVROBOLIO CRIOBO
LIOQVE PERCEPTO
ARAM. DICAVIT
NONIS APRILIBVS
FELL. MEROBAUDE
ET. SATVRNINO
CONSS. (f)

7.

V. C. T.
SACERDVS MAXIMA
M. D. M. I. LAVROBOLIO
CRIOBOLIOQVE REPETI

(a) Anno Christi 305.
(b) Edita a Fabretto Inscript. pag. 665. Spectat ad annum Christi 350.
(c) Anno Domini 377.
(d) Datam ex Fabretto n. 2, ita describit Grimaldus.
(e) Christi 390.
(f) Christi 383.

TO. DIIS. OMNIPOTENTI
BVS. M. D. ET. ATTI
ARAM. DICAVIT
NONIS APRILIBVS
FL. MEROBAVDE
V. C. ITERVM
ET. EL. SATVRNINO
V. C. CONSS. (a)

8.

MATRI DEVM MAGNAE IDEAE (b)
SVMMAE PARENTI HERMAE

A

ET ATTIDI MENO TYRANNO
INVICTO CLODIVS HERMOGENIA
NVS CESARIVS V, C. PROCONS
AFRICAE. PRAEFEC. VRBIS
ROMAE. XV. VIR. S. F. TAVROBOLIO
CRIOBOLAOQAE PERCEPTO
XIIII. KAL. AVG. DIIS. ANIMAE
SVAE. MENTISQVE CVSTODIBVS
ARAM. DICAVIT
D. N. GRATIANO AVG. TER
ET , . . AEQVITIO CONSS. (c)

9.

ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ
ΕΙC ΔΕΚΑΠΕΝΤΕ ΑΕΔΡΙωΝ (*d*) ΦΟΙΒΟΥ CΤΕΦΑΝΕΦΟΡΟC ΙΡΕΥC
ΚΡΗCΗΝC ΗΓΑΘΕΟCΤΕ ΛΕΟΝΤΙΟC ΕΝCΟΦΟΙ ΑΝΔΡΕC
ΟC ΜΕΝ ΑΠ' ΑΝΤΟΛΙΗC ΟC Δ'ΑΡ'ΑΗ' ΕCΗΕΡΗΙC
ΟΡΓΙΑ CΥΝΡΕΞΑΝΤΕ ΘΕΑΙ ΠΑΜΜΗΤΟΡΙ ΡΕΙΗΙ
ΚΡΙΟΒΟΔΟΥ ΤΕΛΕΤΗC ΚΑΙ ΤΑΥΡΟΒΟλΟΙΟ ΦΕΡΙCΤΗC
ΑΙΜΑCΙ ΜΥCΤΙΗΟΛΟΙC ΒωΜΟΝ ΥΠΕΡΤΙΘΕCΑΝ

Interpretatio autem Græcæ inscriptionis talis est

MATRI DEUM

XV. vir Phoebi. coronatvs sacerdos.
Crescens. divinvsque. Leontius sapientes viri
Alter. qvidem. ab. Oriente. alter vero. ab Occidente
Ritvs. simvl. peragentes. Deae. omnipotenti Rheae
Criobolii victimae. et Tavrobolii. optimae
Sangvinibvs. sacris. aram. erexere

« Ex his, subdit Ugonius, duo versus sunt hexametri, et duo pentametri. Habebat a lateribus Cybelem cum arbore pini, et Attidem cum capitibus bouum. Mirandum valde est quomodo humani generis hostis juxta sanctiorem totius orbis basilicam se ingesserat ad tantam abominationem sacrificiorum idololatriæ celebrandam temporibus Christianorum Cæsarum ; nec mirandam si ab aliquo optimo viro malleo aræ ipsæ fractæ et acervatim sepultæ repertæ sint. »

29. Hæc postrema Ugonii conjectura, tot lapidibus confirmata, quæ suadebat opinari, sacra Matris Magnæ et Idææ peragi consuevisse in Vaticano, ætate nostra vim demonstrationis obtinuit ex alia celeberrima inscriptione, reperta in summo colle Lugdunensis Coloniæ in Gallia. Eamdem vulgavit, et lectissima, qua pollet, eruditione exposuit adm. rev. Pater Dominicus de Colonia soc. Jesu theologus, multis mihi nominibus spectatissimus, et singularis benevolentiæ æque ac doctrinæ causa summopere colendus. Ante quinquennium cum Romanas antiquitates secum lustrarem Lugduni non infrequentes, ostendit aram Taurobolii signis incisam, effossam in eo colle, et commentarium abs se de illa editum, hospitalitatis nostræ tesseram pretiosissimam largiri voluit : tum præ cæteris observandum insinuavit, in illius aræ inscriptione hæc verba perspicue legi : VIRES EXCEPIT, ET A VATICANO TRANSTULIT ; id enim de Vaticano colle Urbis Romæ intelligi oportere diserte tradit, cum in Colonia Lugdunensi nullus occurrat locus ejusmodi nomine donatus. In Urbem B reversus, cum liber Grimaldi mihi oblatus fuisset, memorans inscriptionis jam relatas Matris Magnæ, et Taurobolii, atque Criobolii percepti, locumque effossionis designans in Vaticano, hac una Lugdunensi ara cæterarum usum demonstrari intellexi, apud Vaticanam basilicam repertarum. Quin etiam hæc Lugdunensis ostendit, eam consuetudinem de qua loquitur, transferendi superstitiosum cultum Idææ Matris, Taurobolii, et Criobolii ex Vaticano colle Romanorum ab Colonias viguisse sub Antoninis. VIRES TAVRI, hoc est (ut cum Salmasio scite exponit P. Colonia) cornua ejus animantis, seu victimæ mactatæ in Taurobolio apud collem Vaticanum Romæ, transferebantur cum ARA et BUCRANIO in Coloniam, ubi decretum fuerat sacra Matris Deum Magnæ Idææ peragere ritu Romano per sacerdotes exornatos occabo et corona a quindecemviris sacris faciundis. Præstat inscriptionem illius aræ Lugdunensis cum prototypo a me inspecto exacte congruentem ex libro laudato P. de Colonia mutuari.

C

TAVROBOLIO MATRIS D M I D
QVOD FACTVM EST EX IMPERIO MATRIS D
DEVM
PRO SALVTE IMPERATORIS CAES T, AFLI
HADRIANI ANTONINI AVG. PII PP
LIBERORVMQVE EIVS
ET STATVS COLONIAE LVGVDVN
L. AEMILIVS CARPVS IIIIII VIR. AVG. ITEM
DENDROPHORVS

Hic visitur insculptum Caput Tauri, seu Bucra- D nium coronatum. Subtus legitur :

(*a*) Christi 383.

(*b*) Fabrettus fol. 666, n. 522, ita exprimit *M. D. M. I.*, ubi etiam versus aliter distinguit, et aptius, ut videtur. — Anno Christi 374.

(*c*) Grimaldus in margine hæc addit : « Hanc inscriptionem multo labore exscripsi propter characteres jam prope deperditos. »

(*d*) Ita, sed mendose, pro ΑΝΔΡωΝ.

VIRES EXCEPIT EX VATICANO TRANS
TULIT ARA ET BVCRANIVM
SVO INPENDIO CONSECRAVIT
SACERDOTE
Q. SAMMIO SECVNDO AB XV VIRIS
OCCABO ET CORONA EXORNATO
CVI SANCTISSIMVS ORDO LVGVDVNENS
PERPETVITATEM SACERDOTI DECREVIT
APP. ANNIO ATILIO BRADVA T. CLOD. VIBIO
VARO COS

In sinistro latere ejusdem aræ insculptum est Cranium Arietis indicium Criobolii.

Dextro autem in latere cultri figura vtsitur cum litteris :

CVIVS MESONYCTIVM
FACTVM EST V. ID. DEC

Apte observat doctus interpres hujus monumenti, ex Tertulliano, Ambrosio, Firmico Materno aliisque scriptoribus antiquis, *a diabolo, cujus sunt partes invertendi veritatem,* institutum fuisse, *ut ipsas quoque res sacramentorum divinorum* (verbis utitur Tertulliani) *in idolorum mysteriis æmuletur. Tingit et ipse utique credentes et fideles suós, expiationem de lavacro repromlitit.* Firmici quoque verbis ostendit, inter errores profanarum religionum a spiritu mendacii subdole inductam credulitatem expurgandorum criminum per sanguinem victimæ, ante aras idolorum profusum, et ritu descripto per Ausonium in Taurobolio et Criobolio ita conspersum, ut eo cruore, quasi rore depluente, perfunderentur membra ac vestes sacerdotis initiandi sub scrobe latentis. His nempe sycophantiis conabatur impietatis magister et Deo rebellis spiritus illudere sanctioribus mysteriis utriusque Testamenti, traducens ad abusum superstitionis conspersionem sanguinis divino jussu a Moyse adhibitam in consecratione pontificis Aaronis ejusque filiorum ; et sacrilego ausu tentans fœda illa simulacra lotionis opponere dogmatibus spei ac fidei nostræ, docentis, per Christi sanguinem pretiosum purgari nos, et consecrari filios in salutari lavacro baptismi ; sacerdotes vero dedicari in eodem sanguine per unctionem ordinis et signi ab æternò pontifice instituti. Sed inspectio marmorum memoratorum declarat longius provectas artes, licet irritas, et invidiam maligni spiritus. Eo enim dementiæ processit, ut cogitaverit de subvertenda hierarchia Ecclesiæ, idque speraverit se assecuturum, si sectatoribus suis inspiraret, ut e Vaticano, ubi Christianæ communionis centrum fixerat Petrus, auctore Christo, diffunderet ille mysteria Matris Deum Idææ auctoribus quindecemviris in orbem Romanum. Videbat hostis humani generis, a successoribus Petri post ejus obitum episcopos ablegari, perinde ac Petrus consueverat, per orbem universum : et unitatem Ecclesiæ servari per nexum sacerdotii maximi divinitus institutum ; cum nutu principis episcopalis ordinis omnia membra colligi in conciliis, et dirigi legibus cerneret ; moderante rem Christianam universam eo qui in Petri cathedra successor et navarchus sedcret quasi ad clavum reipublicæ Christi vicarius episcopus Romanus. Commentus itaque est inimicus veritatis et religionis, ex vicinia Petri cathedræ suos hierarchas ablegare in provincias et colonias Romani nominis. In Vaticano, nempe in crepidine solii Petri, aras Mithræ, Isidis, et Matris Magnæ, Taurobolia. Criobolia, et ejusmodi portenta numinum ac mysteriorum ita fundare aggressus est, ut inde proferre impium cultum utrobique posset, in Orientem et Occidentem ; quod insinuat non obscure inscriptio Græca sup. II. 28. Neque aliter sentire suadet epocha translationis sacrorum in Lugdunensi marmore consignata. Observat enim opportune P. de Colonia, cum pluribus eruditis, ante imperium Antonini Pii non reperiri ullum Taurobolium, ejusve ritum Roma translatum ; sed neque ullum Romæ aut in provinciis peractum, aut perceptum antiquis in monumentis, aut historicis memorari. Quare colligere possumus circa eam ætatem, qua ordinandis imperii provinciis Adrianus et Antoninus occupabantur, et qua episcopalium sedium ordinandarum par cura detinebat Petri successores, dum isti ad apostolorum tropæa paulo ante constructa per Evaristum, in Confessione B. Petri clerum colligentes, et episcopos, presbyteros. diaconos initiatos sacris ordinibus hinc ablegantes ad Christiana sacra, qua in suburbicariis sedibus, qua in titulis urbanis, qua in provinciis exercenda, etiam in toto divisis orbe Britannis, ea, inquam, ætate, qua nostræ religionis antistites summi ita procurabant sacrum Christi principatum, et sacerdotium, quindecemviri sacris faciundis, aliique dæmonum mystæ idolum Dagon contra arcam Domini erigentes, ad radices Vaticani collis instituerunt Taurobolia et Criobólia Matris Magnæ, et occabo ornatos et coronatos sacerdotes *cum ara, et viribus et bucranio* inde perceptis miserunt in colonias ad contagium superstitionis suæ provinciis inferendum.

30. Verum pari sorte ac olim Dagon truncus in frustra concisus ac dejectus ante arcam Domini stantem repertus fuerat, etiam ea monumenta Matris Deum, Mithræ fratrum Arvalium et quindecemvirum confracta reperta sunt ac tumultuarie disjecta a Christianis, et projecta in scabellum pedum Piscatoris : ante hujus basilicam dum jacerent, futura indicia victoriæ per fidem nostram de gentibus earumque superstitionibus reportatæ. Apparet in his fragmentis vana æmulatio decidentis idololatriæ, a Tertulliano indicata in idolorum mysteriis, ut *ipsas quoque res sacramentorum traduceret ad abusum superstitionis* ; dum aspersione sanguinis, observatione mesonyctii delectuque areæ Vaticanæ et mensis Decembris conatur pervertere nostræ religionis instituta sanctiora. et in aris, laterculis, marmoreis æneisque tabulis profana sua mysteria ad posteros derivare. At nostri præsules inter ruinas prostratæ superstionis stantem arcam Dei, et nunquam subvertendam infernarum potestatum viribus petram ostendentes, supra qua n Ecclesia constructa est, constanter perseverant per annos mille sexcentos et quod excurrit cum Leone Magno, ejusque decessoribus et successoribus

quarta, et sexta feria more Majorum, jejunia indicere, et Sabbato apud beatum Petrum vigilias celebrare; in quibus, præsertim, *mense Decembri*, ordinationes ministrorum sacerdotumque minorum ac majorum perficiant. Nec segniori cura platonias basilicæ inciderunt monumentis nunquam desituris sacerdotii Christiani: unde pontificalis historia colligi potuit et confirmari in texendis Catalogis sub Liberio et sub Felice quarto, et in Vitis pontificum colligendis sub Gregoriis secundo et tertio

31. Jucundum erit inspicere quanta superesset per eam ætatem copia documentorum, non modo in codicibus archivi apostolici, sed etiam in parietibus et marmoribus sacrarum ædium, quæ res plerasque comprobarent in hoc Pontificali Libro enuntiatas. Tria ferme ad capita reduci possunt ea quæ in Vitis pontificum occurrent Anastasio tributis. Primum caput est chronologicum, indicans tempus sessionis in Petri cathedra, et consules quibus respondet unius cujusque pontificatus initium ac terminus. Caput alterum constat decretis et ordinationibus sacerdotum ac ministrorum. Tertium denique includit donationes fundorum, structuras basilicorum ac titulorum, ornamenta et supellectilem pretiosam Ecclesiæ oblatam a pontificibus Romanis, imperatoribus aliisve principibus. Documenta rerum triplici hocce capite enuntiatarum ita erant in propatulo sub Gregorio tertio, quando Liber iste Pontificalis in publicum prodivit, ut complura legi possent in marmoribus genuinis. Licet indicium desumere ubertatis documentorum ex iis quæ post annos mille jam evolutos a Gregorii tertii ætate ad nostram adhuc visuntur superesse in titulis Urbanis, cœmeteriis, basilicis et archivis.

32. Quod pertinet ad primum caput chronologiæ pontificalis per consules rite comprobatæ, ostendimus, in Actis martyrum, in platoniis a B. Damaso incisis, in cœmeteriis loculisque Christianis tot superesse documenta consuetudinis illius ætatis, ut quarto sextoque sæculo Christi abunde potuerint inde colligi indiculi, catalogi, diptycha, martyrologia. Teritur omnium manibus liber impressus Romæ anno 1654, complexus Inscriptiones antiquas superstites in basilica S. Pauli, via Ostiensi. Placuit experimenti causa numerare quot consulatus illæ contineant. Legi duos supra octoginta in iis quæ Christianorum sunt, et pertingunt ad numerum 436. Complures præterea sunt inscriptiones, quarum fragmenta cum non retineant tot elementa dictionum in nominibus consulum indicatis, ut intelligi possit ad quos consules referantur, excludendas putavi a summa prædicta. Cum igitur unica in æde sacra Romana supersint post annos mille a collectione Libri Pontificalis tot paria consulum, ut septimam ferme partem Fastorum consularium implere possint a Tiberio ad Justinianum, sive ab anno passionis Dominicæ ad Felicem quartum; quot putamus patuisse omnium oculis sub Liberio et Damaso, dum catalogi conscriberentur, et gesta martyrum celebrarentur carminibus incisis in platoniis, Urbe nondum capta et direpta a Gothis, Vandalis et Hunnis? Si gentilis Delfinius Romanos fastos a Bruto et Collatino ad Julium Cæsarem ordinavit, collectis marmoribus Capitolinis ex fori Romani reliquiis, atque paucarum Urbis ecclesiarum, quo temere translata fuerant fragmenta, quemadmodum Panvinius memorat, post annos mille quingentos quam fuerant in foro positi; quot præsidiis chronologiæ suffultos fuisse credimus auctores Catalogorum pontificalium sub Liberio et Damaso? præsertim cum illa ætate post Chronicon ab Eusebio digestum per consules ex Actis publicis, jussu Magni Constantini ab omnibus imperii provinciis subministratis, non tam recudendi essent Fasti consulares ac pontificii, quam conferendi cum tabulis Latinis notariorum, cœmeteriorum, indicum et diptychorum, quibus Catalogi admovebantur veluti ad Lydium lapidem. Anonymus collector Fastorum sub Constantio, quem Cuspinianus primum nactus, mox etiam Bucherius, æquior æstimator præclari illius monumenti, felicioricuræ cardinalis Norisii illustrandum reliquerunt, anonymus, inquam, ille satis ostendit, etiam citra opem Chronici Eusebiani, quot adjumentis suffulcirentur epochæ consulares in Occidente, quibus pontificiæ facile alligabantur. Minus itaque necessarium duco versari diutius in hujusce primi capitis firmamento, cum chronologiæ pontificiæ et consularis opes essent in numerato iis qui mediocrem curam adhiberent quarto Christi sæculo in observandis monumentis Romanis, nondum per Gothos et Vandalos deturbatis. Quinto vero sæculo Christi ineunte, licet colluvies barbarorum Urbi superfusa bonis artibus bellum indiceret, et complura ornamenta deleret, maximam tamen partem documentorum abolere nequaquam potuit, neque destitutos relinquere testimoniis temporum et gestorum chronologos et historicos. Ut enim ante Gothorum irruptionem Eusebii Fastos et Chronicon Hieronymus, Hieronymi Prosper perduxit ad consulatum Valentis sextum et Valentiniani secundum, Christi vero annum 378, ita non destitit quinto sæculo Victorius Aquitanus Canonem Paschalem, et Periodum annorum DXXXII ordinare per consules a duobus Geminis, Christi 28, ad Constantinum et Rufum, Christi 457; quem laborem anonymus sexti sæculi produxit ad finem Periodi Victorianæ post consulatum Basilii XVIII, Christi 559, et adhuc legitur apud Bucherium. Quin etiam Fasti marmorei in Coloniis reperti, quorum fragmenta edidit Gruterus fol. CCIC, et Fabrettus inscriptionum fol. 485, præter alia inedita quæ suo tempore daturi sumus, dum pariant consules ordinarios, Romæ procedentes cum magistratibus ejus coloniæ aut municipii, ostendunt nedum Romæ, sed etiam in provinciis spectari potuisse documenta operum publicorum in quibus consulum Romanorum series cognosceretur. Quod igitur attinet ad primum caput chronologiæ consularis æquandæ cum pontificia, satis constare arbitror de docu-

mentis quarto et sexto sæculo præservatis auctoribus Catalogorum sub Liberio et sub Felice quarto.

33. Me itaque conferam ad alterum caput rerum enuntiatarum in hisce Vitis pontificum, quod complectitur eorumdem decreta nonnulla, et numerum sacrarum ordinationum quas singuli peregerunt. Decreta ut plurimum referebantur ad disciplinam, ad liturgiæ ministeria, ad ritum sacramentorum. Nam dogmata fidei nostræ, si qua forte convellere hæretici conarentur, ab istorum audacia defendebant pontifices redditione Symboli apostolici, Majorum traditionibus et interdictione sacrorum. Hæc autem munimenta fidei, licet arcani disciplina plerumque contegeret, neque propterea forent in propatulo marmoribus incidenda per eam tempestatem, sed in archivis Ecclesiæ asservanda cum divinis litteris, et cum genuinis Patrum operibus, visuntur tamen indicata fidelibus in marmore Hippolyti episcopi et martyris, ubi catalogus ejus lucubrationum indicat jam tum collectas fuisse apostolicas traditiones, per ea verba: ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΗ ΠΑΡΑΔΟΣΙΣ, et Opuscula dogmatica ΠΕΡΙ ΘΥ ΚΑΙ ΣΑΡΚΟΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ, *de Deo, et carnis resurrectione*, ΠΕΡΙ Τ'ΑΓΑΘΟΥ ΚΑΙ ΠΟΘΕΝ ΤΟ ΚΑΚΟΝ, *de bono, et unde malum*. Necessitate autem poscente ut per concilia apud sedem apostolicam graviores causæ judicarentur, et sententiæ Patrum confirmarentur auctoritate pontificis Romani, hujus epistolæ et Acta concilii transmittebantur ad Ecclesias præcipuas, ut in causa Novati celebre exemplum legitur apud Eusebium Historiæ lib. VI, cap. 43: *Exstant adhuc*, inquit, *epiotolæ Cornelii Romanorum episcopi ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ præsulem missæ, in quibus et Romanæ synodi gesta, et omnium per Italiam, et Africam, aliorumque locorum illorum provincias sententiæ declarantur*. Epistolæ vero quas Petri successores dedissent ad Ecclesias, tanta religione suscipiebantur, tantoque in pretio habebantur, ut eadem Historia Eusebii nos doceat, illam, quam Clemens nomine Romanæ Ecclesiæ scripserat ad Corinthios, *in plerisque Ecclesiis sua, et superiori memoria palam recitari consuevisse* (Euseb., *Hist.* lib. III, cap. 16); et ita proximam fuisse habitam sententiis Epistolæ Pauli ad Hebræos, *ut cum reliquis Apostoli scriptis non sine causa eadem recenseri videatur (ibid.*, c. 38). Verum, uti observabam, in hisce Vitis pontificum decreta plerumque pertinent ad disciplinam, et potior pars refertur ad liturgiam. Hæc itaque pars historiæ pontificalis nitebatur testimonio quotidiani ministerii, apostolicæ sedis ritu frequentati, et subinde digesti in Codicem Gelasianum, sive Ordinem Romanum quem vocant: ita ut ære perennius monumentum ejusmodi rituum ac decretorum dedicatum sit in praxi quotidiana Ecclesiæ Romanæ.

44. Quin etiam in epistolis Romanæ Ecclesiæ pontificum, quas paulo ante memoravi transmissas et diligenter custoditas in archivis sedium præcipuarum, elucet praxis disciplinæ sacramentorum aliorumque rituum, quæ comprobat atque illustrat decreta a decessoribus edita.

In laudatis litteris Cornelii papæ ad Fabium Antiochenum, circa annum Christi 255, dum narratur a Novato presbytero subornatos fuisse et accitos episcopos tres, ut manuum impositione sibi traderent episcopatum, mirifice comprobatur ab apostolorum ætate hunc ritum esse repetendum, quem in Græca etiam Ecclesia observatum fuisse ante annos mille quingentos colligit Morinus (sacrarum Ordinationum par. II, pag. 21) ex ordine a Clemente Romano primum vulgato, mandante beato Petro, mox a posterioribus ætatibus aucto. Unde fit Vitarum istarum auctorem neque inutiliter neque citra auctoritatem asseruisse in Vita Clementis: *Ideo Linus et Cletus ante eum conscribuntur, eo quod ab ipso principe apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sunt episcopi ordinati*. Princeps enim apostolorum, cum normam institueret hac in Ecclesia reliquarum ordinandarum ac regendarum, non omisit designare duos episcopos lateri suo adhæsuros, cum quibus manus imponeret episcopis per diversa loca in Urbe ordinandis, nempe ad exhibendum id ministerium sacerdotii majoris, quod tres episcopos requirebat. Hinc inter canones quos vocant *Apostolorum*, omnium habetur primus, qui statuit, ministerio trium episcoporum episcopum ordinari.

In eadem epistola Cornelii merito culpatur Novatus, quod posteaquam morbo convaluit, in quo baptismum susceperat, *reliqua non pepercerit, quæ juxta ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab episcopo sit consignatus*. Quis non videat hinc luculenter probari ecclesiasticas regulas constitutas ante Cornelium circa ritus baptismi observandos etiam ab iis qui necessitate urgente compendiarium beneficium sacramenti obtinuissent juxta definitionem decreti Victoris papæ, ante annos sexaginta conditi et in ejusdem Vita ita expressi? *Constituit ut, necessitate faciente, ibi, ubi inventus fuisset, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, tantum Christiana confessione credulitatis clarificata, quicunque hominum ex gentilitate veniens ut baptizaretur*. Quis non intelligat hinc percipi disciplinam apostolicam chrismatis, ab episcopo, non vero a simplici presbytero ministrandi, quam a Novato posthabitam hic merito culpat Cornelius? Rursus in episcopis subdole accitis per Novati fautores ad ejusdem consecrationem censuram exercet Cornelius, objurgans eos fuisse clanculum congregatos. Hoc nempe adversabatur decretis Sixti ac Zephyrini, recensitis hoc in Libro Pontificali *de formatis a patriarcha impetrandis, ut episcopus, relicta sede sua, Romam veniens redeundi potestatem haberet. Imo et* συγκλεισθέντας, *conclusos*, ὡρᾷ δεκάτῃ, *hora decima*, μεθύοντας καὶ κραιπαλόντας, *temulentos, et crapula oppressos*, irritam et umbratilem consecrationem declarat ei contulisse: quibus vitiis ordinationis non obscure indicantur oppositi canones decessorum Romanæ sedis antistitum; nempe Telesphori, missæ celebrationem aptantis ex hora tertia, qua Dominus noster ascendit in crucem, ad horam nonam, qua in cruce exspiravit (ut infra in ejus

Vita diserte legitur,) excepta nocte Nativitatis Dominicæ; et Zephyrini, jubentis *ut in præsentia omnium clericorum et laicorum fidelium, sive levita, sive sacerdos ordinaretur* (Euseb., pag. 245, *Hist.* lib. VI); quod etiam elucet alio in epistolæ loco, ubi dicitur Novatus presbyterii honore insignitus ab episcopo, indulgentius cum illo agente, *etiamsi clerus universus, multique ex populo refragarentur, eo quod non liceret quempiam ex iis qui, urgente vi morbi, in lectulo perinde ac ille perfusi fuissent, in clerum assumi.* Confirmat hæc Tertullianus in libro de Jejunio adversus Psychicos, ubi, licet suggillet praxim Ecclesiæ Romanæ, attamen eamdem illustrat, ostendens, jejunium perductum *ad horam nonam* qua Dominus exspiravit, refectionis modum tunc permisisse. Quare jure culpat Cornelius papa eos episcopos non jejunos, *sed crapula vinoque distentos hora decima* manus impositionem exercuisse. Demum in Elencho delictorum Novati, dum illud gravissimum recitatur de sacrilego juramento, ab iis exacto quibus Dominicum corpus impertiretur, resultat contraria disciplina, Zephyrini decretis proscripta hoc in Libro Pontificali. *Fecit* (inquit auctor in Vita Zephyrini) *constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesiam ministri portarent, donec episcopus missas celebraret, ante se sacerdotibus astantibus, et sic missæ celebrarentur: excepto quod jus episcopi interesset, ut tantum clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu episcopi jam coronam consecratam, et acciperet presbyter tradendam populo.* Hæc disciplina fuerit a Zephyrino constituta. Quid contra eam molitus sit Novatus ex Cornelii papæ epistola cognoscimus. *Oblatione*, inquit, *facta, portionem singulis dividens, dum eam tradit, miseros homines benedictionis loco jurare cogit, manus ejus, qui portionem accipit ambabus suis manibus comprehensas retinens, nec prius dimittens quam jurati ista dixerint: ipsis enim utar illius verbis: Jura mihi per corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam meas partes deserturum, nec ad Cornelium esse redditurum. Ita miser ille non prius gustare sinitur, quam sibi ipse malum imprecatus sit. Et cum panem illum accipiens dicere debuisset Amen, ejus loco dicit: Non revertar deinceps ad Cornelium.*

35. Mirum dictu est quot firmamenta historiæ pontificalis hujusce Libri contineantur in brevi fragmento unius ex epistolis S. Cornelii papæ, nobis præservato per Eusebium. Quot igitur adjumenta supererant notariis Ecclesiæ Romanæ æqualibus Eusebio, dum colligerent Acta Vitasque pontificum ex tabulariis Ecclesiæ singulorum rescripta servantibus? Liceat unum adhuc observatum repetere ex eodem fragmento epistolæ Cornelianæ, quod mirifice illustrabit documenta decretorum simul et ordinationum in eisdem Vitis ita diligenter memoratarum:

De Novati stupiditate ita scribit Cornelius papa: *Ergo ille Evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica. In qua tamen sciebat (quomodo enim illud nescire potuisset?) presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta; septem autem diaconos totidemquo subdiaconos: acolythos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos*: In Vita Hygini ita reperiemus perscriptum: *Hic clerum composuit et distribuit in gradus.* Septem diaconorum numerum assignasse traditur Evaristus. Subdiaconos totidem hic legimus institutos a proximo Cornelii decessore Fabiano. Ordinationem clericorum præsente clero et populo celebrandam didicimus in Zephyrino. Quare merito Cornelius miratur, a Novato presbytero Ecclesiæ Romanæ, ejusque episcopatum ambiente, non teneri numerum ordinatorum. Imo interrogat qui fieri potuerit ut rem adeo notam solus ignoraret. Certe cum ordinum exercendorum tempora essent per regulas definita, cum formatæ abeuntibus ab episcopo dandæ forent, oportuit indiculos et diptycha omnium clericorum eorumque ordinationis epocham ab administris pontificum et notariis Romanæ Ecclesiæ diligenter conscribi et asservari. Quare scripturis Vitas pontificum deesse minime poterant hæc publica documenta ex archivis Ecclesiæ ad usus frequentes identidem producenda.

Ordinationibus clericorum affinis est memoria consecrationum tituli, fontis, altaris, et oblatio donorum, quæ hac occasione episcopus erogabat. Delibandum leviter est et indicandum quanta documentorum copia parata esset operi Anastasiano, illis præsertim ætatibus quibus Catalogi et Vitæ conscribebantur. Fidenter dicam non modo in membranis et phyliris archivi, sed etiam in marmoribus, metallis et ornamentis Ecclesiæ quamplura superfuisse.

Consecrationem tituli quarto sæculo incisam tabulæ marmoreæ per sanctum Damasum videmus adhuc superstitem inter præclaras illas inscriptiones a Fulvio Ursino olim collectas, post ejus vero obitum ab interitu vindicatas liberalitate Alexandri cardinalis Farnesii: quas iste in palatio serenissimæ domus suæ ad Campum Floræ tutissimo loco repositas, et ferreis verubus septas posterorum curæ disponendas reliquit. Illas, dum hæc scribo, serenissimus Parmæ et Placentiæ dux Franciscus, vindex avitæ gloriæ bonoque Reipublicæ et litterarum incremento natus, pro singulari studio quo eruditam antiquitatem prosequitur, fovet ac protegit, in ejusdem palatio loco illustriori affigi omniumque oculis proponi mandavit. Tabella quam memoro brevissima est, ut titulo plane respondeat, ex marmorea crusta semipalmari et hisce litteris insculpta

T. I. X. N. EGO DAMASI
VS. VRB ROME EPS AN
C DOMV. COSECRAVI
. . N. R. Q. S. M. S. PA. S.PE

quarum sententia talis videtur: *Titulis in Christi nomine. Ego Damasius* (ita enim promiscue scriptum

Damasium et Damasum reperio in antiquis monimentis) *urbis Romæ episcopus hanc domum consecravi.* Siglarum sequentium sensum non assequor, nisi forte postremarum S. PA S. PE. quas *S. Paulus S. Petrus,* veluti signaculum hujus Ecclesiæ Romanæ proprium, et a successoribus custoditum in publicis documentis decretorum et litterarum, exponendas esse libenter credam. In aversa parte ejusdem tabellæ leguntur nomina sanctorum quorum reliquiæ sub eo signaculo tituli ac dedicationis concludebantur, ritu ad nostra etiam tempora derivato:

hic re QVIESCIT CAPVT
SCI CRESCENTINI. M
ET RELIQVIE. S. SVP ANT
I

Una cum titulo ita insculpto visitur facies anterior sarcophagi Christiani, in quo insculptum est monogramma nominis Christi Domini intra coronam cum lemniscis, more familiari ætatis beati Damasi. Non est dissimilis figura aut magnitudine alteri tabulæ, quam card. Franciscus Barberinus S. R. E. vice-cancellarius in ara maxima tituli sui S. Laurentii in Damaso ex marmore nobiliore substituit, veterem, ut arbitror, altaris frontem imitatus : quæ in ædes Farnesianas translata fortasse fuit, quando cardinalis Farnesius titulum eumdem et aram maximam variis ornamentis decoravit, ut gentilitia ejusdem insignia testantur in laqueari et parietibus auro et coloribus expressa per Thaddæum Zuccherum, a quo etiam gesta Vitæ et martyrii beati Laurentii eleganter pingi curavit. Ecclesiæ Romanæ Libri Rituales et Pontificales ex antiqua consuetudine præcipiunt in ecclesiæ et altaris dedicatione, ut epocha consecrationis scripto consignata reponatur cum reliquiis sanctorum ad perennem rei memoriam ab episcopo consecrante sub mensa altaris. Observant quoque pii et eruditi collectores Rituum sacrorum, et præcipue adm. R. Edmundus Martene tomo tertio celeberrimi Oper de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, lib. II, cap. 12, tum Oriente, tum in Occidente, ex ætate Constanti Magni ad consequentes in more positum, ut dedic tiones ecclesiarum et altarium plerumque fiere in conventu episcoporum, qui ea de causa invita consueverant. Supersunt etiamnum in Actis conci Tyriensis apud Eusebium lib. IV de Vita Constantir cap. 43, Constantinopolitani, lib. II, cap. 39, apu Socratem; Arausicani anno 441, cap. 10; Arel tensis II, c. 37, et in epistolis B. Ambrosii, epist. 2 ad Marcellinum, aliisque compluribus, documen diei ad dedicandum delectæ : ita ut Actis non s lum publicis, sed etiam synodalibus insertæ dedic tionum epochæ teneantur. Quin etiam colligunt epistola 9 Gelasii primi, cap. 4 et 25, et S. Gregor Magni lib. V, ep. 45, adeo celebre habitum fuis ministerium ecclesiæ dedicandæ, ut in Italia id n præsumerent exercere episcopi diœcesani quarto quinto sæculo, *nisi impetrata prius a summo pontifi potestate.* Cæterum etiam in provinciis receptu fuisse morem signandi epocham primarii lapidis fundamento ecclesiarum jaciendo docet nos marm Massiliense editum a V. C. Stephano Baluzio Scriptoribus Ecclesiasticis in Comm. ad Lactantiun et ab illustribus Massiliæ historicis Ruffis lib. p. 46, in quo legitur jactum fuisse primarium lap dem illius ecclesiæ a fundamentis restitutæ consulat sexto Valentiniani Augusti, scilicet anno Christi 44 XIII Kal. Decembris anno XVIII episcopatus Rustici ubi etiam consignantur nomina episcoporum, subs dia corrogantium ad constructionem sacri ædifici numerata summa solidorum quam quisque contu lerat. Compendiariis autem litteris ita concepta es non secus ac Damasi inscriptio paulo ante recitat

✠ *DO. ET XPO MISERANTE. LIM. HOC. C. L. K. T. E. ANNO IIII. C. S. VALENTINIANO. AVG. VI. III. KL. D. XVIIII. ANNO EPTVS RVSTI.* . . . . . .

Deo, et Christo miserante limen hoc conlokatum est anno quarto Consule Valentiniano Augusto VI. tert Kalendas Decembris xviiii. anno Episcopatus Rustici.

In veteri musivo ecclesiæ S. Sabinæ in monte Aventino ejusdem tituli clerici ita expresserunt epocham pontificatus sancti Cœlestini, quo Ecclesiam regente ædes illa sacra magnificentius fundabatur.

✠ Culmen apostolicum cum Caelestinus haberet
Primus et in toto fulgerent episcopus orbe
Haec quae miraris fundavit presbyter urbis
Illyrica de gente Petrus, etc.

Facile igitur intelligimus quæ monumenta dedicationum sacrarum ædium tum temporis superessent, in tot marmoribus et musivis, in epistolis dedicantium et concedentium, in Actis synodalibus, in diptychis et Kalendariis ecclesiarum, quotannis recolentium diem dedicationis.

36. Sacros fontes Damasi, Hilari, Bonifacii, Cœlestini et Joannis summorum pontificum cura constructos memorabant vetusta epigrammata Gr teriano in opere impressa p. 1163, num. 11; et 116 num. 2 et 4. Elegantes versus a Sixto III incisi baptisterio Lateranensi octastylo, relati a Panvin in libro de septem Urbis Ecclesiis, et a card. R spono de Basilica Lateranensi lib. III, cap. 1, supe stites adhuc leguntur in epistyliis Consiantinian quemadmodum Ambrosii versus legebantur in fon ecclesiæ B. Theclæ ejusdem figuræ octogonæ (cuj mysterium ibi declarat sanctus episcopus) editi p Gruterum ex veteri ms. pag. 1168, num. 8, cum r liquis epigrammatibus beati doctoris, indicantib dedicationes ab ipso peractas, et mysteria rituu qui in illis adhibentur. Sub Siricio papa æqua sancto Ambrosio incisam videmus epocham restitu presbyterii in platonia S. Pudentianæ, seu titu Pastoris:

SALVO SIRICIO EPISCOPO FELICIQVE LEOPARDO ECCLESIAE SANCTAE:

cætera desiderantur. Hilarus Archidiaconus, deinde Pontifex Romanus Ecclesiæ, oratorium sancti Laurentii a se refectum cælavit: quod repertum inter parietinas ejusdem Ædis apud S. Eusebium servat collectio marmorum vetustorum Musei Albani.

✠ AVXILIANTE DNO DO N XPO ORANTE BEATO LAVRENTIO MARTYRE HILARVS ARCHIDIAC FECIT.

His autem in celebritatibus consecrationem cum dona plurima offerrentur ac dicarentur, largitione principum sive præsulum, tum mobilia, tum immobilia, quæ passim memorat Liber Pontificalis, eorumdem donorum documenta, quæ tertium caput constituunt nostræ divisionis, proferemus aptius, si prius absolvere nobis liceat ea quæ de pontificum decretis supersunt breviter indicanda hoc in capite, complexo decreta pontificum, dedicationem sacrarum ædium et ordinationes sacerdotum ac ministrorum.

37. Decreta pontificum et conciliorum habenda sunt, quæ de natalitiis martyrum et ecclesiarum, etiam constante persecutione conscripta legimus apud Cyprianum lib. III, epist. 6: *Dies eorum, quibus excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrium celebrare possimus.* Respondent enim legibus sancitis per Clementem et Anterum de Actis martyrum scribendis et in ecclesia reponendis, necnon iis quas eodem sæculo Cypriani Felix papa tulit, in ejus Vita sic indicatas: *Constituit supra sepulcra martyrum missas celebrari.* Comprobantur per sæcula subsecuta diptychis, martyrologiis, et ea consuetudine confirmatrice, quam Tertullianus in libro de Corona Militis hæc eamdem recensens commendat. Demum ætate S. Gregorii tertii, quando Vitæ pontificum colligebantur, et in hunc Librum compingebantur, Acta concilii Romani et decreta ejusdem pontificis, quæ auctor vitæ commemorat circa finem, ita incisa fuerunt marmoreæ tabulæ in basilica Vaticana expositæ, uti leguntur adhuc præservata post sæcula decem, et in hypogæo ejusdem basilicæ custodita diligenter cum cæteris vetustis memoriis antiquæ basilicæ repertis sub Paulo quinto.

PETRO. THEOPHANO. SERGIO. IORDANE. SEV. IOHANNE
ADSTANTIBVS. QVOQVE. DIACONIBVS. MOSCHO. ARCHIDIACONO
ZACCHARIA. IOANNE. ET. THEOPHYLACTO. ATQVE. GEMMVLO
VEL. CVNCTO. CLERO. ANTEFATVS. DOMINVS. GREGORIVS. APOSTO
LICVS. PAPA. DIXIT. REDVCO. AD. ANIMVM. SCNSSIMI, FRATRES
MEI, etc.

Reliqua legi possunt apud Torrigium de Cryptis Vaticanis, pag. 70, et apud Ciampinum, de sacris ædificiis a Magno Constantino constructis, cap. 4, sect. 15, pag. 101.

38. Cognoscimus itaque Romanam Ecclesiam non omisisse Acta suorum pontificum, et conciliorum marmoreis tabulis consignare, et in celeberrimo Christiani conventus loco, ad limina scilicet Apostolorum affigere futura posteris documenta nostrarum legum, et tropæa victoriæ contra devictas in urbe aliarum domina ethnicorum superstitiones; ut ubi fratrum Arvalium et Quindecemvirum decreta ritusque legebantur de profanis sacrificiis pro salute Cæsarum quotannis renovandis, quæ paulo ante produximus numeris 21 et 22, ibi conspicerentur responsa nostrorum præsulum, et Acta conciliorum decernentium ut in memoriam martyrum Christi et confessorum divina res fieret, et hymnodia sacra concineretur. Producendum est documentum pontificiæ legis ejusdem Gregorii tertii de quotidianis sacris et oblatis inferendis supra Confessionem beati Pauli, in ejusdem basilica adhuc spectabile vetusto in marmore in hanc sententiam inciso, atque vulgato cum reliquis inscriptionibus antiquis ejusdam Basilicæ typis Monetæ 1654, Romæ. Exstat etiam apud Baronium in fine tomi X, pag 963; sed cum editio Baronii errata sculptoris expunxerit, et castigatam lectionem reduxerit ad leges Latini sermonis, placet cum Moneta hic dare cum menditis in marmore satis frequentibus ad fidem prototypi. Indicant enim barbariem ætatis, accuratiori sculptore carentis: qui fortasse ut contraheret Gregorii III diploma in breviorem modum, ausus est suo marte, vel imperito aliquo dictante, ita insculpere ac deformare sancti pontificis constitutionem, quam non dubito in autographo fuisse apte conscriptam; tum quia Græce ac Latine doctus describitur Gregorius III in ejus Vita, tum quia stylo satis culto nedum emendato dictasse cognoscitur ex ejus epistolis, quæ supersunt, apud Binium et Labbeum editæ cum conciliis.

✠ IN. N. DNI. DI. SALVATORIS. N
IHY. XPI. BREVE. FACTA. A ME
GREGORIO. TERTIO. PAPÆ.
DE. OBLATIONES. QVE. OFFER
RE. DEBENTVR. PER. SINGVLOS
DIES. IN ECCLESIA. BEATI
PAVLI. APOSTOLI. STATVI
ENIM. OFFERRI. IDEST. IN
PRIMA. MISSA. AD. COR
PVS. OBLATAM. VNAM. IN SEC
VNDA. MISSA. ADs SCM. TIMOTHEVM
OBLATAM. VNAM. IN. TERTIA. MI
SSA. AD. IMAGINEM. SALVATORIS
QVI. ET. APOSTOLORVM. OBLATA
VNAM. IN. QVARTA. MISSA. AD
SCVM. GREGORIVM. AD. IANV S
OBLATAM. VNAM. DEINDE. IN
MISSA. QVINTA. AD. ALTARE
MAIORE. OBLATAS. DVAS. QVOD
SIMVL. FIVNT. COTIDIANIS. DI
EBVS. OBLATAS. SEX. QVAE
AB. ECCLESIA. OFFERANTVR IN
BASILICA. TVA. DOMINE. MEVS
BEATE. PAVLE. APOSTOLE. QVEM
BREVIS. TITVLVM. AVCTORITA
TE. APOSTOLICA. OMNI. TEMPO
RE. CONFIRMAMVS, etc.

Constant itaque monumenta non pauca marmorum vetustorum in Ecclesia Romana ab ætate Hippolyti martyris ad Gregorium tertium, sub quo Vitæ hujus collectionis ante Anastasium conscribebantur: quæ nobis exhibent documenta genuina et publica plurium gestorum in conciliis apud sedem apostolicam celebratis, ac decreta summorum pontificum legesque latas: et enumerant hujus Ecclesiæ presbyteros et diaconos, qui synodis interfuerunt: ut plane constare possit pleraque facta enuntiata in hoc Libro Pontificali potuisse jam tum falsitatis redargui publico testimonio, si contra fidem eorumdem monumentorum conscripta forent.

39. Liceat hic obiter indicare quantum auctoramenti concilient historiæ Libri Pontificalis hæc monumenta, quæ styli barbariem præseferunt propriam illius ætatis, qua sub Gregoriis II et III Vitæ pontificum colligebantur ex catalogis et tabulariis temporum superiorum. Una inscriptio, quam modo retulimus, ita negligenter curata ab illo qui præerat incisioni, sive notarius fuerit, sive præpositus fabricæ, sive alius administer basilicæ, dum per singulos ferme versus in regulas grammatices frequenter et graviter peccat, vivum colorem exprimit infelicis illius ætatis: quam Langobardi duobus ferme sæculis dominationis in Italia expletis ita hospitem effecerant Latinæ locutionis, ut Actorum publicorum exceptores, ut regum ipsorum notarii ac diplomatum magistri nihilo correctius dictarent. Exemplum dabo ex tabulario monasterii olim Salvatoris titulo, nunc S. Juliæ nuncupati, Brixiæ fundato per Ansam reginam, regis Desiderii conjugem, et Adelchis sive Adelgisi matrem.

40. Ex autographis exscripsi exordia et subsignationem duorum diplomatum, quæ ita perscribuntur. Primum spectat ad annum æræ Christi 771.

. . . . *rius* (Fl. Desiderius) *vir excell. rex. Monasterio Dni et Redemptoris nostri sito intra civitate nostra brixiana, quam nos Xpo juvante una cum reverentissima conjuge nostra ansa regina ad fundamentis construximus et sacrate domna anselperge abbatisse dilectæ filiæ nostræ detulisti excellentie regni nostro eo quod excellentissimus adelchis rex filius noster germanus tuus atque gloriosa conjux nostra ansa regina genitrix tua contulisset per preceptas dominationis singulis rebus in ipso sancto monasterio in finibus nostris austrie vel neustrie Spoleti et tuscie curtes cum massaritias etc. Scripsi ego petro notario acto brexia die mensis julii anno filicissimi regn. . . . per indict. viiii fel.*

Sequitur alterum diploma pertinens ad annum 772.

Flavius adelchis vir excell. rex Monasterio Dni Salvatoris sito in civitate brixiana quod domna precellentissima ansa regina genitrix nostra et dicate dó anselperga abbatisse dilecte germane nostre etc. ex dicto domni regis pro advaldo notariu ex ipsius dictato scripsi ego ermoalde notario fel. acto civitate in brexia undecima die mensis novembri anno felicissimi regni nostri in nomine quartodecimo p indic. xima.

41. In Gallis eodem sæculo et superiori regum diplomata complura nihilo felicius dictata leges apud R. P. Mabillonium de Re diplomatica lib. VI, donec litteræ sub Pippino et Carolo Magno reviviscerent, quæ irruptione Saracenorum etiam ibi deformatæ ac ferme deletæ fuerant, ut infra leges in Vita S. Gregorii, num. 182, et quemadmodum in Historia Massiliensi deplorat Ruffus lib. XI, cap. 1, proferens epitaphium Eusebiæ sanctimonialis S. Cyriaci, pag. 128, quam virginem pag. 58 ex antiquis documentis probat cum aliis undecim sacris virginibus quibus præerat se deformasse narium abscissione, ne a barbaris violaretur, qui circa annos 725 et 730, nempe ætate S. Gregorii II et III, Provinciam vastabant. Epitaphium nihilo melioribus grammaticæ legibus ita legitur incisum.

P. HIC REQVIESCIT IN PASSE EVSEBIA RELIGIOSA
MAGNA ANCELLA DNI
QVI IN SÆCULO AB HENEVNTE ETATE SVA VIXIT
SECOLARES ANNUS XIII. ET VBI A DNO
ELECTA EST IN MONASTERIO SANCTORVM CYRICI
SERVIVET ANNVS QVINQVAGENTA RECESSET SVB
DIE PRIDIE KALD. OCTOBRIS INDICTIONE SEXTA

Aliam quoque profert pag. 55 ejusdem styli.

Quin etiam in regia ipsa Francorum diplomata regis Chlotarii secundi autographa, cortici seu papyro consignata, leguntur edita ab adm. rev. Patre Felibien in Historia abbatiæ S. Dionysii, ita dictata circa annum Christi 620.

. . . . *viris inlustribus Chrodegario . . . iente per baselecabus de suis propriis facoltatebus per testamenti paginam voluerit legaliter delegari per nostris authoretatebus testamentum . . noster Dodo Abba de Baselecas Domni Dioninsii Martheris peculiares patroni nostri etc. Chlotacarius im Christi nomine ex hanc præceptionem subscripsi.*

Si quis vero cupiat barbariem earumdem ætatum contemplari etiam in brevibus inscriptionibus, tum temporis positis intra fines Italiæ, proferam ex Panvinio Antiquit. Veronensium lib. V, cap. 11, et ex com. Moscardo Historiæ Veronensis lib. VI, pag. 70, epigraphen, incisam columellæ, olim sub ara maxima, nunc in ara laterali ecclesiæ S. Georgii in Valle Pollicella ad sustinendam altaris mensam cum tribus similibus collocatæ. Epocham incisionis et structuræ nobis exhibet sub rege Luitprando, hoc est paulo ante annum Christi 743.

Non gravabor hanc inscriptionem, licet a Panvinio et a Moscardo editam, iterum typis dare, cum videri possit illorum neutri spectata, sed aliorum opera minus diligenti transcripta. Mihi vero cum contigerit com. Ottolinum Ottolini optime de studiis nostris meritum rogare, ut charta humectata marmori applicaretur, et characterum ductus singuli fidelissime exprimerentur; is pro singulari qua præstat eruditione, et cura quam adhibet in excolendis in patria nos gravioribus disciplinis, historiæque firmamentis illustrandis, in se recepit ut editam ab utroque historico epigraphen ex autographo ita exceptam ad me transmitteret, et columellæ alterius inscriptionem pariter daret, Panvinio, et Moscardo non observatam. In utraque attendere præstat litteras complures ad Græci alphabeti formam incisas, præcipue

D. et L. Prior itaque inscriptio a laudatis scriptoribus vulgata talis est :

† IN N ΔNI IHV XPI ΔE ΔONIS
SCI IVHANNIS
BAPTESTE EΔI
FICATVS EST HANC
CIVORIVS SVB TEMPORE
ΔOMINO NOSTRO
ΔIOPRANDO REGE
ET VB PATERNO
ΔOMNICO EPESCOPO
ET COSTODES EIVS
VV VIΔAΔIANO ET
TANCOR PRBRIS
ET REFOΛ GASTAΔΔIO
GONΔEΔME INDIGNVS
ΔIACONNVS SCRIPSI

In nomine Dni Iesu Xvi de donis
Sancti Iohannis
Baptistæ ædificatum est hoc
ciborium sub (tempore)
Domino nostro
Luitprando Rege
Et Venerabili Paterno
Domnico Episcopo
et custodibus ejus
Venerabilibus Viris Vitaliano et
Tancor Presbyteris
et Refol Gastaldio.
Gondelme indignus
Diaconus scripsi.

In alia columna ex quatuor memorati altaris mensam sustinentibus leguntur nomina Ursi magistri, ejusque discipulorum, per quos structura ciborii peragebatur. Properantis preli necessitas prohibet ne singularum litterarum barbaram formam fusis ad earumdem exemplar characteribus imitemur.

VRSVS MAGESTER
CVM ΔISCEPOΔIS
SVIS IVVENTINO
ET IVVIANO EΔI
FICAVET HANC
CIVORIVM
VIRGONΔVS
TEGOΔΔA
FOSCAR

Vrsus magister
cum discipulis
suis Iuventino
et Ioviano ædificavit hoc
ciborium
Verecundus
Tegodal (vel Theobald)
Foscar, etc.

Possem et ex Insubribus Langobardorum diplomatibus eumdem stylum ostendere : quorum specimen sit donatio Theoperti, per quam is basilicæ S. Ambrosii omnia bona sua mobilia et immobilia largitur anno trigesimo Luitprandi regis, Ildeprandi autem ab ipso assumpti in consortium regni anno septimo, sub die octavo Idus Maias, indictione XIII (Christi 740), rogante Protasio notario. Ejus autographum in eadem basilica asservatum indicat Joan. Petrus Paricellus in Monumentis Ambrosianæ basilicæ Mediolanensis, pag. 10.

42. In alia Italiæ parte, longe ab Insubribus dissita, quam principes Langobardi possederunt, Capuana scilicet in ditione, plane similem scribendi barbariem notarii reliquerunt usque ad sæculum Christi undecimum, uti ostendit præceptum Pandulphi IV, principis Capuæ, apud Camillum Peregrinum in Hist. principum Langob., pag. 229, anno 1034. Neque ab istorum exemplis desciverunt cæteræ Italiæ regiones quæ Langobardis paruerant, quod in Spoletani ducatus Historia per comitem Campellum ex genuinis monumentis contexta demonstrant acta publica producta libro XV, sub duce Hildebrando, pag. 494, circa annum 779, sub Widone duce, pag. 496, anno 849, aliisque similibus apud eumdem requirendis.

Nemo itaque jure dubitaverit quin ætate Gregorii conscribentibus Vitas pontificum præsto forent documenta rerum enuntiatarum non modo in archivis et tabulariis, sed etiam in marmoribus ecclesiarum, cum legantur etiam nostro sæculo superstites inscriptiones quæ comprobant tum gesta, tum decreta, tum etiam stylum ætatis proprium qua decreta conscribebantur.

Pertinet ad hunc locum, scilicet ad monumenta oblationum, electionum, ordinationum et chronologiæ pontificiæ, e Romanis lapidibus diligenti cura ac fide translatæ in Catalogos Vitasque summorum Ecclesiæ antistitum, tabella illa marmorea, memorans donum a Severo presbytero Romanæ Ecclesiæ tituli S. Petri ad Vincula oblatum sub patrocinio ejusdem principis apostolorum, post electionem Joannis ejus nominis papæ secundi : quam Em. card. Baronius tanquam illustre documentum ecclesiasticæ historiæ inserendam curavit Annalium tomo VIII, ad annum Christi 531. Visitur marmor in eodem titulo Eudoxiæ, sive S. Petri ad Vincula, ætate nostra custoditum et affixum parieti navis lateralis a parte læva adorantibus ante altare sanctissimi Sacramenti ita incisum.

SALBO PAPA N IOHANNE COGNOME
TO MERCURIO EX SCE ECCL ROM. PRESBYTE
RIS ORDINATO EX TIT SCI CLEMENTIS AD GLO
RIAM PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP PATRONO SVO A VINCULIS EIVS SEVERUS PB OFFERT
ET IT. PC LAMPADI BT ORESTIS VV CC etc.

Uno ex lapide addiscimus electionem et ordinationem pontificis, oblationem Severi presbyteri, et chronologiam pontificiam videmus notis consularibus illustratam auctoritate marmorum æqualium usque ad postremos consules Occidentis. Juvat enim animadvertere, post exactum biennium a morte hujus Joannis papæ II anno Christi 534, signari Fastos Justiniano Augusto IV et Decio Theodoro Paulino, quem Chronologi observant fuisse POSTREMUM CONSULUM OCCIDENTALIUM. Auctoritas itaque Libri Pontificalis æque ac laudati Catalogi sub Justiniano subnixa est solido testimonio lapidum publice positorum. Sed hæc diligentius expendentur suo loco in notis ad Vitam Joannis secundi.

43. Accedo jam ad postremum caput documentorum, pertinens ad donationem fundorum et ad ornamenta ecclesiis collata, et in Libro Pontificali

recensita. Cordatus quisque facile intelliget non fuisse curata negligenter in archivis basilicarum ac titulorum Urbis documenta publica principum ac privatorum, quibus prædia sive urbana sive rustica donabantur, cum in æstu quoque persecutionis mobilia ecclesiæ bona archidiaconis contraderentur, quemadmodum S. Lucius papa ea commendavit Stephano, Stephanus Xysto, Xystus Laurentio, quæ erant eroganda in eleemosynas pauperum et in usus sacrorum. Bona etiam immobilia ad Ecclesiam jam tum pertinuisse, quorum annuo reditu pauperes aut ministri alerentur, recte colligunt eruditi ex lege Constantini apud Eusebium in ejus Vita lib. II, cap. 39, qua jubet ecclesiis restitui bona quæ fiscus abstulerat in persecutione. *Omnia ergo* (ait Constantinus) *quæ ad Ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive domus, ac possessio sit, sive agri, sive horti, seu quæcunque alia nullo jure, quod ad dominium pertinet, immunito, se alvis omnibus atque integris manentibus, restitui jubemus.* Videndus ea de re Thomasinus de Benef. part. III, lib. I, cap. 3, ubi ex Actis B. Abercii apud Baronium ad annum 163, probat etiam ab ethnicis imperatoribus donatas fuisse aliquot ecclesias Christianas annuis reditibus; cum M. Aurelius legatur ter millibus frumenti modiis donasse Ecclesiam Hierapolitanam, cujus episcopus filiam ejus a dæmone exagitatam sanaverat; neque illud donum, nisi a Juliano Apostata fuisse retractatum. Necesse igitur erat indiculos prædiorum conscribi per notarios Ecclesiæ ac defensores, præsertim cum idem Augustus Constantinus sanxisset ut martyrum et confessorum bona per fiscum erepta hæredibus restituerentur; vel si hæredes deficerent, loci ecclesiæ addicerentur: ita Eusebio testante cap. 36 et 37 ejusdem libri. Quare in Vita Sylvestri hic Liber Pontificalis num. 43 refert Constantinum ecclesiæ S. Laurentii in agro Verano a se constructæ donaria publica contulisse, et inter bona immobilia eidem addixisse *possessionem cujusdam Cyriacetis religiosæ feminæ, quam fiscus occupaverat tempore persecutionis.*

Vix erat Ecclesiæ pax reddita, et fundatæ ac dotatæ basilicæ visebantur per Constantinum sub Sylvestro et Marco, cum proximus Marci successor Julius papa constituit ut notitia rerum et Actorum ad Ecclesiam pertinentium per notarios colligeretur et cum auctoritate primicerii notariorum et sanctæ sedis scrinarii celebrarentur. « Hic constitutum fecit (ait Liber Pontificalis in Julio, num. 50), ut nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in ecclesia, et notitia, quæ omnibus pro fide ecclesiastica est per notarios colligeretur, et omnia monumenta in Ecclesiam per primicerium notariorum confecta celebrarentur; sive causationem, vel instrumenta, vel donationes, vel commutationes, vel traditiones, aut testamenta, vel allegationes, aut manumissiones clerici in Ecclesia per scrinarium sanctæ sedis celebrarent. »

Inde autem profectæ leges canonum, auctoritate apostolica latæ sub Sylvestro in concilio Gangrensi II, cap. 7 et 8, ut Symmachus papa testatur in concilio Romano, quod Osius Sylvestri legatus concilio interfuisset anno 424, num. 44, observante Baronio nec non Binio ad idem concilium lit. *h*, aliæque sub Julio papa anno ejus quinto, Christi 341, in concilio Antiocheno primo can. 24, ubi ex episcopis qui convenerant licet complures ab Arianis partibus subdole starent in causa Athanasii, attamen de rebus Ecclesiæ ita statuendum sanxerunt cum catholicis, imitatis Julium pontificem in suis legibus: « Recte habet, ut ea, quæ sunt ecclesiæ, ecclesiæ serventur cum omni bona conscientia et fide in omnium præsidem et judicem Deum: quæ etiam administrari convenit cum judicio et potestate episcopi, cui est omnis populus creditus, et eorum animæ quæ in ecclesiam conveniunt. Sint autem manifesta quæ ad ecclesiam pertinent cum cognitione presbyterorum et diaconorum qui sunt circa eum, ut sciant et non ignorent, » etc. Sed apostolicas Julii leges multo præstantius illustravit concilium Chalcedonense anno 451, sub Leone Magno, act. XV, can. 26: « Placuit omnem ecclesiam habentem episcopum habere œconomum de clero proprio, qui dispenset res ecclesiasticas secundum sententiam episcopi proprii; ita ut ecclesiæ dispensatio præter testimonium non sit, et ex hoc dispergantur ecclesiæ facultates et sacerdotio maledictionis contumelia procuretur. »

Hanc autem disciplinam etiam ante canonem concilii Chalcedonensis pertinuisse ad universam Ecclesiam post Julii constitutionem declarat epistola Cyrilli Alexandrini, conquerentis quod non ea tantum exigerentur ab episcopis quæ providentia laudatæ legis firmata erant ad præservandam indemnitatem rerum Deo dicatarum, sed etiam supra legis terminos, et contra episcoporum dignitatem ac jura, ipsi quoque episcopi ad reddendas rationes vocarentur in dispensatione ecclesiasticorum proventuum. Edita est epistola Cyrilli (qui obiit anno Christi 444, nempe septennio ante concilium Chalcedonense) tomo V, part. II, pag. 211, ubi hæc leguntur: « Male habet, magnaque tristitia afficit sanctissimos episcopos *qui sunt ubique terrarum,* quod sumptuum, qui illis eveniunt, dispensationis ratio ab eis exigatur, sive ex ecclesiasticis reditibus, sive ex fructu aliunde percepto. Unusquisque enim nostrum dabit suorum malorum rationem omnium Judici. Vasa enim pretiosa et possessiones immobiles oportet servari ecclesiis. Episcopis autem, qui tunc temporis divinum sacerdotium administrant, incidentium sumptuum dispensationem secure credi. »

44. Cum igitur ex legibus apostolicæ sedis ad Ecclesiam universam pertinentibus, et ex regulis conciliorum et Patrum tanta diligentia præstanda foret in bonis mobilibus tuendis et vasis pretiosis sacrarum ædium servandis sub œconomi custodia, necnon in procuranda dispensatione redituum et oblationum, arbitrio quidem episcopi, sed sub testimonio cleri, necessarium fuit commentarium bono-

rum conscribere, parare indicem et syllabum sacræ supellectilis et donorum quæ dedicabantur, ac tabulas dati et accepti ab œconomis exhiberi. Mirum propterea non est si minutis adeo rationibus auctor Libri Pontificalis recenset ac dinumerat antistitum et principum dona in singulis ferme basilicis ac titulis. Nostrarum est partium ostendere per illam ætatem superfuisse documenta publica non tantum in archivis et membranis, sed etiam in parietibus et marmoribus, quæ comprobarent indiculos rerum descriptarum.

45. De possessionibus ac fundis, eorumque annua præstatione, si cui dubium suboriretur, is esset circumducendus per basilicas ac titulos Urbis, ubi spectantur adhuc incisa non tantum nomina prædiorum et proventus, sed etiam consuetudo majorum, Romano more proponens oculis populi, ut olim Augustus rationarium imperii, sic ipsa censum Ecclesiæ.

In porticu basilicæ Vaticanæ superest una ex tabulis marmoreis septem (tot enim numerat Ciampinus ex Alpharano, qui duas viderat suo ævo superstites) inscriptis nomine massarum et prædiorum ad eamdem basilicam pertinentium; eaque tabula a B. Gregorio Magno ita insculpa fuit fundis a se donatis ad concinnanda luminaria.

✠ DOMINIS SANCTIS AC BEATISSIMIS PETRO ET PAVLO APOSTOLORVM PRINCIPIBVS GREGORIVS INDIGNVS SERVVS. QVOTIENS LAVDI VESTRAE, etc., STATVO ENIM ET A MEIS SVCCESSORIBVS SERVANDVM SINE ALIQVA REFRAGATIONE CONSTITVO VT LOCA VEL PRÆDIA CVM OLIBETIS QVI INFERIVS DESCRIBVNTVR QVOS PRO CONCINNATIONE LVMINARIVM VESTRORVM A DIVERSIS QVIBVS DETINEBANTUR RECOLLIGENS VESTRA VOBIS DICAVI IMMVTILATA PERMANERE IDEST IN PATRIMONIO APPIÆ MASS. VICTORIOLAS OLIBETV IN FVND. RUMELLIANO IN INTEGRO OLIBETV IN OCTABIANO IN INTEGRO MASS. TRABATIANA OLIBET. IN FVND. BVRREIANO VT SVP. OLIBET. IN FVND. APPIANO VT SVPRA, etc.

Sequuntur alia quatuor et quadraginta nomina olivetorum et massarum huic donationi inclusa: quæ legi possunt apud Paulum de Angelis in Descript. basilicæ Vaticanæ, pag. 81, apud Ciampinum de Sac. Ædif. a Magno Constantino constructis, pag. 31 et 82, et in editione Parisiensi Operum S. Gregorii Magni, aliosque apud auctores.

46. In basilica S. Pauli, via Ostiensi, legitur ante gradus presbyterii antiquitus insculpta marmori epistola ejusdem pontificis Gregorii Magni, data ad Felicem subdiaconum et rectorem Patrimonii Appiæ: quam integram dare præstat, cum sola possit sufficere ad comprobanda documenta quæ in scrinio apostolico servabantur tum donationum ejusmodi pertinentium ad titulos et basilicas Ecclesiæ Romanæ, tum administrationis bonorum per præpositos instructos brevibus sive indicibus rerum et fundorum per ipsos curandorum. Jubet siquidem pontifex ut per antedictæ Ecclesiæ præpositos, qui per tempora fuerint ab æra donationis, id est a septima indictione, imperii Phocæ anno secundo, et consulatus ejus primo scilicet ex anno Christi 604, ordinentur, ita ut imposterum ipsi rationes ponant. Mandat enim ut Felix subdiaconus rector Patrimonii Appiæ massam A et fundos hortos ac terrulas in donationes recensitas *de brevibus suis delere debeat, ac auferre, et cuncta ad nomen prædictæ ecclesiæ B. Pauli apostoli tradere.* Denique præcipit ut autographum donationis apostolico scrinio restituatur. VOLVMUS VT HOC PRAECEPTVM IN SCRINIO ECCLESIAE NOSTRAE EXPERIENTIA TVA RESTITUAT. Tria hæc mandata jam tunc marmori insculpta nobis exprimunt universam disciplinam, et praxim administrationis bonorum ecclesiæ, quæ tunc vigebat: et manifestant publica documenta, quæ tam in scriniis quam in marmoribus ædium sacrarum consignata sexto ac septimo Christi sæculo juxta morem præcedentium ætatum abunde ministrabant scriptoribus Historiæ Pontificalis definitas notitias minutarum ejusmodi B rerum, præsulis, et ministri providam curam illa etiam ætate non effugientium. Talis igitur est Gregorii Magni epistola, quam incisam tabulæ marmoreæ videmus in basilica Doctoris gentium via Ostiensi.

✠ GREGORIVS EPISC. SERVVS SERVORVM DI FELICI SVBDIAC. ET RECTORI PATRIMONII APPIAE. *Licet omnia, quæ hæc apostolica habet ecclesia B. Petri et Pauli, quorum honore, et beneficiis acquisita sunt, Deo sint auctore communia, esse tamen debet in administratione actionum diversitas personarum, ut in adsignatis cuique rebus cura adhiberi possit impensior. Cum igitur pro ecclesia B. Pauli apostolici sollicitudo nos debita commoneret, ne minus illic habere luminaria isdem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis implevit, et valde incongruum, ac esse durissimum videretur, ut ulla ei specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens martyrii capite est truncatus ut viveret: utile judicavimus, eamdem massam, quæ Aquas Salvias nuncupatur, cum omnibus fundis suis, id est Cella vinaria Antoniana, Villa portusa, Bifurco Priminiano, Cassiano Silonis, Cornelii tessellata, atque Corneliano, cum omni jure instructo, instrumentoque suo, et omnibus generaliter ad rem pertinentibus ejus cum Christi gratia luminaribus deputare: adjicientes etiam eidem cessioni hortos duos positos inter Tiberim, et porticus ipsius ecclesiæ euntibus a porta civitatis parte dextera, quos dividit fluvius inter adfines horti monasterii sancti Stephani, quod est ancillarum Dei, positum ad sanctum Paulum, et ad fines possessionis Pisiniani: simul et terrulas quæ vocantur fossa latronis positas ibi juxta eamdem porticum euntibus similiter a parte sinistra, ubi nunc Vineæ factæ sunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere possessioni Eugenitis quondam Scholastici, et ab alia parte possessioni monasterii S. Aristi: quæ omnia quoniam Deo adjuvante per antedictæ Ecclesiæ præpositos qui per tempora fuerint a præsenti septima indictione volumus ordinari, et quidquid exinde accesserit luminaribus ejus impendi, atque ipsos exinde ponere rationes, idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut suprascriptam massam Aquas Salvias cum prænominatis omnibus fundis suis, necnon hortus, atque terrulas, quæ superius continentur de brevibus suis delere debeat ac auferre, et cuncta ad nomen prædictæ Ecclesiæ beati Pauli Apostoli tradere: quatenus servientes sibi præpositi omni post hoc carentes excusatione de luminaribus ejus ita sine nostra studeant sollicitudine cogitare, ut nullus illic unquam neglectus possit existere. Facta vero*

supra scriptorum omnium rerum traditione volumus, ut hoc præceptum in scrinio Ecclesiae experienta tua restituat. Bene Vale.

Dat. viii. Kal. Februarias Imp. D.N. N. Phoca pp. aug, anno secundo, et Consulatus ejus anno primo ind. septima.

47. Dabo alterum marmor antiquum, sub Gregorio quarto incisum, circa annum 943, et pertinens ad basilicam Liberianam S. Mariæ Majoris, cujus in porticu affixum spectatur. Ex hoc enim intelligemus A providentiam illius ætatis plane singularem a qua Anastasius et Guillelmus bibliothecarii, postremarum Vitarum auctores, non distant, nisi per annos paucos : dum ita consulit perenni memoriæ atque indemnitati fundorum Ecclesiæ, ut *Rato* notarius regionarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex authenticis scriptis *relevatum fuisset* testetur quidquid in eo lapide perscriptum est, et *pro cautela et firmitate temporum futurorum his marmoribus exaratum.* Initium scriptionis desideratur.

. . . . . .

NOTO ROGATARIOQ. MEO SCRIBENDAM DICTAVI CVIQ. SVBTERMA
NV propria literis grecis subscripsi, et testib. a me rogatis op
tuli svbscribendam allegandi etiam gestis quib. placuerit, et
tempore quo volueritis sine cessum non spectata denuo
mea professione ex more concedo licentiam de quare quibus
Q. omnib. SSTis STipulatione, et sponsionem splemniter inter
posita. act. ROM. IMP. die cons. et indict. SSta.
✠ Fl. xanthipPi Filia qdm EGis TI imperialis a secretis huic char
tul usufructuarie donationis de SSta massa qa pagani
cense integro cum fundis, et CaSALibus suis idest F. arturi
anus F. garganus F. mattianus F. Viarus F. crisCianus F. turi
ta F. Solinianus F. Casa porcinare F. Calvisianus F. Rubianv
F. Spicianus F. bubianus unc, sex F. ucupia F. Cassauiti F. erut
tianus F. ferratulas F. casulari F. Calgianus unc. quat
tuor F. pistore F. petrociana F. casabili F. optavianus F. ar
buscianus F. gurgus F. casagini F. turanus F. rubianus F. fe-
lianus F. manilius F. oglata F. cottianus unc sex F. filipia
nus F. orcianus F triscasas, et ortu vineatv intro civit.
Signina necnon et F. candiGianv. integro et omnibus
ad eis generaliter pertinentibus fact. a me in omnes man
sionarios essentibus, et introeuntibus perenniter ba
SiliCAE SC E DI genitricis Mariae q. ap praesepe pro obLATiONB.
animae nostrae sicut superius legitur ad omnia SSta
relegens CONsensi, et subscripsi, et testes qui subscbi Berent
rogavi () ✠ F. anastasius tribb. Sci petri. () ✠ theo
datus adorator numeri theodosiac. () ✠ Ego geor
gius opt. num. mil. Sermisiani () ✠ F. epiphanius auri
fex, () ✠ theodorus accol SC E ROM. eccl, huic Char
tul. usufructuarie donationis de SST a massa q a paga
nicense cum fundis, et casalibus suis in integro necnon
et fund. qa candidiani in integro omnibusq. ad eis gene-
raliter pertinen Tib excepto mancipiis, et mobilibus rebus.
seseq ; molentib. facta xantippi glf. in omnes mansiona
rios essentibus, et introeuntibus perennniter baSiLiC E SCAE
DI. genetricis qa ad præsepem sicut superius legitur ro
gitis a SSta Donatrice qnp scripsimus ipsa præsente te
tes subscripsimus, et hanc donationis chartulam in
praesenti traditam videmus. ()
✠ ego theodorus VH tabell. Vrb. Rom Scriptor huius char
tul. usufructuariæ donationis post testium sub
scriptiones, et traditione facta complevi et absolvi
✠ Temporibus Domini nri Sanctissimi gregorii quar
ti papae ex rogatu Radonis Not. Reg. Scae Rom. ecel.
hoc ex authenticis scriptis relavatum pro caute
la, et firmitate temporum futurorum S. marmo
ribus exaratum est

48. Si quis conferat inscriptiones SS. Gregorii Magni et Gregorii tertii supra datas numeris 30 et 45, et hanc postremam sub S. Gregorio quarto, translatas in marmoreas tabulas ex diplomatibus genuinis, et propositas oculis præsentium ac posterorum in parietibus ecclesiarum, facile intelliget quantam copiam documentorum a sexto sæculo ad decimum archiva et marmora præservarent scriptoribus Libri Pontificalis, præsertim in decretis pontificum recensendis et enumerandis bonis ecclesiarum.

Nimius profecto sim pro modo præfationis B (licet pro assumpti argumenti serie videri possim monitor non importunus), si percensere velim omnia illius ætatis monumenta, marmoreis tabulis consignata, quæ studium juvabant illorum scriptorum, ac nostrum acuunt in comprobanda historia, stylo et auctoritate hujusmodi Vitarum. Legemus numeris 523 et 524, in Vita S. Leonis quarti, formulas precum ab ipso conceptas, tum ad Ostia Tiberina in propulsandis a littore Saracenis, tum Romæ in dedicatione urbis Leoninæ, tta de illius nomine nuncupatæ : *Deus, cujus dextera beatum Petrum, ambulantem in fluctu-*

bus ; et : *Deus, qui apostolo tuo Petro*, etc. In triclinio autem Lateranensi, quod Leonianum a conditore Leone tertio appellatum fuit, ejusque retinet effigiem, musivum et inscriptionem, Zophorus illius absidæ, quæ dicebatur *Casa major*, et in nova structura Sixti V disjecta fuit, Panvinio teste in libro de septem urbis Ecclesiis, et card. Raspano de Patriarchio Lateranensi, lib. IV, cap. 6, continebat epigraphem : per quam prior illa formula precum aptabatur invocando apostolorum patrocinio supra hospites ac peregrinos in itinere a periculis præservandos et ibidem excipiendos convivio : *Deus, cujus dextera beatum Petrum et coapostolum ejus Paulum ter naufragantem de profundo pelagi liberavit, tua sancta dextera protegeat domum istam, et omnes fideles convivantes, qui de donis apostoli tui hic lætantur*, etc. Oratorium sancti Gregorii tertii in veteri basilica Vaticana ostendebat affixas tabulas marmoreas ab eodem pontifice incisas formulis precationum abs se constitutis, quarum maximam partem superstitem legimus in earumdem tabularum fragmentis, translatis in hypogæum memoratæ basilicæ, et impressis per Ciampinium de Sacris Ædif. a M. Constantino constructis cap. 2, p. 104, et per Torrigium de Cryptis Vaticanis aliosque scriptores : *Exaudi nos, omnipotens et misericors Dominus*, etc. Inveniuntur itaque et adhuc superant ætate nostra antiquitus incisa marmoribus basilicarum Urbis præcipuarum non modo nomina et chronologia ac decreta complurium pontificum Romanorum ante decimum sæculum, sed etiam formulæ precum ab ipsis institutæ.

49. Ne longius tamen abscedam a proposita indicatione marmorum incisorum nominibus ac notitia fundorum Ecclesiæ, cum eam testatam fecerint præcipuis basilicis Romanis allatæ inscriptiones nostro etiam ævo superstites, indicabo quoque in titulis et diaconiis exempla ejusdem consuetudinis, in Urbe custoditæ per eadem tempora, de quibus nobis sermo est, et extra Urbem in proximis ecclesiis cathedralibus observatæ.

Titulus SS. Joannis et Pauli, quem eminentissimus ac reverendissimus card. Paulutius, S. D. N. exemplum imitatus, in proximo titulo S. Clementis datum, magnificenter instaurat et illustrandum curavit erudito Commentario per V. C. Philippum Rondininum, Faventinæ Ecclesiæ canonicum, præservat nobis specimen vetustæ diligentiæ in fundis Ecclesiæ recensendis. Exhibet enim tabulas marmoreas antiquitus insculptas diplomate S. Gregorii Magni inter ejusdem epistolas recensitum num. 22 libri IX, ad Deusdedit cardinalem et Joannem archipresbyterum ejusdem tituli, ubi non solum leguntur fundorum nomina et locus indicatur in via Romana, et confirmatio Gregorii Magni, sed etiam Constantini papæ nomen oppositum in margine declarat, notitiam fundorum ejus tituli a decessore suo Gregorio confirmatorum sæculo præcedenti, ætate sua, nempe octavo Christi sæculo, rursus recognitam et roboratam, per ea verba quæ litteris utrinque descendentibus exprimuntur, nempe a legentis læva parte ✠ NOTITIA FVNDORVM IVRIS HVIVS TITVLI, et a dextero latere ✠ CONSTANTINVS SERVVS SERVORVM

✠	✠ TERRIT BELTR· MIL· XXII	✠
N	FVND MVCIANVS IN INTEGRO	C
O	FVND COSCONIS IN INTEG· VBI SVP	O
L	FND· PRETORIOLVS IN INT VBI SVPRA	N
I	FVND CASACATELLI IN INTEG· VRI SVPRA	S
T	FVND PROCLIS IN INT VIA APPIA· ML· II· CVMPANTAN	T
I	FND VIRGINIS IN INT VIA APPIA· ML· XIII·	A
A	FVND CAPITONIS VIA ARDEATINA MIL· III·	N
F	FND FONTEIANVS IN INT· VIA SVPRASCRIPTA ML· V	T
V	FND FAVSIANVS IN INT· VIA· SSTA MIL· P L M XII	I
N	FND LAVSIANVS IN INT· VIA· SSTA ML· SSTO	N
D	FND CARBONARIORVM IN INT· VIA·S·M P VIIII	V
O	FND PVBLICA IN INT VIA LATINA MIL· PL M XI	S
R	FND CASAQVINTI IN INT· VIA LATIN· M·PL·M· XI	S
I	FND LACITIANVS IN INT· VIA LAVICANA M XV	E
V	FND SERGIANVS· IN INTEGRO VBI SVPRA	R
R	FVND SEPTEMINVS IN INT· VIA	V
I	FVN· CAESARIANVS IN INT· V· PENESTRINA M XXX	V
S	FN· STAGNIS IN INT· VIA LATINA ML· PL· M· XXX·	S
H	FVN· CASALVCI IN INT· VBI SVPRA	S
V	FVN CASACELLENSE· VIA APIA· ML· XIII	E
I	VESTRE AECCLE CONFIRMAREMVS	R
V	ET NOS ITA CONFIRMAMUS VT SI QVISQVE	V
S	TEMERATOR EXTITERIT ANATHE	O
T	MATIS VINCVLO SVBIACEAT IN PERPETVVM	R
I		V
T		M
V		
L		

Celebris diaconia S. Mariæ in Cosmedin a sanctissimo domino nostro ejusque fratris filio eminentissimo ac reverendissimo cardinali Albano in pristinum splendorem redacta, quam V. C. Joan. Marius, canonicus Crescimbeni, post litteras elegantiores in florentissimis Italiæ Academiis excultas illustrandam suscepit commentario solida eruditione referto præservat nobis documentum illustre sculptum anno Christi 901 sub Joanne IX, in quo apparet diligentia ejusdem ætatis in recensendis etiam mobilibus donis et ornamentis Ecclesiæ. Marmor est vetus, ex ruinis proximæ ædis S. Valentini, nunc

dirutæ, translatum in porticum S. Mariæ in Cosmedin, uti docet titulus a canonicis appositus inscriptioni, et cum ea impressus pag. 84, lib. II, cap. 10 laudati libri

Vetus monumentum ad annum DCCCCII.
ab Incarnatione, seu Nativitate DCCCCI.
Ioanne, IX. Pont. Max.
Donationis factæ a Theobaldo Ecclæ S. Valentini
quæ Regione huius S. Diaconiæ extabat
In diruto istius Secretario repertum
hoc loco Archipresb. et Canonici poss.
Urbano VIII. P. M. anno Iub. MDCXXV.

SVME VALENTINE MARTYR HEC DONA BEATE. QVE TIBI FERT. OPIFEX TEV
BALDVS CORDE BENIGNO. HEC. ITAQ. SVNT. QXE TIBI BEATISSIME
MARTYR IDEM TEVBALDVS CONCESSIT QVATINVS SINT IN VSV
SACERDOTU IN PERPETVV DONO TIBIQ. HIC SERVIENTIVM
IDEST. DOMVS DVAS SOLARATAS IVNCTAS IN VICINIO TVÆ ECCLÆ
CELLA IVXTA EAMDEM ECCLAM ORITICELLVM CVM OLIVIS RETRO AECLIAM SCI
NICOLAI VINEA IN ANTONIANO. MISSA
LEM. I. ANTIFONARIA. II. VNVM DIVRNI. ALIVMQ. NOCTVRNI OFFICII FERIALES II
LIBRV GENESEOS CVM ISTORIIS CANONICIS. PASSIONARIVM DIALOGV CVM
SCINTILLARIO IMNARIA II. LIBRVM EX MORALIB. CALICEM ARGENTEV EXAVRA
TV. CV CALAMO ET SVA PATENA. TVRIBVLVM ARGENTEV. MANVALE. I.
SI. QVIS VERO BEATISSIME MARTYR EX HIS QVE TIBI A IAM DICTO TEVBALDO CCES
SA SVNT VEL AB ILLO AVT AB ALIIS CONCEDENTVR TEMERARIO AVSV ALIQVID
ABSTVLERIT DISTRAXERIT. VENDIDERIT VL FRAVDAVERIT. SIT. SEPATVS A DO OMIV
Q. XPIANOR. CSORTIO. QVIN. ET. PPETVO PCVSSVS ANATHEMATE ATQ. CV DIABOLO ET
OIBVS IMPIIS IVNCTVS. AETERNO INÇENDIO EXCVRATVR TEPORE PONTIFICIS NO
NI SVMIP. IOHIS. EST SACRATA DIE SVPREMO HEC AVLA NOVEBRIS
DV QVITA ELABENTE INDICTIO CVRRERET ANNVM.

Fundorum enumerationem Græcis characteribus incisam edidit V. C. Fabrettus Inscript. cap. 10. num. 629, pag. 757, quam indicavit effossam ad S. Stephanum in Burgo (legendum arbitror *in Cœlio*) dictum, et inde translatam ad Collegium Germanicum. Nam in monte Cœlio ecclesiam S. Stephani, et B hortum possidet coll. Germanicum, ac vineam, unde etiam ante paucos annos vetusta monumenta extracta sunt. Pertinuit inscript. ad ecclesiam sancti Erasmi, seu monasterium, ut videtur colligi ex primo versu ejus fragmenti, quod superest.

. . . . . .ONωNIA
. . . . ΟΥ ΚΑΙ ΕΝΔΟΞΟΥ ΕΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟC ΕΡΑCΜΟΥ ΚΟΡΝΙΦΙΚΙC
. . ΑΜΠΙC ΒΙΔΔΙΚΙC ωΠΙΑΝΟΝ ΦΟΥΝΔΟC ΑΦΡΙΚΑΝΙC ΚΑΙ ΗC ΤΟ ΠΑΛΟΥΜΒΑ-
(PIN . ωNOPA
. . ON . OMEPANON . ΦΟΥΝΔΟC . ΑΝΤΙΚVIC ΠΟΝΠΙΝΙΑΝΟΝ . ΛΟΝΓΙΑΝΟΝ .
(MIKPO
. . ONTIANON META . MAPMOPATOΥΛΑ . ΛΑΚΚΥΜΕΓΙΑΝΟΝ . ΒΟΥΞΙΤΟΥΛΑ .
(ΦΟΥΝΔΟC
. . ATPEΓΙΑΝΟΝ . MOΥΚΙΑΝΟΝ . ΚΟΥΑΡΤΙΛΙΑΝΟΝ . ΜΑΞΙΜΙΑΝΟΝ . ΚΑCΑ
(ΦΕΡΡΑΤΑ
. . ΟΥΝΔΟC . ' MOΥΚΙΑΝΟΝ . ΤΕCCΕΡΑΡΟΡΟΥΜ . ΑΡΙΠΠΟΥ . ΚΑCΤΕΗC . ΦΟΥΝ-
(ΔΟC . ΓΕΡΦΗC
. . ΟΥΝΔΟC . ΚΑΛΚΕΛΛΑΤΟΥΛΑ . ΦΟΥΝΔΟC . CΤΡΟΥΜΑΚΙΑΝΑ

Celebre vero monasterium S. Erasmi situm erat prope titulum S. Stephani in monte Cœlio, uti observat Martinellus cum Fulvio et Ugonio, et sæpe memoratur in hoc ipso Libro Pontificali, et præcipue in Adeodato num. 138, in Leone III, num. 405, et in Gregorio IV, num. 471. Adeodatus cum ex monacho ejusdem cœnobii electus fuisset pontifex anno Christi 669, multa prædia illi contulit. *In monasterio*, inquit S. *Erasmi situm in Cœlio monte, in quo concrevisse visus est prædictus sanctissimus vir, multa nova ædificia augmentavit, sed et Casalis conquisivit* [al., *et multa ibi prædia coinquisivit*] *et in vita sua abbatem vel congregationem ibidem instituit.* C tea assignant prædia, et insculpunt marmori posito in sacrario S. Angeli in Burgo, ita apud Fabrettum edito Inscript. cap. 3, num. 447.

✠ Deputaui
mus in ista se
pultura nostra
ex tm paginam ad o
blatione, vel lumi
naria nostri Orti
transtiberini unci
as sex foris muros ju
xta porta portuen
se quod fuit
—— qd Micini Camel
in l. urbs. p. d. pa
tre

Demum et in dote attributa ædi sacræ occasione sepulcri ad oblationes et luminaria Boetius deposi- D tus octavo Kal. Novembr. ind XI imp. Dn. N. Justino perpetuo Augusto anno XII, et Tiberio Constantino Cæsare anno III (qui sunt characteres anni æræ Christi vulgaris 577), et mater ejus nomine Argen-

✠ Set qua
ttuor unci
as fundi eucar
piani quod est consti
tutum iuxta Scm Cyprian
um via labicana inter a
ffines fundi capitiniani

juris Scae Eccl. Rom. se
d et fundi Flauiani
juris publici iuxta
Sabinianum
explicit

50. Videmus itaque in Urbe basilicas, titulos, diaconias, monasteria et sepulcra nobis ostendere, præsertim ex ætate B. Gregorii magni, sexto scilicet sæculo desinente et ineunte septimo, ad Leonem IV aliosque pontifices decimi sæculi, nobis inquam A ostendere indices fundorum et prædiorum de more insculptos, quandoque etiam mobilium rerum ad eadem loca sacra pertinentium, ut earumdem rerum præservationi sequentes ætates consulerent.

Exempla providentis consilii hujus Romanæ Ecclesiæ derivata sunt in proximos Urbi episcopatus, quorum ex marmoribus descripsi ea quæ sequuntur.

In ecclesia cathedrali Anagnina Grimaldus episcopus incidi curavit epigraphen fundos complexam, cujus fragmentum hoc superest.

. . . . . PO
. . . . . LE
. . . . . DI GENITRIX MARIA QVI DIGNASTI ABERE TA
. . . . . MALDV EPS PARBA PARABIMVS INTRA VRE ECCLESIA
CVM. . . . . LIBARV COT NOS PLANTABIMVS SEV ME DO
TAEVM. QVI. N. VI. KASALIS POSITI SVNT QVOS D N LEO PP. INTRA AM
ABIT ET NOS DET . . . TIBI DONIS CVMPARABIMVS DOMINA MEA IN
VNCIAS II. ET. IN FVND. ORTI DIACONORVM VNCIAS DVAS CVM LASA
SVAS SEV MEDIV FVND PELEGRINI VNCIAS II.
. . . . VINEA IN IPSO PVND. QVOD EVBARBARIKA CVM
. . . . DICITVR. AT BALNEV SEV MET. VINEA QVI ES SVICO GE
. . . . IN FVND. QVORIIANO QVANTVM ODO IBI TENERE DIBETVR
. . . . IVSSIONE DNI N. APOSTOLICI. RECOLLISSIM. FVND. MACERATA IN
. . . . DO. SIN PRINIANVM VNCIAS NOBE ED IN FVND. ILARIANO VNCIAM
. . . . ANI VNCIA III. DE FVND. BALNEAREA VNCIAS SEX SEV MET. FVND.
—— INTEGRO CVM CASIS ET BINEIS SILBIS TERRIS ET IN IPSO KASALI.
. . . . SCTA. DI GENETRIX . . . . . ET BINEA.

In ecclesia Tiburtina descripsit Suaresius donationem bonorum mobilium et immobilium antiquo B 930, et vulgavit I. II Prænest. antiq., c. 7, p. 146. marmori ita incisam sub Gregorio IV, anno Christi

✠ Attendite lumen cuncti qui cernitis hanc Fulli domum, quam sarcire curauit egreg. P. magister militum cultor ecclesiarum, et largitor pauperum. Eo magis sævum tempus transierit, quod hujus vetusta fabrica casu ruitura multis esse videbatur. Nunc ea facit Vigil P. cum hac natos suos pro redimendis facinoribus suis, seu et pro anima conjugis suæ Agathæ sacaciter ampliavit a solo usque ad summum, et picturis bariis decorauit, Itaque obnixe quæso. O Christe, et Genitrix virgo, simulque beate Paule vas electionis, sociique tui Romula Redempta, Erundoque, quarum corpora recondere in tribus sacris altaribus studuit, vt suscipere dignemini hoc exiguum munus, quod ad vtilitatem templi exhibuit, id est patenam, calicem, cortinas, candelabra, thuribulum, canthara ex argento, canistrum ex ære, vestes, cortinas, codices, imagines tribus cum signaculis ad resonandum laudem Dei, quæ super camera istius templi statuere feci. Casas vero fundum Valvianum, simulque vineam in Laurento, et silua, et in Buruatiana Petia de terra, et Clausuram, Pergulasque unam, et in prata pratum. Si qui de his donis, quæ ego offerre curavi, aliquid subtrahere præsumpserit, sive episcopus, sive magna parvaque persona hæredes meos in sua teneat potestate. Nunc autem qui aliquid temerari eorum præsumpserit, sit illi alienum regnum Dei, et a trecentorumdecem VIII Patrum sententia, seu decreto anathematis vinculo subjaceat, et cum Juda traditore Domini partem habeat. Felices qui hic ingressuri estis, pro me quæso orate, et gaudere temporibus multis donet Dominus, ut his celere mente deprecari eum valeatis. M. Amen Factum temporibus Domini Gregorii Quarti Papæ Roma per Indictio. III.

91. Non est disjungenda ab hoc loco vetus inscriptio marmorea, pertinens ad annum Christi 731, quam Ravennæ excripsi in ecclesia S. Appolinaris in Classe. Ostendit enim consuetudinem Romanam C consignandi lapidibus publico loco propositis donationes factas ecclesiis et monasteriis, et in his recensendi fundorum nomina, fuisse perductam octavo labente sæculo etiam in proximas Italiæ regiones

IN. N PATRIS ET FILII ET SPS SCTI IMP PIISSIMIS DO NN LEONE ET CONSTAN
TINO A DO. CORONAT PACIF. MAGNIS IMPB. LEONE
QVIDEM CLEMENTISS. IMP. ANNOXIS. CONSTANTINO VERO A DO CORONATO IMP
ANNO XI. GVVERNANTEM ITALIA DN EVTVCHIO EXCELL PATRICIO.
et exarch. III. Kal. Februarias ind. XIIII. hic titulus monstrat opus
laudabile factum, quod pio consilio concepit mente psul
Joannes almus Pontifex junior in nomine quintus qui cum per
vigili æterni praemia regni fidus ut possideat aegenorum agmina
praecant liminibus sacris hoc sibi monumentum locauit Apollenari Sco
commendans puluerea nembra, quæ surrectura credit
Carnis resumpto uigore contulit, et donum quod seruis Dni prosit
qui laudes assiduas marturis collibat fundum cammiliaria casalibus
Vndique uallatum cum suis terminibus sicut textus donationis designat.
Aptum seruis Dni rauennati terr situm fertilem fecundum ignis
Ad esum lignament et suest quod pabulent silicarum glandifera
poma dans scoe eccl. commutata ad inuicem loco fundum trecintuta

Fauentin terr. constituto atque fundum contul terr. reiacen
tem simulque argento quaterdeni pundera mundum quod sibi legitime
genitorum contulit iura quod sit inliuatum nec reuocetur unquam
quod uhic collegio monachorum stipendias ad uicem cessit ex cuius
Redditibus praeparentur affauiles dapes hisque ius nomini annuæ colu
erint, quo iussu dominantis migrauerit
Ad caelestia regna hoc quoram concilio statuit, atque firmauit ut si quis
Successor sedis ecclesieque actor uel abba.
praepositus huius uenerauilis templi prenominat fundum miliaria
ex partem, uel totum per quouis ingenio ab usum seruorum Dni
hic deseruientium alienare praesumpserit, uel commutare aut
perene acta u. chartula largire aeternam condemnationem
sustineat cum traditore juda et his qui petierit, et qui largire temptaverit constrictus ana
themati vinculs corum trecentordecetocto patruum. ✠

51. In omnibus hisce monumentis a me productis attendi velim, ea referri ad ætatem inter Gregorium secundum et quartum, qua scilicet Vitæ Libri Pontificalis conscribebantur; ut inde constare possit cur auctores isti operam tam sedulam et nimiam, ut ita dicam, impenderent in enumerandis pontificum donis, quæ per ipsos offerebantur Deo in sacris ædibus, Romæ præsertim constitutis. Quocunque se verterent pii scriptores, incurrebant in eorum oculos epigraphes donationum, indices fundorum, inscripta donaria, et usus ætatis occupatæ in his percensendis. Quid ergo haberent potius quam id scribendo præstare, quod æqualibus suorum temporum placere potissimum cognoscebant? Quid etiam ad fidem historiæ suæ commendandam diligentius consectarentur, quam ut ea colligerent quæ comprobari tot publicis documentis nemo non videat? Auctores Catalogorum ex quarti, quinti, ac sexti sæculi monumentis chronologiam, successiones et sacras ordinationes digesserant. Decreta non multa protulerunt, quæ ad usum Catalogi vix pertinebant. Ea tamen colligere potuerunt scriptores proximi ex Actis conciliorum, ex archivis Romani patriarchii et pontificia bibliotheca. Hæc enim loca patuisse scriptoribus octavi ac noni sæculi, qui collectionem hanc claudunt, manifesta conjectura deducitur ex verbis eorumdem a Luca Holstenio et ab Emmanuele Schelestratio perpensis, quemadmodum ex minutorum donorum recensione perspicuum fit hanc nobis fuisse ab iis præservatam ex oculata inspectione rerum plerumque inscriptarum memoria donantis; tum etiam ex indicibus rerum mobilium et immobilium tum temporis custoditis, et in publica marmora sæpe translatis: uti luculenter probatum fuisse confido tot ex monumentis, post longam seriem decem sæculorum ætati nostræ feliciter præservatis.

Hæc igitur omnia satis commendant, ut ego arbitror, auctoritatem hujusce Libri Pontificalis, ea producentis per singulas ætates, quæ juxta temporum illorum usum ac documenta ab Ecclesiæ notariis, historiis et bibliothecariis in litteras referebantur.

53. Præfationi modum imponam, imo et signaculum apponam (si fas est dicere) observatione numismatis, quod ejus fronti de industria præfixum fuit; non tam ut imitaremur editionem Fabrotti, a numismate sacro auspicati paginam primam, ubi vultus expressit SS. apostolorum Petri et Pauli, quam ut indicaremus genuina documenta, quæ sola inspectione tuebantur fidem historiæ per ea tempora quibus hæ Vitæ conscribebantur.

Numisma est Crispi Cæsaris ex ære maximo, et haberi potest omnium clarissimum, quæ Roma Christiana antiquitus procuderit. Licet vero illustratum mirifice fuerit sæculo superiori in utraque editione suorum Annalium a cardinali Baronio, attamen nobile archetypon non spectaremus, nisi Romæ præservatum fuisset beneficio Fulvii Ursini primum, deinde excellentissimæ Burghesiæ domus: cujus inter cimelia lectiora jamdiu asservatum, et peculiari conceptaculo inclusum, una cum alio insigni numismate Constantini Magni III, et exc. princeps Marcus Antonius nuper ostendit, dum pro singulari quod hausit, una cum majorum sanguine, religionis studio et doctrinæ, sibi simillimos liberos exemplo docet, ut ex universa et plane regia avorum gaza illam præferant partem, quæ cultum animi promovet in utraque ea disciplina. Opportune vero contigit quasi reservatus huic nostræ editioni iteratus conspectus nummi, ut in eo quodammodo intuerentur lectores ævi Constantiniani æquale testimonium, et vindicias rerum ex publicis documentis eodem sæculo in catalogos digestarum, ut ex catalogis Ecclesiæ in Vitas pontificum subinde transferrentur. Numismatis figura repetatur.

In antica parte nummi Crispus Cæsar pectoretenus exprimitur, laureatus (licet lauri folia non satis expresserit delineator a Baronio adhibitus) ac togatus, scipionem eburneum sinistra tenens, cui aquila de more insistit, dexteram vero apertam elevans, tanquam pacator et triumphator. Circa protomen leguntur litteræ consuetæ CRISPUS NOBilis CAESar. Pars adversa multo est præstantior: exhibet enim virum barbatum sedentem inter duos Cæsares stantes et ornatos habitu militari cum hastis puris. Viri sedentis coma detonsa est ad aures; barba non quidem prolixa, sed plenior, et crispæ similior, qualis cernitur in vetustis S. Petri imaginibus præsertim musivis, et in sarcophagis vasisque saeris ejusdem quarti sæculi. Dextera manus hujus figuræ ad benedicendum elevatur, inflexis tantisper articulis quarti et quinti digiti more Ecclesiæ Latinæ: sinistra vero hastam tenet, cui venerabile crucis signum superne infigitur. Circumfunditur capiti nimbus circularis, corpori vero tunica et pallium. Salvatoris nostri

imaginem unam aut alteram hic repræsentari censet Baronius ex duabus quas ex argento efformatas pondo librarum 120 et 140, altitudine vero pedum quinque, statuit Magnus Constantinus in basilica Lateranensi, quemadmodum in Vita Silvestri memorat hic Liber Pontificalis num. 36: « Hujus temporibus fecit Constantinus Augustus basilicas istas, quas et ornavit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona. Fastigium argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella in pedibus 5, pens. libras 120. Duodecim apostolos in quinis pedibus, qui pensaverunt singuli libras nonagenas cum coronis argenti purissimi. Item a tergo respiciens in absida Salvatorem sedentem in throno in pedibus quinis ex argento purissimo, qui pensat lib. 140. »

54. In prima Annalium editione anni 1592, tom. III, pag. 215, cardinalis Baronius, disserens de professione Christianæ religionis a Crispo susceptæ in baptismate, illustre doçumentum ejusdem se nactum fuisse affirmavit hoc in numismate: quod plerisque antiquariis ætatis suæ videbatur quidem antiquum; sed cum nonnullis suspectum foret, ab eodem producendo abstinere tunc maluit, ne in suis Annalibus quidquam obbruderet quod laboraret suspicione mendacii. Triennio autem post, cum adornaret alteram operis editionem, tomo tertio idem numisma produxit et illustravit, tanquam vindicatum ab omni periculo et suspicione fraudis auctoritate omnium antiquariorum, et præ cæteris, Fulvii Ursini, illorum facile principis ea tempestate: qui pretio a possessoribus constituto nihil detrahens, comparavit quantiplurimi lectissimum hoc numisma, et in celebri museo suo reposuit, adactis etiam paucis illis antiquariis sublestæ fidei, qui de industria revocabant in dubium nummi antiquitatem, ut viliori pretio suum facerent, ad suffragium sincere ferendum de indubitate fide monumenti. Præstat coronidis loco verba dare eminentissimi scriptoris pag. 233 tomi tertii secundæ editionis numero 13, postquam ea retulit quæ scripserat in prima editione ante triennium.

« Hæc quidem, inquit, nos in prima editione professi sumus, dum de germanitate numismatis quæstio verteretur: in qua tutiorem illam partem existimavimus, qua omnis licet levissimæ imposturæ suspicio penitus tolleretur. Cum sic igitur in ea editione hujus tomi Romana nobilissimum Crispi numisma omiserimus (*in margine addit*: Exstabat numisma in ære apud Horatium Tigrinum de Mariis dum viveret) quod de ejus sinceritate a quibusdam dubitaretur; modo autem veluti pulvere omni dubitationis excusso, evicta veluti causa, operæ pretium nos facturos putavimus, si hoc loco illud in secunda editione reponendum curaremus, ex eo quod amicissimus meus Fulvius Ursinus, rerum antiquarum solertissimus explorator (ad quem veluti Lydium lapidem quæquæ vetera monumenta probanda elucidandaque afferri solent, cujus et apud me auctoritas plurimum valet), de hac re consultus sæpius, et diligenter inspecto numismate, eoque totis ingenii viribus, omni adhibito experimento, percognito, et explorato præsentibus illis etiam, quos ob singularitatem numismatis nonnihil de impostura pulsari animo senserat, nullam prorsus in eo fraudem inesse affirmavit: sed sicut ab omni prorsus imposturæ suspicione ostensum numisma scitis probatisque rationibus vindicavit, ita contradicentium animorum latebras palam fecit, ea nimirum ex causa illud ab ipsis improbatum, ut possent viliori emere pretio: quod ipse probe cognitum, examinatum, probatum omnique ex parte approbatum ab hæredibus possessoris, erogato quod petierunt pretio, emit atque ex eo suum nobilissimis monumentis confertissimum museum exornandum putavit. »

Prosequitur deinde Baronius exponens adversæ hujus partis epigraphen: *Salus, et spes Christus Reipublicae* SALVS ET SPES X. REIPVBLICAE; quæ Christi nomen compendiose continent in Græca littera X, eo sæculo, et subsequentibus usurpata ad illud exprimendum, uti se docuisse pridem memorat etiam ex Juliano in Misopogone. « Usus postea obtinuit, inquit, ut X elementum, quod super Christi caput ab antiquioribus apponi solet ad nomen Christi significandum, idem postea fuerit eadem de causa in diademate collocatum, eoque modo aptatum, ut crucis formam exprimeret, cum alioqui in antiquioribus Salvatoris nostri imaginibus parvum absque aliquo signo diadema in modum sphæræ inveniatur expressum, cum additamento tamen juxta posito nominis Christi: quo si careat, tunc illud in diademate inveniatur per X notam appositum (X). »

55. Hæc omnia libenter produximus ex historiæ ecclesiasticæ restitutore Baronio, ut non modo ejusdem suffragio sed etiam exemplo constaret quantum adjiciant momenti ac ponderis historicæ veritati genuina monumenta, si a scriptoribus consulantur. Unde colligi necesse est quam fideliter perscripserint auctores Vitarum per ea sæcula, quibus poterant tum a scriptoribus, tum a lectoribus eorumdem argumenti capita ferme singula conferri cum superstitibus iisque publicis documentis. Placet ex hoc ipso numismate confirmare quam facile simul et accuratum judicium utrique paratum haberent in inspectione æqualium documentorum.

Numisma Crispi a Baronio productum, beneficio Burghesiæ domus ætati nostræ præservatum est. Ejus inspectio nos docuit statutam illam in adversa parte sedentem inter duos Cæsares stantes, nimbo ornatam, elevata dextera benedicentem, et crucis signum hastæ impositum sinistra manu gestantem, referri debere vel ad Christum Dominum, ut putavit Baronius, vel, ut aliqui malunt, ad principem apostolorum et vicarium suum in Ecclesia constitutum. Utrumvis exprimat, indubitatum est hoc in numismate testimonium Christianæ religionis publice exercitæ sub Constantino, antequam Crispus ejusdem filius Faustæ novercæ calumnia necaretur. Baronius putat, uti diximus, Christi Domini imaginem in

nummo signatam referre statuam argenteam ejusdem Salvatoris ac Dei et Domini nostri a Constantino erectam in basilica Lateranensi, ut refert Liber Pontificalis. Qui vero Petri apostoli simulacrum illa in figura deprehendunt, observant cultum corporis, et præcipue tonsuram capitis, ac barbæ modum assimilari potius imaginibus antiquissimis Petri apostoli quam Christi Domini. Nam in sarcophagis marmoreis quarto et quinto sæculo cælatis, et ex cœmeterio Vaticano productis in Roma Subterranea Aringhi tomo I tab., pag. 293, et seqq. quoties exprimitur Christus Dominus sive imberbis, sive barbatus, prolixi semper crines ei tribuuntur, et barba in acutum desinens. At in apostolo Petro eadem vetusta marmora fol. 293 295, 297, 299, 301, 307, et cum his picturæ omnes, anaglypha, musiva antiqua crines exhibent attonsos ad aurem, barbam rigentem et non admodum prolixam qualis in nummo visitur. Crucem autem in memoratis anaglyphis gestat S. Petrus, non secus ac in numismate. Cælator typi a card. Baronio impressi imberbem exhibuit viri sedentis faciem contra fidem nummi, licet crines ad aurem attonsos expresserit fideliter. Imagines SS. apostolorum Petri et Pauli, custoditæ in sacrario basilicæ Vaticanæ (easdem affirmant esse a B. Silvestro oblatas Constantino Magno, quarum historiam retulit Adrianus I ad Carolum Magnum in epistola edita cum actis synodi Nicænæ secundæ), Petrum apostolum exhibent crinibus abundantem, sed ad aurem detonsis, et Paulum recalvastrum, qualis a Luciano describitur, eodem observante Baronio ad annum 69, num. 14, et ab ejusdem epitomes auctore Spondano, num. 6 et 8. In ænea icuncula S. Petri, olim in museo Bellorii a me quoque spectata, et a Petro Sancte Bartolo edita cum antiquis lucernis, part. III, tab. 27, eadem tonsura crinium et barbæ modus apparet, quæ a Spondano verbis Nicephori refertur, capillis capitis, et barbæ crispis et densis, sed non admodum prominentibus. Anaglypha autem indicata in sarcophagis Vaticanis quarti et quinti sæculi, præsertim id quod folio 294 Aringhii occurrit, ubi quater exprimitur Christus Dominus, ter S. Petrus, multo evidentius declarent eam consuetudinem ætatis Constantinianæ (quando servabantur imagines apostolorum eisdem ferme coævæ, quas Eusebius narrat a se spectatas Hist. Eccl. cap. 18) tribuendi comam prolixam et in humeros fluentem Christo Domino, crines autem truncatos ad clericalis tonsuræ modum beato Petro, cum in eisdem marmoribus ita constanter uterque cælatus sit. In argenteis etiam vasis ministerii sacri ante Constantinum Magnum elaboratis, uti ex operis elegantia et antiquitate percipimus, repertis inter rudera vetustiorum ædium sacrarum et cœmeteriorum, quæ dabimus inter notas ad Vitas pontificum in Urbano I, idem habitus oris observatur, ubi Christus Dominus claves tradit Petro: qua etiam forma posteri fideles exhibuerunt in musivis vetustioribus Urbis, ut in titulo S. Prudentianæ, sua Siricio papa constructo et per Adrianum I instaurato; in triclinio Leonis III, in Laterano; in æde S. Constantiæ sub Honorio I, et passim in anaglyphis, picturis et musivis. Quæ cum ostendant vultum Petri plane similem expresso in hoc numismate, dubitare nos minime sinunt quin ætate Constantini Magni effigies Petri ab hoc nummo proposita respondeat reliquis inde expressis, juxta historiam ab Adriano papa relatam in epistola memorata.

Litteræ autem S. P. in eodem numero exstante sub imagine, quam diximus, principis apostolorum, vel indicant SANCTUS PETRUS elementis capitalibus utriusque dictionis (ut littera X superne inclusa in epigraphe SALVS ET SPES X. REIPVBLICÆ continet nomen Christi) vel significant SIGNUM PETRI. Nam SIRMII PERCVSSA moneta hic non indicatur, ut ego autumo, cum sit insolens in nummis Latinis ex ære maximo officinæ monetariæ locum exprimere. Si autem Petrum apostolum indicat hæc figura, ejusque simulacrum impositum sedi quadratæ, arbitror referendum ad statuam ejusdem apostoli, cum cæteris a Constantino positam in basilica Salvatoris, altitudine quinum pedum, pondo librarum nonaginta, cum corona ex argento purissimo, quam refert Liber Pontificalis in Silvestro, num. 38. Crucem vero cum ostendat idem apostolus, erectam fortasse illam indicat quam Constantinus in basilica Vaticana constituit supra Confessionem beatri Petri *ex auro purissimo pensantem libras centum quinquaginta. In mensuram loci, ubi scriptum est hoc: Constantinus Augustus, et Helena Augusta: hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat. Scriptum ex litteris nigellis in cruce.* Ea quæ nos conjicere nitimur ex indicio numismatis, nec satis definire possumus post diuturnas inspectiones, eadem ictu oculi perspicue noscere poterant auctores Libri Pontificalis, legentes in cruce Constantiniana eorum ætate superstite nomina donantium, et in argenteis statuis Christi nomina atque apostolorum spectantes effigiem singulis attributam ætate Silvestri. Ex iisdem monumentis, si superessent, collatis cum nummo, fortasse constaret, ad exemplum imaginis B. Petri sub Silvestro et Constantino propositæ ad cultum cruci Dominicæ ejusque gestatori exhibendum a Cæsaribus stantibus, efformatas fuisse a successoribus Silvestri statuas duas B. Petri: marmoream unam, quæ asservatur in hypogæo basilicæ Vaticanæ; æneam alteram in æde superiori constitutam, ad oscula fidelium excipienda in signum venerationis, consuetudine derivata ab incunabulis Ecclesiæ ad hæc nostra sæcula.

56. Non piguit versari paulo diutius in contemplatione numismatis, et sacræ imaginis, atque inscriptionis in illo expressæ sub Constantino. Quin hæc omnia præfigenda curavimus præfationi, utpote indicia eorum documentorum quæ in numerato parata erant atque exposita scriptoribus Libri Pon-

tificalis. Nam satis ostendunt hæc veluti specimina, seu reliquiæ monumentorum, tunc temporis unicuique constantium, et publica in luce propositorum, neque chronologiæ documenta defuisse scriptoribus Catalogi vetustioris ; neque ordinationum memorias et legum pontificiarum auctori secundi Catalogi ; neque Vitarum posteriorum enarratoribus indiculos ecclesiarum, unde nossent patrimonia, latifundia, prædia rustica et urbana, dona mobilia et immobilia, sacram supellectilem, et minuta quæque cimelia, basilicis, titulis, diaconiis, monasteriis, ædibusque sacris omnibus in Urbe oblata. Gesta vero pontificum quæ narrante, plerumque sibi æqualium post ætatem Catalogi secundi, vel ipsi viderunt historici Vitarum, vel a publicis archivis paulo ante perscripta mutuati sunt, et a concordi testimonio seniorum, qui interfuerant, sibi tradita collegerunt.

Optimo itaque jure singulis auctoribus hujusce libri debetur elogium, ab Annalium conditore Baronio, historicæ veritatis judice emerito, tributum Anastasio tomo IX, ad ann. Chr. 752, num. 19 : *Etsi rudi stylo, fidelissime tamen rerum gestarum historiam exaravit.*

57. Hæc fuerunt, amice Lector, a nobis generatim præmittenda de auctoritate codicum ac documentis rerum in Libro Pontificali enuntiatarum. Nam quæ speciatim de singulis ejusdem partibus suo loco proferenda erunt, ostendent infra notæ variorum.

58. Cum enim in Libri impressione universa curata sint quæ tueri maxime poterant germanam ejus lectionem, et plurimum promovere usus et commoda quæ inde consequi Lectores possent, consectari necesse est parem diligentiæ atque utilitatis publicæ curam etiam in editione notarum. Quare typographus constituit ex auctoribus omnium consensu probatis, Binio, Ciacconio, Labbeo potiores eligere, et ad contextus explicationem maxime accommodatas, quas ipsi post Vitas Pontificum retulerunt. Alteserræ notas in Anastasium peculiari libro vulgatas, eoque tum brevitate laudando, tum lectissima eruditione, dabimus integras. Neve ulla supersint inexplorata verba, aut gesta, aut documenta hujus historiæ, quibus nova lux affundi possit per ætatis nostræ labores ; cum aliquot cultores ecclesiasticæ historiæ, et sacræ antiquitatis Christianæ in se receperint, ut symbolam suam conferant ad illa explicanda, vel comprobanda, quæ præcedentibus in notis intacta fuerint, vel non satis declarata, eorumdem adnotationes liberaliter ministratas libenter communicabimus. Nullæ dabuntur permistæ. Singulis interpretibus quod suum est asseretur. Sive notarum auctor ex vetustioribus sit, sive ex recentioribus, occupabit eum locum quem gentilitii nominis littera princeps obtinet juxta seriem alphabeti. Alteserra, Bencinius, Binius et cæteri omnes singillatim ostendent quæ meditata contulerint, more jam recepto in commentariis variorum.

59. Chronologicæ vero observationes ita sunt connexæ invicem, ut citra universi systematis positionem non possint singulæ pertentari. Qua de causa videtur exigere ratio methodi, ut res integra reservetur loco peculiari, exacturo rationem temporum a Christo nato ad omnia documenta chronologica, quæ colligere conati sumus complurium annorum studio, et experimentis tum ex motibus cœlestium corporum diligenter collatis, tum ex inspectione veterum lapidum et nummorum : ubi temporum a nobis numerandorum series, et characteres publico testimonio proditi cognoscuntur.

60. Paratis igitur adjumentis utere felix, Lector studiose et benevole : et Romanorum pontificum Vitas habeto universæ ecclesiasticæ historiæ partem præcipuam, annalium fontes, et pretiosas sacræ antiquitatis reliquias, primum collectas in Catalogo Liberiano ex Actis martyrum et conciliorum, necnon ex epistolis pontificum et confessorum, Historia Hegesippi, Chronicis Eusebianis, aliorumque. et ex Diptychis Ecclesiarum ; post alterum vero sæculum auctas iisdem copiis in Catalogo sub Justiniano et posteriori ætate sub Gregorio II et III translatas in Librum pontificalem, ac fusius extensas adjumento tabularii et bibliothecæ apostolicæ, necnon archivorum, marmorum et cimeliarchii singularum ferme Urbis ecclesiarum ; communibus denique studiis nationum eruditione præstantium, Belgicæ, Gallicæ, Germanicæ, Hispanicæ, Illyricæ, Italicæ, ætate nostra a squalore detersas, et ab injuria temporum vindicatas, ministrantibus undique codices antiquiores dominis et præfectis bibliothecarum. De opella vero nostra, quantulacunque tandem sit, æqui bonique consulas : et juvare cum possis, vel suggerendo nova documenta chronologiæ atque historiæ pontificalis, quæ tomo secundo aut tertio inseri possint, vel salubriter et amice corrigendo, si quæ forte imprudenter excideriint, meditanti præfationem et notas ; scias benefico monitori me gratias habiturum maximas, cum nihil antiquius habeam quam peritiorum ductu et plurimorum cum comitatu accedere quantum licuerit propius ad propositam bene memoratis mentibus veritatem.

FRANCISCI BLANCHINI

PRÆFATIO

AD TOMUM SECUNDUM EDITIONIS ROMANO-VATICANÆ.

1. Produximus tomo priore Vitas Pontificum Romanorum, Anastasii nomine post ejus collectionem donatas: ubi curavimus superiores editiones fideliter exprimi, et variantium lectionum copiis augeri, præstantissimis ex codicibus, tam intra quam extra Italiam undique conquisitis. Aggredimur editionem secundi tomi, quo constituimus complecti prolegomena et notas, ad illustrandum contextum operis maxime idoneas. Qua id ratione exsequamur ex illorum sententia, qui consilia et opem huic operi contulerunt, expedite intelliget Lector ex his quæ sequuntur.

2. In præfatione prioris tomi, numero 11, perpendimus cum Schelestratio sæpius laudato, primam texturam *Libri Pontificalis*, seu *Vitarum, Anastasii nomen præferentium*, deberi *Antiquis Catalogis Romanorum pontificum*, præsertim vero *vetustissimo illi sub Liberio papa collecto*, quem idcirco uti basim ac fundamentum, aut certe initium ac rudimentum Historiæ Pontificalis præmittere necessarium duximus. Primus edidit P. Ægidius Bucherius in celebri opere de Cyclo Paschali Victorii: a quo erit integer describendus.

3. Catalogi etiam complures a Schetestratio afferuntur: quorum præstantiores antiquitate codicum integros dare constituo. Sunt autem ii, qui sequuntur, in *Appendice ad Opus Chronologicum* ab eo producti, nempe:

I. Num. 22, pap. 611. *Ex antiquo octingentorum sexaginta quinque annorum Codice ms. bibliothecæ Palatino-Vaticanæ Catalogus Romanorum pontificum sub hoc titulo: Episcoporum Romanæ urbis nomina.*

II. Num. 27, pag. 626, *ex ms. Codice Vaticano* 1353, *qui descriptus est sub Paulo II, ex vetusto Codice* 808 *annorum ecclesiæ Pergamensis.*

Hunc vero Catalogum, spectabilem antiquitate codicis unde transcriptus est, reddit commendatiorem ratio chronologiæ, respondens numeris annorum, mensium ac dierum sedis, unicuique pontifici tributis in vetusta pictura, quæ superest in parietibus Basilicæ S. Pauli Via Ostiensi, ætatis non inferioris Catalogo memorato annorum 800, descripto ex codice ecclesiæ Pergamensis, fortasse etiam æqualis operi musivo, a S. Leone Magno in eadem basilica constructo: ut conjicere liceat, vel pictores a libraiis, vel librarios a pictoribus, vel utrosque ab iisdem fontibus hausisse hujusmodi chronologiam: uti diligentius observandum propopam ante conspectum Catalogorum, quando expendendum erit mutuum firmamentum, quod sibi invicem præstant hæc monumenta, ac testimonia ecclesiarum et bibliothecarum, suis in picturis et Codicibus.

III. Num. 31, pag. 644: *Catalogus pontificum et decretorum ab eis editorum ex sexcentorum annorum codice* 638 *Vaticano ante Anselmi Lucensis episcopi decretum.*

Observare hic etiam præstat, seriem ac successionem pontificum Romanorum, eorumque sedis chronotaxim tanti semper habitam in Ecclesia fuisse, ut tum veteres Patres, Irenæus scilicet, aliique ad priora Christi sæcula pertinentes, in æstu persecutionum eamdem attexant; tum subsequentes ætates post assertam libertatem divini cultus eamdem explicent, non modo in basilicis Romanis, sed etiam in pluribus Roma dissitis. Duas vidi in Etruria ita ornatas, metropolitanam scilicet ecclesiam Senarum, et vetustam ædem, sancti Petri nomine Deo dicatam, diœcesis Pisanæ, quam vocant S. Petri in Vado.

4. Catalogis præcipuis a Schelestratio editis addendi sunt alii notæ non posthabendæ, duo præsertim a R. P. Joan. Mabillonio producti ex autographis bibliothecæ monasterii Corbeiensis tomo III Analectorum, pag. 426, quorum prior desinit in Vigilio, et ad istius pontificis ætatem Scriptura refertur circa medium sæculi sexti æræ Christianæ; alter vero ad finem septimi sub Conone, et ad initium octavi sæculi sub Sergio II et Joanne VI ætatem comprobat, æqualem antiquissimo illi exemplari *Codicis Pontificalis Farnesiani*, toties commendato a Luca Holstenio et a Schelestratio: cujus propterea specimen exhibebo, ut conferri possit cum specimine secundi illius catalogi Corbeiani, vulgato per Mabillonium in libro v de Re Diplomatica, tabella VIII, pag. 359. Visum est mihi duo hæc specimina esse conjungenda, ut evidentius agnosci possit antiquitas ferme par illorum codicum, probata per viros clarissimos, et in ea facultate judices maxime idoneos Mabillonium et Schelestratium.

5. Succedet præsulis istius dissertatio integra *de Antiquis Romanorum Pontificum Catalogis*, quam promiseram in præfatione prioris tomi, num. 2, editum iri ante notas variorum ad opus Anastasium, cum sit manuductio tutissima, et commentarius quidam perpetuus ad pontificalis historiæ veritatem in hisce Vitis recognoscendam.

6. Non abs re esse duxi alteram Dissertationem

attexere *de Antiquis Catalogis pontificum Romanorum.*

Licet enim laudatus præsul tot præclara conscripserit de hoc argumento in memorata dissertatione, ut messem uberem selectæ eruditionis attulerit singulis ferme in capitibus, attamen spicilegia nobis reliquit non contemnenda, præsertim cum ipsius disquisitio versetur præcipue circa duos Catalogos, qui merito habentur potiores, primum sub Liberio collectum, alterum sub Vigilio, utrumque servatum veteribus in membranis; obiter vero attigerit alios Catalogos, et vix indicaverit historiam et chronologiam illorum, qui patriarchalibus in basilicis Urbis, Lateranensi, Vaticana, et S. Pauli via Ostiensi depicti antiquitus visebantur: quarum in postrema etiam superest fragmentum satis conspicuum a Fabiano ad Innocentium ejus nominis primum. Mihi vero his immorari operæ pretium visum est; cum ab ecclesia Romana vedeantur propositi publice non sine pontificum auctoritate; adeo ut mirari contingat, a nemine, quod sciam, ex scriptoribus institutam illorum comparationem cum cæteris remotissima ab ætate scriptis. Perjucundum certe futurum arbitror observare, Catalogum in basilica S. Pauli superstitem indicia ætatis ostendere vel sancti Leonis Magni, vel ab ejus sæculo non admodum dissitæ; eosdemque numeros annorum, mensium ac dierum intueri ibidem assignatos pontificibus Romanis, qui leguntur in codice octingentorum annorum ecclesiæ Pergamensis supra memorato num. 3, II, aliisque paris antiquitatis infra exponendis in nostra Dissertatione num. 12, quæ non duos tantum potiores Catalogos, sed reliquos etiam considerat, pluriumque comparationem instituit, et causas, ni fallor, aperit ejus diversitatis quæ in numeris chronologicis occurrit.

7. His veluti *Prolegomenis Notarum* conati sumus addere mantissam, nonnulla scilicet *opuscula*, plerisque Vitis illustrandis opportuna, et non minus brevitate, quam antiquitate, spectanda, cum in ea digitum intendere sæpius debeamus ad colligenda documenta rerum in Vitis memoratarum.

Primum opusculum hoc nomen præfert: *Descriptio regionum Urbis.* Est autem recensio præcipuorum locorum memorabilium, dextra lævaque occurrentium, tum intra muros urbis Romæ, tum in suburbanis, juxta ductum viarum, quas opusculi auctor ad instar *brevis Itinerarii*, seu *Topographicæ Tabulæ* litteris commendavit nono Christi sæculo circa ætatem Caroli Calvi. Inde enim colligi potest locus complurium ædium sacrarum, necnon cœmeteriorum sanctorum martyrum, tum etiam nomenclatura ac dispositio illustrium Urbis ornamentorum: quæ per eam ætatem nondum labefactata, hodie autem partim diruta, partim præservata, obscuritatis quidpiam retinerent in textu Anastasii, nisi hujus Itinerarii subsidio illustrarentur. Opusculum reperit sæpe laudatus veterum codicum vindex Mabillonius in bibliotheca monasterii Einsidlensis in Helvetia, compactum in unum codicem cum vetustissima collectione Inscriptionum Romanarum, in Urbe descriptarum tum ex sacris, tum ex profanis ædificiis: et retulit inter Analecta eruditæ Antiquitatis tomo IV, p. 506. Eo lubentius curam suscipio novæ editionis brevis istius opusculi adornandæ, quod videam esse necessarium ejusdem partes a codicis illius compactore distractas invicem ac divulsas, et alieno loco redditas (ut liquet ex verbis dimidiatis, quæ respondentes integræ dictioni litteras obtinent in paginis proximis Mabillonianis), iterum nectere et inarticulare.

Alterum opusculum ejusdem ferme argumenti petendum est ex Historia gentis Anglorum Willelmi monachi Malmesmuriensis, ducentis circiter annis recentiori: ubi scriptor iste recensuit, occasione sacræ expeditionis susceptæ a cruce signatis sub Urbano II ad annum Christi 1096, cœmeteria suburbana sanctorum martyrum, juxta numerum ac seriem portarum Urbis, ac viarum præcipuarum suo ordine recensita: quam vocare licet *Notitiam Urbis.*

8. In edendo utroque opusculo memorato auctorem habeo eminentissimum scriptorem, eumque ex æquo venerabilem vitæ sanctimonia, ac celebrem studio et lucubrationibus, quibus veteres Ecclesiæ libros et sacra monumenta eximia cum laude illustravit, nempe Josephum Mariam Cardinalem Thomasium. Hic in notis ad antiquos Libros Missarum, præsertim vero ad Capitulare Evangeliorum sæpe producit testimonia ex utroque opusculo memorato · Ex codice scilicet Einsidlensi, complexo descriptionem regionum Urbis, et Collectionem Romanorum inscriptionem, nono Christi sæculo in Urbe spectabilium; et ex Notitia Urbis, a Willelmo Malmesmuriensi inserta lib. III suæ Historiæ gentis Anglorum.

Non levia vero adjumenta censenda sunt ad declarandas plerasque partes operis Anastasiani ea quæ ex opusculis indicatis proficiscuntur. Cum enim assignetur in singulis ferme pontificibus nomen cœmeterii quo sunt reconditi, ex his testimoniis addiscimus indicationem certam eorumdem sepulcri ac depositionis. Si quis autem reputet quam proxime nectantur ætates singulorum monumentorum, hoc est codicum, picturarum et inscriptionum, quæ ad tuendam et conservandam seriem et Acta pontificum colliguntur ex quarto Christi sæculo, quo Catalogus Liberianus contexebatur, ad seriem perductam quinto sæculo in picturis basilicæ S. Pauli ad proximos decessores S. Leonis Magni, tum ad secundum Catalogum sub Justiniano circa medium sæculi sexti, et ad Corbiensis codicis Catalogum Vigilio æqualem; hinc vero ad alterum Corbeiensis ad finem septimi sæculi sub Conone, et ad initium octavi sub Sergio II et Joanne VI perscriptum; tum ad notitiam codicis Einsidlensis noni sæculi ætatem præ se ferentis attendat; et consideret descriptionem Urbis productam circa finem undecimi sæculi ab historico Malmesmuriensi; si has, inquam, successiones ætatum et codicum æqualium placeat attendere, nemo non videt ab hisce monumentis, quæ synchrona sunt auctori

bus Vitarum in Pontificali hoc Libro superstitum, opus Anastasianum solide fulciri et nitide illustrari: sive depositiones pontificum memoret; sive fundationes cœmeteriorum et ecclesiarum; sive reparaiisdem sacris ædibus per eos tributa; sive reparationes subinde additas: quibus in rebus recensendis Vitarum earumdem scriptores non modicam suæ curæ partem plerumque posuerunt.

9. Quin etiam judico posse inde contrahi compendium non exiguum, si topographica tabula ex hisce opusculis describatur, quæ tum vias Urbis celebriores, tum præcipuas ex suburbanis exprimat justo intervallo ac dimensione, usque ad cœmeteria intra secundum aut tertium ab Urbe lapidem occurrentia; ut juxta utriusque opusculi indicationem præstantiores memoriæ ac monumenta dextra læ- B vaque occurrentia in viis singulis, sub aspectum cadant. Erit id profecto genus notarum brevitate atque opportunitate maxime commendatum.

10. His igitur præmissis declarationibus, ad opus universum accommodatis, singulæ jam Vitæ per sectiones textui appositas in priori tomo erunt Notis Variorum instruendæ, et methodo, quam probari plerisque intelligo, ita disponendæ.

Ut appareat, ex priori Catalogo Liberino, per Bucherium edito, scriptorem secundi Catalogi sub Justiniano pleraque desumpsisse, quæ deinde ex utroque mutati sunt scriptores Vitarum Anastasiani; singulæ Vitæ pontificum a S. Petro ad Liberium erunt verbatim reddendæ, uti præstitit Schelestratius: cujus rei specimen dedimus in præfatione C prioris tomi, num. XI. Digessit ille per columnas, ut locum faceret recensioni pontificum successionis e scriptis Patrum collectæ, atque ut variantium lectionum comparatio facilior redderetur: quæ omnia perbelle concinunt ejus proposito atque instituto. Nostri vero consilii cum sit hoc in loco ostendere *verba, ex Catalogis vetustioribus translata in Vitas* Libri Pontificalis (nam *variantes Lectiones* complexi sumus tomo superiore), contenti erimus proxime appositos textus conferre Catalogorum et Vitarum. Ita enim fiet, ut in textu Vitarum Anastasiano reddendo servari possit series ac numerus versuum, ad quos notæ referuntur, sive legantur in primo, sive in hoc secundo operis tomo, quem aggredimur. Hæc versuum ratio servari vix posset, si dispositio ordinare- D tur per columnas.

11. *Notæ* subinde consequentur *Variorum Auctorum,* quos pollicitus est typographus hoc tomo complecti, juxta ordinem alphabeti singulorum nomina et observata producendo.

A Schelestrate cæteris præponetur, non tam occasione singularis litteræ A principis in alphabeto, quæ dictionem integram ejus gentilitii nominis antecedit; quam ex notarum illius natura: quæ cum verba demonstret ex Catalogis translata in Anastasium, ab eorumdem scriptorum contextu non est disjungenda.

Altaserra erit proximus. *Bencinius* hunc consequetur. *Binius* cum *Labbeo* componetur (suis tamen notis cuique sejunctim assignatis); cum in editione Pontificalis hujusce Libri ante concilia sub eo pontifice habita, quæ ipsius Vitæ subjiciuntur, utriusque cura in unum studium coalescat. Si quæ *Blanchinus* habuerit, ea post Binium et Labbeum proferentur.

Res attamen chronologicas jejune admodum pertractabit in Notis huic tomi includendis; tum quod *universæ Chronologiæ Christianæ* cura ipsi concredita differatur in tomum peculiarem, qui, Deo dante, erit tertius istius editionis: tum etiam, quia Dissertatio ab ipso contexta *de Antiquis Catalogis pontificum Romanorum,* hisce Prolegomenis inserta numero 11, satis ostendet *Observationes ad chronotaxim pontificum referendas* (potissime cum accedat dissertationi memoratæ in fine hujus tomi posita chronologia consularis et pontificia ad universum opus Anastasianum); ita ut facile possit intelligi cui potissimum Catalogo, et quibus ex indiciis ac probationibus in singulis Pontificibus sit deferendum. Fusius deinde, ac solidius temporum *notæ* ac *demonstrationes* per annos singulos exponentur *tomo* illo *chronologico,* quem sibi solidum vindicabit *æra Christiana,* addita etiam serie annorum a Julio Cæsare ad initium æræ Christi communis, ne quidpiam desideretur hoc in argumento temporum, illi necessario connexum. Monet autem in antecessum, reservari a se indicato tomo tertio tum *demonstrationes temporum* diuturno labore collectas, per annos plusquam triginta, quibus in chronologia firmanda et illustranda exercetur, tum emendationes Fastorum Consularium, e genuinis monumentis marmorum et numismatum antiquorum deductas; tum etiam correctiones, aut elucidationes clariores utriusque chronologiæ pontificiæ et consularis, quæ dietim colliguntur ex documentis non antea perspectis, si quæ inter editionem adornandam accesserint.

Claconio proximus juxta alphabeti seriem obtinget locus. Nec tamen omnia observata Ciaconii ad Vitas pontificum pertinentia, quemadmodum nec Binii nec Labbei notæ omnes sunt afferendæ, ne opus in immensum excrescat. Ex istorum commentariis lectiora et maxime utilia ad Anastasiani operis declarationem ita excerpenda susceperunt viri clarissimi, ut modum justi voluminis servent: neque aliter seligentur etiam ex opere erudito R. P. *Francisci Pagi* recenter edito, cui titulus est: *Breviarium Historico-Chronologico-Criticum, illustriora pontificum Romanorum gesta,* etc., *complectens.* Necnon ex præclaris lucubrationibus Illustriss. viri S. Th. D. abb. Joan. Claudii Sommier sereniss. Lotharingiæ ducis a secretioribus consiliis et ablegati ad sanctiss. dominum nostrum, Nancæi editis anno 1716, quibus dogmaticam historiam S. Sedis complectitur. Verum de chronologicis pauca erunt in notis delibanda, cum, uti paulo ante dictum fuit, plenior chronologiæ pertractatio reservetur tomo tertio istius editionis.

EJUSDEM FRANCISCI BLANCHINI

PRÆFATIO

AD TERTIUM TOMUM EDITIONIS ROMANO-VATICANÆ.

1. Professus fueram in præfatione initio operis præfixa numero 10 acturum me generatim de *origine*, *auctoritate* ac *fide* historiæ in hisce Vitis expressæ, tum de illius *documentis* et *probationibus*. Originem vero primam esse arcessendam a catalogis, præsertim a duobus illis antiquitate præstantibus supra cæteros, quorum prior sub Liberio papa refertur ad quartum æræ Christianæ sæculum, alter vero sub Felice IV ad primum trientem sæculi sexti, nempe ad annum circiter 530. De utroque catalogo satis egimus tum concise in præfatione tomi I, tum fusius in prolegomenis secundi, ubi catalogorum fontes ac documenta aperuimus in genuinis Romanæ Ecclesiæ monumentis; et exempla vetustiora utriusque illius, nec non aliorum catalogorum probatiora, et universorum correctiones ac supplementa protulimus. Satis igitur consultum fuisse videretur huic etiam tomo per prolegomena secundi, quæ illustrant ætatem ab utroque catalogo definitam; si ultra Felicem IV non procederent Vitæ huic tertio tomo includendæ. Verum cum illæ excurrant ultra metas catalogi Feliciani ad finem ferme sæculi sexti, a nobis exigunt ut hic afferatur quidquid peculiare suppetit post catalogum Felicis IV ad illustrandam chronologiam, historiam ac documenta gestorum a pontificibus ætatis inde consecutæ. Hæc vero digeram partim in præfatione, partim in prolegomenis, partim in notis, quemadmodum in superiori tomo præstitum fuit.

2. Observo igitur primum non desiisse cum Felice IV curam complurium Romanæ Ecclesiæ ministrorum in colligendis et in epitomen contrahendis Vitis pontificum, quemadmodum fieri perceperant ab auctoribus utriusque catalogi, Liberiani ac Feliciani, usque ad annum 530. Vitæ ipsæ subsequentes, a bibliothecariis sanctæ Romanæ sedis pro tempore concinnatæ, et posteriores catalogi, ad decimum et undecimum Christi sæculum perducti, abunde manifestant hujus consuetudinis prosecutionem non intermissam. Duo tamen afferam peculiaria documenta, quæ comprobant, non modo ad *Magnum Gregorium*, in quo desinit tertius hic tomus, quin et ad duodecimum Christi sæculum, ad quod nonnulli ex catalogis in superioribus tomis editi pertingunt, sed etiam ad inferiora tempora, imo et ad nostram ætatem identidem viguisse, et adhuc vigere viros tenaces antiqui illius moris, qui sive privato studio, sive publico testimonio documenti omnium oculis exposita complecterentur summam gestorum a maximis pontificibus editorum.

3. Fraudare non debeo communione hujus laudis sæculum Christi decimum tertium: cujus monumentum plane egregium et nostro argumento in primis idoneum nuper effossum in tabula marmorea ex ruderibus suburbanis vineæ non longe ab Urbis mœnibus via Aurelia constitutæ in collibus Vaticanis lubentius dabo, cum elogium pontificis Maximi Nicolai tertii litteris capitalibus in illo marmore incisum ita accedat ad stylum compendiosæ Vitarum complexionis in catalogis usurpatæ, ut portio quædam catalogi videri possit, nisi conspectus lapidis et litterarum Gothici ductus, ac forma illius ætatis propria demonstraret fuisse inscriptionem muro Urbis olim affixam in ea parte pomœrii Vaticani, quam legimus etiam apud Ptolemæum Lucensem, Jordanem et Platinam fuisse a Nicolao III fundatam aut reparatam. Suspicor autem una cum antiquis mœnibus dejectam fuisse, et in adjacentes vineas temere perlatam a cæmentariis, quando novæ munitiones cum propugnaculis juxta leges architecturæ militaris hodiernæ constructæ fuerunt sedente Urbano octavo, et diruti veteres muri cum suis turribus, qui civitatis Leoninæ et Vaticani palatii ambitum antea constituebant. Marmor mihi feliciter indicatum, et a scalpris lapicidarum exemptum, quibus jamjam admovebatur in frusta excidendum, vel fornaci calcariæ misere destinatum, numerato pretio quantocius redemi, et offerendum esse duxi Urbano magistratui, ut in Capitolinis ædibus inposterum præservetur una cum cæteris summorum pontificum monumentis, quæ posthac evenerit e sua sede divulsa reperiri. Tanto enim potiori jure ibi debent nostrorum pontificum mèmoriæ retineri, et ab injuriis temporum vindicari præ cæteris antiquæ vel recentis Urbis principum et magistratuum nominibus ac fastis; quanto regale Christi sacerdotium per beati Petri sedem in urbe omnium domina dedicatum superat rerum humanarum subjecta fastigia. Velim attamen, ut incitamento sit præscripta mihi Romanarum antiquitatum ab excidio ac oblivione vindicandarum cura, et obsequentissimum studium erga Urbem tot nominibus universarum gentium amorem promeritam, quas benigne complectitur, alit, fovet, honestat, unica parens ac patria exteris offerens non modo reipublicæ suæ munera etiam suprema, sed quidquid cœlo terrisque pretiosissi-

mum est, et per eam erogandum Deus Optimus Maximus mortali generi indulsit, velim, inquam, ut incitamento sit grata hæc in communem parentem ac debita animi devotio, ut præservetur beneficentissimæ matri ac magistræ veritatis quidquid illa suis e visceribus depromit antiqui præsertim operis et scripturæ ad rerum gestarum suorumque dominorum et civium, sanctorum martyrum in primis et summorum pontificum, Cæsarum deinde, regum, dictatorum, consulum, præfectorum Urbi, aliorumque magistratuum, legum, triumphorum, et insignium gestorum, memoriam posteris ingerendam. Verum hæc alias, nec tamen inopportuna, dilectissimæ mihi matris pietas et suorum monimentorum cum publico bono arcta necessitudo ac nexus adegit adprecari.

Auspicato igitur contigit ut hæc tabula nobis ostenderet præservatum ætati nostræ documentum optimi pontificis ex inclyta gentis Ursinæ sobole Nicolaum ejus nominis tertium, cum hæc ipsa, quam feliciter degimus, ætas glorietur sanctissimum Patrem ac dominum nostrum BENEDICTUM XIII ex eadem stirpe progenitum Ecclesiæ bono pontificem divinitus datum, et diu sospitem ac florentem præesse flagitet quo uberiora ac diuturna seris posteris ejus virtutum exempla transmittat. Sed huic præsertim operi jure merito præservabatur Nicolai pontificis rediviva memoria, nempe illius antistitis, qui, decessorum suorum monimentis ad posteros derivandis impense addictus, *Seriem pontificum Romanorum in basilicis patriarchalibus sanctorum Petri et Pauli* ex vetustissimis exemplis *seriei sub Leone Magno superne pictis* una cum *chronologia annorum, mensium ac dierum* sedi uniuscujusque tribuenda *ibidem expressa*, iterari jussit cum imaginibus eorumdem pontificatum sub epistyliis columnarum: quemadmodum exposui in prolegomenis tomi secundi ex folio LXXII ad LXXX, quod etiam forma ipsa et figura characterum manifestat. Nam *veteres illi Leonianæ seriei* tam in musivo qnam in picturis et inscriptionibus pontificum *quadrati sunt*, non secus ac in epigrammatibus marmori incisis quarto Christi sæculo sub Damaso, aut labente quinto sub Cœlestino, Sixto, Leone Magno, Hilaro, etc., in serie autem a Nicolao III addita figura litterarum non recta observatur, et quadrata aut circularis *sed oblonga et Gothica inflexione curvata* : qualem spectamus in tabula marmorea sub ejusdem Nicolai pontificatu insculpta, quam hic fideliter reddo.

+ANO DNI·M·CC·LXXVIII·SCISSIMVS PAT DNS NICOLA VS·PP·III·FIERI FECIT PALATIA ET AVLA MAIORA ET CA PELLA·ET ALIAS DOMOS ATIQVAS AMPLIFICAVIT PONTIFI CATVS SVI ANO PMO·ET ANO SO POTIFICAT SVI FIERI FE CIT CIRCVITV MVRORV POMERII RVIVS·FVI I AVT P DCS SVM POTIFEX NATIOE ROMAN EX PTRE DNIMATHI RVBEI DE DOMO VRSINORVM

NICOLAI PP. III inscriptio, hoc anno MDCCXXVII reperta, et in Capitolinas aedes translata cum sequenti Epiraphe ex S. C.

NICOLAI III PONTIFICIS MAXIMI
De augmento Divini cultus
Christianæ Reipublicæ pace
Italiæ libertate et securitate
ditionis Ecclesiasticæ juribus
ac de Urbis tranquillo statu
optime meriti
antiquam epigraphen
pomerii Vaticani muris olim affixam
in suburbano Viæ Aureliæ prædio nuper inventam.

SEDENTE SS. D. N. BENEDICTIO PAPA XIII
non tam Gentis Ursinae decori
quam Patriæ ornamento futuram
Capitolinis Fastis apponendam curarunt
Paulus March. de Maccaranis
Camillus Capranica } *Cons.*
Prosper March. de Caffarellis
Lotharius March. de Lotteriis Prior Cap. Reg.
Idibus Decembris MDCCXXVII.
Obtulit Capitolio
Franciscus Blanchinus Veronensis
SS. D. N. papæ Præl Domest.

4. Unusquisque facile intelligit auctorem hujusmodi inscriptionis præ oculis habuisse stylum veterum catalogorum et biographorum ætatis Anastasianæ dum hæc dictaret rudi Minerva, quemadmodum infelicis illius sæculi conditio ferebat. Sicut enim illi, imo et vetustiores scribere consueverant,

Vigilius, natione Romanus, ex patre Joanne consule; *Pelagius, natione Romanus, ex patre Vicariano*; *Gregorius, natione Romanus, ex patre Gordiano*; *Nicolaus II, natione Romanus ex patre Theodoro regionario*, ita et epigraphis nostræ auctor consignandum esse duxit, *Nicolaum tertium fuisse natione Romanum, ex patre domini Matthæi cui Rubei* agnomen superadditum, *de domo Ursinorum. Scripserant veteres illi de Felice quarto: Hic fecit basilicam sanctorum Cosmæ et Damiani, et basilicam S. Saturnini a solo refecit,* et de Leone III civitatis Leoninæ ab eo denominatæ [utpote conditore] memorat *secundo anno sui pontificatus* [sectiones 33] *cœpisse construere; sexto autem anno magnis ac mirabilibus fabricis opus consummasse.* Ita et recentior Nicolai tertii laudator *fieri fecit*, inquit, *palatia et aulam majora, et capellam, et alias domos antiquas amplificavit pontificatus sui anno primo, et anno secundo pontificatus sui fieri fecit et circuitum murorum pomerii hujus.* Apparet igitur satis viguisse pluribus etiam sæculis, post utrumque catalogum Liberianum et Felicianum sero consecutis imitationem styli veteris catalogorum et biographorum sedis apostolicæ, perinde annotantibus patriam, ac patrem pontificum singulorum, et summam gestorum, quemadmodum in matutinis lectionibus sanctorum pontificum recitare consueverat Romanus clerus. Mihi autem facile persuasum est ab aliquo ex clero ejusmodi lectionibus assueto dictatam fuisse Nicolai tertii quam retulimus inscriptionem. Unde etiam intelligitur ipsos veteres titulos, et epigraphes operum a summis pontificibus constructorum aut reparatorum, non materiem modo, sed etiam verba quandoque ministrasse posteris, producentibus suos catalogos et breviaria Vitarum ad propriam ætatem.

5. Accessit biographis et breviatoribus aliud promptuarium proxime post catalogum Liberianum, unde peterent fida et publica documenta compendiariæ *chronologiæ, genealogiæ, et historiæ* uniuscujusque pontificis. Nam beatus Damasus, proximus successor Liberii, cum versibus exornaret plerasque memorias martyrum aliorumque sanctorum, quin etiam privatorum fidelium cineres ita aliquando condecoraret, pro ea charitate qua piissimus Pater prosequebatur filios Ecclesiæ sibi concreditos, exempla intulit moris inde continuati, apponendi scilicet ad sepulcra successorum pontificum epigraphes metro alligatas, in quibus eorumdem præsulum gesta potiora et chronologia plerumque significantur. Exempla hujusmodi epigraphum leguntur passim in Baronii Annalibus, et in appendice thesauri Gruteriani, necnon in descriptione basilicæ Vaticanæ Benedicti Canonici, edita a Petro de Angelis. Harum complures descriptæ fuerunt a comitatu Caroli Magni, quin etiam ab ipsomet Carolo: qui non modo eruditos secum ducebat, verum et ipse suopte marte procudit elegans illud epigraphium S. Adriani papæ I tumulo affixum, uti cognoscimus ex collectione veteris codicis bibliothecæ Einsildensis in tomo quarto Analectorum Mabillonii, et eruditis in eamdem collectionem notis. Patebat igitur seges non modica documentorum scriptoribus prosecuturis catalogos ac Vitas summorum pontificum, dum perlustrabant ejusmodi titulos, ut inde colligerent sua spicilegia. Multo autem pleniores fontes historiæ illis aperiebantur in eorumdem pontificum epistolis, et conciliorum Actis, uti observatum jam pridem fuit in præfationibus primi ac secundi tomi nostræ editionis.

6. His autem breviter indicatis, præterire non debeo alterum caput documentorum compendiariorum, quæ non modo præteritis ætatibus usurpabantur, sed etiam hac nostra vigent, et referunt brevitatem et ordinem catalogorum et biographorum. Nam in funere Romani pontificis curando medici et chirurgi, qui defuncti cadaver a sacerdotibus pœnitentiariis basilicæ Vaticanæ lotum, balsamo et aromatibus condiendum suscipiunt, ita præparatum et purgatum sacris ministris tradunt pontificalibus indumentis ornandum: quod subinde a canonicis et clero Vaticano delatum ad exsequias novemdiales de more persolvendas, postquam triduo expositum pio studio populi accurrentis, oscula suprema pedibus viri apostolici venerabiliter libantis patuit, includunt arcæ cupressinæ: cui aliam capsam plumbeam superinducunt. In hujus autem operculo brevem epigraphen disponunt, æneis litteris exstantibus compactam, quarum singulæ acutis processibus clavorum more assurgentibus infiguntur et arcte statuminantur cum plumbi lamina, ne excidant aut perturbentur; sed distincte pep eas legatur nomen, patria, ætas et epochæ vitæ ac pontificatus defuncti præsulis. Quartus supra quadragesimum annus jam labitur ex quo, Deo dante, ad Urbem feliciter accessi, Romanam cathedram insidente venerabilis memoriæ pontifice Innocentio XI, quo ex humanis rebus exempto pridie Idus Augusti 1689, Feria VI, ad ejus corpus includendum paratæ plumbeæ capsæ operculo infixam vidi æneis characteribus exstantibus hanc inscriptionem, quam in Ephemeride sua retulit sacrarum cæremoniarum magister pontificius Candidus basilicæ S. Mariæ Transtiberim canonicus Cassina.

✠

D. O. M.

INNOCENTIUS XI. PONTIFEX MAXIMUS
ANTEA BENEDICTUS ODESCALCHUS COMENSIS
OBIIT DIE XII. AUGUSTI MDCLXXXIX.
ÆTATIS SUÆ ANN. LXXVIII. MENS. II. DIEB. XXIV.
VIXIT IN PONTIFICATU ANN. XII MENS. X.
DIES XXI.

Exceperunt venerabilem Dei servum proximi successores S. M. *Alexander* VIII. *Innocentius XII, Clemens XI,* quorum in me beneficentiæ si vicem reddere scribendo nitar, arrogans plane et supra vires præsumere et aggredi velle coarguar. Non tamen culpabor, si consuetudinem in his quoque tumulandis [quemamodum in Innocentio] servatam

testis oculatus asseram, quippe qui a domesticis obsequiis Alexandri et Clementis ipsorum dignatione delectus, supremis in eos officiis deesse non debui. Addo igitur, præter epigraphen illam plumbeo loculo infixam, peculiarem alteram ex ærea lamina inclusam fuisse Alexandri pontificis capsæ ab eminentissimo ac reverendissimo nepote Petro card. Otthobono S. R. E. vicecancellario, nunc etiam episcopo Sabinensi, dum magni patrui optime de se meriti corpus transferret ad cellam magnifici monumenti, regio sumptu a se excitati, quod inter præcipua basilicæ Vaticanæ ornamenta suspicimus. In illa pariter tabella ænea veterum catalogorum moderatio servata est, breviter indicans nomen, patriam, genus, et præcipuas vitæ ac munerum in Romana Ecclesia ab eodem pontifice gestorum epochas ita complexa, præfixo Dominicæ crucis signo de more.

†

D. O. M.

ALEXANDRO VIII. PONT. MAX.
PETRO OTTHOBONO MARCI EQUITIS
VENETÆ REIP. MAGNI CANCELL. FILIO
EX VICTORIA TORNIELA CONIUGE
VENETIIS NATO XXII. APRIL. MDCX.
INTER CARDINALES COOPTATO MDCLII.
AD ROMANAM SEDEM ÆVECTO
PRID. NONAS OCTOBR. MDCLXXXVIIII.
IN CHRISTO QUIESCENTI
KAL. FEBR MDCLXXXXI
PETRUS CARD. OTTHOBONUS
S. R. E. VICECANC. FRATRIS NEPOS
PATRUO MAGNO OPTIMO PRINCIPI
POSUIT ANNO IUBIL. MDCC.

Clementi vero XI eminentissimus ac reverendissimus D. Annibal card. Albanus S. R. E. camerarius in hypogæo chori basilicæ Vaticanæ, quod solummodo patuit industri ejus pietati ad ornandum pro dignitate ac studio tanti pontificis tumulum, vetante ipso ne moles magnifica sibi demortuo excitaretur, præter inscriptionem arcæ plumbæ de more affixam, brevem hanc et antiqui moris tabulæ marmoreæ commendavit.

CLEMENTI XI. PONT. MAX.
OLIM. IO FRANCISCO ALBANO
CAROLI FILIO.
ANNIBAL CARD. ALBANUS S. R. E. CAM.
ET VATIC. BASILICÆ ARCHIPR.
PATRUO BENEFICENTISSIMO P.
ANNO SAL. MDCCXXII

Ponuntur et aliæ brevissimæ inscriptiones Romanis pontificibus supremum diem in Urbe claudentibus, quando eorum præcordia in curando et aromatibus condiendo cadavere e corpore exempta in sacro loco honorifice reconduntur. Si enim in palatio Vaticano contigerit pontificem mori, illa in secretario basilicæ S. Petri locum obtinent in pavimento prope altare in ædicula seu cappella ad sanctorum reliquias asservandas constructa. Sin autem in Quirinali obierit (quod plerisque evenit ex quo palatium incolunt ibi a Paulo V fundatum), deferuntur præcordia ad ecclesiam parochialem SS. Vincentii et Anastasii, ubi prope aram maximam ex latere Evangelii in pavimento reconduntur, brevissimis inscriptionibus e marmore impositis in hanc sententiam, quarum duas transcribam e pluribus ibi legendis.

D. O. M.
PRÆCORDIA.
CLEMENTIS X. P. M.
OBIIT IN QUIRINALI
DIE XXII JULII MDCLXXVI.

D. O. M.
PRÆCORDIA.
INNOCENTII XIII P. M.
OBIIT IN QUIRINALI
DIE VII. MART. MDCCXXIV.

7. Videmus itaque, neque in Liberii sæculo, neque in Felicis quarti ætate consuetudinem desiisse stylum catalogorum servandi in brevibus ac publicis hujusmodi monumentis ; sed illum fuisse in Romana Ecclesia constanter ad nos transmissum partim in sacris diptychis, partim in catalogis et breviariis Vitarum, necnon in marmoreis tabulis et metallicis usque ad nostram ætatem, ita ut ratum apud omnes haberi debeat, constare fidem chronologiæ ac historiæ pontificum Romanorum his etiam ex documentis, post catalogos Liberii et Felicis quarti ætate collectos, ex monumentis non dissimilibus diptychorum, inscriptionum, et Actorum publice signatorum, tam vita eorum constante in conciliis, ordinationibus, dedicationibus gestisque pluribus in pontificatu, quam ipsorum in funere ac tumulatione.

8. Erant igitur in prælatione attingendæ hujusmodi consuetudines apud nos vigentes, quæ generatim probant origines ac fontes consecuti operis Anastasiani post duplicem catalogum sub Liberio et Felice IV editum, cum indicent pium officium non intermissum signandi nomen, genus, ac tempora singulorum beati Petri cathedræ successorum. Generatim, inquam, præfatio nostra debuit attingere has probationes, nam cætera peculiaria quæ singillatim demonstrant uniuscujusque pontificis characteres chronologicos, et potiorum gestorum indicationes, illa reservantur notis ad sectiones singulas de more afferendis.

9. Perfuncta cum sit præfatio nostra hoc priori munere, quod versari diximus circa indicationem originum operis consecuti a termino ætatis utroque catalogo ex duobus antiquioribus definitæ, contendit ad aliud officium præstandum, nempe ut proponat opuscula, quæ censui esse in Prolegomenis proferenda. Tria vero huic tomo sufficere judicavi.

In longa serie pontificum implentium tria ferme sæcula a beato Silvestro ad Gregorium Magnum, qui hoc tomo exhibentur sub Christianis principibus, ut plurimum, in pace florens Ecclesia videbatur offerre sui regiminis ministerium facilius summis pontificibus eam moderantibus potestate Christi in terris vicaria ; cum vis aperta persecutorum jam non im-

peteret sacerdotalis ordinis viros, quemadmodum A impetebat sub Decio et Diocletiano. Verum ubi decumanæ illius persecutionis procella deferbuit, et Petri navim cum navarcho absorbere jam non contendit, intestinus hæresum motus et schismatum navigantes concussit, et e clavo deturbare moderatorem ipsum connisus est. Tumultus illius auctores justa expulsione, ut par erat, e cœtu fidelium projecti, degenerarunt ex sociis itineris in piratas. Hæresiarchæ extra Ecclesiam ejecti hostiles animos manifestant, intruduntur sæpe a principibus, secum in errorem pertractis, ad occupandos eosdem thronos, a quibus fuerant depositi. Inde autem detonant contra Romanam fidem ac sedem : quod in Constantinopolitanis non semel contigit : freti potentia sæculi catholicæ religionis dogma subvertere B et apostolica jura convellere ac subruere connituntur. Infractus interim animus Petri successorum concreditam sibi auctoritatem tuetur, et ad fidei constantiam retinendam, et unitatis ac disciplinæ ordinem servandum alios episcopos firmat. In variis ætatum vicibus æqualis ac sibi constans Romanorum præsulum vigor promissam sibi divinitus vim manifestat, et petræ illius firmitatem, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Hujusmodi autem soliditatis æqualis in tanta varietate discriminum per tria illa sæcula a quarto ad sextum æræ Christianæ, quæ Romanum imperium misere dilacerarunt ac everterunt, percelleret minus evidenter lectoris animum, si membratim, ut ita dicam, dissecta in textu ac in notis solummodo per partes exhiberetur. Col- C ligenda erat continuata quadam delincatione veluti in unum corpus historiæ : quod cum præstiterit ill. ac rev. D. archiepiscopus Cæsareensis Joan. Claudius Sommier in præfatione ad tomum secundum suæ Historiæ dogmaticæ S. Sedis, curavimus in prolegomenis hujusce tomi primum ex opusculis edi num. 1. Illud ex Gallico idiomate in Latinum transtulit V. C. D. Cajetanus Cenni, ab hujusmodi labore me relevans, cæteroqui occupatum in notis ex ejusdem præsulis libro Latine reddendis, et in chronologia continuanda, quæ postremum locum in prolegomenis tenet.

10. Primum igitur opusculum illud pertinet ad dilucidandum conspectum Historiæ. Cætera in prolegomenis collecta referuntur ad comprobationem D gestorum quæ in eadem Historia seu Vitis pontificum memorantur. Gesta vero præcipua versantur vel in statuendis regulis fidei ac morum, vel in legibus decernendis de ritu divini cultus accurate exercendo, et causis, et judiciis pertinentibus ad eumdem cultum : quo in censu veniunt electiones, ordinationes, et consecrationes sacerdotum majorum ac minorum, ac ministrorum, fundationes, dotationes, dedicationes sacrarum ædium, totiusque divini ministerii canon et ordo ad ea peragenda.

Et illa quidem quæ pertinent ad regulas fidei ac morum vel in conciliis constituta per summos pontifices indictis et approbatis, vel extra concilium in decretalibus eorumdem epistolis, non indigent elucidatione aut probatione ulla in prolegomenis : cum præ manibus omnium sint *Collectiones canonum veteres*, præsertim Latinæ : quarum collectionum exordia plerique scriptores ætatis nostræ referunt ad quintum sæculum Christi, et augmenta reperiunt in sexto per *Dionysium* cognomento *Exiguum*, aut in proximis ætatibus curata per *Cresconium* et *Isidorum*. Sed et recentiores illustratores juris canonici abunde cumularunt veterum diligentiam in amplissimis operibus, acri judicio subactis et castigatis : quod perinde evenit in colligendis decretalibus epistolis, ac inter eas secernendis genuinis et veris ab apocryphis et suppositiis ; ita ut pars hæc gestorum pontificalium nullius opusculi indiga videatur.

11. Quod autem pertinet ad partem alteram pontificii muneris, et ad praxim divini cultus rite præstandam per fundationes sacrorum locorum ac cœtuum, eorumque dotationes ac dedicationes, necnon per institutiones et ordinationes sacerdotum, et seriem ministerii decenter ab iis obeundi, hæc omnia utiliter admittunt delectum opusculorum aliquot his prolegomenis inserendorum ad illustrationem aut comprobationem historiæ in Vitis digestæ. Annis enim ferme tercentis ab ætate Constantini et Sylvestri ad Magnum Gregorium et ad imperium Phocæ proxime numeratis, quæ materies est hujus tomi, occurrunt præcipuæ fundationes, ac dotationes Ecclesiarum, sacræ supellectilis genera ædibus Deo dicatis illata, atque instrumenta reliqua divini cultus, antiquis nominibus hic indicata per bibliothecarios pro tempore : quæ vocabula neque ante admiserant Latinæ linguæ scriptores, nec posteri ad hanc ætatem retinuerunt. Erat igitur illustranda hæc obscuritas ope nomenclatoris eruditi, qui facem opportune præferret. Prætulerat vero providus historiæ reparator Panvinius, dum opusculum conderet transmissum Laurentio Celso, editumque typis cum Platina de Vitis pontificum Coloniæ apud Scholinum anno 1574, cui titulus præfixus est *Interpretatio vocum ecclesiasticarum quæ obscuræ vel barbaræ videntur*. Animum induxeram, ut hoc ipsum *Panvinii* opusculum hic recuderem tanquam fontem primum *Hierolexicorum*, et opportunum satis ad voces Anastasii elucidandas, illudque non nimis obvium præ raritate exemplorum. Verum cum jam prodierint in lucem *lexica*, multo *ampliora*, et omnis ævi eruditione referta, *Macri* præsertim et *Cangii*, quæ iteratis impressionibus jam non difficulter parantur, temperavi a Panvinii opusculo, aliisque similibus inter prolegomena recensendis. Visum mihi est præstare, ut afferrem aliquot publica documenta illius ætatis de qua hic agimus, in quibus ecclesiarum fundatio ac dotatio sociaretur cum expressione sacræ suppellectilis, obscuris ac barbaris vocibus bibliothecarii etiam in textu enuntiatæ.

12. Præferenda vero fuit cæteris *charta* illa Tiburtini archivi *Cornutiana* appellata a scriptoribus

diplomaticis : quæ primum in lucem producta fuit a V. C. Josepho Suaresio, tunc erudito adolescente, postmodum illustrissimo episcopo Vasionensi, deinde recusa a rei diplomaticæ omnium consultissimo Mabillonio, et cæteris chartis in opere illo plane incomparabili collectis jure præmissa. Satis enim fuerit ex hujusmodi documento illius ætatis de qua hic agimus, et in publicas tabulas relato *Leone Augusto quartum et Probiano Coss.* (nempe æræ Christianæ anno 471), satis, inquam, erit inde ostendere consuetudinem donationum ac dotationum sacris ædibus præstitarum, et vocabula complura generum ac specierum sacræ supellectilis, in textu Bibliothecarii et in charta Cornutiana perinde occurrentia. Contenti autem erimus illo quasi specimine illustrare prolegomena tertii hujus tomi, cum alia prolata sint ex inscriptionibus vetustis in præfatione ad tomum primum numero 45 et seqq.

13. Hisce igitur opusculis prolegomena nostra cum instruxerimus, eadem complebimus adjecta chronologia pontificia, Cæsarea et consulari trium sæculorum huic tomo commendatorum : quam adornandam curavi ad instar præcedentis tomo secundo dispositæ per annos singulos cum documentis monimentorum veterum eamdem comprobantium : ut deinde ad sectiones textus bibliothecarius, et ad earum notas ingressus de more pateat, et regia muniatur via.

CATALOGUS PONTIFICUM ROMANORUM (a)

Quem Cuspianus totum in Fastos suos transtulit.

Ex Ægidii Bucherii Commentario in Canonem Paschalem Victorii, pag. 269 *Editionis Plantinianæ Antverpiæ MDCXXXIV, cum notis marginalibus ejusdem Bucherrii.*

Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster Jesus Christus duobus Geminis consulibus, VIII Kalendas Aprilis, et post ascensum ejus beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus, et quot annis præfuit, vel quo imperante.

PETRUS annis viginti quinque, mense uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis : a consulatu Vinicii et Longini usque Neronis et Veteris *(b)*. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julias, consulibus SS. imperante Nerone.

LINUS annis duodecim, mensibus quatuor, diebus duodecim. Fuit temporibus Neronis, a consulatu Saturnini et Scipionis, usque Capitone et Rufo.

CLEMENS *(c)* annis novem, mensibus undecim, diebus duodecim. Fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a consulatu Trachali et Italici, usque Vespasiano VI et Tito.

CLETUS annis sex, mensibus duobus, diebus decem. Fuit temporibus Vespasiani et Titi, et initio Domitiani, a consulibus Vespasiano VIII et Domitiano Viusque Domitiano IX et Rufo.

ANACLETUS annis duodecim, mensibus decem, diebus tribus. Fuit temporibus Domitiani, a consulibus Domitiano X et Sabino, usque Domitiano XVII et Clemente.

EVARISTUS *(d)* annis tredecim, mensibus septem, diebus duobus. Fuit temporibus novissimis Domitiani, et Nervæ, et Trajani, a consulatu Valentis et Veri, usque Gallo et Bradua.

ALEXANDER annis septem, mensibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani, a consulatu Palmæ et Tulli, usque Veliano *(e)* et Vetere.

SIXTUS annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Adriani, a consulatu Nigri et Aproniani, usque Vero III et Ambibulo.

TELESPHORUS annis undecim, mensibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Antonini Macrini, a consulatu Titiani et Gallicani, usque Cæsare et Balbino.

HYGINUS annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus Veri, a consulatu Gallicani et Veteris, usque Præsente et Rufino.

PIUS annis viginti, mensibus quatuor, diebus viginti uno. Fuit temporibus Antonini Pii, a consulatu Clari et Severi, usque duobus Augustis. Sub hujus episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatur contineturque quod ei præcepit angelus, cum venit ad eum in habitu pastoris.

(f) SOTER annis novem, mensibus tribus, diebus duobus. Fuit temporibus Antonini et Commodi, a consulatu Veri et Erenniani, usque Paterno et Bradua.

(g) VICTOR annis novem, mensibus duobus, diebus decem, a consulatu Saturnini et Galli, usque Præsente et Extricato.

(h) CALLISTUS annos quinque, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini et Heliogabali, a consulatu Antonini et Adventi, usque Antonino III et Alexandro.

URBANUS annos octo. menses undecim, dies duodecim. Fuit temporibus Alexandri, a consulatu Maximi et Æliani, usque Agricola et Clementino.

PONTIANUS annis quinque, mensibus duobus, diebus septem. Fuit temporibus Alexandri, a consulatu Pompeiani et Peligniani. Eo tempore Nepotianus *(i)* episcopus et Hippolytus presbyter exsules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintiano consulibus. In eadem insula discinctus est IV Kalendas Octobris, et loco ejus ordinatus est Anteros XI Kalendas Decembris, consulibus SS.

ANTEROS mense uno, diebus decem. Dormit III Nonas Januarii, Maximo et Africano consulibus.

(a) Catalogus hic ad Callistum usque confusior et vitiosus est ; post illum paulo distinctior, maxime post Lucium.

(b) Ms. meus habet *Nervæ et Veri.*

(c) *Clementem* Eusebius et Baronius *Cleto* postponunt.

(d) Ms., *Aristus.*

(e) Forte, *Æliano*

(f) Deest hic *Anicetus,* cui dant annos pene octo

(g) Deest rursus *Eleutherius,* quem volunt sedisse annos 15.

(h) Deest item *Zepherinus,* cui dant annos 18.

(i) Cuspinianus legit *Pontianus ;* credo, melius.

Fabianus annos quatuordecim, mensem unum, dies decem. Fuit temporibus Maximini, et Gordiani, et Philippi. A consulatu Maximini et Africani, usque Decio II et Grato. Passus XII Kalendas Februarii. Hic regiones divisit diaconibus, et multas fabricas per cœmeteria fieri jussit. Post passionem ejus, Moyses et Maximus presbyteri, et Nicostratus diaconus comprehensi sunt et in carcerem missi. Eo tempore supervenit Novatus ex Africa et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses undecim, dies undecim.

Cornelius annos duos, menses tres, dies decem. A consulibus Decio IV et Decio II, usque Gallo et Volusiano. Sub episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, et Nicostratum in Africa. Hoc facto, confessores, qui se separaverunt a Cornelio, cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi; post hoc Centumcellis expulsi. Ibi cum gloria dormitionem accepit.

Lucius annos tres, menses octo, dies decem. Fuit temporibus Galli et Volusiani, usque Valeriano III et Gallieno II Hic exsul fuit: et postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est, (*a*) tertio Nonas Martias, consulibus SS

Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a consulatu Volusiani et Maximini, usque Valeriano III et Gallieno II.

Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a consulatu Maximi et Glabrionis usque Tusco et Basso, et passus est VIII Idus Augusti, a consulatu Tusci et Bassi, usque in die XII Kalendas Augusti, Æmiliano et Basso consulibus.

Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die undecimo Kalendarum Augusti, Æmiliano et Basso consulibus, usque ad diem septimum Kalendas Januarii, consulibus Claudio et Paterno.

Felix annis quinque, mensibus undecim, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Claudii et Aureliani, a consulatu Claudii et Paterni, usque in consulatum Aureliani II et Capitolini.

Eutichianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani, a consulatu Aureliani III et Marcellini, usque in diem VII Idus Decembris, Caro II et Carino consulibus,

(*a*) Videtur hic deesse *decessit*.

(*b*) Videtur legendum *tribus*, ex consulum serie, quæ tamen hic confusa.

(*c*) Videtur hic deesse VII. Alii legunt IX *et Maximiniano*.

Caius annis duodecim, mensibus quatuor, diebus septem. Fuit temporibus Cari et Carini, ex die XVI Kalendas Januarii, consulibus Caro II et Carino, usque in X Kalendas Maii, Diocletiano VI et Constantio II consulibus.

Marcellinus annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani et Maximiani, ex die pridie Kalendas Julias, a consulibus Diocletiano VI et Constantio II usque in consulatum Diocletiani IX et Maximiniani VIII. Quo tempore fuit persecutio: et cessavit episcopatus annis septem (*b*), mensibus sex, diebus viginti quinque.

Marcellus anno uno, mensibus septem, diebus viginti. Fuit temporibus Maxentii, a consulatu X et Maximiano (*c*) usque post consulatum X et septimum.

Eusebius menses quatuor, dies sexdecim, a XIV Kalendas Maias usque ad diem XVI Kalendas Septembris.

Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem: ex die sexto Nonas Julias, a consulatu, Maximiano VIII solo; quod fuit mense Septembri, Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii, Volusiano et Anniano consulibus.

Sylvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, a consulatu Volusiani et Anniani, ex die pridie Kalendas Februarii, usque in diem Kalendarum Januariarum, Constantio et Albino consulibus.

Marcus menses octo, dies viginti. Et hic fuit temporibus Constantini, Nepotiano et Facundo consulibus, ex die XV Kalendas Februarias, usque in diem Nonarum Octobrium, consulibus SS.

Julius annos quindecim, mensem unum, dies undecim. Fuit temporibus Constantini, a consulatu Feliciani et Titiani, ex die VIII Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis Constantio V et Constantio Cæsare consulibus. Hic multas fabricas fecit: basilicam in via Portense milliario tertio, basilicam in via Flaminia, milliario secundo, quæ appellatur Valentini (*d*) basilicam Juliam, quæ est regione septima, juxta forum divi Trajani; basilicam trans Tiberim, regione quarta decima juxta Callistum; basilicam in via Aureliana, milliario tertio ad Callistum.

Liberius fuit temporibus Constantii, ex die XI Kalendas Junias, in diem..... a consulibus Constantio V et Constantio Cæsare (*e*).

(*d*) An forte est *Valentinus*, cui Kalendarium sequens inscribitur.

(*e*) Omnia pene hæc opuscula desinunt his Coss.; inde apparet anno isto Christi 354 scripta aut circiter.

DEPOSITIO EPISCOPORUM [a]

(Ex codem Bucherio.)

Sexto Kalendas Januarias, Dionysii in Callisti.
Tertio Kalendas Januarii, Felicis in Callisti.
Pridie Kalendas Januarii, Sylvestri in Priscillæ.
Quarto Idus Januarii, Miltiadis in Callisti.
Decimo octavo Kalendas Februarii, Marcellini in Priscillæ.
Tertio Nonas Martii, (*b*) in Callisti.

(*a*) Nempe Romanorum a Lucio ad Julium.

(*b*) Lucius horum duodecim pontificum est antiquissimus, Julius recentissimus. Desunt duo intermedii, Sixtus et Marcellus. Sixtus est inter martyres.

Decimo Kalendas Mai, Caii in Callisti.
Quarto Nonas Augusti, Stephani in Callisti.
Sexto Kalendas Octobris, Eusebii in Callisti.
Nonis Octobris, Marci in Balbinæ.
Sexto Idus Decembris, Eutychiani in Callisti.
Pridie Idus Aprilis, Julii in via Aurelia, milliario III in Callisti.

DEPOSITIO MARTYRUM.

(Ex codem Bucherio.)

Octavo Kalendas Januarias natus Christus in A Bethleem Judæ.

MENSE JANUARIO.

Decimo tertio Kalendas Februarii, Fabiani in Callisti et Sebastiani in Catacumbas.

Duodecimo Kalendas Februarii, Agnetis in Nomentana.

MENSE FEBRUARIO.

Octavo Kalendas Martii, Natale Petri de Cathedra.

MENSE MARTIO.

Nonis Martii, Perpetuæ et Felicitatis Africæ.

MENSE MAIO.

Decimo quarto Kalendas Junii, Parthini et Caloceri, in Callisti, Diocletiano IX et Maximiano VIII Coss.

MENSE JUNIO.

Tertio Kalendas Julii, PETRI in Catacumbas, et B PAULI Ostiense, Tusco et Basso Coss. (*a*).

MENSE JULIO.

Sexto Idus *(b)*, Felicis et Philippi in Priscillæ: et in Jordanorum Martialis, Vitalis, Alexandri, et in Maximi Silani (hunc Silanum martyrem *(c)* Novati furati sunt) et in Prætextati, Januarii.

Tertio Kalendas Augusti, Abdon, et Sennen, in Pontiani, quod est ad Ursum pileatum.

MENSE AUGUSTO.

Octavo Idus, Sisti in Callisti, et Prætextati, Agapiti, et Felicissimi.

(a) Nescio quid hic sibi velint hi consules, forte aliunde luxati.

(b) Sunt septem filii S. Felicitatis. Jordanorum, Maximi et Prætextati cœmeteria erant Romæ.

Septimo Idus Augusti, Secundi, Carpophori, Victorini, et Severiani, Albano et Ostiense.

Sexto Ballistaria *(d)*, Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ et Smaragdi.

Quarto Idus, Laurentii in Tiburtina.

Idibus Augusti, Hippolyti in Tiburtina, et Pontiani in Callisti.

Undecimo Kalendas Septembris, Timothei Ostiense.

Quinto Kalendas, Hermetis in Bassillæ, Salaria vetere.

MENSE SEPTEMBRI.

Nonis Septembris, Aconti in Porto, et Nonni, et Herculani, et Taurini.

Quinto Idus, Gorgonii in Labicana.

Tertio Idus, Proti et Hyacinthi in Bassillæ.

Decimo octavo Kalendas Octobris, Cypriani, Africæ, Romæ celebratur in Callisti.

Decimo Kalendas Octobris, Bassillæ Salaria vetere, Diocletiano IX et Maximiano VIII Coss.

MENSE OCTOBRI.

Pridie Idus, Callisti, in via Aurelia, milliario tertio.

MENSE NOVEMBRI.

Quinto Idus, Clementis, Semproniani, Claudi, Nicostrati in Comitatum.

Tertio Kalendas Decembris, Saturnini, in Thrasonis.

MENSE DECEMBRI.

Idibus, Ariston in in Pontum *(e)*.

(c) Forte Novatiani.

(d) An forte *via Salvaria.*

(e) An forte *Pontiani.*

FRANCISCI BLANCHINI

BREVES NOTÆ

In chronologiam Catalogi Romanorum pontificum ductam ex epocha Passionis Christi Domini VIII *Kalendas Aprilis duobus Geminis Coss.*

Celeberrimo huic opusculo exornando tot vigilias C insumpserunt Bucherius primus editor, aliique eruditi viri, ut novas addere lucubrationes supervacaneum videri possit. Satis enim est consulere dissertationem *Schelestratii,* infra recusam, ut illius pretium intelligatur, vindicetur auctoritas, obscura loca fiant apertiora, lacunæque detegantur ac suppleantur.

Breves tantummodo notas apponam ad ejusdem opusculi *Chronologiam, ductam ex Epocha Passionis Christi, constituta ad diem* VIII *Kalendas Aprilis duobus Geminis consulibus.* De hac vero si cupias documenta uberiora, spero ampla satis et certa a me productum ibi in Dissertatione ejusdem argumenti quam infra imprimendam reservo, utpote dicato *Christianæ Chronologiæ,* cujus clavus et cardo est *epocha Passionis Christi Domini*, statuenda cum Victorio Aquitano *vulgaris æræ anno* 28 *bissextili, duobus Geminis consulibus:* quo anno æræ communis 28, sed vitæ Christi Domini 33, inchoato ex ante diem VIII Kalendas Januarii (nam solido quinquennio ante æram communem eum natum fuisse nemo jam dubitat, qui nummum Herodis Antipæ inspexerit, a card. Norisio feliciter declaratum post epochas Syro-Macedonum, cusum sub *C. Caligula*, et consignatum ejusdem HERODIS TETRARCHÆ ANNO XLIII, *die* VIII *Ka-*

lendas Aprilis, feria v, *primo vero Azymorum die Dominus noster Jesus Christus cœnans cum discipulis suis, postquam sui corporis et sanguinis sacramenta patefecit, ad montem Oliveti, sicut Evangelia sancta testantur, progressus, ibique detentus est a Judæis, tradente discipulo. Dehinc sexta feria subsequente, id est* VII *Kalendas Aprilis, crucifixus est et sepultus; tertia die, hoc est* V *Kalendas Aprilis, Dominica surrexit a mortuis.* Verba sunt Victorii ad Hilarum, sancti Leonis Magni tunc archidiaconum, deinde successorem, in præfatione paschalis Festi, edita per Bucherium, pag. 9

Ne tamen differam specimen aliquod firmitatis dare hujus chronologiæ, unde ratio temporum pontificalis historiæ initium ducit, in medium proferam, vel indicabo summa saltem capita probationum, quibus Victoriana chronotaxis ac nostra solide innititur, et quantum patitur historiæ ratio, demonstratur.

In epocha passionis Christi stabilienda, duo sunt auctoritate divina nobis traditi characteres necessario observandi, nempe Paschalis Judæorum dies, seu *decima quarta dies lunæ mensis primi*, qua necesse erat agnum immolari; et feria V, cœnæ Dominicæ tempus, ac passionis initium, quæ deinde passio compleretur postridie in cruce feria VI, ut, Sabbato quieti dato, tertia die, quæ erat Dominica, Christus a mortuis resurgeret.

His duobus indiciis temporum, divina auctoritate firmatis in Evangelio, duo alia accedunt, non ea quidem revelatione percepta, sed tradita communi testimonio Patrum, præcipue illorum qui accuratiores fuerunt in temporum ratione colligenda, et sæculo Christi proximiores. Sunt vero *Geminorum consulatus*, Fufii scilicet ac Rubellii (quod est primum); et dies VIII Kalendas Aprilis passione Domini consecrata (quod est secundum). Paschale festum, in eamdem vesperam incidens, qua post supremam cœnam Christus Dominus passionem inchoaturus in hortum Gethsemani concessit, pariandum esse cum quarta decima die lunæ, et VIII Kalendas Aprilis, collegit Hippolytus martyr, ita incisum relinquens anno æræ vulgaris 222 ordinem Paschatum superiorum in suo Cyclo

Η ΚΑΛ. ΑΠΡΕΙ	DIE VIII KAL APRIL
ΠΑΘΟΣ Χc	PASSIO CHRISTI.

Plura ad eum Cyclum contuli in dissertatione de Cyclo S. Hippolyi tmartyris cap. 2, pag. 107. Hippolyto synchronus Tertullianus in libro adversus Judæos eamdem diem Paschati attribuit Christi supremo (VIII *Kalendas Aprilis*), eosdemque consules *(duos Geminos)*. Patres et scriptores qui proximi ab his floruerunt, atque ii potissimum qui res chronologicas penitus inspexerunt, eosdem consules *Geminos* eamdemque diem VIII *Kalendas Aprilis* cum Christi passione componunt.

E patribus Latinis S. Augustinus sit instar omnium in lib. IV de Trinitate, cap. 5: *Sicut a majoribus*, inquit, *traditum suscipiens Ecclesiæ custodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus traditur, qua et passus.* Licet vero passionem inchoatam die VIII Kalendas feria quinta, in horto Gethsemani, confuderit ætas posterior cum passione in cruce consummata die VII Kalendas, feria VI, in monte Calvariæ; attemen Victorius, uti vidimus, et cum eo chronologi diligentiores distinguunt diem VIII Kalendas Passionis initium in horto, a die VII Kalendas, Passionis termino in Golgotha. Et castigatiores Lactantii editiones (uti Lugdunenses duæ, Joannis Tornæsii, anno 1587, et Thomæ Soubron anno 1594, quæ dicuntur *ex fide et auctoritate librorum manuscriptorum emendatæ*, lib. IV, cap. 10, divinarum Institutionum hæc habent: *Exinde tetrarchas habuerunt* (Judæi) *usque ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberii Cæsaris, cujus anno quinto decimo, id est duobus Geminis consulibus, ante diem septimam Kalendas Aprilis Judæi Christum cruci affixerunt.* Betuleius quoque, necnon alii scriptores observant, in melioribus Lactantii editionibus legi, *ante diem septimam Kalendas*; licet alii præferant eas quæ x Kalendas perscriptum habent

E Patribus autem Græcis S. Joannes Chrysostomus in homilia de Nativ. S. Joannis Baptistæ loquens de Annuntiatione Deiparæ Virginis ait: *Fuit igitur quando hæc angelus ad Mariam annuntiavit* VIII *Kalendas Aprilis, mense Martio, qui est dies Paschæ Domini et conceptionis ejus. In qua enim die conceptus, in eadem et passus est.* S. Proterius ex Alexandrinis in epistola Paschali, ad S. Leonem Magnum perscripta, et apud Bucherium edita pag. 83 diem susceptæ carnis a divino Verbo cum die cœnæ sub vespera passionis ab eo celebratæ pariat his verbis: *Dominus plenitudo legis existens, quando dignatus est homo fieri, quinta feria, decima quarta luna mensis primi, in cœnaculo cum discipulis Pascha manducans, paulo post a Juda traditur; et sequenti die, quinta decima luna crucifigitur, id est sexta feria,* etc. Tempero a pluribus referendis; cum indicentur apud La Barre in notis ad Tertulliani locum libr. adversus Judæos pag. 110 illius editionis; et apud R. P. le Nourry in notis ad librum Lucii Cæcilii de Mortibus persecutorum, cap. 4, pag. 159, quæ fusius prosequor ac diligentius expendo in Dissertatione de Epocha Dominicæ Passionis inchoatæ recte constituenda die VIII Kalendas, et passionis consummatæ, sive crucifixionis, die VII Kalendas Aprilis, duobus Geminis consulibus, anno vulgaris æræ 28, ætatis vero Christi Domini 33 labente.

Quatuor igitur characteres diei et anni Dominicæ passionis ac mortis, duos quidem divina revelatione certos, duos autem ex traditione ac sententia Patrum receptos, tum in Oriente, tum in Occidente, student chronologi conciliare. Sed irrito conatu res illis hactenus tentata est, ex quo recesserunt a Victorio in pariandis *duobus Geminis consulibus* cum anno bissextili vulgaris æræ Christi 28. Hos enim ille cum recte tribuerit eidem anno, differunt ipsi in consequentem, a bissextili proximum, æræ communis 29,

et retinent epocham passionis die VIII Kalendas Aprilis ; quæ dies componi nequaquam potest cum quatuor indicatis characteribus, si consules ita collocentur. Nam si passionem conferant in annum 28 bissextilem (quo luna quarta decima paschalis Judæorum recte pariatur cum VII Kalendas Aprilis, et cum præcedenti vespere diei VIII Kalendas, ut infra ostendam), deserunt jam characterem illius consulatus, assertum a Tertulliano, Lactantio, Lucio Cæcilio, Augustino, Sulpicio Severo, Victorio aliisque Patribus et chronologis : insuper *feriam sextam*, quæ certus est character Dominicæ crucifixionis, in Evangelio perscriptus, non retinent, si assignant diem VIII Kalendas Aprilis anni bissextilis 28 (quæ fuit feria V) confixioni Unigeniti Dei in cruce. Sin vero hanc differunt ad VIII Kalendas Aprilis anni proximi 29, quem signant duobus Geminis consulibus, hos quidem retinent, et characterem feriæ VI, sed alium characterem perinde certum in Evangelio, Paschatis scilicet Judæorum, non modo arcent a die 25 Martii, sed a toto mense excludunt. Ostendunt enim fabulæ motuum lunisolarium, totis undecim diebus ante VIII Kalendas Aprilis lunam quartam decimam præcessisse Martio Juliano anni 29, nec propterea fuisse Paschalem ; cum ea luna æquinoctium antecederet diebus plus quam decem. Quare decima quarta Paschalis quæri debet anno 29, circa Idus Aprilis. Retinere igitur nequeunt diem VIII Kalendas sub iis consulibus, quos collocant in Fastis ad annum 29 æræ vulgaris. Quare impossibile omnino redditur quatuor illos characteres componere cum Geminorum consulatu ita dilato.

Retractis vero iisdem Geminis consulibus in annum præcedentem, eumque bissextilem, vulgaris æræ, Christi 28, cum Victorio, res omnes nitide ac æquabiliter procedunt, et singulis ex quatuor characteribus sua fides constat. Cum enim feria V anno 28 incidat in diem 25 Martii, seu VIII Kalendas Aprilis ; et cum decima quarta luna mensis Nisan eo anno referatur exacte ad diem 26 Martii sive VII Kalendas Aprilis feria VI (ut mox ostendam) jure dies cœnæ Dominicæ et passionis in horto inchoatæ incidit in feriam V, sub vespera diei 25 Martii, seu VIII Kalendas Aprilis, uti præfert Canon Paschalis S. Hippolyti, enumerans quartam decimam lunam Paschatum præcedentium ætatem suam, annum scilicet æræ Christi 222, quo scribebat : et jure dies consummatæ passionis in cruce refertur ad feriam VI proxime consequentem, quæ anno 28 fuit 26 Martii Juliani, sive VII Kalendas Aprilis, uti Victorius docet et indicatæ editiones Lactantii præferunt.

Demonstrandum mihi est igitur primo, quartam decimam diem lunæ mensis Nisan, seu Paschalis Judæorum mensis, incidisse anno 28 æræ communis in diem 26 Martii, ad quam scilicet cum pertineret vespera præcedens diei 25 (ex instituto legis Sabbata numerantis a vespera in vesperam) rite celebrata cœna Feria V ad vesperam diei 25 Christus Dominus sacramenta corporis et sanguinis sui juge sacrificium et memoriam passionis instituit : quam in horto inchoans eadem nocte diei 25, prosecutus est in prætorio illucescente feria VI et die 26, ab hora sexta ad nonam in cruce pendens, et *Consummatum est* pronuntians, mortem obeundo complevit, VII Kalendas Aprilis numerantibus Romanis in anno juliano bissextili æræ Christi communis 28.

Ostendendum erit, secundo loco, duos Gemínos consules non pertinere ad annum 29, ut communiter opinantur chronologi, sed ad annum 28, uti collocavit Victorius.

Utramque assertionem ejusque documenta contraham ex diffusiori demonstratione, quam attuli in Dissertatione indicata de epocha passionis Christi componenda cum anno vulgaris æræ 28, duobus Geminis consulibus.

Priorem illam assertionem ita demonstro in eadem dissertatione, sectione 3, num. 4.

Rationes lunæ decimæ quartæ Paschalis anno 28 æræ communis ita sunt apertæ, ut qui tabulas ea de re concinnarunt, tam veteres quam recentes, de festo Paschatis, tum Judaici tum Christiani, eo anno inter se non dissentiant. Victori Canon Paschalis, inde exorsus Periodum, attribuit diei Dominicæ 28 Martii ætatem lunæ decimæ sextæ, et consequenter lunam quartam decimam alligat feriæ VI Martii 26, qua Dominus in crucem actus passionem morte complebat, inchoatam vespere præcedenti, et mysterio incruenti sacrificii a se dedicatam : quæ vespera licet, Romanorum more, numerantium dies a media nocte in mediam (uti testantur Macrobius Saturn. cap. 3, et Aulus Gellius, Noct. Atticarum, lib. III, cap. 2, et ante hos Plinius lib. II, cap. 77), pertineret ad diem 25, attamen Hebræorum legibus referebatur ad initium diei subsequentis, ita præcipiente Domino Levitici XXIII, 32 : *A vespera usque in vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* E recentioribus vero P. Franciscus Bordonus, generalis tertii ordinis S. Francisci in Tabulis Paschalibus ab anno incarnationis Dominicæ ordinatis ad annos bis mille consequentes juxta annum Julianum ante correctionem Gregorii, et juxta Gregorianum post hujus pontificis emendationem, iisdem plane numeris effert epactam XVI et Pascha Christianum die Dominica 28 Martii, anno vulgaris æræ Christi 28.

Eædem certe rationes apprime respondent motibus luminarium, ut calculi ostendent, subducti ex tabulis astronomicis, ad caput anni Judaici ita reddentibus neomeniam Thisri seu primi mensis anni civilis Judæorum per annum vulgaris æræ Christianæ 27, a qua neomenia Thisri dies 177 proxime consequens ostendit neomeniam Nisan (sex lunationibus ab illa dissitam, et quæ caput est anni sacri, seu exordium *mensis primi*, ita appellati in sacris litteris) die 13 Martii Juliani, in annum bissextilem 28 ejusdem æræ Christianæ se diffundentis. Consulamus numeros lunisolares, in Tabulis D. de la Hire, ab regia Scientiarum academia aliisque passim approbatis, ita colligendos.

RADIX EPOCHÆ COMMUNIS ANNORUM CHRISTI INEUNTIS KALENDIS JANUARII AD MERID. PARIS.

	SOLIS LONGITUDO AB INITIOA RIETIS.				APOGÆUM SOLIS AB ARIETE.				LUNÆ LONGITUDO AB 0 ARIETIS.				APOGÆUM LUNÆ AB ARIETE.			
	S.	G.	M.	S.	S.	G.	M.	S.	S.	G.	M.	S.	S.	G.	M.	S.
0	9	8	43	40	2	9	5	2	4	15	18	9	9	11	4	38
Anni XX completi. . . .	0	0	9	20			20	30	4	13	34	0	3	3	50	51
Anni VI completi. . . .	11	29	33	11			6	9	2	9	28	50	8	4	5	55
Augustus completus. . .	7	29	30	44				40	10	21	51	50		27	4	21
Dies XVII completi. . .		16	45	22				3	7	13	59	53		1	53	39
Horæ VIII.			19	43						4	23	32			2	14
Minuti XXIV hor. . . .			0	59							13	10				8
	5	25	2	59	2	9	32	24	5	18	49	26	9	18	1	46
	2	9	32	24					9	18	1	46				
	3	15	30	35	Anomalia solis				8	0	47	40	Anomalia lunæ			
		1	52	42	Prostaph.subr.					4	21	2	Prostaph. add.			
	5	25	2	59					5	18	49	26				
Locus verus solis.	5	23	10	17					5	23	10	28	Locus verus lunæ.			

Vera itaque synodus luminarium contigit anno 27 æræ Christi vulgaris, die 18 Septembris Juliani, horis 8 et minutis 24 post meridies Parisiis, Romæ, vero horis 9 5', post meridiem, et Hierosolymis hora post meridiem 10 40', cum Hierosolyma sit orientalior quam Lutetia Parisiorum gradibus longitudinis 34 40', sive horis 2 et minutis horariis 16.

Ab ea synodo auspicari debuerunt Judæi mensem Thisri et suum *Roscheaschana*, seu *Caput anni* civilis Lunaris, quo utebantur, exemplo Syromacedonum, ab autumno pariter exordientium. Cum itaque novilunium Thisri, juxta motus veros lunisolares, parietur cum die 18 Septembris Juliani anni 27 æræ Christi vulgaris, necesse est ut in diem 177, numeratum post 18 Septembris, incidat mensis Paschalis novilunium anno 28. Sex enim lunationes, quæ numerandæ sunt a Thisri ad Nisan, tot dies requirunt. Adde enim dies 12 superstites mensis Septembris post diem novilunii 18 ad finem Mensis; deinde Octobris Juliani dies 31, Novembris 30, Decembris 31, totidem Januarii; Februarii bissextilis dies 29, et 13 Martii: erit summa dierum 177, quæ complet sex lunationes civiles, alternis cavas et plenas.

Demonstratum est igitur assumptum primum, nempe motus veros luminarium anno æræ Christi 27 ostendere novilunium Thisri die 18 Septembris Juliani horis 10 40, post meridiem Hierosolymis: eoque nomine diem eamdem 18 Septembris fuisse caput anni Judaici labente anno 27 æræ Christi communis: quare diem 177 inde numeratam (quæ incidit in diem 13 Martii anni bissextilis 28) esse primam diem lunæ Nisan, seu mensis Paschalis. Adde dies 13 solidos huic diei 13 Martii, ut assequaris initium quartæ decimæ lunaris, seu diem legitimam Paschatis Judæorum. Istius terminus ostendit diem 26 Martii, qua Christus Dominus, Agnus Dei qui tollit peccatum mundi, feria VI in cruce pro nobis immolabatur, ex Victorii sententia et nostra, die VII Kal. Aprilis; cum vespera præcedenti (ex ritu legis Mosaicæ ad hanc ipsam diem referenda, sed Romano more ad VIII Kal. Aprilis, seu 25 Martii) Pascha ipse cum discipulis celebrasset, et passionem inchoasset, cujus sacramenta instituerat.

Colligas etiam licet ex calculis indicatis cur aliqui dixerint Hebræorum nonnullos distulisse eodem anno immolationem Agni ad vesperam diei 26 Juliani (unde apud Joannem dicuntur feria VI non introisse prætorium, *ut manducarent Pascha*), licet alii cum Christo Domino agnum comedissent Paschalem ad vesperam feriæ V, die 25 Romana. Causa utriusque sententiæ obscura esse non potest ex duplici putatione et commensu vel solius diei Paschalis, vel diei simul et horarum, in quas inciderant juxta motus veros neomeniæ Thisri et Nisan. Thisri neomenia die 18 Septembris commissa horis 10 40, post meridiem ferebat post 177 dies novilunium Nisan die 13 Martii bissextilis Juliani et civilis, si dierum tantummodo solidorum (quod in civili putatione fit) annorum et mensium ratio habeatur. At si horarum etiam quatuor et minutorum 24 additamentum curemus, quod præter solidos dies 177 requirunt lunationes mediæ sex, a Thisri ad Nisan; tunc additis hisce hor. 4 et min. 24, epochæ horariæ lunationis Thisri hor. 10 et min. 40 post meridiem diei 18 Sept. fiunt hor. 15 et min. 4 post meridiem diei 26 Martii initium quartæ decimæ Paschalis, adeoque extenditur ultra terminum mediæ noctis claudentis more Romano diem 26 et aperientem diem 27 Martii. Apertum itaque sit cur Judæorum alii potuerint rite ex novilunio vero mensis Thisri, et putatione civili dierum tantummodo solidorum quartam decimam paschalem referre ad diem 26 Martii feriam VI, et vesperam præcedentem diei 25 feriæ V cum Christo Domino ac discipulis; alii vero cum Judæis prætorium non introeuntibus feria VI 26 Martii, ut manducarent Pascha eadem vespera, quam referebant ad diem 27, attendentes horas 3 post mediam noctem quæ initium quartæ decimæ ita comparatæ differebant ad diem 27 more Romano definitam, eo quem dicimus anno bissextili, communis æræ Christi XXVIII, *duobus Geminis consulibus*.

Secundum hoc assertum de consulatu Fufii Gemini et Rubellii Gemini pariendo cum anno æræ Christianæ 28, est alterum ex demonstrandis quod proposueram, secutus chronologiam Victorii, eosdem similiter ascribentis anno bissextili 28, quos reliqui chronologi differunt ad annum proximum a bissextili æræ Christi communis 29. Ita vero a me demonstratum fuisse judico in dissertatione indicata.

Constat *duos Sextos consules*, Sextum Pompeium et Sextum Apuleium (quo anno historici omnes consignant mortem Augusti, Velleius scilicet,

Tacitus, Suetonius, Dio cæterique) distare spatio annorum quindecim a *duobus Geminis consulibus*, Fufio Gemino et Rubellio Gemino. Series enim non interrupta istorum quindecim annorum legitur in Fastorum Collectionibus, quæ resultat etiam ex historicis ætatis Augusti. Nam Velleius, qui Marco Vinicio eonsuli, post duos geminos annum proximum aperienti, suum opus nuncupat, cum libr. II, cap. 123, *Pompeio Apuleioque consulibus* Augusti mortem retulisset, et initium imperii Tiberii, cap. 126, ejusdem libri *sedecim annos* diserte inde numerat ad consulem Vinicium. Quindecim propterea statuit a duobus Sextis ad duos Geminos, quos Vinicius continenter consequitur. Quare si *duo Sexti consules* pertinent ad annum æræ Christi vulgaris *decimum quartum, duo Gemini* sunt necessario componendi cum anno ejusdem æræ 29, uti omnes fere chronologi pariant. Sine *duo Sexti* sint evidenter retrahendi cum morte Augusti ad annum æræ communis, *Christi XIII*, consequitur et *duos Geminos* pertinere ad *annum bissextilem* 28, uti Victorius constituit. Esse autem ita retrahendos duos sextos consules et Augusti mortem ad annum 13 æræ Christianæ, ex charactere temporis in Dionis Historia relato fit evidens.

Dio libro LVI inter prodigia quæ et præjudicata vulgi opinione ac superstitione mortem Augusti portendere credebantur, Sexto Apuleio et Sexto Pompeio consulibus, enumerat totalem eclipsim solis: *Anno insequenti*, ait, *Sexto Apuleio, Sexto Pompeio consulibus, in Campaniam profectus Augustus, exhibito Neapoli spectaculo, Nolæ morti concessit. Prodigia quæ id ei prædicerent neque minima, neque obscura evenerant.* SOL TOTUS DEFECERAT. Ὅτε γὰρ ἥλιος πᾶς ἐξέλιπε, etc. Torquet ingenia chronologorum pariter et astronomorum eclipseos istius indagatio per annum *quartum decimum* æræ Christinæ: quo certe nulla ejusmodi eclipsis juxta quascunque tabulas cœlestium motuum spectari potuit. At si hanc inquirant juxta easdem tabulas anno vulgaris æræ *tertio decimo*, collectis numeris cognoscent evidenter, die 28 Aprilis defectum solis in pluribus Europæ provinciis spectabilem contigisse, dum vergeret ad occasum. Totalem disci obscurationem sole occidente visam parvis insulis ab occasu adjacentibus Britanniæ circa borealem Scotorum tractum, discent ex supputatione ac diagrammate in dissertatione nostra relato: similem alteri eclipsi spectandæ die 22 Maii, anno 1724, sole pariter occidente, spectatoribus positis in littore occiduo Etruriæ, circa Liburnum. Ex iisdem Tabulis Cassinianis, Hirianis, Bononiensibus et Britannicis utraque eclipsis totalis perinde colligitur: quæ partialis, ut necesse est evenire, fuerit terrarum tractibus in vicinia positis Britanniæ, inferioris Germaniæ, Galliæ ac Lusitaniæ; sed phases partialis observatæ his in regionis, totalem demonstrant in proximo climate ac meridiano indicato Orcadum insularum spectari debuisse.

Quis itaque negare possit characterem hunc cœlestium motuum, Dionis in Historia diserte memoratum indicare evidenter consulatum utriusque Sexti esse pariandum cum anno vulgaris æræ *tertio decimo? duosque Geminos* esse componendos cum anno bissextili ejusdem æræ 28, uti Victorius constituit?

Quæres num duobus Geminis consulibus per annum retractis, series quoque consulum præcedentium usque ad Cæsariana tempora si tantumdem insimul retrahenda? Id vero ipsum asserimus. Quin etiam novum argumentum ac *demonstrationem* producimus ejusmodi retrocessionis necessario adhibendæ in disponendis consulatibus C. Julii Cæsaris: cujus comes individuus expeditionis Hispanicæ Aulus Hirtius, idemque historicus diligentissimus, per dies singulos enumerans obsidiones oppidorum et militaria gesta sui imperatoris, ministrat in castris apud Hispalim motis die III *Nonas Martii*, hora circiter *sexta nocturna* quando luna conspecta fuit, indicium manifestum anni, quem vocant confusionis, pariandi cum hac expeditione Hispaniensi: et alligandi annum Cæsaris emortualem cum Julianæ correctionis primo ante æram Christi 45; unde consequitur et duos Sextos obtinere *tertium decimum*, et duos Geminos duodetricesimum æræ vulgaris. Fusius hæc disputata et ab omni difficultate expedita leges in dissertatione nostra memorata, in qua horum cœlestium motuum atque eclipsium calculos accurate, ut spero, subductos ostendam.

Constant igitur in chronologia Victorii ac nostra, consignante feria V, die 25 Martii Juliani, anno æræ vulgaris 28 eoque bissextili, duobus Geminis consulibus cœnam Dominicam et passionis exordium, dieque proximo 26 Martii, feria VI, crucifixionem ac mortem Domini, quatuor illi characteres amice compositi: quos in dilato Geminorum collegio ad annum 29 frustra requirebant chronologi, duos scilicet in sanctis Evangeliis divina fide firmatos Paschatis ac Passionis, cœnæ et feriarum V et VI cum ejus initio ac termino componendarum; duos vero a Patribus ætati apostolicæ proximis, et a chronologis peritioribus cum Victorio memoratos, diei scilicet 25 Martii cum cœna Dominica, et exordio passionis, et diei 26 ejusdem mensis cum affixione Redemptoris nostri in cruce, et consummata passione componendæ.

His vero animadversionibus Catalogi nostri chronologiam ab epocha passionis similiter consignata illustrari et comprobari confidimus.

Essent quoque notæ adhibendæ ad aliquot pontificum ibi recensitorum, et ad omissorum æram stabiliendam. Verum suis locis aptius collocabuntur vel disponentur in dissertatione *de Catalogis antiquis pontificum Romanorum*, quam paulo infra attexam, post illam quæ a præsule Schelestratio petenda est.

CATALOGUS ALTER ROMANORUM PONTIFICUM

Ex antiquo octingentarum sexaginta quinque annorum codice ms. bibliothecæ Palatino-Vaticanæ sub hoc titulo a Schelestratio num. 22, p. 611, relatus:

EPISCOPORUM ROMANÆ URBIS NOMINA.

1. Beatus Petrus apostolus, et princeps apostolorum, Antiochenus, filius Joannis, provinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ, primum sedit cathedram episcopatus in Antiochia an. 6, et in Romam ingressus sub Nerone Cæsare, ibique sedit annis 25, menses 2, dies 4. Hic scripsit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur, et Evangelium Marci, et ordinavit episcopos tres, Linum, et Cletum, et Clementem, et presbyteros 10, et diaconos 8.

2. Linus, natione Italus, regionis Tusciæ, patre Herculano, sedit annis 11, ms. 3, d. 11. Hic ordinavit episcopos 15, presbyteros 18.

3. Cletus, natione Romanus de regione Vico Patritii, patre Æmiliano, sedit annis 12, m. 1, d. 11. Hic ex beati Petri præcepto 25 presbyteros ordinavit in Roma. *Alia manu*: Sub Vespasiano et Tito imperatore.

4. Clemens, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Faustino, sedit annis 9, m. 2, d. 10. Hic ordinavit episcopos 15, presbyteros 10, diaconos 2. *Alia manu*: Sub Domitiano, et Nerva, et Trajano imperatore.

5. Anacletus, natione Græcus de Athenis, ex patre Antiocho, sedit annis 9, m. 2, d. 10. Hic ordinavit episcopos 6. presbyteros 5, diaconos 3. *Alia manu*: Sub Trajano imperatore.

6. Evaristus, natione Græcus, ex patre Judæo nomine Juda, de civitate Bethlehem, sedit annis 9, m. 10, d. 2. Hic ordinavit episcopos 5, presbyteros 6, diaconos 2. *Alia manu*: Sub Trajano imperatore.

7. Alexander, natione Romanus, ex patre Alexandro de regione Caput Tauri, sedit annis 10, m. 6, d. 2. Hic constituit aquam sparsionis cum sale benedici. Hic ordinavit episcopos 5, presbyteros 6, diaconos 2. *Alia manu*: Sub Trajano imperatore, et sub Ælio Hadriano imperatore.

8. Xystus, natione Romanus, et patre Pastore de regione Vialata, sedit annis 10, m. 2, d. 1. Hic constituit ut ministeria sacrata non tangerentur nisi a ministris. Hic ordinavit episcopos 4, presbyteros 9, diaconos 4. *Alia manu*: Sub Hadriano imperatore.

9. Telisphorus, natione Græcus, ex anachorita, sedit annis 21, m. 3. Hic constituit ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur, et in Natale Domini in nocte, ut missæ celebrarentur, et *Gloria in excelsis Deo* caneretur. Hic ordinavit presbyteros 12, diaconos 8. *Alia manu*: Sub Antonino Pio imperatore.

10. Yginus, natione Græcus ex philosopho de Athenis, cujus genealogiam non inveni, sedit annis 4, m. 3, d. 4. Hic clerum composuit, et distribuit gradus ecclesiasticos. Hic ordinavit episcopos 6, presbyteros 15, diaconos 5. *Alia manu*; Sub Antonino Pio imperatore.

11. Pius, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquilæ, sedit annis 18, m. 4, d. 3. Hic angelo monente præcepit Pascha die Dominico celebrari. Hic ordinavit episcopos 12, presbyteros 19, diaconos 21. *Alia manu*: Sub Antonino Pio imperatore.

12. Anicetus, natione Syrus, ex patre Joanne de vico Umisa, sedit annis 10, m. 4, d. 3. Hic constituit ut clericus comam non nutriret. Hic ordinavit episcopos 9, presbyteros 17, diaconos 4.

13. Sother, natione Campanus, ex patre Concordio de civitate Fundis, sedit annis 9, m. 6, d. 12. Hic constituit ut nulla monaca pallam sacratam tangeret, nec incensum poneret in sanctam ecclesiam. Hic ordinavit episcopos 11, presbyteros 8, diaconos 9.

14. Eleuther, natione Græcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos 15, m. 3, d. 2. Hic constituit ut nulla esca a Christianis repudiaretur, quæ rationabilis humanaque esset. Hic ordinavit episcopos 15, presbyteros 12, diaconos 8.

15. Victor, natione Afer, a patre Felice, sedit annos 10, menses 2, dies 10. Hic constituit ut Pascha die Dominico celebraretur, sicut et Pius. Hic ordinavit episcopos 12, presbyteros 4, diaconos 7.

16. Zephirinus, natione Romanus, ex patre Abundio, sedit annos 8, menses 7, dies 10. Hic ordinavit episcopos 13, presbyteros 4, diaconos 7.

17. Callistus, natione Romanus, ex patre Domitio ex regione Ravennatium, sedit annos 6, menses 2, dies 10. Hic ordinavit episeopos 8, presbyteros 16, diaconos 3. *Et alia manu*: Sub Marco Aurelio imperatore.

18. Urbanus, natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos 4, menses 10, dies 11. Hic ordinavit episcopos 8, presbyteros 6, diaconos 5. *Et alia manu*: Sub Aurelio Alexandro imperat.

19. Antherus, natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos 12, mens. 1, d. 12. Hic gesta martyrum diligenter exquisivit; hic ordinavit episcopum 1. *Et alia manu*: Sub Maximo imperatore.

20. Pontianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio, sedit annos 9, menses 5, dies 2. Hic ordinavit episcopos 6, diaconos 5. *Et alia manu*: Sub Maximo imper.

21. Fabianus, natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annos 14, menses 11, dies 11. Hic ordinavit episcopos 11, presbyteros 21, diaconos 7. *Et alia manu*: Sub Gordiano, et Philippo, et Decio imperatore.

22. Cornelius, natione Romanus, ex patre Castino, sedit annos 2, mens. 2, dies 2. Hic levavit corpora apostolorum Petri et Pauli de catacumbis. Hic ordinavit episcopos 7, presbyteros 4, diac. 4. *Et alia manu*: Sub Decio imper. et Gallo, et Volusiano imper.

23. Lucius, natione Romanus, ex patre Porfirio, sedit annos 3, menses 3, dies 3. Hic præcepit ut duo presbyteri et tres diaconi episcopum in omni loco non desererent. Hic ordinavit episcopos 7, presbyteros 4, diaconos 4. *Et alia manu*: Sub Valeriano et Gallieno imper.

24. Stephanus, natione Romanus, ex patre Jobio, sedit annos 7, menses 5, dies 2. Hic constituit sacerdotes, et levitas, ut vestes sacratas in usu quotidiano non uti, nisi in ecclesia tantum. Hic ordinavit episcopos 3, presbyteros 5, diaconos 5. *Et alia manu*: Sub Valeriano et Gallieno imperatore.

25. Xistus, natione Græcus, ex philosopho, sedit annum 1, menses 10, dies 23. Hic ordinavit episcopos 3, presbyteros 4, diaconos 7. *Et alia manu*: Sub Valeriano et Gallieno imper.

26. Dionysius ex monacho, cujus generationem non potuimus reperire, sedit annos 6, menses 2, dies 4. Hic presbyteris ecclesias dedit, et parochias, et diœceses constituit. Hic ordinavit episcopos 8, presbyteros 12, diaconos 6. *Et alia manu*: Sub Valeriano et Gallieno imper.

27. Felix, natione Romanus, ex patre Constan-

tio, sedit annos 4, menses 3, dies 25. Hic constituit supra memorias martyrum missas celebrari. Hic ordinavit episcopos 5, presbyteros 8, diaconos 5. *Et alia manu*: Sub Claudio et Aureliano imperatore.

28. Eutitanus, natione Tuscus, ex patre Marino de Civitate Lunis, sedit ann. 1, m. 1, d. 1. Hic constituit ut fruges super altare, favæ et uvæ benedici. Hic ordinavit episcopos 9, presbyteros 14, diaconos 5. *Et alia manu*: Sub Aureliano imperatore.

29. Caius, natione Dalmata, ex genere Diocletiani, ex patre Gagio, sedit annos 11, menses 4, dies 12. Hic ordines ecclesiasticos disposuit. Hic ordinavit episcopos 5, presbyteros 26, diaconos 8.

30. Marcellinus, natione Romanus, ex patre Projecto, sedit annos 9, menses 4, dies 6. Hic ordinavit episcopos 5, presbyteros 4, diac. 2.

31. Marcellus, natione Romanus, ex patre Benedicto de regione Vialata, sedit annos 5, mens. 7, dies 21. Hic constituit titulos in urbe Roma propter baptismum et pœnitentiam. Hic ordinavit presbyteros 12, diaconos 2.

32. Eusebius, natione Græcus, ex medico, sedit annos 2, m. 1, d. 3. Hujus temporibus inventa est crux Domini nostri Jesu Christi, et Judas baptizatus est. Hic ordinavit episcopos 14, presbyteros 14. diaconos 3.

33. Mathiadis, natione Afer, sedit annos 4. Hic constituit ut nulla ratione die Dominico, aut quinta feria jejuniis quis de fidelibus ageret. Hic ordinavit episcopos 12, presbyteros 7, diac. 5.

34. Sylvester, natione Romanus, ex patre Rufino, sedit annos 23, mens. 10, d. 11. Hic congregavit episcopos trecentos octodecim et exposuerunt fidem catholicam et chrisma ab episcopo confici, et baptizatum confirmari. Hic Dalmaticas præcepit indui. Hic sacrificium totum in lineum pannum involvi. Hic ordinavit episcopos 65, presbyt. 42, diaconos 25.

35. Marcus, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos 2, menses 8, dies 21. Hic constituit ut episcopus civitatis, qui hostiam consecrat, pallium uteretur. Hic ordinavit episcopos 27, presbyteros 25, diac. 6.

36. Julius, natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos 15, mens. 2, d. 6. Hic constituit ut nullus clericus causam in publico ageret, nisi in ecclesia. Hic ordinavit episcopos 9, presbyteros 27, diaconos 4.

37. Liberius, natione Romanus, ex patre Augustino, sedit annos 6, menses 3, dies 4. Hic ordinavit episcopos 19, presbyteros 18, diaconos 5.

38. Felix, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit ann. 1, m. 3, d. 3. Hic ordinavit episcopos 19, presbyteros 21, diac. 5

39. Damasus, natione Spanus, ex patre Antonio, sedit annos 18, m. 3, d. 11. Hic accusatus invidiose de adulterio purgatus est a quadraginta quatuor episcopis. Hic constituit ut psalmi die noctuque in ecclesia canerentur. Hic ordinavit episcopos 62, presbyteros 31, diaconos 11.

40. Syritius, natione Romanus, ex patre Tibustio, sedit annos 15. Hie ordinavit episcopos 32, presbyteros 31, diaconos 16 Hic præcepit pœnitentibus in ultimum viaticum non negare.

41. Anastasius, natione Romanus, ex patre Maximo, sedit annos 3, dies 10. Hic constituit ut quando evangelium recitatur, sacerdotes non se erigerent, sed curvi starent. Hic ordinavit episcopos 11, presbyteros 8, diaconos 5.

42. Innocentius, natione Albanense, ex patre Innocentio, sedit annos 15, menses 2, dies 21. Hic A constituit ut qui natus fuerit de Christiana, denuo nasci per baptismum. Hic constituit sabbato jejunare, quia Dominus sabbato in sepulcro jacuit, et discipuli sabbato jacuerunt. Hic ordinavit episcopos 54, presbyteros 30, diac. 11.

43. Zosimus, natione Græcus, ex patre Ebramio, sedit annum 1, menses 3, dies 11. Hic multa constituit in Ecclesia. Hic ordinavit episcopos 8, presbyteros 10. diaconos 3.

44. Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundio presbytero, sedit annos 3, menses 8, d. 7. Hic constituit ut nulla mulier, aut monacha pallam sacratam lavaret, aut incensum in ecclesia poneret, nisi minister. Hic ordinavit episc. 36, presbyteros 13, diac. 3.

45. Cœlestinus, natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos 8, menses 10, dies 17. Hic constituit ut antiphona ante sacrificium caneretur, quod ante non fiebat, nisi tantum Epistola beati Pauli B recitabatur et sanctum Evangelium. Hic ordinavit episcopos 46, presbyteros 32, diaconos 12.

46. Xistus, natione Romanus, ex patre Xisto, sedit annos 8, menses 19. Hic incriminavit post annum, et mensibus octo a quodam Basso, et cum quinquaginta septem episcopis purgavit se, et Bassus est damnatus. Hic ordinavit episcopos 52, presbyteros 28, diaconos 12.

47. Leo, natus Tuseus, ex patre Quintiano, sedit ann. 21, men. 1, dies 13. Hic congregavit episcopos mille ducentos, qui exposuerunt fidem catholicam, duas naturas uno in Christo Deum et hominem. Hic ordinavit episeopos 185, prebsyteros 81, diac. 31.

48. Hilarius, natione Sardus, ex patre Crispino, sedit annos 6, menses 3, dies 10. Hic spargit epistolas de fide catholica per orbem Orientalem, et confirmavit tres synodos, Nicæeni, Ephesini, et Chalcedonensem. Hic ordinavit episcopos 25, dia- C conos 5.

49. Simplicianus, natione Tiburtinus, ex patre Castino, sedit annos 15, men. 1, dies 8. Hic constituit ut ad sanctum Petrum et sanctum Paulum, sanctumque Laurentium presbyteri manerent propter pœnitentes, et baptismum. Hic ordinavit episcopos 37, presbyteros 58, diaconos 11.

50. Felix, natione Romanus, ex patre Felice presbytero de titulo Fasciola, sedit annos 8, m. 11, d. 19. Hic ordinavit episcopos 31, presbyteros 18, diac. 5.

51. Gelasius, natione Afer, ex patre Valerio, sedit annos 4, menses 7, dies 19. Hic liberavit a periculo famis civitatem Romæ. Hic fecit tractatos et hymnos sicut beatus Ambrosius. Hic ordinavit episcopos 67, presbyteros 32, diaconos 2.

52. Anastasius, natione Romanus, ex patre Petro de regione quinta Caput Tauri, sedit ann. 1, mens. D 11, dies 24. Hic ordinavit episcopos 16, presbyteros 13.

53. Symmachus, natione Sardus, ex patre Fortunato, sedit annos 11, menses 7, dies 27. Hic et Laurentius sub intentione uno die ordinati sunt, Symmachus in Lateranis, Laurentius in ecclesia B. Mariæ; et Symmachus confirmatus est in sede secundum judicium Theodorici regis, et Symmachus postea incriminatus cum centum quindecim episcopis se purgavit. Hic constituit ut omni die 50 Natalitiis Sanctorum *Gloria in excelsis Deo* caneretur. Hic ordinavit episcopos 117, presbyteros 92, diaconos 16.

54. Hirmisda, natione Campanus, ex patre Justo de civitate Frisinone, sedit annos 6, dies 14. Hic constituit clerum, et psalmis erudivit. Hic ordinavit episcopos 55, presbyteros 21.

55. Joannes, natione Tuscus, ex patre Con-

stantio, sedit annos 2, menses 8, dies 16. Hic in custodia afflctus moriens : Hic ordinavit episcopos 15.

56. Felix, natione Sommum, ex patre Castorio, sedit annos 4, menses 2, dies 13. Ipse ordinatus est in quietem. Hic ordinavit episcopos 19, presbyteros 55, diaconos 4.

57. Bonifacius, natione Romanus, ex patre Sigiboldo, sedit annos 2, dies 26. Hic et Dioscorus sub intentione ordinati sunt ; sedi Dioscorus eodem tempore defunctus, Bonifacius sedem tenuit.

58. Mercurius, qui et Joannes, natione Romanus, ex patre Projecto, de Cælio monte, sedit annos 2, menses 4, dies 6. Hic ordinavit episcopos 16, presbyteros 15.

59. Agapitus, natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, sedit menses 11, dies 19. Hic ordinavit episcopos 11, diac 4.

60. Silverius, natione Campanus, ex patre Hormisda episcopus Romæ, sedit ann. 1, menses 5, d. 11. Hic ordinavit episcopos 81, presbyteros 46, diaconos 16.

61. Pelagius, natione Romanus, ex patre Joanne Vicariano, sedit annos 11, menses 10, dies 18. Hic est ordinatus a duobus episcopis et uno presbytero. Hic ordinavit episcopos 49, presbyteros 26, diaconos 9.

62. Joannes, natione Romanus, ex patre Anastasio, sedit annos 12, menses 11, dies 26. Hic amavit et restauravit cymiteria sanctorum martyrum, et constituit per singulas Dominicas oblationes et luminaria ibidem agere. Hic ordinavit episcopos 61, presbyteros 26, diaconos 13.

63. Benedictus, natione Romanus, de patre Bonifacio, sedit annos 5, mensem 1, dies 28. Hic ordinavit episcopos 21, presbyteros 15, diaconos 3.

64. Pelagius, natione Romanus, de patre Ungildo, sedit annos 10, menses 2, dies 10. Eodem tempore tantæ pluviæ fuerunt, ut omnes dicerent quia aquæ diluvii superinundarent, et talis cladis, qualis a sæculo nullus meminit fuisse. Hic ordinavit episcopos 48, presbyteros 28, diaconos 8.

65. Gregorius, natione Romanus, de patre Gordiano, sedit annos 14, menses 6, dies 10. Hic exposuit Omelias 40 et Moralia Job, et super Ezechielem, Pastoralemque, et Dialogos, et multa alia fecit. Hic augumentavit in Canone, *diesque nostros*, usque in finem missæ, Anglosque convertit ad Dominum nostrum. Hic fecit ut missa super corpus beati Petri caneretur. Hic ordinavit episcopos 62, presbyteros 39, diac. 5.

66. Sabianus, natione Tuscus de civitate Blera, de patre Bono, sedit annum 1, menses 5, dies 8. Hic addidit luminaria in ecclesia beati Petri. Hic ordinavit episcopos 26.

67. Bonifacius, natione Romanus, de patre Joanne, sedit menses 8, dies 28. Hic ordinavit episcopos 21.

68. Bonifacius, natione Marsorum de civitate Valeria, ex patre Joanne medico sedit annos 6, menses 8, dies 13. Hic ordinavit episcopos 35, diaconos 8.

69. Deusdedit, natione Romanus, ex patre Stephano subdiacono, sedit annos 3, dies 33. Hic dilexit clerum multum. Hic ordinavit episcopos 39 presbyteros 19, diac. 5.

70. Bonifacius, natione Campanus, de civitate Neapolim, ex patre Joanne, sedit annos 5. Hic constituit ut nullus traheretur de ecclesia. Hic ordinavit episcopos 28, presbyteros 25, diaconos 4.

71. Honorosius, natione Campanus, ex patre Petronio consule, sedit annos 12, menses 11, dies 18. Hujus temporibus levata est trabes in ecclesia beati Petri. Hic ordinavit episcopos 88, presbyteros 13, diaconos 11.

72. Severinus, natione Romanus, ex patre Abieno, sedit menses 2, d. 4. Hic ordinavit episcopos 4.

73. Joannes, natione Dalmatica, ex patre Venantio, sedit annum 1, mens. 9, dies 18. Hic per omnem Dalmaticam et Histriam multas pecunias misit ad redemptionem captivorum, qui prædicati erant. Hic ordinavit episcopos 4.

74. Martinus, de civitate Tudertina provinciæ, Tusciæ, sedit annos 6, mens. 1, dies 26. Hic congregavit synodum episcopos centum quinque et condemnavit Cyrrum Alexandrinum, et Sergium, Pyrrum, et Paulum patriarcham Constantinopolitanum, qui contra immaculatam fidem novitates in nocte resumpserunt, et sextam synodum conscribens confirmavit episcopum 1. Hic ordinavit episcopos 28, presbyteros 11.

75. Theodorus, natione Græcus, ex patre Theodoro episcopo de civitate Hierusalem, sedit annos 6, menses 5, dies 18. Hic ordinavit episcopos 46, presbyteros 21, diaconos 4.

76. Eugenius, natione Romanus, ex patre Rufiano, sedit annos 2, mens. 9, dies 24. Hic ordinavit episcopos 21.

77. Vitalianus, natione Signensis provinciæ Campaniæ, ex patre Anastasio, sedit annos 14, menses 6. Hic regulam ecclesiasticam atque vigorem, ut mos erat, omnino conservavit. Hic ordinavit episcopos 27. presbyteros 22, diacon. 1.

78. Adeodatus, natione Romanus, ex monachis de patre Cobiano, sedit annos 4, menses 2, dies 5. Hic ordinavit episcopos 47, presbyteros 14, diaconos 2.

79. Donus, natione Romanus, ex patre Mauricino, sedit annum 1, menses 5, dies 10. Hic ordinavit episcopos 6, presbyteros 10, diaconos 5.

80. Agatho, natione Sicula, sedit annos 2, menses 6, dies 4. Hic ordinavit episcopos 18, presbyteros 9, diaconos 3.

81. Leo Junior, natione Sicula, de patre Paulo, sedit menses 10, dies 17. Hic constitutum fecit, ut qui ordinatus fuerit archiepiscopus ab archivo ecclesiæ nulla consuetudine pro usu pallii, aut diversi officii ecclesiæ persolvere debeat. Hic ordinavit episcopos 21, presbyteros 9, diaconos 3.

82. Benedictus junior, natione Romanus, sedit menses 10, dies 12. Hic ordinavit episcopos 12.

83. Joannes, natione Syrus, de provincia Antiochia, ex patre Cyriano, sedit annum 1, dies 9. Hic ordinavit episcopos 13.

84. Sergius, natione Syrius, Antiochiæ regionis ortus, ex patre Tyberio in Parmomo Siciliæ. Hic statuit ut tempore Domini corporis *Agnus Dei* a clero et populo decantaretur. Hic constituit ut diebus annuntiationis Domini, et sanctæ Mariæ, et sancti Simeonis, quod Ypapanti Græce dicitur, Letaniæ exeant. Hic ordinavit episcopos 97, presbyteros 18, diaconos 4. Sedit annos 13, menses 7, dies 23.

85. Joannes, natione Græcus, sedit annos 3, m. 2, dies 12. Hic ordinavit episcopos 15, presbyteros 9, diaconos 2.

86. Joannes, natione Græcus. de patre Platone, sedit annos 2, menses 6, dies 17. Hic ordinavit episcopos 19.

87. Sisinnus, natione Syrus, de patre Joanne, sedit annos 7, dies 15. Hic ordinavit episcopos 64, presbyteros 10, diaconos 2.

88. Constantinus, natione Syrus de patre Joanne, sedit annos 7, dies 15. Hic ordinavit episcopos 64, presbyteros 10, diaconos 2.

89. Gregorius, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos 5, menses 9, dies 11. Hic constituit ut in quadragesimalis quinta feria jejunium atque missarum celebrationes fierent, quod ante non agebatur. Hic ordinavit episcopos 150, presbyteros 25, diaconos 4.

90. Gregorius, natione Syrus, ex patre Joanne,

sedit annos 10, menses 8, dies 25. Hic constituit Græca Latinaque lingua eruditos psalmos omnes per ordinem memoriter retinens, et in eorum sensibus subtilissima excitatione limatus. Hic ordinavit episcopos 80, presbyteros 24, diaconos 4.

91. Zacharias, natione Græcus, ex patre Policrono, sedit annos 10, menses 3, dies 14. Hic ordinavit episcopos 85, presbyteros 30, diaconos 5.

92. Stephanus, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos 5, dies 24. Hic ordinavit episcopos 15, presbyteros 2, diaconos 2.

93. Paulus.

94. Adrianus.

95. Leo.

96. Stephanus.

97. Paschalis.

INCIPIUNT

Nomina pontificum sanctæ Romanæ Ecclesiæ per ordinem.

(Ex ms. codice Vaticano 1353, qui descriptus est sub Paulo II ex vetusto codice 800 annorum ecclesiæ Pergamensis.)

Domnus Petrus sedit annos 25, menses 2, dies 8.
Linus sedit annos 15, menses 3, dies 11.
Cletus annos 12, mensem 1, dies 11.
Clemens annos 9, menses 2. dies 10.
Aneclitus annos 12, mens. 10, dies 6.
Evarestus annos 13, mens. 7, dies 2.
Alexander annos 10, mens. 7, dies 2.
Xystus annos 10, mens. 7, dies 21.
Telesphorus annos 11, mens. 3, dies 22.
Yginus annos 4, mens. 3, dies 8.
Anicitus annos 9, mens. 3, dies 3.
Pius annos 11, mens. 3, dies 21.
Soter annos 9, mens. 3, dies....
Eleuter annos 15, mens. 6, dies 5.
Victor annos 10, mens. 2, dies 10.
Zepherinus annos 17, mens. 2, dies 10.
Calistus annos 5, mens. 2, dies 10.
Urbanus annos 8, mens. 11, dies 12.
Antheros mensem 1, dies 15.
Contianus [Pontianus] annos 5, mens. 11.
Fabianus annos 13, mens. 1. dies 10.
Cornelius annos 3, dies 10.
Lucius annos 3, mens 3, dies 3,
Stephanus annos 4, mens, 2, dies 11.
Xystus annos 2, mens. 11, dies 6.
Dionysius annos 2, mens. 3, dies 7.
Fœlix annos 2, mens. 10.
Eutichianus annos 8, mens. 10, dies 4
Cajus annos 10, mens. 4, dies 9.
Marcellinus annos 8, mens, 2, dies 25.
Marcellus annos 5, mens. 7, dies 51.
Eusebius annos 2, mens. 1, dies 25.
Melchiades annos 2, mens. 7, dies 8.
Sylvester annos 23.
Marcus annos 2, mens. 7, dies 20.
Julius annos 11, mens. 2, dies 6.
Liberius annos 10, mens. 7, dies 3.
Fœlix ann. 1, mens. 3, dies 2.
Damasus annos 18, mens. 2, dies 10.
Syritius annos 15, mens. 11, dies 25.
Anastasius annos 2, dies 28.
Innocentius, annos 15, mens. 2, dies 20.
Zosimus anno 1, mens. 7, dies 25.
Bonifacius annos 3, mens. 7, dies 13.
Cœlestinus annos 8, mens. 2, dies 24.
Xystus annos 8, dies 24.
Leo annos 21, mens. 1, dies 28.
Hilarius annos 6, mens. 3, dies 18.
Simplicius annos 15, dies 28.
Fœlix annos 8, mens. 11, dies 28.
Gelasius annos 3, mens. 8, dies 9.
Anastasius ann. 1, mens. 11, dies 24.
Symmachus annos 15, mens. 7, dies 27.

Hormisda annos 9, dies 17.
Joannes annos 2, mens. 9, dies 16.
Fœlix annos 4, mens. 2, dies 13.
Bonifacius annos 2, mens. 1, dies 27.
Joannes annos 2, mens. 4, dies 6.
Agapitus menses 3, dies 18.
Silverius menses 8,
Vigilus annos 17, mens. 6, dies 26.
Pelagius annos 4, mens. 10, dies 28.
Joannes annos 12 mens. 11, dies 26.
Benedictus annos 4, mens. 1, dies 28.
Pelagius annos 10, mens. 2, dies 10.
Gregorius annos 13, mens. 6, dies 10.
Fabianus annos 4, mens 5, dies 9.
Bonifacius mens. 6, dies 23.
Deusdedit annos 3, dies 20.
Bonifacius annos 5, mens. 10, dies 11.
Honorius annos 12, mens. 11, dies 17.
Severus menses..... dies 4.
Joannes ann. 1, mens. 8, dies 18.
Martinus annos 6, mens. 1, dies 26.
Eugenius annos 2, mens. 9, dies 24.
Vitalianus annos 13, menses..... dies 6.
Adeodatus annos 4, mens. 2, dies 5.
Donus ann. 1, mens. 5, dies 10.
Agatho annos 2, mens. 6, dies 4.
Leo mens. 10, dies 17.
Benedictus menses 10, dies 12.
Joannes anno 1, dies 9.
Conon menses 11.
Sergius annos 12, mens 8, dies 14.
Joannes annos 3, mens. 2, dies 13.
Joannes annos 2, mens. 7, dies 17.
Sisinnius dies 20.
Constantinus annos 7, dies 15.
Gregorius annos 15, mens. 7, dies 24.
Zacharias annos 10, mens. 3, dies 14.
Stephanus annos 5, mens. 5, dies 27.
Paulus annos 10, mens. 1.
Stephanus annos 3, mens. 5, dies 27.
Adrianus annos 23, mens. 10, dies 17.
Leo annos 20, mens. 10, dies 16.
Stephanus menses 7.
Paschalis annos 7, dies 16.
Eugenius annos 3, mens. 7, dies 23.
Valentinus mensem 1, dies 10.
Gregorius annos 15.
Sergius annos 3.
Leo annos 8, mens. 3, dies 5.
Benedictus annos 2, mens. 6. dies 11.
Nicolaus annos 9, mens. 6, dies 20.
Adrianus.
Joannes.

CATALOGUS PONTIFICUM

Et decretorum ab ipsis editorum.

Ex sexcentorum annorum codice 6384 Vaticano, ante Anselmi Lucensis episcopi Decretum.

ORDO ROMANORUM PONTIFICUM.

(Quæ per uncos includuntur, alia manu sunt adnotata in codice.)

Beatus Petrus sedit annos 25, menses 2, dies 7. Hic martyrio cum Paulo coronatur post passionem Domini anno 38.

Linus an. 11, m. 3, d. 12. Obiit 8 Kal. Oct.; hic et præcepto B. Petri constituit ut mulier non velato capite in ecclesiam non introeat.

Cletus an. 12, m. 1, d. 11. Obiit 6 Kal. Maii. Hic ex præcepto B. Peiri 25 presbyteros ordinavit in urbe Roma.

Clemens annos 9, menses 2, dies 10.

Anacletus an. 11, mens. 1, dies 7.

Evaristus annos 13.

Alexander an. 11, m. 7, d. 1, cessavit d. 35. Hic in passionem Domini miscuit in prædicatione sacerdotum, quando missæ celebrantur. Natione Romanus.

Xistus an. 10. m. 3, d. 21, cess. d. 11. Natione Romanus. Hic constituit ut ministeria sacrata non tangerentur nisi a ministris.

Telesphorus an. 11, m. 2, d. 22, cess. d. 7. Natione Græcus. Hic constituit in Nativitate Domini noctu missas celebrare, et hymnum angelicum, id est *Gloria in Excelsis Deo.*

Iginus an. 4, m. 3, d. 7, cess. d. 3. Natione Græcus. Hic clerum composuit, et distribuit gradus.

Annitius an. 8, m. 3, d. 6, cess. d. 17. Obiit 15 Kal. Maii.

Pius an. 11, m. 4, d. 3. cess. d. 14. Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.

Sother an. 9, m. 3, d. 20, cess. d. 22. Hic constituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta ecclesia.

Eleuther an. 15, m. 6, d. 5, cess. d. 6. Obiit 7 Kal. Junii.

Victor an. 10, m. 2, d. 10, cess. d. 12. Obiit 6 Kal. Augusti.

Zepherinus an. 16, m. 2, d. 10, cess. d. 6. Obiit 5 Kal. Sept.

Calistus an. 7, m. 2, d. 10, cess. d. 6. Hic constituit ter in anno fieri jejunium die Sabbati.

Urbanus an. 8, m. 11, d. 12, cess. d. 30. Hic obiit 15 Kal. Jun.

Pontianus an. 5, m. 2, d. 2, cess. d. 10. Obiit Kal. [3 Kal.] Nov.

Antherus an. 12, m. 1, d. 12, cess. d. 13.

Fabianus an. 14, m. 11, d. 7, cess. d. 13.

Cornelius an. 3, m. 2, d. 10, cess. d. 66.

Lucius an. 3, m. 3, d. 3, cess. d. 33. Hic præcepit ut duo presbyteri, et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent propter testimonium ecclesiasticum. Obiit 11 Kal. Sept.

Stephanus an. 4, m. 2, d. 15, cess. d. 22. Hic constituit ut vestimenta ecclesiastica, quibus Deo ministratur, et sacra debent esse, et honesta, quibus aliis usibus nemo debet perfrui, quam ecclesiasticis, et Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, nec ferri, nisi a sacris hominibus.

Xistus natione Græcus an. 2, m. 11. d. 6, cess. d. 25.

Dionysius an. 2, m. 3, d. 7, cess. d. 5.

Felix an. 2, m. 10, d. 25, cess. d. 5. Hic constituit supra memorias martyrum missas celebrare. Obiit 4 Kal. Junii.

Euticianus an. 8, m. 10, d. 4, cess. d. 8. Hic constituit fruges super altare tantum uvæ et fabæ benedici. Obiit 11 Kal. Aug.

Caius an. 11, m. 4, d. 9, cess. d. 11.

Marcellinus an. 9, m. 2, d. 25, cess. episcopatus an. 7, m. 6, d. 25.

Marcellus an. 5, m. 7, d. 21, cess. d. 20.

Eusebius an. 2, m. 2, d. 25, cess. d. 7. Sub hujus temporibus inventa est crux Domini nostri Jesu Christi 5 Non. Maii. Obiit 6 Non. Octobris.

Melciades an. 3, m. 7, d. 21. cess. d. 16. Obiit Idns Decembr.

Silvester an. 25, m. 10, d. 11, cess. d. 15. Hic constituit ut baptizatum liniat presbyter chrismate levatum de aqua propter occasionem mortis: et nullus laicus crimen clerico audeat inferre. Item constituit ut sacrificium altaris non in sericum, neque in pannum tinctum celebretur, nisi tantum in linium de terra procreatum, ab episcopo benedictum: sed sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindonem mundam lineam sepultus est, sic missa celebretur.

Marcus an. 11, m. 7, d. 20. Episcopatus cess. d. 20. Obiit 3 Nonas Octobris.

Julius an. 11, m. 2, d. 3, cess. d. 25.

Liberius an. 10, m. 3, d. 4, cess. d. 6.

Felix (2) an. 1, m. 3, d. 2, cess. d. 38. Passus 3 Idus Nov.

Damasus an. 18, m. 2. d. 10, cess. d. 31.

Siricius an. 15, m. 11, d. 25, cess. d. 20.

Anastasius (1) an. 2, d. 26, cess. d. 20. Obiit 5 Kal. Maii.

Innocentius an. 15, m. 2, d. 21, cess. d. 33. Obiit 6 Kal. Aug.

Zosimus an. 1, m. 8, d. 23, cess. d. 11. Hic constituit a levitis cereum benedici. Obiit 8 Kal. Maii.

Bonefacius an. 3, m. 5, d. 13. cess. d. 9. Obiit 9 Kal. Nov.

Cœlestinus an. 7, m. 10, d. 9, cess. d. 21. Obiit 8 Aprilis.

Xistus (III) an. 8, d. 19, cess. d. 22.

Leo (Primus) an. 22, m. 1, d. 26, cess. d. 7. Obiit 4 Idus Apr.

Hylarius an. 6, m. 3, d. 10, cess. d. 10.

Simplicius an. 15, m. 1, d. 7, cess. d. 6. Hie fecit ordinationes in urbe Roma mense Decembri, et Febr. num. 3 presbyteros 65, diaconos 11, episcopos per diversa loca.

Felix (3) an. 8. m. 11, d. 17, cess. d. 5.

Gelasius an. 4, m. 8, d. 18, cess. d. 8. Hic fecit ordinationes 2 in urbe Roma in menses Febr. et Decemb. Presbyteros 32, diaconos 2, episcopos per diversa loca. Hic fecit tractus, et hymnos, sicut B. Ambrosius. Obiit 12 Kal. Decembr.

Anastasius an. 1, m. 11, d. 24, cess. d. 4. Multi clerici et presbyteri separaverunt se a communione istius, eo quod communicasset Fotino diacono, e. quia voluit occulte revocare Acatium, nec potuit. Obiit 4 Kal. Decembr.

Simachus an. 15, m. 8, d. 27, cess. d. 7. Hic constituit ut omni die Dominico, vel natali martyr *Gloria in Excelsis* diceretur. Hic fecit ordinationes 4 in urbe Roma mense Decembri, et Febr. presbyteros 92, diac. 92, episcopos per diversa loca 117.

Hormisda ann. 8, d. 17, cess. d. 6. Obiit 8 Idus August.

Joannes an. 2, m. 8, d. 17, cess. d. 58. Hic a Theodorico rege captus, et maceratus in custodia apud Revennam defunctus est martyr 15 Kal. Junii.

Felix (4) an. 4, m. 2, d. 13. cess. d. 3. Hic fecit ordinationes 2 in urbe Roma mens. Febr. et Mar., presbyteros 55, diaconos 4, episcopos per diversa loca 28. Obiit 5 Idus Octobr.

Bonefacius (2) an. 2, d. 26, cess. m. 1, d. 15. Obiit 6 Kal. Nov.

Joannes (2) an. 2, m. 4, d. 9, cess. d. 6. Obiit 6 Kal. Junii.

Agapitus m. 11, d. 18, cess. d. 24. Obiit 10 Kal. Maii.

Silverius an. 1, m. 5, d. 11. Hic dolo captus, et monastica veste indutus, et a Vigilio archidiacono in Pontias insulas missus, pane tribulationis, et aqua angustiæ sustentatus deficiens mortuus est confessor, et sepultus in eodem loco 12 Kal. Jul. Hic taliter subscripsit in damnatione Vigilii. Sic decet sanctorum fidem Patrum in Ecclesia servari Catholica, utquod habuit, amittat qui improperabili temeritate, quod non accepit, assumpsit.

Vigilius an. 17, m. 6, d. 26, cess. m. 3, d. 5.

Pelagius an. 11, m. 10, d. 18, cess. m. 2, d. 25.

Joannes (5) an. 12, m. 11, d. 26, cess. m. 10, d. 3. Obiit 14 Kal. Augusti.

Benedictus an. 4, m. 1, d. 29, cess. d. 11. Tempore istius gens Longobardorum invasit Italiam.

Pelagius (2) an. 10, m. 2, d. 10, cess. m. 3, d. 25. Obiit d. 7 Febr.

Gregorius an. 13, m. 6, d. 10, cess. m. 5, d. 23. Hic addidit in Canone : *Diesque nostros in tua pace*, Hic constituit ut supra corpus B. Petri missa celebraretur.

Fabianus an. 1, m. 5. d. 8, cess. m. 11, d. 26. Obiit 8 Kal. Mart.

Bonefatius (3) m. 8, d. 22, cess. m. 10, d. 6. Obiit 11 Id. Nov.

Bonefatius (4) an. 6, m. 8, d. 13. Hic impetravit a Phoca templum Pantheum, in quo fecit ecclesiam S. Mariæ et omnium martyrum. Obiit 8 Kal. Jun.

Deusdedit an. 3, d. 24, cess. d. 13. Obiit 6 Idus Nov.

Bonefatius (5) an. 5 et d. 13. Obiit 8 Kal. Novembr.

Honorius an. 12, m. 11, d. 17, cess. an. 1, m. 7, d. 18. Obiit 4 Id. Oct.

Severinus m. 2, d. 4, cess. m. 4, d. 29. Obiit 4 Non. Aug.

Joannes (4) an. 1, m. 9. d. 19, cess. m. 1, d. 13. Obiit 4 Id. Oct.

Theodorus an. 6, m. 5, d. 18, cess. d. 12. Obiit 2 Id. Maii.

Martinus an. 6, m. 1, d. 20, cess. d. 28.

Eugenius an. 2, m. 9, d. 29, cess. d. 28. Obiit 4 Non. Jun.

Vitalianus an. 14, m. 6, cess. m. 2, d. 13. Obiit 6 Kal. Febr.

Adeodatus an. 4, m. 2, d. 5, cess. m. 2, d. 5 et m. 4, d. 90. Obiit 6 Kal. Junii.

Donus (Primus) an. 5, m. 5. d. 10, cess. m. 2, d. 15.

Agatho an. 2, m. 6, d. 4, cess. an. 1, m. 7, d. 5. Obiit 4 Id. Jan.

Leo (2) m. 10, d. 25, cess. m. 2 d, 15. Obiit 5 Non. Julii.

Joannes (5) an. 1, d. 9, cess. m. 1, d. 19. Obiit 4 Non. Aug.

Conon m. 11, cess. d. 13. Obiit 11 Kal. Octobr.

Serginus (Primus) an. 13, m. 8, d. 24, cess. m. 1, d. 20. Hic constituit ad missam cantari *Agnus Dei*. Obiit. 6 Idus Sept.

Joannes (6) an. 3, m. 2, d. 12, cess. m. 1, d. 18.

Joannes (7) an. 2, m. 7, d. 17. cess. m. 4. Obiit 5 Kal. Nov.

Sisignius d. 20, cess. m. 1, d. 18.

Constantinus an. 7, d. 15, cess. d. 40. Obiit 6 Idus Apr.

Gregorius (2) an. 16, m. 9, cess. m. 1, d. 10. Hic adjecit in Canone : *Quorum solemnitas in conspectu gloriæ*. Obiit 4 Id. Febr.

Gregorius (3) an. 10, m. 8, d. 25, cess. d. 8.

Zaccharias an. 10, m. 3, d. 13.

Stephanus (2) an. 5, d. 29, cess. m. 1, d. 5. Hic pergens Franciam, unxit Pipinum, qui veniens Italiam, abstulit Revennam cum 20, aliis civitatibus de manu Aistulphi, et sub jure Sancti Petri restituit. Obiit 6 Kal. Maii.

Paulus an. 10, m. 1, cess. an. 1, m. 1.

Stephanus (3) an. 5, cess. d. 29.

Adrianus (Primus) an. 23, m. 10, cess. d. 17. Hic fecit venire Carolum regem Romam propter Desiderium Longobardorum regem. Obiit 6 Kal. Januarii.

Leo (3) an. 20, m. 5, et d. 17. Hic a suis cæcatus est, et in arcta positus custodia : post paucos dies recepit visum, et lingua ad loquendum illi restituta est. Hic constituit, ut ante tertium diem Ascensionis Dominicæ lettaniæ celebrentur. Hic coronavit Carolum.

Stephanus (4) an. 7.

Paschalis an. 7, d. 16.

Eugenius (2) an. 4, m. 7, d. 23.

Valentinus mens. 10, d. 40

Gregorius (4) an. 16.

Sergius (2) an. 3. Hic coronavit Ludovicum.

Leo (4) an. 8, m. 3, d. 5.

Benedictus (2) an. 2, m. 6, d. 10.

Nicolaus (1) an. 9, m. 6, d. 20.

Reliqui Pontifices usque ad Paschalem 2, in quem desinit Catalogus, non apponuntur, cum ad Historiam Anastasianam non pertineant. Vide Schelestr. pag. 644.

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM.

(Ex P. Mabillonio, *V et. Analect.)*

INCIPIUNT NOMINA APOSTOLICORUM.

Petrus sedit annos xx, menses ij, dies iii.
Linus sed. an. xj, mens. iij, d. xij.
Clitus sed. an. xij, mens. j. d. ij.
Climens sed. an. viij, mens, x, d. j.
Evuaristus sed. an. viij, mens. x, d. ij.
Alexander sed. an. xij, mens. vij, d. ij.
Xistus sed. an. x, mens. ij, d. j.
Thelispher sed. an. xj, mens. j, d. xxj.
Egenus sed. an. iiij, mens. iij, d. j.
Osus (Pius)sed. an. xviij, mens..., d. j.
Anicetus sed. an. xj, mens. iiij, d. ij.
Socher sed. an. viiij, mens. ij, d. xxj.
Eleutherius sed. an. xv, mens. iij, d. ij.
Victor sed. an. xv, mens. iij, d. x.

Vepherinus sed. an. xviij, mens vij, d. x.
Calistus sed. an. v, mens. x, d. x.
Urbanus sed. an. viiij, mens. j. d. ij.
Pontianus sed. an. vij, mens. x, d. xxij.
Anthirus sed. an..., mens. j, d. xj.
Favianus sed. an. xiiij, mens. ij, d. x.
Cornilius sed. an. ij, mens. iij, d...
Lucius sed. an. iiij, mens. viij, d...
Stefanus sed. an. vj, mens. j, d...
Sistus sed. an. j, mens. j, d...
Dionethius sed. an. viij, mens. v, d...
Felix sed. an. iiij, mens. j, d. x.
Euthitianus sed. an. j, mens. j, d...
Gajus sed. an. xj, mens. iiij, d...
Marcellus sed. an. j,mens. iiij, d...
Eusebius sed..., mens...
Melsiadis sed. an. iiij, mens...
Silvester sed. an. xxiij, mens, x, d...
Positio ejus Kalendas Januarias.
Marcus sed. an. ij, mens. j, d. xx.
Julius sed. an. xv, mens. ij, d. viij.
Liberius sed. an. vj, mens. iv, d. viij.
Felix sed... d. j.
Damasus sed. an. xviij, mens.iij, d. xj.
Siricius sed. an. xv.

A Anasthasius sed. an. iij, d. xxj.
Innocentius sed. an. xv, mens. ij, d. xxj.
Josemus sed. an. vij, mens. ix, d. ix, *rec. manu* xix.
Bonefatius sed. an. iij, mens. viij, d. vj.
Celestinus sed. an. ix, mens. x d. xvij
Sistus sed. an. viij, mens... d. xix.
Leo sed. an. xx, mens. j, d. xiij.
Helarus sed. an. vj, mens. iij, d. x.
Simplicius sed. an. xv, mens..., d. vij.
Item Felix sed. an. viij, mens. v, d. xvij
Athelacius [Gelasius] sed. an. iv, mens. viij, d. xviij.
Anastasius sed. an. j, mens. xj, d. xxiv.
Symmachus sed. an. xv, mens. vij, d. xvij.
Hormisda sed. an. ix, mens.... d. xvij.
Joannis sed. an ij.
Felix sed. an. iij.
B Bonefatius sed. an. ij.
Item Joannis sed. an. ij.
Agapitus sed. an. j.
Silverius sed. an. j.
Vigilius sed. an. xiiii.
Ab apostoleca sede Petri apostoli usque ordenatione sancti Silvestri anni CCLVII.

INCIPIT DE EPISCOPIS ROMANÆ ECCLESIÆ.

(Ex eodem Mabillonio.)

Linus sedit annos xij, menses v, dies xij.
Clerus sed. an. viij, mens. j, d. v.
Clemens sed. an. vj, mens. j, d. xiy.
Evaristus sed. an. xiv, mens. iij, d. xij.
Alexander sed. an. vij, mens. vj, d. vj.
Xystus sed. an. xxv, mens. ij. d. j.
Thelisforus sed. an. xj, mens. iiij, xxvj.
Yginus sed. an. vj, mens. iij, d. iv.
Pius sed an. xviij, mens. iv, d. iij.
Anicitus sed. an xj, mens. iv, d. iij.
Soter sed. an. xiv, mens. v, d. ij.
Filetus [Eleutherius] sed. an. v, mens. x, d. xxij.
Victor sed. an. xv, mens. iij, d. x.
Severinus sed. an. xviij, mens. vj, d. v.
Calestus sed. an. v, mens. ij, d. x.
Urbanus sed. an. ix, mens. j. d. ij
Pontianus sed an. ix, mens. v, d. ij.
Antherus sed. an. xj, mens. j, d. x.
Gatitanus [Fabianus] sed. an. xiv, mens. j, d. x.
Cornelius sed. an. ij, mens ij, d. iij.
Lucius sed. an. iij, mens iij, d. iij.
Stephanus sed. an....
Xystus sed. an. j, mens. x, d. xxvj.
Dionysius sed. an. vj, mens. v, d. j.
Felix sed. an iij, mens. j. d. xxv.
Eutychianus sed. an. j, mens. j.
Caius sod. an. xj, mens. iv, d. xij.
Marcellus sed. an. ix, mens. iv, d. xvj.
Eusebius sed. an. vj, mens. j, d. iij.
Militiades sed. an. iv, mens....
Sylvester sed. an xxiij, mens. x, d. xj.
Marcus sed. an. ij... d. x.
Julius an. xv, mens. ij, d. x.
Liberius an. vj, mens. vj, d. iv.
Felix sedit....
Damasus sed. an. xviij, mens iij, d. xij.
Syricius an. xv.
Anastasius an. iij, d. x.
Innocentius an. xv, mens. j, d. xxj.
Zosimus an. j, mens. iij, d. xj.
Bonifacius an. iij, mens. viij, d. vj.
Cœlestinus an. viij, mens. x, d. xvj.
Xystus an. viij, mens.... d. xvij.
Leo an. xxj, mens. j, d. xiij.
Hilarus an. vj, mens. ij, d. xij.
Simplicius an. xv, mens. j, d. vj.
Felix an. viij, mens. x, d. xviij.
Gelasius an. iv, mens. viij, d. xviij.
Anastasius an. j, mens. xj, d. xxiij.
C Symmachus an. xv, mens. vij, d. xvij.
Hormisda an. ix, mens.... d. xvj.
Joannes an. ij, mens. ix, d. xvj.
Felix an. iv, mens. ij, d. xij.
Bonifacius an. ij, d. xxvj.
Joannes an. ij, mens. iv. d. vj.
Agapitus an. iv, mens. xj, d. xviij.
Sylverius an. ij, mens. v, d. xxvj.
Vigilius an. xvij, mens. vij.
Pelagius an.... mens. ix, d. xix.
Joannes an. xij, mens. xj, d. xxvj.
Benedictus an. iv, mens. j, d. xxvij.
Pelagius an. x, mens. ij, d. x.
Gregorius an. xiij, m. ij, c. x. [Fiunt usque hic LXIII.]
Salvinianus sed. an. j, mens. v, d. ix.
Bonifacius sed. an.... mens. viij, d. xxii.
D Item Bonifacius an.... mens. viij, d...
Deus dedit an. iij, d. xx.
Bonifacius an. v, mens. x.
Honorius an. xij, mens. xj, d. xvij.
Severinus an.... mens. ij, d. iv.
Joannes an. j, mens. viij, d. vj.
Theodorus an. vj, mens. v, d. xviij.
Martinus an iij, mens. j, d. xxvj.
Eugenius an. ij, mens. ix, d. xix.
Vitalianus an. xiv, mens. vj.
Adeodatus an. iv, mens. ij, d. v.
Donus an. j, mens. v, d. x.
Agatho an. ij, mens. vj, d. xiv.
Leo sed an.... mens. x, d. xviij.
Benedictus sed. mens. x, d. xiij.
Joannes sed. an..... d. x.
Conon sed. mens. xj.
Sergius sed. ann....
Joannes sed....

FRANCISCI BLANCHINI

ADNOTATIONES

Ad Catalogos superiores, necnon ad specimina scripturæ secundi Corbeiensis, et codicis Farnesiani, libri Pont.

Consilii nostri ratio reddenda est, cur scilicet ex pluribus antiquis Catalogis pontificum Romanorum, quos proferunt eruditi scriptores, eos esse deligendos putaverim, quos hic inserui tres nempe a Schelestratio, duos a Mabillonio petitos. Congeri quidem poterant multi plures, si animus fuisset multiplicitati studere potius quam delectui. Ex appendice Schelestratii ad opus chronologicum octo diversi suppetebant, quos ille distinxit numeris 6, 18, 22, 26, 27, 29, 31, 32, ex Vaticanis codicibus bibliothecæ Palatinæ, Urbinatis Alexandrinæ, aliisque per ipsum indicatis. Non deerant in Galliarum pluteis Catalogi spectabiles, præter duos a Mabillonio transcriptos, cum unica bibliotheca Colbertina octo diversos ministraverit Pagio, excusos in secunda editione Criticæ Baronianæ, una cum duobus denarium numerum implentibus, uno scilicet ex Regiis, altero ex Thuanis codicibus manuscriptis. Anglicis quoque ex collectionibus præsto erant series pontificum Romanorum, illa præsertim ex Bodleiana quam videmus editam in opere posthumo Pearsonii.

Verum habendam esse rationem duxi præstantiæ potius quam copiæ. Tres igitur elegi ex octo Catalogis a Schelestratio editis, quorum antiquitatis nota et fontes non obscuri forent, ususque ad illustrandum Anastasium maxime accommodatus. Tria enim illa quæ textus noster potiora prodit in unoquoque pontifice (saltem ut plurimun), nempe chronologiam sedis annis, mensibus, ac diebus explicatam, ordinationes episcoporum, presbyterorum ac diaconorum enumeratas, decreta denique complura et gesta nonnulla recensita. Hæc tria, inquam, ex totidem Catalogis Schelestratii singillatim confirmanda suscepi. Tria illa complectitur Catalogus ab ipso redditus ex codice octingentorum sexaginta quinque annorum, dum ipse scriberet (nunc vero ferme nongentorum) bibliothecæ Palatino-Vaticanæ. Catalogus alter, chronologiæ tantum index est, sed inter fidelissimos habendus. Describebatur jussu Pauli secundi ex codice Ecclesiæ Pergamensis, annorum octingentorum ætatem præseferente. Ostendam in dissertatione de antiquis Catalogis pontificum Romanorum, eos esse cæteris præferendos, qui descripti esse noscuntur ex genuinis monumentis Ecclesiæ Romanæ, publico præsertim atque sanctiori loco positis, et per eam ætatem quæ abundaret chronologis exactioribus : qualium vestigia satis integra proferam ex parietinis ecclesiarum patriarchalium, præsertim S. Pauli via Ostiensi. Antiquissimis itaque codicibus Italicis fidendum esse colligam, et nominatim huic Bergomensi, Romanis illis archetypis tantæ auctoritatis apprime respondenti ; ubi constet consensus codicum tot ante sæcula descriptorum cum numeris superstitibus monimentorum illustrium Romanæ Ecclesiæ, ea qua dixi ætate positorum. Delectum nostrum egregie confirmabit consensus plane admirabilis duorum Italicorum codicum et Catalogorum huic affinium pretio antiquitatis et vicinia Urbis, quorum alterum jam edidi priore tomo pag. 4, ex Cavensi codice per Franciscum Peniam diligenter descriptum, alterum vero ex codice insigni abbatiæ Farfensis edam infra, cui tribuenda est antiquitas septingentorum et ultra annorum. Concordia trium istorum codicum tanta antiquitate præstantium, et summo consensu tum sibi invicem respondentium, tum indicatis monumentis genuinis basilicæ S. Pauli, mirifice comprobat præstantiam codicum Italicorum in pontificia chronologia germanis ex fontibus derivanda ; præsertim si conferantur numeri in his catalogis ita consoni, cum numeris aliorum exterorum codicum (sive pari antiquitatis laude, sive etiam majori commendetur) valde dissentientibus tum inter se, tum ab indicationibus genuinis Actorum publicorum, tam ex conciliis quam ex epistolis ac diplomatibus certis pontificum aliorumque principum colligendis. Hac igitur de causa secundum illum Catalogum, a Bergomensi codice transcriptum, inter Schelestratianos delegi, chronologiæ pontificiæ indicem præ cæteris fidum, et idoneum habendum.

Tertius denique Catalogus, antiquitatem prodit annorum circiter 650. Idcirco autem additur huic nostro delectui, quod præter nonnulla decreta, et gesta pontificum, aliquot etiam sacras ordinationes et consuetam chronologiam annorum, mensium ac dierum sedis unicuique tributorum, indicet tempora vacationis sedis, sive, ut exprimi solet his in Catalogis, quibus cessavit episcopatus. Licet enim inter pontificii tempora, seu vacationis sedis, non ita certis documentis testata sint, ut dubitare non semel sinant, id tempus pro vario numerantium arbitrio, aliquando inchoati a die decessoris emortuali, aliquando a depositione, et protrahi nunc ad diem electionis, nunc ad ordinationem, et occasione schismatum aut persecutionum diversimode interpolari, ut suis locis singillatim constabit ; attamen ne hac in parte fraudarem textum Anastasianum ea sive luce, sive suffragatione, quam Catalogi præstare possunt histo-

riæ, tertium hunc a Schelestratio mutuandum putavi.

Duos vero ut adderem a Mabillonio collectos ex vetustissimis codicibus bibliothecæ Corbeiensis cœnobii plures me causæ impulerunt. Prima est antiquitas codicum, quo nomine tum editori rei diplomaticæ consultissimo, tum eruditis omnibus magno in pretio habentur; cum Catalogus prior, ad sæculum sextum sit referendus, uti ex ejusdem Mabillonii notis indicabam in præfatione num. 4, posterior autem Catalogus circa finem septimi sæculi scriptus agnoscatur. Istius scripturæ specimen dum contemplarer in Rei Diplomaticæ lib. v, tab. 8, num. 5, et præ manibus haberem exemplum ad me transmissum ab illustrissimo viro Mauritio marchione de Sanctis, scripturæ codicis Farnesiani Vitas pontificum Anastasianas complexi, tantam deprehendi similitudinem in ductibus litterarum et graphica delineatione utriusque characteris ad archetyporum fidem diligenter exacti, ut paris antiquitatis indicium utrobique apparere non dubitaverim. Altera igitur hæc ratio fuit addendi hujus secundi Catalogi Corbeiensis, non modo ad chronologiam pontificum illustrandam, sed etiam ad asserendam ætatem codicis Anastasiani, omnium antiquissimi habendi judicio virorum hac in arte præstantium, Holstenii, Schelestratii, et Mabillonii. Quin etiam ut judex esse possit utriusque vetustatis quisquis rem diplomaticam et artem calligraphicam excolit, utriusque codicis specimen hic inserendum curavi. Habeat itaque lector ex Mabilloniano exemplo specimen characteris secundi Catalogi Corbeiensis ad septimum Christi sæculum pertinentis, quod tale est.

Specimen Scripturæ sæculi VII ex codice Regularum Corb. n° 630 apud Mabillon de re Dipl. lib. v, cap. 8.



Scripturam istius Catalogi Corbeiensis secundi referendam esse ad finem sæculi septimi Mabillonius demonstrat duplici ex causa. Primum ex eo quod desinat in Joanne sexto, qui anno 701 sedere cœpit per annos tres. Hujus autem pontificis anni ac proximi decessoris Sergii non sint expressi, sed tantummodo superiorum pontificum, quorum postremus Conon sedisse memoratur mensibus XI numerandis ex die consecrationis ejusdem Dominica 21 Octobr. anni 686, ad 21 Sept. 687, uti suo loco dicemus cum Anastasio. Quare post obitum Cononis vivente Sergio scriptus videtur Catalogus, cui subinde nomen Joannis successoris quispiam adjecit. Rursus demonstrat Mabillonius eamdem ætatem esse tribuendam scripturæ hujus Catalogi ex comparatione characterum cum specimine omnino simili codicis Bellovacensis, in eadem tabula 8, expresso numero 2, ubi epocha scripturæ significatur hoc testimonio:

Explecit vero opus favente Domino apud cœnubium Lussovium anno 12 regis Chlotacharii indictione 13 anno 40 Patris nostri feliciter peracto.

Exponit epocham Mabillonius his verbis: « Tempus exarati codicis exprimitur in fine ejus prout hi legitur, nempe *apud cœnubium Lussovium anno duodecimo regis Chlothacarii, indictione tertiadecima, anno quadragesimo Patris nostri feliciter peracto.* Quod interpretatus sum de sancto Columbano, et de Chlothario secundo, cujus annus in Burgundia duodecimus cum anno Christi 625, indictione XIII prædito, coincidit: idemque a Luxoviensibus forsan computabatur annus quadragesimus Columbani adventus in Burgundiam. Si quis vero id ad regnum Chlotharii tertii, et ad regimen Waldeberti abbatis, qui Luxovio annis XL præfuit, revocandum esse contendat, dicendum esset, Waldebertum annum 665, qui ei supremus assignari solet, excessisse, et pervenisse ad annum 670, qui sub Chlotharii tertii principatu indictione XIII præditus erat. »

His igitur documentis testata cum sit ætas codicis Luxoviensis et Catalogi Corbeiensis, quorum uterque exaratus est charactere plane consimili, apponendum duxi hujus exemplo specimen codicis Anastasiani, antiquitate cæteris præferendi, judicio utriusque præsulis Holstenii et Schelestratii, qui tanta

cura cum reliquis contulerunt Farnesianum istum Romæ tunc asservatum. Inspectio et comparatio exemplorum ad prototypi utriusque fidem diligentissime exactorum ostendet quam solide argumentatus sit Holstenius de vetustate Vitarum Libri Pontificalis, superante ætatem Anastasii ; cum sola Farnesiani codicis scriptura eam manifestet. Reddidi verba Holstenii numero 2 præfationis in tomum primum, quæ hic repetere non gravabor. « Pagina, inquit, 54 incipiunt collationes manuscripti Farnesiani, scripti litteris majusculis, quo nihil antiquius exstare puto in hoc genere, et codex haud dubie ante natum Anastasium scriptus fuit, vel saltem eo tempore quo Anastasius vixit. »

Specimen scripturæ libri Pontificalis ex vetustissimo Codice Farnesiano unde Variantes lectiones descripserunt Holstenius et Schelestratius.



Huic testimonium Holstenii addebam in Præfatione indicata, numero 6, similia observata Labbei ac Lambecii judicium optimorum antiquitatis codicum affirmantium visos a se codices optimæ notæ tempore Caroli Magni exaratos et Ludocivi Pii, quorum in uno *Vitæ Damaso tribuebantur antequam natus esset Anastasius, aut saltem ex prioris infantiæ crepundiis emersisset,* in aliis apparebat ex termino Vitarum scriptas easdem fuisse annis centum antequam Anastasius nasceretur. Vis horum argumentorum fit evidentior ex oculata inspectione scripturæ Codicis Farnesiani, ejusque comparatione cum simili charactere Catalogi Corbeiensis, ad finem septimi a Christo sæculi pertinente.

Quod autem attinet ad similitudinem hujus exempli per nos ineisi cum autographo Farnesiano, vadem se sistit eadem diligentia marchionis de sanctis, cujus beneficio repertus, præservatus ac reipublicæ litterariæ bono redditus est codex, diu desideratus, et a compluribus frustra quæsitus, donec viri clarissimi constantia in benemerendo de pontificia historia delitescentem in angulo et ferme conclamatum usuræ lucis restituit. Post obitum enim præsulis Schelestratii cum serenissimi principes Farnesii Parmam transferri jussissent aliquot vetustos codices bibliothecæ quam Romæ possident, inter cæteros huic delectui accensitos Anastasianus ille transmissus fuit. Verum is cui ordinandorum librorum cura fuerat concredita, hunc non modica sui parte mutilum, uti eum Romæ viderant Holstenius et Schelestratius, totis quinquaginta octo pontificum Vitis a S. Petro ad S. Agapetum deperditis, se posuit, et cum rejectaneis fasciculis incompactorum foliorum oblivioni ferme demandavit; sive distulerit diligentius inquirere cujus operis pars illa superstes foret; sive attenderet an ab Urbe transmitterentur alia fragmenta quæ ad hunc ipsum codicem pertinere possent. Ad alias subinde manus bibliothecæ cura in principum successione cum devenisset, nemini quidquam suboluit de Anastasio inter hæc retrimenta conquirendo. Nos autem Romæ delitescere librum suspicati, studiose conquiri in pluteis archivi Farnesiani serenissimæ domus in palatio celebri ad Campum Floræ enixe flagitabamus. Illustr. viri ac germani fratres de Sanctis, marchio scilicet Ignatius præpositus negotiis serenissimæ domus pertractandis in Urbe, et marchio Mauritius a sanctioribus consiliis aliisque curis apud principem suum maxima cum laude adhibitus, qua sunt humanitate præditi, ac de omnibus benemerendi studio perciti, ægre ferebant neque hic reperiri codicem Farnesianum ab Holstenio tantopere commendatum, neque in aula principis Parmensi: cum sæpe tentassent meis precibus sollicitati, inter pretiosa cimelia serenissimæ domus hoc non postremum monumentum reperire. Evolverunt Romanum archivum, et Parmensem bibliothecam: in qua tandem sagaci curæ marchionis Mauritii omnes angulos perlustranti oblatus est diu optatus codex, quadratis litteris seu majusculis (ut vulgo vocant) exaratus, ea parte mutilus quæ desiderabatur etiam ætate Holstenii, illud ipsum denique exemplar, unde variantes lectiones præsul ille transcripserat, affirmans cæteros codices ab hoc uno Farnesiano antiquitate superari. Id fratri suo cum significasset marchio Mauritius datis ad eum litteris die 15 Sept. anni 1719, post annuum scilicet spatium a priori tomo nostræ editionis vulgato, easque litteras mihi communicans marchio Ignatius cum offerret utriusque studium et curam in exemplo seu specimine scripturæ diligenter efformando per peritum calligraphum, elegit Vitam S. Eugenii transcribere: quæ brevis cum sit et in fronte folii ex columna prima incipiat, atque in secunda columna absolvatur, potest capitalium characterum, totiusque contextus ac postremorum vitæ versuum formam exhibere. Postquam id præstitit officiose, æri incidi feci Romæ ad exempli ad me transmissi normam singulos characteres vitæ S. Eugenii, et impressionis nostræ typum cum prototypo conferendum eidem reddi curavi; quos ita consentire deprehendit, ut edi tuto posse cum imitationis exactæ auctoramento suoque testimonio censeat die 29 Aprilis labentis anni 1720, ita ad me scribens: « Puo ella inferire francamente l'impressione nella di lei opera, assicurandola, che il carattere e similissimo all' originale, e che non poteva imitarsi meglio dall' Incisore, ed io me ne rallegro ben molto. » Quantum vero diligentiam ipse exegerit a calligrapho in eo exemplari describendo, quod huic incisioni Romanæ propositum fuit ad imitandum, testes sunt litteræ Placentia ad me datæ 20 Novembris 1719, in hanc sententiam, quas etiam refero cum evidentem reddant Farnesiani codicis antiquitatem: « Le copie suddette (della vita di S. Eugenio, e di un frammento di quella di Sergio) non sono state trascritte su la carta Cinese da lei inviatami, per due capi. Uno e stato, per essersi, attesa l'antichita, nell'originale scritto in pergamena assai diminuita la nerezza d'ell inchiostro, in modo che non trasparira a sufficienza (sotto la carta Cinese) per potere esattamente imitare la forma del carattere; l'altro, la esperienza fatta del Copista su la carta Cinese; gli ha fatto conoscere, che servendosi d'una penna ancorche sottilissima, in punta rendeva l'inchiostro assai grosso, quale poi nell' asciugarsi ritornava sottile, et ristringendosi difformava troppo la similitudine del carattere; ond'è stato necessario a valersi della carta ordinaria, e fattosi un' Alfabeto con esattissima diligenza di tutte le lettere a similitudine di quelle dell' Autore, col mezzo di questo, e con la inspezione dell' originale ha cosi bene imitato il carattere, e nella larghezza delle linee, e nelle fatezze di ciascuna lettera, che nen vi e la Minima differenza. Spiacemi che V. S. I. non possa farne ocularmente il confronto col Testo di Anastasio, che in fatti vederebbe una cosa miracolosa. Col medesimo Testo riscontrata la copia, e l'ho ritrovata fedele; onde puo ella assicurarsi, che la ope-

razione e riscita della perfezione, e squisitezza da lei desiderata. »

Nemo me reprehendat, si morosius hæc persecutus videor cum illustrandi Libri Pontificalis cura a nobis assumpta id exigat, ut opus Anastasio tributum ad antiquiores scriptores esse referendum cum laudatis præsulibus ostendam; quod assertum pluribus argumentis firmatum in præfatione prioris tomi, et in dissertatione Schelestratii mox afferenda, hac etiam demonstratione fraudari non debuit, quam ministrat antiquitas codicum superans ætatem Anastasianam. Huic autem loco reservata illa fuit, quo de Catalogis Corbeiensibus sermo surbortus comparationem scripturæ illorum exhiberi postulabat, ut pari certitudine judicaremus de vetustate codicis Farnesiani, opportune præservati ad instruendam ejusmodi argumento hanc Vaticanam editionem Vitarum pontificum Romanorum. Gratulor vero impense sereniss. domus Farnesiæ principibus vere Romanis; quorum studio perinde præservatam debemus chronologiam et historiam ethnicæ Romæ in fastis marmoreis e foro effossis, et in Capitolio collocatis ante duo circiter sæcula, ac ætate nostra acceptam fecimus chronologiæ et historiæ pontificum maximorum documentum cæteris non posthabendum in illustranda Roma Christiana.

Prima igitur ea causa fuit edendi utriusque Catalogi Corbeiensis cum specimine scripturæ ut eorum de antiquitate constaret.

Altera accedebat ratio, priori non posthabenda: quæ scilicet ostendat quantum præferri mereantur pontificis catalogis externorum archivorum, licet magna vetustate præstantibus, Catalogi bibliothecis Italicis antiquitus commendati, et a genuinis documentis Romanæ Ecclesiæ tum profecti, tum emendati, eo quo infra dicemus modo in nostra dissertatione de Catalogis antiquis pontificum Romanorum, eorumque delectu et auctoritate. Brevibus autem eam complectemur in antecessum, hæc observantes.

Conferantur invicem numeri utroque in Catalogo Corbeiensis archivi attributi sedi singulorum pontificum. Licet in uno Catalogo et scriptura codicis appareat antiquitas undecim sæculorum, in altero decem et idcirco non distet ætas amanuensium a quibus describebantur plus quam sæculo uno vel altero; attamen incredibilis est differentia utriusque chronologiæ. Plerumque enim neque anni consentiunt, nec menses, ut dierum discrimina negligam tanquam minutiora. Septem pontificum a S. Petro proximorum hosce numeros videmus attributos.

	In Corbeiensi I.			*In Corbeiensi II.*		
	An.	Mens.	Dies.	An.	Mens.	Dies.
S. Linus	11.	3.	12.	2.	5.	12.
S. Cletus	12.	1.	2.	8.	2.	5.
S. Clemens	9.	10.	1.	6.	1.	14.
S. Anacletus	deest.			deest.		
S. Evaristus	8.	10.	2.	14.	3.	12.
S. Alexander	12.	7.	2.	7.	6.	6.
S. Xystus	10.	2.	1.	25.	2.	1.

Mirum videri debet nullos annorum numeros in utroque Catalogo consentire: mensium omnes pariter esse discordas, præter unius Xysti, diesque tantum in Lino et Xysto consentire. Hanc vero discordiam reputantes criticos, eamque spectantes in codicibus sexti et septimi sæculi, desperatio ferme incessebat chronologiæ pontificiæ ordinandæ primo et altero Christi sæculo. Chronologi heterodoxi eamdem nobis cum exprobrarent, testatam codicibus tanta vetustate præditis, revocabant in dubium pleraque gesta, imo et martyrium complurium nostris in Catalogis censitorum inter pontifices pro Christi nomine mortem perpessos. Pearsonius diss. II, cap. 6, licet inter Acatholicos non violentior, consulere tamen videbatur, ut conclamatam esse fateremur productionem historiæ et assertionem martyrii, decretorum, et rituum, ab hisce viris sanctissimis Ecclesiæ archivis concreditam: uti percipere quisque potest in tribus editis dissertationibus ejus Operum posthumorum. Ex nostris autem scriptoribus nonnemo suspensus animo quid consilii caperet ignorabat in chronologia pontificia stabilienda. Præjudicatis enim opinionibus ductus cum rationem habere tantummodo statuisset solius codicum antiquitatis, minime necessarium ducebat in fontes dissimilium inquirere Catalogorum eorumque de origine et auctoritate certiorem fieri. Nos autem cum Tertuliano (*de Corona militum*, pagina 344, editionis della Barre) decernentes ab originibus esse repetendas notiones ad historiam pertinentes, ipsamque in primis chronologiam, quæ basis gestorum haberi debet ac fundamentum, duximus eamdem ab iis Catalogis tutius perceptum iri, qui essent profecti a genuinis documentis Romanæ Ecclesiæ, præsertim publice positis, et illa ætate quæ diligentibus ac peritis chronologis præ cæteris abundaret: quam definiri quarto et quinto Christi sæculo omnes consentiunt, ac res ipsa docet, uti fusius ostendam in dissertatione indicata de vetustis Romanorum pontificum Catalogis. Consequitur autem inde ut si quæ series vetustior pontificum et chronologia exstaret publice proposita in basilicis patriarchalibus Romæ (qualem reperiri superstitem magna sui parte ostendam in S. Pauli via Ostiensi), eaque conformis reperiretur tum cæteris documentis Actorum in conciliis et epistolarum indubitatæ fidei characteres retinentium, tum Catalogis antiquioribus præservatis apud Italicas bibliothecas et archiva, hujusmodi seriem fore Lydium lapidem ad quem fides Catalogorum omnium exigeretur. Ubi autem plures Catalogi, iique antiquissimi reperirentur Italis in bibliothecis cathedralium ecclesiarum ac monasteriorum insignium, qui consentirent cum serie indicata et chronologia, essent merito præferendi cæteris discrepantibus. Nam-

Italicarum ecclesiarum proximitas, quæ copiam comparandi frequentius præberet, scriptos Catalogos et exempla cum prototypis basilicarum patriarchalium, jure præsumere nos suadebat, correctius descripta ex hisce Romanis fontibus ea fuisse quæ cum his proxime consentirent. Dissitarum autem regionum et provinciarum scriptores et amanuenses, quibus minor facilitas erat accedendi ad Urbem, et exempla sua conferendi cum genuinis illis monimentis basilicarum Urbis, non ita fidenter poterant errores ac diversitates corrigere, quæ invenirentur in numeris codicum a se descriptorum. Hanc vero difficultatem præ cæteris comprobant duo illi Catalogi Corbeienses, tanta discrepantia epocharum discordes in tanta affinitate ac similitudine vetustatis.

Hæc breviter indicasse sufficiat, occasione notarum ad Corbeienses Catalogos adhibendarum, ut momenta cætera perpendamus quæ Italicis tribus antiquissimis favent, consentientibus tum inter se, tum genuinis cum documentis Romanæ Ecclesiæ: quod in nostra dissertatione post proximam a Schelestratio petendam conabor pro viribus præstare.

EMMANUEL. A SCHELESTRATE

DISSERTATIO

DE ANTIQUIS ROMAN. PONTIF. CATALOGIS

Ex quibus Liber Pontificalis concinnatus fuit,

ET DE LIBRI PONTIFICALIS AUCTORE AC PRÆSTANTIA.

CAPUT PRIMUM.

De antiquis Patribus et scriptoribus qui successionem Romanorum pontificum suis operibus aut chronicis inseruerunt.

Inter antiquos Patres et scriptores qui Romanorum pontificum Catalogum texuerunt, sunt antiquissimi D. Irenæus, qui sub Eleutherio Romam venit; D. Optatus Milevitanus, qui in Siricio; ac D. Augustinus, qui in Anastasio finiunt. — II. Hos subsecutus est Victor Tununensis, de quo Isidori Hispalensis testimonium adfertur. Editum est Chronicon Victoris a Scaligero, et ultima ejus verba, in quæ error Chronologicus irrepsit, corriguntur. — III Aliam pontificum seriem Eusebius Chronico suo, et historiæ inseruit. Chronicon a D. Hieronymo Latine factum variis locis auctum est ac suppletum, de cujus præstantia Marcellini testimonium adducitur. De Historia per Rufinum Latine facta et suppleta pauca notantur. — IV. Chronico Eusebiano alia manu inserti sunt anni Christi, ac in nonnullis locis correctione indiget. — V. Desiderantur Græca exemplaria hujus Chronici; exstant tamen Latinæ versiones Hieronymi, qui supplementum adjecit, non quidem in juvenili ætate, ut nonnulli putant, sed anno ætatis 47, ut ex anno quo Hieronymus obiit, deducitur. — VI. Sequitur Chronicon sancti Prosperi, quod integrum edidit Philippus Labbeus, qui Victoris Aquitani, et Gennadii Massiliensis testimonia de illo adducit. Adnectuntur huic Chronico consules ab Incarnatione Christi, usque ad Consulatum Valentiniani VIII et Anthemii: retinet tamen Chronici Eusebiani errores et nonnullos alios circa consules adjecit. — VII Prosperum subsecutus est Marcellinus comes cujus Chronici mentionem facit Cassiodorus, asseritque illud perduxisse usque ad Justiniani imperatoris tempora, quod item ejusdem Marcellini testimonio comprobatur.

1. Plures quidem nostra et parentum nostrorum memoria Romanorum pontificum Vitas conscripserunt; sed ex antiquioribus pauci reperiuntur qui in hac parte historica operam industriamque suam collocarunt. Sunt tamen nonnulli qui in operibus et Chronicis suis aut successionem pontificum, aut annos et menses pontificatuum assignarunt, quorum cum hic Catalogos referre debeamus, placuit in primis de auctoribus ipsis nonnulla præmittere, et quandonam et qua exactitudine singuli scripserunt, breviter investigare. Ac primo quidem agendum est de sanctis Patribus, illisque auctoribus, qui Romanorum pontificum, successionem adnotarunt. Horum antiquissimus est D. Irenæus Lugdunensis in Gallia episcopus, qui lib. III, cap. 3, Romanorum pontificum Catalogum texuit, his verbis illi finem imponens: « Nunc duodecim loco episcopatum ab apostolis habet Eleutherius. » Vixit Eleutherius ante medium secundi sæculi, quo omnibus de successione Romanorum pontificum in Urbe constare debebat: nondum enim a morte Petri octoginta quinque anni effluxerant. Cum itaque Irenæus sub Eleutherii pontificatu Romæ fuerit, et Romanorum pontificum Catalogum texuerit, ejus hac de re testimonium non contemnendum, sed ut præstantissimum antiquitatis monimentum magni faciendum videtur. Irenæo autem subjungimus duos Africanorum Patrum Catalogos, quorum alterum S. Optatus Milevitanus episcopo sub Siricio, alterum D. Augustinus sub Anastasio Siricii successore ediderunt. Patres vero illi D. Irenæi sententiam secuti Cletum omittunt, et solum Anacletum agnoscunt, ut latius infra ex eorum Catalogis constabit,

2. Porro cum superiorum Patrum Catalogi solum ad Anastasii pontificatum pertingant, nosque seriem chronologicam usque ad Joannem III, qui Justiniano superstes fuit, prosequi debeamus, horum Patrum Catalogum supplebimus ex Chronico Victoris, qui Tununensis in Africa episcopus fuit, et teste Isidoro libro I Originum, capite ultimo « gesta

sequentium ætatum usque ad consulatum Justini Junioris imperatoris explevit. » Habet quoque Isidorus libro de Viris illustribus, cap. 38, de eodem Victore Tununensi, eum cœpisse suam Historiam a mundi principio ; ita enim ibidem refert : « Victor Tununensis Ecclesiæ Africanæ episcopus. Hic a principio mundi usque ad primum Justini Junioris imperium, brevem per consules annuos bellicarum ecclesiasticarumque rerum nobilissimam promulgavit Historiam, laude et notatione illustrem, ac memoria dignissimam. Hic pro defensione trium Capitulorum a Justiniano Augusto exsilio in Ægyptum transportatur. Inde rursus Constantinopolim vocatus, dum Justiniano imperatori, et Eutychio Constantinopolitanæ urbis episcopo obtrectatoribus eorumdem trium Capitulorum resisteret, rursus in monasterio ejusdem civitatis custodiendus mittitur, atque in eadem damnatione, ut dicunt, permanens moritur. » Præclarum est hoc Isidori de Victore Tununensi testimonium, ex quo non solum constat de Chronico, sed etiam de persona et actis Victoris, qui trium Capitulorum defensor existens, nonnulla pro partium studio historiæ suæ inseruisse creditur. Edidit Chronicon ipsius in Thesauro temporum Josephus Scaliger, apud quem his verbis incipit : « Anno decimo octavo, consulatu Theodosii Junioris Victor episcopus Tununensis Ecclesiæ Africæ Historiam prosequitur, ubi Prosper reliquit. » Quæ verba non sunt Victoris Tununensis, sed alterius scriptoris, qui Eusebii, Hieronymi, Prosperi et Victoris Chronica in unum opus collegit, et quæ antiquioris scriptoris Chronico deerant, ex posterioris historia aut Chronico adjunxit. Finit vero Chronicon suum his verbis : « Colliguntur omnes anni ab Adamo primo homine usque ad nativitatem Domini nostri Jesu Christi secundum carnem, quæ facta VMCXCIX, a nativitate vero Domini nostri Jesu Christi, quæ facta est XLIII Augusti Octaviani Cæsaris imperii anno, usque in annum Justini primum principis Rom. qui Justiniano in imperio successit, anni DXXVII, fiunt simul ab Adam usque in annum primum memorati Principis Romanorum, anni VMDCCXXVI. » In quibus verbis certum est errorem deprehendi circa annos qui a nativitate Christi usque ad principatum Justini intercessisse dicuntur ; ab anno enim 43 Augusti imperatoris, quo Christi nativitas a Victore ponitur, usque ad primum annum Justini, quingenti sexaginta septem anni intercesserunt, non autem anni duntaxat quingenti viginti septem, ut habetur in verbis supra citatis. Hunc autem errorem vitio tabellariorum irrepsisse putarem, numero L in X mutato. Quamvis enim ultimus annorum numerus ab Adam usque in primum Justini annum apud Victorem adjunctus, supradictum errorem Victori tribui debere innuat, id tamen non magnopere curandum videtur, cum primo numero semel corrupto, posterior a tabellariis ad priorem accommodatus videatur. Quod autem vitio tabellariorum, non vero Victoris Tununensis hic error in Chronicon irrepserit, ex ultimis duobus numeris XVII et XVI manifestum fit. Hi enim numeri omnino respondent veræ chronotaxi, quæ ab anno 43 Augusti usque ad annum primum Justini annos quingentos sexaginta septem computat : et si anno mundi 5499, quo Christus secundum Victorem natus est, quingenti sexaginta septem anni adjungantur, habebitur annus mundi 5766, qui debet esse primus Justini juxta computum Victoris. Atque hæc quidem de errore qui irrepsit in Chronicon Victoris, quod desinit primo anno Justini, quo etiam finis impositus est Fastis consularibus, ac Justinianus imperator mortalitatem explevit ; unde et eodem anno nos quoque finem rebus chronologicis ad antiquitatem spectantibus imponemus.

3. Priori chronotaxi a Petro usque ad Pelagium I deductæ adjicimus secundam, quam Eusebius Cæsariensis in Palæstina episcopus Græco sermone conscripsit, et D. Hieronymus aliique prosecuti sunt. Ac primum quidem locum, ut jam indicavi, inter illos obtinet Eusebius, qui natus est tertio Christi sæculo, quo nondum perierant complura apostolicorum virorum scripta, ex quibus de primis pontificibus eorumque Actis præclare constabat. Ex iis ab Eusebio Chronicorum Canonum omnimodam historiam scriptam fuisse, testis est D. Hieronymus, qui libro de Scriptoribus ecclesiasticis fatetur eam a se, et Latinitate donatam, et variis in locis auctam fuisse : « Sciendum enim est, » inquit in præfatione ad Chronicon Eusebii, « me et interpretis, et scriptoris ex parte officio usum : quia et Græca fidelissime expressi, et nonnulla, quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana maxime historia, quam Eusebius, hujus conditor libri non tam ignorasse, utpote eruditissimus, quam ut Græce scribens parum suis necessarium perstrinxisse mihi videtur. Itaque a Nino, et Abraham usque ad Trojæ captivitatem pura Græca translatio est. A Troja usque ad vicesimum Constantini annum nunc addita, nunc mista sunt plurima, quæ de Tranquillo, et cæteris illustribus Historicis curiosissime excerpsimus. » Vocat hoc opus plane mirandum Marcellinus comes, aitque non solum Eusebium, sed et D. Hieronymum auctorem ejus statui debere. Qua de re audienda sunt ejus verba : « Post mirandum opus, quod a mundi fabrica usque in Constantinum principem Eusebius Cæsariensis hujus sæculi originem, tempora, annos, regna virtutesque mortalium, et variarum artium repertores, omniumque pene provinciarum monumenta commemorans Græco edidit stylo nosterque Hieronymus transtulit in Latinum, et usque in Valentem Cæsarem Romano adjecit eloquio. Igitur uterque hujus operis auctor. » Atque hæc quidem de præstantia Chronici Eusebiani, de qua plura alia addemus postquam nonnulla notaverimus de Eusebii Historia, cui series quoque pontificum inserta reperitur. Exstat in Archivo basilicæ principis apostolorum de Urbe ms. codex antiquus, qui hunc titulum habet : *In Christi nomine incipit Historia Ecclesiastica, quam S. Hieronymus de Chronico Eusebii*

Cæsariensis Palæstinæ de Græco transtulit in Latinum ad Chromatium episcopum. Verum, ut quidam hujus libri possessor in margine notavit, versio non est D. Hieronymi, sed Rufini Aquileiensis presbyteri, qui eam jussu Chromatii Aquileiensis episcopi fecit, ut ex præfatione patet, et eamdem historiam prosecutus est, ut post librum IX, in quo Eusebius desinit, in codice ms. additur: « Hucusque Eusebius rerum in Ecclesia gestarum memoriam tradidit. Cætera vero, quæ usque ad præsens tempus per ordinem subsecutura sunt, quæ vel in majorum litteris reperimus vel nostra memoria adscivit, Patris religiosi præceptis et in hoc parentes, qua poterimus brevitate, addemus. » Hæc Rufinus, qui duos libros adjecit, et usque ad Theodosii senioris obitum historiam ecclesiasticam perduxit. Atque hæc de Historia Eusebii, redeamus jam ad ejus Chronicon.

4. Exstant Eusebiani Chronici editiones quamplurimæ, in quibus adnotantur anni Christi, quos certum est nec ab Eusebio positos nec a D. Hieronymo additos, quandoquidem hic modus numerandi auctore Dionysio Exiguo primum introductus si post sæculum quintum, tempore Justiniani imperatoris: unde et in manuscripto codice Amandino nusquam anni Christi notantur. Exhibentur tamen in mss. codicibus anni imperatorum, quibus adeo certum est acta adnotata fuisse ab antiquis, ut ipse Eusebius in Historia ecclesiastica passim per annos imperatorum assignet Romanorum pontificum tempora, et illustriora sub ipsis in Ecclesia gesta. Hinc et Eusebii Chronicon per annos imperatorum exhibituri, certam juxta sententiam Eusebii Romanorum pontificum epocham figeremus, si certum et fidele Eusebiani Chronici exemplar nancisci potuissemus. Verum cum manuscripta quæ Romæ vidimus, recentiora sint, et antiquiora alibi servata etiam varient in notandis imperatorum annis, idemque observet Aubertus Miræus de mss. codicibus Aquicinctinis Ortelianis et Lipsianis: quin etiam cum editio Arnaldi Pontaci Vazatensis episcopi ex pluribus mss. exemplaribus elucubrata, a Scaligeri editione plurimum differat, patet profecto vacillare codicum ei editionum auctoritatem, nihilque certi ex iis haberi posse. Docet id editio ipsius Miræi, quæ habet, regnante Ælio Pertinace Victorem suscepisse episcopatum, ubi ipse Eusebius libro V Historiæ, capite 20, tradit Eleutherium obiisse decimo anno Commodi imperatoris, tribus annis antequam Ælius Pertinax ad imperium pervenit, et tunc quoque Eleutherio successisse Victorem. Habet plura similia Chronicon Eusebii, quæ pugnant cum iis quæ traduntur in ipsius Historia; quin etiam alia quæ correctione indigent, ut ea quæ refert de Marcellino et Marcello quorum temporibus floruit, quos tamen pro uno eodemque pontifice insigni errore habuit. Finit subinde pontificatum Melchiadis anno III Constantini, cum constet anno VII aut VIII Constantini sub Melchiade celebratum fuisse Romanum in causa Donati concilium. Ponit denique Nicænum concilium ad annum XV imperatoris Constantini, quod XX ejus imperii anno celebratum fuisse non solum patet ex aliis, sed ex ipso quoque Eusebio lib. III, de Vita Constantini, cap. 14. Adeo ut ex his omnibus appareat Chronicon Eusebii valde corruptum ad manus nostras pervenisse, neque ab ipso quidem Hieronymo, qui plura de suo addidit, fuisse plene ab erroribus purgatum aut veritati suæ ubique restitutum.

5. Enimvero quæ modo exstant in bibliothecis manuscripta Chronica Eusebii, fere omnia Latina sunt ex versione D. Hieronymi, qui aliud ab anno vicesimo Constantini, in quo Eusebii Chronicon desinit, usque ad consulatum Valentis VI et Valentiniani II Augustorum prosecutus est. Sunt qui putant D. Hieronymum Eusebiani Chronici supplementum scripsisse in juvenili ætate, adeoque illud tantæ auctoritatis censendum non esse. Opinionem suam confirmare possunt iis rationibus, quibus Baronius ad annum 420 permotus Hieronymum septuagesimo octavo ætatis anno obiisse tradidit. Cum enim constet inter omnes D. Hieronymum circa annum 420 obiisse, et ipse Hieronymus Chronico suo finem imposuerit anno Valentis XIV, qui cum anno 377, concurrit, consequeretur omnino Hieronymum circa annum tricesimum quintum ætatis Chronicon absolvisse. Verum præterquam quod tricesimus quintus annus vitæ dici non possit juvenilis ætatis, notant alii haud adeo certum esse quod Baronius probandum suscepit, Hieronymum scilicet septuagesimo octavo ætatis anno obiisse. Quinimo id rejicit communis recentiorum sententia ob tres potissimum rationes, quarum prima ex verbis ipsius Hieronymi desumitur, utpote ex quibus habemus, Hieronymum non semel se senem, Augustinum vero juniorem vocasse. Cum enim constet S. Augustinum anno 430 vulgaris æræ, ætatis vero suæ septuagesimo sexto, Hipponæ in Africa obiisse, si D. Hieronymus anno 420 et ætatis suæ septuagesimo octavo mortalitatem explevisset, tantum duodecim annis natu major Augustino fuisset Hieronymus, ob quorum annorum differentiam idem Hieronymus nunquam se senem, Augustinum vero juvenem dixisset. Secunda ratio desumitur ex testimonio S. Prosperi, D. Augustini discipuli, qui in Chronico suo adnotat tempus nativitatis et obitus D. Hieronymi. Ita enim habet juxta codicem Lodonensem apud Pontacum: *Basso et Ablavio Consulibus, Hieronymus nascitur.* Et in omnibus manuscriptis, et editis: *Hieronymus presbyter moritur anno ætatis nonagesimo uno pridie Kal. Octobris Theodosio IX et Constantio III consulibus.* Theodosius et Constantius prædictum consulatum gesserunt anno 420, Bassus vero et Ablavius anno 331. Ab anno autem 331 usque ad annum 420 plus quam 78 anni reperiuntur, cum 90 anni intercedant: adeo ut S. Prosper veritati proxime accesserit, dum Hieronymum anno ætatis nonagesimo uno obiisse tradidit. Et hisce plane conveniunt quæ apud Marcellinum comitem leguntur: *Hieronymum admodum senem vitæ suæ finem fecisse:* et quæ apud S. Au-

gustinum lib. I contra Julianum, cap. 7, *usque ad decrepitam ætatem pervenisse*. Hæc enim cum de homine septuaginta octo annorum vix dici possint, et viro nonaginta annorum melius conveniant, sequeretur omnino D. Hieronymum eo tempore, quo Chronicon absolvit, annum ætatis quadragesimum septimum egisse. Unde illud nunquam pro juvenilis ætatis opere habuerunt antiqui, sed ut eximium Hieronymi opus in pretio habuerunt. Cum Idatius in præfatione sui Chronici nonnulla dixisset de Chronico Eusebii: « Post hunc, inquit, successor syngrapheus perfectus universis factorum, dictorumque monimentis Hieronymus presbyter idem Eusebius cognomento, de Græco in Latinum scripturæ hujus interpres a vicesimo anno supradicti imperatoris in quartum decimum Valentis Augusti annum subditam texit historiam. » Ita Idatius provinciæ Gallæciæ episcopus qui se in juvenili ætate Hieronymum in partibus Orientis vidisse testatur. Notandum autem est verbum illud *perfectus*, siquidem illo utitur, ut significet, Chronicon D. Hieronymi maximi faciendum esse ob operis perfectionem, adeoque contemni non debere tanquam imperfectum aut inconsiderate editum.

6. Sequitur Chronicon Prosperi, fidelissimi quondam magni Augustini discipuli, cujus supplementum post Chronicon Eusebii et D. Hieronymi, sæpius typis prodiit. Unde plerique credebant S. Prosperum nihil amplius quam Eusebiani et Hieronymiani Chronici supplementum conscripsisse. In quo eos graviter errasse notat Labbeus tomo I Novæ Bibliothecæ manuscriptorum librorum in syllabo scriptorum his verbis: « Deceptos fuisse quamplurimos etiam eruditissimos, qui Prosperum arbitrati sunt Hieronymo duntaxat Chronico appendicem attexuisse. Certum quippe est, multisque veterum testimoniis comprobatum, ab initio rerum ad sua usque tempora uno veluti filo, ac tenore chronicam epitomen perduxisse. Testatur id Victor Aquitanus in præfatione Canonis Paschalis ad Hilarum orbis Romæ archidiaconum, postea papam: cujus Eusebii tenorem vir venerabilis Prosper secutus iisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio. » Addit testimonium Gennadii in Catalogo de Viris illustribus: « Prosper homo Aquitanicæ regionis sermone scholasticus, et assertionibus nervosus, multa composuisse dicitur. Ex quibus ego Chronica nominis illius prætitulata legi, continentia a primi hominis conditione juxta divinarum Scripturarum fidem usque ad obitum Valentiniani Augusti, et captivitatem urbis Romæ a Genserico Wandalorum rege factam. » Edidit hoc S. Prosperi Chronicon Philippus Labbeus tomo superius citato Parisiis anno 1657, et ex illo videre licet S. Prosperum juxta Eusebii et Hieronymi fidem ua Chronica iisdem plerumque verbis exhibuisse, præterquam quod consules addiderit a morte Christi ad sua usque tempora: « Consules, inquit, a manifestatione Domini, id est a Rufino Gemino et Rubellio Gemino consulibus, inchoamus. » Et in Chronico: *Incipit adnotatio consulum cum historia Rufino Gemino, et Rubellio Gemino coss.* Et finit: *Valentiniano VIII et Anthemio.* Habet et sanctus Prosper in hoc Chronico errores Eusebii circa Cletum et Anacletum, ac Marcellinum et Marcellum, ex quibus duos tantum pontifices constat. Facta quoque ecclesiastica certis consulibus perperam quandoque apposita retinuit, uti et lacunam manifestam post Soteris episcopatum Aproniano et Paulo consulibus ascriptam, deest enim Eleutherii pontificatus, non quidem vitio auctoris omissus, sed temporis injuria corrosus, ut insinuat ordo Romanorum pontificum, quorum undecimus ibi scriptus est Soter, Victor autem decimus tertius, nulla mentione duodecimi pontificis facta. Atque hæc de Prosperi Chronico, ex quo integrum Romanorum pontificum catalogum exhibuimus in prima antiquitatis editione; hic vero, ne antiquorum scriptorum chronotaxes multiplicemus, supplementum duntaxat pontificum tradituri sumus.

7. Prosperum prosecuti sunt alii scriptores, qui historiam ecclesiasticam usque ad sua tempora deduxerunt. Inter hos præcipuum locum obtinet Marcellinus comes Illyricianus, de quo Cassiodorus senator libro divinarum Lectionum, cap. 17, scribit: « Hieronymum subsecutus est Marcellinus Illyricianus, qui adhuc patricii Justiniani fertur egisse cancellos, sed meliore dictione devotus a tempore Theodosii principis usque ad fores imperii triumphalis Augusti Justiniani opus suum, Domino juvante, perduxit. » Audiendus est de suo Chronico ipse Marcellinus, qui in præfatione postquam Eusebiani et Hieronymi Chronici mentionem fecisset, de supplemento illi a se adjecto sic habet: « Ego vero simplici duntaxat computatione orientale tanquam secutus imperium, indictiones, perque consules infrascriptos, centum et quinquaginta annos, a septima videlicet indictione, et a consulatu Ausonii et Olybrii [quibus etiam consulibus Theodosius Magnus creatus est imperator] enumerans, et usque in consulatum Magni, indictionis colligens, eorumdem auctorum operi subrogavi, itemque alios septemdecim annos a Consulatu Justini Augusti primo, usque in consulatum Justiniani Augusti IV suffeci, hi sunt simul anni CLVI. » Hactenus Marcellinus, qui Chronico suo omnes pontifices Romanos qui CLVI annorum spatio sederunt inseruit, et satis accurate pontificatus illorum annos adnotavit.

CAPUT II.

De antiquissimo catalogo, qui in Liberio papa desinit.

I. Antiquissimus Romanorum pontificum catalogus tempore Liberii papæ exaratus, Cuspiniano quondam notus, sed Onuphrio, Panvinio incognitus, tandem typis descriptus est a Bucherio, ac servatur manuscriptus in Codice Bibliothecæ Cæsareæ. — II. Codex bibliothecæ Cæsareæ non continet autographum sed apographum recentius a CCC annis scriptum. — III. Ex prædicto codice variantes lectiones obtinui, quæ cum editione Bucherii conveniunt non cum editione Henschenii, quæ differen-

tia tamen non obest anquitati operis, sed eam potius commendat. — IV. Henschenii sententia, quod prior catalogi pars usque ad Urbanum ab Anthero papa conscripta sit, secunda pars usque ad Liberium adjecta fuerit a sancto Damaso. — V. Papebrochius de primæ partis auctore cum Henschenio convenit, secundæ partis quatuor auctores posuit. — VI. Ostenditur quod Antherus papa non sit auctor prioris partis catalogi. — VII. Comprobatur ex duobus erroribus in hoc catalogo circa ordinem succedentium sibi pontificum commissis : ponit enim Clementem ante Cletum, et Pium post Anicetum eum constet Clementem Cleto, et Anicetum Pio successisse. — VIII. De secundæ partis auctoribus ostenditur, nequaquam ab auctore tertii sæculi pontifices additos fuisse usque ad Felicis pontificatum, idque probatur ex erroribus chronologicis, ad quos evitandos non juvat recurrere ad vicariatum, ut constat ex tempore que Stephanus pontificatum tenuit. — IX. Monstratur quoque, sequentes post Felicem pontifices non esse a tribus auctoribus diversis adjunctos, sed ab uno eodemque auctore. — X. Quod tamen his non obstantibus auctor hujus calalogi antiquissimus sit, et circa Liberii pontificatum vixerit, variis rationibus comprobatur. — XI. Idem admiserunt non solum Catholici, sed etiam hæretici, excepto Dodwello, cujus sententia exploditur.

1. Antiquissimus Romanorum pontificum catalogus, qui hodie superest, ille quidem videtur, qui usque ad Liberi pontificum pervenit, ex quo Cuspinianus consules desumpsit, quos commentario suo in Aurelii Cassiodori Fastos inseruit, ut ad finem hujus capitis ex ipso commentario demonstrabimus. Eumdem catalogum habuit in antiquis membranis Nicolaus Fabricius Peiresci dominus et senator Aquensis, uti testatur Antonius Cappellus, de Cœna et Passione Christi, cap. 5, et, si Henschenio credamus, hunc eumdem catalogum habuit Onuphrius Panvinius, qui commentario in librum II Fastorum incipit citare Damasum de Vitis pontificum, a consulatu Saturnini et Scipionis, sub quibus sanctus Linus in præfato catalogo dicitur creatus fuisse episcopus. Verum errat vir eruditus. Exstat enim in Bibliotheca Vaticana post Onuphrii Panvinii Fastorum librum index librorum et actorum mss. quæ Onuphrius Panvinius de Vitis pontificum viderat, aut penes se habuerat, in quo indice nullatenus supradictus catalogus comparet, sed solum citantur *pontificum Romanorum Vitæ Damasi papæ, Anastasii, et Guillelmi S. R. E. Bibliothecariorum, Pandulfi Pisani, et recentiorum auctorum,* a quibus Onuphrius putavit conscriptum fuisse librum Pontificalem de quo infra agemus. Onuphrius itaque nunquam vidit antiquissimum catalogum, qui desinit in Liberio papa, quemque nonnulli credebant deperditum fuisse, usque dum Ægidius Bucherius illum in commentario suo ad Canonem paschalem edidit, notans autographum penes se habuisse Cuspinianum. Quod item testatur Lambecius, libro IV Commentariorum de bibliotheca Cæsarea his verbis : « Eximius codex ms. quem Bucherius laudat et desiderat, sed fere tanquam perditum deplorat, superest etiamnum in augustissima bibliotheca Cæsarea Vindobonensi æque integer, ut ipse Cuspinianus eo olim usus est, obtinetque inter codices manuscriptos historicos latinos locum quinquagesimum sextum. »

2. Ex hisce Lambecii verbis dubium mihi ortum est, num autographum prædicti catalogi in membranis antiquissimis tempore Liberii exaratis etiamnum superesset in bibliotheca Cæsarea. Magno proinde addiscendæ veritatis desiderio ductus scripsi ad v. cl. Conradum Janingum pro compilandis sanctorum Actis anno 1688 bibliothecas Germaniæ visitantem, et iter Viennam usque instituentem, ut inter Codices manuscriptos historicos Latinos quinquagesimum sextum pervolveret, nec modo vetustioris catalogi varias lectiones excerperet, sed etiam characteris specimen, ut de ætate scripturæ judicare possem, ad me transmitteret. Fecit vir ille, pro sua humanitate, quod ab ipso petieram, litterisque die 29 Julii anno 1688 Viennæ ad me datis, non modo varias lectiones istius codicis misit, sed significavit quoque : « Ex iis palam fieri, neque hunc catalogum Cæsareæ bibliothecæ ex catalogo Henschenii, neque Henschenii catalogum ex codice bibliothecæ Cæsareæ descriptos esse, sed utrumque ex alio atque alio exemplo desumptum, idem aliquod antiquius prototypon mediate habuisse, propter quosdam eosdem plane in utroque defectus. Quod autem ad antiquitatem spectat, ut mihi verosimile videtur, ætatem primi ejus auctoris posse ad tempus Liberii papæ referri, ita ausim affirmare, hoc exemplum Cæsareum annis, ut summum, quingentis vetustius non esse : idque suadet (si non et persuadeat) adjunctum in eodem codice opusculum quod inscribitur Chronicon Polonorum, facitque mentionem Alexandri papæ III, ut de notis posterorum temporum, quas inquirere aliis impedito non licet, taceam, adeoque illius ætatem excedere non potest. Jam vero hoc opusculum scriptura quidem diversum a catalogo est, charta tamen (neque enim membranaceus sst codex hic, neque idem cum illo, de quo Bucherius noster apud Lambecium, libro VI), adeo simile ut ne ovum ovo quidem magis esse possit ; neque vero character ipse catalogi antiquitatem majorem indicat, si non et minorem. Addo tamen ejus specimen, » etc. Hæc ille, quem recte judicasse de ætate scripturæ, ex specimine ipso ad me transmisso conjeci, vix enim CCC annorum ætatem superare posse judicavi.

3. Cum itaque ex præfatis litteris constet hujus vetustioris catalogi autographum deperditum esse, et non nisi recentiora transumspta reperiri, quæ multum inter se differre cognoscuntur operæ pretium me facturum existimavi, si prædictum catalogum infra cum variantibus lectionibus ederem : unde nil aliud hoc loco adjungam, quam catalogum, prout ab Henschenio in Actis sanctorum, et a nobis in Antiquitate illustrata editus fuit, longe integriorem esse eo qui in bibliotheca Cæsarea etiamnum reperitur. In codice enim Cæsareo desunt pontifices Anicetus, Eleutherius, et Zephyrinus, qui in nostra editione exstant : cum autem iidem tres Pontifices etiam desiderentur in editione Bucherii, valde vero simile mihi visum est, membranas, quas Bucherius penes se habuit, ex Codice Cæsareo descriptas fuisse. In qua sententia vel maxime confirmatus fui, dum

collatis lectionibus Codici Cæsarei, easdem fere omnes, duabus vel tribus exceptis, in editione Bucherii reperiri animadverti. Alio itaque exemplari Bucherius, alio ante nos Henschenius usus est. Quæ tamen nihil obstant hujus catalogi et germanitati, et antiquitati, cum facile contigere potuerit, sicut in cæteris antiquorum operibus frequentér contigit, librarios et tabellarios non exacte descripsisse codices, sed cum multis mendis et lacunis ad posteros transmisisse. Unde affirmare audeo, menda et lacunas signum esse quod opera ab antiquis scriptoribus profecta sint. Quæ cum ita esse passim ex manuscriptis codicibus doceamur, restat ut de auctoribus hujus catalogi, et quibus temporibus scripserint, paucis inquiramus.

4. Putavit quidem Henschenius tomo primo sanctorum Aprilis, hujus catalogi duas partes esse, singulasque a diversis auctoribus conscriptas fuisse: « Prima, inquit, ejus pars completur cum sancto Urbano pontifice anno 230 martyrium passo. In hac priori parte nulli consules bis repetuntur, quamvis sub iisdem sub quibus sedere inceperunt quidam fuerint vita functi, aut martyrio coronati eorum decessores.... Auctor hujus partis videtur posse statui sanctus Antherus papa, qui gesta martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in ecclesia recondidit. Sedit is solum uno mense in suo pontificatu, videturque gesta martyrum, potissimum summorum pontificum exquisivisse necdum pontifex sub sancto Pontiano successore sancti Urbani, imo Acta sanctorum Urbani et Calisti hujus decessoris videri a sancto Anthero scripta, dicemus 25 Maii, quo colitur sanctus Urbanus, et 10 Maii, quo coluntur sancti Calepodius presbyter, Palmatius consul, Simplicius senator, aliique martyres, quorum res gestæ in Actis sancti Calisti continentur. Secunda ergo pars inciperet a dicto Pontiano, et in hac passim majora pontificum elogia referuntur, iidem consules repetuntur, dies ordinationis, et mortis pontificum assignantur. Et hæc pars ad finem fere deducitur ubi sancti Julii elogium præter morem aliorum habet accuratam basilicarum ab eo exstructarum narrationem, ex qua 12 Aprilis ad hujus sancti Julii vitam confirmamus hujus catalogi eminentem soliditatem. Successit sancto Julio Liberius, cujus tempore hunc veterem indiculum Romanorum pontificum contextum fuisse, asserit Dionysius Petavius, libro v, Rationarii temporum cap. 5, qui eum penes se habuit. Post obitum Liberii constitutus est pontifex Romanus sanctus Damasius, qui rogatus a sancto Hieronymo gesta pontificum, quæ potuit reperire in suæ sedis studio, ad eum direxit. Quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de jam indicato catalogo usque ad Liberium ejus decessorem deducto. Epistolas utriusque hac de re, et sancti Hieronymi, et sancti Damasi ex Codicibus mss. præponimus. Idem santus Hieronymus, de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 15, statuit sanctum Clementem quartum post Petrum Romanum pontificem, siquidem, inquit, secundus Linus fuit, et tertius Anacletus, et si plerique Latinorum secundum post Petrum apostolum putent fuisse Clementem. Ubi opinamur nomine Latinorum indicari hunc Catalogum a sancto Damaso missum ad sanctum Hieronymum, qui etiam lib. I, adversus Jovinianum appellat Clementem successorem apostoli Petri, et in cap. LII, Isaiæ scribens, ait, eum post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam, scilicet interposito ad modicum tempus sancto Lino, cui successisse Clementem tradunt Optatus Milevitanus, lib. II, et sanctus Augustinus, epist. 165. »

5. Hactenus Henschenius de antiquiore catalogo, circa cujus sententiam nonnulla habuit v. c. Papebrochius, quæ corrigenda duxit. Duos enim catalogi auctores facit Henschenius Antherum scilicet prioris, et Damasum posterioris partis, quam tamen posteriorem partem a quatuor diversis compositam fuisse, credidit Papebrochius; unde in Propylæo ad Acta sanctorum Maii sequentia notavit: « Secunda ergo pars inciperet a dicto Pontiano, et hac passim majora pontificum elogia referuntur, iidem consules repetuntur, dies ordinationis et mortis pontificum assignantur. Et hæc pars quatuor successive auctore videtur habuisse nonnulla styli diversitate dignoscendos; quorum primus cum sancto Felice finiverit, secundus tres hujus successores adjecerit, Eutychianum, Caium, et Marcellinum; tertius junxerit Marcellum et Eusebium, quartus a Melchiade usque ad Liberii initia scriptionem continuaverit, floruerit autem sub hujus decessore Julio, in cujus elogio præter morem in prioribus elogiis servatum, habetur accurata basilicarum ab eo exstructarum narratio. » Omitto cætera quæ cum Henschenii sententia superius indicata coincidunt, adeo ut juxta Papebrochium nihil corrigendum sit in ejus verbis, quam quod loco duorum antiquissimi catalogi auctorum, quinque omnino auctores substituendi sint. Circa quam correctionem an felicius processerit quam Henschenius, jam inquirendum est; omnia enim quæ de primæ, et secundæ partis auctoribus a duobus his viris cll. dicta sunt, nullatenus subsistere existimo.

6. Et ut de prioris partis auctore in primis agamus, dicitur auctor fuisse sanctus Antherus papa, de quo catalogus secundus, qui in Felice IV desinit, sæculo sexto conscriptus: « *Hic gesta martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in ecclesia recondidit.* » Alius Romanorum pontificum catalogus tempore Caroli Magni exaratus, et in bibliotheca Palatino-Vaticana asservatus habet de Anthero. « *Hic gesta martyrum diligenter exquisivit.* » Liber Pontificalis, prout hodie exstat, repetit verba catalogi sexto sæculo contexti, ita ut constanti catalogorum et libri Pontificalis traditione constet Antherum papam gesta martyrum diligenter a notariis exquisita, in ecclesia condidisse. Sed, quæso, quid hæc faciunt ad priorem partem catalogi, in qua a Petro apostolo usque ad Pontianum sola Romanorum pontificum nomina exhibentur, nullaque actorum aut

martyrii mentio reperitur ; præterquam in Petro, qui unico verbo sub Nerone passus dicitur, et in Pontiano, qui in exsilium missus perhibetur? Si hæc pars contineret illa quorum antiqui catalogi meminerunt, nonne gesta pontificum eorumque martyrii genus in illa adnotata fuissent? Hæc enim sunt quæ Antherus papa a notariis diligenter conquisiisse, et in Ecclesia recondidisse fertur, non autem mera Romanorum pontificum nomina cum consulibus, quibus singuli cœperunt, et desierunt, ut in priori parte antiquioris catalogi, de qua in præsenti agimus. Deinde notandum omnino est, *Antherum gesta martyrum conquisiisse,* non solum summorum pontificum, sed aliorum quorumcunque fidelium, qui pro Christi fide in dies martyrium obibant, adeo ut gesta, quæ ipse in Ecclesia recondidit, potius Martyrologii quam catalogi formam habuisse oportuerit. Subjungit vero auctor libri Pontificalis in Fabiano : *Fecit septem subdiaconos, qui septem notariis immincrent, ut gesta martyrum in integrum colligerent.* Quo loquendi modo indicatur, cunctos martyrum processus, tormenta, verba, et gesta, a notariis jussu Fabiani diligenter quoque adnotata fuisse.

7. Ut autem clarius constet Antherum papam non esse auctorem prioris catalogi partis, refert catalogi auctor Clementem ante Cletum contra perpetuam Romanæ Ecclesiæ traditionem, quæ in antiquissimo canone missæ jam inde a tertio vel quarto sæculo memoriam fecit *Lini, Cleti, Clementis,* qui est ordo primorum pontificum juxta Romanam Ecclesiam. Fieri ergo non potest quod gesta martyrum a notariis Romanis diligenter conscripta, et ab Anthero papa in scriniis Romanæ Ecclesiæ recondita, alium ordinem habuerint, et Clementem Cleto præposuerint. Neque ad hujus catalogi auctorem respexit divus Hieronymus, dum scripsit in Clemente, eum fuisse *ordine quartum, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum apostolum fuisse putent.* Enimvero per plerosque Latinorum non intellexit divus Hieronymus Romanam Ecclesiam, aut ejus pontifices, sed sanctum Optatum, nonnullosque scriptores Latinos, et forsan auctorem hujus catalogi, qui tempore Liberii vixit, et non Damasus, sed privatus scriptor fuit ; unde divus Hieronymus ab hujus auctoris et sancti Optati sententia discessit, et Clementem non secundum, sed quartum a Petro pontificem fuisse statuit. Secundo ponit prior catalogi pars Anicetum ante Pium, quod esse alterum catalogi errorem, ostendunt istorum temporum scriptorum duo omni exceptione majores, Irenæus nimirum Lugdunensis in Gallia episcopus, et Hegesippus historicus, qui sub Aniceto et Eleutherio Romam venerunt, et quorum testimonia ante MCCCL annos in libris de Historia Ecclesiastica retulit Eusebius Cæsareensis in Palæstina episcopus. Sane tam Irenæus quam Hegesippus tradunt Anicetum fuisse post Pium. Quod etiam tradidit cum communi Romanæ Ecclesiæ sententia divus Hieronymus, ut facile colligi potert ex iis quæ dissertatione II de Romanis Pontificibus demonstravimus. Tertio ponit annos pontificatuum et consules exordio et fini pontificum assignatos, sed adeo in plerisque locis sibi repugnantes, ut tempus annorum et mensium adversetur consulibus, et consulum tempora pauciores, pluresve annos, quam a catalogo exhibentur, designent. Unum e pluribus adduxisse sufficiet. Habet de octavo pontifice antiquior hic catalogus. « Sixtus annis X, mensibus III, diebus XXI. Fuit temporibus Hadriani, a consulatu Nigri et Aproniani, usque Vero III et Ambibulo. » Anni numerantur decem, et menses tres, ubi Niger et Apronianus consules fuerunt æra vulgari 117. Verus autem III et Ambibulus consulatum obierunt æra 126. Ab anno autem 117 ad 126, non possunt numerari anni decem, et menses tres, sed tantum anni novem ; ideoque et Godefridus Henschenius in sua chronotaxi protulit pontificatum Sixti ad annum 127. Quod et alibi factum videtur contra morem catalogi, qui ultimos consules exhibere consuevit, quibus occubuerunt pontifices. Atque hæc, ni fallor, sufficiunt ad evincendum priorem catalogi partem ab Anthero papa conscribi non potuisse.

8. Videamus jam de secunda parte, quam Henschenius ab uno auctore, nimirum Damaso papa, Papebrochius vero a quatuor diversis auctoribus, qui ab Anthero usque ad Damasi tempora scripserunt, exaratam fuisse putarunt. Utque de primo horum quatuor agamus, credidit Papebrochius, eum cum sancto Felice finiisse, cumque Felix Dionysii successor vixerit circa annum 272, ejus partis auctorem ante sæculi tertii finem floruisse. Verum si auctor tertii sæculi partem catalogi ab Anthero ad Felicem composuisset, perspectos procul dubio habuisset sui temporis pontificatus, et consulatus, suisque consulibus pontifices assignasset : et tamen videmus, etiam in hac parte catalogi, sæpius consules unius pontificatus misceri cum consulibus alterius pontificatui assignatis. Unde provenit quod frequenter recurrendum sit ad vicariatum, ut quo tempore prædecessor adhuc sedebat verus pontifex, successori assignaretur vicariatus ut sic verificari posset eum quodammodo fuisse pontificem. Ita de vigesimo quarto pontifice habet catalogus : « Stephanus annos quatuor, menses duos, dies viginti unum. Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a consulatu Volusiani et Maximini usque Valeriano III et Gallieno II. » Volusianus et Maximinus fuerunt consules anno 253, quibus ponitur a catalogo initium pontificatus Lucii, unde tunc sanctum Stephanum Lucii vicarium fuisse, scribit Henschenius, qui Stephano tantum tribuit menses quinque post mortem Lucii, iisdem consulibus Valeriano III et Gallieno II, seu anno 255 assignatam in catalogo. Sed quamvis hic locus communis de vicariatu aptus esset ad supplendum multos catalogi defectus, tamen in pontificatu Stephani vix ulla ratione adhibere posset, cum ei non solum duos aut tres annos pontificatus tribuant antiquiores et moderni omnes sed

plures res ipsa postulet. Enimvero sanctum Stephanum, ut verum pontificem ultra quinque menses contra rebaptizantes egisse testatur Cyprianus, dum hac in re cum auctoritate pontificia tanquam *episcoporum episcopum* egisse insinuat. Idem significat Firmilianus agens de petra Ecclesiæ fundamentali, de qua Stephanum gloriari solitum, manifeste declarat. Adderem hic plura in hujus rei confirmationem, nisi Papebrochius ipse in notis ad Stephani vitam, quas exhibet in Conatu chronico historico confessus fuisset, hæc recte a me notata fuisse, ipseque observasset, ejusdem Firmiliani epistolam datam esse, cum fere vigesimus secundus annus esset a morte Alexandri imperatoris, ut notat Baronius in Annalibus : ea autem acciderit anno 235. Quare Firmiliani epistolam necesse est scriptam fuisse anno circiter 257, quo tempore inter Stephanum, et Cyprianum Carthaginensem, Dionysium Alexandrinum, aliosque, adhuc agitabatur controversia de valore baptismi ab hæreticis collato, adeoque anno 255 exstinctus non fuerit Stephanus, ut consules a catalogo assignati indicabant. Hæc fere Papebrochius, qui frustra conatus est in notis supradictis tempus Stephani in antiquiori catalogo ex consulibus assignatum suæ æra restituere.

9. Neque majori fundamento nituntur ea quæ de secundo, tertio et quarto secundæ partis auctoribus notantur. Sine ullo namque teste, sine ullo scriptore, sine ullo antiquitatis monumento affirmatur secundam catalogi partem a tot auctoribus fuisse conscriptam, et gratis omnino statuitur altero auctore Eutychianum. Caium et Marcellinum ; altero Marcellum et Eusebium ; altero demum reliquos omnes a Melchiade usque ad Liberium fuisse catalogo adjectos. Ut enim a primo incipiamus, quid in Eutychiani, Caii et Marcellini actis reperitur, quod non in aliis anterioribus pontificibus legitur ? De Eutychiano habet catalogus : « Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani III et Marcellini usque in diem VII Idus Decembris, Caro II et Carino consulibus. » De Dionysio autem uno ex Eutychiani prædecessoribus : « Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die XI Kalendarum Augusti, Æmiliano et Basso coss., usque in diem septimum Kal. Januarii, coss. Claudio et Paterno. » Quid, quæso, in his duobus pontificibus est quod diversitatem auctorum indicet ? Idem omnino est stylus, eadem methodus notandi tempus, quo uterque pontifex sedit, adeo ut omnia verba unum eumdemque, non plures auctores fuisse indicent. Idem plane de Marcello et Eusebio dicendum, quos Papebrochius ab altero auctore adjectos credebat. De Marcello enim ita habet catalogus : « Marcellus anno uno, mensibus septem, dies viginti. Fuit temporibus Maxentii, a consulatu... X et Maximiani VI, usque post consulatum X et VII. » Et de Eusebio : « Eusebius menses IV, dies XVI, a XIV Kal. Maias usque in diem XVI Kalendas Septembris. » In quibus nihil omnino quoad stylum, scribendi methodum, et temporis notas diversum est, solumque in Eusebio desideratur consulatus : quod tamen mirum videri non debet, cum non pluribus annis, et sub diversis consulibus, sed paucis duntaxat mensibus, eodem anno sederit ; huic autem anno consulatum addere auctor omiserit, quia in Melchiade Eusebii successore consulatus illius anni allegandus erat. Ita enim catalogus. « Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus novem, ex die VI Nonas Julias a consulatu Maximiano VIII solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii Volusiano et Aniano coss. » Maximianus solus consul fuit anno, quo periit : tumque suffecti sunt Volusianus et Rufinus, adeo ut omnes hi consules in annum incidant, quo ab auctore catalogi superius assignata fuit mors Marcelli. Unde manifeste colligitur in pontificatu Marcelli ab auctore catalogi studio omissa fuisse consulum nomina, ne ea repeterentur in Melchiade. Quod certe nunquam factum esset, si Marcelli tempus a tertio, Melchiadis a quarto auctore, ut v. c. Papebrochius credebat, huic catalogo inserta fuissent. Ab uno itaque, et eodem auctore secunda pars catalogi conscripta fuit, ut supra indicavimus, tantumque abest ex catalogo colligi posse eumdem a diversis auctoribus contextum fuisse, ut potius ex perpetuo temporum nexu colligatur ab uno eodemque auctore confectum fuisse. Nisi quis dicere velit, auctorem hujus catalogi, annos, menses, et dies ex aliquo anteriori monumento desumpsisse, eo quod illi perpetuo a consulum notis discrepare soleant.

10. Porro non a diversis, sed ab uno eodemque auctore compositum fuisse hunc antiquiorem catalogum, judicavit Cuspinianus, qui eum primo ex manuscripto codice eruit, et commentariis suis in Cassiodori consules inseruit, scribens ad consulatum duorum Geminorum : « Oblatum est mihi pervetus opusculum anonymi auctoris, quo pontifices maximi sub quibus coss. fuerint enumerantur. In eo ita scribitur : Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus Jesus Christus duobus Geminis coss. VIII, Kalend. Aprilis. Et post ascensum ejus beatissimus Petrus episcopum suscipit, » etc. Ex primis hujus opusculi verbis, quæ eadem omnino sunt cum primis verbis catalogi, de quo in præsenti agimus, facile colligitur catalogum eumdem esse quem Cuspinianus olim habuit, quemque anonymo auctori tribuit, prout tribuere pergit in operis progressu, ubi catalogi istius mentionem facit, et signanter ad consulatum Saturnini I et Venuvi, agens de Petro his verbis : « Vetustissimum comperi in bibliotheca quadam opusculum anonymi auctoris, quo continentur pontifices Romani sub quibus coss. fuerint a Divo Petro usque ad Marcellinum, qui sub Diocletiano fuit, quemadmodum deinceps narrabimus. » Constanter, et recte affirmat Cupinianus, vetustissimum opusculum esse antiqui scriptoris anonymi ; sed memoria lapsus videtur, dum refert pontifices

Romanos usque ad Marcellinum duntaxat in eo contineri. Nam post Marcellinum ex eodem opusculo recenset ad post consulatum X et VII iterum, Marcellum ; ad consulatum Maximi VIII et Licinii Melchiadem ; ad consulatum Volusiani et Amani Sylvestrum ; et ad consulatum Feliciani et Titani Julium, et hunc quidem his verbis : « Auctor ille incertus de Pontificibus horum Coss. sic commeminit: *Julius annis XV. M. I. D. XI. Fuit temporibus Constantini a Coss. Feliciani et Titiani ex die* VIII *Idus Februarii, in diem pridie Idus Aprilis Constantio V et Constantio Cæsare Coss.* Hactenus auctor de pontificibus maximis, quem citavi, progreditur, nec quidquam ulterius offendi, quo ad papæ dicti sunt. » Ubi Cuspinianus expresse affirmat, pontifices cum consulibus ultra Marcellinum usque ad Julium primum procedere, prout etiamnum procedunt in nostra catalogi editione, in qua Liberius quidem adjungitur, sed absque consulum adnotatione, eo quod auctor Liberii quidem initium non tamen finem assecutus sit, sed ante Liberium obierit.

11. Neque hoc nostrum duntaxat, sed etiam aliorum de hujus auctoris ætate judicium est, scribente Bucherio, qui integrum catalogum primus edidit : «Hucusque, ad Liberium scilicet, pontificum Romanorum Catalogus ante Liberii mortem concinnatus, quam membrana nonnisi punctis exprimit. » Ubi membranæ meminit, in qua tria alia opuscula eodem tempore iisdemque consulibus scripta reperiebantur. Ac primum quidem erat fragmentum Fastorum ad anno Christi 205 ad 354, quo consules erant Constantius VII et Constantius III. Exstabat quoque opusculum de Præfectis Urbi cum hoc titulo : *Ex temporibus Gallieni. quis quantum temporis præfecturam Urbis administraverit,* in quo iidem præfecti ad anno 254 usque ad annum 354 recensentur, finiente illo his verbis: *Constantio VII et Constantio III. Vitrasius Orfitus præfectus Urbi.* Demum calendarium antiquum continebatur Valentino cuidam inscriptum sub Constantio, quem ultimum imperatorum recenset, et non divum ut cæteros omnes, sed dominum vocat ; signum manifestissimum quod auctor sub Constantio scripserit, idemque ille sit qui usque ad consulatum Constantii septimum præfata opuscula perduxit, et catalogum Romanorum pontificum sub Constantio his verbis terminavit : *Liberius fuit temporibus Constantini et die* XI *Kal. Junias in diem..... a Coss. Constantii V et Constantio Cæsare.* Ubi neque consulatus, quo Liberius obiit, neque dies mortis ejus apponitur quia, ut recte Bucherius observat, ante Liberii mortem concinnatus fuit. Item sentit eruditus Petavius lib. v, cap. 5, Rationarii temporum, ubi scribit : « Vetus indiculus Romanorum pontificum Liberii tempore contextus, quem penes nos habemus. » Et post Petavium Pearsonius, a religione quidem catholica alienus, sed vir acutissimi ingenii et magni judicii, qui, diss. I de successione primorum Romæ episcoporum, capite 13, num. 2, ingenue fatetur : « Scriptus est hic Catalogus sub pontificatu Liberii, cui successit Damasus. Fuit igitur ejus auctor ipso Hieronymo paulo antiquior. » Edidit hanc dissertationem inter Opera ejus posthuma Londini, anno 1688, Dodwellus Dubliniensis, qui licet prolixioribus notis et commentariis suis antiquitatem nonnunquam illustrare conetur et id quoque de præsenti Catalogo facere contendat, ejus tamen antiquitati absque ullo fundamento aut ratione detrahit.

CAPUT III.

An antiquior Catalogus a Damaso papa conscriptus sit ? Et an duæ epistolæ Damasi, et Hieronymi ea de re editæ supposititicæ censendæ sint ?

I. Antiquior Catalogus Damaso papæ tribuitur auctoritate duarum epistolarum, quarum altera a D. Hieronymo ad Damasum, altera a Damaso ad D. Hieronymum scriptæ sunt. — II. Harum litterarum germanitatem ex similibus litteris inter opera Damasi a Martio Milesio editis, comprobat Godefridus Henschenius. — III. Adjungit Henschenius nonnulla, ex quibus probare conatur, duos Libri Pontificatis auctores fuisse Antherum et Damasum papas. — IV. Primum Henschenii fundamentum ex litteris a Martio Milesio editis, refutatur, eo quod litteræ illæ supposititicæ sint, recte Erasmi et Labbei censuris notatæ. — V. Epistolæ quoque Damasi et Hieronymi de Libro Pontificali supposititicæ sunt, ut in primis probatur ex stylo Hieronymi, dui plurimum differt a stylo epistolæ supposititicæ. — VI. Idem confirmatur ex nonnullis epistolæ supposititicæ insertis, quæ veritati repugnant, ut in primis, quod Hieronymus post sumptum presbyteratus gradum Damasi ad pontificatum assumptionem cognoverit, et scire cupierit quis Romanorum pontificum contra canones excessisse cognoscatur. — VII. Neque juvat dicere, Hieronymum id scire cupisse, buia martyrologio operam dabat. Nam pro illo sufficiebat scire quinam pro Christiana religione martyrii palmam adepti fuerant. — VIII. Damasi quoque epistolam supposititicam esse, ex stylo inculto et rudi ostenditur. — IX. Antiquiorem Catalogum neque a Damaso conscriptum, neque ejus auctoritate probatum prodiisse, neque ad divum Hieronymum transmissum fuisse, monstramus.

1. Inquisivimus superiori capite de pluribus auctoribus, an ab illis tertio sæculo antiquior Catalogus editus fuerit, ostendimusque auctorem illius tempore Constantii imperatoris quarto sæculo scripsisse, sed nomen hucusque ignoratum esse. Nunc inquirendum est de Damaso papa, qui quarto sæculo sedit, num illi forte Catalogus adjudicari possit. Occasionem huic quæstioni præbuerunt duæ epistolæ, quarum alteram a D. Hieronymo ad Damasum papam, alteram a Damaso ad D. Hieronymum his verbis concriptas fuisse ferunt :

« Beatissimo papæ Damaso Hieronymus.

« Gloriam sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur ut secundum apostolicæ sedis auctoritatem, « quam cognovimus per tuam sanctitatem gubernari, actus gestorum a beati Petri apostoli principatu usque ad vestra tempora, quæ scilicet in sede « tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare « digneris, quatenus nostra humilitas sentiens re« cognoscat quis meruit de episcopis supradictæ se« dis martyrio coronari, vel si quis contra canones « apostolorum excessisse cognoscatur. Ora pro « nobis, beatissime papa. »

« Damasus episcopus urbis Romæ Hieronymo « presbytero.

« Gaudet Ecclesia tuo fonte jam satiata ; et am-

« plius sitit curiositas temporum sacerdotalium, ut « quod dignum est, cognoscatur ; quod indignum, « respuatur. Verumtamen gesta pontificum. quæ po- « tuimus reperire in sedis nostræ studio, ad tuam « charitatem gaudentes direximus. Ora pro nobis « ad sanctam resurrectionem, frater et compresbyter. « Vale in Christo Deo et Domino nostro. Dat. x. « Kalendas Junii, et accepta Kalendas Octobris : « missa de Roma Hierosolymam. »

2. Primas has epistolas typis descripsit Godefridus Henschenius : tomo enim primo Aprilis ante Catalogos Romanorum pontificum eas ex antiquis mss. edidit, ac pro germanis habuit, laudans Martium Milesium Sarazanium J. C. Romanum, eo quod typis Vaticanis anno 1638 inter Opera sancti Damasi alias epistolas his plane similes ediderit ; pag. enim 121 et sequentis habet epistolam Damasi ad Hieronymum, ex qua supra memoratus Henschenius sequentia excerpsit.

« Damasus episcopus fratri et compresbytero « Hieronymo in Domino salutem.

« Dum multa corpora librorum in meo arbitrio « allata fuissent, contigit, ut et librum Psalmorum in « meo animo festinus cognoscerem detineri, et me- « moriam capacitatis meæ imbuere cogitavi, frater « amantissime, et in Christo semper sacerdos, se- « cundum septuaginta Interpretes.... invenire vesti- « gia. Peto etiam charitatem tuam, ut Græcorum « psallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delec- « tetur... Peto ergo per fratrem et compresbyterum « nostrum Bonifacium, ut jubeat fraternitas tua rei « hujus nobis aperire vestigia. Missa v. Kalend. « Novembris. »

Subnectit responsionem Hieronymi presbyteri ad Damasum.

« Beatissimo papæ Damaso sedis apostolicæ urbis « Romæ Hieronymus supplex.

« Legi litteras apostolatus vestri, poscentes ut « secundum simplicitatem septuaginta Interpretum « canendum Psalmographum interpretari festinem... « Precatur ergo cliens tuus ut vox ista psallentium « in sede tua Romana die noctuque canatur, et in « fine cujuslibet psalmi conjungi præcipiat et aposto- « latus tui ordo : *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui « sancto, sicut erat in principio*, » etc.

3. Editis hisce duabus epistolis, adjungit idem Henschenius : « Non videtur autem S. Damasus ipse conscripsisse priorem Catalogum de Vitis pontificum, sed solum has ad Liberium decessorem suum a variis deductas approbasse et ad sanctum Hieronymum direxisse. Igitur cum Ptolomæus Lucensis, apud Milesium pag. 21, dicit quod usque Damasum Chronica summorum pontificum vigorem recipiunt, Damaso scribente, eodem approbante, seu subscribente id fieri intelligimus, et quod ipsi Vitæ pontificum, ut primo scriptori passim tribuantur a Sabellico, Panvinio et aliis, minus approbamus » Ipso itaque Henschenio fatente, Damasus non erit proprie auctor hujus antiquioris Catalogi, sed approbator duntaxat. Auctor tamen vixit sub Liberio, ut Petavii testimonio Henschenius comprobat : « Sancto Julio Liberius, cujus tempore hunc veterem Indiculum Romanorum pontificum contextum fuisse, asserit Dionysius Petavius lib. v, qui cum penes se habuit. Post obitum Liberii constitutus est pontifex Romanus S. Damasus, qui rogatus a sancto Hieronymo, gesta pontificum, quæ potuit reperire in suæ sedis studio, ad eum direxit. Quæ Damasi verba arbitramur intelligenda de jam indicato Catalogo usque ad Liberium ejus decessorem deducto. Epistolas utriusque hac de re et S. Hieronymi et S. Damasi ex codicibus manuscriptis præponimus. Idem S. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis capite 15 statuit S. Clementem quartum post Petrum Romanum pontificem, siquidem inquit. secundus Linus fuit, et tertius Anacletus, et si plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem : Ubi opinamur nomine Latinorum indicari hunc Catalogum a S. Damaso missum ad sanctum Hieronymum, qui etiam libro primo adversus Jovinianum appellat Clementem successorem apostoli Petri. Et in caput Isaiæ LII, scribens ait, eum post Petrum Romanam rexisse Ecclesiam, scilicet interposito ad medium tempus S. Lino, cui successisse Clementem, tradunt Optatus Milevitanus lib. II, et sanctus Augustinus epist. 165. »

4. Hactenus Henschenius, qui ex litteris a Martio Milesio publicatis probare nititur litterarum commercium inter Damasum papam et divum Hieronymum de similibus materiis, ut facilius persuadeat litteras de gestis Romanorum pontificum a se primum editas, et germanas esse, et Damaso papæ ac Hieronymo presbytero tribui posse. Verum in prima Antiquitatis illustratæ editione miratus fui quod Henschenius non observarerit epistolas de psalmodia Basileæ onno 1516 publicatas fuisse per Erasmum, qui de priori circa psalmodiam epistola a Damaso ad Hieronymum conscripta sequentem censuram tulit: « Clarius est quam ut admoneri debeat, hanc epistolam ejusdem esse artificis cujus est ea quæ proxime sequitur, et eadem febri laborantis. Deum immortalem ! quæ fuit impudentia, hoc tribuere Damaso ? » Addit de responso Hieronymi ad Damasum : « Mirum est inventum fuisse, qui speravit futurum ut hæc epistola, qua nihil fingi potuit insulsius, nec indoctius, nec infantius, a quoquam pro Hieronymiana legeretur. » Et ne Erasmi auctoris suspecti judicio niti velle videamur, censuras ejus novissime confirmat tomo II Collectionis Conciliorum in notis marginalibus ad duas epistolas a Milesio publicatas Philippus Labbeus : « Supposititiæ, apocryphæ et ineptissimæ viris doctis habentur tantumque a stylo Damasi et Hieronymi distant, quantum cœlum a terra, et polus antarticus ab artico. » Neque ulteriori probatione hæc indigent, cum vel litteras inspicienti eadem plane occurant, prout ex epistolis per Martium Milesium publicatis adeo clare

ostenderam in prima Antiquitatis Ecclesiasticæ editione, ut V. C. Papebrochius in Propylæo ad quartum tomum Maii, pag III, sententiam Henschenii prædecessoris sui retractandam duxerit, adjungens, se rationibus meis convictum malle epistolas illas ex tomo I Aprilis expunctas.

5. Agnoverat Papebrochius quam eleganti, quam florido stylo, usi erant D. Hieronymus et S. Damasus, quorum plurima opera, de quibus nullus est ambigendi locus, ad manus nostras pervenerunt. Utque de D. Hieronymi operibus id in primis probemus, exstant Epitaphia Paulæ, Fabiolæ, Lucinii, Marcellæ et Nepotiani a sancto illo doctore edita; exstant complura opuscula adversus Helvidium, Jovinianum, Vigilantium, Pelagianos, Montanum, Rufinum, aliosque ipsius Hieronymi vel religionis catholicæ adversarios composita: exstant plerique tractatus de virtutibus, innumera Commentaria de Scripturis sacris, et ut finiam, inter diversas epistolas, duæ insignes ad Damasum papam conscriptæ, quarum altera, ordine 57, sic incipit: « Hieronymus Damaso. Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam et desuper textam minutatim per frusta discerpit, et Christi vineam exterminant vulpes, ut inter lacos contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus, et hortus ille conclusus sit, possit intelligi. Ideo mihi cathedram Petri, et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc meæ animæ postulans cibum, unde olim Christi vestimenta accepi, » etc. Altera autem 58 sic orditur: « Hieronymus Damaso. Importuna in Evangelio mulier tandem meruit audiri: et clauso cum servis ostio, media licet nocte, ab amico panes amicus accepit. Deus ipse, qui nullis contra se viribus superari potest, publicani precibus vincitur. Ninive civitas, quæ peccato periit, fletibus stetit. Quorsum ista tam longo repetita principio? Videlicet, ut parvum magnus aspicias. » etc. Atque ex his, ni fallor, abunde constat quam eleganti stylo, quam ornato usus sit Hieronymus in litteris ad Damasum papam conscriptis, quantumque ab ipsius scribendi modo differat epistola de gestis pontificum superius exhibita.

6. Dum enim D. Hieronymus aliquid a Damaso papa petebat, ornato sermone et longo repetita exordio Damasum exorare solebat, ut ex duobus prædictarum litterarum fragmentis colligere licet. At epistola de gestis Romanorum pontificum Hieronymo tributa stylo humili, et abjecto sine ullius exordii ornamento statim indicat quod petitur, ut patet ex hoc illius initio: *Gloriam sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur.* Post quod statim prosequitur: *Ut secundum sedis apostolicæ auctoritatem, quam cognovimus per tuam sanctitatem gubernari, actus gestorum a beati Petri apostoli principatu usque ad vestra tempora, quæ scilicet in sede tua gesta sunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris.* Ubi etiam notanda sunt illa verba: *Quam cognovimus per tuam sanctitatem gubernari*: quibus indicatur hanc epistolam scriptam esse, cum D. Hieronymus in Syria percepit Damasum papam sedi apostolicæ præfectum fuisse: quod repugnat iis quæ in secunda Damasi epistola supponuntur: ibi enim innuitur D. Hieronymum, cum hanc epistolam scripsit, fuisse presbyterum: factus est autem presbyter a Paulino Antiochiæ episcopo, postquam discesserat ex eremo Syriæ, ex qua duas supra memoratas epistolas scripserat ad Damasum papam. Adeo ut falsum omnino sit D. Hieronymum jam presbyterum primo cognovisse Damasi promotionem ad pontificatum, et pateat, ab homine aliquo actorum Hieronymi ignaro prædictam epistolam conscriptam fuisse. Neque ex hoc parachronismo tantum, sed etiam ex sequenti barbarismo, *quatenus nostra humilitas sentiens recognoscat*, constat, prædictam epistolam D. Hieronymo abjudicandam esse, qui eamdem nunquam his verbis conclusisset, *vel si quis contra canones apostolorum excessisse cognoscatur.* Nam sensus horum verborum obscurus est, contra morem scribendi D. Hieronymi, qui declarasset de quibusnam apostolorum canonibus, et de quonam excessus genere ibi agebat.

7. Quamvis autem supponi posset quod D. Hieronymus tunc Martyrologio operam dabat, et ideo a Damaso papa Catalogum Romanorum pontificum petebat, ut ex eo dignosceret quinam martyrii palmam adepti erant; tamen mirum videri potest D. Hieronymum petiisse a Damaso ut indicaret si quis pontificum prævaricator apostolicorum canonum existens ex hoc mundo discessisset, cum ad Damasum scripserat se cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam ideo consulere, quod hæc cathedra sit petra Evangelica, supra quam ædificatam Ecclesiam sciebat; quod Romanorum fides sit illa, quam a Paulo laudatam et nunquam defecturam credebat, ita ut apud solos Petri successores incorruptam Patrum hæreditatem servari profiteretur. Hæc enim cum Hieronymus in epistolis ad Damasum tradiderit, quo consilio, qua ratione se de quorumdam Petri successorum prævaricatione dubitare, ad Damasum ipsum scripsisset? An forte, si quisquam Romanorum pontificum in aliquo deliquisset, illud ad Martyrologium D. Hieronymi spectare poterat? De sanctis pontificibus eorumque martyriis D. Hieronymus pro conficiendo suo Martyrologio sollicitus esse debebat, et cum Romæ in juventute sua studuerit, ac sæpius cryptas martyrum ac apostolorum templa, in quibus SS. pontificum corpora recondita erant, perlustraverit, vix credibile est E. Hieronymum latuisse Romanorum pontificum martyria, multoque inverisimilius est Damasum papam solum tria aut quatuor pontificum martyria, enumeraturum fuisse in antiquiori Catalogo, si illum ad D. Hieronymum cum epistola superius allata transmisisset. Qua de re statim agemus, cum monstraverimus, quod de Damasi epistola ex stylo dijudicari possit, eam esse supposititiam.

8. Ineptus equidem scribendi modus qui in epi-

stola conspicitur, longe est a Damasi stylo, et loquendi puritate alienus. Incipit namque epistola his verbis: *Gaudet Ecclesia tua fonte jam satiata, et amplius sitit curiositas temporum sacerdotalium.* Quæ sola sufficere deberent ad epistolam Damaso abjudicandam : præterquam enim quod D. Hieronymus, dum munus presbyteri primum obtinuerat, non tam multa scripserit, ut Ecclesiam operibus suis repleverit, adeoque verum non sit quod Ecclesia jam esset ipsius fonte satiata, subjungitur : *Tamen et amplius sitit curiositas temporum sacerdotalium.* Quæ verba sicut ineptum sensum reddunt, ita Damaso nequaquam tribui possunt. Quid enim significant tempora sacerdotalia ? Num sacerdotes tunc imperium tenebant, aut tunc primum in Ecclesia esse cœperant, in qua ante non fuerant ? Nonne temporibus Damasi papæ imperatores regnabant sicut sub Damasi prædecessoribus imperii gubernacula tenuerant ? Si imperatores ante Damasum gubernarunt, si antea pontifices et sacerdotes in Ecclesia exstiterunt, quid, quæso, sibi volunt tempora sacerdotalia ? *Quomodo sitiebat curiositas temporum sacerdotalium ?* An curiositate ducebantur sacerdotes ad audiendas a D. Hieronymo interpretationes Scripturarum, ut quondam Athenienses rerum novarum cupidi a D. Paulo ? Quod si Damasus papa exprimere voluisset hanc sacerdotum cupiditatem, dixisset *curiositas sacerdotum,* non *curiositas temporum sacerdotalium,* ut in prima Antiquitatis editione animadvertimus. Quibus adjungere possumus totam hanc Damasi epistolam stylo adeo rudi et inculto scriptam esse, ut nulla periodus in ea reperiatur tam erudito et eloquente pontifice digna, de quo D. Hieronymus libro de Scriptoribus testatur quod elegans in versibus componendis ingenium habuit. Ejus epistolæ eleganti stylo conscriptæ editæ sunt a Martio Milesio et a Luca Holstenio : pleraque item carmina etiamnum reperiuntur in Bibliotheca Patrum edita, et alia marmoreis tabulis insculpta, quibuscum si conferamus constructionem epistolæ superius editæ, facile constabit has phrases, *in nostræ sedis studio, et gaudenter direximus,* alio auctore quam Damaso editas. Prodit autem se ipsum auctor hac clausula : *Dato* x *Kalendas Junii, et accepta Kalendas Octobris ; missa Roma Hierosolymam,* quæ sicut in nulla aliarum Damasi epistolarum reperitur, ita ab illo fabricata est, qui integram epistolam Damaso supposuit.

9. Atque hæc quidem sufficient de suppositione epistolarum. Nunc solum monstrandum est antiquiorem Catalogum ne quidem Damaso tribuendum esse, licet epistolæ illæ germanæ essent. Quod facili negotio comprobatur, si perpendere velimus illa quæ in priori epistola petit Hieronymus, et in posteriori respondet Damasus papa. Petit enim D. Hieronymus ut transmittantur Actus gestorum a B. Petri apostoli principatu usque ad sua tempora, quatenus agnoscat quis meruerit de episcopis supradictæ sedis martyrio coronari, vel si quis contra canones apostolorum excessisse cognoscatur. Et respondet Damasus Catalogum pontificum a D. Hieronymo petitum et a se transmissum continere *Actus gestorum, aut gesta pontificum,* quibus eorum obitus, et mortis genus adnectebatur. De his autem omnibus vix quidquam reperitur in antiquiori Catalogo. Nam vix ulla gesta pontificum in eo commemorantur, et inter tot pontifices, quot a sancto Petro apostolo usque ad Damasum papam sederunt, tantum quatuor martyria enumerantur, Petri nimirum et Pauli apostolorum, de quibus dicitur : *Petrus passus cum Paulo die* III *Kalend. Julii ;* Pontiani de quo refertur : *In eadem insula* (Sardinia) *discinctus est* IV *Kalend. Octobris ;* Fabiani, de quo narratur : *Passus* XIII *Kal. Febr. ;* et Cornelii ; de quo asseritur : *Centumcellas expulsus ibi cum gloria dormitionem accepit.* Horum itaque pontificum martyria solummodo commemorantur in Catalogo, qui si a Damaso papa conscriptus aut ipsi probatus fuisset, illeque esset cujus in litteris mentionem facere supponitur, credine potest Damasum cætera pontificum martyria ignorasse ? Ignorabat forsan Clementis martyrium toto terrarum orbe celeberrimum ? Nihilne omnino supereat de gestis martyrum, quæ jubente Anthero a notariis fideliter conscripta et in Ecclesia recondita erant ? An mente exciderat quod de Stephani papæ martyrio ejus Acta testabantur ? Ignorarene poterat quæ de Xysti obitu retulerat clerus Romanus, scripserat Cyprianus, et in festo S. Laurentii, qui Xystum post triduum secutus erat, legebat Ecclesia ? Latebatne ipsum quid continebat Canon Missæ sæculo tertio compositus ? Hæc, ni fallor, nimis clara sunt, quam ut a quoquam in dubium vocari possint.

CAPUT IV.

De secundo Catalogo, qui cum Actis Felicis ejus nominis quarti finit.

I. Catalogus ex ms. codice reginæ Succiæ editus, et ex eodem post primam editionem correctus est, ac Clementi locus suus restitutus — II. Dodwelli hae de re cavillationes refutantur, et Catalogum sexto sæculo conscriptum esse, convenit inter omnes. — III. In Codice ms. post Felicem IV duodecim pontificum nomina adduntur cum nota temporum, quæ ab imperito aliquo adjecta esse, ex erroribus, qui in hanc appendicem irrepserunt, ostenditur. — IV. Codex reginæ Succiæ hanc appendicem exhibens, non continet autographum Catalogum, sed post sæculum sextum scriptus est circa pontificatum Paschalis primi. — V. Ex alio antiquiori codice descriptus est Catalogus, qui etiam continetur in codice Colbertino, tempore Caroli Magni exarato, teste V.-C. Baluzio in litteris ad me datis. — VI. Afferuntur lectiones ex utroque codice, quæ differunt ab editione Henscheniana, inter se tamen conveniunt. — VII. Ex dictis colligitur utrumque ms. codicem ex uno eodemque antiquiore codice descriptum esse. — VIII. Catalogus consules, quos ad initium et finem pontificatum a D. Petro ad Liberium adducit, ex antiquiori Catalogo desumpsit. — IX. Pontificum Acta partim ex antiquiori Catalogo, partim aliunde desumpsit auctor secundi Catalogi, ut variis exemplis probatur. — X. Idem confirmatur ex aliis pontificum gestis, quæ commemorat. — XI. Martyrum Acta, quibus auctor Catalogi utitur, sæculo sexto antiquiora sunt. Ordinationes earumque numerum desumpsisse videtur ex regesto sedis apostolicæ, quod desinebat in Hormisda. — XII. Auctorem igitur Romanum fuisse, et forsan præfectum archivi, plerisque Catalogi verbis comprobatur.

1. Catalogum de quo in præsenti agimus, ex co-

dice bibliotheæ Christinæ Suecorum reginæ primi nostris temporibus publicarunt Godefridus Henschenius et Daniel Papebrochius in prolegomenis ad tomum I Aprilis, ex quibus et ego in prima Antiquitatis illustratæ editione anno 1678, partem illius usque ad Sylvestrum eadem fide descripsi, qua ipsum clarissimi viri in lucem emiserant. Ubi autem Romam pervenissem, et nonnullos errores in editionem irrepsisse suspicatus essem, a sapientissima regina facultatem videndi codicem et cum edito conferendi petii, quod pro suo erga me benevolentia facile concessit. Codicem itaque ms. penes me habui per menses plurimos, et diligenter Catalogum de quo agimus cum edito contuli, et quantum inter se discreparent animadverti. Non solum enim pleraque verba in edito omissa sunt, quæ in manuscripto reperiuntur, sed nonnulli quoque pontifices præpostero ordine in edito exhibentur, quæ recte in manuscripto leguntur. Fidem huic rei facit ordo quinque primorum pontificum, quo in hoc Catalogo editi sunt ad tomum primum Aprilis. Ibi enim primo loco Petrus, secundo Linus, tertio Clemens, quarto Cletus, et quinto Anacletus recensetur, cum tamen in manuscripto codice reginæ Sueciæ, qui post ejus mortem cum cæteris bibliothecæ suæ manuscriptis in Vaticanam migravit, expresse habeatur ordo pontificum, ut sequitur : 1. Petrus, 2. Linus, 3. Cletus, 4. Clemens, 5. Anacletus. Quo etiam ordine Romana Ecclesia pontifices illos recenset in Canone Missæ, dum meminit *Lini, Cleti, Clementis.* Ubi Cletus medius ponitur inter Linum et Clementem, non vero post Clementem collocatur.

2. Atque ex hac Catalogi emendatione refutari potest Henricus Dodwellus, qui in dissertatione singulari de Rom. pontificum primæva successione, c. 9, § 1, conqueritur ab auctore Catalogi ordinem immutatum esse præpositumque genuino Clementi Cletum suppositium ab iis qui auctorem secundi Catalogi subsecuti sunt : id enim falsum esse jam ostendimus ex ipso codice manuscripto, quem in bibliotheea Alexandrina habemus, et unicuique monstrare possumus. Auctor enim hujus Catalogi Cletum Clementi præposuit, jam inde a Felicis IV temporibus, sub quibus ipsum scripsisse Dodwellus fatetur his verbis : « Anno enim 530 secundum Catalogum collegit auctor incertus sub Justiniano ad finem Felicis quarti. » Concinit Pearsonius dissertat. I de successione primorum Romæ pontificum, cap. 12, num. 6. Ubi Catalogum illum *sexto sæculo exaratum esse affirmat.* Et ante Pearsonium viri clarissimi Papebrochius, et Henschenius, qui ante procemium hujus Catalogi notant, *tempore Justiniani imperatoris conscriptum esse.* Qua quidem in re viris eruditis consentio, cum ex Catalogi ipso deducatur, sub Justino et Justiniano, quorum temporibus illum promiscue in hos opere ascribimus, fuisse concinnatum : finem namque facit in Felice quarto, qui consulatu Orestis, anno imperatoris Justiniani quarto, et æræ vulgaris 530, obiit.

3. Neque his obstare debet quod in codice reginæ Sueciæ post Felicem IV addantur aliorum duodecim pontificum nomina sine ullis Actis modo quo sequitur.

57. Bonifacius sedit ann. 2, dies 25.
58. Joannes sedit ann. 2, menses 3, dies 25.
59 Felix sedit ann. 4, menses 2, dies 12.
60. Bonifacius sedit ann. 2, dies 27.
61. Joannes sedit an. 2, menses 3, dies 5.
62. Agapitus sedit menses 11, dies 17.
63. Silverius sedit ann. 1, menses 5, dies 11.
64. Vigilius sedit ann. 16, menses 6, dies 25.
65. Pelagius sedit ann. 4, menses 10, dies 28.
66. Joannes sedit ann. 12, mens. 11, dies 26.
67. Benedictus sedit ann. 4.
68. Pelagius sedit ann. 10, mens. 2, dies 10.

A B. Petro usque nunc fiunt anni 444 et menses sex, excepto intervallo pontificatus.

Nam ab imperita plane manu adjuncta sunt post tempora Justiniani imperatoris, cum nec anni respondeant Catalogo, neque pontificum ordo in hac Catalogi appendice observetur. Ut enim ab ultimo incipiam : hic tres pontifices Felix, Bonifacius et Joannes in sex pontifices dividuntur, repetitis ipsorum nominibus, ut vel ex eo patet quod inter Felicem IV, in quo desinit Catalogus, et Silverium, quem septimum a Felice quarto recenset appendix, tantum tres pontifices Bonifacius II, Joannes secundus et Agapitus in vera pontificum serie reperiantur. Redundant igitur tres pontificatus in appendice, errore plane inexcusabili, cui accedit erronea temporum nota, de qua secundo loco dicendum suscepimus. Nota enim illa significat a B. Petro usque ad pontificatum Pelagii II, absque tempore sedis vacantis, numerari 444 annos, quod sive a principio pontificatus Petri, sive a fine illius sumas, a vera chronologia mirum in modum aberrat. Pelagius enim secundus pontificatum gessit ante Gregorium Magnum ad finem sexti sæculi, adeo ut plus quam sexaginta anni in computo desiderentur. Non solum enim a Petro usque ad tempus quo appendix illa conscripta est anni 444, sed etiamsi a Petri excessu, qui anno æræ vulgaris 68 contigit, pontifices computemus, anni 522 usque ad Gregorii pontificatum, qui anno 590 cœpit, intercedunt ; a quibus detracto temporum intervallo sedi vacanti tribuendo, semper manebit ultra quingentos annos inter Petri et Pelagii secundi tempora intercedere.

4. Neque mirum cuiquam videri debet quod in appendice hujus Catalogi tam fœdi errores reperiantur. Codex enim reginæ Sueciæ, ex quo Catalogum typis edimus, non continet ipsus Catalogi autographum, sed transumptum ante plura sæcula conscriptum. Codex enim in quo continetur hic Catalogus, continet pag. 1, breve Chronicon ab anno 815, quo Carolus Magnus mortuus est, et Ludovicus ejus filius imperium assumpsit, usque ad annum millesimum, quo consequenter hunc codicem conscriptum fuisse dicerem, nisi ab anno 918 usque ad annum 1000 soli anni descripti essent, et si quid rei gestæ adnotetur, aliena manu adjectum esse videatur, ex quo

conjicere licet hujus Chronici auctorem vixisse ante annum 918. Solent enim aliqui chronographi in mss. codicibus annos continuata serie ponere. etiam illos qui ipsorum ætatem subsequentur, et si quid vita illorum durante memoratu dignum contigerit propria manu adnotare, vel si post vitam ipsorum evenerit, posteris adnotandum relinquere. Ex his quidem de ætate manuscripti codicis judicare liceret, si certum esset, Chronicon præfatum ab eodem amanuensi conscriptum fuisse, quo reliqua in opere contenta scripta sunt, qua de re non sine ratione dubium moveri potest. Quantum enim ex charactere judicare possum, hoc Chronicon initio codicis positum cum notitia provinciarum et arbore consanguinitatis Chronicon immediate subsequentibus, recentiori manu adjecta sunt, sicut et in fine nonnullo post ætatem codicis addita leguntur. Porro codex est in folio, forma quadrata, et characteribus ævo Caroli Magni usitatis conscriptus. Unde facile crediderim illis temporibus fuisse exaratum quo scriptus est catalogus Romanorum pontificum, qui pag. 10 exhibetur, et desinit in Paschali I. cui subjicitur nota temporum his verbis : *A Passione Domini nostri Jesu Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini papæ sunt anni 276, menses 8. De apostolatu jam facto Christi martyris Marcellini usque tempus gloriosissimi Domini Caroli regis 25 annis regni ejus, hoc est usque* VIII *Kal. aprilis, sunt anni 490 et menses 13.* Circa hoc igitur tempus, id est paulo post initium noni sæculi, conscriptus videtur codex quondam reginæ Sueciæ, nunc bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, ex quo secundum Romanorum pontificum Catalogum edimus, quem hujus codicis tabellarius ex alio antiquiori codice descripsit.

5. Certum hujus veritatis argumentum suppeditarunt nuper litteræ viri Cl. Antonii Pagii, quibus retulit aliud hujus Catalogi exemplar ms. reperiri in bibliotheca Colbertina : « In bibliotheca Colbertina, inquit, exstat Catalogus, a quo Baluzius vir clarissimus existimat Catalogum reginæ Sueciæ fuisse descriptum. » De hoc codice frequentibus vicibus quibus Parisiis fui, nihil audiveram, nec quidquam ante Pagii litteras ad finem anni 1680 ad me datas perceperam. Quare magno addiscendæ veritatis studio ductus, Lutetiam scripsi ad V. Cl. Joannem Harduinum, ut a Baluzio et varias illius codicis lectiones. et judicium de ætate qua conscriptus est, peteret. Utrumque pro sua humanitate præstitit vir clarissimus Baluzius, cunctaque quam celerrime ad me misit Harduinus. Quare illorum benevolentiæ debeo ego, debet republica litteraria notitiam codicis Colbertini, quæ non parum conferet ad discernendum fontem ex quo auctor Libri Pontificalis Acta successorum Petri hausit, ut suo loco videbimus. Adjungo itaque verba clarissimi Baluzii, quibus judicium de ms. codice Colbertino, et varias lectiones Catalogi nostri exhibet : « Codex 1868 bibliothecæ Colbertinæ, quem constat esse similem ei qui exstabat in bibliotheca reginæ Christinæ, scriptus est sub imperio Karoli M. Catalogus pontificum Romanorum incipit a S. Petro, et habet hunc titulum : « *Hic sunt pontifices sanctæ Romanæ Ecclesiæ beati petri Apostoli.* Desinit autem in Adriano I, hoc modo : *XCVII Adrianus sedit ann. XXIII. M. X. D. XVII.* Postea quidam vetus addidit : *XCVIII. Leo papa.* » Atque hæc sunt prima Baluzii verba, quibus constat de antiquitate codicis ms. ex Catalogo simili, ut puto illi quem nos diximus contineri in Codice bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ, qui desinit in Paschali primo.

6. Porro de secundo Catalogo, de quo hic agimus, notat varias lectiones *in Gestis pontificum* reperiri, quas hic paucis exceptis referemus, eo quod variæ illæ lectiones potius respectu editionis Henschenianæ quam nostri codicis ms. locum habere animadverterim. Sic notat vir cl. legi in Petro : *In territurium triumphale via Aurelia* III *Kal. Julii*, quo modo etiam legitur in ms. codice Alexandrino Vaticano, licet habeat editio Henscheniana : *Inter Zetarium triumphale* III *Kal. Junii.* Deinde notat Baluzius ex suo codice : *Cletus ponitur ante Clementem.* Quod idem habet codex Alexandrino-Vaticanus, quuamvis Henscheniana editio, nescio qua ratione, aut quo fundamento, Cletum Clementi postponat. Notat insuper Baluzius ex codice Colbertino : In Victore legi, *cum Theophilo episcopo Alexandriæ de Luna.* Quod idem legitur in codice Reginæ Sueciæ, licet editio Henscheniana loco *Alexandriæ* ponat *Cæsareæ*, et Theophilus non Alexandriæ, sed Cæsareensis episcopus fuerit. Deinde Baluzius ex codice Colbertino in Lucio papa : *Capite truncatus est* VI *nonas Martii*, quod etiam habetur in codice Alexandrino, licet in Henscheniana editione legatur : III *nonas Martii.* Baluzius iterum ex codice Colbertino legit in Damaso : *Sedit annos* XVII, *menses* III, *dies* XI. *Fuit temporibus Juliani, fecit bibliothecas duas.* Quod idem legitur in codice nostro, licet in editione Henscheniana omittatur : *Fuit temporibus Juliani.* Demum in Felice papa legit ex suo codice Baluzius : *Cessavit episcopatus die* I, prout etiam habetur in nostro, licet Henscheniana edito habeat : *Cessavit episcopatus per dies* III, cum quibus verbis Henschenius finem Catalogo imponit, ubi tamen in nostro ms. codice, ex quo catalogum describi curavit sequuntur illa duodecim pontificum nomina cum nota annorum 444, qui a B. Petro usque tunc intercesserunt, quæ eadem sequuntur in codice Colbertino, ut vir cl. Baluzius in variis lectionibus ad me transmissis testatur.

7. Et ex his quidem manifeste constat utrumque codicem ms., Colbertinum et Alexandrino-Vaticanum, exhibere eumdem omnino Catalogum, et vel secundum ex primo descriptum esse, ut Pagius retulerat, vel utrumque codicem ex altero antiquiori fuisse desumptum ; quod ultimum facile contingere potuit, cum uterque codex Colbertinus et Alexandrino-Vaticanus antiquissimus sit, et characteribus Carolinis conscriptus. et nonnullæ variantes lectiones, licet paucæ admodum, in utroque reperiantur.

Sic Colbertinus in Petro legit *Territurium, et via Aurelia*, ubi Alexandrino-Vaticanus habet *Terreturium, et via Aurilia*, In Telesphoro Colbertinus : *Et cessavit episcopatus dies* VII, ubi Alexandrino-Vaticanus habet, *dies* VI. In Ygino Colbertinus : *Episcopus per diversa loca* VII Alexandrino-Vaticanus, *per diversa loca* VI. Vatic. In Aniceto Corbertinus, *per diversa loca* IX. Vatic. *per diversa loca* VIII. Item primus : *cessavit episcopatus dies* VII, secundus *dies* VI. Colbertinus in Zephyrino : *Episcopus interest, tantum clericus sustinerit*, Alexandrino-Vaticanus : *Episcopo interest, tantum Clerus sustineret.* Atque hæ aliæque variantes lectiones facile convincunt antiquiores codices exstitisse, ex quibus Catologus Colbertinus et Alexandrino-Vaticanus descripti fuerunt, omnesque hos habuisse orginem ex autographo quod sub Justiniano imperatore, post mortem Felicis quarti, conscriptum fuit quod enim in utroque manuscripto Codice Colbertino et Alexandrino-Vaticano post Felicem adjungantur duodecim pontificum nomina, cum annis, mensibus et diebus quibus sederunt, ab aliquo imperito librario adjunctum fuisse ostendimus, idque temporibus Pelagii secundi factum putamus, quibus librarius ille Catalogum ex autographo describens pontifices post Felicem adjecit, et erroneam illam temporibus notam de 444 annis a Petro usque ad Pelagium secundum, qui anno 577 pontificatum adeptus est, adjunxit. Atque satis hactenus de manuscriptis codicibus ex quibus Catologus publicatur. Nunc illis quæ Catalogo continentur, paucis agendum est.

8. Habet hic Catalogus consules quibus singuli pontifices creati sunt et decesserunt, incipiendo a Petro apostolorum principe et primo Romano pontifice usque ad Liberium, cum quo finit prior Catalogus, et ex quo auctor secundi Catalogi eo usque consulum nomina descripsit ut tribus potissimum rationibus comprobatur, quarum prima ex consulum nominibus, quæ eadem ubique reperiuntur, desumitur. Secunda ex erroribus, qui in utroque quoad consulum nomina iidem ferme comparent. Tertii ex eo quod auctor post Liberium nullos consules posuit in sequentibus pontificibus, eo quod deficiente priori Catalogo non habebat, unde desumeret consulum notitiam. Deficiunt itaque in hoc secundo Catalogo a Liberio usque ad tempora Joannis I et Felicis quarti, quorum duorum tempora auctor per singulos designat, quia sub illis vixit scripsitque ; unde et cum iis finem Catalogo imponit.

9. Nec sola consulum nomina, sed nonnulla quoque pontificum Acta ex primo Catalogo auctor secundi Catalogi eo modo desumpsisse videtur, ut tamen licitum sibi crediderit, iis quandoque neglectis, aliunde acta referre. Sic quamvis in primo Catalogo habeatur de Petro : *Passus autem cum Paulo die* III *Kalendas Julias, Coss, suprascriptis imperante Nerone* ; et auctor secundi Catalogi ex priori habeat : *Hic martyrio cum Paulo coronatur...* adjungit tamen *qui et sepultus est via Aurelia in templo Apollinis juxta locum ubi crucifixus est, juxta palatium Neronianum in Vaticano inter Zeturium triumphale* III *Kal. Junias.* Quæ aliunde desumpta sunt, et errorem continent circa Kalend. Junii, cum legendum sit III *Kal. Julias.* Idem probatur ex Actis quæ prior Catalogus in Pio refert his verbis : *Sub hujus episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit in quo mandatum continetur quod ei præcepit angelus, cum venit ad eum in habitu pastoris.* Quæ verba omnino transcripsit auctor secundi Catalogi, adjungens tamen : *et præcepit ei ut sanctum Pascha die Dominica celebraretur.* Quæ aliunde quoque desumpsit. Confirmatur etiam ex iis quæ prior Catalogus exhibet in Pontiano : *Eo tempore Pontianus episcopus, et Hyppolitus presbyter, exsules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintino consulibus. In eadem insula discinctus est* IV *Kalendas Octobris, et loco ejus ordinatus est Anteros* XI *Kalendas Decembris consulibus suprascriptis.* Quæ auctor secundi Catalogi partim descripsit, partim aliis verbis retulit, partim omisit. Sic enim habet in Pontiano : *Eodem tempore Pontianus episcopus et Hippolytus presbyter exsilio sunt deportati ab Alexandro in Sardiniam insulam Bucinam, Severo et Quintiano Coss.: in eadem insula afflictus, fustibus maceratus, defunctus est* III *Kal. Novembris.* Ubi licet pleraque sint ex priori Catalogo descripta, adjuncta tamen sunt nomen Alexandri imperatoris, et modus quo martyrium subiit ; mutatum quoque est nomen loci, et dies XI Kal. Decembris in diem III Kal. Novembris commutatus. Quibus accedit quod auctor secundi Catalogi sub Pontiano nullam mentionem faciat Antheri ; unde facile apparet auctorem secundi Catalogi Acta quidem nonnulla ex antiquiori Catalogo descripsisse, non tamen eum in omnibus fuisse secutum, sed aliunde quoque ea desumpsisse.

10. Confirmari hæc possunt ex iis quæ auctor prioris Catalogi habet in Fabiano, Cornelio et Lucio summis pontificibus : nam quæ refert in Fabiano, partim descripsit, partim omisit auctor secundi Catalogi. Quæ prior Catalogus exhibet in Cornelio, secundus Catalogus plane omisit, et ne verbum quidem ex iis retulit. Quæ auctor prioris Catalogi refert in Lucio, auctor secundi fere omnia verbatim descripsit, ut conferenti utrumque hunc Catalogum manifeste patebit. Præter hæc autem acta habet antiquior Catalogus in Marcellino : *Quo tempore fuit persecutio, et cessavit episcopatus ann.* VII, *mens.* VI, *dieb.* XXV. Quæ secundus Catalogus sic refert : *Quo tempore fuit persecutio magna..... et cessavit episcopatus annos sex, menses sex, dies viginti quinque, persequente Diocletiano Christianos.* In quibus verbis, quæ ad persecutionem spectant, ex priori Catalogo descripta sunt ; quæ ad annos sedis vacantis pertinent, mutata sunt ; quæ ad persecutoris nomen faciunt, aliunde desumpta sunt Sequuntur demum nonnulla acta in Julio primo, cujus ædificia sacra auctor prioris Catalogi recenset, quorum ne verbum quidem in secundo Catalogo. Unde satis

superque ex Actis ipsis confirmatum esse putamus, quod probandum suscepimus, auctorem secundi Catalogi Acta quidem nonnulla ex priori Catalogo descripsisse, licitum tamen sibi existimasse, iis quandoque omissis, aliunde Acta desumere, quæ quamplurima in singulis pontificibus refert.

11. Adducit enim complura, ex antiquis sanctorum Actis desumpta, quorum aliqua licet non iis ipsis temporibus conscripta sint quibus contigerunt, sæculo tamen sexto antiquiora sunt omnia, et plerumque ex proconsularibus martyrum gestis et veris sanctorum Actis deducta videntur. Sic dicendum de iis quæ auctor hujus Catalogi tradit in Alexandro I de Eventio et Theodulo ; quæ de Valeriano S. Cæciliæ sponso refert in Urbano ; quæ de B. Lucina tradit in Cornelio ; quæ de B. Laurentio narrat in Xysto, cujus martyrii Acta D. Ambrosii temporibus reperiebantur. Nec sola martyrum Acta sed statuta quoque pro disciplima Ecclesiæ edita exhibet auctor in singulis pontificibus : refert enim in Lino quod statuerit ut mulier in ecclesia velato capite introiret ; in Xysto, quod constituerit ut ministeria sacra non tangerentur, nisi a ministris ; in Aniceto, quod jusserit ne clericus comam nutriret : in Victore, quod statuerit ut pascha die Dominico celebraretur : in Lucio, quod præceperit ut duo presbyteri, et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent ; et sic in aliis pontificibus quæ nimis longum esset singula enumerare, et facile videri possunt in ipso Catalogo, ex quo hoc unum duntaxat adjungam quod in singulis pontificibus referat quot ordinationes fecerint, et quot episcopos, sacerdotes, ac diaconos consecrarint, incipiendo a Clemente I, in quo refert : *Hic fecit ordinationes tres, presbyteros* 10, *diaconos* 2, *episcopos per diversa loca* 5. In Evaristo : *Hic fecit ordinationes quator, presbyteros* 17, *diaconos* 9, *episcopos per diversa loca* 15 ; et ita in aliis pontificibus uusque ad Hormisdam, in quo auctor non adnotat numerum ordinationum, diaconorum, sacerdotum vel episcoporum, sed simpliciter refert : *Hic fecit ordinationes, presbyteros, episcopos per loca.* Et in Joanne Hormisdæ successore : *Hic ordinationes fecit per loca.* In Felice autem, Joannis successore, in quo Catalogus desinit rursus habet numerum his verbis : *Hic fecit ordinationes duas, presbyteros quinquaginta quinque, diaconos quatuor, episcopos per loca viginti novem.* Ex quibus colligo auctorem ex aliquo Romanæ Ecclesiæ regesto aut monimento ante Hormisdæ tempora conscripto desumpsisse notitiam ordinationum ; ideo autem neque in Hormisda, neque in Joanne, sed solum in Felice IV adnotasse, quia desidente regesto aut monimento, non habebat aliam hac de re notitiam quam quæ tempore Felicis quarti, sub quo vivebat, ad aures suas pervenerat.

12. Atque hæc quidem sufficiant de secundo Catalogo, de quo, quia sequentibus capitibus multa alia observabimus, hoc loco inquirendum restat a quonam auctore hic catalogus et ubinam compositus fuerit. Ac de nomine auctoris nihil mihi compertum est, cum Catalogus scriptus sit sexto sæculo, quo nemo e veteribus Acta Romanorum pontificum collegisse memoratur. Quantum tamen ex Actis ipsis colligi videtur, auctor Romæ floruit, et archivo apostolico forsan præpositus fuit. Quod enim auctor Romæ scripserit, indicat magna rerum Urbis et agri Romani notitia quam habuit. Omnia cœmeteria, etiam quam longissime ab Urbe sita, omnia sepulcra martyrum, etiam in cryptis et cavernis posita, omnes ecclesias et regiones Urbis, omnes reliquias et titulos, omnes vias viarumque distantias, cætera demum omnia perspecta habuit. Quod autem archivo apostolico forsam præfectus fuerit, deduci videtur ex iis quæ habet de Leone Magno : *Hic fecit epistolas multas exponens fidem catholicam rectam, quæ hodie archivo Ecclesiæ Romanæ tenentur.* Et ex actis Hormisdæ, in quibus auctor refert, ex mandato Justini omnes episcopos libello catholicæ fidei subscripsisse : *Qui textus libelli,* inquit, *hodie archivo reconditus tenetur.* Quomodo enim auctor Romanum archivum citasset, nisi illud vidisset eique forsan præpositus fuisset. Illa sane quæ de singulorum pontificum decretis, de eorum gestis, de episcoporum, presbyterorum et diaconorum ordinationibus ubique affirmat, clare indicant auctorem ea omnia ex regestis archivi desumpsisse, adeo ut, si sedis apostolicæ bibliothecarius non fuerit, accessum ad bibliothecam pontificiam habuisse censendus sit.

CAPUT V.

De Libro Pontificali.

I. Liber Pontificalis primum a Petro Crabbe tomis Conciliorum insertus, sæpius deinde a Baronio citatus in Annalibus, typis demum Moguntiæ anno 1602 integre excusus est. — II. Post Moguntinam editionem prodiit Parisiensis Annalibus Fabrotti, qui ei variantes lectiones ex quinque mss. codicibus subjecit, quorum duo in Bibliothecis Germaniæ, tres in Galliarum bibliothecis exstant. — III. Opus, quod Annibal Fabrottus se incorrectum reliquisse fatetur, Lucas Holstenius ex codicibus Vaticanis, Regiis, Medicæis, Cassinensibus, et Farnesiano omnium antiquissimo corrigendum suscepit : ejusque verba de mss. codicibus, quibus usus est, afferuntur. — IV. Ex codice Farnesiano adducitur fragmentum vitæ Sergii II, hactenus ineditum, et variantes lectiones ex autographo Holstenii exhibentur. — V. In Libro Pontificali additæ sunt complures donationes piæ, basilicis Urbis factæ. — VI. Complura quoque martyrum Acta, inter quæ licet nonnulla ex monumentis dubiis desumpta sint, illa tamen ab antiquiori ævo, et quandoque a primis Ecclesiæ sæculis extitisse constat. — VII. Acta pontificum a Petro apostolo usque ad Constantinum papam breviora, a Constantino usque ad Stephanum sextum ampliora sunt, adeo ut totam ferme historiam ecclesiasticam comprehendant.

1. Postquam egimus de duobus antiquioribus Catalogis Romanorum pontificum, restat ut de Libro Pontificali tractemus, quem primus ex mss. codicibus eruisse videtur Petrus Crabbe, qui eum editioni Conciliorum Coloniensi anni 1538 inseruit hoc titulo : *Liber Pontificum a Petro papa usque ad Nicolaum papam I, in quo eorum gesta describuntur, primorum per Damasum papam, reliquorum autem per alios veteres ac fide dignos.* Vitas primorum pontificum a Petro usque ad Liberium citat ex Libro Pontificali

Damasi, reliquorum vero a Damaso usque ad Leonem tertium cita *ex Libro Pontificali*. Cujus vestigiis inhærentes Laurentius Surius, et qui Surium subsecuti sunt, Conciliorum compilatores, Romanorum pontificum Vitas sparsim collectioni Conciliorum inseruerunt, uti et Annalibus plura Libri Pontificalis fragmenta inseruit Baronius, qui cum ex mss. codicibus libri istius lectiones frequenter emendasset, occasionem præbuit auctori præfationis, quæ libri hujus editioni Moguntinæ anno 1602 typis Joannis Albini publici juris factæ præponitur, asserendi : « Quod variæ lectiones vel ex duobus Conciliorum tomis Surianæ editionis, vel ex Annalibus Baronianis, in quibus verba Anastasii passim in singulis pontificibus, paucis prætermissis, citantur, sunt desumptæ. » Porro Anastasii mentionem facit, quia sub nomine illius Librum Pontificalem ediderat, hoc illi præfixo titulo : *Anastasii S. R. E. bibliothecarii Historia de Vitis Romanorum pontificum a Petro apostolo usque ad Nicolaum I, nunquam hactenus typis excusa. Deinde Vita Adriani II et Stephani IV, auctore Guillelmo bibliothecario ex bibliotheca Marci Velseri Augustanæ R. P. II. viri.*

2. Quod si quisquam petat qua ratione editio Moguntina anni 1602 vocetur prima hujus Libri Pontificalis editio, cum ante tot annos eum edidisset Crabbe in editione Conciliorum Coloniensi, facilis est hujus quæstionis responsio, quod nimirum Crabbe hunc Librum Pontificalem neque integrum, neque uno et continuo contextu edidisset, prout ex ms. codice Marci Velseri triumviri Augustani prodiit, addito nomine auctoris, qui Anastasius Bibliothecarius supponitur, sub quo nomine Annibal Fabrottus anno 1648 in fol. typis regiis eumdem Librum Pontificalem edidit cum plerisque variis lectionibus, quas ex variis mss. codicibus desumptas operi subjecit. Ac primo quidem ex binis mss. codicibus Marquardi Freheri, quorum alter in Leone IV, alter in Stephano VI, desinit. Deinde adjungit alias variantes lectiones ex duobus codicibus, regio nimirum et Mazarino, quorum ultimus hunc titulum præfert : *Incipit Series Pontificum Romanorum, qui in sede B. Petri apostoli ab ipso usque ad hoc tempus sederunt.* Refert autem inter alia ex his duobus codicibus in Sylvestro fragmentum donationis Constantini satis amplum, quod in nullis aliis Libri Pontificalis codicibus hucusque reperi. Unde conjeci librum in illis codicibus interpolatum esse, eosque recentiori manu conscriptos fuisse ; qua in re confirmatus sum ex iis quæ Annibal Fabrottus adnotavit circa finem harum lectionum de Romanorum pontificum Vitis, quas continent *usque ad Martinum V*. Antiquior proinde est codex Thuanus, cujus variantes lectiones prædictis subjecit cum hoc codicis titulo : *Incipit liber Episcopalis, in quo continentur Acta B. Pontificum Urbis Romæ*. Mutilus est et desinit in Stephano IV, ut Annibal Fabrottus fatetur in fine, præfatus initio operum Anastasii, hunc Librum Pontificalem mendis scatere. « Auctorem hunc mendis scatere non inficior, inquit, et fortasse præstabat paucorum eum manibus teri, quam denuo cum tot mendis prodire. Sed omnino melius est, etiam inemendatis auctoribus frui, quam eis penitus carere. Interim dum melior editio curetur, varias lectiones ex tribus codicibus veteribus excerptas adjecimus, quorum ope sine dubio castigatior editio poterit adornari. Usi autem sumus regio codice, et Mazarino, quo Gabriel Naudeus, præcellentis doctrinæ vir, eminentissimi cardinalis bibliothecam auxit. Uterque autem videtur ab eodem exemplari manasse, in paucis enim invicem differunt. Contuli etiam cum codice Thuano, antiquissimo illo quidem, sed scribæ librarii inscitia in multis haud satis emendato. »

3. Cum ex prædictis Annibalis Fabrotti verbis manifeste appareat editiones Libri Pontificalis ad suum usque tempus mendis repletas fuisse, et meliorem editionem ex mss. codicibus curari posse, curam hanc in se susceperat vir doctissimus, prædecessor quondam meus, Lucas Holstenius, qui Anastasii historiam de Vitis Romanorum pontificum editionis Moguntinæ cum præstantissimis totius Italiæ mss. codicibus contulit, ut illam correctionem emendationemque ederet. Autographum Holstenii ex libris Moroni emptum in bibliotheca Vaticana reposui, in cujus primo folio manu Holstenii adnotata sunt sequentia : « De mss. codicibus, ad quos Anastasium contulimus. Quæ a principio libri usque ad paginam 53 atramento notata sunt in margine, variæ lectiones sunt ex codice ms. Vaticano, qui fuit sacri monasterii Casinensis, vel ex sanctuario Mombritii, vel etiam collectione Canonum Anselmi Lucensis, quæ manuscripta exstat in bibliotheca eminentissimi cardinalis Barberini. Quæ minio notata a principio usque ad eamdem paginam 53, sunt variæ lectiones optimi codicis manuscripti Florentini, ex bibliotheca conventus S. Marci. Inde pagina 54 incipiunt collationes ms. Farnesiani scriptis litteris majusculis, quo nihil antiquius exstare puto in hoc genere, et codex haud dubie ante natum Anastasium scriptus fuit, vel sane eo tempore quo ipse Anastasius vixit. Et quia collationes Farnesiani codicis minio scriptæ sunt usque ad paginam 63, hoc est usque ad Bonifacium IV, idcirco ad distinguendum codicum diversorum lectiones, a pagina 54 usque ad 64 collationes Codicis Florentini atramento notavi. Inde a pagina 63 usque ad 72... ad Vitam S. Eugenii, Farnesianæ collationes atramento, Florentinæ minio notatæ sunt. Iterum a pagina 72 usque ad paginam 107, ubi incipit Vita Zachariæ PP., Farnesiana minio, Florentiniana atramento collata sunt. Pag. 107 Vita Zachariæ in Farnesiano desideratur, collationes ex Florentino codice minio notatæ sunt usque ad paginam 115, ubi Farnesianus iterum incipit. Ubi iterum Florentinæ lectiones atramento notantur usque ad paginam 136, inde rubro usque ad mediam paginam 138. Inde enim iterum atramento notantur usque ad principium paginæ 143, nam inde usque ad paginam 158 Florentini codicis lectiones signantur rubro, atque ibi

in Vita Adriani desinit. Habui deinde alium codicem manuscriptum Longobardicum antiquissimum, ex eadem bibliotheca conventus S. Marci, multo vetustiorem priore, ejus lectiones atramento notavi, ubi cum Farnesiano et Florentino convenit, lectiones dictorum codicum linea nigra subduxi, qua hujus optimi codicis consensus notatur : sed ubi peculiare quid habet, atramento signavi, opposita nota Fl. 2, hoc est Florentinus codex 2. Desinit nutem codex iste in Leone II, pag. 80. Præterea mutilus est a pag. 47 usque ad pag. 58. Cum hoc codice Florentino 2 in omnibus ferme consentit cod. Vatic. 5269, qui desinit in Gregorio II. Hujus codicis notæ sunt Vatic. minor. vel V. M. »

4. Fideliter hucusque retuli quæ Lucas Holstenius initio adnotavit, ex quo nemo non videt quam immensi laboris opus vir æterna memoria dignus ex præstantissimis Vaticanæ, Regiæ, S. Marci Florentinæ, Casinensis, et Farnesianæ bibliothecarum codicibus inchoaverit, et morte præventus nobis imperfectum reliquerit, ex quo, ne tantus labor pereat, post hanc dissertationem Librum Pontificalem a B. Petro usque ad Felicem quartum edemus, cætera relinquentes iis qui integro Libro Pontificali edendo animum intendunt. Sunt enim complures post Felicem quartum lectiones, quæ ad corrigendum opus illud facere possunt. Sunt etiam quædam fragmenta in Vita Sergii secundi, quæ ex antiquissimo codice Farnesiano in fine retulit, ex quibus pro specimine sequentia referimus. In Vita namque Sergii II, post illa verba : « Quod nullus pontificum per tot annorum curricula ad tanti decoris speciem perducere arbitratus est. » Sequitur in ms. Farnesiano : « Hic sanctissimus præsul formam, quæ Jovia vocatur, quæ per evoluta annorum spatia demolita atque a ruinis plena existebat, prospiciens, sicut benignus et pius pastor a noviter eam restauravit : et tanta aqua abundanter præfulsit, qua pene totam civitatem satiavit. Hujus temporibus fluvius, qui appellatur Tiberis, alveum suum egressus est et per campestria dedit. Intimuit etiam inundatione aquarum multarum per indict. octavam mensis Novembris die XXII, quod agebatur Sabbatum Natalis sanctæ Cæciliæ martyris, et ingressus est per posterulam quæ appellatur Sanctæ Agathæ, in Romanam urbem, hora prima diei. Transcendit interea in aliquibus locis, et muros Urbis, et egressus est in eccelesiam B. Laurentii, quæ appellatur Lucinæ, et exinde ingressus est ad Beatam semperque Virginem Dei Genitricem, quæ posita est in via Lata : et inde transivit ad Beatum Marcum, per plateas se extendit, agros desertavit, eradicans arbusta. Hujus hora noctis aquam amovit, et fluvius ad proprium suum regressus est alveum, » etc.

5. Atque ex his quidem patet quo in pretio habendæ sint variæ illæ lectiones et fragmenta ex mss. codicibus a Luca Holstenio exerpta ; cumque omnia edere ad institutum nostrum minime pertineant, a reliquis recensendis abstinebimus, et ad ipsum Librum Pontificalem redeuntes nonnulla observabimus quæ ad rem nostram magis faciunt. Ac illud in primis notatu dignum ducimus, Librum Pontificalem ultra pontificum Acta a secundo catalogo exhibita continere quamplura alia, ut inter alia videre est in Clemente, Cornelio et Marcello pontificibus. Quæ autem in Sylvestro adduntur, longe clarius monstrant id quod probandum suscepimus. Acta enim S. Sylvestri sunt triplo ampliora, quam illa quæ exhibentur a secundo catalogo. Consistunt autem præcipue in donationibus piis, quas Constantinus fecit pro Urbis et agri suburbani ecclesiis. Post Sylvestrum frequenter addita sunt ab auctore Libri Pontificalis, quæ a pontificibus Romanis oblata sunt Urbis ecclesiis et basilicis. Sic in Damaso papa, Innocentio, Bonifacio I, Sixto III, Leone I, Hilaro, Simplicio, Symmacho et reliquis pontificibus eorumdem successoribus, ut quisque ex ipso Libro Pontificali facile videbit.

6. Præter donationes vero in Libro Pontificali continentur plura martyrum Acta, inter quæ licet nonnulla suppositicia sint, antiqua tamen et primis Ecclesiæ sæculis conscripta videntur. Sic in Clemente citatur quidem epistola ejus ad Jacobum, illa tamen, licet Clementis non sit, ei ante Eusebii tempora tributa fuit. In Marcellino mentio fit ejus lapsus et pœnitentiæ, quæ quamvis desumpta sint ex Actis antiquissimis concilii Sinvessani, Acta tamen illa ante Isidori Mercatoris ætatem concinnata fuerunt. In Eusebio mentio fit inventionis sanctæ crucis opera Cyriaci Judæi, quæ licet desumpta sint ex Actis a Gelasio papa rejectis, Gelasii tamen ætate antiquiora sunt. Pauca quædam alia narrantur de pontificum martyriis, quæ licet ex Actis interpolatis excerpta sint, Acta tamen semper reperientur ab antiquioris ævi auctoribus conscripta fuisse, ut quæ de Pontii aliorumque nonnullorum martyrum Actis superius adducta sunt. Reliqua omnia ex sinceris et minime interpolatis martyrum Actis, vel ex publicis notariorum sedis apostolicæ tabulis, vel ex probatorum scriptorum operibus desumpta sunt.

7. Omitto Acta ipsa Romanorum pontificum, in quibus a Petro apostolo usque ad Constantinum papam recensendis auctor Libri Pontificalis breviter se expedire solet. A Constantino autem papa usque ad Stephanum sextum adeo diffusus est, ut merito dici possit, totam historiam ecclesiasticam sub istorum pontificum Vitis comprehendisse : exhibet enim quæcunque Romæ, quæcunque in Italia, quæcunque in Europa et Oriente ipso acta sunt in rebus ecclesiasticis ab imperatoribus. Sic in Constantino narrantur quæ Constantinopoli contigerunt. Sub Justiniano et Philippico, in Gregorio secundo, quæ contra Agarenos, in Hispania a Gallis ; Constantinopoli a Leone principe peracta sunt. Describit Longobardorum invasiones, Francorum pro Ecclesia bella, aliaque quamplurima, quæ vix alibi reperire est adeo exacte, adeo clare descripta. Desinit in Stephano sexto cum illis verbis : *Eos de cœlo auxilium petere debere contra flagellum imminens, et mox læta.* Cætera

desiderantur : unde patet Vitam hanc esse mutilam, et aliquid desiderari in Libro Pontificali quod ex integriori exemplari suppleri poterit.

CAPUT VI.

An Liber Pontificalis a Damaso papa conscriptus sit ?

I. Duæ epistolæ Damasi papæ et Hieronymi presbyteri in mss. codicibus Libro Pontificali præpositæ sunt. Unde a nonnullis Liber Pontificalis Damaso papæ tribuitur. — II. Damasum non esse auctorem Libri Pontificalis, D. Hieronymi auctoritate ostenditur, et ex omnibus scriptorum testimoniis comprobatur, qui post Bedam Librum Pontificalem sine ulla Damasi mentione citarunt. — III. Adducuntur S. Ancelmi Lucensis et card. Deusdedit loca ex gestis Damasi citata, quæ tamen non ex Libro Pontificali Damaso papæ tributo, sed ex specialibus Damasi gestis per Monbritium editis desumpta sunt, et nihil faciunt ad præsentem quæstionem. — IV. Neque mss. codices Vaticani, quibus Liber Pontificalis continetur, Damasum auctorem habere potuerunt, eo quod plurium Damasi successorum vitas contineant, unde tertii codicis scriptor expresse notavit, Damasum non potuisse nisi usque ad sua tempora scribere. — V. Petri Lambecii sententia affertur de priori Libri Pontificalis parte a notariis apostolicæ sedis, diversis quidem temporibus, sed eodem stylo conscripta, et a Damaso papa in tabulis Vaticanis reperta ac ad Hieronymum transmissa. — VI. Lambecii sententia examinatur, et ostenditur, quod notariis apostolicæ sedis tanquam auctoribus prior Libri Pontificalis pars tribui non possit. — VII. Neque a Damaso papa probata fuit, ut ex pluribus, quibus scatet, erroribus, et ex styli ruditate ac uniformitate a Petro usque ad eos qui septimo sæculo sederunt monstratur.

1. Cum superiori capite monstraverimus antiquiorem Catalogum non esse illum cujus mentio in epistolis Hieronymi et Damasi papæ reperitur, inquirendum est hoc capite an forsan de Libro Pontificali in prædictis litteris agatur. Rationem dubitandi præbent plerique codices manuscripti, in quibus hæ duæ epistolæ Libro Pontificali præponuntur. Sic libro II Commentariorum testatur Lambecius, quod sub numero 277 asservetur in bibliotheca Cæsarea « volumen membranaceum pervetustum, magnique pretii in 4, quo continetur historia Romanorum pontificum, quæ vulgo quidem Anastasio bibliothecario tribuitur, in hoc autem et aliis quatuor bibliothecæ Cæsareæ codicibus mss. ascribitur S. Damaso papæ, nempe propter præfationis loco illi præfixas epistolas, quarum una incipit : *Beatissimo papæ Damaso Hieronymus. Gloriam sanctitatis tuæ nostra humilitas deprecatur.* Et secunda : *Damasus episcopus urbis Romæ Hieronymo : Gaudet Ecclesia tuo fonte satiata.* Propter has igitur duas epistolas, pergit ibidem Lambecius, quæ non solum in jam memoratis augustissimæ bibliothecæ Cæsareæ, verum etiam aliarum illustrium bibliothecarum codicibus quibusdam mss. historiæ isti de Vitis pontificum Romanorum præfixæ sunt, creditum a nonnullis est omnium illarum Vitarum, quæ eo opere continentur a S. Petro apostolorum principe usque ad sanctum Damasum, ipsum sanctum Damasum esse auctorem. »

2. Quamvis autem Lambecius hanc quorumdam opinionem proponat, recte tamen observat complures illi contradicere tum ob alias rationes, tum ob eam præcipue quod D. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis opera Damasi papæ recensens, nullam Libri Pontificalis mentionem faciat : « Damasus, inquit, Romanæ Urbis episcopus, elegans in versibus componendis ingenium habuit, multaque et brevia opuscula heroico metro edidit, et prope octogenarius sub Theodosio principe mortuus est. » Huc etiam accedit quod nemo Librum Pontificalem Damaso tribuerit ex omnibus illis qui eum citarunt a Venerabilis Bedæ temporibus usque ad posteriora hæc sæcula. Ut enim omittamus tempora quæ inter Damasum papam et Venerabilem Bedam media sunt, quibus apud nullos scriptores Libri Pontificalis mentio reperitur, Beda primus, quod sciam, mortalium, citavit in Martyrologio suo ad VIII Idus Augusti nonnulla de morte Sixti *ex Gestis pontificalibus,* quæ nec Damaso, nec alicui particulari auctori tribuit. Hincmarus archiepiscopus Rhemensis, qui sæculo nono scripsit, epistola 28, ad Nicolaum primum, hujus libri sub titulo *Libri episcopalis* meminit, quem nulli plane auctori ascribit. Rodulphus presbyter, qui eodem tempore cum Hincmaro Rhemensi vixit, in vita Rabani abbatis, per Browerum lib. III inter Antiquitates Fuldenses edita, quædam de reliquiis sanctorum *ex Gestis pontificalibus* citavit, sed nequaquam ea Damaso tribuenda esse dixit. S. Ivo Carnotensis Episcopus sæpius parte IV Decreti Librum Pontificalem citat, sed nullibi eum a Damaso auctore conscriptum fuisse prodit. Titulus capitis 94 est iste : *De libris Gelassi ex Libro Pontificali.* Titulus capitis 124 : *Item de confirmatione sextæ synodi ex Libro Pontificali.* Romualdus, qui a Luca Holstenio presbyter, ab aliis Salernitanus episcopus dicitur, in Historia, quæ manuscripta Romæ asservatur, hunc librum simpliciter *Pontificalem* vocat ; *Ut,* inquit pagina 80, *in pontificali legitur.* Et ut finiam, Laborans cardinalis in compilatione decretorum hactenus non edita, quæ in archivo basilicæ principis apostolorum de Urbe, cui hæc scribens præpositus sum, reperitur, bis mentionem facit hujus libri, cui titulum *Gestorum pontificalium* tribuit : parte enim II, cap. 10, Gesta pontificalia citat, et parte XI, cap. 6, *ex Gestis Romanorum pontificum Agatho natione Siculus,* etc. Ubi videre licet Laborantem cardinalem nulli auctori tribuisse librum quo Gesta Romanorum pontificum continentur.

3. Ea Damaso papæ tributa esse a S. Anselmo Lucensi, aliquandiu credidi, eo quod libro tertio Decreti, quod manuscriptum reperitur in bibliotheca Barberina legatur : « De Liberio papa et admonitione ejus : ex gestis Damasi papæ tit. 120. Iratus est vehementer Constantius imperator contra Liberium, et jussit eum extra civitatem habitare. Habitabat autem ab urbe Roma milliario tertio quasi exsul in cœmiterio..... via Salaria. Veniente autem die Paschæ vocavit universos presbyteros Romanos et diaconos, et sedit in eodem cœmiterio, et dixit : Nolite timere, quia vobiscum non habito in civitate, habetis vicarium nostrum fratrem et compresbyterum Damasum, cujus testimonium vos mihi perhibuistis. » Et paulo post : « Domini sancti et compre-

sbyteri, nolite cogitare de crastino, sic enim dixit magister noster. » Eadem omnino habet cardinalis Deusdedit in manuscripta Collectione Victori III nuncupata, cujus unicum, ut puto, exemplar in bibliotheca Vaticana asservatur. Libro enim II, capite 26, cum in margine auctor collectionis notasset : *ex gestis Damasi papæ,* ponit textum ut Anselmus Lucensis his verbis : *Liberio vehementer Constantius imperatore iratus est ; et jussit eum extra civitatem habitare,* etc. Hæc enim cum primo intuitu legissem, credidi a duobus his scriptoribus ex Libro Pontificali testimonium afferri, illumque librum Damaso papæ ab ipsis tribui. Verum ubi prædictum testimonium in Libro Pontificali nullatenus reperi, errorem meum animadverti, et nequaquam hic Librum Pontificalem, sed Vitam, seu gesta Damasi papæ, quæ a Mombritio ex antiquis mss. codicibus edita sunt, citari cognovi. Non tribuit itaque beatus Anselmus gesta Romanorum pontificum Damaso papæ, et Librum Pontificalem ibi non citavit, idque manifestum fit ex titulo 121 : *De exsilio Liberii papæ, et Felice ejus consilio ordinato ex Pontificali.* Testimonium enim quod hac de re exhibet, in Libro Pontificali reperitur, quem ut ex titulis ipsis apparet, a gestis Damasi distinguit, prout etiam distinxit cardinalis Deusdedit, qui libro II, num. 75, *ex Romano Pontificali* plura pontificum decreta refert, quæ omnia in Libro Pontificali reperiuntur, quem nequaquam Damaso tribuendum esse affirmat.

4. Cum ex prædictis sufficienter constet ab antiquis scriptoribus Librum Pontificalem nequaquam Damaso papæ tributum fuisse, videndum nunc est de manuscriptis ejusdem libri codicibus, an in iis liber ille Damaso scribatur. Reperiuntur in bibliotheca Vaticana tria hujus libri exemplaria, quorum alterum sub numero 3762 custoditur. Ubi exhibitis folio 1 supra citatis Damasi et Hieronymi epistolis, subnectitur hic titulus : *In nomine Domini incipit series pontificum Romanorum, qui in sede B. Petri apostoli ab ipso usque ad hoc tempus sederunt.* Exhibet autem Vitas usque ad Honorium III, qui anno 1131 decessit, ita ut hic pontifices reperientur qui per 700 annos post mortem Damasi sederunt, adeoque Damasus nequaquam hujus Libri Pontificalis auctor esse possit. Secundum exemplar sub num. 5269, pagina 49, post prædictas litteras, refert Catalogum Romanorum pontificum a Petro usque ad Gregorium II, illorumque Vitas sine ullo titulo subnectit, quia optime cognoverat tabellarius Damasum auctorem esse non potuisse Pontificalis hujus Libri, qui tot pontifices a morte Damasi usque ad Gregorium secundum adjungit. Tertium autem exemplar sub num. 3763 Romanorum pontificum Vitas a Petro ad Martinum quintum prosequitur, ac folio primo quidem duas præfatas epistolas ponit, sed hoc titulo eis præfixo : *Liber iste intitulatur* : Damasus de Gestis Pontificum : *sed cum non potuerit nisi usque ad sua tempora scribere, quod superadditum est, alterius est auctoris, cujus nomen non teneo.* Notanda sunt codicis verba : licet enim auctor illius manifeste affirmet Librum Pontificalem, quo Vitæ Romanorum pontificum a Damaso usque ad Martinum V continentur, Damaso papæ ascribi non posse, indicare tamen videtur Vitas pontificum a D. Petro usque ad Liberium Damasi prædecessorem a Damaso ipso fuisse conscriptas. Quam opinionem quodammodo amplexus est Petrus Lambecius libro II Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ, capite 8, ubi sub numero 277 mentem suam explicat sequentibus verbis :

5. « Verisimile, inquit, mihi videtur, primam historiæ istius de Vitis pontificum Romanorum originem non tantum S. Damaso multo esse antiquiorem, verum etiam inde a prima notariorum S. sedis apostolicæ per S. papam Clementem institutione derivandam et repetendam esse. Cum enim horum notariorum præcipuum munus fuerit gesta sanctorum martyrum sollicite et curiose perquirere, et diligenter adnotata in Ecclesia recondere ; simul etiam tunc necessario cœperunt scribi Vitæ Romanorum pontificum instar simplicis alicujus Catalogi, quo compendiose indicaretur cujusque nomen, patria, pater, tempus pontificatus, ordinationes, constitutiones, obitus ac sepultura, et cessatio episcopatus usque ad successionem novi pontificis. Post libertatem autem Ecclesiæ Christianæ, ab imperatore Constantino Magno promulgatam, uti paulatim crevit Ecclesiæ Romanæ splendor et opulentia, sic etiam Catalogus ille evasit amplior et grandior. Quoniam præter supra enarrata inseri etiam illi cœperunt, quasi cuidam rationario, exstructiones, instaurationes et exornationes templorum aliorumque locorum sacrorum una cum speciali recensione omnis sacræ supellectilis, omniumque donationum tam mobilium quam immobilium, cum suis redditibus. Hic ergo Catalogus, qui licet diversis temporibus et a diversis auctoribus componeretur, ordine tamen et stylo, ut in aliarum solemnium tabularum continuatione plerumque fieri solet, ubique sibi erat similis, latuit reconditus in tabulario, sive archivo basilicæ Vaticanæ S. Petri apostolorum principis usque ad pontificatum S. Damasi, a quo cum S. Hieronymus per supra exhibitam epistolam petiisset ut acta pontificum Romanorum a S. Petro usque ad sua tempora sibi enarraret, curavit is antiquam istam historiam pontificalem ex tabulis Vaticanis describi, et Roma mitti Hierosolymam, ideoque eam in responso suo ad S. Hieronymi epistolam non appellat studium suum, sed sedis apostolicæ studium. Sic enim revera interpretanda sunt hæc verba : *Tamen, quod gestum est, quod potuimus reperire nostræ sedis studium, ad tuam charitatem gaudentes direximus.* Ipse igitur S. Damasus non composuit historiam illam pontificum Romanorum, sed studio sanctæ sedis apostolicæ inde a S. Clementis primi temporibus ex diversorum adnotationibus paulatim conflatam, publici tantum fecit juris, et cum sancto Hieronymo communicavit. »

6. Plura sunt in hac Lambecii sententia quæ ad

trutinam revocari merentur, ut de auctore Libri Pontificalis manifeste constare possit. Quamvis enim Lambecius vere asserat primam historiæ de Vitis Romanorum pontificum originem S. Damaso multo esse antiquiorem, et a notariorum S. sedis apostolicæ institutione derivandam repetendamque esse, probare tamen non possum quod subjungit his verbis: « Cum enim horum notariorum præcipuum munus fuerit gesta sanctorum martyrum sollicite et curiose perquirere, et diligenter adnotata in Ecclesia recondere, simul etiam tunc necessario cœperunt scribi Vitæ Romanorum pontificum instar simplicis alicujus Catalogi, quo compendiose indicaretur cujusque nomen, patria, pater, tempus pontificatus, ordinationes, constitutiones, obitus ac sepultura, et cessatio episcopatus usque ad successionem novi pontificis. » Cum enim, fatente Lambecio, horum notariorum præcipuum munus fuerit gesta sanctorum martyrum sollicite et curiose perquirere, et diligenter adnotata in Ecclesia recondere, sequitur omnino hos notarios præcipuam operam in describendis Romanorum pontificum martyriis impendisse, et Acta illa in Romana Ecclesia reposuisse, adeoque initio Ecclesiæ non simplicem et brevem aliquem Catalogum, sed integram pontificum martyrum historiam exaratam fuisse, quæ sub Diocletiano forsan deperdita fuit, vix enim ejus memoria apud posteros relicta est, apud quos tamen remansit brevis quidam Catalogus Romanorum pontificum, qui non a Damaso, sed ab homine privato tempore Liberii papæ Damasi prædecessoris conscriptus fuit, ut capite præcedenti perspicue ostendimus. Ille autem Catalogus est, et non alius, qui successu temporum variis notitiis auctus fuit, et tempore Justiniani imperatoris in illud opusculum excrevit, de quo sub secundi Catalogi titulo egimus. Probare itaque non possum, quod dicit Lambecius, notariorum Catalogum tempore Constantini magni variis actis et gestis augeri cœpissse, et in archivo basilicæ principis apostolorum de Urbe repositum fuisse, ex quo eum usque ad Liberii pontificatum a variis auctoribus deductum Damasus papa desumpsit et descriptum Roma Hierosolymam ad Hieronymum misit.

7. Sane inter rationes evidentes quas sibi obstare ipse Lambecius cognoverat, prima quidem illa est quod historia ipsa multis chronographiæ erroribus et nonnullis incertis assertionibus referta sit, ut facile probari potest ex iis quæ præcedenti capite de antiquioribus Catalogis diximus, quos auctor Pontificalis adeo manifeste secutus est ut eos descripsisse et in usum suum assumpsisse cognoscatur. Unde eadem ratio, ob quam Anthero priorem partem antiqui Catalogi et Damaso posteriorem adjudicavimus, demonstrat Librum Pontificalem Damaso papæ tanquam auctore vel approbatori adjudicandum esse. Secunda vero ratio, ob quam Lambecii opinionem admittere non possumus, ex stylo ejusque uniformitate desumitur: cum enim stylus incultus, rudis et impolitus sit, primorum Ecclesiæ sæculorum ætatem, qua Latinæ linguæ elegantia excellebat nequaquam sapere videtur, cumque uniformis sit in omnibus pontificum Vitis a S. Petro apostolo, usque ad eos qui sexto vel septimo sæculo sederunt, omnimo colligitur nequaquam a diversis, sed ab uno eodemque auctore, qui posterioribus sæculis vixit scripsitque, fuisse compositum. Atque hoc omnino in causa fuit, quo communi recentiorum sententia Liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario noni sæculi scriptori tributus fuit, ut statim videbimus. Neque igitur licebit mihi admittere, quod Lambecius his verbis adjungit: « Hic ergo Catalogus qui licet diversis temporibus et a diversis auctoribus componeretur, ordine tamen, et stylo, ut in aliarum solemnium tabularum continuatione plerumque fieri solet, ubique sibi erat similis. » Quamvis enim idem omnino stylus servari possit in illis tabulis, quæ vix unum, aut aliud verbum continet, ut in fastis consularibus, in sedium patriarchalium tabulis, Romanorum imperatorum Catalogis, mortuorum diptychis et similibus quibus vix quidquam præter nomina exhibentur, in illis tamen tabulis, quæ ultra nomina pontificum Acta plurima exhibent, ut in Libro Pontificali, vix possibile est a diversis auctoribus eumdem stylum servari, ut cuique perito manifestius patere existimo, quam quod in hac veritate comprobanda tempus teram et lectoribus prolixitate sermonis tædium afferam.

CAPUT VII.

An Liber Pontificalis Anastasio Bibliothecario tribuendus sit?

I. Velseri Bellarmini et Onuphrii Panvinii sententia, quod Liber Pontificalis tribuendus sit Anastasio Bibliothecario. — II. Baronii et Holstenii sententia, qua Liber Pontificalis Anastasio tanquam auctori adjudicatur, tribus modis probari posse videtur. — III. Primo ex eorum testimoniis, qui vel cum Anastasio vel ante eum scripserunt, et tamen sine Anastasii nomine Libri Pontificalis mentionem faciunt, ut Rodulphus presbyter, Hincmarus Rhemensis, auctor libri Ritualis Carolo Magno tributus, et Venerabilis Beda. — IV. Idem confirmatur eorum testimoniis, qui post Anastasium scripserunt, et Librum Pontificalem absque Anastasii mentione citarunt, ut Anselmus Lucensis, cardinalis, Deusdedit, et Ivo Carnotensis, Romualdus, Laborans cardinalis, et Bernardus Papiensis præpositus. — V. Demum ex eo quod licet aliqui priorem partem Damaso papæ, nemo tamen ante hæc ultima sæcula repertus sit, qui posteriorem partem Anastasio tribuerit, ut probatur testimoniis Martini Poloni et Zenonis Patavini episcopi. — VI. Secundo probatur auctoritate mss. codicum, qui antiquitate sua Anastasii ætatem superant, et tamen Librum Pontificalem continent. — VII. Tertio probatur ex diversitate styli, ex qua Lucas Holstenius recte collegit, ultimam Libri Pontificalis partem a diversis auctoribus conscriptam fuisse, adeoque uni Anastasio tribui non posse, quamvis id nonnulli recentiores existimarint.

1. Cum pateat ex iis quæ superiori capite diximus, Librum Pontificalem nequaquam Damaso papæ tribui posse, hoc capite inquirendum est num Anastasio Bibliothecario tribuendus sit. Sic enim habet Marcus Velserus in præfatione ad Librum Pontificalem, quem anno 1602 sub nomine Anastasii Bibliothecarii edidit: « Quia stylus, totaque scribendi ratio, quæ est in Vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis (uti quivis non obesæ naris lector facile

odorari et advertere poterit) prorsus in eam sententiam inclinamus, omnium illarum, licet nonnullis in locis adulterina aliorum adjectione, vel detractione ob summam superiorum sæculorum inscitiam depravatæ sint, verum et germanum parentem esse Anastasium S. R. Ecclesiæ bibliothecarium, quare ejus nomenclatura totum opus ornare non dubitavimus. » Et cum Velsero Bellarminus libro de Scriptoribus in Damaso : « Tribuitur S. Damaso liber de Vitis pontificum, qui exstat in primo tomo Conciliorum ; sed liber ille est Anastasii Bibliothecarii, non Damasi, ut notum est. » Et in Anastasio Bibliothecario : « Scripsit Vitas Pontificum Romanorum a S. Petro usque ad Nicolaum primum. » Et ante Bellarminum Onuphrius Panvinius in notis ad Platinam, in Vita Nicolai primi : « Anastasius monachus, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ bibliothecarius, usque ad Nicolaum primum, Romanorum pontificum Vitas, quæ adhuc apud me sunt, scripsit, sub quo et ejus successoribus Adrian II et Joanne VIII in urbe floruit. Quæ sequuntur, concinnavit Guillelmus quidam alter bibliothecarius, quæ in libro, qui sub Damasi nomine circumfertur, exstant. » Atque hæc quidem viri illi eruditi, quorum sententia a cæteris minime probatur.

2. Eminentissimus namque cardinalis Baronius ad annum Christi 867 agens Anastasio Bibliothecario scribit : « Collectorem potius quam scriptorem Vitarum præteritoru m pontificum Romanorum affirmamus. » Et qui post Baronium scripsit eruditus Holstenius in illo Anastasiani operis exemplari, quod ad præstantissimos codices bibliothecæ Vaticanæ, Regiæ, Mediceæ, Farnesianæ et Casinensis recensuit, agens de hoc Baronii loco, ita in manuscriptis suis notis observat : « Baronius Anastasium collectorem potius quam scriptorem Vitarum pontificum usque ad Nicolaum primum affirmat ad annum Christi 867, num. 139 ; sequentem autem Adriani Vitam ab eo scriptam existimat, et meo quidem judicio rectissime. » Hæc paucis Lucas Holstenius, cujus opinionem firmare licet tribus potissimum rationibus, quarum prima nititur testimonio scriptorum qui vel ante Anastasii tempora Librum Pontificalem citarunt, vel post Anastasii mortem eum nequaquam Anastasio tribuerunt : secunda ex manuscriptorum codicum antiquitate desumitur, utpote ex qua Librum Pontificalem ante Anastasii tempora exstitisse monstratur. Tertia demum ex styli diversitate repetitur, nam ex ea constat plures Vitas a diversis auctoribus Libro Pontificali adjectas esse, adeoque Anastasium collectorem potius quam auctorem ejus fuisse.

3. Ut autem a prima ratione incipiamus, proferenda sunt nonnullorum testimonia qui vel cum Anastasio Bibliothecario vixerunt, vel diu, antequam fuit natus Anastasius, scripserunt. Exstat sane in Annalibus Francorum, editis ex bibliotheca P. Pithœi ad annum 865, mentio Rudolphi Fuldensis cœnobii presbyteri, qui tunc florebat, et pro doctore egregio ac præstantissimo *historiographo* habebatur, quem in charta donationis pro scholasticis Fuldensibus egregie laudat Ludovicus Ludovici Pii frater, rex Germaniæ et Orientalium Francorum. Hic vero Rudolphus in Vita Rabani abbatis, edita a Browero lib. III inter Antiquitates Fuldenses, ita scribit : Theodorus « attulit quoque ossa SS. Agapiti, Januarii, et Magni diaconorum B. Xisti papæ, qui cum eo sub Decio decollati sunt, sicut in Gestis Pontificalibus legitur. » Ubi a Rudolpho presbytero citatur, non quidem Anastasii opus de Vitis pontificum, *sed Gesta pontificalia* ; adeoque colligitur quod Rudolphus, qui eodem tempore cum Anastasio vixit, jam Librum Pontificalem penes se habuerit. Hincmarus quoque Rhemensis archiepiscopus, epistola 26 ad Nicolaum papam, *Libri episcopalis* meminit, qui alius esse non potest quam Pontificalis, ex quo refert tomo II, pag. 305, de Ebbone a Sergio ad synodum evocato. « quod ad eam non convenerit, videlicet sicut superius memoratæ litteræ auctoritatis vestræ demonstrant. Talis a sede apostolica, et papa Sergio habitus, quo lis ab aliis non ignorabatur haberi, id est, ut Codex Episcopalis ostendit, pro criminibus suis honore privatus et ab Ecclesia pulsus. » Et paulo infra : « Sicut sanctus Gelasius de Acacio dicit, qui a sede apostolica damnatus, et non restitutus, licet Anastasius papa, sicut in Libro Episcopali legimus, eum recipere voluerit, vitam finivit. » Quæ ultima de Anastasio secundo habentur in Libro Pontificali, ita ut nullum dubium esse possit quin Hincmarus Rhemensis per Librum episcopalem, Gesta pontificalia intellexerit. His adjungi potest liber ritualis, quem Onuphrius Panvinius (*a*) in notis ms. ad Cencium Camerarium Carolo Magno attribuit, in quo de Purificatione S. Mariæ : « De hac festivitate, et aliis festivitatibus S. Mariæ in Gestis pontificalibus legitur quod Sergius papa præceperit Letanias fieri in die Præsentationis Domini in templo. Ita enim scriptum est, ut in diebus Annuntiationis Domini, Dormitationis, ac Nativitatis S. Dei genitricis Mariæ, et S. Simeonis, quod Hypapante dicitur Græce, cum letaniis exeant a S. Adriano, et ad S. Mariam populus occurrat. » Hæc ibi, quæ non sub Caroli Magni, sed incerti auctoris nomine edita sunt post fragmenta Caroli Magni. Sed quid hæremus in hujus Ritualis testimonio, cum habeamus locum clarissimum Venerabilis Bedæ, qui plus quam centum annis ante Anastasii tempora obiit, et tamen Gesta pontificalia citavit? In Martyrologio enim ad VIII Idus Augusti : « Romæ S. Sixti episcopi. Felicissimi, et Agapiti diaconi, qui decollati sunt sub Decio : decollati sunt cum eo et alii quatuor subdiaconi Januarius, Magnus, Vicentius et Stephanus, ut in Gestis pontificalibus legitur. » Ita Beda in Martyrologio, quod Henschenius ex pluribus antiquis mss. codicibus correctius edidit, et quod in duobus octingentorum annorum mss. codicibus bibliothecæ Palatino-Vaticanæ reperitur. Quare certo constat

(*a*) Cod. ms. Vatic.

quod ante Anastasium Liber Pontificalis temporibus Bedæ jam conscriptus fuerit, et idcirco Anastasius illius auctor esse non possit.

4. Idem confirmatur ex iis auctoribus qui, licet post Anastasium Bibliothecarium scripserint, et Librum Pontificalem citarint, nunquam tamen Anastasii mentionem fecerunt Anselmus Lucensis episcopus sub Gregorio VII, lib. III Decreti cap. 120, agens de exsilio Liberii papæ, et Felice ejus consensu ordinato, librum, ex quo locum desumpsit, citat his verbis: *Ex Pontificali*; et lib. I, cap 77, habet hunc titulum: *De obedientia, ei humilitate, quam rex Pipinus Stephano papæ exhibuit, ex Pontificali.* Ubi nullatenus Anastasii meminit, eo quod Liber Pontificalis Anselmi temporibus nondum Anastasio tributus fuerit. Cardinalis Deusdedit in Collectione Canonum, quam Victori III nuncupavit, lib. II, num. 75, plura de Conone papa citat *ex Romano Pontificali*: ubi Liber Pontificalis vocatur Romanus, quia in eo Romanorum pontificum acta continentur, quæ tamen præfatus cardinalis sine ullo auctoris nomine refert, eo quod liber ille temporibus suis nulli auctori tributus esset. Idem constat ex Ivone Carnotensi episcopo part. IV, cap. 79, ubi habet « Sergium papam, propter quædam capitula extra ritum ecclesiasticum annexa, non subscripsisse synodo, quam Justinianus imperator in regia urbe collegerat. Ex Libro Pontificali. » Ex cap. 94: *de libris Gelasii ex Libro Pontificali.* Ex cap. 124. *Item de confirmatione sextæ synodi, ex Libro Pontificali* Idem plane Romualdus Salernitanus archiepiscopus in Historia ms. Librum Pontificalem his verbis citans: Hic idem (Leo IV) *ut in Pontificali legitur,* invidiose super quibusdam criminibus pulsatus synodum congregavit, et sese juramento innoxium demonstravit. Eodem fere modo intitulat librum illum Laborans cardinalis, qui anno 1182 scripsit, ut ex ejus compilatione, quæ ms. in archivo basilicæ S. Petri asservatur, licet colligere; parte enim II, cap. 10, et parte XI, cap. 6, citat absolute *Gesta Pontificum,* nullumque illorum gestorum auctorem indicat. His accedit Bernardus primum Papiensis præpositus, postea Faventinus episcopus in Collectione Decretalium, quam Antonius Augustinus Tarraconensis archiepiscopus, inter antiquas Decretalium Collectiones primo loco edidit: libro namque tertio, titulo 4, cap. 2, habet: *Ex Gestis Romanorum pontificum. Leo III, natione Romanus, concilio Lotharii et Ludovico imperatorum, sanctam et venerabilem* LXXVII *episcoporum in ecclesia B. Petri synodum congregavit*; et lib. V, tit. 5, *cap.* 2: *Ex gestis Romanorum pontificum. Tempore Zachariæ, natione Græci, contigit,* etc.; et tit. 7 cap. 1. *Ex gestis Romanorum pontificum. Tempore Stephani papæ, natione Siculi,* etc. Ubi Gesta Romanorum pontificum citantur, nulli tamen auctori tribuuntur, quod nimirum illis temporibus nondum sub Anastasii Bibliothecarii nomine Liber Pontificalis circumferretur, ut jam supra indicavimus.

(*a*) In codice ms. bib. Vaticanæ.

5. Porro quamvis scriptores veteres reperti sint qui Vitas pontificum a Petro ad Liberium Damaso tribuerunt, neminem tamen reperi qui posteriorum pontificum Vitas a Damaso papa usque ad Nicolaum primum, sub quo Anastasius Bibliothecarius scripsit, Anastasio adjudicavit. Martinus Polonus in Chronici sui prœmio citat omnes auctores ex quibus historiam imperatorum et pontificum Romanorum desumpsit: « Compilavi, inquit, præsens opusculum ex scriptis Titi Livii; item ex Chronicis Orosii: item ex Chronicis Damasi papæ de Gestis pontificum: item de Gestis Bovisii episcopi Sutrini, de Gestis pontificum; item ex Chronicis Pauli Romani diaconi card. de Gestis utrorumque; item de Chronicis Gilberti de Gestis utrorumque; item ex Chronicis Richardi monachi Cluniacensis, » etc. Hæc Martinus Polonus, qui nullibi Anastasii Bibliothecarii meminit, licet omnes enumeret quos de Romanis pontificibus legerat, et inter illos Damasum papam ponendum esse existimarit. Eodem modo Jacobus Zenus episcopus Patavinus in libro de Vitis pontificum, nondum typis descripto, habet quidem Damasum papam pro auctore prioris partis Libri Pontificalis, sed nequaquam Anastasium Bibliothecarium posterioris partis auctorem agnoscit; ut enim Felicem secundum verum pontificem fuisse ostendat, Damasi auctoritate id in primis comprobat (*a*): « Damaso, inquit, de antecessoribus suis Romanis pontificibus, et his potissimum qui eo agente vitam præfuerunt, fides probabilior adhibenda videtur. Si enim Damasus ipse hujus conditor operis fuit, quod epistolæ initio operis sitæ præseferunt, quis dubitare poterit, certius tenuisse illum, qui maximi pontifices per sua tempora præfuerunt? » Et hæc quidem Zenus Patavinus de priori Libri Pontificalis parte a Petro apostolo ad Damasi pontificatum, ob duas epistolas quas ostendimus supposititias esse. Audiamus nunc quid dicat de Vitis pontificum qui Damasum papam subsecuti sunt. Ita enim habet ad finem Vitæ Felicis secundi: « Quanquam enim tot scriptores alii fuerunt, qui post Damasum, sequentium pontificum gesta adjicere conati sunt, tamen quoniam scriptorum ipsorum obscurum est nomen, auctoresque admodum incerti, incultus vero, et perhorridus sermo, barbariem redolens, magis nec multo profecto nobis usui erant, » etc. Ex quibus manifestum fit Zenum Patavinum existimasse verum esse, quod probandum suscepimus, non quidem ab Anastasio Bibliothecario, auctore notissimo, sed a pluribus iisque ignoti nominis auctoribus, Librum Pontificalem compositum fuisse.

6. Secunda ratio qua constat Librum Pontificalem Anastasio Bibliothecario tribuendum non esse, nititur auctoritate manuscriptorum codicum, qui antiquitate Anastasii ætatem superant. Qua de re audiendus est Philippus Labbeus libro de Scriptoribus in Damaso, ubi affirmat Anastasium non posse esse auctorem prioris partis. « Cum, inquit, viderim

manuscriptum codicem optimæ notæ, tempore Caroli Magni exaratum, in quo Vitæ illæ Damaso jam tum tribuebantur, antequam aut natus esset Anastasius, aut saltem ex primis infantiæ crepundiis emersisset. » Repetit hæc Labbei verba Lambecius lib. II Bibliothecæ Cæsareæ, cap. 8, ad codicem 277, quem membranaceum et pervetustum vocat, et ejusdem generis esse perhibet cum eo quem Labbeus se vidisse affirmat: « Ejusdem generis est etiam, inquit, præstantissimus ille et collatu dignissimus codex ms. Ambrosianus, de quo in præsens agitur, utpote cum tam ex scriptura quam aliis circumstantiis certo constet eum ad imperatoris Ludovici Pii tempora pertinere. Pertingit autem ibi historia pontificum Romanorum tantum usque ad papam Stephanum secundum, vel, ut alii supputant, tertium, qui anno 752 electus est, et anno 757 obiit. » Accedunt demum codices manuscripti tres, quorum alter in bibliotheca Vaticana reperitur sub numero 5269, in quo Vitæ Romanorum pontificum desinunt in Gregorio II, qui centum annis ante Anastasium Bibliothecarium obiit, alii duo in bibliotheca reginæ Sueciæ, et bibliotheca sancti Marci Florentiæ asservantur, qui codices in Adriano primo finiunt, quo nondum natus erat Anastasius. Ex quibus satis superque constat Librum Pontificalem Anastasio antiquiorem esse, adeoque illum istius libri auctorem esse non posse.

7. Tertia ratio qua probatur non quidem uni Anastasio Bibliothecario, sed pluribus auctoribus ultimam Libri Pontificalis partem tribuendam esse, ex diversitate styli desumitur, de qua exstat accurata Lucæ Holstenii sententia in notis manuscriptis ad Anastasium de Vitis Pontificum, in quibus observat partem illam quæ Vitas a Zacharia usque ad Nicolaum primum complectitur, a variis auctoribus stylo diverso conscriptam fuisse. Sicque notat de Vita Zachariæ: « Stylo nonnihil puriore et nervoso scripta, totamque historiam pontificatus complectitur, contra quod in superioribus pontificibus, quorum gesta eumdem stylum et auctorem præseferunt, factum erat. » De Paulo papa, Stephani tertii successore, notat idem Holstenius: « Hæc Vita valde jejuna nihil historicum habet, ejusdem cum superioribus styli. » Itaque juxta mentem Holstenii idem auctor tres supradictorum pontificum Vitas adjecit. De Stephano quarto autem habet sequentia: « Vita Stephani papæ scripta est diverso stylo a superioribus, modosque loquendi sive barbarismos peculiares habet, quæ nescio quem africanismum sapere videntur. » Ad Adriani vero Vitam, quæ totam ejus pontificatus historiam continet, nihil notat, nisi ad finem, ubi in margine: « Hic finit codex Florentinus sancti Marci, et mss. serenissimæ reginæ, » indicans, ut infra videbimus, hanc Vitam ab auctore illo forsan conscriptam, vel adjectam fuisse, qui Librum Pontificalem, ex quo codices bibliothecæ reginæ Sueciæ et bibliothecæ sancti Marci descripti sunt, in unum volumen collegit. De Adriani primi successoribus Leone tertio, Stephano quinto, Paschali primo et Eugenio secundo, nihil omnino observat Lucas Holstenius; de Valentino tamen, Eugenii successore, notavit in margine: « Hæc Vita peculiari stylo phalerata agnoscitur. » Post quem, omissis ad trium successorum Vitas notis, de Benedicto tertio ita habet: « Hic affectatum et ineptissimum exaggerandi profluvium observa, et numeros poeticos. » Et ad Nicolai primi Vitam sequentia: « Hanc Vitam a sedis apostolicæ bibliothecario scriptam, docet frequens scrinii ecclesiastici mentio. » Hactenus Lucæ Holstenii notæ de Vitis pontificum a Gregorio tertio, sub quo Venerabilis Beda vixit, usque ad tempora Nicolai primi, quibus Anastasius Bibliothecarius floruit, quas notas eo lubentius hic adduximus, quod vir eruditissimus magnam vitæ partem consumpserit in conferendis cum edito Anastasii opere manuscriptis codicibus, et in discernenda stylorum diversitate acutissimi judicii fuerit. Ex quibus facile unicuique patebit, ut ego certo existimo, ultimam Libri Pontificalis partem non quidem uni Anastasio, sed pluribus et diversis auctoribus adjudicari debere, prout sequenti capite ostendemus.

CAPUT VIII.

A quibusnam auctoribus et quandonam Liber Pontificalis conscriptus sit?

I. Liber Pontificalis, quoad priorem partem, quæ complectitur Vitas pontificum usque ad Constantinum papam conscriptus est post sextam synodum, idque eo tempore quo Exarchi Ravennæ sedebant. — II. Post mortem Constantini papæ prodiit circa initium octavi sæculi, cui ab eodem auctore prima appendix adjecta fuit Vitarum Gregorii II et Gregorii III, quod probatur ex manuscripto codice Vaticano, et Bedæ testimonio, ac Holstenii judicio comprobatur, qui omnes Rom. pontificum Vitas à B. Petro usque ad Zachariam uno eodumque stylo conscriptas esse docet. — III. Satisfit testimonio legatorum Agathonis ab Humberto cardinali allato, quod suppositicium esse ostenditur. — IV. Prior illa Libri Pontificalis pars habet auctorem Romanum, et forsan bibliothecæ pontificiæ, aut archivo apostolico præpositum. — V. Ab alio auctore adjectæ sunt vitæ Zachariæ, Stephani III et Pauli primi, quæ secundam appendicem efficiunt, et eodem stylo conscriptæ sunt ab uno ex clero Romano, qui archivum apostolicum citat in Vita Stephani tertii. — VI. Vita Stephani IV non habet auctorem Africanum, ut putat Holstenius, sed Romanum contemporaneum, ut probatur ex Actis et confirmatur ex Vita Adriani primi, quam ab eodem auctore Lateranensis aut Vaticanæ basilicæ clerico conscriptam fuisse constat. Et hæc est tertia appendix Libro Pontificali addita, quacum finiunt duo codices mss. Regius, et Florentinus S. Marci. — VII. Vita Leonis III alium plane auctorem habet, qui forsan basilicæ S. Pauli ascriptus erat, et Stephani V vitam Pontificali quoque adjecit. Unde hæc esset quarta appendix ad Librum Pontificalem. — VIII. Vita Gregorii III auctorem Romanum habe, et stylo eleganti conscripta est, a quo stylo Vitæ Eugenii II, Valentini et Gregorii IV nonnihil differunt. — IX. Sergii II Vita stylo differt a prioribus, et ab eodem auctore Libro Pontificali adjecta est, a quo Leonis IV Vita conscripta fuit, quem Romæ in magna dignitate constitutum fuisse Acta ipsa testantur. — X. Anastasius Bibliothecarius non fuit auctor Vitarum Sergii II et Leonis IV, multo minus Benedicti III, qui Leoni IV successit, cujus Vita affectato et peculiari stylo conscripta est. Probatur itaque illorum sententia quæ Anastasium Vitæ Nicolai I auctorem facit.

1. Postquam superioribus capitibus monstratum est Librum Pontificalem, qui Vitas pontificum a Petro ad Nicolaum primum complectitur, Anastasio antiquiorem esse, et non ab uno, sed diversis auctoribus

compositum fuisse, inquirendum est hoc capite quinam illi auctores esse possint et quandonam scripserint ? Notandum autem est Librum Pontificalem hic recte in duas partes dividi, in priorem nimirum, quæ uno stylo ab eodem auctore conscripta fuit : et posteriorem, quæ diverso stylo a pluribus auctoribus exarata videtur. De priori parte, quæ Vitas pontificum uno stylo complectitur, habetur primum temporis, quo conscripta fuit, indicium in Vita Leonis II, in qua de hoc pontifice narratur : « Hic suscepit sanctam sextam synodum, quæ per Dei providentiam nuper in regia urbe celebrata est. » Cum enim auctor testetur nuper in urbe Constantinopolitana celebratam fuisset sextam synodum, celebrata autem sit sexta synodus sub Agathone, Leonis II prædecessore, anno 681, auctor hæc scribere debuit non procul a fine septimi sæculi ; alias enim verum esse non potest quod dixit, *nuper celebratam fuisse sextam synodum*. Secundum indicium habetur in Vita Cononis ; ibi enim legitur de ejus assumptione ad pontificatum, quæ anno 686 contigit : « et missos pariter una cum clericis et populo ad excellentissimum Theodorum exarchum, ut mos est, direxerunt. » Notanda sunt hæc verba, *ut mos est* ; non enim dixit auctor, *ut moris fuit* vel, *ut fieri solebat*, sed *ut mos est* ; significans illis verbis hanc Vitam conscriptam fuisse quo tempore ad exarchos de electione novi pontificis referebatur, adeoque tunc cum exarchi Ravennæ erant : fuerunt autem ducentis ferme annis ; Longinus enim primus a Justino Juniore institutus est exarchus anno 567, postremus Eutychius ab Aistulpho Longobardorum rege pulsus ann. 752. Unde ex prædicto loco patet auctorem Vitæ Cononis scribere debuisse ante medium octavi sæculi, quo exarchi seu præfecti imperatoris Constantinopolitani in Italia esse desierunt : scribere autem potuisse circa octavi sæculi initium, quo Ravennæ nondum sedere desierant exarchi, ad quos de electione novi pontificis referri solebat, ut ex Libro Diurno constat.

2. Videtur itaque Liber Pontificalis conscriptus fuisse post mortem Constantini papæ, qui anno 714 obiit, idque firmatur auctoritate manuscripti codicis Vaticani 5269, qui licet ante 500 circiter annos exaratus sit, ex antiquiore tamen descriptus fuit, utpote finiens catalogum pontificum, quem Libro Pontificali præponit, in Gregorio II, Constantini successore. Liber vero Pontificalis, qui Catalogum, in codice subsequitur, finit his verbis : *Gregorius, natione Romanus, ex patre Marcello, sedit annos* XVI, *menses* IX, *dies* XI. *Fuit autem temporibus Anastasii, Theodosii, Leonis, atque Constantini Augustorum* ; ubi tantum refert tempus pontificatus sine ullis actis, ex quo colligitur auctorem quidem inchoasse Vitam Gregorii, sed non absolvisse, dum Liber Pontificalis prodiit. Putarem igitur post obitum Constantini prodiisse Librum Pontificalem : quod omnino convenit iis quæ supra notavimus de Venerabili Beda, a quo omnium primo Liber Pontificalis citatus reperitur.

A Vixit enim Beda ab anno 673 usque ad annum 735, cumque post Gregorii secundi pontificatum, qui anno 714 cœpit, et anno 731 desiit, Venerabilis Beda superstes fuerit, Librum Pontificalem videre et citare potuit. Ut igitur mentem meam de Libri Pontificalis tempore, quo primum in lucem prodiit, paucis absolvam, crediderim ante annum 732 publici juris factum, et huic collectioni appendicem postea ab eodem auctore adjunctam, quæ Vitas Gregorii II et Gregorii III complectebatur. Quod firmatur ex iis quæ observavit Lucas Holstenius : cum enim omnes pontificum Vitas sidulo pervolvisset, adnotavit gesta pontificum a Petro apostolo usque ad Zachariam, Gregorii III successorem, eodem omnino stylo adeoque ab eodem auctore B conscripta fuisse. *Superiorum pontificum Gesta*, inquit Lucas Holstenius in notis ad Vitam Zachariæ, *eumdem stylum et auctorem præseferunt*. Idque eum ex lectione ipsius libri constet nulla probatione indigere existimo.

3. Objici tamen potest huic nostræ sententiæ auctoritas Humberti cardinalis Sylvæ Candidæ, qui in opusculo contra Nicetam Pectoratum, edito ab Henrico Canisio tomo VI Antiquarum Lectionum, refert, a legatis Agathonis papæ in sexta synodo citatum fuisse locum ex Gestis pontificalibus, adeoque Librum Pontificalem conscriptum fuisse ante tempora Constantini papæ, cum Agatho per triginta, ferme annos ante Constantinum obierit. Verum antequam huic objectioni respondeam, locus ipse C afferendus est, qui ita habet apud Canisium : « Tunc piissimus princeps Constantinus interrogavit eos qualiter Romana Ecclesia de sacrificio corporis et sanguinis D. N. Jesu Christi ordinem teneret. Illi responderunt : In calice Domini non debet solum offerri vinum, sed aqua mixtum. » Et postea : « Oblatio vero quæ in sacrificium altaris offertur, nullam commistionem aut corruptionem fermenti debet habere, sicut beata Virgo Maria absque omni corruptione Christum concepit et peperit. Hinc in Ecclesia mos obtinuit, ut sacrificium altaris non in serico aut in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini fuit in sindone munda sepultum ; sic et oblatio munda debet esse a fermento, juxta quæ in Gestis pontificalibus a beato Sylvestro D legimus statutum. » Hactenus legati, et prosequuntur Acta : « Tunc placuit piissimo principi Constantino hæc traditio apostolicæ sedis, » etc. Partem hujus loci ab illis verbis, *hinc in Ecclesia mos obtinuit*, pro libri Pontificalis antiquitate citavit Pearsonius in operibus posthumis, dissert. I, qui nullatenus animadvertit Acta, quæ Humbertus refert, penitus apocrypha esse, et ab aliquo Latino haud dudum ante Humberti tempora fuisse conficta ; non enim reperitur, in sexta synodo prædicta allocutio Constantini imperatoris, vel legatorum sedis apostolicæ responsio. Sed nec legati ex Gestis pontificalibus citare potuerunt, quæ in illis non reperiuntur, sicut non reperiuntur apud Anastasium

Bibliothecarium in Sylvestro, neque apud auctorem secundi Catalogi in eodem, ubi tantummodo legitur quod sanctus Sylvester constituerit, « ut sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in lineo ; et sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone linea sepultum est, sic missa celebraretur. » Hæc sunt verba auctoris secundi Catalogi, apud quem nulla similitudo instituitur inter conceptionem B. Mariæ Virginis absque omni corruptione, et oblationem sacrificii absque omni fermento ; quinimo nulla plane mentio fermenti reperitur, quod verbum auctor prædictorum Actorum loco ex Gestis pontificalibus desumpto adjunxit post tempora Anastasii Bibliothecarii, utpote qui ultima verba ita refert : « Sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone lintea munda sepultum est, sic missa celebraretur. » Ubi nemo non videt hæc significare, quod sicut corpus Christi in sindone lintea sepultum est, sic sacrificium corporis Christi linteo mundo offerretur, quæ tamen in alienum sensum detorta sunt, et ad quæstionem de fermento inter Græcos et Latinos post Photii tempora ortam translata his verbis : *sic et oblatio munda debet esse a fermento*. Auctor igitur testimonii ab Humberto cardinale allati post ortam inter Græcos et Latinos de pane azymo et fermentato quæstionem vixit, adeo ut nihil plane pro antiquitate Libri Pontificalis ex ejus verbis statui possit. Verum proinde est, quod jam adnotavimus, Bedam primum fuisse, qui ea citavit, eo quod ipsius temporibus Liber Pontificalis in lucem editus fuerit.

4. Cum igitur de tempore constet quo Liber Pontificalis scriptus fuit, restat ut de auctore inquiramus, de quo Pearsonius dissertat. I, cap. 12, num. 8 : « Auctor ejus anonymus et incertus sæculi sexti scriptor, et status primitivæ Ecclesiæ ignarus fuit, unde pluribus et fœdis erroribus scatet, fictisque narrationibus plenus est. » Hæc vir eruditus quidem, sed a religione catholica alienus, cui proinde non placet illa rituum et doctrinarum antiquitas, quæ religioni catholicæ hoc in libro tribuitur et de qua sequentibus capitibus agemus. Revertamur proinde ad Libri auctorem, quem male sæculi sexti auctorem dixit, recte anonymum vocavit. Non enim sexto, sed septimo sæculo auctor Libri Pontificalis vixit, integroque sæculo recentior est quam Pearsonius credidit : anonymus tamen fuit, quia nomen suum ipse tacere voluit, aliique vel ignorarunt vel memoriæ prodere omiserunt. Hoc tamen nihil ejusdem scriptoris auctoritati officere videtur, cum pro ea sufficiat quod locum, et officium quo functus est, commemorarit. Nam ex iis quisque facile colligere poterit fuisse virum de statu Ecclesiæ optime instructum, neminemque res ecclesiasticas magis perspectas habuisse. Ut autem quod dicimus ipsius auctoris testimoniis comprobemus, in Sisinnio sic habet : « Erat autem constans animo, et curam agens pro habitatoribus hujus civitatis. » Addit Holstenius *ex ms. codice Vaticano-Romano*. Adeo ut constet auctorem Romæ scripsisse, quod ex gestis in unoquoque pontifice memoratis aperte comprobari potest. Sicut namque de secundi Catalogi auctore ostendimus capite 2, eum magnam Urbis et agri Romani notitiam habuisse, omnes Urbis regiones et ecclesias, omnes ecclesiarum reliquias et titulos, omnes agri Romani vias omnesque viarum distantias perspectas habuisse : sic et de Libri Pontificalis auctore dicendum videtur, quia eum omnia illa loca apprime novisse, ex ipso Libro colligitur Allegat nonnunquam instrumenta publica in archivo sedis apostolicæ asservata, ut patet ex Vita Leonis secundi, ubi agens de ordinatione Ravennatensis archiepiscopi scribit, pro pallio non solvendo editum constitutum *quod archivo Ecclesiæ continetur*. Et ex Vita Joannis V, qui anno 685 ad pontificatum assumptus est, ubi de Novelli Sardiniæ episcopi ordinatione sedi apostolicæ restituta affirmat : *Quod ejus chirographus archivo Ecclesiæ detentus est*. Ex quibus non obscure colligi videtur auctorem fuisse bibliothecæ pontificiæ aut archivo sedis apostolicæ præfectum, nisi quis dicere velit eum ad archivum aut bibliothecam habuisse accessum, sicque ex archivo citasse quod in eo asservari viderat vel cognoverat

5. Atqus hactenus quidem de illa Libri Pontificalis parte, quæ eodem stylo, ab eodem auctore scripta videtur, complectens pontifices a Petro apostolo usque ad Gregorium III. Nunc de altera parte præfati libri agendum, quæ diverso stylo exarata, est, et incipit cum Vita Zachariæ, qui anno 742 Gregorio III successit, de cujus gestis censuit Lucas Holstenius in mss. suis adnotationibus : « Vita Zachariæ papæ stylo non nihil puriore et nervoso scripta est, et tota historia. » Quod nimirum hæc Vita contineat totam pontificatus historiam et auctor diversus eam Libro Pontificali adjecerit, a quo stylo nonnihil puriore differre videtur. Dixi *nonnihil*, quia in plerisque quidem locis id locum habet, in aliis tamen stylus abjectus et vilis videtur, uti in sequentibus, quam. vis et illa puriori stylo conscripta sint : *Nulli malum pro malo reddens, neque vindictam secundum meritum tribuens, sed pius ac misericors a tempore ordinationis suæ omnibus factus*, etc. Cætera barbariem istius ætatis sapiunt : *Egressus ex hac Romana civitate, cum sacerdotibus et clero perrexit fiducialiter et audacter ad ambulandum in locum Interannensium Urbis* ; et infra : *Esum sumpsit..... conviavit.... præpeditionem nitebantur facere... sibi redonaret.... eum repedandum absolvit.... in quo et suam finiri vitam jure professus est jurando*. Hæc in Vita Zachariæ, quæ tamen Romæ scripta sunt, ut patet ex loco jam citato, ubi auctor dicit : *ex hac Romana civitate* illis enim verbis se Romæ scripsisse significat, quod etiam sequentibus indicavit : « Et sic regressus est Deo propitio cum victoriæ palma in hanc urbem Romam ; et infra : « Hujus denique temporibus magnum thesaurum Dominus Deus noster in hac Romana urbe per eumdem almificum pontificem propalare dignatus est. In venerabili itaque patriar-

chio sacratissimum beati Georgii martyris idem sanctissimus papa in capsa reconditum reperit caput..... In venerabili diaconia ejus nominis sita in hac Romana civitate regione secunda ad Velum aureum illud deduci fecit. » Quibus omnibus locis auctor Romanam urbem eam esse significat in qua præsentem Vitam scripsit, ubi et eodem stylo scripsit Vitam Stephani III, qui Zachariæ successit, utpote de quo affirmat quod restauravit *quatuor in hac Romana urbe sita antiquitus xenodochia,* et perpetuo *Romanam hanc urbem* citat, additque versus finem de civitatibus ope Pippini Ecclesiæ redditis : « Donationem in scriptis B. Petro, atque sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel omnibus in perpetuum pontificibus apostolicæ sedis misit possidendam, quæ et usque hactenus in archivo sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur. » Ubi auctor affirmat se non solum Romanum, sed etiam Romanæ Ecclesiæ clericum fuisse, indicatque se archivo apostolico præpositum Stephani Vitam conscripisse. Addit autem, *usque hactenus,* eo quod auctor post Paulum Stephani successorem, cujus quoque Vitam eodem stylo conscripsit, superstes fuerit. Trium itaque horum pontificum Vitæ eodem stylo scriptæ, et ab uno ex clero Romano Pontificali Libro adjectæ sunt.

6. Sequitur in Libro Pontificali Vita Stephani IV, de qua Lucas Holstenius ita censuit : « Vita Stephani papæ scripta est stylo diverso a superioribus, modosque loquendi sive barbarismos peculiares habet, qui nescio quem africanismum sapere videntur. » Hæc ille, nihil aliud indicans ; quare divinare oportet quos loquendi modos peculiares ipse notaverat. An inter illos censendi sint sequentes, judicet prudens lector : *Monachicum fore suscepturos habitum. Item absolutis omnibus eorum rebus. ... in monasterio clivi-Staturi retrudi fecerunt, ubi fame et siti cremans, clamansque aquam, ita exhalavit spiritum..... temeritatis præscriptione..... insurrexerunt super ipsum Michaelium..... causas de Justitiis B. Petri.... conspicientes se in magno deceptu esse positos,* etc. Hæc prudentis lectoris judicio subjeci, ego enim hos peculiares loquendi modos africanismum sapere, nescio qua ratione asseruerit et unde collegerit Holstenius. Videntur namque mihi indicare illorum temporum barbariem, quæ etiam Romanas aures occupaverat, præsertim cum constet ex plerisque hujus Vitæ locis auctorem ejus Romæ scripsisse ; quando enim de urbe Roma agit, hoc loquendi modo utitur : *In hanc Romanam urbem.* Et paulo ante medium : *Et huc,* vel ut habet alia lectio, *hic Romam attulerunt.* Et ibidem : *Postmodum vero quidam iniqui Campani, qui huc Romam advenerant.* Et infra : *Dum Tuscani et Campani hic Romæ aggregati fuissent.* Et postea : *Simulavit se quasi orationis causa ad beatum Petrum Romam properaturum.* Quibus verbis nemo non videt, auctorem Romæ scripsisse. Notanda quoque sunt verba sequentia : *Confundentes atque anathematizantes exsecrabilem illam synodum, quæ in Græciæ partibus nuper facta est.* Quæ intelligenda A sunt de synodo sub Constantino Copronymo anno 754 Constantinopoli celebrata, quam cum nuper factam esse auctor scribat, necesse est eum circa hæc tempora Romæ scripsisse. Quod ex sequentibus clarius patebit. Sequitur enim in Libro Pontificali Vita Adriani primi, quam (licet de ea Lucas Holstenius nihil adnotaverit) ab eodem auctore scriptam esse puto, tum ob styli similudinem, tum ob phrases easdem et eosdem barbarismos qui phrasibus miscentur. Citat ubique *hanc Romanam urbem.* Et alicubi dicit : *Secum eum huc Romam reduceret.* Ex quibus loquendi modis colligitur quod auctor Romæ scripsit, prout facile confirmatur ex iis quæ initio hujus Vitæ de Adriani patre commemorat : *Patre Theodato dudum consule et duce, postmodum vero* B *primicerio sanctæ nostræ Ecclesiæ.* Ex his enim clarissime patet auctorem fuisse ex clero Romano, et forsan Lateranensi, aut Vaticanæ basilicæ ascriptum, unde facile putarem, Stephani IV et Adriani primi Vitas fuisse tertiam appendicem ad Librum Pontificalem : in cujus veritatis confirmationem adduci possunt duo antiquissimi codices manuscripti, Florentinus nimirum sancti Marci, et alter Christinæ Suecorum reginæ, qui post Vitam Adriani primi finiunt, eo quod ex illis Libri Pontificalis codicibus descripti essent, qui ante Leonem tertium, Adriani primi successorem, exarati erant.

7. Sequitur Vita Leonis tertii, quæ alio stylo alioque auctore conscripta est. Nullæ enim phrases ex supra relatis in ea reperiuntur; nullibi, dum Romanæ C urbis mentionem facit, pronomen *hanc* adjungit : non dicit pontificem, dum ex Gallia Romam, rediit *huc* venisse, sed simpliciter Romanæ urbis meminit : « Franci, inquit, Romam illum remeare, in suam apostolicam sedem honorifice, cum nimio, ut decuit, emiserunt honore, qui per unamquamque civitatem tanquam ipsum suscipientes apostolum usque Romam deduxerunt. Tunc Romani, præ nimio gaudio suum recipientes pastorem. . . . . » Et infra : « Romam intrans cum multo gaudio et lætitia in patriarchium Lateranense intravit. » Ex quo loquendi modo facile intelligitur, auctorem hujus Vitæ non modo alium esse a priori, sed dubitari etiam posse num Romæ scripsit ; nihil enim in tota illa Vita occurrit unde ea de re suspicari licet nisi D ex illis verbis : « Nona vero indictione peccatis nostris imminentibus subito terræmotus factus pridie Kalendas Maii, et ecclesia beati Pauli apostoli ab ipso terræmotu concussa, omnia sarta tecta ruerunt. » Ex his enim posset quis colligere quod auctor hujus Vitæ ascriptus fuerit ecclesiæ sancti Pauli extra Urbem, quam ubique vocat *basilicam doctoris mundi beati Pauli apostoli.* Quod ideo adnoto quia forsan D. Paulum tanquam patronum suæ basilicæ distinguere voluit a cæteris apostolis, quos dum nominat, simpliciter apostolos vocare consuevit. Ab eodem forsan auctore conscripta est Vita Stephani V qui, Leoni III successit ; nam paucis de ejus gestis enarratis, fere totus est in describendis donis quæ diver-

sis ecclesiis obtulit, quod idem in Leonis III Vita observare licet.

8. De Paschalis primi Vita constat eam ab auctore Romano conscriptam fuisse : meminit enim urbis Romæ tanquam civitatis in qua scribebat. Sic narrat de translatione corporis sanctæ Cæciliæ cum magno honore intra muros: « Hujus Romanæ urbis in ecclesia ipsius sancti martyris dedicata ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, ejusdem virginis corpus cum charissimo Veleriano sponso atque Tiburtio, et Maximo martyribus, necnon Urbano et Lucio pontificibus sub sacrosancto altari collocavit. » Ex quibus verbis non modo constat de loco ubi hæc Vita scripta est, sed etiam de styli elegantia, qua ab auctore adornata est Paschalis historia. Illam sane colligere licet ex iis quæ de incendio civitatis Leoninæ enarrat : « Sed neque hoc silentio prætereundum esse arbitramur, inquit, quod eodem tempore, diabolica operante versutia, per quorumdam gentis Anglorum dissidium, ita est omnis illorum habitatio, quæ in eorum lingua Burgus dicitur, flamma ignis exundante combusta, ut etiam nec vestigia pristinæ habitationis in eodem loco inveniri potuissent, cujus exuberante incendio pene totam porticum, quæ ducit ad basilicam principis apostolorum ignis fomes devastavit. » Hæc et plura ibidem auctor stylo satis eleganti, a quo nonnihil differre videtur stylus quo conscriptæ sunt Vitæ successorum Eugenii II, Valentini et Gregorii IV, ex cujus gestis colligitur, auctorem post Gregorii ætatem scripsisse. Agens enim de monasterio sancti Callixti trans Tiberim, scribit : « In quo etiam monachos canonicos aggregavit, qui inibi officium facerent et omnipotenti Deo grates et laudes diebus singulis et noctibus prosecuti intimo cordis spiramine decantarent, quod sicut in præsentiarum cernimus, magno certamine magnoque studio pastor eximius hoc opus valde firmissimum ampliavit. » Ex quibus verbis plane deducitur auctorem Romæ quidem vixisse, sed post tempora Gregorii quarti.

9. De Sergio secundo, qui Gregorio IV successit, facile colligitur, ex primis gestorum verbis, Vitam ejus ab alio quodam auctore conscriptam esse, siquidem initio repetuntur omnes anni Romanorum pontificum a Leone tertio usque ad Sergium secundum, quod minime factum esset, si unus idemque auctor Vitas pontificum, qui a Leone usque ad Sergium secundum deerant, Libro Pontificali adjecisset. Auctor itaque Gestorum Sergii secundi diversus est ab iis qui superiorum pontificum Vitas conscripserunt, idque manifeste monstratur ex stylo, qui singularis videtur, interjectis ubique inter nomina et adjectiva pluribus verbis. Sic dicitur initio Gestorum : *Ingenti cœpit cum studio... actibus pollere videretur piis ab omnibus, et moribus clarescere majorum cœperit nobilium... communibus tradidit literis et ut mellifluis instrueretur cantilenæ melodiis... omne literalis disciplinæ sumpsit ingenium.* Omitto reliqua, nihilque peculiariter notandum occurrit, nisi quod plerisque in locis acta mutila sint, quæ Lucas Holstenius ex præst codice Farnesiano supplevit in illis variis bus et notis quæ ad marginem et finem sui ris adjecit. Eodem stylo conscripta vid Leonis IV, quæ phrases supradictis simile et auctorem Romæ scripsisse indicat hi *Monasterium beati Martini confessoris Chr extra muros hujus civitatis Romanæ juxta beati Petri apostoli situm est.* Alibi indicatu rem fuisse contemporaneum, ut quando Agarenorum strages. Dum enim vento immisso dispersæ Agarenorum naves a pervenire nequiverant : *Super his novis m miraculis,* inquit auctor, *quæ nostris licet tis temporibus divina ostendere ac demons gnata est... clementia.* Ubi nemo non vid rem testari hæc quæ narrat suis temporib gisse. Indicat quoque cujus auctoritatis fi refert se una cum Romanis proceribus j Saraceni qui capti erant ligarentur. E *Postea per diversa artificum opera, quidqu sarium videbat, per eos omnia jubebamu* Quisnam autem hujus et præcedentis Vi sit, nullibi exprimitur, nullibi indicatur.

10. Putabat quidem non nemo aucto Anastasium Bibliothecarium, qui prædi gii II et Leonis IV ac subsequentes Bened Nicolai I Vitas Pontificali adjecit. Veru Vita Benedicti III, quæ nequaquam Ana bliothecario tribui potest, *ob affectatum, et mum exaggerandi profluvium ac numeros* quæ in ea reperiri, observavit Lucas H Tantum initium istius Vitæ legendum comprobetur : *Beatus vir iste dilectissimis editus, siderio pollens rore, crescensque cele norum studio apicum, Patris ad erudienda trio traditur.* Simili inepto exaggerandi plena est hujus pontificis Vita, in qua n repetita fuisset successio Romanorum p Gregorii IV et Sergii II, quæ in Leoni exhibita erat, si unus et idem auctor Vit et Benedicti composuisset. Magis igitur videtur illa eruditorum virorum senten Anastasio Bibliothecario Vitam Nicolai pri Fuit hæc sententia Lucæ Holstenii, qui i Nicolai adnotavit : « Hanc Vitam a sedis bibliothecario scriptam docet frequen ecclesiastici mentio. » Unum istius verita plum adducere sufficiet. De gestis namqu ita scribit auctor : *Sicut in illis male gestis in scrinio hujus sedis repositis decl Tunc Æmiliensis* bibliothecæ Apostolicæ *sicut in gestis, quæ in bibliotheca rejacent investigaverit, poterit reperire.* Quibus verl manifeste indicat se scrinio et biblioth stolicæ præpositum fuisse. Unde non eminentissimus cardinalis Baronius tomo lium Gesta Nicolai primi passim Anastasi thecario, qui sub Nicolao primo in Urb

attribuit ; Bellarminus autem libro de Scriptoribus immerito Anastasio omnes Romanorum pontificum Vitas, quæ Libro Pontificali continentur, tribuit : « Scripsit Vitas Romanorum pontificum, inquiebat Bellarminus, a sancto Petro usque ad Nicolaum primum. » Si enim tot auctores Vitas pontificum scripserunt ante Anastasium, dicendum cum Luca Holstenio, Anastasium potius collectorem quam auctorem Vitarum pontificum esse potuisse. Unde non alia ratione uti potuit Velserus, qui primum Librum Pontificalem typis sub hoc titulo edidit : *Anastasii S. R. Ecclesiæ bibliothecarii Historia de Vitis Romanorum pontificum a beato Petro apostolo usque ad Nicolaum primum, nunquam hactenus typis excusa.* Quamvis enim rationem reddat in præfatione ad lectorem, « quia stylus, totaque scribendi ratio, ordo, et methodus earum Vitarum, quæ post beati Damasi Vitam in hoc codice exstant, omnino consentire videtur cum phrasi universaque scribendi ratione, quæ est in Vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis, uti quivis non obesæ naris lector facile odorari et advertere poterit, prorsus in eam sententiam inclinamus, omnium illarum (licet nonnullis in locis adulterina aliorum adjectione, vel detractione, ob summam superiorum sæculorum inscitiam depravatæ sint), verum et germanum parentem esse Anastasium S. R. Ecclesiæ bibliothecarium. Quare et ejus nomenclatura totum opus ornare non dubitavimus. » Quamvis, inquam, his verbis auctor, ab uno eodemque Anastasio omnes pontificum Vitas conscriptas fuisse indicet, mirum tamen in modum a vero aberrat, ut facile ex supradictis colligi potest. Atque hæc quidem sufficiant de Libro Pontificali ejusque auctore. Restat ut videamus ex quibusnam antiquitatis monimentis liber ille conscriptus sit, et quænam ei fides a viro cordato adhiberi possit vel debeat.

CAPUT IX.

Ex quibusnam antiquitatum monimentis Liber Pontificalis concinnatus sit, et quænam ei fides adhiberi possit.

I. Auctor prioris partis LibriPontificalis a Petro ad Zachariam usus est Catalogo sexto sæculo exarato, ut patet in primis ex diversis locis quæ ex Catalogo descripsit. — II. Secundo id constat ex consulum notis, quas auctor Libri Pontificalis ex secundo Catalogo desumpsit, nam nullosalios consules quamin secundo Catalogo assignatos exhibet. — III. De actis quæ auctor Pontificalis aliunde habuit, partim scitur, partim ignoratur, unde desumpta sint. — IV. Inter illa quorum fons et origo scitur, sunt nonnulla Acta Cornelii papæ ex antiquiore Catalogo descripta : Acta Stephani, Marcelli aliorumque ex ipsorum Vitis, seu martyrii actis collecta sunt. — V. Quæ de donationibus in Sylvestro et Marco adduntur ex instrumentis ecclesiarum, et archivo sedis apostolicæ prodierunt, unde de Libri Pontificalis præstantia constat. — VI. Ex posteriori parte Libri Pontificalis a Zacharia usque ad Nicolaum primum, de ejus præstantia constat, quia ab auctoribus synchronis conscripta est.— VII. Deinde, quia ex authenticis istorum temporum monumentis concinnata fuit. — VIII. Ex dictis enim patet qua veneratione accipienda sint, quæ de historia, disciplina, ritibus, et fide in Libro Pontificali reperiuntur. — IX. Hæretici ipsi id negare non sunt ausi, ut ex illorum testimoniis eruitur.

1. Ut de priori parte Libri Pontificalis, qua Vitæ Romanorum pontificum a Petro usque ad Gregorium II ab uno eodemque auctore descriptæ continentur, nullum in primis dubium esse videtur, quin auctor pro hac parte usus sit Catalogo Romanorum pontificum sub Justiniani principatu concinnato. In singulorum namque pontificum Vitis tot tantaque hujus veritatis exempla occurrunt, ut auctor Pontificalis plerumque verba catalogi exscripsisse videatur. De Simplicio papa habet Catalogus : « Hic constituit ad sanctum Petrum, et ad sanctum Paulum, et ad sanctum Laurentium hebdomadas, ut presbyteri manerent propter baptismum, et pœnitentiam petentibus, de regione prima ad sanctum Paulum, de regione tertia ad S. Laurentium, de regione septima ad S. Petrum. » Quæ auctor Pontificalis his verbis refert : « Hic constituit ad S. Petrum apostolum. et ad S. Paulum apostolum et ad sanctum Laurentium martyrem hebdomadam, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes, et baptismum, regionem tertiam ad sanctum Laurentium, regionem primam ad sanctum Paulum, regionem sextam, vel septimam ad sanctum Petrum. » Hæc auctor Libri Pontificalis, quæ nemo non videt, ex Catalogi loco superius allato desumpta esse. Habet quoque Catalogus in Simplicii antecessore Hilaro papa : « Hic fecit decretalem et per universum Orientem direxit, et epistolas de fide catholica. » Quæ auctor Pontificalis his verbis tradit: « Hic fecit decretalem, et per universum Orientem sparsit epistolas de fide catholica et apostolica, confirmans tres synodos, Nicænam, Ephesinam, et Chalcedonensem. » Quæ verba constat desumpta esse ex præfato Catalogi loco, in quo tamen nihil de tribus synodis legitur, adeo ut necesse sit auctorem Libri Pontificalis hoc Catalogo posteriorem esse, cum illi nonnulla addiderit forsan ex eodem fonte ex quo auctor alterius Catalogi tempore Caroli Magni ante 850 annos sequentia desumpsit in Hilaro papa : « Hic spargit epistolas de fide Catholica per orbem Orientalem, et confirmavit tres synodos, Nicænam, Ephesinam, et Chalcedonensem. » Quæ ex gestis Hilari papæ primum ab auctore Libri Pontificalis, deinde ab auctore Catalogi tempore Caroli Magni contexti desumpta videntur.

2. Secundo constat hoc ipsum ex consulum notis, quæ in Libro Pontificali ad unumquemque pontificatum occurrunt, et quas auctor secundi Catalogi partim ex antiquiore Catalogo tempore Liberii conscripti desumpsit, partim de suo addidit, ita ut ex eo constare existimem quod omnes consules a Lini pontificatu usque ad Marcum papam sint iidem omnino qui in utroque Catalogo et Libro Pontificali assignantur, et sic auctor secundi Catalogi, ex antiquiore Catalogo, Libri vero Pontificalis, auctor ex secundo Catalogo consules desumpsisse credantur. Ut autem hac de re exemplum clarissimum afferamus habet antiquior Catalogus in Marco : « Fuit temporibus Constantini Nepotiano et Facundo

consulibus, ex die XV Kalendas Febr. usque in diem Nonarum Octobrium consulibus supradictis. » Quæ auctor secundi Catalogi sic refert : « Fuit temporibus Constantini et Nepotiani secundo consulibus ex die Kalend. Febr. usque in diem Kalend. Octobris. » Error librariorum hic est in consulum nominibus, nonnullaque mutatio facta videtur in diebus quibus Marcus sedere cœpit et desiit. Porro auctor Pontificalis errores hos retinuit; nam ait: « Fuit autem temporibus Constantini et Nepotiani ac Secundi consulum, ex die Kalend. Febr. usque in diem Kalend. Octobris. » Ex quibus confirmari videtur quod auctor Libri Pontificalis consules et dies Pontificatus Marci desumpserit ex secundo Catalogo sæculo sexto conscripto, qui tunc librariorum incuria depravatus est. Porro antiquiorem Catalogum fontem esse ex quo auctor secundi Catalogi consulum nomina protulit, nemo in dubium vocabit, qui considerat post pontificatum Liberii, in quo antiquior Catalogus finem accipit, in secundo Catalogo nullos amplius consules assignari. In Damaso enim Liberii successore habet auctor secundi Catalogi : « Sedit annos 17, menses 3, dies XI. Fuit temporibus Juliani. » Auctor vero Pontificalis : « Sedit annos decem et octo, mensibus duobus, diebus decem. » Et post enarrata illa quæ ad intrusionem Ursicini spectant : « Fuit autem temporibus Juliani, » nulla omnino mentione facta consulatus quo Damasus cœperat finieratque pontificatum. Idem videre licet in Siricio, Anastasio, Innocentio primo, Zosimo aliisque Damasi successoribus, usque ad Joannem, cujus tempori cum auctor secundi Catalogi vicinus fuerit, ejusdem ponticatus initium et finem certis consulibus assignavit : « Sedit, inquit de Joanne, annos duos, menses octo, dies quindecim, a consulatu Maximi usque ad consulatum Olibri. » Quæ eadem repetit auctor pontificalis in hoc pontifice, uti et in Felice quarto, quocum auctor secundi Catalogi finit : « A consulatu Aburti usque in consulatum Lampadi et Orestis, a die IV Idus Juliarum usque in diem IV Idus Octobris. » Aburti loco auctor Pontificalis legit *Mamortini*. Cætera verba eadem omnino sunt. Unde auctor Libri Pontificalis ea a secundo Catalogo mutuatus videtur. Cujus manifestum signum illud quoque censendum est quod post Hormisdam et Felicem, qui duo ultimi sunt ab auctore secundi Catalogi exhibiti, nullius alterius pontificatus per consules designetur in Libro Pontificali.

3. Cum itaque ex dictis pateat undenam auctor Libri Pontificalis consulum notas et pleraque gesta descripsit, videndum est unde cætera Acta, quæ in secundo Catalogo minime reperiuntur, desumpserit. Plura equidem reperiuntur in Libro Pontificali quam in secundo Catalogo, ut patet in primis ex verbis sequentibus, qnæ habentur in D. Petro : *Obiit post passionem Domini* 38. Hæc namque de tempore obitus Petri non in secundo Catalogo, sed apud D. Hieronymum libro de Scriptoribus Ecclesiasticis reperiuntur, ex quo auctor illa desumpsit.

In Vita Pii papæ habentur quidem sequentia : « Hic ex rogatu beatæ Praxedis dedicavit ecclesiam Thermas Novati in vico Patritii in honorem sororis suæ sanctæ Potentianæ, ubi et multa dona obtulit, ubi sæpe sacrificium Domino offerens ministrabat ; imo, et fontem baptismi construi fecit, manu sua benedixit et consecravit, et multos venientes ad fidem baptizavit in nomine Trinitatis. » Hæc tamen verba, ut Lucas Holstenius notavit, absunt a Florentinis codicibus manuscriptis et Regio, et quia extra ordinem apposita sunt ad finem Vitæ, postea eidem Libro Pontificali adjecta fuisse creduntur. Adjecta quoque sunt quæ in Libro Pontificali habentur sub Victore : « Hic fecit constitutum ad interrogationem sacerdotum de circulo Paschæ cum presbyteris et episcopis facta collatione, et accersito Theophilo episcopo Alexandriæ facta congregatione, ut a quarta decima luna primi mensis usque ad vigesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha. » Hæc enim ibi extra ordinem reperiuntur, postquam de ordinationibus actum erat, ubi et notandum quod illa quæ de *Theophilo Alexandrino* narrantur falsa sint, cum Theophilus Cæsareensis fuerit, ad quem Victor, teste Beda, hac de re scripsit. Adjecta tamen non sunt, sed semper in Libro Pontificali exstitisse videntur sequentia, quæ in secundo Catalogo non reperiuntur : « Fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante sacerdotes in Ecclesiam ministri portarent, donec episcopus missas celebraret, ante se sacerdotibus astantibus, et sic missæ celebrantur, excepto quod ejus episcopi interesset, ut tantum clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu episcopi jam coronam consecratam, et acciperet presbyter tradendam populo. » Quæ undenam desumpta sint, fateor me ignorare.

4. Nequaquam tamen ignoratur unde desumptum sit quod in Cornelio papa habet auctor Libri Pontificalis his verbis : « Sub cujus episcopatu Novatus Novatianum extra Ecclesiam ordinavit, et in Africa Nicostratum. Hoc facto confessores, qui se separaverunt a Cornelio cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi : et facti sunt confessores fideles. Post hoc Cornelius episcopus Centumcellis pulsus est, et ibi scriptam epistolam de sua confirmatione, missam a Cypriano, quam Cyprianus in carcere scripsit, et de Celerino lectore suscepit. » Hæc enim desumpta sunt partim ex antiquiore Catalogo, partim ex Cypriano ipso, ut auctor non obscure indicat. Reliqua, quæ habentur post beati Petri translationem de causa ob quam beatus Cornelius martyrio coronatus est, ex Actis sancti hujus pontificis desumpta sunt, uti et ex Actis Stephani, quæ auctor Libri Pontificalis habet ab his verbis : *Suis temporibus*, usque ad illa : *Fecit ordinationes*. Quæ omnia in secundo Catalogo desiderantur. Pauca omnino addita sunt in Vitis Caii et Marcellini, plura vero in Vita Marcelli, in quæ sequentia leguntur : « Hic rogavit quamdam matro-

nam, nomine Priscillam, et fecit cœmeteria via Salaria, et XV titulos in urbe Roma constituit, quasi diœceses propter baptismum et pœnitentiam multorum qui convertebantur ex paganis. » Et ut cætera omittam, plura de Lucinæ domo in ecclesiam consecrata, et per Maxentium in stabulum conversa, in illis Marcelli Actis, quæ manuscripta etiamnum supersunt, reperiuntur, adeo ut ex his vel similibus Actis desumpta esse constet.

5. Porro sicut Actis pontificum usus fuit auctor Libri Pontificalis pro Vitis illorum qui tribus primis sæculis vixerunt, ita in Vita sancti Sylvestri usus videtur varis donationibus piis et instrumentis ecclesiarum, quæ in archivo sedis apostolicæ asservabatur. Additiones enim Libri Pontificalis consistunt ut plurimum in donationibus ab imperatore Constantino, ejusque pietatis hæredibus, et Romanis ipsis pontificibus factis. Omitto eas quæ quamplurimæ in Vita Sylvestri continentur ; satis namque erit pauca ex Vita sancti Marci delibasse, in qua legitur : « Hic fecit duas basilicas, unam via Ardeatina, ubi requiescit ; et aliam in urbe Roma juxta Palacinis. Hujus suggestione obtulit Constantinus Augustus basilicæ, quam cœmeterium constituit via Ardeatina, fundum rosarum cum omni agro campestri præstantem solidos 40. In Basilica in urbe Roma obtulit hæc : patenam argenteam pensantem libras 30, urnas argenteas duas pensantes libras 20, scypham argenteam pensantem libras 10, calices ministeriales argenteos 3 pensantes libras binas : coronam argenteam pensantem libras 10, fundum Antonianum via Claudia præstantem solidos 30, fundum Vaceanum via Appia præstantem solidos 40, et trimisios duos : fundum Orrea via Ardeatina præstantem solidos 55 et trimisium unum. » Hæc omnia auctor Libri Pontificalis, qui cum Romæ scripserit, si Bibliothecæ apostolicæ aut archivo non præpositus fuerit, accessum saltem ad ea habuit, et inde notitiam donationum habuisse videtur, eaque pro augendis pontificum gestis usum fuisse. Unde colligere licet quanti fieri mereantur illa quæ hac de re in Libro Pontificali continentur, cum vel ex sedis apostolicæ archivis, vel ex Catalogis quarto et sexto sæculo concinnatis desumpta sint. Atque hæc quidem de priori parte Libri Pontificalis, quæ ab uno eodemque auctore a D. Petro usque ad Zachariam papam contexta est.

9. De Zachariæ et sequentium pontificum Actis usque ad Nicolaum primum facilius nos expediemus, cum jam supra monstratum sit quod ab auctoribus coætaneis, qui Romæ vixerunt, conscripta sint. Sic Zachariæ, Stephani III et Pauli gesta scripsit auctor Romanæ Ecclesiæ clero ascriptus, et forsan archivo apostolico præpositus. Sic etiam Vitæ Stephani IV et Adriani primi ab auctore synchrono, qui basilicæ Lateranensis aut Vaticanæ vero ascriptus erat, editæ fuerunt, ut cap. 9, num. 5, ostendimus. Auctor Vitæ Leonis III, forsan e clero basilicæ sancti Pauli fuit, ut eodem capite innuitur num. 6 Paschalis et A trium successorum, Eugenii II. Valentini et Gregorii III, Vitas ab auctoribus Romanis conscriptas esse circa eorumdem pontificum tempora, patet ex numero 7. Sergii II et Leonis IV gesta non modo ab auctore Romano et contemporaneo, sed magnæ auctoritatis viro et oculato teste fuisse descripta, monstravimus numero 8. Et quamvis ignoretur quis Benedicti III Vitam exararit, ab auctore tamen contemporaneo editam fuisse oportuit ; siquidem concinnata fuit ante Anastasium Bibliothecarium, qui Vitam illam cum Vita Nicolai primi, qui Benedicto successit, a se conscriptas Libro Pontificali adjecit, ut facile conjicere licet ex iis quæ numero 9 captis sæpe citati tradidimus.

7. Nec solum ab auctoribus coævis, sed etiam B ex authenticis Romanæ Ecclesiæ monimentis historia pontificia secundæ hujus partis conscripta fuit. Si enim Romanorum pontificum, qui ab anno 742 usque post noni sæculi medium sederunt Vitas pervolvamus, reperiemus profecto auctores Vitarum illarum ex Romanæ Ecclesiæ regestis, ex scriniis apostolicæ sedis desumpsisse ea quæ retulerunt. Omnes enim Romæ scripserunt, et vel basilicarum Lateranensis, Vaticanæ, et D. Pauli archivis præpositi fuerunt, vel earumdem basilicarum clero ascripti chartas et regesta archivorum consulere potuerunt. Sic auctor in Stephano III, Zachariæ successore : « De omnibus receptis civitatibus donationem in scriptis a beato Petro, atque a sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum pontificibus C apostolicæ sedis misit possidendam, quæ hactenus in archivo sanctæ nostræ Ecclesiæ recondita tenetur. » Sic quoque in Vita Adriani primi citat auctor donationem Caroli Magni beato Petro factam : « Sicut, inquit, in eadem donatione contineri monstratur. » Addit exemplar illius donationis super corpus beati Petri positum : « Aliaque, inquit, ejusdem donationis exempla per scriniarium hujus sanctæ nostræ Ecclesiæ descripta ejus excellentia secum deportavit. » Quibus quidem verbis indicat auctor se non fuisse scriniarium archivi Vaticani, fuisse tamen ejusdem ecclesiæ ascriptum, et donationum exempla a Scriniario exarata conspexisse. Quid plura ? In Vitis reliquorum pontificum usque ad Nicolaum I toties scriniorum apostolicæ sedis mentio facta reperitur, ut D vel ob hanc rationem eorum omnium auctorem Anastasium Bibliothecarium statuerint Onuphrius Panvinius, Ciaconius aliique viri eruditi.

8. Atque ex his omnibus patet quantæ auctoritatis posterior pars Libri Pontificalis habenda sit, utpote quæ ab auctoribus contemporaneis ex antiquis Romanæ Ecclesiæ monumentis in archivis ejus asservatis contexta est. Licet autem prior pars non conscripta sit ab auctoribus synchronis, ex antiquis tamen Romanæ Ecclesiæ monimentis pariter concinnata fuit : adeo ut pro discernendis Romanæ Ecclesiæ ritibus, pro ejusdem disciplina et dogmatibus cognoscendis, hic liber merito allegari possit, cum ex eo horum omnium notitia eruatur. Si enim de

ritibus sacrificii, qui jam inde a primis temporibus cœperunt; si de ordinationibus episcoporum, sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum et inferioris cleri, eorumque muniis; si de reliquiis martyrum, de invocatione sanctorum, de psalmis et orationibus in Ecclesia recitari solitis; si de varia summi pontificis electione; si de sexcentis aliis disciplinæ, rituum et dogmatum ecclesiasticorum capitibus agamus, reperiemus profecto in hoc Libro Pontificali unde cunctis satisfiat : perspectos habebimus hæreticorum errores et cognoscemus quando et a quibus damnati sint; conciliorum generalium acta, pontificum decreta, synodorum nationalium et provincialium statuta observabimus ; et quibus modis Ecclesiæ regimen octo primorum sæculorum spatio constitit, facile conjiciemus. Ita ut vix sciam an in tota antiquitate opus aliud reperiatur, ex quo tam multa ac ex Libro Pontificali addisci possint.

9. Atque hæc sufficiant de Libri Pontificalis præstantia et auctoritate, quam hæretici ipsi non contemnendam esse declararunt. Blondellus enim, dum contra Turrianum scribit de epistolis decretalibus primorum pontificum, observat in prolegomenis, capite 12, Libri Pontificalis scriptorem vixisse ante annum septingentesimum et citari a « Beda, Amalario Fortunato, Walafrido Strabone, et aliis Anastasio Bibliothecario antiquioribus. » Adjungit cap. 10 : « Scriptorem forte non malum esse. » Alibi fatetur, eo veteres Ecclesiæ Romanæ tabulas contineri, nihilque eo scripto incorruptius editum, nihilque a falsi suspicione alienius reperiri posse. Hanc Blondelli sententiam secutus est Salmasius, qui fatetur cum Blondello, auctorem quasi solis radio scripsisse, quorum sententiam, dum in operibus posthumis Dissertatione 1 de serie Romanorum pontificum, capite 12, improbare studet Pearsonius, rationem num. 12 adducit : « Quia auctor ejus anonymus et incertus sexti sæculi scriptor, et status primitivæ Ecclesiæ ignarus fuit. » Adjungit nonnulla quæ præoccupati animi indicia spirant, et aversæ religionibus hostem produnt : unde mirum nemini videbitur, quod narrationes in Libro Pontificali contentæ ipsi displiceant, ritus Romanæ Ecclesiæ ibidem exhibitos contemnat, doctrinas sive dogmata primitivæ Ecclesiæ in eo expressa suggillet et repudiet. Ostendimus sane ex quibus fontibus ea quæ in Libro Pontificali traduntur, desumpta sint. Ex quibus facile quisque discernet, Pearsonium humani quid passum esse, dum contra Libri Pontificalis auctorem insurgit, quem dum sæculo septimo scripsisse fatetur melius de Romana Ecclesia, ejusque disciplina, ritibus et fide instructum fuisse, quam novissimis his temporibus natos, agnoscere debuisset. Atque hoc meum de Libro Pontificali judicium est.

FRANCISCI BLANCHINI

BREVIS APPENDIX

AD DISSERTATIONEM EMMANUELIS A SCHELESTRATE DE ANTIQUIS ROMANORUM PONTIFICUM CATALOGIS.

SECTIONES APPENDICIS.

I. Appendix hæc duplici inservit dissertationi, tum Schelestratianæ jam allatæ, tum nostræ mox afferandæ et inscriptæ de Romanorum Pontificum Catalogis. — II. Auctoritas Libri Pontificalis petitur potissimum ex documentis autographis, illa ætate nondum deperditis, qua Liber iste, seu Vitæ in eodem collectæ contexebantur ab oculatis illorum temporum inspectoribus. — III. Antiqua exempla Libri Pontificalis, utpote ætate proxima eisdem documentis autographis, supplent quodammodo vices eorumdem documentorum. — IV. Variantes lectiones codicum vetustiorum editio nostra complectitur. — V. Antiquitas codicum ex illorum scripturæ speciminibus comprobatur. — VI. Idcirco fuerant ante notas hæc specimina proferenda. — VII. De utroque specimine codicis Farnesiani, priore jam allato et altero mox afferendo. — VIII, IX, X. Specimen donationis Caroli Magni ex Farnesiano codice ferme æquali sæculo donationis indicata de causa maximo in pretio habendum, hic exhibetur — XI. Specimina scripturæ duorum codicum Florentinorum ex bibliotheca S. Marci superioribus adduntur. — XII, XIII, XIV. Ætas vetustioris ex duobus Florentinis codicibus memoratis comprobatur quoque ex catalogo Antistitum Neapolitanorum in eadem ferme tempora desinente, ad quæ referuntur postremæ vitæ hujus Libri Pontificalis. — XV. Catalogus ille ad chronologiam pontificum comprobandam admodum utilis, hic profertur. — XVI. Desumptus dicitur ex Historia Joannis Diaconi. — XVII. Specimen litterarum ejusdem Catalogi. — XVIII. Specimen characteris codicis secundi ex Florentinis. — XIX. Antiquitas codicis Farnesiani comprobatur etiam ex imaginibus aliquot pontificum ibidem depictis, præcipue ex imagine S. Pauli papæ I, simillima picturis in basilica S. Pauli seriem Romanorum pontificum exhibentibus. — XX. Quæ desunt in codice Farnesiano suppleri possunt per alia genuina documenta, uti proxima dissertatio ostendet.

I. Appendicem attexere non gravabor docti præsulis dissertationi *de Antiquis Romanorum Pontificum Catalogis*, quæ lucubrationi etiam nostræ eodem de argumento conscriptæ, et proximo loco afferendæ, non erit inopportuna. Ut enim postremo capiti laudatæ dissertationis apte respondent ea quæ hanc in mantissam referimus, ita non minus commodam viam muniunt ad illa planius pervadenda quæ congessimus in opusculum proxime consecuturum. Quare hanc appendicem utrique dissertationi interserendam suasit communis utilitatis ratio, quæ unam et alteram attingebat.

II. Schelestratius capite nono suæ dissertationis a primo numero ad 6, docet ea quæ in Libro Pontificali enarrantur a B. Petro ad Zachariam, desum-

pta fuisse per auctorem, seu auctores Vitarum, ex vetustis Catalogis, ex Actis martyrum et conciliorum, ex documentis archivorum, sedis præsertim apostolicæ et basilicarum Urbis. Deinde ex numero 6 ad finem capitis demonstrat ea quæ a Zacharia ad Nicolaum I expressa sunt, per diversos auctores synchronos, ut plurimum Romanæ Ecclesiæ clero et officiis ascriptos fuisse propriis oculis perspecta dum generentur, sive collecta ex authenticis documentis ætate sua depositis aut asservatis passim chartulariis, bibliothecis, archivis hujus ejusdem Ecclesiæ, et in publicam lucem emissa coram testibus, qui fidem scriptorum arguere ac suggillare facile potuissent, si auctores illi secus ac gesta fuerant mandare litteris ausi forent. Quare intulit, tantam esse auctoritatem tantamque præstantiam hujusce Libri Pontificalis, ut numero 8 diserte affirmet « se vix scire an in tota antiquitate opus aliquod reperiatur, ex quo tam multa, ac ex Libro Pontificali, addisci possint ; » et numero 9 producat ingenua testimonia etiam criticorum catholicæ religioni cæteroqui non additorum, qui præstantiam Libri ultro agnoverunt ex comparatione Historiæ Vitarum cum monumentis genuinis eidem æqualibus. Illud præsertim retulit ex Blondello, qui ait, « in eo Libro veteres Ecclesiæ Romanæ tabulas contineri, nihilque eo scripto incorruptius editum nihilque a falsi suspicione alienius reperiri posse, » et huic persimile judicium a Salmasio profectum docuit, fatente cum Blondello « auctorem Libri Pontificalis, quasi solis radio scripsisse. »

III. Perviderant etiam Fabrottus, Holstenius et Schelestratius, Librum hunc, integra fide ac veritatis studio collectum ex genuinis documentis plerumque publicis, tanto usui posteris futurum, quanto nunc esse cognoscimus, ut vicem quodammodo suppleat illorum documentorum, quæ autographa tunc perspiciebantur quando prodibant Vitæ etiam postremæ tum Anastasii tum Guillielmi bibliothecarii, et superioribus addebantur. Quare censuerunt consulendos esse codices eorum qui exstarent antiquissimos, et variantes lectiones inde excerpendas et in publicum proferendas : ut hoc in opere edendo, nihil ab ætate nostra subtraheretur maximo illi studio veritatis, quod adeo sanctum professi fuerant auctores Vitarum in iis conscribendis.

IV. Editio nostra hoc idem studium ulterius promovit, afferens ex pluribus aliis codicibus, quotquot præstare antiquitate percepimus, variantes lectiones. Neque is erit terminus conatus nostri, pro veritatis historicæ demonstratione suscepti. Cupimus ipsa, si liceat, documenta oculis omnium subjicere. Indicata idcirco sunt in præfatione prioris tomi antiqua monumenta, quæ genuina testimonia sunt, ætati nostræ præservata, ad fontes hujus historiæ aperiendos. Nunc etiam exempla monstramus, qui fidem astruant ac præsentiam quodammodo referant autographorum. Ea vero sunt accurate delineata specimina codicum vetustiorum, unde colligitur ætas Libri Pontificalis.

V. Id unum deerat laudatæ dissertationi Schelestratii : qui cum ætatem Anastasio superiorem aut certe supparem cum Holstenio assignet codici Farnesiano, et utrique codici Florentino bibliothecæ S. Marci primas post illam tribuat, omne tulisset punctum, si prolato specimine illius scripturæ oculis peritorum rem subjecisset : præsertim cum paucis admodum liceat asserti illius veritatem longa peregrinatione, et impensa itineris non modica, aut munerum suorum officiis profectionem impedientibus, explorare.

VI. Præstiti infra post, Catalogos summorum pontificum, id quod poteram absens ab illustri bibliotheca serenissimi ducis Parmensis, opem ferente præstantissimo litterarum fautore, sæpius mihi memorando, marchione Mauritio de Sanctiis, celsitudini suæ a sanctioribus conciliis et ab arcanis Status. Specimen paginæ 16, in qua Eugenii papæ I Vita integra continebatur accuratissime transcriptum ille ad me transmisit, quod ære incisum protuli pag. XXIII *(col. 149, 150)* ad exempli fidem. Supererat ut etiam de Florentinis codicibus, tantopere commendatis ab Holstenio, lectoris eruditi mentem et oculos facerem certiores.

VII. Quod in notis ad opuscula prædicta negatum mihi tibique fuerat, lector benevole, abunde nunc ministratum appendix ista bono cum numine offeret. Acceptum vero referas beneficentiæ optimi principis, domini et Mæcenatis nostri, ac sanctissimi Patris CLEMENTIS XI, qui cum ex Ægypto Arabia et Syria copias litterarias, præsertim sacras, in Urbem convehi feliciter curaverit, passus non est viciniora hæc subsidia historiæ pontificiæ in hac Vaticana editione desiderari. Me cum deligere ille placuisset, pro confirmata viginti annorum clementia, qua studiis nostris indulgentissimum patronum se comprobat, ad insignia collatæ dignitatis perferenda eminentissimo cardinali Joanni Francisco Barbadico (litterarum patrocinium non segniter exercenti ex quo Ecclesiæ Veronensi datus episcopus, tum ad Brixiensem translatus, utrobique clariora excitavit ingenia) copiam fecit non modo adeundi Parmam et Florentiam, ubi codices illi pontificales antiquitate spectabiles asservantur, verum etiam perlustrandi autographa documenta complurium archivorum et ecclesiarum : quæ lucis publicæ usuram cum mereantur æque ac Vitæ Pontificum, a conterraneis meis editoribus acceptura esse quantocius confido. Ratus itaque a me conferendum tantumdem laboris ac diligentiæ, quantum sanctissimus Pater largitus fuerat præsidii ad hæc munimenta comparanda Historiæ pontificum ejusque editioni, inspiciendos mihi esse duxi codices Farnesianum ac Florentinos, ac describendos iis saltem partibus quæ lumina evidentiora præferrent studiosis antiquitatis ac veritatis. Cum beneficentia pontificis maximi certavit in labore nostro fovendo atque ornando serenissimi

ducis Parmensis Francisci I effusa in me liberalitas: cum patere mihi mandaverit universa antiquariæ ac litterariæ gazæ suæ monumenta, tum Parmæ, tum Colorni, ubi eminentissimum ac reverendissimum D. cardinalem Gozzadinum regia, qua solet, magnificentia hospitem exceperat; quo etiam ultro me profecturum accersere dignatus per triduum integrum cumulavit omni genere munificentiæ. Codicem itaque Farnesianum mihi pro lubitu evolvendum ac describendum contradi jussi per marchionem Mauritium de Sanctiis antea memoratum. Eo autem lubentius impendi quantum in me erat studii in libro consulendo, et in conferendo specimine characteris, jam transmisso in Vita S. Eugenii, aliisque paginis describendis ex illo celeberrimo exemplari, quo splendidius ac firmius auctoramentum diligentiæ ac veritatis positum videbam in præsentia ac testimonio eminentissimi cardinalis: cui favere optimis artibus indoles est a majoribus accepta, nostris vero studiis opitulari consuetudo virtutis, mecum exercitæ per annos plus quam triginta.

VIII. Verum ne ab instituto appendicis me revocet sollicitus ardor grati erga fautores animi, et ingenua cura testandi per quos profecerim, dicam breviter potiora quæ excerpenda esse duxi ex codice Farnesiano ad illustrandam dissertationem Schelestratii.

Memineram præfatum præsulem postremo capite ejusdem dissertationis, numero 7, dum commendaret auctoritatem etiam secundæ partis Libri Pontificalis, hæc protulisse: « Nec solum ab auctoribus coævis, sed etiam ex authenticis Romanæ Ecclesiæ monimentis historia pontificia secundæ hujus partis *(a Zacharia ad Nicolaum)* conscripta fuit. » Cujus rei comprobandæ causa illustri admodum documento, memorat donationes Pippini et Caroli Magni, per Vitarum auctores ex autographis descriptas. « Sic inquit, auctor in Stephano III, Zachariæ successore: *De omnibus receptis civitatibus donationem in scriptis a beato Petro atque a sancta Romana Ecclesia, vel omnibus in perpetuum pontificibus apostolicæ sedis emisit possidendam, quæ hactenus in archivo sanctæ nostræ ecclesiæ recondita tenetur.* Sic quoque in Vita Adriani primi citat auctor donationem Caroli Magni beato Petro factam. *Sicut,* inquit, *in eadem donatione contineri monstratur.* » Addit exemplar illius donationis positum supra corpus beati Petri, tum subdit: *Aliaque ejusdem donationis exempla per scriniarium hujus sanctæ nostræ ecclesiæ descripta ejus excellentia secum deportavit.*

IX. Hæc igitur mecum reputans, ac recognoscens antiquitatem hujusce codicis, vetustate Carolinæ donationis paulo minorem, ac tantum non supparem, duxi præ cæteris esse mihi fideliter describendum ex illo codice ejusdem donationis exemplum. Fatendum enim es. nihil præstantius deligi posse ex iis membranis, nongentorum ferme annorum ætatem præseferentibus, ad comparandam fidem veracitatis et auctoramentum historiæ Vitarum ex genuinis monimentis. Cordato cuique viro causa in aperto est si consideret Carolum Magnum curasse ut complura exempla suæ donationis per scriniarum S. R. Ecclesiæ describerentur ex autographo, eaque exempla ita descripta secum in Gallias transtulisse eodem anno quo supra corpus B. Petri suismet manibus ipse obtulerat autographum, subsignatum non modo a se, verum etiam ab universis episcopis, abbatibus, ducibus et graphionibus, communistudio offerentibus etiam judicibus suis, uti legimus Libri Pontificalis sectione 349, in Vita S. Adriani. Eodem vero sæculo, quo plura exempla suæ donationis ita descripta detulerat Carolus in Gallias, etiam exempla secundæ partis Libri Pontificalis describi et in provinciis vulgari cœpisse manifeste comprobant codices Farnesiànus et Florentini enm continentes; cum anté Carolinam donationem prior illa pars Libri Pontificalis, a S. Petro excurrens ad S. Zachariam, jam innotesceret per Venerabilem Bedam aliosque antiquiores Carolo Magno indicata et producta, ac manibus tereretur Gallorum, Anglorum aliorumque Occidentalium. Nihil itaque illustrius nihilque certius ad fidem hujus historiæ asserendam, illorumque monimentorum veritatem afferri poterat, quam codices æquales sæculo donationis, qui ibidem tunc vulgabantur, ubi auctor donationis Carolus Magnus exempla Autographi sui deposuerat. Perinde enim fidem astruunt germani documenti descripta per scriniarium exempla donationis, ac descripta per bibliothecarios et amanuenses Romanæ sedis in Historia Vitarum verba donationis, eaque cum Libro Pontificali vulgata in provinciis eodem sæculo Caroli Magni, judicum, ducum, abbatum, episcoporum regni atque imperii Carolini, qui donationi interfuerant, ejusque autographo subscripserant Scriptura igitur codicis ita vetusti demonstratio est historiæ ac donationis. Quare hanc præ cæteris jure allegatam a Schelestratio, observatam ab Holstenio, vulgatam in Galliis a Carolo Magno, ad præsidium veritatis tanquam exemplar alterum genuinum mihi fideliter describendam et huic appendici inserendam duxi, ad ostendendam veritatem secundæ partis Libri Pontificalis; quemadmodum ad illustrandam priorem partem et Catalogos. prolata a nobis fuerunt in notis Vita S. Eugenii et specimina Catalogorum Mabilloniana.

X. Sic itaque legitur codicis Farnesiani pag. 60.


ETDENUO
CONFIRMATOINTERI
ORE PACTO QUIPERE
PSAM OCTABAM INDIC
TIONE CUM INTER PARTES
PROVENERAT RESTITU
IT IPSAS PRECLARAS CI
VITATES ADDENSET
CASTRUM QUICOGNO
MINATUR COMIADU
DE QUIB OMNIB RECE
PTIS CIVITATIB DO
NATIONEM INSCRIPTIS
BEATO PETRO AD Y
SCE ROMANE ECCLESIE
VEL OMNIB INPERPE
TUUM PONTIFICIBUS

apostolice sedis e
misit possidendas
Que etusque actenus
in achibos cenre ec
clesię recondite te
netur. Ad recipi
endas uero ipsas ci
uitates misit ipse
xpianiss. fracorum
rex suum consilia
rium. idest fuira
dum uenabbatem
et pbrum absolsit.
Et continuo eius exi
mietas feliciter cum
suis exercitibus fran
ciam reppedauit.
Prenominatus autem
fuiradus uenabb. et
pbr rabennantium
partes cum missis
iam fati aistulfire
gis coniungens et per
singulas ingrediens
ciuitates tam pen
ta poleos et emilie
easy recipiens et ob
sdes per unam yuay;

auferens ay: primatos
secum unacum claues
portarum ciuitatum
deferens romam con
iunxit. Et ipsas chabes
tam rabennantium uf
bis yuay; diuersarum
cibitatum ipsius raben
nantium exarchatus
Unacum sstadonatio
ne de eisa suo regee
missa in confessione
beati petri ponens
eidem dia postolo et
eius uicario sciss pape
Ady; omnib; eius succes
sorib; pontificib; per
enniter possidendas
ad que disponendas tra
didit idest rabenna
ariminio. pensauro
conca fano. cesinas.
sinogalias. esis pbo
rum populi. forumo
libi. cum castro susu
bio. monte feretri
acerreagio. monte
lucati. serracas. El

Ex eodem Codice Farnesiano
Vita S. Pauli papæ I.



Specimen Codicis antiquioris ex duobus in Bibliotheca S. Marci Florentiæ asservatis.
Series episcoporum Neapolitanorum ab Holstenio observata



Ex eodem Codice
Series Pontificum Romanorum



Specimen alterius Codicis minus antiqui in eadem Bibliotheca S. Marci



Hæc itaque ex codice Farnesiano, omnium antiquissimo, duxi exscribenda et exhibenda, ad vim demonstrationis complendam in argumentis Holstenii et Schelestratii quæ indicant fontes genuinos historiæ pontificalis.

XI. Non levia quoque momenta solidæ veritatis addenda sunt ex duobus codicibus Florentinis bibliothecæ S. Marci; quos ut evolverem, conferrem, transcriberem, in ea temporis angustia qua premebar maturans reditum meum in Urbem, operam quoque suam amicissime contulerunt admodum rev. Patres ordinis Prædicatorum, tanto studio incitati ad bene merendum de litteris, quantum etiam in Urbe experimur, dum bibliothecam Casanatensem adeuntibus patentem exhibent, pro constanti ingenio sacræ illius familiæ, ad mentes hominum pietate ac doctrina excolendas natæ.

XII. Duorum codicum, quos Holstenius vidit ac cæteris indicavit in bibliotheca Florentina S. Marci tanquam præstantia proximos a Farnesiano, unum dixit antiquiorem et scriptum litteris Longobardicis. Codex est membranaceus in forma octavæ partis folii ut vocant, et vetustatis suæ documenta præfert non modo in scriptura textus Libri Pontificalis, verum etiam in Catalogo episcoporum Neapolitanæ Ecclesiæ, qui præmittitur Vitis pontificum Romanorum, et indicat, ni fallor, ad Ecclesiam Neapolitanam hunc librum aliquando pertinuisse, aut descriptum fuisse a simili codice, qui ad eamdem Ecclesiam spectaret.

XIII. Porro Catalogus ille Neapolitanorum antistitum confert plurimum ad corroborandam *chronologiam, historiam et antiquitatem* operis Anastasiani. Singulis enim episcopis Neapolitanis assignat annos episcopatus, plerumque etiam menses ac dies : tum addit nomina pontificum Romanorum et imperatorum qui per eosdem annos vixerunt ; eoque nomine contestis est chronologiæ pontificiæ plurimi faciendus, præsertim cum adnotaverim in præfatione prioris tomi hujus editionis numero 26, in ecclesia Nolana ejusque vetustissima basilica et cœmeterio S. Felicis in Pincis dicto, plurimum exornata musivis operibus ac versibus a B. Paulino, adhuc superesse tot vetustas inscriptiones, quot ibidem retuli, consignatas nominibus pontificum Nolanorum, eorumque annis episcopatus, nec non consulibus, quibus deponebantur. Vicinia utriusque ecclesiæ, Neapolitanæ ac Nolanæ, et cœmeteria Romanis similia, quæ Neapoli conspiciuntur, et abundant vetustis inscriptionibus genuinis (mihi spectatis beneficio eminentissimi cardinalis Cauteloni tum archiepiscopi, æque sanctissimis moribus ac sacra doctrina illustris, vigilantia, constantia, prudentia omnique pastorali virtute memoriæ æternæ commendati), demonstrant, epochas illius provinciæ antistitum fuisse non minus diligenter litteris mandatas. Ejus rei documentum aliud superest in cœmeterio S. Gaudiosi, uti cardinalis doctissimus demonstrabat ; ubi supersunt adhuc vetustissimæ orbiculares imagines episcoporum a S. Asprenate, primo Neapolitanorum episcopo, seriem successorum ordientes, et singulorum nominibus insignitæ : quæ picturæ in ingressu cœmeterii ; perinde ac in suburbanis Romæ et cryptis atque cubiculis martyrum, olim coloratæ, superinducto post aliquot sæcula primo ac secundo calcis integumento, conspicuæ sunt ubi fragmenta posterioris integumenti exciderunt. Orbiculi vero has imagines episcoporum includentes imitantur speciem illorum qui seriem pontificum retinent in basilica S. Pauli via Ostiensi, et in Zophoro veteris basilica Vaticanæ observabantur antequam dirueretur sub Paulo V, quorum si exempla requiras Romæ ab octavo et nono sæculo, satis erit in titulo S. Praxedis observare oratorium sive capellam S. Zenonis, a S. Paschali I similiter in fronte exornatam, et in hypogæo utriusque diaconiæ S. Mariæ in via Lata, et S. Nicolai in carcere Tulliano prophetarum imagines orbiculis ejusmodi inclusas et coloribus efformatas, additis nominibus singulorum. Reperies apud præsulem Ciampinum tomo II Veterum Monimentorum, plerasque ex his æneis tabulis incisas ; et apud eumdem, tomo I, cap. 21, in musivo tituli S. Sabinæ sub Cœlestino I, et in basilicæ Liberianæ arcu triumphali et musivo sub Xisto III, videbis morem ita servatum quarto et quinto sæculo æræ Christianæ. Nam imagines SS. apostolorum Petri et Pauli in orbiculis coloratas et altari impositas pro veteri consuetudine exhibet nostrum musivum quinti sæculi, in basilica Liberiana a Xisto III constructum. Quam consuetudinem Romæ docent etiam sæcula superiora ; nam in vitreis orbiculis ætate martyrum auro interrasili delineatas nostra cœmeteria suburbana persæpe offerunt sacras imagines cum nominibus Christi Domini ejusque virginis matris, apostolorum, martyrum aliorumque sanctorum, quas Aringhius in Roma Subterranea, Fabrettus in tomo Inscriptionum, et omnium elegantissime illustravit Philippus Bonarroti senator Florentinus, in studio Rei Antiquariæ persæpe emeritus Olympiadibus nomen dare. Novissime etiam perstrinxit hanc sacram metam piissimus martyrum custos, cultor et illustrator M. Antonius canonicus Boldettus, lib. I, cap. 39. Observationum ad cœmeteria, quibus tum Romana tum longe dissita luculenter exornat.

XIV. Catalogus igitur ille præsulum Ecclesiæ Neapolitanæ, quorum imagines ac series veteri ex consuetudine orbiculis commendatas in sacris cœmeteriis spectabantur, in codice vetustiori ex Florentinis integer exhibetur, tantoque in pretio habendus est, ut integrum dare necessarium ducam. Operis enim Anastasiani testis omnino æqualis ætate accedit ; cum desinat in quadragesimo septimo episcopo Stephano : cui præmittitur quadragesimus sextus inter Neapolinos antistites Athanasius, hac epocha ornatus. *Athanasius episcopus sedit annos* XXXVII, *mens.* VI, *dies* II. *Hic fecit basilica sancti Juliani martyris foris Urbe sita. Fuit temporibus Joanni. Marint. Adriani. Stephani. Formosi papæ, et Basilii, et Leoni, et Alexandri ejus*

filiis imperatoribus. Liber pontificalis a Guillelmo bibliothecario continuatus post Anastasium pertingit ad eosdem pontifices Adrianum II et Stephanum VI, Formosi proximos decessores. Testem igitur synchronum dabo Libro Pontificali Catalogum Neapolitanum, et quidem integrum, una cum mendis quibus respersum est. Menda enim ipsa et barbaries fidem ætatis faciunt, æque ac specimen characteris, uti ostendimus in præfatione ad tomum primum, numero 39 et sequentibus. En ipsum Catalogum et specimen scripturæ Longobardicæ ab Holstenio dictæ. (*Vid. supra, col.* 227, 228.)

XV. « *Hæc sunt Nomina Antistitum, qui Neapoli, et quorum tempora fuerunt id est*: »

« Aspren episcopus sedit annos xxiij. Fuit temporibus Clementis. Anacliti Evaristi. Alexandri papæ. et Trajani et Adriani imperatoribus. ij. Epitimitus episcopus sedit annis xvij. Fuit temporibus Xysti. Telesphori papæ. et Adriani imperatoris. iij. Maron episcopus sed. ann. xxiiij. Fuit temporibus Igini et Pii papæ. et Antonini Pii imperatoris. et filiorum ejus iiij. Probus episc. sed. ann. xxiiij Fuit temporibus Anecyti. Soteris. Eleutheri papæ. et Antonini Veri. et Lucii Commodi. et Elii Pertinacis. seu Severi imperatoris. v. Paulus episc. sed. xxxj. Fuit temporibus Victoris. Zepherini. Calisti papæ. et Antonini Caracalla et Macrini imp. vj. Agrippinus episc. sed. ann. xij. Fuit temporibus Urbani. Pontiani papæ et Aurelii, et Alexandri imp. vij. Eustachius episc. sed. ann. xvij. Fuit temporibus Anteri. Fabiani papæ. et Maximini. et Gordiani. et Philippi imp. viij. Ephebus episc. sed. ann. viiij. Fuit temporibus Cornelii. Lucii. Stephani papæ. Et Decii. et Galli. et Volusiani. et Emiliani. et Valeriani et Gallieni imp. viiij. Fortunatus episc. sed. ann. xxj. Fuit temporibus Xysti. Dionisii. Felix. Euticii papæ et Claudii. et Aureliani. et Taciti. et Probi imper. x. Maximus episc. sed. ann. xxij. Fuit temporibus Gagi. Marcellini. Marcelli pap. et Cari. et Carini. et Aureliani, et Diocletiani. et Maximiani imp. xj. Zosimus episc. sed. ann. xxij. sub quo sancta Restituta a Constantino imp. facta: Fuit temporibus Eusebii. Miltiadi. Silvestri pap. et Constantino imp. xij. Severus episc. sed. ann. xlvij. mens. ij. dies xj. Hic fecit basilicas iiij. una foris Urbe juxta sanctam Susanna. et nominis sui. alia intra civitate. que alii Severiana. alii sanctum Georgium vocant. Et fecit S. Martini. et sancti potiti monasteria. temporibus Silvestri. Marci. Julii. Liberii. Felici papæ. et Constantini. et Constanti. et Constantini. et Constantis Filii ejus. et Juliani. et Jobiniani. seu Balentiniani imp. xiij. Ursus episc. sed. ann. iiij. Fuit temporibus Damasi pap. et Valenti. et Gratiani imp. xiiij. Johannes episc. sed. ann. xxvij. Fuit temp. Damasi. Siricii. Anastasii pap. et Theodosii. et Arcadio. et Honorii imp. ejus filiis. xv. Nostiamus episc. sed. ann. xvij. Hic fecit Balneum Nostiani. Fuit temporibus Innocentii Zosimi. Bonifacii pap. et Theodosii. xvj. Timasius episc. sed. ann. xxxj. Fuit temporibus Celestini. Xisti. Leoni pap. et Theodosii imp. xvij. Felix episc. sed. ann. viiij. mens. iij die vi. Fuit temp. Leoni pap. Marciani. et Balentiniani imp. xviij. Soter episc. sed. ann. xxj. Hic ecclesiam beatorum Apostolorum construxit Fecit et baptisterium fontis majoris intus episcopio. Fuit temporibus Hylarii. Simplicii. Felici pap. et Leoni imp. xviiij. Victor episc. sed ann xj. mens. x. Hic fecit basilicas duas foris civitatem. Unam ante ecclesiam S. Januarii martyris. et S. Agrippini confessoris ad nomen S. Stephani. alia ad nomen sanctæ Euphemie martyris. Fuit temporibus Gelasii pap. et Zenoni imp. xx. Stephanus sed. ann, xv, mens. ij. Hic fecit basilicam ad nomen Salvatoris copulata cum episcopio que usitata nominis Stephania vocatur. Fuit temporibus Anastasii. Simmachi pap. et Anastasii imp. xxj. Pomponius episc. sed. annos xxviij. dies x. Hic fecit basilicam ad nomen sancte Dei genitricis semper Virginis Marie que dicitur majoris. Fuit temporibus Ormisde. Johanni. Felici Bonifacii papæ. et Anastasii. et Justini imp xxij. Joannes episc. mediocris sed ann. xx. dies xj. Hic absida ecclesia Stephanie lapsa ex incendio reformavit. Fecit basilicas sancti Laurentii martyris. Fuit temporibus Johanni. Agapiti. Silverii, Vigilii. pap. et Justini imp. xviij. Vincentius episc. sed. ann. xxiij. Hic fecit prefulgida ecclesia ad nomen beatissimi precorsoris Johannis Baptiste. Fecit et baptisterium fontis minoris intus episcopio. Fuit temporibus Pelagii Johanni pap. et Justiniani et Justini imp. xxiiij. Redux episc. sed. ann. iij. dies xxiiij. Fuit temporibus Benodicti pap. et Tiberii Constantini imp. xxv. Demetrius episc. sed ann. iiij. Fuit temporibus Pelagii pap. et Mauricii imp. xxvj. Fortunatus epic. sed. ann. vij. dies xj. Fuit temporibus Gregorii pap. et Mauricii imp. xxvij. Paschasius epis. sed. ann. xiiij. dies vj. Fuit temporibus Sabini. Bonifacii. alius Bonifacii pap. et Foce imp. xxviij. Johannes episc. sed. ann. xx. mens. vj. dies xiiij. Hic fecit consumatorium albatorum inter fontes majore et ecclesiæ Stephaniæ. Fuit temporibus Deusdedit. Bonifacii. Honori pap. et Eraclii imp. xxviiij Cesarius episc. sed. ann. iiij. dies iiij. Fuit temporibus Seberini pap. et Eraclii imp. xxx. Gratiosus episc. sed. ann. vij. Fuit temporibus Johanni. Theodori pap. et Eraclii et filii ejus imp. xxxvj. Eusebius episc. sed. ann. vj. Fuit temporibus Martini pap. et Constantini imp. xxxij. Leontius episc. sed. ann. iiij. Fuit temporibus Eugenii pap. et Constantini imp. xxxiij. Adeodatus episc. sed. ann. xviij. Fuit temporibus Vitaliani pap. et Constantini imp. xxxiiij. Agnellus episc. sed ann. xxj. dies xv. Hic fecit basilica ad nomen sancti Laurentii martyris, que dicitur diaconia. Fuit temporibus Adeodati, Doni. Agathoni. Leoni. Benedicti. Johanni. Cononi. Sergii pap. et Constantini Justiniani imp. xxxv. Julianus episc. sed. ann. vij mens. iij. Fuit temp. Sergii pap. et Leontii et Tiberii imp. xxxvij. Faustus episc. sed. ann. xv. mens. viij. dies xxvj. Fuit temp. Johanni alterius Johanni. Constantini pap. et Justiniani, et Philippici. et Anastasii. et Theodosii imp. xxxvij. Sergius episc. sed. ann. xxviij. mens. iiij. dies iiij Fuit temporibus Gregorii. alterius Gregorii. Zacharie pap. et Leoni. et Constantini imp. xxxviij. Cosmas episc. sed. ann. j. mens ij. dies iij. Fuit temp. Zacharie pap. et Constantini imp. xxxvitij. Caldus episc. sed. ann. xij. mens. iiij. dies iij. Hic fecit ecclesiam sancti Sossi non procul ab urbe. Fuit temp. Stephani pap. et Constantii imp. xl. Paulus episc. sed. ann. iiij. mens. ij. dies vi. Hic construxit marmoreum baptisterium in monasterio sancti Januarii foris Urbe Fuit tempore Pauli pape et Constantini imp. xli. Stephanus episc. sed. ann. xxxiij. mens. v. dies xxvij. Hic fecit ecclesiam sancti Petri intus episcopio. fecit et intra monasteria ad nomen sancti Festi. et sancti Pantaleonis mart. et sancti Gaudiosi confessoris. Addidit etiam in sancti Gaudiosi monasterio basilica sancte Susanne in qua corpus ejusdem martyris ibi ipse recondidit. Renovavit ecclesia Stephanie igne cremata. Et ibi corpora sancti Euticeni, et Acutii mart. collocavit. fuit temp. Stephani. Adriani pap. et Constantini. et Leoni et Constantini imp. xjli Paulus episc. sed. ann. xx. mens. iiij. dies vj. sub hoc fecitque domna Euphrasia monasterium sancte Marie que dicitur ad Albini, et Anthimi consul fecit basilicam sancti Pauli apostoli. et monasterium sancti Cyrici et Julitte mart. fuit temp. Leoni. Stephani Paschali pap. et Ereni et

Nicifori. et Stauraci. et Micheli. et Leoni. et Constantini imp. xliij. Tiberius episc. sed. ann. xx. mens. iiij. dies xj. in diebus Theodenand. et relicta pre... Anthimi Ducis in pretoriu. fecit monasterium. ad nomen sancti Marcellini et Petri mart. fuit temp. Eugenii. Balentini. Gregorii pap. et Michaelio et Theophili imp. filio ejus xliiij. Johannes episc. sed. ann. vij. mens. viiij. dies xxij. fuit temp. Sergii pap. et Michaeli imp. xlv. Athanasius episc. sed. ann. xxij. mens. vj. dies xxiiij. Hic ecclesia sancti Januarii mart. intus episcopio renovavit. Fuit temp. Leoni. et Benedicti. Nicolai Adriani pap. et Michaeli. et Basilii imp. xlvj. Athanasius episc. sed. ann. xxij. mens. vj. dies ij. Hic fecit basilica S. Juliani mart. foris urbe sita. Fuit temp. Johanni. Marini. Adriani. Stephani. Formosi pap. et Basilii. et Leoni, et Alexandri ejus filiis imp. xlvii. Stephanus episc. sed. ann. viij. mens. x. dies.... »

XVI. Liceat Catalogo subnectere periocham in eodem codice illi præfixam rubricatis litteris manu Holstenii, ni fallor, his verbis : *Est Epitome Joannis diaconi, cujus opusculum de Episcopis Neapolitanis habetur in bibliotheca Vaticana.* Joannem diaconum Romanæ Ecclesiæ sub Joanne papa VIII, cui etiam inscripsit Vitam S. Gregorii Magni, et sub imperatoribus Ludovico Juniore et Carolo Calvo memorat Sigibertus in Chronico ad annum 873 et in Catalogo cap. 107. tum ex eo Vossius de Historicis Latinis lib. II, cap. 36. Eumdem Joannem diaconum Anastasii Bibliothecarii non modo æqualem, sed etiam amicum et familiarem fuisse affirmat Labbe de Script. Ecclesiasticis non uno in loco. Quare tum nihil affinius huic operi compingi poterat in unum codicem, tum nihil affinius accedere huic editioni, et per nos afferri, sive ad ætatem sive ad testimonium collectionis Vitarum comprobandum æqualibus documentis : præsertim cum eodem sæculo nono, quod Catalogus iste claudit, præcessisset sub Carolo Magno illustris ille diaconus Paulus Wenifrid (cujus opera cum Joannis diaconi Miscella fuisse confusa nonnemo apud Labbeum et Vossium observat), et Metensium episcoporum seriem ac gesta conscripsisset, flagitante Angerano archiepiscopo : non secus ac Joannes iste diaconus seriem et gesta episcoporum Neapolitanorum, hortatu forsitan alicujus antistitis ejusdem Ecclesiæ, pro more illius ætatis, quæ imitari cœpit bibliothecarios Romanæ sedis in serie ac gestis suorum præsulum colligendis, uti constat ex Agnelli Opere de Archiepiscopis Ravennatibus, aliisque ad hanc circiter ætatem referendis. Indicare etiam possumus alium Joannem diaconum sancti Januarii, a quo Acta illius beati episcopi ac martyris, Sosiique ac sociorum descripta fuisse legimus apud Vossium de Hist. Lat. pag. 708, cum eorumdem translationi interfuerit, licet a Vossio recenseatur inter scriptores ætatis incertæ, et cum translatio S. Januarii contigerit sæculo nono, uti ex Chronico Casinensi compertum est. Sive igitur secundus hic Joannes diaconus S. Januarii, sive prior ille Romanus Anastasio bibliothecario amicitia junctus (cui ego fidentius tribuerem) construxerit Catalogum hunc spectabilem in codice Florentino tantæ antiquitatis, quantam declarat specimen scripturæ ac series pontificum ; ejus Joannis diaconi testimonio passim utuntur historici Ecclesiæ Neapolitanæ, et cum his Ughellius Italiæ Sacræ tomo VI, licet Catalogum ipsum in bibliotheca sancti Marci latentem nemo quod sciam hactenus produxerit.

XVII. In tabula secunda hujus Appendicis æri incisa, post imitationem codicis Farnesiani, retuli specimen Catalogi memorati, et primos versus Libri Pontificalis, in vetustiore ex duobus codicibus Florentinis ita perscriptos litteris, quæ Holstenius nominitat Langobardicas.

XVIII. Paulo recentioris ætatis est alter codex Florentinus S. Marci ; non tamen a superiori adeo remotæ ut sæculum decimum consequatur. Quod ex adjecto in eadem tabula specimine constare potest.

Codicis istius (pariter membranacei) folia Vitas Pontificum perducunt ad sectionem circiter 323 nostræ editionis in Vita Adriani I. Succedunt folia et quaterniones nonnulli expositionis B. Ambrosii episcopi in Cantica canticorum.

XIX. Ne quidpiam per nos omittatur quod illustrare valeat tum documenta scripturæ Vitarum æqualia collectioni Anastasii, tum observata Appendicis nostræ ad dissertationem Schelestratii tribus in codicibus commendatis, apposui in tabula speciminis characterum codicis Farnesiani initium Vitæ S. Pauli papæ primi : in quo littera princeps exhibet protomen ejusdem pontificis graphice delineatam in orbiculari figura, persimili clypeatis imaginibus pontificum Romanorum, spectandis in basilica S. Pauli Via Ostiensi, aliisque Romanis, indicatis hac in appendice num. 13 et fusius exponendis in proxima dissertatione. Poteram et alias imagines proferre ex eodem codice pontificis benedicentis, quæ visuntur in fine S. Leonis III, ante initium Vitæ S. Adriani, et persimiles sunt iis quæ spectantur in musivis ecclesiarum Urbis eadem ætate constructis. Verum ea satis esse sum ratus, quæ includi commode poterant in ænea lamina, litterarum specimini exhibendo destinata.

XX. Dolendum vero est in eo codice Farnesiano desiderari Vitas priorum pontificum a S. Petro ad S. Silverium : quæ si superessent, epochæ singulorum conferri poterant cum aliis exemplaribus Vitarum, et cum numeris chronologicis superstitibus inter picturas pontificum memoratæ basilicæ Paulinæ via Ostiensi a S. Petro ad S. Innocentium primum, reservatas ad illustrandum in proxima nostra dissertatione. Supplere tamen conabor detrimenta codicis præstantissimi per alia genuina monumenta historiæ pontificiæ, et aliorum codicum ætate proximorum : quibus præmitti debuit notitia Farnesiani et Florentinorum, hac in appendice prolata.

FRANCISCI BLANCHINI

DISSERTATIO

DE ANTIQUIS ROMANORUM PONTIFICUM CATALOGIS,

Eorumque comparatione ac delectu instituendo,

Ex genuinis documentis Romanæ Ecclesiæ ad usum historiæ et chronologiæ.

CAPUT PRIMUM.

De regulis observandis ad examen rectæ chronologiæ, præsertim pontificiæ.

SYNOPSIS CAPITIS.

I. Vitæ pontificum Romanorum originem ducunt ex catalogis, et continent tres præcipuas notiones, nempe *successionem, chronologiam* et *gesta* eorumdem pontificum. — II. Successio non interrupta summorum pontificum, quæ notio est omnium præstantissima, et maxime necessaria, colligitur quidem ex Catalogis, sed etiam ex SS. Patribus abunde comprobatur. — III. Chronologiæ pontificiæ discrimina plerumque emanarunt ex imperitia aut negligentia amanuensium et descriptorum. Qua ratione descriptorum copia reputanda sit noxia potius quam commoda pontificiæ chronologiæ recte instituendæ, nisi *usus* et *criterium* tot descriptorum et codicum certis regulis referatur ad indaginem veritatis. — IV. Ejusmodi regulæ capite proximo erunt proferendæ, et comprobandæ ex artis criticæ axiomatibus ac disciplina.

1. Vitarum quæ hic illustrantur, originem deberi antiquis Catalogis tam hodie certum exploratumque est, quam quod maxime. Cum enim Vitæ tria complectantur *successionem, chronologiam* et *gesta* eorum qui Petro apostolorum Principi subrogati, cum Romano episcopatu universalis Ecclesiæ regimen, huic sedi affixum, susceperunt administrandum ; *successio* manifestatur in omnibus Catalogis ; in plerisque *chronologia* ; *gestorum* vero pars in aliquibus continetur. Jure igitur factum est ut primum de Catalogis pontificum agant qui eorumdem Vitas contendunt illustrare.

2. Ex triplici autem notione *successionis, chronologiæ* et *gestorum* præcipua cum sit et maxime necessaria illa princeps, quæ non interruptam ostendit seriem pontificum maximorum, vicaria Christi potestate in terris fungentium ad universalis Ecclesiæ regimen administrandum, divinæ providentiæ consilio factum videmus ut non interrupta constaret illa successio, tum per Catalogos, tum per scripta Patrum ad nos transmissa ab ipsis Ecclesiæ incunabulis. Quæ consideratio suasit sæpe laudatum Schelestratium ut ostenderet, ex Irenæo aliisque Patribus, eamdem seriem ac successionem quam ipsi ex diptychis hauserant aliisque documentis ætatum sibi proximarum, servari in Catalogis et in Libro Pontificali ex constanti traditione majorum. Si quæ vero exigua difficultas suboriretur de uno vel altero numerando vel inter pontifices successores, vel inter vicarios et coadjutores absentium, sive etiam de eximendo vel recipiendo in censu pontificum legitimorum occasione schismatis tunc suborti, ea satis dissolvitur ac dissipatur documentis ab Ecclesia receptis et approbatis, ut in Felice II aliisque perpaucis erit suo loco demonstrandum.

3. Cum itaque satis cautum sit successioni non interruptæ, quæ præcipua erat cura et consilium scriptorum in Catalogis attexendis, superest ut secunda illa notio, scilicet chronologia et epocha uniuscujusque pontificis, ex iisdem Catalogis deducatur. Hic vero nonnemo usurparet tritum illud : *Inopem me copia fecit.* Abundantia enim auctorum, passim obtrudentium Catalogos pontificum Romanorum sine delectu, aut certe non memoratis fontibus et documentis unde petuntur epochæ iisdem tributæ, efficit ut frequens numerorum discordia, quæ annis, mensibus ac diebus irrepsit vel ex amanuensium incuria, vel ex notitiis temere ac tumultuarie collectis, ipsa copia scriptorum et descriptorum, inter se discrepantium, impediat potius quam adjuvet studiosos chonologiæ in vera temporum ratione constituenda. Turbantur vero maxime criticorum judicia in his temporibus definiendis ab aspectu et mutua collatione veterum Catalogorum, quæ decem aut plura etiam sæcula antiquitatis præseferunt. Dissimulare minime possumus Catalogum Liberianum haberi quidem omnium vetustissimum consensu doctorum hominum, verum incusari de vitiata ratione consulum non uno in loco, idque contra Fastorum fidem ; et quod inde necessario consequitur, de intervallis temporum perperam numeratis in eadem pontificia chronologia per mendosa consulum paria inde collecta. Alterum Catalogum a priori proximum antiquitate, et contextum imperante Justiniano observant non consentire cum reliquis passim productis ab eodem Schelestratio, qui duos priores excudit, necnon a Sirmondo et Mabillonio, et Pagio, qui complures ediderunt ex codicibus bibliothecarum illustrium, exaratis sexto, octavo ac nono sæculo æræ Christianæ.

4. Ne tamen animo despondeamus in elicienda

vera chronotaxi ex tanta varietate sive scriptorum, sive descriptorum et amanuensium, acceptum ferimus *regulis* proximo capite proferendis ac stabiliendis, ut nostro examini præmittantur tanquam leges judiciorum certæ, et prudenti cuique adhibendæ atque observandæ in criterio historiæ veritatis.

CAPUT II

Traduntur regulæ ad inquirendam Chronologicam veritatem ex Catalogis vetustioribus, tempora diversimode consignantibus in data serie pontificum Romanorum necnon aliorum principum ac virorum illustrium.

SYNOPSIS CAPITIS.

I. Regulæ criterii statuendæ, quibus utamur in præferendis Chronologorum sententiis, ac testimoniis quibus innituntur. — II. *Regula prima.* In temporibus asserendis consulere præstat monumenta publica, si quæ sunt: eaque præferenda, quæ per viros idoneos posita, loco ac tempore sint proximiora ætati,, de qua cum maxime agitur. — III. Regulam confirmant exemplis scriptores maxime illustres historiæ et chronologiæ sacræ, etiam divinitus inspirati. — IV. Eamdem sequuntur etiam auctores Historiæ et chronoligiæ profanæ, qui cæteris sui generis præcellunt. — V. *Regula secunda.* E publicis, ac proximis tum ætate tum loco documentis, magistratuum cura et auctoritate positis, illa præferantur, quæ semel constituta per idoneos ac legitimos curatores publicæ voluntatis, permanserint adeo integra et custodita, ut nullum præseferant indicium erasionis, aut mutationis, sed neque temere violari potuisse reipsa constet. — VI. *Corollarium regulæ secundæ.* Exemplorum emendationes, si exemplaria autographa nulla sint unde peti possint, requirantur ex documentis publicis ætatis ejusdem aut proximæ. — VII. *Regula tertia.* Ex documentis, aliunde ministratis quam ex loco ubi res proxime gerebantur, suffragii prærogativa sit penes illud, cujus auctori causa scientiæ, peritia disciplinæ, ac studium veritatis facultatem dederit ampliorem temporis ac rerum perquirendarum. — VIII. *Corollaria duo regulæ tertiæ. Corollarium primum.* Consensus plurium Scriptorum vel documentorum loco ac tempore proximorum, præsertim si publica auctoritate muniantur, indicium habendum est veritatis historicæ et chronologicæ *Corollarium secundum.* Ex hujusmodi consensu rationabiliter emendantur exempla posterius descripta, si ab eo et ab antiquioribus differant. — IX. *Regula quarta.* Commensus temporum, ab historicis documentis indicatorum, cum diebus legitimis, a jure constitutis ad ea peragenda quæ gesta memorantur, indicium est chronologiæ recte institutæ. — X. Exempla hujus regulæ proferuntur. — XI. *Quinta regula.* Demonstratio chronologiæ recte institutæ erit character aliquis observati motus cœlestis, qui exacte respondeat intervallo temporis; requisito ad eos motus cœlestium corporum perficiendos. — XII. Exemplum illustre hujus quintæ regulæ exhibetur in referendo anno consulatus (et mortis) Joviniani Augusti, collega Varroniano filio, ad annum æræ Christi communis 364, eidemque assignandis motibus cœlestibus, in vetusta epigraphe, tum temporis posita, consignatis. — XIII. Ex eodem consulatu ita comprobato stabilitur epocha pontificatus, a S. Damaso suscepti, anno vulgaris æræ Christi 366.

1. Discrepantia summarum quæ colliguntur in chronologica sirie dirigenda ætatis, vitæ ac regiminis pontificum Romanorum, sive quorumvis principum ac virorum illustrium, ad complura præsertim sæcula pertingentium, cum in arithmeticæ regulas referri minime possit, rite servatas in methodo annorum Julianorum, perinde constituta apud uniuscujusque sententiæ sectatores in periodo Juliana, A sive alia qualibet ab universis chronologis recepta; proveniat necesse est ex regulis criterii, sive judicii, quibus chronographi et biographi discrepantes utuntur in comparatione, prælatione ac delectu testimoniorum, unde singuli accipiunt partes ætatum, subinde colligendas in solidum epilogismum ac summam. Tantum igitur deferendum erit uni potius quam alteri supputationi ac sententiæ, quantum regulæ delectus instituendi ad præferendam unamquamque rationem ac summam, atque testimonia illam affirmantia, propius accesserint ad indicationes maxime probabiles historicæ veritatis. De his igitur *regulis* delectus erit antea statuendum, per quas contendimus, inter discrepantes sententias eam deligere et consectari, quam ratio criterii demonstret B propius accedere ad veritatem. Regulæ autem criterii nostri breviter exponentur, earumque firmamenta petentur ex necessaria connexione quam ratio ostendit iisdem inesse cum veritate.

REGULA PRIMA.

2. Prima delectus regula est ut in examine, comparatione ac prælatione cujuslibet chronologiæ documenta publica, si quæ sunt, consulamus, per viros idoneos posita, eaque præsertim quæ propius accedunt ætate ac loco ad eos viros eorumque gesta de quibus chronologia atque historia contexitur et ordinatur.

Duas itaque notiones considerat in documentis chronologiam firmaturis hæc nostra regula: ut C *publica* sint, quod est primum; utque *propiora,* quod erit alterum.

3. Utrique parti auctoritatem conciliant scriptores artis historicæ quotquot excellunt, et in eo scribendi generi habentur principes, præsertim studio veritatis, quæ potior est laus historiæ. Nam si ab illis scriptoribus petenda regula sit, quos Veritas ipsa instituit, hi quoque divinitus inspirati digitum intendunt ad publica documenta, ut temporum a se designatorum characteres ostendant. Edictum Cæsaris Augusti Lucas commemorat, cum descriptio prior sub Quirino adhibenda est ad annum Christi natalem indicandum. Ejusdem vero baptismi ac magisterii exordia ut enuntiet ac liberet ab omni obscuritate, recenset tum sacros, tum civiles ma- gistratus, qui potestate publica tum temporis fungeD bantur in ea regione ubi gerebantur illa quæ sibi describenda esse noverat in Evangelio: *Anno quinto decimo,* inquit, *imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.* Quæ dum observant veteres Patres, præter mysteria sacris litteris semper insita, causas etiam reperiunt ita deducendi per documenta publica et proxima mentes hominum ad percipiendam attentius ac tenacius retinendam veritatem. De priori etenim

epocha Cyrini, a S. Luca memorata, ita sentit Ambrosius (*a*). « Præside, inquit, Cyrino, facta est hæc prima professio, ut quasi consulem quemdam signi gratia huic libro evangelista adscripsisse videatur. Nam si consules ascribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus ascribi? Habes ergo omnia quæ in contractibus esse consueverunt. Vocabulum summam illic potestatem gerentis, diem, locum, causam, testes quoque adhibere solent. Hos quoque nativitati suæ et generationi secundum carnem Christus adhibuit qui signarent Evangelium, dicens : *Vos eritis mihi testes in Hierusalem.* » De secundæ chronologiæ characteribus late disserit S. Gregorius (*b*) plura ex mystico sensu producens, ex litterali vero id præcipuum exponens, temporum scilicet enarrationem ita diligentem pro more veterum prophetarum fuisse ab evangelista servatam ut nulla deesset auctoritas instrumenti, divina licet fide longe solidius firmati, ex iis indicationibus, quas rationabilis cura solet in publicis et gravissimis actibus adnotare. Longe ante Gregorium id perviderat et ab apostolica ætate perceperat Tertullianus (*c*), in Apologetico adversus gentes professus hanc disciplinam, ut certas temporum notas publicis documentis antiquitatis et archivorum expressas, contestes advocaret ejus, quæ nostrorum scriptorum perpetua est assecla, veritatis. Ita enim scribit cap. 19 : « Primum instrumentis istis » (loquitur de divinis libris antiqui fœderis, qui apud Serapæum Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis Hebraicis litteris exhibentur, et a Judæis palam lectitantur) « auctoritatem summa antiquitas vindicat. Apud vos quoque religionis est instar fidem de temporibus asserere. » Quare intulit, germanam praxim hujus fidei de temporibus asserendæ eam esse, ut reserarentur archiva gentium universarum, quæ antiquitate præstarent, et genuinis notis nostrorum temporum ac voluminum conferrentur. « Hæc ait (*cap.* 20) quibus ordinibus probari possint non tam difficile est nobis exponere quam enorme et arduum. Sed interim longum multis instrumentis cum digitorum supputariis gesticulis assidendum est. Reseranda antiquissimarum etiam gentium archiva, Ægyptiorum Chaldæorum, Phœnicum, » etc.

Constat itaque divinas litteras, utpote omnis veritatis magistras, huic etiam experimento facem præferre, ut in ratione temporum vindicanda, documenta genuina ab omni antiquitate, quam publica cura diligenter a se custoditam ministret, avide conquirantur.

4. Verum ut humilioris subsellii vades priori huic regulæ adhibeamus, intra septa humanarum artium historiæ nostræ, et chronologiæ duces tutissimos indaganti, non recusabunt esse illius assertores ac veridices quotquot e Latinis aut Græcis in censum scriptorum præcellentium retulit consensus omnium ætatum. Ratum illis, perinde ac nobis, fuit mutuari documenta temporum ac rerum quas enarrarent, ex publicis monumentis maxime probatis, ac ætate locoque proximis rebus iisdem sibi propositis ad historiam. Profitentur enim passim illa quæ narrant a se fuisse percepta ex annalibus pontificum, ex libris censoriis, ex Actis publicis ac tabulariis, librisque linteis ac elephantinis magistratuum auctoritate perscriptis, atque illorum qui Reipublicæ præerant jussu depositis in bibliothecis. sive etiam in sacrariis et fanis. Hæc luculentius sum prosecutus in Præfatione ad Historiam Universalem, cap. 4, ex M. Tullio in libro II de Oratore, ubi ait : « Erat historia nil aliud nisi annalium confectio ; cujus rei memoriæque retinendæ causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium pontificem maximum res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus, efferebatque in album, proponebatque tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi ; ii qui etiam nunc annales, *maximi* nominantur. » Hoc etiam confirmat Macrobius Saturnal. lib II, cap. 2, cui præmittendus est Livius lib. IV, num. 20, memorans veteres annales, et libros magistratuum linteos, repositos in æde Monetæ, quos Macer Licinius citat identidem auctores, ut probet nono post demum anno cum T. Quinctio A Cornelium Cossum consules habere. De commentariis autem censoriis Livio proximus Dionysius Halicarnasseus lib. I, pag 60, edit. G. L. Sylburgii, fatetur hos a patribus filios per manus accipere consuevisse, ut ipsi posteris pari cura contraderent, haud secus quam sacra paterna et gentilitia. Ad hæc itaque monumenta publica provocant passim historici rei Romanæ, quando statuendum est de veritate, modo aut tempore rei gestæ. Hos igitur fontes adeundos esse sibi et hauriendos cognoverunt etiam e Græcis celeberrimi, qualis Diodorus Siculus lib. I, sect. 4 ; Dionysius Halicarnasseus, Appianus Alexandrinus, aliique. Solidæ huic basi documentorum publice positorum superstruendam molem universam chronologiæ atque historiæ, etiam ad remotissimas ætates extensæ, cognovit Euhemerus, eumque secutus Lactantius Divinarum Institutionum lib. I, cap 11 ; exemplo Tullii et Varonis, in re gravissima statuenda, quos etiam imitatur Arnobius. Nam ut ostendant homines fuisse eos quos ethnicorum superstitio uti deos impie colebat, Jovem dico, Saturnum, Neptunum et reliquos, eorumdem historiam ac tempora ostendunt, per Euhemerum diligenter collecta ex titulis sepulcralibus, et inscriptionibus sacris, quæ in templis antiquissimis publice prostabant. Verba Lactantii sunt. « Antiquus auctor Euhemerus, qui fuit ex civitate Messana, res gestas Jovis et cæterorum qui dii putantur, collegit ex inscriptionibus

(*a*) In Lucam. cap. 2.
(*b*) Hom. 20, in Evang.
(*c*) Cap. 19.

sacris, quæ in templis antiquissimis habebantur, maximeque in fano Jovis Triphilii, ubi auream columnam positam esse ab ipso Jove titulus indicabat; in qua omnia sua gesta præscripsit ut monumentum esset posteris rerum gestarum. » Tum addit : « Hanc historiam, et interpretationem Ennius est secutus. »

Cum igitur documenta publice posita gentis totius, aut universitatis, aut magistratuum, habeantur testimonia maxime idonea ad res gestas comprobandas, multo præclarius atque efficacius id præstent necesse est in determinandis temporibus extra quæ res geri minime potuerunt. Temporum autem partitio varia cum fuerit apud nationes diversas, et apud eamdem nationem cum aliquando sit immutata, consequitur ut e monumentis publicis seriem temporum comprobaturis illa sint habenda potiora quæ proximiora reperiantur locis ac temporibus de quibus quam maxime agitur. Uti enim facti recentis viciniora testimonia lubentius admittit judex, qui causam scientiæ prudenter requirit in assertore perceptam proximo ac vivido sensum experimento, et oculis subjecta fidelibus præfert iis quæ transmissa per aures in animum testantis languida insinuatione se infuderint, ita etiam in monumentis rerum ac temporum admittendis vis quædam potior jure tribuitur proximitati. Efficit enim ut neque artifices monimentorum videri possint memoria lapsi, neque audaces in mentiendo, sive in temere proponendis falsis significationibus rerum ac temporum ante oculos eorum quorum in conspectu illa agebantur, cum cordato cuique viro eosdem arguendi et corripiendi libertas foret.

Esto igitur criterii nostri chronologici hæc regula princeps : *Ut in temporibus asserendis monumenta publica, si quæ sunt, consulamus ; eaque præferamus e publicis quæ, per viros idoneos posita, loco ac tempore sint proximiora ætati de qua cum maxime agitur.*

REGULA SECUNDA

5. Erit secundus canon . *Ut e publicis ac proximis tum ætate tum loco documentis, magistrntuum cura et auctoritate positis, illa præferantur quæ semel constituta per idoneos ac legitimos curatores publicæ voluntatis, adeo integra et custodita permanserint, ut nullum præseferant indicium erasionis ant mutationis ; sed neque temere violari potuisse reipsa constet.*

Ex hoc secundo canone consequitur.

COROLLARIUM

6. Ut codieum antiquorum (si autographa scripta non sint iis in codicibus, sed exempla) emendatio petenda sit ab inspectione et comparatione cum publicis documentis ejusdem ætatis aut proximæ supra indicatis.

Nam vetus exemplun scriptoris privati inducit hominem solitarium ejus historiæ ac veritatis vadem et assertorem. At publica documenta contestes adhibent affirmationis suæ vel populos, vel magistratus. Æquum igitur est ut fides publica, cui judicium privatarum publicarumque rerum concreditur, singulorum ejusmodi scriptorum (aut verius descriptorum) dictis præferatur : quod fit amanuensium codices exigendo ad ea documenta quibus auctoritas populi ac magistratuum tot calculos adjecit quot assertionum vindices e conspectoribus fecit.

REGULA TERTIA.

7. Tertia regula sit : *Ut ex documentis aliunde ministratis quam ex loco ubi res proxime gerebantur, suffragii prærogativa sit penes illud cujus auctori causa scientiæ, peritia disciplinæ ac studium veritatis facultatem dederit ampliorem temporis ac rerum perquirendarum.*

Hanc regulam tradiderunt quotquot familiam ducunt in ratione temporum ordinanda sive historici, sive chronologi. Ut enim inter veteres Fabius Pictor, L. Cencius, M. Cato, C. Licinius Macer, M. Terentius Varro, T. Pomponius Atticus, ita e recentioribus Cuspinianus, Sigonius, Panvinius, Baronius, Petavius, Norisius omnium commendatissimi colligunt undique testimonia ad notiones temporum ac gestorum stabiliendas et castigandas ; ita ut singulis aptari possit quod de Cuspiniano memorat Nicolaus Gerbelius in præfatione ad ejusdem Fastos. « Collatis, inquit, vetustissimis utriusque linguæ auctoribus, si quos in istis deprehendat errores, eos moderatissime castigavit. Deinde vero qua ratione, quo modo discrepantes dissidentesque inter se conciliandi sint ; quid addendum uni, quid adimendum alteri, incredibili cura industriaque commonstravit. Quodque singulari cum voluptate leges si qui inter se consenserint, remque tandem iisdem verbis exposuerint, eos omnes in unam veluti classem contrahit, colligitque studiosissime. Quæ diligentia quantum locis obscuris tenebrosisque lucem afferat, quantam intricatis claritatem, perspicuitatem, confusis, nemo non, qui mediocri in litteris judicio pollet, intelligit. Breviter, nihil inexploratum reliquit, excussit omnia quæ sibi usui futura credebat. Bibliothecas plurimas perlustravit : nihil tam recens, nihil tam vetus, quod non summa vigilantia pervestigaverit. Nullum omnino saxum nullumque lapidem, nullum triumphalem arcum, nulla imperatorum edicta, nullas marmorum bases nullos parietes aut muros prætermisit, ex quibus non titulos, inscriptiones, epitaphia deprompserit, inque doctissimos hos commentarios transtulérit. »

Ex hac vero tertia regula, viris doctissimis ita probata, duo descendunt corollaria, in usum nostrum admodum profutura.

COROLLARIUM PRIMUM.

8. Veritatis historiæ indicationem esse perspicuam consensum plurium, sive scriptorum ex peritioribus et proximioribus loco ac tempore, sive documentorum, ita pariter affinium, præsertim si publica auctoritate tum scriptores illi, tum documenta muniantur.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Indicationes et consensus supra indicatos habere vim maximam rationabiliter castigandi atque emendandi exempla posterius descripta, ubi a consensu memorato recedant.

Corollarium utrumque, ut ego arbitror, quemadmodum et regula, non indiget argumentis ut probetur, sed tantum exemplis ut exponatur. Sexcenta occurrent, ut Gerbelius indicabat, in Cuspiniano, consensum attendente in proximioribus et peritioribus, ad conciliandos sive emendandos remotiores et imperitiores, tum ex auctoribus, tum ex librariis, qui dissentiant. Neque infrequentia nobis occurrent in cæteris supra laudatis scriptoribus, si lubeat ex Norisianis Operibus unicam epistolam consularem percurrere. Verum ex his Prolegomenis nostris placet exemplum mutuari, ut judicet cordatus lector num tertiæ hujus regulæ ejusque corrollariis assentiri necesse sit.

Hujus itaque regulæ tertiæ ductu supra in notis ad chronologiam Catalogi Romanorum pontificum conciliare conatus sum cum Victorio Aquitano veteres Patres, et æqualia documenta, in epocha passionis Christi alliganda cum anno vulgaris æræ Christianæ 28 et cum duobus Geminis consulibus. Cur enim in Romana chronologia, tam consulari quam Cæsarea, necnon pontificia, eos duces non sequerer, vel Romanos, vel provinciales, qui æqualium suorum judicio præstarent cæteris in colligendis atque ordinandis characteribus temporum ? Aut cur non deferrem præ suis æqualibus Victorio Aquitano in æra Paschatis ac passionis Dominicæ stabilienda, cum hunc ipsum videamus selectum judicio duorum pontificum Romanorum (Hilari ac Leonis Magni) ad rationem temporum ordinandam ei instaurandam ?

REGULA QUARTA.

9. Quarta regula chronologiæ concinnandæ erit *commentus temporum, ab historicis documentis indicatorum, cum diebus legitimis a jure constitutis ad ea peragenda quæ gesta memorantur.* Regulam declaret exemplum.

Dies legitimus sacrarum ordinationum, præsertim episcopalium, fuit etiam prioribus Ecclesiæ Christianæ sæculis dies Dominicus, post jejunium et vigilias Sabbati, quemadmodum comperimus tum ex doctrina canonum, tum ex Leonis Magni sermonibus. Si qua igitur discrepantia sit in Catalogis epocham alicujus pontificis diversimode statuentibus, indicio hujus regulæ, illam prætulerim chronologiam (cæteris paribus) quæ ordinationem alliget legitimo tempori ; reliquis vero, quæ constituta a majoribus tempora in ordinatione pervertant, minime fidam, nisi aliunde constiterit perspicuis documentis derogatum fuisse consuetudini et legibus canonum rationabili ex causa per eos qui derogandi potestate pollerent.

10. Proponantur itaque mihi de epocha pontificatus S. Damasi papæ inquirenti sententiæ duæ in illa constituenda inter se discredantes. Asserat una cum vetustissimis inscriptionibus ac picturis basilicæ S. Pauli, et cum Catalogis fere omnibus, historicis, et chronologis, B. Damasum sedisse annos XVIII, menses II, dies XI. Altera vero sententia, subnixa forsitam unico illi Catalogo, quem Schelestratius secundum appellat inter eos quos produxit tomo primo Antiquitatis Ecclesiæ, tribuit annos XXII, menses III, dies XI, vel ex Baronii suffragio menses II, dies XXVII supra annos XVII, quos illi placet ita breviare ex XVIII solidis, assignatis a S. Hieronymo et a Prospero, æqualibus Damaso, ut in Maximi præfecturam annus initiationis ejusdem Damasi incidat, secus judicaturo, si observavisset (quod alii paulo post adnotarunt in membranis præfectorum Urbis a Bucherio editis, et ad sæculum Damasi pertinentibus) præfectos Urbi non ex Kalendis Januarii per annum solidum, uti consules ordinarii, sed ex qualibet anni die ad tempus, pro arbitratu imperatorum definiendum ad menses plures vel pauciores, intra vel ultra anni metas, magistratum gessisse.

Sententiæ itaque duæ, vel etiam plures, licet in summa ita discordes, attamen in uno ex terminis summam claudente, die scilicet et anno emortuali B. Damasi, necesse est ut conveniant : quæ dies sit 11 Decembris, Recimere et Clearcho coss., æræ Christi communis 384. Diem enim comprobant Ecclesiæ tabularia, et rituales libri, Martyrologia Bedæ, Usuardi, Adonis, quibus consentit Baronius in Romano, licet unum vel alterum retrahat ad diem 10 Decembris apud Florentinum. Annum vero et consules Recimerem et Clearchum retulit in Chronicum suum Prosper, qui tunc scribebat. Ex die igitur 11 Decembris anni Christi 384 recedentibus nobis in superiora tempora per annos solidos XVIII, menses II, dies X, juxta priorem sententiam Romanis monumentis innixam, colligitur dies suscepti a Damaso pontificatus incidens in Kalendas Octobris Christi anno 366, Gratiano et Daglaipho coss. Littera Dominicalis A ejusdem anni demonstrat Kalendas Octobris, quibus affixa est, pariari cum Dominica die ; quæ cum sit apta consecrationi episcopali juxta leges sacrorum canonum, quartæ huic regulæ, ad chronologiam pontificiam dirigendam a nobis adhibitæ, firmamentum præstat. Mutuum vero præsidium regula confert ad eam priorem chronologiam pontificatus Damasi præferendam secundæ, eidem assignanti annos XVII, menses III, dies XI, cum prior illa diem legitimam assignet ordinationi ; secunda vero feriam VI, hoc est consecrationi minime aptam ; quæ fuit Kalend. Septembris anni 367 : unde numerarentur ad diem 11 Decembris 384 anni XVII, menses III, dies XI. Præterea si octavo Kalendas Octobris mortalitatem exuit Liberius (ut in libello ad Theodosium testantur Faustinus et Marcellinus), profecto dies legitima successoris eligendi prævertere non potuit eam mortem diebus XXIII. Rursus in eo libello consignatur obitus Liberii Gratiano et Da-

glaipho coss.; VIII Kal. Octobris : eodemque consulatu signatur ab Hieronymo in Chronico ordinatio Damasi successoris. Eosdem consules aperuisse annum æræ Christi 366 certum est apud chronologos, et evidenter per nos probabitur in exemplo regulæ quintæ, qua caput hoc concludemus. Sunt igitur anni solidi XVIII, nec tantum XVII, ab Octobri anni 366 ad Decembrem anni 384 cum mensibus duobus enumerandi, et pontificiæ administrationi B. Damasi tribuendi : ope hujus regulæ quartæ, quam in criterio chronologico successionis et sedis Romanorum pontificum adhibemus.

REGULA QUINTA.

11. Quinta regula, seu potius *demonstratio chronologiæ recte constitutæ erit character aliquis observati motus cœlestis* (puta eclipsis solaris aut lunaris, vel aliorum siderum inerrantium positus inter se, et figuratio) *qui exacte respondeat intervallo temporis requisito ad eosdem motus cœlestium corporum perficiendos.*

Axiomatis vim habet apud chronologos ea de qua loquimur regula. Nēmo enim est ita leviter versatus in chronologia et historia, qui nesciat esse præcipuam ætatis demonstrationem in bello Peloponnesiaco suis temporibus assignando eam quam ministrant eclipses a Thucydide recensitæ. Assyriorum pariter regum anni certi redduntur in æra Nabonassari ex illis eclipsibus, quas Ptolemæus in Almagesto recensuit : quod perinde aptatur historicis pariter et chronologis ætatem ac regionum universarum ex quo sapientissimus rerum Conditor cœlestia corpora ita librata et in motus varios a se percita fuisse professus est, ut essent documenta temporis exacte mensurandi per annos, menses ac dies.

12. Non patiar hujus regulæ tum explicandæ, tum confirmandæ exemplum desiderari. Luculentum vero superest in antiquo lapide, ex suburbanis Christianorum cœmeteriis Romano in agro effosso, et dono mihi liberaliter dato a V. C. M. Antonio Boldetto basilicæ Sanctæ Mariæ Transtiberim canonico ; ut in erudito ejus Commentario de sacris martyrum Cœmeteriis nuper edito leges, lib. I, cap. 19, pag. 84. Verba autem fideliter reddita ex ipso marmore hæc sunt :

PVER NATVS A W
DIVO IOVIANO AVG ET
VARRONIANO COSS
ORA NOCTIS IIII
IN VXIT VIII IDVS MADIAS
DIE SATVRNIS LVNA VIGESIMA
SIGNO API ORNO NOMINE SIMPLCIVS

Tot sunt notæ chronologicæ, annum ac diem demonstrantes, quas inscriptio ista complectitur ; ut eadem haberi possit exemplar documentorum veterum tempora comprobantium. Singulas breviter percensebo ; sed potissime sistam in motibus cœlestium corporum, qui reliquas indicationes certo tempori affigunt et in demonstrationes convertunt.

Annus quem Jovianus Augustus, et Varronianus consules aperuerunt, ostenditur fuisse emortualis Joviani ante diem VIII Idus Maii, cum Jovianus vocetur divus in ea inscriptione. Eutropius id egregie confirmat, qui hoc ipso consulatu ac funere suam historiam claudit ; ubi de Joviano loquens ita prescribit. « Decessit imperii mense septimo, quarto decimo Kal. Martias, ætatis, ut qui plurimum ac minimum tradunt, tertio et trigesimo anno : ac benignitate principum, qui ei successerunt, inter divos relatus est. Et Is status erat Romanæ rei Joviano eodem et Varroniano coss., anno Urbis conditæ millesimo centesimo et nono decimo. »

Fasti consulares idem collegium consulum eamdemque mortem referunt ad annum æræ Christi vulgaris 364, qui bissextillis fuit. In annum vero bissextilem incidisse mortem Valentiniani testatur alius historicus æqualis, scilicet Ammianus Marcellinus, referens circa finem libri XXV et initio XXVI Joviani Augusti processum consularem cum Varroniano filio vagiente et pertinaciter reluctante ne in sella veheretur ex more, subsecuta Joviani morte paulo post funestatum ; et post dies decem ab eo decessu, quibus nemo tenuit imperii gubernacula advenisse Valentinianum, universorum suffragiis accitum ad imperandum ; distulisse tamen ad diem bissextili proximam progressum in medium, « ut bissextum vitans Februarii mensis tunc illucescens, quod aliquoties rei Romanæ fuisse cognorat infaustum, » pertingeret ad diem proximam : « qua progressus in campum, permissusque tribunal ascendere celsius structum, comitiorum specie et voluntate præsentium secundissima, ut vir serius rector pronuntiatur imperii. Mox principali habitu circumdatus et corona, Augustus nuncupatur, » etc.

Bissextilis nota, quam historici asserunt, locum quidem anni indicaret in quadriennio sed suspensos adhuc retineret animos quonam in quadriennio bis sextilis a Valentiniano evitatus reperiretur, nisi characteres Sabbati in diem VIII Idus Maias incidentis, ac lunæ positus in signo Capricorni dum ad ortivum Horizontem deferretur circa horam noctis quartam eamdemque natalem pueri Simplicii, in eo marmore sculpti, certos nos redderent consules memoratos et successionem Valentiniani pertinere ad annum epochæ Christi communis 364.

Cyclus decimus Latinorum, annis Julianis 84 constans, a R. P. Bucherio editus, et ab eminentissimo card. de Noris explicatus, cœperat anno vulgaris æræ Christianæ 298, Fausto II et Gallo consulibus ; quare anno æræ Christianæ 364 labebatur ejus cycli annus 64, ferebatque Kalendis Januariis diem Jovis, seu feriam V et lunam XII, uti consignatur in antiquis membranis a Norisio et Bucherio illustratis. Dies igitur Kalendarum Maii, quæ in anno bissextili est 122, incidebat in diem Saturni : necnon octava dies mensis ejusdem (quæ dicitur VIII Idus Maii Saturni nomine donabatur. Rursus si Kalendis Januarii ejus anni juxta cyclum Latinorum, satis exacte eo sæculo procedentem, uti card. Norisius

ostendit, luna erat duodecima, post dies 121 completos (in bissextili, ubi dies dissimulatur, remanent 120), luna erat tertia decima et post dies 7 fuerit luna vicesima, uti numeratur in inscriptione.

Tandem, ut ad lunæ orientis positum in signo Capricorni hora noctis quarta ejusdem diei et anni demonstrationem temporis exigamus per tabulas astronomicas, ita erit procedendum. Anno æræ Christi communis 364, die 8 Maii, sol versabatur in gradu Tauri duodevicesimo; et die septima in meridie percurrebat gr. 17 Tauri. Die igitur septima occidente sole oriebatur gradus 17 Scorpionis. Post horas quatuor (ea est hora quarta noctis in epigraphe memorata) oriebatur gradus 18 circiter Capricorni. Luna vero circa eumdem gradum signi ejusdem tunc versabatur juxta motus medios, uti ex tabulis astronomicis patere cuique potest. Ne quidpiam desideretur in criterio tam illustrium notarum temporis, affixarum consulibus Joviano Aug. et Varroniano, et anno Joviani emortuali, quæ collectæ leguntur in memorabili hoc lapide, præstat experiri per quaslibet tabulas lunares, etiam mediorum motuum (ut facilitati consulamus ubi necessitas nulla est consectandi unum aut alterum gradum æquationis, qua ex mediis motibus colligamus veros) lunæ positum in signifero circulo ad tempus in marmore signatum, nempe ad horam quartam noctis, consecutæ occasum solis die septima mensis Maii, quando post horam sesquialteram a quarta nocturna, media nocte dirimente juxta Romanas leges diem 7 ab octava, illuxit octava dies Maii, quæ appellatur VIII Idus Maii, ineunte Sabbato, Quiritibus dicto die Saturni.

Die 7 Maii sol versabatur in gradu Tauri 17, urbi arcum seminocturnum Romani climatis efficit horarum æqualium quinque. Hora igitur quarta noctis post eum occasum apud Romanos, noctem quamlibet dividentes in horas XII, respondet horis astronomicis post meridiem diei septimæ 10, cum minutis horariis 20.

Radix mediorum motuum lunæ in meridiano Romano Kalendis Januarii æra Christi communi ineunte dat.

	Sign.	Grad.	Min.	Sec.
Locum lunæ medium in anni CCC completi dant motum	4. 6.	14. 23.	55. 30.	6. 3.
Anni LX completi	1.	10.	42.	1.
Anni III completi	0.	28.	9.	10.
Aprilis completus anni bissext.	5.	4.	20.	57.
Dies sex solidi ex merid. Kalendarum Maii ad merid. diei 7 Maii	2.	19.	3.	30.
Horæ decem post merid. 7. Maii	0.	3.	29.	25.
Minuta horaria 20.			10.	59.
Hora igitur quarta noctis, qua nocte illucescebat Sabbatum	9.	16.	21.	11.

VIII Idus Maii luna fuit juxta motus medios in gradu 16. 21. 11. Capricorni; eademque hora gradus ille Capricorni cum luna surgebat ab horizonte ortivo consulibus divo Joviano et Varroniano, nempe anno æræ Christi communis 364, eodemque bissextili, dum puer Simplicius nascebatur.

Demonstrationes igitur temporum ab hisce characteribus observatis cœlestium motuum, ita respondentium intervallis annorum, mensium ac dierum, quibus ab ætate nostra distant, ut elicere studeamus ex æqualibus documentis, quinta hæc regula chronologiæ nobis propositæ constituit.

13. Quantum vero valeat ad epochas Romanorum pontificum stabiliendas ex hoc ipso consulatu Joviani et Varroniani et Joviani morte, evidenter referenda ad annum æræ Christi vulgaris 364, breviter ostendam.

Sanctus Hieronymus, tunc ætate florens, in additamento Chronici sui ad Eusebianum, mortem a Joviano obitam, dum consulatum cum Varroniano gereret, refert ad annum quartum olympiadis 284, una cum successione Valentiniani. Biennio autem post, anno scilicet secundo olympiadis 285, obitum Liberii papæ et successionem Damasi consignat, cui ipse ab epistolis fuit in apostolatu. Biennio etiam distant a Joviano et Varroniano consulibus, juxta Cassiodorum et cæteros fastorum collectores, consules Gratianus et Daglaiphus, quibus Liberii mors assignatur in libello precum Faustini et Marcellini ad Theodosium, supra relato in regula quarta. Semel igitur, demonstrato quod paria faciant annus consulatus ac mortis Joviani, collegæ filii sui Varroniani, cum anno æræ Christi communis 364, Liberii papæ obitus post biennium consecutus testimonio scriptorum æqualium, ac Damasi electio necesse est ut referantur cum consulibus Gratiano et Daglaipho ad annum æræ Christi vulgaris 366.

Quinque hisce regulis criterii chronologici propositis, expositis ac probatis, procedere tuto possumus ad tempora pontificum Romanorum singillatim ordinanda ac demonstranda capitibus subsequentibus.

CAPUT III.

Series pontificum Romanorum eorumque chronologia proponitur deducenda et stabilienda ex monumento publico Ecclesiæ Romanæ, adhuc superstite in basilica patriarchali S. Pauli apostoli via Ostiensi, ibidem posito a S. Leone Magno una cum musivo, vel a Symmacho papa dum illam picturis ornaret quinto Christi sæculo.

SYNOPSIS CAPITIS.

I. Series et catalogus pontificum Romanorum, pictura et litteris expressus in basilica S. Pauli via Ostiensi, sancto Leoni Magno, vel Symmacho papæ tribuendus est, et ad quintum Christi sæculum referendus. — II. A nonnullis ætatis nostræ scriptoribus indicatus, sed a nemine hactenus in lucem datus, aut diligenter observatus, et collatus cum scriptis Catalogis, nunc primum editur. Similis videtur alteri Catalogo, cum serie pontificum, et cum picturis, utriusque Testamenti historias perinde referentibus, posito vel restituto ætate Formosi papæ in basilica Vaticana. In utraque etiam basilica series pontificum recentior adjecta fuit infra superiorem sub Ni-

colao III, quæ in basilica S. Pauli adhuc superest, plurimum tamen labefactata, supra epistylia columnarum. — III. Series illa vetustior, sæculo quinto picta in basilica S. Pauli, pertingit a S. Petro ad S. Innocentium primum in pariete australi navis medianæ; cum imagines et inscriptiones, quæ proxime consequebantur in pariete occidentali, hodie sint inconspicuæ. — IV. Series recentior, Nicolai III jussu depicta, uti narrant Veggius, Grimaldus et Ciampinus, distinguitur a superiori et multo antiquiori, prout in tabulis Ciampinianis observari potest, quæ Vaticanam exhibent et hic inseruntur. — V. Præter duas ordinatas series ætate Leonis Magni et Nicolai tertii depictas, visuntur in adverso pariete boreali navis medianæ S. Pauli imagines quædam pontificum repetitæ, et confuso ordine temere appictæ, opus incerti temporis, quarum propterea ratio nulla in dispositione chronologiæ habenda est. — VI. Describuntur duæ illæ series ordinatæ, in basilica Vaticana olim coloratæ (vetustior quidem sub Formoso papa, recentior sub Nicolao III), et per Grimaldum publicis tabulis insertæ, antequam basilica vetus principis apostolorum diueretur sub Paulo Quinto. — VII. De auctoritate utriusque seriei antiquæ, sæculis Leonis Magni, Symmachi et Formosi pictæ in basilicis SS. Petri et Pauli, et recentioris ibidem additæ per Nicolaum III. Quod pertinet ad seriem sub Nicolao efformatam; cum numeri chronologici, in hac expressi, fuerint desumpti ab illa antiquiori, suam auctoritatem ab eadem mutuantur. Ornamenta vero pontificalia, pro arbitratu pictoris superaddita imaginibus pontificum a S. Silvestro ad consequentes, contra fidem et usum, tam seriei superioris ac vetustioris ibidem superstitis, quam musivorum et picturarum Urbis, et numismatum in Urbe cusorum usque ad sæculum Christi nonum, ac decimum inchoatum, declarant tantummodo usum ætatis Nicolai, sub quo pingebantur. — VIII. Ornamentum vel insigne quadratum in unica Liberii imagine observatum a Grimaldo in serie Vaticana, non modo petitum fuit a veteri pictura et consuetudine, sed etiam indicat seriem aliquam fuisse antiquitus depictam ætate Liberii in eo desinens, non secus ac antiquissimus Catalogus Bucherianus; cum ejusmodi insigne quadratum constanter asseratur testimonio scriptorum, veterum pariter et recentiorum, habendum esse indicium pontificis viventis. — IX. Ostenditur ex historicorum assertione concordi, seriem pontificum Romanorum, in tribus patriarchalibus basilicis intra et extra Urbem, nempe Lateranensi. Vaticana et Paulina, depictam antiquitus a Nicolao tertio fuisse iteratam, veteri intacta remanente, a qua ordinem singulorum pontificum et Chronologiæ numeros desumi et redd. ille curavit in sua recentiori, disposita infra imagines et epigraphes vetustioris. — X. Auctoritas antiquæ illius seriei, quæ archetypus Catalogus et fons cæterarum dicenda est, satis adhuc observabilis et præservata est in basilica S. Pauli.

1. Mirabar tot scriptoribus qui Romanorum pontificum Catalogos eorumque tempora tam diligenter inquirunt in bibliothecis, tum Græcis tum Latinis, ac eruditis commentariis illustrant, neminem, quod sciam adjecisse animum ad vulgandum et comparandum cum scriptis Catalogis illum qui palam propositus ab ætate Leonis Magni, vel Symmachi papæ, ut paulo infra ostendam, in celeberrima basilica Doctoris gentium via Ostiensi, altero ab Urbe lapide, omnium aspectui patet, cum in eodem præferendo cæteris monumentis ejusdem argumenti conspirent universæ conditiones ac regulæ examinis et criterii, expositæ ac vindicatæ capite superiori. Unde enim promeremus probabiliora documenta pontificum Ecclesiæ Romanæ, quam ejus ex basilicis primariis? Unde petenda sunt indicia tum vetustiora, tum evidentiora, publicæ auctoritatis ac testimonii, quam in hac, Doctoris gentium nomine erecta, ubi elucet studium Leonis Magni in ea procuranda, tum etiam in ornamentis eligendis ac disponendis, conspicuum in opere musivo, adhuc superstite supra arcum maximum navis medianæ? Gallæ Placidiæ pietate, et liberalitate id perfectum ac studio sancti pontificis Leonis testatur inscriptio, quæ etiam nunc legitur, hanc sententiam versibus complexa:

PLACIDIÆ PIA MENS OPERIS DECVS HOMNE paterni
GAVDET PONTIFICIS STVDIO SPLENDERE LEONIS.

Proximæ huic musivo adhærent picturæ, Veteris Testamentis historiam referentes, quæ ornant parietem australem navis medianæ ejusdem basilicæ a presbyterio ad frontem, occidenti soli obversam. His ex adverso respondent in pariete boreali gesta Novi Testamenti coloribus expressa. Uterque paries innititur columnis viginti, donatis basi, capitulis, epistylio, zophoro et coronide. Supra coronidem depictus est stylobates, per totam navis longitudinem productus, quasi separans tristegum secundum ab inferiori; et in eo stylobate visitur series et Catalogus pontificum Romanorum, et singulorum imagines conspiciuntur a B. Petri protome numerandæ; digniori loco et aræ maxime propriori sita. Singulæ imagines coloratæ sunt in spatiis orbicularibus, quas propterea Romani veteres dixerunt clypeatas; et duas inter imagines et orbiculos tantumdem spatii relictum fuit, ut totidem breves epigraphes, et quidem palmaribus litteris, pingi in area potuerint, quæ nomen exprimunt illorum pontificum quibus apponuntur, una cum numeris annorum, mensium ac dierum, quibus unusquisque Romanam sedem tenuit, per litteras numerales Romano more consignatis.

2. Mirabar itaque Catalogum et seriem chronologicam ita conspicuam, ita vetustam, tam illustri loco positam vel a B. Leone Magno una cum musivo, vel a Symmacho una cum picturis, et unicuique propositam ad legendum ac describendum, nullius chronologi calculos adhuc exercuisse, imo nec animum excitasse ullius scriptoris ad eam accurate exprimendam, et inserendam historiæ, ac descriptioni basilicæ, tot voluminibus celebratæ. Neque enim Serranus, *de septem Urbis Ecclesiis* illam recensuit: neque Panvinius, in libro ejusdem argumenti, contentus indicare, pag. 73, totam Basilicam picturis antiquis veleris ac Novi Testamenti ornatam esse. Ciampinus, *Veterum monimentorum* tomo primo integrum caput 24 impendit in describendo musivo arcus majoris, per S. Leonem Magnum constructo; cum sola musiva opera delegerit exponenda. Picturarum equidem meminit in libro de Sacris Ædificiis a Magno Constantino constructis, simili prorsus modo dispositarum in basilica Vaticana, quæ superstites præservabantur usque ad initium sæculi XVII, donec sub Paulo V parietes diruerentur in constructione novæ basilicæ; quarum etiam icones incidit tabula X, ubi exhibet orthographiam parietis, navem medianam illius ecclesiæ constituentis, eadem plane partitione eodemque ornatu cultam, quo cultam ornatamque videmus superficiem parietum, ad navem mediam pertinentium in basilica S. Pauli. Ordo enim columnarum e pavimento surgens susti-

net epistylia, zophorum et coronidem, uti in Vaticana demonstrant tabulæ Ciampinianæ x et xi; quas nactus cum sim, hic iterum exhibendas duco, quo fidelius subjiciantur oculis animoque lector m ea quæ de vetustissima serie summorum pontificum in basilica ad viam Ostiensem depicta quinto Christi sæculo, ac de altera serie multo recentiori, utpote sub Nicolao III colorata, tenenda sunt; atque ita chronologicas epigraphes in vetustiori superstites conferre cum Catalogis possit quisquis archetypum observare voluerit in basilica S. Pauli. In zophoro igitur, a columnis suffulto in veteri basilica Vaticana, plures orbiculares areæ G H G H tab. x continebant imagines pontificum Romanorum, elaboratas sub Nicolao III, quæ vestiebantur integumentis capitis multo serius adhibitis ad ornatum pontificalem, mitra scilicet elevata aut etiam corona ornata, etc., uti Ciampinius expressit evidentius tab. xi, in eadem serie supra litteram E. Similes icones ejusdem Nicolai III jussu in basilica sancti Pauli depictas cernimus in inferiori serie, capitulis columnarum impositæ: quæ præter imagines pontificum, eorum quoque nomina reddunt, et chronologia n litteris expressam, atque ostendunt figuram characterum propriam ætatis ejusdem Nicolai. Hanc seriem imitati sunt pictores et cælatores, qui vultus pontificum Romanorum æneis aut ligneis typis primi ediderunt, non attendentes seriem multo antiquiorem superne positam, tum in Paulina basilica, tum in Vaticana, supra coronidem columnarum in parallelepipedo, seu stylobate, per Ciampinianam tabulam xi signato litteris AB. Nempe artifices illi compendium laboris nacti in imaginibus delineandis, quæ aspectui erant proximiores, parum fuere solliciti de antiquitate vetustioris seriei, in qua tamen elucet ætas et mos illorum temporum, quæ duo ibi exprimuntur, ut paulo post observabo.

3. In basilica igitur S. Pauli series ista vetustior summorum pontificum non interrupta legitur in pariete ad meridianam plagam navis medianæ constituto. Continet orbiculares areas 42 et imagines totidem pontificum a S. Petro ad S. Innocentium ejus nominis primum, in singulis singulas: nec non totidem breves epigraphes, in stylobate uti dixeram coloratas palmaribus litteris, quæ nomen reddunt pontificis sibi adhærentis cum indicatione annorum, mensium ac dierum in Petri sede illi attributorum. Postrema ex 42, pertinens ad sanctum Innocentium, ita concepta est:

✠ INNOCEN
CIVS SED
ANN XV
M III D X X

Hanc vero consequebantur praximæ post flexuram anguli in pariete ad occidentem sito. Verum ibi injuria temporis interciderunt tum imagines, tum inscriptiones, delapso integumento calcis ubi fuerant coloratæ, nec quidpiam superest ex ea pictura præter aliquas portiones circulorum, imagines, olim contiA nentium Romanorum pontificum successorum S. Innocentii.

Porro sanctum Innocentium habendum esse inter Petri successores quadragesimum secundum testatur Bedæ codex Palatino-Vaticanus ante annos 865 scriptus, unde Catalogus desumptus est, quem Schlestratius edidit numero 22 in libro Antiquitatis Ecclesiæ illustratæ, et nos supra retulimus. Quadragesimo secundo loco etiam occurrit in secundo Catalogo bibliothecæ reginæ Sueciæ (hodie Alexandrino-Vaticanæ), unde pleraque verba Vitarum operis Anastasiani desumpta sunt, et a Schelestratio, et a nobis edito una cum textu Libri Pontificalis ejusque variantibus lectionibus.

4. Supra seriem pontificum in stylobate ita depicB tam, et supra cæteras picturas, in areis quadrilateris exprimentes historias Veteris Testamenti, fenestræ amplæ lumen admittunt: quarum interstitia implent imagines prophetarum colossea ferme statura, non secus ac in basilica Lateranensi factum nuper videmus, seu restitutum fuisse ornatum, pro veteri more, in tribus præcipuis basilicis Romæ custodito. Nam et in Vaticanæ veteri structura seriem Romanorum antistitum similiter coloratam, illique impositas historias utriusque Testamenti, quibus immineC rent figuræ prophetarum, diserte memorat Jacobus Grimaldus notarius, cui demandata fuit cura percensendi ac describendi, et publicis tabulis inserendi dispositionem et ornamenta veteris illius ædificii antequam a cœmentariis dirueretur in novæ basilicæ amplitione sub Paulo quinto. Quinetiam in cryptis Vaticanis hodieque visitur graphice delineata, et coloribus repræsentata, tum ichnographia, tum orthographia basilicæ veteris, quam præsul Ciampinius æneis deinde tabulis reddidit in laudato libro de sacris ædificiis a Magno Constantino constructis. His quoque auctoribus (Grimaldo et Ciampino) debemus præservatam nobis memoriam tum epochæ picturarum, tum seriei duplicis pontificum Romanorum ibidem dispositæ: quorum testimonia non pigebit apponere, ut constare possit de antiquitate atque auctoritate ejusmodi monimentorum, ac de documentis chronologiæ pontificiæ, tot sæculorum incorrupto testimonio in his asservatæ: cujus rei gratia hæc diligentius expendere et observare constitui.

D Ciampinus igitur de sacris Ædificiis cap. 4, pag. 34 et seqq., describens partes singulas atque ornamenta parietum veteris basilicæ Vaticanæ, ut ad seriem pontificum pervenit, jam indicatam, et in tabulis x et xi delineatam, eas picturas a Formoso papa additas seu restitutas fuisse significat his verbis: « Reliquæ vero picturæ, quarum una pars historiam Veteris Testamenti designabat, et istarum nonnullæ injuria temporis erant deletæ, ut ex eadem tab. x facillime argui potest; altera vero pars superius diversorum sanctorum imagines repræsentabat. Hæ picturæ antiquissimæ erant et jam vetustate quasi consumptæ, jussu Formosi primi summi pontificis factæ, qui floruit anno 890. Aderant etiam in zo-

phoro, qui imminet columnarum epistyliis, videlicet in orbicularibus illis signis indicatis in tabula x, lit. G H depicta Romanorum pontificum capita, sicuti etiam in aliis orbicularibus signis his superpositis ut ibidem litteris I, L et clarius demonstratur in alia tabula XI in ampliorem formam designata sub litteris A, B, C, D, et sic de reliquis. » Hæc Ciampinus.

Verum ex tabulis publicis, ea de re confectis a commendato Jacobo Grimaldi, ex destinatione Pauli V, notario ad id muneris delecto, cujus autographum in archivo sacrosanctæ basilicæ custoditum consulere ac describere mihi permissum fuit, annuente eminentissimo ac reverendissimo D. cardinali Albano archipresbytero, et consensu totius reverendissimi capituli (unde etiam hauserat Ciampinus), proferre juvat recensionem veterum picturarum quæ ibi spectabantur. Constabit enim seriem illam pontificum, quæ supra epistylia et coronidem columnarum sublimiori in stylobate depicta erat, sub picturis Veteris Testamenti colorato, indicatam litteris IL in tab. x Ciampiniana, fuisse antiquiorem et pertinuisse ad ætatem Formosi papæ ; alteram vero seriem eorumdem pontificum, quæ constituta erat intra coronidem et epistylium ordinis columnarum in zophoro, ubi sunt litteræ G, H, tab. x apud Ciampinum, opus fuisse ætatis multo recentioris : quippe quæ Nicolai tertii mandato depicta ibi fuerat totis 400 ferme annis post seriem a Formoso superne dispositam.

5. Eadem diversitas ætatis clare deprehenditur etiam nunc spectabilis in duplici serie Romanorum antistitum in basilica S. Pauli. Hoc unum interest quod in basilica Paulina series supra coronidem sita exacteque referens ordinem et chronologiam eorumdem pontificum, in pariete quidem australi, et in stylobate supposito picturis Veteris Testamenti referenda videtur ad quintum Christi sæculum, ut infra ostendam ; ad quod sæculum dubio procul pertinet musivum arcus triumphalis, eidem parieti proximum, in eadem navi mediana memoratæ basilicæ, in quo adhuc leguntur nomina Leonis Magni et Placidiæ Augustæ, opus id perfici jubentium ; in pariete autem adverso, ad plagam scilicet borealem sito, series pontificum perturbate disposita per imperitum aliquem curatorem operis, qui sequiori sæculo implere voluit vacantes areas orbiculares, aut labefactata pigmenta parietis adversi assimilare, infelici plane conatu omnia commiscendo, citra ullam ordinis aut chronologiæ observationem, proximos loco exhibet pontifices pluribus sæculis invicem sejunctos, pluresque repetit expressos suo loco in eadem serie sæculo quinto depicta in pariete australi. Nam Adriano ejus nominis primo, cui octavus orbiculus obtigit in pariete boreali numerando a fronte basilicæ, proximus pontifex qui occupat nonum orbiculum inscribitur MARCELLUS, nempe martyr sub Diocletiano, totis quingentis annis vetustior Adriano I ; deinde sequitur AGATON, ducentis et octoginta ferme annis recentior Marcello, et sæculo ferme solido præcedens Adrianum. Neque felicius aut diligentius pictor ille parietis borealis expressit chronologiam, quam poterat saltem in pontificibus repetitis mutuari ex pariete adverso. Vidisset enim Marcello tributos in sede Petri annos quinque et menses septem (quot etiam in vetustis ac sinceribus Catalogis assignantur), nec ad octennium cum bimestri spatio, ut ipse pinxit, prorogari. Constat igitur picturas parietis borealis serius fuisse superadditas ætate sequiori, qualem vidimus indicari etiam per marmoream epigraphem ejusdem lateris borealis, barbaro stylo deformantem brevem epistolam Gregorii tertii, a nobis prolatam in præfatione tomi primi numero 38. Vetustiorem igitur seriem ac superiori loco positam in basilica S. Pauli via Ostiensi cum appellavero, intelligam indicare genuinam illam, neque hactenus deformatam, quæ in pariete australi a B. Petro numerat pontifices duos et quadraginta usque ad S. Innocentium ejus nominis primum. Adjectitiam vero partem, sequiori ætate positam, ac manifeste vitiatam, perturbato ordine et perversis notis chronologicis in adverso pariete boreali pictam tanquam rhapsodiam inconditam, cujus neque auctor, neque exemplar, imo nec exemplum ullum cognoscitur, nihili habendam, ex regula secunda capitis superioris.

6. Subter eam seriem vetustiorem, sæculo quinto parieti australi commendatam, alia series recentior adjecta fuit a Nicolao ejus nominis tertio etiam in basilica S. Pauli ; eaque a S. Petro ad consequentes pontifices ordine congruo deducitur, adjectis etiam notis chronologicis per litteras *afflictas* ut vocant, et barbarico ductu (prout ea ferebant tempora) deformes. Verum et picturæ et litteræ pleræque deciderunt, cum calx recens superinducta vetustis parietinis, et gypso subacta, non satis apte cohæserit. Nulla tamen jactura fuit historiæ, aut chronologiæ in monumento adeo recenti, ubi antiquum illud, ad sæculum Leonis Magni referendum, potissima sui parte integrum constat.

Duplicem igitur seriem Paulinæ basilicæ, nempe Leonianam illam vetustissimam supra coronidem, et recentiorem a Nicolao tertio appositam infra coronidem in epistyliis, imitabantur duæ illæ spectabiles in Vaticana, quarum superior Formoso papæ, inferior eidem Nicolao tertio tribuitur etiam in tabulis publicis Grimaldi notarii, folio 161 ita perscriptis.


A
B
C
D
E
M
A
B

« Hoc anno (1610) navicula in atrio manu Jotti pictoris egregii musivo effecta, pro quo opere duo millia et ducentos florenos Jacobus card. Stephanesca, Nicolai III pronepos, de suo expenderat, fuit septa lignis optimeque munita, et super ruinis, quæ montem effecerant, translata fuit, » etc.

« In muris super majoribus columnis mediæ navis erant picturæ Formosi papæ. In parte dextera egrediendo basilicam erant historiæ Novi Testamenti : sed quia murus pendebatur, et facilis erat ad se ibi glutinandum, vix cernebant. Aliquas notavi : *Apparuit undecim apostolis. — Descensus ad limbum. — Baptismus in Jordane* ; et super quartam et quintam columnam erat Crucifixus pariter depictus cum duobus latronibus ; infra quem cernebantur capita antiquissima depicta apostolorum Simonis et Judæ : ante accendebantur lumina in festo eorumdem apostolorum. In altero vero pariete, quem pariter pendentem pulvis offendere non poterat : *Arca diluvii, inundatio aquarum. — Lot egreditur de Sodomis. — Abraham tres vidit et unum adoravit. — Immolatio Isaac. — Moyses et Aaron loquuntur ad Pharaonem, ut dimittat populum. — Moyses et Aaron virgam vertunt in serpentem*, » etc. Sequitur alias Exodi historias enumerans, ibi depictas, in tab. Ciampini x, in areis quadratis ; tum hæc subdit de serie pontificum vetustiori ibi lit. I. L.

« Infra has picturas erant capita pontificum cum manto more antiquorum, cum nominibus, verbi gratia : *Siricius sedit ann.* xv, *mens,* v, *d.* xx (*Anastasius sedit ann....) Felix sedit ann.* i, *mens... (Julius sedit ann.... (Eusebius sedit ann....) Ormisda sedit ann....* »

Tandem descendens ad inferiorem seriem eorumdem pontificum, jussu Nicolai III in zophoro et in epistyliis dispositam, ita scribit.

« In zophoro musivi operis supra peristyliis columnarum erant rotæ cum imaginibus summorum pontificum, quás, ut inquit Mapheus Veggius, pingi fecit Nicolaus III. In latere sinistro egrediendo basilicam Pius, Soter, Eleutherus, Victor, Zephirinus, Callistus, Urbanus, Antherus, Pontianus, Favianus, Cornelius : supra peristylio Africanæ columnæ Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionysius, Felix, Eutichianus, Caius, Marcellinus. Isti octo pontifices erant in pariete frontis templi. Marcellus super altera columna Africana, Eusebius, Miltiades. Silvester habebat tiaram cum una tantum corona. Alii ante ipsum habebant diademata cum pallio more Græco. Post Silvestrum qui sancti sunt habebant diademata rotunda, et tiaram cum una corona, Marcus, Julius. Liberius habebat tantum diadema quadratum. Felix, Damasus, Siricius, et Anastasius. Supra picturas Formosi erant prophetæ stantes *(vide in tab.* x *Ciampini, lit.* C. D.) tota denique ipsa Formosi pictura inepta satis, et barbara, et decolorata. »

Hæc a Grimaldi codice per nos descripta sufficient ad percipiendam methodum ornatus veteris basilicæ Vaticanæ plane similem ornatui Paulinæ basilicæ, et indicia suggeret ad ætatem atque auctoritatem utriusque seriei demonstrandam. Plane intelligimus ex narratis ac descriptis a Grimaldo, ac delineatis a Ciampino, servatam fuisse eamdem fere methodum ornamenti navis medianæ in utraque basilica, in columnis et in picturis, tam supra quam infra coronidem exhibentibus pontificum imagines, eorumque seriem ordinatam, et notis chronologicis insignitam : nec non in cæteris picturis, biblicam historiam referentibus supra seriem pontificum vetustiorem ; et in prophetarum imaginibus, ad colosseam staturam superne extensis, et fenestrarum interstitia sub laqueari implentibus, quales supersunt in basilica S. Pauli.

7. Nostri argumenti est prosequi diligentius auctoritatem utriusque seriei ita ordinatæ, recentius quidem per Nicolaum III in utraque basilica, antiquitus vero per Formosum in Vaticana, et per Leonem Magnum vel Symmachum in Paulina.

Ut a nobis proxima et per Nicolaum III curata exordiamur, quam omnes ferme recentiores post Tempestam pictorem et incisorem, relicta superiori ac vetustiori, utpote a conspectu magis remota, excuderunt ; dolendum est artifices a Nicolao adhibitos, qui satis exacte reddiderunt numeros chronologicos in serie vetustiori expressos, eadem fide ac diligentia non fuisse imitatos ornamenta imaginum quæ in antiqua serie incorrupta adhuc supersunt. Vidissent profecto nec S. Silvestro, nec successoribus usque ad sæculum Christi decimum aptatas fuisse a majoribus nostris tiaras illas ingentes, vel nudas, vel coronatas (seu pingerent coloribus, seu musivis crustulis coagmentarent, sive etiam in numismatibus cuderent vultus pontificum), quas ipsi suo marte procudebant, et contra fidem picturarum et musivorum Urbis adhuc superstitum addebant, transferentes usum ætatis suæ, octingentis annis a Leoniano sæculo dissitæ, et plus quam nongentis ab ætate S. Silvestri, ad ea tempora superiora. Satius fuisset inspicere imaginem Honorii I, ejusdem ætate positam in musivo absidis S. Agnetis extra Muros, aut Leonis tertii in triclinio Leoniano ad Lateranense patriarchium, aut Paschalis primi, triplici in æde Sacra musivo opere ab ipso expressam, scilicet in titulis S. Praxedis, ac S. Cæciliæ, et in diaconia S. Mariæ in Domnica, aliisque operibus excusis apud Ciampinum. Vidissent tum decessores Silvestri, tum successores usque ad finem noni a Christo sæculi, nudis capitibus ita exhiberi, ut solum ornamentum clericalis tonsuræ seu coronæ in propriis capillis ostendant, quales apparent genuinæ illæ atque intactæ imagines, in basilica S. Pauli sæculo quinto pictæ, et perductæ a S. Petro ad Innocentium primum. Ornamenta igitur pontificalia ætatis Nicolai III, per prolepsim translata et superaddita Silvestri sæculo, nihil auctoritatis antiquæ transferunt in eamdem seriem. Notæ vero chronologicæ, numerantes annos, menses ac dies sedis unicuique pontifici assignatos, et in vetusta serie adhuc superstites, cum eamdem fideliter referant (quantum consequi licet ex iis numeris qui

supersunt), ad seriem Nicolai transferunt auctoritatem antiquioris, non secus ac exempla publica auctoritate recognita ab exemplaribus mutuantur. Quare ubi numeri seriei superioris injuria temporis ita obliterati sint, ut integri non appareant, suppleri possunt ex hac Nicolai serie eosdem repetente, juxta regulam criterii chronologici a nobis constitutam capite superiori numero 6 et 7. Ut supra tamen retuli, picturæ istæ a Nicolao III superadditæ antiquis in parietinis supra calcem gypso subactam a fabris murariis imperitis, minus firmiter adhærentes maximam partem exciderunt. Quare subsidio sunt exiguo paucis in numeris supplendis. Aliunde tamen complentur supplementa chronologica seriei vetustioris, nempe ex vetustis exemplis ab eodem archetypo desumptis, et fideliter expressis in codicibus et Catalogis per annos octingentos et nongentos nostram ætatem superantibus, ut infra exponemus.

8. Quæ superius a me dicta sunt de clericali tantum corona in capitibus Romanorum pontificum expressa tum in musivis, tum in aliis veteribus picturis usque ad sæculum Christi decimum inchoatum, nihil repugnant *quadrato* illi *signo* sive *insigni* pone capita eorumdem expresso, et ab eruditis scriptoribus non solum indicato, sed etiam explicato, quod scilicet adhibebant ad indicandum eum virum cui tale ornamentum apponebatur, in vivis tunc agere quando ejusdem imago pingebatur. In memoratis musivis Leonis tertii et Paschalis primi, aliisque pluribus Romæ constructis, et superstitibus super apsidas titulorum S. Marci et SS. Cosmæ ac Damiani, quadratum illud insigne viventibus pontificibus adhibetur, quod esse viventium indicium testatur etiam Joannes diaconus in Vita S. Gregorii Magni, lib. IV, cap. 84. Addit Alamannus in explicatione musivi Lateranensis, pag. 65, tesseram esse tum vitæ constantis, tum virtutum retradis, attributam præcipue præsulibus sacerdotum, et aliquando etiam principibus, regia sive etiam augusta dignitate fungentibus ; uti evidenter ostendit pervetusta ex epigraphe imaginis Caroli Magni ita ornatæ, in qua significari dicuntur quatuor virtutes præcipuæ, quas dicimus *cardinales* in illo adhuc vivente conspicuæ.

Hoc igitur quadratum insigne, viventium pontificum imaginibus veteri ex usu adhibitum, quod observamus in plerisque musivis ante decimum Christi sæculum constructis, non modo non excluditur ab indiciis antiquæ seriei pontificiæ, sed mirum in modum confert ad comprobandam parem auctoritatem ejusmodi vetustæ seriei pontificalis depictæ in basilicis Romanis, ac veterum Catalogorum, præcipue illius antiquissimi in Liberio desinentis, quem consensu eruditorum omnium apud Bucherium, Schelestratium et cæteros de hoc argumento scribentes, vidimus auctoritate ac vetustate cæteris anteferri.

Diligentia quam Grimaldus adhibuit in describenda serie summorum pontificum, per Nicolaum tertium repefita in basilica Vaticana, diserte nos monuit inter pontifices quarti sæculi solum Liberium hoc *insigni quadrato* fuisse decoratum, cum cæteros ante Silvestrum corona clericalis tonsuræ, post Silvestrum tiara pictor Nicolai ornavisset. Singulare hoc insigne quadratum, a vetusto exemplari petitum, cum artifex non sit ausus mutare in Liberio, neque aliis appingere, indicio est seriem aliquam antiquitus exstitisse, quæ non secus ac ille Catalogus Bucherianus posita fuerit constante vita Liberii ; et idcirco is *quadratum insigne*, indicium scilicet viventis, ejusdem capiti apposuerit. Quare gratiæ habendæ sunt Grimaldo, qui etiam in serie Nicolai III præservaverit hæc documenta ætatum superiorum et Catalogi Liberiani.

9. Cæterum hanc seriem recentiorem, Nicolao tertio mandante depictam fuisse annis ab hinc quadringentis et quadraginta tam in basilica S. Pauli, ubi adhuc visitur, quam in aliis duabus patriarchalibus, Lateranensi ac Vaticana, et numerum atque ordinem pontificum desumptum fuisse a serie illa antiquiori, sæculo Leonis Magni in Paulina, et sæculo Formosi in Vaticanæ parietibus superius posita, contestes habeo historicos quotquot a Nicolai ætate ad nostram numerantur. Sint instar omnium hi quos brevitatis causa hic recenseo. Benedictus Platina in Vita Nicolai III ita enarrat : uti etiam Ptolemæus Lucensis apud Raynaldum ad annum Christi 1280, numero 25. Verba Ptolemæi transcribam ex Raynaldo ; nam indicant in tribus patriarchalibus basilicis seriem illam vetustiorem fuisse conspicuam, et ab ea serie, Nicolai jussu, ordinem ac numerum summorum pontificum fuisse desumptum, quem de proximo spectandum inferiori ac recentiori sua ipse proposuit. « Nicolaus tertius, inquit, multas novitates fecit : primo quia apud S. Petrum ædificavit palatium multum solemne pontificale, etc. Hic ecclesiam beati Petri quasi totam renovavit, et numerum summorum pontificum fecit describi secundum imagines in ecclesia beati Petri in loco eminenti, et beati Pauli, ac sancti Joannis de Laterano. »

10. Ad hanc igitur seriem archetypam redire necesse est, quam Nicolaus quinto a nobis sæculo dissitus imitandam et sequendam proposuit, utpote genuinam, et a decessoribus suis per tot sæcula propositam in eisdem patriarchalibus basilicis, quas universus Christianus populus, ad limina apostorum accurrens, frequentare, observare ac describere satagebat.

Et certe mirari subit ad archetypam illam seriem a Nicolao posteris indicatam tanquam exemplar, et in duabus saltem basilicis usque ad ætatem Pauli quinti superstitem (nam sola Lateranensis incendio consumpta fuerat post Nicolaum) oculos eorum non fuisse conversos qui de Catalogis et chronologia pontificum solliciti, tot codices et archiva consuluerunt, ut antiquissima monumenta et maxime genuina proferrent. Quantum assequi meditando pos-

sum, easque regulas consectando quæ ad veritatem chronologiæ inveniendam et comprobandam superiori capite firmatæ sunt, Nicolai sententia omnium eruditorum studia manuducit ad eam quam tantopere flagitant, veritatem. Series enim illa antiquior et genuina, tanta sui parte adhuc præservata et conspicua in parietinis basilicæ S. Pauli, auctoritate et antiquitate ita cæteras antecellit, ut omnium sæculorum suffragio habita fuerit fons et origo correctiorum catalogorum ; quod proximo capite a me demonstratum iri confido.

CAPUT IV.

De antiquitate et auctoritate seriei et chronologiæ pontificum Romanorum, quæ una cum musivo sancti Leonis Magni picta conspicitur in navi media basilicæ S. Pauli via Ostiensi. — Ostenditur Catalogus pontificum Romanorum vetustiores ac fideliores hinc originem traxisse et sæculorum consequentium suffragio non interrupto eamdem chronologiam hic depictam cæteris prælatam semper fuisse publica auctoritate.

SYNOPIS CAPITIS

I. Series et chronologia pontificum Romanorum, depicta in basilica S. Pauli, satis conspicue præservata adhuc superest in plerisque pontificibus a S. Petro ad S. Innocentium primum, ut comparari possit cum Catalogis vetustioribus et probatioribus, præsertim asservatis in archivis Italiæ. — II. Cur debeat conferri cum codicibus Italiæ, præcipue vero cum proximioribus Urbi, ex regulis criterii chronologici, constitutis capite superiori. — III. Accurata diligentia adhibenda fuit in eadem Chronologia fideliter describenda ex imaginibus, et inscriptionibus summorum pontificum, pictis in pariete australi navis medianæ quinto circiter Christi sæculo, Instrumenta adhibita ut litteræ singulæ quæ supersunt redderentur aspectui evidentes in ea distantia.—IV. Antiqui descriptores Catalogorum, præsertim qui dissitis in provinciis extra Italiam versabantur etiamsi Romam adirent, et hasce picturas, imagines et epigraphes observarent, cum destituerentur in sua observatione iis præsidiis quæ nos feliciter adhibuimus, complura vitiose transcribere facile potuerunt; et cum in numeris per Romanas litteras in prototypo repræsentatis colores languidius elucescant, ac in tanta quanta sunt ab oculo distantia spectati ex pavimento aciem visus requirant perfectam, vel dioptricis subsidiis adjutam, ne fallatur inspector qui raptim eos pervadat.—V. Italis vero descriptoribus, atque ii præ cæteris qui regionis suburbicariæ et Campaniæ in tractu versabantur, licebat sæpius et majori cum otio picturas illas atque epigraphes tum observare, tum describere; quare ex eodem prototypo poterant correctius exemplum nobis relinquere, quam exteri Romam concedentes, sed sollicite reditum maturantes ad suas bibliothecas et monasteria.—VI. Series pontificum Romanorum eorumque chronologia, palmaribus litteris depicta in pariete australi basilicæ S. Pauli, dignoscitur esse referenda ad quintum sæculum, Christi. Primum ex picturæ stylo, collato cum musivo, Leonis Magni et Gallæ Placidiæ ætate constructo. — VII. Secundo loco id comprobatur ex narratis in Libro Pontificali ; unde constat picturas fuisse additas una cum musivo in basilica S. Pauli a sancto Leone Magno, et reparatas vel auctas eodem sæculo per Symmachum papam : neque memoratur inter successores quispiam qui easdem picturas fieri curaverit.— VIII. Tertio evincitur ex testimonio S. Adriani papæ, ad Carolum Magnum scribentis pro cultu sacrarum imaginum, in epistola recitata atque edita in Actis synodi Nicænæ secundæ ; ubi musivum opus et picturæ historiarum atque imaginum basilicæ S. Pauli tribuuntur nominatim S. Leoni Magno. — IX. Quartum argumentum, demonstrans hanc seriem et chronologiam ibi positam fuisse sæculo quinto, deducitur ex termino in quo desinit eadem series ordinata imaginum, et chronologiæ summorum pontificum : cum reliquæ imagines coloratæ in pariete boreali sint repetitiones ac transpositiones tum eorumdem, tum successorum pontificum, nullo ordine servato ætatis aut successionis, sed temere adjectæ ab imperito aliquo curatore ætatis incertæ sequioribus sæculis.—X. Ordinatam illam seriem et chronologiam, quinto sæculo pictam in basilica S. Pauli, necnon similem sub Formoso papa olim exstantem in Lateranensi et in Vaticana, referunt codices vetustiores ac sinceriores archivorum Italiæ. — XI. Confirmatur auctoritas ejusdem chronologiæ ex consensu non interrupto duodecim sæculorum a Leoniano ad nostrum, constanter exprimentium eamdem chronologiam publicis documentis : quæ per singulos pontifices et eorumdem epochas cum Paulina supradicta consentire ostendentur capite proximo.

1. Ætatis nostræ desidia foret, ac incuria non toleranda, si negligeret in medium proferre pretiosas illas reliquias Catalogi archetypi pontificum Romanorum quæ solæ jam supersunt in australi pariete interno basilicæ sancti Pauli via Ostiensi, deletis omnino atque disjectis cæteris imaginibus atque inscriptionibus similis Catalogi pontificalis, qui ad posteritatis documentum depictus fuerat tum ibi, tum in utraque basilica patriarchali intra Urbem, Lateranensi et Vaticana, ut paulo ante memoravimus ex Ptolemæo Lucensi, Platina, Veggio, Raynaudo. Grimaldo aliisque historicis

Reliquias Catalogi cum appellaverim eas, quæ supersunt, imagines et epigraphes pontificum Romanorum, nolim haberi ita exiguo numero, aut coloribus, ac litteris ita evanescentibus, aut consumptis, ut maxima pars non sit conspicua a S. Petro ad sanctum Innocentium primum. Quin imo ex duabus et quadraginta imaginibus totidem pontificum maximorum, qui eamdem ætatem metiuntur, pleræque sunt integræ, præcipue post S. Antherum. Ex pari autem numero inscriptionum, exprimentium uniuscujusque antistitis nomen et chronologiam, unica est, cujus litteræ omnes interciderint. Complures in reliquis integræ, præsertim a S. Fabiano ad S. Innocentium. E viginti vero superioribus a beato Petro ad Fabianum tot litteræ sunt evidentes tum in nominibus, tum in numeris, Romano more per litteras efformatis, ut comparari facile possit chronologia hic depicta cum Catalogis probatioribus et antiquioribus, quibus mirifice concordat.

2. Tres autem sunt Catalogi prætantiores auctoritate et antiquitate inter eos qui ex Archivis Italiæ petiti sunt, ad quos exigendam esse censui fidem chronologiæ in Paulina basilica depictæ, nempe Farfensis, Cavensis et Bergomensis. Cur vero duxerim seligendos ex *archivis Italiæ* potius quam ex documentis *regionum exterarum*, id consequitur ex regulis prima ac tertia, ejusdemque ex Corollariis, firmatis capite superiori, dum consectaremur methodum inveniendæ chronologicæ veritatis numero secundo, septimo et octavo. Ostensum fuit numero secundo ad veram chronologiam statuendam consuli a nobis oportere *monumenta publica*, si quæ sunt: *eaque præferenda quæ, per viros idoneos posita, loco ac tempore sint proximiora ætati ac gestis de quibus Cum maxime agitur.* Rursus numero septimo consti-

tutum fuit, *ex documentis aliunde ministratis, quam ex loco, ubi tres proxime gerebantur, suffragii prærogativam esse penes illud, cujus auctori causa scientiæ, peritia disciplinæ, ac studium veritatis facultatem dederit ampliorem temporis ac rerum perquirendarum.* Tandem numero octavo id inferebam: *Consensum plurium scriptorum vel documentorum, loco ac tempore proximiorum, præsertim si publica auctoritate muniantur, indicium habendum esse veritatis historicæ et chronologicæ.*

3. Nemo non intelliget cur hæc conditiones quærendæ fuerint in codicibus Italiæ, præsertim Romæ proximioribus, quorum Farfensis primus, Cavensis alter, Bergomas tertius viciniæ titulo haberi debent. Considerabam enim scriptoribus et custodibus bibliothecarum atque archivorum Romæ proximiorum, occasionem fuisse paratam adeundi frequenter Urbem, et conferendi sæpius suos Catalogos et documenta chronologiæ pontificiæ propriis in codicibus consignatæ cum archetypis monumentis basilicarum patriarchalium intra et circa Urbem; in quibus patebant oculis omnium series et epigraphes pontificum, complexæ eorumdem successiones ac tempora. Eruditis autem viris maria transmissuris, aut montes superaturis, ac plures provincias peragraturis, ut in Italiam et Latium tandem pervenirent, raræ admodum occasiones offerebantur Romam concedendi, atque hic moram diuturnam trahendi, et necessaria ita parandi ad picturas et epigraphes diligenter inspiciendas iterato experimento (quod mihi necessarium fuit, licet ab annis triginta septem in Urbe versanti, et cupienti nihil inexploratum relinquere in iis quæ dubia videbantur); ut monachus, exempli causa, cœnobii in Gallia vel in Britannia siti eadem facilitate omnia lustrare posset, qua potuit monachus abbatiæ Farfensis aut Cavensis, quem studia amicorum omnium, et comprovincialium juvabant, ut me adjuvarent in his morosius disquirendis ac distinguendis.

Nemo etiam non concedet oculorum fallaciam esse frequentem in numeris describendis, præcipue cum ex humili loco, ex pavimento scilicet ecclesiæ, hospes observat epigraphes et litteras numerorum indices, depictas in editiori loco, eoque non satis claro, totis ducentis plerumque palmis inter picturas et oculum interceptis, quanta est distantia observantibus ex pavimento basilicæ sancti Pauli. Non pigebit ea breviter indicare, quæ anno superiori 1720 præstitimus, per dies plures iteratis experimentis, ut verum ductum litterarum earumque numerum assequeremur.

4. Licet enim palmares sint characteres Latini alphabeti, quibus constant epigraphes, nomina et chronologiam pontificum enuntiantes in serie memorata navis mediæ ac latere australi basilicæ sancti Pauli, in ea tamen distantia ducentorum fere palmorum a conspectore in pavimento posito ægre admodum discerni possunt, nisi pleno lumine perfundantur per solis radios, a fenestris amplioribus in fronte occidentali ecclesiæ admissos horis pomeridianis; quæ tamen fenestræ proximis imaginibus satis vividam lucem distribuunt, sed remotioribus languidiorem. Pluribus etiam in locis ei picturis, præsertim iis quæ imagines exhibent a beato Petro proximas, aqua depluens olim per tecti aut fenestrarum rimas, vitium induxerat. et pulvis adhærens parietem ita contexerat, ut ductus litterarum essent minus manifesti. Adversus hanc difficultatem aspectus et accessus plura subsidia comparavimus quotquot ex condicto convenimus anno superiori 1720, diebus præsertim 12 Martii, 29 Aprilis et 10 Maii, ad recognoscendas imagines et epigraphes ibi depictas. Nam sole clarissimo circa meridiem, et horis a meridie proximis basilicam illustrante intendebamus oculorum aciem, non solum ea luce adjutam, verum etiam tubis opticis armatam ad augendum angulum a minutis etiam partibus objecti efformatum, quo evidentius perciperentur. Directis vero pluribus tubis hinc in musivum, S. Leonis Magni et Placidiæ nominibus insignitum, inde in historias Veteris Testamenti, supra imagines pontificum in pariete australi coloratas, ut stylum picturæ utrobique observaremus et compararemus. Perspicue autem comperimus vultus viginti quatuor seniorum Apocalypseos, in musivo S. Leonis delineatos, ita similes esse vultibus Aaronis et Moysi, pictura expressis in memoratis historiis Exodi, præcipue ubi plagas Ægypto illatas pictor exhibuit, ut ejusdem artificis manus aut certe ejusdem scholæ artificium utrobique se prodat. Eadem ratio vestium componendarum, idem cultus corporum; omnia denique ingenium indicant ejusdem opificis. Nec dispar est habitudo facierum, quas tribuit pictor summis pontificibus, in ea serie dispositis a S. Petro ad Innocentium primum, exhibens *protomen* singulorum, ornatam candida tunica, purpureis limbis distincta in futuris, et pallio candido humeris superfuso: quæ *imagines*, seu *protomes* singillatim includuntur area orbicularis figuræ, seu clypeo (unde veteribus dictæ sunt *imagines clypeatæ*), apposita singulis orbiculis brevi epigraphe, palmaribus litteris indicante nomen pontificis, et annorum, mensium ac dierum numerum qui ejusdem sedi tribuuntur. Has vero epigraphes esse contendo archetypum præstantissimum Catalogi pontificalis, ex genuinis documentis Romanæ Ecclesiæ productum, ibique consignatum ætate Leonis Magni, merito a nobis observandum ac describendum, et conferendum cum vetustis Catalogis multo majore cura quam impendant politiorum litterarum studiosi in colligendis fragmentis Ennii, Catonis aliorumque profanæ eruditionis insignium scriptorum. Omnia idcirco subsidia undique conquisivimus ad hasce epigraphes nitide distinguendas ac fideliter describendas.

His autem subsidiis destituti (præsertim dioptricis telescopiorum) qui ante inventum eorumdem nudis oculis ex pavimento observabant, allucinari facile poterant in litteris numerabilbus discernendis; et nullo negotio signum quinarii V substituere suis in exemplis poterant pro integra denarii nota X cujus

dimidia pars in exemplari pulvere obsita delitesceret, aut lumine non satis vivido perfunderetur, aut imbrium decidentium injuria coloris evidentiam amisisset. Eadem difficultate laborarunt in assequendo unitatum numero, ubi plures se invicem consequuntur; ac proinde VII pro VIII, æque ac VIII reddere pro VII potuerunt, ubi acies oculorum impediebatur externis ejusmodi occultationibus characterum.

Nos ad hæc impedimenta amovenda impetravimus tum a sanctissimo Patre Clemente XI, cujus in patriarchali basilica id erat tentandum, tum a reverendissimo abbate et monachis Cassinensibus eamdem religiosissime procurantibus, ut longiores scalas admovere liceret, quas ab Urbe adduci curavimus, et per ministros idoneos non solum scopis ac linteis everri, et pulverem abstergi, quo clarius litteræ et colores apparerent, verum etiam effecimus ut iidem idonei viri qui scalas portatiles conscenderant, absterso pulvere digitos admoverent ad litteras singulas, easque nominatim inclamarent nobis, e pavimento observantibus per tubos opticos, num conspectu nostro eadem indicatio fideliter appareret, quæ voce tangentis litteras proferebatur. Veteribus illis chronologiæ pontificiæ studiosis Romam adventantibus ante inventum telescopii, ac seriem istam, et notas chronologicas transcribere tentantibus, lignea castella erant adhibenda, et singulis imaginibus atque inscriptionibus admovenda plurimis cum impensis et curis, ut pari felicitate assequi possent numeros hoc in archetypo Romanis litteris coloratos. Quanta vero difficultas sit hospitibus Romam adeuntibus, ut emenso longo itinere de castellis et machinis cogitent ab Urbe in basilicam transferendis et erigendis, ut sordibus parietum detersis, litteras evidentius de proximo transcribant, imaginari facile poterit quisquis altitudinem parietum et picturarum distantiam a pavimento consideret.

Mirandum igitur non est si tot Catalogi, etiam antiquitus descripti ab his eisdem picturis, et epigrammatibus basilicarum Urbis per hospites et peregrinos exterarum nationum, Romam voti aut religionis causa adeuntes, tanta numerorum diversitate inter se differant, licet ab eodem fonte fortasse fuerint petiti. Cum enim tribus in basilicis Romanis depicta forent antiqua exempla ejusdem seriei et chronologiæ (quam Nicolaus III ante annos 450 inferiori loco in singulis iterandam duxit), aliquot numeri minus evidentes in Lateranensi, exempli causa, quam in Vaticana, aut in hac minus quam in Paulina, si a descriptore unica tantum in basilica observante, idque raptim, ut viatores plerumque solent, aut acie oculorum infirmiori prædito exciperentur, transformari facile poterant in numeros differentes; dum alius descriptor evidentiores nactus in alia basilica, quam hospitio suo proximiorem lubentius fortasse adibat, numeros exacte reddidit in suo exemplo, erraturus tamen in aliis numeris ejusdem basilicæ, minus distincte apparenti-

A bus quam in cæteris duabus basilicis, quas adire ad conferendas epigraphes illi non vacabat. Præcipuam hanc fuisse causam opinor diversitatis tot in Catalogos inductæ, quam deinde novis erroribus cumularunt amanuenses ætatum sequiorum, tum ubi notas numerales perveterent incuriose, tum ubi in codicibus oblitteratas audacter supplerent aut oscitanter præterirent; nec quisquam reperiretur qui cogitaret de transmittendo ad Urbem exemplo sui codicis, ut numeri conferrentur cum prototypis basilicarum, quarum de picturis et chronologia nihil admodum suboluerat antiquario aut bibliothecario, dissitis in provinciis agenti, et in Urbe nunquam versato.

B 5. Hæc igitur præsidia comparationis et inspectionis, paratu admodum difficilia hospitibus e dissita regione ad Urbem accedentibus, commode satis patere poterant scriptoribus et bibliothecariis, in Latio, Sabinis et Campania commorantibus, quibus facilis ad Urbem accessus, dum sarta tecta basilicæ curarentur, occasionem paratiorem offerre potuit suos Catalogos cum hisce picturis de proximo conferendi: quod etiam obtinere non difficulter contigit cæteris in Italia constitutis, et ad Urbem pluriés evocatis. Ea igitur consideratio nos impulit ut Italicorum archivorum codices vetustiores in chronologia pontificia ordinanda, et cum hisce picturis conferenda præferremus cæteris, pari fortasse antiquitate præstantibus, sed longe ab Italia dissitis in bibliothecis et archivis olim depositis

C aut asservatis vel transcriptis per eos qui Urbem adire et cum nostris conferre minime studuerunt.

6. Subsidia vero parata scriptoribus et bibliothecariis in suburbicaria regione degentibus, cum longe auctiora et cumulatiora nobis oblata sint urbem incolentibus, qui propterea pro lubitu tot argumenta adhibuimus in litteris diligenter recognoscendis, et in comparatione styli picturæ, et imaginum cum musivo S. Leonis, usi scalis ac telescopiis, et delectu habito clariorum dierum ad observandum; nostro jure id usurpare fidenter possumus, ut asseramus, ad quintum Christi sæculum, ad quod Leonis Magni musivum pertinet, spectare etiam seriem pontificum et chronologiam depictam in pariete

D australi interno navis mediæ basilicæ S. Pauli, et pertingentem a S. Petro ad S. Innocentium primum: idque ex consimili stylo musivi et imaginum oculari experimento satis deprehendi.

7. Accedit ad comprobandam hanc epocham sæculi Leoniani, communem musivo arcus majoris, et picturis adornantibus internam faciem parietis australis per universam longitudinem navis mediæ ejusdem basilicæ, et seriei pontificum sub eisdem et cum eisdem pictæ, accedit, inquam, ad epocham Leonianam utrobique asserendam auctoritas gravissimorum auctorum, tribuens Leoni Magno opus utrumque in basilica S. Pauli præservatum, nempe musivum arcus majoris, et pictas histo-

rias Veteris Testamenti, atque imagines venerabilium Patrum ejusque decessorum in sede Romana.

Ac primum Liber ipse Pontificalis nemini attribuit renovationem basilicæ S. Pauli, quæ conflagraverat, præterquam sancto Leoni Magno; cui etiam inscriptio ævi Leoniani, conspicua in ejusdem musivo, *omnem* reparationem *et ornatum* refert acceptum, dum ait:

> Placidiæ pia mens operis *decus omne* paterni
> Gaudet *pontificis* studio *splendore Leonis.*

Quale vero sit ornamentum a Leone additum post reparationem, musivum satis ostendit, ejusque stylo persimiles picturæ jam indicatæ; quas paulo post videbimus ab Adriano primo referri ad eumdem sanctum Leonem. Meminit Liber Pontificalis picturarum a Symmacho papa additarum post confessionem in eadem basilica his verbis sect. 79: « Item apud beatum apostolum Paulum in basilica renovavit absidam, quæ in ruinam imminebat, et post confessionem pictura ornavit. » Quæ si intelligenda sunt de picturis a presbyterii gradibus ad frontem occidentalem coloratis, per totam navis longitudinem, quam *post confessionem* consequi scriptor ex presbyterio spectans imaginetur, id ipsum est quod contendimus, ad sæculum quintum æræ Christi spectare picturas. Nam et Symmachus papa, sextus a Leone Magno successor, ad idem sæculum Leonianum refertur, utpote electus anno Christi 498. Sin autem *absis* S. Pauli intelligatur a Symmacho renovata (cui Leo primus nullam reparationem adhibuit, qua nondum indigebat, licet cameram sive absidem Lateranensis et Vaticanæ basilicæ ornavisse memoretur sect. 67, cum beati Pauli basilicam, igne divino combustam, hoc est de cœlo tactam seu fulgure ictam, et inde conflagrantem, per navis longitudinem ab arcu majori renovaret et omni cultu ornatuque decoraret), et picturis ornata ecclesia hinc inde post cameram seu absidam in senatorio, et *matronæo*, quod construxit (sect. 79); pictæ historiæ et imagines, una cum musivo arcus majoris, ut ante, pertinent ad Leonem. Sæculis consecutis narrantur in Vitis pontificum satis diligenter complures reparationes hujus basilicæ, qua in tectis, qua in pavimento, qua in parietibus; sed nullius picturæ commemoratio fit, præterquam earum quas Leo III perfici curavit in presbyterio. Adrianum primum in tecto mutasse scribit (sect. 380) trabes quindecim. Leo tertius, quando basilica doctoris gentium vi terræmotus ita concussa est, ut omnia sarta tecta corruerent (quod legimus sect. 340) illam renovare statim cœpit, et « sicut antiquitus existebat, inquit, ampla et maxima fortitudine ponens in meliorem deduxit statum, et in meliori specie eam marmoribus decoravit, tamque presbyterium, quamque totam ecclesiam marmoravit, et ejus porticus renovavit. » Nihil admodum de picturis memorat hac in reparatione, sed marmoris tantum meminit in pavimento atque in presbyterio ac porticibus collocati, non omissurus certe picturas additas, si quæ adjectæ fuissent; cum in ejusdem pontificis Vita, sect. 360, recensuerit imaginem Salvatoris cum reliquis in fastigio sub arcu majori basilicæ Vaticanæ pictam fuisse ejusdem mandato, ad instar earum imaginum quæ in Lateranensi et in Paulina dispositæ fuerant a sancto Leone Magno. Quod attinet ad Paulinum, in circuitu altaris tantummodo a Leone III picturæ leguntur elaboratæ. Sect. 416: « Super columnas, inquit, marmoreas, quæ stant in circuitu altaris ipsius doctoris mundi, ubi trabes quondam ligneæ positæ fuerant, et jam nimia vetustate marcuerant, hic sacer antistes super ipsas columnas lilios poni fecit, et super lilios ex metallis marmoreis platonias posui, diversisque picturis opus miræ magnitudinis decoravit. » Sed extra altaris circuitum nihil tum memorat pictum fuisse. Demum sub Sergio II, sect. 495: « Ecclesiæ beatissimorum principum Petri et Pauli a Saracenis funditus deprædatæ sunt. » Benedictus tertius, alter ab eo successor, sect. 568: « In basilica doctoris mundi beati Pauli apostoli sepulcrum, quod a Saracenis destructum fuerat, perornavit. » Neque ullus hic de picturis sermo, in eadem basilica constitutis neque in Vitis successorum.

Cæterum consuetudinis jam inductæ ante sæculum Leonis tertii, proponendi imagines patriarcharum in ecclesiis, testis est locuples Liber iste Pontificalis in Agathone (sect. 145), ubi memorat sublatas fuisse similes imagines patriarcharum Orientalium, quando hi, sancta synodo decernente, damnationis sententiam subierunt. « Absfuterunt, inquit, de diptychis ecclesiarum nomina patriarcharum, vel de picturis ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi esse poterant auferentes, id est Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, » etc.

In ecclesia autem beati Petri in Vaticano integro sæculo ante Leonem III pictas fuisse imagines venerabilium Patrum, hoc est summorum pontificum, sub Joanne VII, hic idem Liber Pontificalis in ejusdem Vita recenset, sect. 167.

8. Verum quid pluribus opus est ad probandum hanc seriem, una cum picturis historiam Geneseos et Exodi exhibentibus, et cum musivo arcus majoris, exprimente viginti quatuor seniores Apocalypseos, coronarum oblatione Salvatorem nostrum adorantes, esse opus elaboratum jussu et cura Leonis Magni? Cum sanctus Adrianus primus ita perscribat in epistola ad Carolum Magnum, producta in synodo Nicæna secunda, et una cum Actis ejusdem synodi publici juris facta a Labbeo, Concil. general. tomo VII, col. 955, et distincte numeret inter sacras picturas a Leone Magno munificenter additas in ecclesiis a se constructis, sive refectis, triplicem classem, quam basilica B. Pauli adhuc retinet, scilicet *musivum opus, Salvatorem mundi referens et viginti quatuor seniores*, et coloribus efformatas *historias* (Veteris Testamenti), necnon *imagines*, scilicet cly-

peatas illas, quæ seriem pontificum Romanorum re- A
præsentant sub historiis Biblicis jam indicatis. Reddam epistolæ verba, præmisso litterarum argumento. Comprobandum susceperat Adrianus in illa epistola cultum sacrarum imaginum ex traditione majorum acceptum, et a decessoribus suis constanter assertum, præcipue in sex generalibus conciliis, quibus ipsi per se vel per legatos suos de more præsederant. Enumerat itaque musiva, picturas, et id genus opera quæ in basilicis Romanis Deo dicaverant, hæresibus profligatis, a concilio Nicæno, Silvester, Marcus et Julius ; Damasus a Constantiniano ; post Ephesinam synodum Xystus tertius ; post Chalcedonensem Leo Magnus. Ubique recenset triplex illud genus ornamentorum in *musivis,* in *historiis,* in *imaginibus* coloratum. Ita ornatas exhibet Lateranensem B
ac Vaticanam basilicam sub Silvestro, Marco et Julio. *Et a tunc,* inquit, *usque hactenus summorum pontificum, videlicet Silvestri, Marci et Julii miræ magnitudinis sanctæ eorum ecclesiæ* (Lateranensis et Vaticana) *apud nos sunt depictæ tam in musivo* (absidis et arcus majoris) *quamque in cæteris historiis* (utriusque Testamenti coloratis in parietibus navis mediæ, uti exhibet tabula Ciampiniana x superius impressa *cum sacris imaginibus* (venerabilium Patrum sive pontificum decessorum) *ornatis.* Prosequitur per proxima concilia inductionem suam. Ad quartam vero synodum œcumenicam deveniens, sub Leone Magno Chalcedone celebratam, distincte memorat *musivum, historias* et *imagines* juxta decessorum exemplum ab eo pontifice constitutas in basi- C
lica sancti Pauli, quas hodie superstites intuemur. « Itemque, ait, de sancto quarto concilio egregius atque munificus prædicator S. Leo papa et ipse fecit ecclesias, quas in MUSIVO et diversis HISTORIIS, seu IMAGINIBUS pingens decoravit. Magis autem in BASILICA SANCTI PAULI APOSTOLI arcum ibidem majorem faciens, et musivo depingens Salvatorem Dominum nostrum Jesum Christum, seu viginti quatuor seniores nomine suo versibus decoravit, et a tunc usque hactenus fideliter a nobis venerantur. » Duo hic observanda sunt in testimonio Adriani, scilicet, ecclesias a S. Leone ornatas fuisse *musivo, historiis* et *imaginibus,* præcipue Paulinam, cujus in musivo *nomen suum* ac *versus* apposuit Alterum est particulam *seu* conjunctionis *et* vim habere (ut ferebat D
usus ætatis illius, in Libro Pontificali sæpe repetitus), quod evidens est in descriptione musivi operis, a Leone Magno dedicati in basilica S. Pauli. Asserit ibi depictum esse Salvatorum mundi Dominum nostrum Jesum Christum, *seu* viginti quatuor seniores, cum et vultus Redemptoris nostri et figuræ viginti quatuor seniorum hinc inde dispositæ simul exhibeantur.

Constat igitur etiam ex Adriani I testimonio tam *musivum* quam picturas *historiarum* Veteris Testamenti et *imagines* pontificum Romanorum fuisse in basilica sancti Pauli a sancto Leone Magno constitutas.

9. Præter hæc testimonia Adriani I ac Libri Pontificalis, et a pingendi stylo deducta, atque ætati Leonis Magni tribuentia tam *musivum* quam picturas *historiæ Biblicæ* et *imagines* summorum pontificum, loculamenta ipsa, sive areæ orbiculares demonstrant seriem illam vetustiorem, et ordine non interrupto procedentem, non fuisse extensam ultra sæculum S. Leonis et Symmachi, æræ Christianæ quintum. Spatia enim orbicularia, quæ adversa sunt imagini S. Innocentii primi, et in pariete boreali destinabantur seriei pontificum post illud sæculum, continuandæ juxta ordinem successionis, constanter observatum in pariete australi a S. Petro ad S. Innocentium I in orbe, seu clypeo, qui occurrit primus a fronte ecclesiæ occidentali procedentibus ad presbyterium, proferre debuerant imaginem Symmachi, sæculum quintum claudentis et sextum aperientis; cum inter Innocentium et Symmachum decem pontifices numerentur, ac totidem orbes seu clypei intersint in pariete *occidentali* inter *australem* et *borealem* intercepto : unde crustatim calx et gypsus et in iis coloratæ imagines et epigraphes deciderunt. In secundo autem orbe seu clypeo lateris borealis, subsecutura erat imago Hormisdæ, post Symmachum electi. In tertio Joannes primus, in quarto Felix hujus nominis quartus, et ita in proximis seriem pontificum continuaturis. At seriem hic desiisse dum pingeretur, res clamat. Nam prætermisso primo ac secundo orbiculo, seu clypeo, et epigraphe, ubi deciduæ calcis gypsi et labes divinare non sinit quemnam ex pontificibus pictor colorasset, tertius et quartus orbiculus illisque appositæ inscriptiones nos docent ordinatam seriem ibi non contineri. Repetitur enim tertio in orbiculo, seu clypeo, S. Eusebius, perinde ac si habendus esset pontifex a S. Petro quintus et quinquagesimus, cum in adverso pariete australi in vetusta et ordinata serie suo loco expressus, sedem obtineat sibi congruentem inter Marcellum et Melchiadem, quæ a S. Petro est trigesima secunda. Quartus ab hoc repetito Eusebio (nam tres proximi desiderantur cum deperditis inscriptionibus) est Anastasius, qui in serie antiqua et ordinata parietis australis est ab Eusebio nonus. Anastasium excipit Marcellus, licet Eusebio anterior juxta seriem veram, in adverso pariete adhuc conspicuam. Marcello apponitur Adrianus, annis ferme quingentis ab illo dissitus ; deinde Agatho, qui Adrianum præcessit et alios sedecim ejusdem decessores. Plane itaque constat ex orbiculo tertio lateris borealis seriem non continuatam, sed pro arbitrio pictoris, ætate incerta conducti ad implendas imaginibus areas orbiculares et spatia inscriptionum (quæ vacantia relicta fuerant sæculo Leoniano ad successores qui inposterum eligerentur suo ordine ibi colorandos et ornandos chronologicis notis annorum, mensium ac dierum sui sacerdotii), eadem spatia temere impleta fuisse, figuris pontificum, forte fortuna collectis a pictore undecunque ei libuisset, modo repetitis ex veteri modo infartis

ex catalogo successorum, postpositis, permistis, additis etiam inscriptionibus temporum, quæ nihilo essent emendatiores quam rhapsodia imaginum quam elegerat.

10. Asserta itaque cum sit ætati Leonianæ series illa vetustior et genuina chronologia parietis australis, tum indicatione manifesta picturarum styli, eamdem ætatem cum musivo referentis, tum pluribus testimoniis Adriani papæ primi et Libri Pontificalis, jure affirmare possumus originem Catalogorum vetustiorum atque emendatiorum hinc esse repetendam : Italicis vero, ac præsertim suburbicariis, in archivis et codicibus, sæpius collatis cum isto archetypo, talem originem demonstratum iri, ubi consensus manifestetur præstantiorum Catalogorum ibi repertorum, cum superstitibus picturis a S. Leone curatis in basilica S. Pauli. Porro talem consensum inter vetustissimos Italiæ codices et picturas hujus seriei Leonianæ, per singulos pontifices exploratum proponam capite subsequenti.

11. Addam postremo loco ex regulis criterii chronologici prolatis et probatis capite superiori, chronologiam hanc pontificiam, ex monumentis genuinis ac publicis Romanæ Ecclesiæ collectam, et in præcipuis ejusdem basilicis per eosdem pontifices positam, conservatam et repetitam, atque consensu præstantiorum codicum confirmatam, solidari iterum posse constanti suffragio et approbatione omnium ætatum, a Leonis sæculo ad nostrum interceptarum, per documenta æque publica, hos numeros chronologicos ita præferentia cæteris rationibus, ut eosdem servandos ac prælegendos in divinis officiis præscripserit clero universo usque ad sæculum Christi decimum quintum completum.

Debeo præsidium invicti hujus argumenti diligentiæ, eruditioni ac benevolentiæ admodum rev. Patris D. Joannis Marangonii, qui sacris cœmeteriis martyrum curandis et historiæ ecclesiasticæ illustrandæ comes additus pietati ac peritiæ viri clarissimi Marci Antonii Boldetti basilicæ Transtiberinæ canonici, anno superiori 1720, mecum incubuit per plures dies fideliter describendo catalogo et chronologiæ pontificum ex eo, de quo loquimur, Leonianæ ætatis prototypo in basilica S. Pauli. Labente autem anno 1721, cum verbo Dei ministrando deputatus fuisset per sacrum jejunium Quadragesimæ in collegiata ecclesia, olim cathedrali, oppidi Ocriculani, vix eo pervenerat et apostolici muneris officium exercere cœperat, cum in archivum subsecivas horas utiliter impensurus deducitur, et copiam veterum codicum in membranis scriptorum, necnon haud exiguam impressorum ante finem sæculi xv reperit, ad officia divina celebranda in veteri cathedrali collectam, Observat in scriptis ac in impressis, præsertim Venetiis *anno* 1594, *apud Andream de Torresanis de Asula die* xx *Junii*, lectiones propositas ad recitandum in festis summorum pontificum sanctis ascriptorum, chronologicas notas annorum, mensium ac dierum eorumdem sedis non modo exhibere, sed etiam nominibus consulum eos annos distinguere in iis qui Ecclesiam rexerunt, constante consulum magistratu. Scriptorum vero codicum ætas colligitur tum ex specimine characteris, tum ex periocha in uno reperta, extensa ad sæculum decimum tertium æræ communis. Quare communicanda hæc omnia esse censuit ; idque peropportune, prelo nondum subjecta cum foret hæc dissertatio. Transcriptas itaque lectiones tum ex membranaceis codicibus mss., tum ex impressis ad me misit, quas ego conferens cum Catalogo Liberiano aliisque collegia consulum assignantibus Vitæ pontificum, et cum numeris chronologicis in basilica S. Pauli pictura expressis, mirum in modum afficior, consensum colligens plane constantem horum documentorum quæ ministrantur ab urbe Roma, et a regionibus suburbicariis, et ab aliis archivis ecclesiarum Italiæ per sæcula ferme singula æræ Christianæ. Consequitur enim Acta martyrum, collegiis consulum plerumque signata constante persecutione, Catalogus, ætate Liberii collectus, cui picturæ Vaticanæ paria faciunt, imaginem Liberii ornantes viventis indicio. Hunc excipit Leonianus iste, in basilica S. Pauli depictus et custoditus, sive in Leone sistat, sive pertingat ad Symmachum, pontificem quinti sæculi et sexti : cui propterea fere synchronus est Catalogus secundus sub Felice IV et Justiniano, tanti habitus ab Henschenio, Papebrochio, Holstenio, Schelestratio, qui ex prototypo emendavit, et ab omnibus eruditis. Succedunt sæculis septimo, octavo, nono ac decimo Catalogi archivorum Italiæ vetustiores ac præstantiores, nempe Bergomensis, Cavensis et Farfensis, circa undecimum transcriptus ex antiquiori. Hunc excipiunt proxime codices membranacei divinorum officiorum, reperti in archivo ecclesiæ Ocriculensis : et repetitiones veteris seriei et chronologiæ pontificiæ, a Nicolao tertio curatæ tribus in basilicis patriarchalibus intra et extra Urbem, sæculo decimo tertio, donec in fine decimi quinti sæculi typographia recens inventa divinarum precum in libris, clero ad recitandum propositis, eamdem repetat chronologiam, a Leoniana ætate, imo et a Liberiana publice dedicatam in ecclesiis et in patriarchio Romano.

Nisi hæc series non interrupta probationum et documentorum habenda sit demonstratio historicæ et chronologicæ veritatis, juxta regulam superius constitutam capite secundo, numero octavo, fateor me prorsus ignorare quid aliquando certum humana fide in historico et chronologico genere dici possit.

CAPUT V.

Profertur series et chronologia pontificum Romanorum, quæ superest, sæculo quinto æræ Christianæ picta in basilica sancti Pauli; ejusque concordia demonstratur per epochas singulorum distinctas et comparatas cum probatioribus Catalogis omnium

ætatum, ordinatim dispositis, ut illorum consensus appareat cum laudato prototypo basilicæ Paulinæ a S. Petro ad S. Innocentium I.

SYNOPSIS CAPITIS.

I. Methodus hic servanda in exponendis et comparandis singillatim epochis summorum pontificum, præservatis in basilica S. Pauli, cum eorumdem chronologia descripta in codicibus probatissimis omnium ætatum. — II. Primum reddentur fideliter ex archetypo illius picturæ litteræ superstites et lacunæ quarum supplementa petentur ex Catalogis, olim descriptis ab iisdem archetypis basilicarum Urbis. — III. Catalogi, ex diptychis et Actis martyrum Romanorum similibusque documentis collecti quarto, quinto et sexto Christi sæculo, cum elaborati sint florentibus per eas ætates viris in re chronologica præstantibus, sunt cæteris præferendi, et præ reliquis adhibendi ad comparationem. Duo inter hos celeberrimi sunt, Liberianus a Bucherio primum editus, et alter productus ad ætatem Felicis IV et Justiniani, qui annos epocharum etiam per consules illustrant, conferendi cum serie chronologica, in his picturis basilicarum Urbis proposita per eadem sæcula Liberii, Leonis Magni, et proxime succedentium apostolicæ sedis antistitum. — IV. His deinde succedent Catalogi, petiti ex archivis regionis suburbicariæ, aliisque intra Italiam. Quatuor præ cæteris eliguntur, Farfensis, Cavensis, Bergomensis et Lucensis, utpote qui a sæculo Christi sexto ad undecimum non modo collati videantur, sed etiam descripti ex iisdem archetypis basilicarum Urbis. — V. Ne omittantur Catalogi asservati in archivis extra Italiam, si qui ætate proximi et emendatiores reputentur, quales sunt Belgicus Papebrochii ex membranis sæculi XI descriptus ex antiquioribus, et complures a Pagio editi ex bibliotheca Colbertina, horum quoque numeri conferuntur qui cum superioribus ferme ubique consentiunt. — VI. Catalogis ita se consequentibus a quarto Christi sæculo ad undecimum succedet earumdem epocharum collatio cum epochis pontificum, relatis in codices divinorum officiorum ad usum ecclesiarum prope Urbem, tam scriptos quam impressos a sæculo duodecimo ad finem decimi quinti. Producentur tres in membranis scripti ad usum antiquæ cathedralis Ocriculensis, et unus impressus paulo post exordia artis typographicæ, Menetiis scilicet, anno 1492, qui omnes satis exacte cum præcedentibus concordant. — VII. Manuscriptis Ocriculensibus auctoritas accedit, derivata ex origine ab Romanis. — VIII. Methodi ratione præmissa, quam in comparandis epochis servare constituimus, et notionibus codicum qui electi sunt ad comparandum scriptam chronologiam cum picta in basilica S. Pauli, hanc ipsam damus, et cum ea reliquas ex indicatis codicibus collectas, ut ictu oculi conferri invicem possint.

9. Quæcunque hactenus præmissa sunt, referuntur ad firmamentum ac demonstrationem istius capitis quinti, in quo utilitas nostræ dissertationis et inquisitionis tota versatur. Demonstratio autem argumenti hocce capite pertractandi nulla re alia prorsus indiget quam *expositione* et *ordinatione*. *Expandemus* itaque singulas epochas in australi pariete basilicæ B. Pauli pictas, et *ordinabimus* comparationes illius archetypi cum omnibus subsequentium ætatum documentis, si hæc perficiamus quæ *methodum* constituunt nostræ *expantionis*, *ordinis* et *comparationis*.

2. Primum deputare constitui in unaquaque pagina columnam unam singillatim unicuique pontifici a S. Petro ad Innocentium ejus nominis primum, ubi series Paulina abrumpitur. In ejus columnæ suprema parte reddam fideliter epocham ibi attributam uni ex pontificibus Romanis, juxta ordinem quo pictæ sunt et appositæ clypeatis imaginibus eorumdem pontificum Romanorum. Litteræ Romanæ in prototypo superstites a me indicantur initiali cha- A ractere rotundo ; tum quæ nomen pontificis constituunt, tum quæ chronologiam sedis illius, annis mensibus ac diebus constantem, efferunt pariter per litteras capitales *Romanas* in vetustiori illa serie, coloribus expressa in *basilica S. Pauli* : quam seriem depictam dicimus sæculo quinto, circa ætatem Leonis Magni, quando et musivum componebatur, ejusdem opificii ac scholæ stylum ostendens. Quæcunque igitur litteræ in archetypo sunt etiamnum conspicuæ, illæ a nobis imprimentur *characteribus capitalibus rotundis*, servato ordine et numero versuum, seu linearum, quo pictor disposuit epigraphen imagini proximam ejus pontificis ad quem refertur. Lacunæ vero versibus ac litteris injuria temporum illatæ, si quæ fuerint, ostendentur ex B diverso charactere *supplementorum* ibidem a nobis adhibendo. Porro supplementa seriei vetustioris ætatis Leonianæ ubi poterunt in eadem basilica reperiri, et mutuari ex recentiori serie, sub Nicolao tertio ibidem repetita, uti diximus, imitatione superioris, ea consignabuntur *characteribus capitalibus*, non tamen rotundis, *sed inclinatis*, sive, uti vocant, *Italicis*. Sin ea litterarum et lacunarum supplementa exciderint etiam ex Nicolai tertii picturis (quæ certe majorem labem contraxerunt, minus firmiter adhærente veteribus parietinis calce, gypso, colore, tot sæculis a constructione parietibus superinducto) supplendæ sunt vacantes litteræ et dictiones ex Catalogis vetustioribus et emendatioribus, præsertim depositis in archivis regionis suburbicariæ, utpote C archetypo proximioribus loco ac tempore, juxta regulas criterii constitutas capite secundo, in fine numeri 4, cum credi possint ac debeant vel hinc desumpti, vel antiquitus collati cum iis prototypis per ecclesias patriarchales Romæ spectandis. Indicia vero lectionis legitimæ his in lacunis ita restituendæ ex Catalogis erunt in hac nostra editione litteræ *alphabeti minusculi rotundæ*, ut vulgo dicitur, non tamen capitales, quæ solæ adhibentur in litteris superstitibus archetypi Leoniani. Ita demum fiet ut lector ipsum fere prototypum basilicæ S. Pauli et epigraphes ibi pictas quinto Christi sæculo præ oculis habeat, servato numero versuum ac litterarum ; et lacunas et supplementa, tum a serie Nicolai III, tum a scriptis Catalogis petita, hoc in exemplo D distincte cernat.

3. Præ cæteris igitur Catalogis et indiculis chronologiæ pontificiæ, affinitate ætatis ac loci Leoniano archetypo proximioribus, contendam illos esse observandos maxime et conferendos, qui per ea sæcula prodierunt, quæ peritioribus temporum scriptoribus abundabant : ita decernentibus regulis prima ac tertia, supra confirmatis capite 2, n. 2 et 7, ubi ratum id habendum esse diximus : *Inter documenta temporum publica, si quæ sunt, ea esse præferenda quæ per viros idoneos posita sint proxima ætati de qua cum maxime quæritur. Ex documentis vero aliunde ministratis quam ex loco ubi res proxime gerebantur, suffragii prærogativam fere penes illud cujus auctori causa scientiæ, peritia disciplinæ, ac studium*

veritatis facultatem dederit ampliorem temporis ac rerum perquirendarum.

Attendentibus itaque nobis in delectu Catalogorum tum proximitatem loci ac temporis, rebus ac viris, quos repræsentant, tum peritiam disciplinæ, et causam scientiæ in auctoribus qui eosdem Catalogo contexuerunt, fit manifestum hoc etiam nomine esse cæteris præferendam chronologiam iis in Catalogis apparentem qui contexebantur et proponebantur publice in basilicis Romanis per ætatem Liberii, sæculo Christi quarto, et Leonis Magni sæculo quinto, et Symmachi, Felicis quarti, ac Justini et Justiniani principum, sæculo sexto æræ Christianæ. Nam ætates illæ ac sæcula præ cæteris abundarunt peritis in re chronologica scriptoribus, iisque adhibitis per Romanos pontifices ad supputanda atque ordinanda tempora, occasione disceptationum tunc vigentium de celebratione festi Paschalis. Constante vita Liberii, manibus eruditorum terebatur Eusebii Chronicon, et a Hieronymo, qui beato Damaso Liberii successori fuit ab epistolis, non modo Latine reddebatur, ut ejusdem usus communis fieret universo Occidenti, verum etiam producebatur usque ad sua tempora. A Latinis etiam chronologis hoc sæculo perficiebantur et illustrabantur cycli paschales : indiculi consulum emendatiores iisdem apponebantur, uti demonstrant hujusce generis opuscula celeberrima a Bucherio vulgata post cyclum Victorii ; in quibus laterculi consulares et præfectorum Urbi collectio ad quartum Christi sæculum pertinens, eodemque perscripta et nomina ac depositiones pontificum Romanorum, ejusdem ætatis in membranis, quarum aliquæ his etiam Prolegomenis inseruntur superius. Ætas itaque Liberii papæ ferax admodum fuit diligentium ac peritorum de re chronologica scriptorum. Indicavi etiam paulo ante (*cap.* 3, *num.* 8 seriem vetustiorem pontificum Romanorum, in basilica Vaticana depictam ostendisse viventis indicium sola in imagine Liberii per insigne quadratum ejus capiti aptatum ; unde colligitur vel illam seriei Vaticanæ partem coloratam fuisse constante vita Liberii, et serius productam postea fuisse ad Hormisdam ; vel ab antiquiori serie Liberianæ ætatis petitum exemplar, quod in Vaticana tali emblemata adornabatur. Utrumlibet vero admittamus, certum est eadem ætate Liberii, qua vetustior ex Catalogis scriptis, et vetustior ex depictis in parietibus basilicarum Urbis simul producebantur, chronologorum præstantiorum copiam fuisse conspectant.

Leonis Magni tempora non minus quam Liberiana abundabant doctis chronologis, quos ad ea studia incitaverat rei paschalis inquisitio, et ex administris sedis apostolicæ contituerat ejusdem pontifices, uti demonstrant litteræ Victorii Aquitani, et cyclus Paschalis ab eo transmissus ad Hilarum, Leonis papæ tunc archidiaconum, deinde successorem. Hujus peritia temporum quanta fuerit abunde colligi posse credam exactissimo ex commensu ejusdem chronologiæ de Christi Domini passione cum characteribus certis annorum supra indicato, ac cæteris præferendo ex demonstratis a me inter hæc prolegomena pag. XII *(supra col.* 129). Suo itaque jure Leo Magnus pingere poterat atque proponere, tanquam numeris omnibus absolutam, seriem et chronologiam in basilica S. Pauli, cui nos acceptum referimus quidquid in chronographia pontificia per Catalogos inde transcriptos Romana documenta constanter ac fideliter posteris tradiderunt.

Sæculo tandem proximo, nempe sub Felice quarto, et Justiniano principe, ad quam ætatem pertinet Catalogus appellatus a Schelestratio *secundus,* chronologorum studia nondum defecerant, florentibus Ammiano Marcellino inter Orientalis imperii scriptores, et in Occidente recolentibus eadem studia Prospero et Cassiodoro : a quibus abunde consultum fuit ordinandis temporibus pontificum et consignandis per laterculos consulares. Incidit in proximos annos Dionysius Exiguus Romanus abbas, tum rei Paschalis, tum æræ Christi cultor emeritus, cujus cyclus ita placuit summis pontificibus, ut eum vulgandum esse crediderint ad usum Ecclesiæ universæ, et chronologia ita commoda visa est posteris, ut per eam enuntiari annos Christi voluerint ab ætate Caroli Magni, et consecutis quibusque sæculis tum in privata re administranda, tum in publicis actibus consignandis, quemadmodum hodie adhibetur.

4. Harum igitur ætatum Catalogos et chronologiam pontificiam, quam continent, a Romanis documentis acceptam, esse reliquis præferendam cum demenstraverim, consequens est ut eamdem hic apponerem ad conferendum et ad indicandum ejus consensum cum archetypo S. Pauli. Diligenter igitur indagando genuina illius exemplaria in antiquioribus codicibus et archivis regionis suburbicariæ, aut proximiorum Urbi ecclesiarum, quæ saltem essent intra Italiam constituta, et propterea potuerint sæpius conferri a majoribus nostris cum protypis Romanis, Farfensis, Cavensis et Bergomensis exempli numeros exprimendos curavi proxime post Catalogos Liberii, Leonis et Felicis quarti sæculo exaratos in antiquis membranis, aut pictos in parietibus patriarchalium Urbis ecclesiarum. Quartum addo, quem appello Lucensem, utpote annexum collectioni Canonum, sive Decreto Anselmi episcopi Lucensis.

5. Ne tamen omitteremus consensum indagare exterorum quoque Catalogorum, si qui haberentur emendatiores, visum est post Italicos memoratos illius etiam typum subnectere, quem edidit rev. P. Daniel Papebrochius in suo Conatu chronhistorico ad Catalogos pontificum Romanorum, pag. 75 hujusmodi notitia præfixa

« Ne quid porro subtraham suppellectilis nostræ antiquiariæ, unde illustrari pontificum historia possit, addo membranam, ante annos, ut apparet, sexcentos descriptam ex alia vetustiori, finem cum

Vigilio papa obtinente, ubi etiam finem accipiunt NOMINA APOSTOLICORUM inter Analecta Mabillonii tomo III, pag. 426, descripta et inventa post collectionem quamdam decretalium canonumque ultra annum 571 non extensam. Sed ut multa nomina vitiose isthic scripta, sic et numeri valde diversi habentur a nostræ membranæ numeris. Nec minor diversitas occurrit in altera Corbeiensi membrana, quæ in eodem Analectorum tomo pag. 429 incipit *De episcopis Romanæ Ecclesiæ*, et protrahitur usque ad Joannem VI, in eo sic finiens, ut ejus decessorisque Sergii I annos diesque omiserit adnotare. »

Porro utriusque Corbeiensis supra memini ac specimen dedi supra in *Adnotationibus ad Catalogos pontificum* ex numero 5 ad 9, ubi etiam observata fuit discrepantia ferme incredibilis amborum chronologiæ, tum inter se, tum reliquis Catalogis comparatæ; ita ut in septem prioribus pontificibus a sancto Petro numeratis, nulla annorum, et unius tantum ex illis mensium summa concordet. Verum cum attenderem pontificem Anacletum in utroque Catalogo Corbeiensi desiderari, visus sum causam assequi aut suspicari posse cur tam frequenter inter se et ab aliis illi dissentiant. Defectus enim ejus nominis inter alios pontifices Romanos manifestat neutrum ex iis Catalogis fuisse ex Romanis descriptum, et a fonte ac prototypo, quem in basilicis patriarchalibus Urbis summi pontifices constituerunt. Quæ res confirmat axioma supra enuntiatum capite 2, num. 1 et 2, ac toties repetitum in hac nostra dissertatione, nempe: Studiosis veræ chronologiæ ac seriei Romanorum pontificum, ut eam assequantur, consulenda esse genuina et publica documenta hujus Ecclesiæ, in qua Petri successores non modo sederunt, sed etiam apostolatus sui ac decessorum memoriam luculentam posteris reliquerunt.

Ex aliis autem Catalogis, quos proferunt bibliothecæ et archiva extra Italiam, satius duxi hunc insignem a Papebrochio merito existimatum et collatum cum vetustioribus Corbeiensibus, in chronologia sibi invicem adversantibus, edere, ut appareat quantum hic recedit ab illorum numeris nulla probabili auctoritate firmatis, imo se mutuo oppugnantibus, tantum eum accedere ad concordiam cum rationibus temporum consignatis in basilica sancti Pauli, et in vetustissimis atque Urbi proximis exemplaribus ita perscriptis, cum series et chronologia coloribus expressa supererat ab ætate Liberiana, Leoniana, et Felicis et Hormisdæ, et Formosi etiam in aliis basilicis patriarchalibus intra et extra Urbem. Attamen, ut appareat non defuisse etiam in provinciis extra Italiam aliquot diligentes ac prudentes temporum collectores, qui identidem transcriberent, conferrent atque emendarent suos Catalogos ad fidem horum documentorum, in Romanæ Ecclesiæ basilicis unicuique patentium simili cura, quam nonnulli ex iis adhibuerunt in vetustis inscriptionibus Romæ transcribendis, comprobatam a codicibus per Gruterum in Thesauro, et Mabillonium in Analectis, tom. IV, p. 483, editis; attexam suo loco ad notas, singulorum pontificum Vitis colligendas, aliquot Catalogos e præstantioribus extra Italiam (quos inter censendi sunt in primis ii quos produxit Pagius in secunda editione Criticæ Baronianæ tomo I, plerique ex bibliotheca Colbertina desumpti), quorum consensus cum serie et chronologia basilicæ sancti Pauli, Italicis exemplaribus confirmata, ita proxime hæc nostra documenta Romana et Italica consequitur, ut parum admodum ab his recedat.

6. Eosdem quoque Catalogos bibliothecarum provincialium advocabo in supplementum concordis testimonii quod eliciendum curavi ex libris Lectionariis, ut vocant divinorum officiorum, repertis in regione suburbicaria, ubi adhibebantur passim a clero ecclesiarum ad quas pertinebant. De his notitiam attexam, ut appareat eam recensionem et collationem jure per me factam, et adjectam proxime post concordiam Italicorum Catalogorum cum serie et chronologia basilicæ sancti Pauli, hoc præcipuo consilio ductum, ut comprobarem ita constanter fuisse retentos eosdem numeros et publicis documentis ita ratos habitos etiam post illa sæcula chronologorum præstantiorum. a sæculo decimo ad decimum quintum, ut in sacris officiis recitandis per festa summorum pontificum in regione Urbi proxima adhiberentur. Aliorum vero pontificum, quorum festa non celebrabantur, ex hisce libris documenta chronologiæ et collationes cum peti nequeant, supplementa conquirenda esse judicavi ex Catalogis indicatis per eadem sæcula post decimum scriptis, aut descriptis ex probatioribus et emendatioribus exemplis. Verum hæc supplementa notis in Vitas esse reservanda satius duxi, ne dissertatio in librum excresceret, si tot collationibus impleretur, aut ab instituto consilio recederet subjiciendi oculis unico obtutu consensum eorum monimentorum, quæ proximitas Urbis emendatiora ut conservarentur effecit per singula sæcula æræ Christianæ.

Tres vero sunt codices lectionum ejusmodi, scripti ante annos quadringentos in membranis et adhibiti in ecclesia olim cathedrali, nunc collegiata, Ocriculensi, in qua nuper a se repertos fuisse dum hæc prolegomena ederem, mihi nuntiavit laudatus P. Joannes Marangoni Kalendis Martii, et subinde a me rogatus ut exemplum dignaretur transcribere lectionum, chronologiam pontificiam continentium, pro summa humanitate sua illico ex iis diligenter desumptum transmisit in epistola cujus latinam versionem dabo, ut appareat ex illa character ætatis scripturæ codicum ab eo accurate observatus. Hæc igitur ad me perscribit:

« Hac in ecclesia collegiata, ubi concionibus habendis per quadragesimam incumbo, reperi varios codices sacros, ad usum veteris cathedralis olim collectos, gothica litterarum forma perscri-

ptos : quos inter Breviarium, ut vocant, ante annos circiter quadringentos, quoad assequi possum. exaratum. In illo statim observavi lectiones sanctorum pontificum, quæ insignitæ sunt non solum annis eorumdem sedis, verum etiam indicationibus consulum, qui eosdem annos signarunt. Idcirco cum meminissem diligentiæ, quam ante aliquot menses adhibuisti in basilica sancti Pauli, quo tecum bis concedere mihi contigit observandi causa, judicavi hanc notitiam fortasse profuturam notis quas adornas in Anastasium. Quare a me diligenter descriptas accipe, præsertim in litteris numerorum indicibus, et in nominibus consulum, etiamsi characteres codicum unde eas descripsi sint admodum vetusti, nec distinguantur interpunctionibus commatum, aut litteris capitalibus, seu majusculis, ut vocant, » etc.

In fine codicis secundi observat adjectam fuisse epactam, litteras Dominicales, et numeros cycli solaris per annos viginti octo, consecuturos ex anno 1307 ad prænuntiandam Dominicam Septuagesimæ aliaque festa mobilia. Quare prudenter arguit scripturam codicis esse vetustiorem anno 1307.

« In fine, inquit, hujus codicis (secundi) adsunt notati dies, in quos Dominica Septuagesimæ incidere debebat per octo viginti annos, sequenti modo :

M. l. ccc. vii —— xvi a. x. stante Januario
M. l. ccc. viii —— xxvii g. f. xi. Intrante Februario, etc.

qui characteres non sunt ejusdem manus qua codex fuit exaratus, nec eodem atramento formati. Quare credi potest codicem fuisse scriptum ante annum 1307. »

De tertii codicis ætate nullus est dubitandi locus, cum observaverit vir clarissimus post officia de tempore hanc legi periocham :

« Explicit breviarium secundum rubricam Fratrum Minorum, scriptum manu propria Dopni Jacobi Joannis de Narnia sub anno Domini mille ccc. liiij. 7. mense Madii die xxix. Deo gratias.

« Amen. Amen. »

Præter hos codices scriptos divinorum officiorum, ibidem reperit vetus Breviarium, gothicis characteribus, ut vocant, impressum Venetiis ab Andrea de Torresanis de Asula die 20 Junii 1494, in-folio ; in quo cum assignentur sedi pontificum anni, menses ac dies, et plerumque memorentur etiam consulatus, non discrepantes ab expressis in Catalogis Ecclesiæ Romanæ, hujus etiam impressi codicis rationem habendam esse duxi, ejusque testimonium esse annectendum præcedentibus, ut luculenter appareat laudatam chronologiam fuisse constanter adhibitam et publicis monumentis insertam, et ecclesiastico auctoramento firmatam (nam talis auctoritas codicibus ad rem divinam prescriptis et impressis præ cæteris adhibetur) ex quarto Christi sæculo ad finem decimi quinti.

7. His autem codicibus utor eo lubentius quo diligentius exactos fuisse judicare par est ad exemplaria Ecclesiæ Romanæ ; tum quia codices ad usum cathedralis ecclesiæ in regione suburbicaria sitæ jam tum formati, apud eamdem collegiatam nunc etiam custodiuntur ; tum quia *secundus* ex manuscriptis affirmatur *dispositus secundum rubricam Fratrum Minorum anno* 1354, vigente illius ordinis instituto, cui seraphicus Pater et conditor legem tulerat, etiam testamento firmatam, ut ejus regulæ professores sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ consuetudines ac ritus diligentissime custodirent.

8. Præmissis notionibus methodi, expansionis et ordinis a me servandi in proponendo archetypo Catalogo, serie et chronologia pontificum Romanorum ex picturis Leonianis basilicæ S. Pauli, et in addenda illius comprobatione, petita ex Catalogis probatioribus, intra et extra Italiam custoditis, et per duodecim consecuta sæcula ad nos transmissis ; necnon producta notitia codicum quibus ejusmodi ratio temporum commendata ad nos derivatur, ipsam seriem basilicæ expandere jam aggrediar. Attribuam unicuique pontifici unam ex duabus columnis, quibus singulæ paginæ constant. In superiori ejus parte collocabo epigraphem illius pontificis ex Paulina basilica ita descriptam litteris *capitalibus rotundis*, aut *inclinatis*, ut *capitales rotundæ* indicent characteres in ea basilica adhuc superstites et quidem in veteri prototypo Leoniano ; *inclinatæ vero capitales*, quas vocant *characteres Italici*, demonstrent supplementa illius epigraphis vetustioris, petita ex litteris superstitibus seriei recentioris ibidem depictæ sub Nicolao tertio. Lacunæ vero, quarum supplementa per neutram ex illis seriebus (Leonis et Nicolai) haberi possunt, quando utrobique exciderint characteres, accipienda esse duximus ex Catalogis regionis suburbicariæ (liceat hoc nomine *quatuor* illos appellare, qui integris in inscriptionibus cum Paulina serie concordes reperti sunt in Farfensi, Cavensique ecclesia, in Lucensi et in Bergomate) : quæ supplementa *minusculis*, ut vocant, *characteribus rotundis* indicanda esse judicavi, quo apertius significaretur lacunæ spatium ibi nunc superesse, ubi olim litteras exstitisse idem spatium declarat, et auctoritas aliorum Catalogorum, in reliquis consentiens, et huic spatio convenientes assignans litteras quæ inserantur.

Archetypo igitur documento seriei et chronologiæ pontificum, ex parietibus S. Pauli ita deprompto, suppleto et recognito, addentur alia subsidia regionis suburbicariæ, nempe chronologia in librisdivinorum officiorum tam scriptis ex sæculo XIII, quam impressis ante finem decimi quinti, expressa per numerum annorum mensium ac dierum, et per consules : ubi vero incidamus in pontificem cujus lectiones aut festum iis in codicibus non reperiatur. sive anni non recitentur, subrogabuntur testimonia chronologiæ collecta ex aliis Catalogis antiquioribus et castigatioribus, præsertim ex illis quos Pagius produxit ex

bibliotheca Colbertina, scriptos circa ætatem Caroli Magni; nec non ab iis quos proximis a Carolino imperio sæculis exaratos ex Vaticana vulgavit Schelestratius, una cum vetustioribus, inde per eum et prolatis, et inter hæc prolegomena recusis supra.

SERIES CHRONOLOGICA

PONTIFICUM ROMANORUM

A S. PETRO APOSTOLO AD S. INNOCENTIUM PRIMUM FIDELITER DESUMPTA

Tum ex vetustissimis imaginibus et inscriptionibus, una cum musivo opere sancti Leonis Magni pictis in basilica S. Pauli via Ostiensi; tum ex recentioribus, infra illas eadem in ecclesia positis jussu Nicolai III.

CONFIRMATA

Ex codicibus et Catalogis præstantiorum archivorum et bibliothecarum tam intra quam extra Italiam.

BLANCHINI MONITUM.

Ne cogar ad columnas singulas hujus seriei repetere notitiam codicum et Catalogorum, eorumque ætatis atque scripturæ producere testimonia, semel in præsto in antecessum. Aptavi unicuique codici et Catalogo significando litteram alphabeti quæ in singulis columnis, ubi reperietur, indicabit semper eumdem codicem et Catalogum, ejusque ætatem, uti hic recenseo.

a Catalogus est quarti sæculi sub Liberio papa, editus a Bucherio et a Schelestratio, idemque impressus supra inter hæc Prolegomena.

b Catalogus sexti sæculi sub Felice IV, editus a Schelestratio ex bibliotheca reg. Suec.. nunc Vaticans Alexandrina.

c d e f. *Codices et Catalogi bibliothecarum et archivorum Italiæ.*

c Catalogus Bergomensis, editus a Schelestratio, et hic denuo cusus supra, descriptus sub Pio II, ex veteri codice annorum 800, spectante ad Ecclesiam Bergomensem.

d Catalogus Cavensis ex codice undecimi sæculi, desinente in Gregorio VII, a nobis editus infra.

e Catalogus Farfensis ex codice per sæculum XI transcripto ex vetustiori, infra edendus his in Prolegomenis.

f Catalogus Lucensis. Ita appello eum quem supra dedi pag. XIX (col. 141). ex Vaticano codice, complectente Decretum Anselmi Lucensis, ante annos 600 scriptum, teste Schelestratio, qui primus edidit.

Codices archivorum et bibliothecarum extra Italiam.

g Codex et Catalogus Belgicus Papebrochii, ante annos sexcentos descriptus ex vetustiori, desinenie in Vigilio papa, sæculi VI, de quo supra pag. XXXVII, (col. 480), n. 1, et cap. 5 hujus dissertationis, n. 5.

h i k l m n o. *Septem Catalogi, ex bibliotheca Colbertina editi a Pagio in secunda editione tomi primi Criticæ ad Baronium pag.* L *et seqq., quorum*

h Est noni sæculi, desinens in Benedicto II, ad annum Christi 858.

i Sæculi XI, ad annum 1073 in Alexandro II.

k Sæculi XI, ad annum 1099, in Paschali II.

l Sæculi XII. ad ann. 1134, in Honorio II.

m Sæculi ejusdem ad ann. 1150, in Innoc. II.

n Sæculi ejusdem ad ann. 1191, in Cœlestino III.

o Sæculi XIII, ad ann. 1245, in Innoc. IV.

Alii codices ecclesiæ suburbicariæ.

p q r s *Codices quatuor ad usum chori ecclesiæ nunc collegiatæ, olim cathedralis, Ocriculanæ, post sæculum* XII.

p Lectionarius liber membranaceus, scriptus circa finem sæculi XIII.

q Lectionarius alter membranaceus, cujus scripturæ epocha præcedit annum 1308.

r Tertius Lectionarius ætatis et scripturæ similis.

s Breviarium impressum Venetiis ab Andrea de Torresanis de Asula 20 Junii 1494.

Supersedeo abaliis codicibus afferendis, præsertim impressis, ut in iis sistam qui ad usum ecclesiarum Urbi proximarum adhibebantur.

I.

S. PETRUS APOSTOLUS.

Picturæ vetustæ in basilica S. Pauli Via Ostiensi.

† petrus
sed
ANN
XXV
M. II
D. V I I

a	Catalog. Liber. ann.	25	mens. 1	dies 9
b	Catal. Felicis IV	25	2	3
	Catalogi ex codicibus Italiæ.			
c	Catalog. Bergom.	25	2	8
d	Cavensis	25	1	5
e	Farfensis	25	2	7
f	Lucensis	25	2	7
	Catalogi ex codicibus extra Italiam.			
g	Belgicus Papebrochii	25	2	7
h	Colbertinus primus	25	1	8
i	— secundus	25	2	3
k	— tertius	25	2	8
l	— quartus	25	1	7
m	— quintus	25	2	8
n	— sextus	25	1	7
o	— septimus	25	3	7

Consulum paria	*Æræ Christi.*
Ex coss. Vinicio et Longino	29
ad coss. Nervam et Vestinum	65

a Catal. Liberianus in cod. Bucherii legens *Nervam et Verum,* ab ipso emendatur in margine: *Nervam et Vestinum.*

Omnes recensiti codices sunt XIIII.

Omnes Petro assignant sedis Rom. ann.	25
2. Cum itaque quatuor prioribus Ecclesiæ Christianæ sæculis videamur collegisse tot suffragia publicæ auctoritatis, Romanis præsertim e finibus ac suburbicariæ regionis, ubi juxta regulas prudentis critices fuerant inquirenda, quæ sufficiant æræ uniuscujusque pontificis *in notis ad Anastasium* recte constituendæ, superest ut indicemus quanto potiori jure fidenter asseramus, etiam sæculis consequentibus posse reddi epochas antistitum successorum. Id vero nemini dubium videri debet, si cogitemus Acta conciliorum frequentia jam occurrere a quarto Christi sæculo, quæ tempora comprobent pontificum Romanorum. Quin etiam epistolas eorumdem posteris esse præservatas, non jam per partes et fragmenta, ut in historia Eusebii, sed plerumque integras post Siricium, ut eruditorum consensu jam liquet. His addenda sunt æqualium auctorum testimonia: Ecclesiarum origines, aut incrementa per ipsos curata; ædes sacræ fundatæ, ornatæ vel restitutæ cum inscriptionibus genuinis ; leges latæ, privilegia concessa; itinera publicæ necessitatis causa suscepta; vitæ illorum ab æqualibus plerumque scriptoribus litteris mandatæ: et quæcunque argumenta historiæ connectunt Christiani cœtus caput, Christi in terris vicarium, cum reliquo Ecclesiæ corpore ubique gentium expanso. Nec desunt in compluribus etiam sepulcrales tituli atque inscriptiones, et ex his nonnullæ a regibus et Augustis honoris causa exaratæ: quod præstitit Adriano Carolus cognomento Magnus. Si quis in tanta documentorum copia despondeat animo ac desperet Romanorum pontificum epochas prosequi nos posse, is profecto abstineat necesse est a quacunque tentanda chronologia principum et regnorum, cum nulla series præsidentium reipublicæ qualibet potestate per sæcula septemdecim ostendatur, quæ singulorum gesta et annales comprobet tot documentis, quot demonstrantur et leguntur in aperta Ecclesiæ luce de Petri apostoli successoribus et orbi Christiano præsidentibus ex cathedra Romana.

(a) S. Leo Magnus, serm. de S Laurent.

(b) II Petr. II, 15.

FRANCISCI BLANCHINI

OBSERVATIONES

AD OPUSCULA TRIA CHRONOLOGICA SUBSEQUENTIA.

Ex Archivo Fanfensi nunc primum edita.

Quantum adjumenti contulit ad reparationem Romanæ chronologiæ, tam consularis quam Cæsareæ, usus fastorum municipalium, in coloniis præservatus, præsertim Urbi et Latio proximis, tantumdem præsidii administrant ad pontificiam ordinationem temporum restituendam, ecclesiæ ac monasteria regionis suburbicariæ: quæ non minus attenta sedulitate suis in codicibus consignarunt annales aut saltem epochas pontificum maximorum quam ministri commentarienses earumdem coloniarum referrent in publicas tabulas, una cum collegiis consulum Romanorum, proprios duumviros et magistratus. Specimen hujus præsidii dabo tribus in proximis opusculis, ex archivo Farfensi opportune descriptis anno superiori; cum eo concessissem ad perficiendas nonnullas observationes geographicas, quæ Italiæ chorographiam emendatiorem exhiberent, producta linea meridiana a mari Supero ad Inferum, auspiciis Clementis XI sanctæ memoriæ pontificis per Thermas Diocletiani jam signata et magnificenter ornata: consimili plane studio ac diligentia, qua in florentissimo Galliarum regno collegæ nostri e regia Scientiarum academia, mandante Ludovico Magno, sæculum ac litteras æternum illustraturo principe, lineam meridianam ex Observatorio Parisino producendam curarunt hinc ad Mediterranei maris littus circa Massiliam, inde ad Oceanum juxta Caletum: quam edere prope diem parant.

Hoc igitur consilio ductus cum ad Sabinos colles me contulissem, et humanissime exceptus essem a reverendissimo ac religiosissimo abbate D. Archangelo Piccioni Romano, in centenaria, quam proxime attingit et prospere degit, ætate regularis disciplinæ speculo et exemplari, inter cætera hospitalitatis officia, quæ mecum liberaliter exercuerunt pro ingenita sacri illius ordinis beneficentia tum ipse, tum simillimi suo præsuli in bene de universis merendo, ac præcipue de sacrarum litterarum studiis eorumque cultoribus, ejusdem cœnobii monachi, præ cæteris vero adm. rev. Patres D. Vincentius Manenti prior, et D. Bernardus Cretonius, præfectus archivo, ejusque in documentis apprime versatus, complura illius monumenta mihi spectanda obtulerunt. Duos vero codices, antiquitate ac rerum in iis descriptarum præstantia celebres, mihi evolvendos ac pro libitu describendos cum attulissent, tria ex illis opuscula chronologica selegi, quæ his in Prolegomenis edere, utpote plurimum idonea ad illustrandas Vitas pontificum Anastasianæ collectionis.

Priorem codicem membranaceum circa finem undecimi sæculi scriptum vocant Chronicon Farfense, complexum primo epochas imperatorum a Julio Cæsare ad Leonem IV, insertis etiam regibus Gothis, Vandalis et Langobardis, qui Italiæ imperarunt, necnon ducibus ejusdem gentis Langobardicæ, tam ante quam post Desiderium regem; deinde imperatores Occidentales a Carolo Magno ad Henricum III, cum recensione ducum Beneventanorum, Spoletanorum et Sabinensium, additis etiam nominibus marchionum et comitum in eodem Sabinensi tractu occurrentium usque ad annum 1084.

Alterum vero codicem pariter membranaceum, ampliori forma præditum, appellant Regestum Gregorii monachi Catinensis, perductum ex anno Christi 661 ad annum 1140, ex genuinis diplomatibus donationibus, privilegiis summorum pontificum, Cæsarum, regum Langobardorum, ducum Spoletanorum, comitum Sabinensium aliorumque principum et virorum illustrium, quorum icones aliquando inseruntur. Præfigitur huic secundo codici prologus domni Joannis Grammatici cum carmine acrosticho, Gregorii Catinensis nomen ita signante. Compendiarias prologi notas integris dictionibus expandam.

« IN CHRISTI DEI OMNIPOTENTIS NOMINE INCIPIT PROLOGUS DOMINI JOHANNIS GRAMMATICI SUPER HUJUS OPERA LIBRI.

« IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS AD HONOREM ET LAUDEM SANCTÆ DEI GENITRICIS SEMPERQUE VIRGINIS MARIÆ GLORIOSISSIMÆ DOMINÆ NOSTRÆ.

« Imperante Domno HENRICO IIII Romanorum Patricio et Imperatore AB incarnatione Domini Nostri JESU Christi anno millesimo nonagesimo secundo Indictione XV. XVI Kalendas Majas.

« Divina inspirante gratia placuit Domno BERARDO reverentissimo abbati hujus Ecclesiæ Pharphensis nobilissima gente progenito Florentinæ Urbis, quatinus istius sacri cœnobii universa privilegia, et præcepta, necnon et tomos, et legales chartas nimia vetustate jam pene consumpta in unum volumen colligere, atque ad memoriam posteritatis studiosissime declarata, veracissime transcripta relinquere. Et hoc prudentissimo actum fuit consilio, ne forte quod sæpissime jam evenire novimus, aut custodum negligentia, aut vetustate consumente nimia, prædicta oblivioni traderentur præcepta. tomi chartæ cartæ et privilegia. Quæ veraciter elucubrando nihil eis omnino addidimus vel minuimus,

nec mutavimus, sed corruptis partibus rethorice emendatis, eo respectu quo scripta erant ea legaliter transtulimus. per manus confratris nostri magnæ sagacitatis GREGORII Sabinensi Comitatu oriundi. in castro Catinensi. nobilissimis parentibus progeniti, et nostræ Ecclesiæ fere ab infantia lacte enutriti.

G REGORIVS SANCTAE SERVVS FAMVLVSQVE MARIAE.
R egni perpetui vita cupiens adipisci.
E jusdem semper renovavit scripta beatæ.
G liscens post obitum famosum linquere votum.
O ptulit hunc genitor Donadeum quoque Dono.
R estituens libras centenas, ac monagenas.
I n templi fratres ΘΕΟΤΟΚΟC æde benigna.
V t caperent normæ pharphensis præmia sacræ.
S ic primus pastor BERARDVS monachat ambos
C ælum paulo post migravit in ordine major.
A nnos sex denos post Christi mille vel octo.
T andem qui minimus frater GREGORIVS auctus.
I ndeque terdenos trancendens plus minus annos.
N am postquam vestem percepit in ordine normæ.
E xpletis denis annis bis necne quaternis.
N ostro migrato primo pastore BERARDO.
S cedas has compte cartarum Virginis almæ.
I ussit Berardus tantum quod abba secundus.
S cripsit enim gratis vitæ quia præmia quærit.
G regorium nosces, de versibus his catinensem.
G rammata si relegis quæ sunt exordia dicti.
S criptorem Christus quem donet scandere cælum. »

Subtus imaginem Farfensem Deiparæ Virginis hic depictam legitur et proximum disticon.

Presbiteri PETRI sunt hæc primordia libri,
Soldos namque decem pro cartis optulit ipse.

Prologum Regesti fideliter reddendum hoc loco duxi, ut constaret de antiquitate ac sinceritate documentorum unde collectum fuit necnon de Gregorii Catinensis diligentia in singulis accurate et fideliter describendis. Nec otiosum fore arbitror indicia proferre peritiæ prioris illius chronologi, a quo Chronicon Farfense ex iisdem documentis archivi et bibliothecæ colligebatur. Undecimo enim sæculo ærae Christianæ cum scriberet, atque illustraret originem monasterii, felici satis conatu explicavit atque distinxit involuta cæteroqui et obscura Gothorum tempora ita ut inter æquales suos excellere in arte chronologica videatur. Quare ex regulis prima et tertia critices temporum paulo ante constitutis opusculi præcedentis capite 2, cum idnotum sit, nempe. inter proximiora ætate ac loco documenta illa esse præferenda, quæ per idoneos viros ac disciplinæ temporum peritos nobis ministrentur, consequitur ut istius Chronici auctorem non parvi faciendum nobiscum sentiant quotquot ex proxime referendo specimine illius ingenii vim ac soliditatem perspectam habeant in apte colligendo et constituendo commensu temporum, non sine prudenti hæsitationis testimonio ubi certa ad asseverandum exacteque definiendum argumenta illum destituunt. Sic igitur is perscribit de prima fundatione monasterii Farfensis.

« Legimus tamen in autenticæ constructionis illius prohæmio. Qsod a temporibus Romanorum priusquam Hitalia gentili gladio ferienda traderetur, tres viri de Siria advenerunt, scilicet ysaac, et Joannes, atque Laurentius cum sua germana sorore susanna. De quorum primo duorum beatus Papa Gregorius, qui a beato petro extitit LXVI. et per annum Dominicæ Incarnationies DCIII. mensesque x atque dies XX. ind. II. III. non. oct. in pontificatum est assumptus. imperante tyberio augusto. Sic in dialogorum lib III. capitulo XIIII. mentionem faciens ait. Prioribus quoque Gothorum temporibus. fuit juxta spoletanam. urbem. vir vitæ venerabilis ysaac nom. qui usque ad extrema pene gothorum tempora pervenit. quem nostrorum multi noverunt ; maxime sacra virgo gregoria. quæ nunc in hac Romana urbe juxta ecclesiam beatæ MARIÆ semper virginis habitat. Et post pauca. Multa autem de eodem viro narrante venerabili patre heleuterio agnovi. qui et hunc familiariter noverat, et ejus verbis vita fidem præbebat. Hic itaque venerabilis ysaac ortus ex hitalia non fuit, sed primum de syriæ partibus ad spoletanam urbem venit. Prudens lector animadverte, quæ fuerunt Gothorum tempora prima vel quæ Romanorum, priusquam hitalia gentili gladio ferienda traderetur. Constat igitur quoniam ante præfati gloriosissimi pontificis non modicum tempus conditum est monasterium istud. pro eo quod venerabilis memoriæ beatum ysaac collegam scilicet sanctissimi hujus Monachi Laurentii Abbatis. non se vidisse ss. temporibus extitisse descripsit. sed prioribus illorum Gothorum temporibus fuisse manifesta relatione professus est. Nam priora Gothorum tempora. ut verius conjici potest, ut in scriptis Chronicæ historiæ Orosii Presbyteri reperitur. Illa fuerunt quando regnante Archadio imperatore quo tempore Ambrosius apud Mediolanum. Martinus vero cujus gloriosus extitit transitus. a Domini passione anno CCCC. XXII. ætatis suæ anno LXXXI. Episcopatus vero XXVI. in galliis apud turonos. et apud Bethleem Hieronymus. qui expletis XCI. vitæ annis ad Christum migravit. velut sidera radiabant. Radagasius rex Gothorum qui virtute et natura barbarus erat, et scitha habens secum CCXC. homines. primo italiam devastavit. itaque post reguante fratre ejus honorio halaricus rex Gothorum Romam invasit. partemque ejus igne cremavit, VIIII k. septemb. anno conditionis ejus ICLX. IIII. ac die VI. post quam fuerat in eam ingressus. Depredata Urbe egressus est. cum incarnationis dominicæ ageretur annus CCCXIII. tunc etiam apud ypponiregium fulgentissimus totiusque florebat Magister Ecclesiæ Augustinus. tertio ipsius civitatis obsidionis anno mense VI. et LXX. vitæ in Christo quievit. Deinde agente præsulatum Romanæ Ecclesiæ leone a genserico Roma capta est. postquam primo eam alaricus invaserat II. jam vice expletis ab eo tempore ann. XLIIII. a conditione ejus ICC. atque VIII et ab incarnatione Chr. CCCCL. VII. Post h. u. temporibus agapiti papæ anno dominicæ incarnationis DXXVIIII. gothi urbem possident. universa per circuitum direptionibus et incendiis absumunt. quibus guittigis regnabat Quo tempore in Oriente justinianus imperabat. denique capto guittige gothi hildebadum constituunt regem. qui etiam eodem anno perimitur. et regnum accepit Erarius. qui nec dum anno expleto jugulatur, tunc sibi in regnum præficiunt Baduilam qui dicebatur Totila, qui undique exercitu collecto rursus universam hitaliam invadit. urbemque obsessam per XIII. dies introierunt. temporibus vigilii papæ et justiniani imperatoris. scilicet post incarnationis dominicæ annos DXL. Ind. XIII. ab Archadio itaque rege, usque ad justinum juniorem. sub quo narses Romanorum patritius cum totila novissimo gothorum dimicans eumque superans effugavit. anni sunt fere DXXVIIII. Priora item tempora Gothorum ceperunt imperante valente. quando item Gothi per gentem hunnorum a sedibus propriis expulsi. transito Danubio fugentes a præfato principe suscipiuntur. Nam temporibus valentiniani imperatoris inter traciæ fines cum communiter habitarent. ibi divisi sunt. Fridigern. cum suprascriptis ostrogothis vocatis orientalem. Alicernus vero cum suo exercito cui vocabulum erat guisigothis R. P. occidentalem optinentes. Hæc vero prolixius narravimus ut priora gothorum tempora

etiam novissima eorum. quæ ob narrationem beati Laurentii hujus monasterii. abbatis. collegæ scilicet ysaac cujus sanctissimus pp. GG. mentionem fecit interposuimus. temp. prout potuimus edisseremus. Romanorum quoque tempora priusquam hitalia gentili gladio traderetur ferienda. quoniam ut præfatum est tres viri fuer. in Syria. ea fuisse arbitramur quando tota hitalia ab omnium jugo vel oppressione gentium erat liberrima ; et ad orientalis jussione imperii gubernabatur R. P. sicuti temporibus imperatorum juliani apostatæ. jobiniani. valentis. gratiani. valentiniani. atque Theodosii. Præsidentibus etiam Pontificibus apostolicis. Damaso. siricio. anastasio primo. innocentio. zosimo. et bonifatio primo. quando placidia augusta cum filio suo valentiniano augusto, ravennæ. et Honorjus augustus mediolani residerent. ncc non et Pontificibus aliis cælestino, atque Xysto III.. Nam temporibus Leonis primi. clades guandalica premebat italiam. deinde temporibus Pontificum hilari. simplicii. et Felicis III. a rege odovacro dominabatur. hic a pannoniæ finibus. cum fortissima Herulorum multitudine. insuper turcilinguorum sive syrorum auxiliis fretus italiam venit. et regnavit annis XIIII. Deinde residentibus gelasio. anastasio II. simmacho. Hormisda. johanne I. felice IIII. theodoricus regnabat Post. quem præsidentibus bonifatio II. et iohanne athalaricus regnabat. ex tunc. præsidentibus agapito I et silverio theodatus regnabat. Vigilio etiam præsidente. jam gothis guittigis regnabat. Nam a tempore. felicis III. qui a B. Petro Apostolo pontifex L. extitit, et deinceps. hitalia pertulit gladium gentilis Dominii. non ergo erant tunc Romanorum tempora. quia licet per patricios. vel cubicularios. sive exarcos orientalis imperii. R. P. aliquando gubernaretur. tamen gladio gentis gothorum, herulorum. sive Langobardorum tota hitalia premebatur. Nam Theodorico regi. Zeno imperator omnem hitaliam per pragmaticam dedit. Ceterum prudenti lectori relinquimus, ut de tempore præfati viri. Laurentii eligat sibi placitum quod videatur verius. Quo autem tempore prius destructum hoc fuerit Monasterium. sicut et constructum. manifestius clariusque minime scimus; nisi tantum quod legitur in eodem libro constructionis. Quia post obitum beati viri sanctissimi Laurentii a langobardis circumquaqne interfectis. effugatisque habitatoribus. Locus ipse desolatus. et in solitudinem est redactus. atque per multa annorum curricula absque habitatore permansit. scilicet donec a Gallia maurigena provincia vir vitæ venerabilis veniens præsbyter Thomas. ad sepulchrum Domini demoraretur ubi admonitus a beata Maria. semper virgine. Deique genitrice ad hitaliam reversus est. et hoc sanctum reperit monasterium. et restauravit.

« Cujus scilicet beatissimi thomæ præfati. hujus cœnobii sac. Abbatis. felix et gloriosum tempus. nos per annos Pontificum. et tempora Regum. successionesque Abbatum. nec non et chartularum indictiones subscriptarum secundum annos ipsius XXXV. et menses VII ac dies V. quibus huic præfuit reconstructo ab eo monasterio enculeatius et perspicacius colligentes. invenimus exstitisse circa iucarnationis Dominicæ annum plus minus de. Lxxx. et indictionem VIII. et constantini filii constantis. et instinian. filii ejus, ac Leonis et tyberi tempora augustorum Qui Tyberius leonem imperatorem. qui iustinianum augustum proiecerat cepit ejusque imperium invasit. Sed hos postmodum idem instinianus Augustus captos iugulari fecit. et principatum recepit.

« A tempore ergo Damasi primi Pontificis. et apostatæ iuliani imperatoris. videlicet pene incarnationis Dominicæ ann. CCCLXXXII. usque ad tempus Leonis primi apostolici. et theodosii filii augusti archadi, quo tempore gensericus romam cepit. anno Christ CCCLXII. tempora fuisse Romanorum arbitramur. annorum plusminus. CXXXI. Infra quæ anostris mojoribus æstimatum est sanctum hoc cœnobium a beato Laurentio constructum fuisse.

« Deinde ab hoc Leone præsule usque ad tempus adeodati pontificis. qui circa annum Christi DCLXXII. extitit. constantinique augusti. qui et constans vocabatur filius heraclii imperatoris annorum plusminus CCXXVI. Horum sune temporibus sanctissimus thomas hoc sanctum cænobium reperisse et restaurasse creditur.

« Quomodo autem a Langobardis interfectos effugatosque hujus loci habitatores possumus æstimare, nequimus plenius nosse quia temporibus tyberii augusti qui post justinum minorem ann. VII. imperavit. ut refert ysidorus. Langobardi hitaliam capiunt. præsidente scilicet pelagio. II. Pontifice. Et ann. Christi. D. XCIII. ex quo usque ad tempus adeodati papæ. qui extitit circa annum Christi. dc. LXXVII. quando sanctissimum thomam reperisse. et restaurasse monasterium hoc disseruimus anni sunt plus minus LXXXIIII. quod ergo legitur in Constructionis prohæmio. quod multa per annorum curricula monasterium hoc desolatum permansisset.

« Denique consulentibus legatis Faroaldi Ducis. qui admonitione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. plurimas illuc direxerat expensas. vicini eidem loci referebant. non se omnino nosse. nec recordarentur hujus monasterii integritatem. Audierant tamen a patribus suprascriptis. quod ipsi patres vel avos suos meminissent dixisse. quod in casali qui dicitur acutianus juxta tres cypressos posita sit Ecclesia Beatæ Mariæ miro fabricata decore. Nunquid tam famosum præcipuumque locum per Lxxx. IIII. tantum annos oblivioni datum fuisse est putandum ? tot enim anni sunt a divastione prima Langobardorum. usque quo reperit illum thomas Dei servus. ergo ut verius conici potest. non Langobardorum sed potius dicenda est destructio Gothorum vel guandalorum. Vel illa scilicet quæ temporibus Leonis papæ primi vel altera ann. CXXXVI. quæ præsidente agapito evenit. ex quibus usque ad tempus adeodati papæ anni fuerunt CCXXVI. recte ergo censendum est tunc illius desolatio extitisse. et per tot annorum curricula. locum hunc oblivioni vel ignorantiæ deditum fuisse.

«Hæc omnia idcirco annotavimus ut mendacium de hujus loci tempore conditionis sive destructionis in nullo proferremus nec dubia pro certis scribentes falli videremur. In omnibus vero legentes vel audientes suppliciter rogamus ut si in aliquo offendimus stilo. non condemnemur quoniam teste Deo omnipotente, quem nemo fallere potest. ejusque cujus hæc causa est integerrima genetrice. nihil omnino mendacii proferimus studiose. nec aliquid transcribere cupimus mendose. Ut etiam vera tantum scribamus in hoc opere. ipsam quæ Christus est obsecro veritatem vos pro nobis orare devotissime.

« Quoniam autem tempora sanctissimi laurentii subtilius indagare hactenus studuimus, ideo in eorum narratione morati sumus. » etc.

Causam dedit huic examini chronologico præfati auctoris, procemium Chronici ab eodem indicatum, et quod in calce folii 10 ac adversæ pag. præcedentis eadem manu perscriptum legitur his verbis..

« Manet incolume anno. LXXII. Desolat. a gothis anno Christi CCCCLVII. destituitur autem ann. plus minus CCXXIII, Reædificatur quoque a Domno Thoma post ann. Christi DCLXXX. »

De primo igitur hoc auctore, qui in procemium Chronici Farfensis disquirebat adeo cautc ac prudenter, ita esse sentiendum reor, ut inter sui sæculi chronologos non postremus habendus sit. A vero ad eumdem referri oporteat, an ad diversos tam Chronicon ipsum minus et vetustius, quam duo hæe

priora opuscula chronologica quæ eidem chronico præfiguntur, mihi non liquet, neque id rescire nostra multum interesse puto.

Regesti auctorem, et secundi Chronici quod Regesto præmittitur in ampliori codice, esse Gregorium Catinensem constat ex præfixo ejus nomine, tum in titulo, tum in carmine acrosticho, ac testimonio Joannis Grammatici. Duobus autem memoratis opusculis chronologicis, minori, et vetustiori, Chronico præmissis, nempe Catalogo imperatorum, etc., et Catalogo Romanorum pontificum, cum Gregorii indicatio nulla apponatur, prout nulla apponitur ipsi Chronico minori et vetustiori, illa lubentius referrem ad scriptorem antiquiorem Gregorio Catinensi, præsertim cum duorum opusculorum primum videatur compleri circa annum 1056 (totis quatuor et quadraginta antequam Berardus, ejus nominis abbas secundus, præciperet Gregorio collectionem Regesti, ut ex prologo Joannis Grammatici comprobatur) ; adjecta tantum in postremo versu morte, Henrici III, consignata anno 1084, neque ullo comite memorato post annum 1040.

Alterum ex duobus opusculis compactum cum Chronico Farfensi minori et vetustiori, complectitur chronologiam pontificum Romanorum a S. Petro ad Benedictum VII, nempe ad annum 984. Quare plusquam sæculo integro præcedit Regestum Gregorii Catinensis, usque Chronicon (secundum) Regesto præfixum et infra afferendum, quod perducitur ad annum 1099.

Ætatem diversam duorum præcedentium opusculorum minoris codicis a tertio opusculo in codice majori reperto, observandam esse duxi, ut indagarem cur in Chronico Regesti (quod secundum jam appellabo) plures antipapæ circa finem recenseantur, et plures ex legitimis Romanis pontificibus eorumdem temporum reticeantur.

Id vero observare et observandum cæteris proponere necessarium duco. Ostendet enim vitiosam originem Actorum complurium, quæ factiosi homines contra apostolicæ sedis jura in foro ac tribunalibus etiam minoris subsellii nefario ausu tunc perficienda, scriptores vero ætatis nostræ imprudenti consilio vulganda curarunt hoc ex archivo, tanquam indicia subversa ex tunc potestatis supremæ summorum pontificum in suam ditionem. Pende inspectio ex epocha consignata in Chronico secundo, seu Gregorii Catinensis ad annum 1532. ubi legitur: *Henricus IIII rex ad hoc monasterium pervenit.* Post biennium statim consequitur æra deterior ita concepta: *Clemens Pp. III. Henricus imperator.* Quisnam fuerit ille Clemens, quisnam ille Henricus, Baronii Annales docent. Henricus, ut ab hoc incipiam, et acerrimus ille hostis apostolicæ sedis, toties anathemate perculsus, et communione ac regno privatus iteratis sententiis summorum pontificum et conciliorum; qui ausus contra S. Gregorium VII judicia intentare, per summum scelus. Guibertum antipapam Clementis III nomine obtrudi, et anno 1083, cum Romam obsedisset et recepisset, in basilica Vaticana consecrari per schismaticos ac depositos episcopos curavit et anno proximo 1084 imperator ab eo coronari in Lateranensi voluit. Is vero contumax et rebellis perinde in Gregorium VII ac in Victorem III et Paschalem II, Gregorii successores, a quibus damnatus iterum ac tertio cum hæresi sua fuit, Farfense, cœnobium ac Sabinensem tractum tyrannide sua ita occupatum detinuit, ut legitimorum pontificum nomina in ejus tabulas referre nemo sit ausus ; sed hæ loco Victoris III ac Paschalis II, qui supprimuntur, pseudopontificem Clementem, tertii nomine se jactantem, ex attentata Henrici coronatione ad finem sæculi præferant. Nos asterisco apposito brevem notam ad hunc annum adjecimus in editione Chronici, ut memores sint lectores quisnam iste sit Clemens. Est vero Guibertus ille Parmensis, cancellarius Henrici Germaniæ regis, Cadaloum antipapam promovendum curavit anno 1061, jam tum præludens nefariis molitionibus quas ipse ex Ravennati sede malis artibus impetrata ad Romanam inhians, mahinatus est deinde contra Gregorium ; donec voti compos factus, ac veris pontificibus semper infensus, suæ impietatis pœnas dederit, tum vivus a fidelibus undique expulsus, tum ad annum 1099 vel 1100 cum vita excessit, et post mortem exhumatus atque in profluentem dispersus anno 1105.

Hornm tyrannide oppressa Roma ipsa cum ingemisceret, et cogeretur legitimum principem ac pastorem suum in arce S. Angeli sceleratæ custodiæ mancipatum asservare, schismatis vero antesignanos, Guibertum et Henricum, coronatos in Lateranensi patriarchio et in Vaticano, sacra et profana jura evertentes intueri, donec invenirentur publicæ majestatis vindices fideles B. Petro cives, ac Romani nominis et virtutis memores, qui hæc monstra a cervicibus propulsarent ; quis mirari potuit in Chronico secundo Regesti Farfensi monasterii, ubi castra ac tyrannidem fixerat Henricus, suppressa nomina pontificum legitimorum, solumque invasorem Guibertum Clementis III nomine cum consorte scelerum Henrico postremam paginam implere ! Quin etiam observare juvat Chronici secundi terminum eumdem esse ac sæculi undecimi, licet Regestum acta posteriora contineat per annos quadraginta sæculi subsequentis. Unde colligere possumus Gregorium Catinensem postrema hæc tempora non signasse, sed factiosum aliquem amanuensem Petri abbatis, Farfensis : de quo abbate consulere satis est Spondani Epitomen Baronianam ex Bibliothecario ista colligentem ad annum 1108 : « Anno, inquit, Christi millesimo centesimo octavo indictione prima, Paschalis papa (ut auctor est Bibliothecarius) rursus tumultuantes quosdam Romanorum (quorum principes erant Ptolomeus comes Tusculanus, et Petrus de Columna abbas Farfensis) usurpatores rerum Ecclesiæ, aliosque ad defectionem populum permoventes compescuit, opera maxime Petri Leonis atque

Leonis Frangipanis, nobilissimorum civium Romanorum fideliter pro ipso Paschale agentium. »

Miror anonymum illum scriptorem, qui anno 1689 Parisiis edidit una cum dissertatione historica circa numismata nonnulla Caroli Magni, et successorum Romæ signata, etiam Actum ex archivo Farfensi, cap. 8, productum, pertinens ad annum 1105 ex quo infringere se posse putavit jura supremæ dominationis summorum pontificum in suam ditionem, noluerit attendere se illa mutuari e scriniis Petri abbatis Farfensis, ducis perduellium S. R. E. per illa tempora, quibus antipapa et hæresiarcha Guibertus ejusmodi farinæ hominibus ecclesias ac monasteria repleverat ; de quo ita scribit Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi, lib III, cap. 70 : « Qui Guibertus, etiam pulsis catholicis episcopis et abbatibus ecclesiarum præpositis, scientia pariter et religione pollentibus, sceleratos et idiotas singulis civitatibus et cœnobiis vel ecclesiis, singulos, interdum autem binos vel annuos prælatos damnabili prioris magistri sui Simonis Magi mercimonio substituens, in deprædationibus sanctorum locorum et Christianorum sibi non faventium, imo, et faventium, dum non esset qui armato resisteret, longe lateque voluntate quidem Neronis et Decii, sed minus possibilitate crassatus est. »

Simile quidpiam contigit hoc ipso in Chronico secundo circa medium sæculi decimi, ad consequentia tempora, quando factiones in Italia ac Romæ præsertim subortæ crebris schismatibus Ecclesiam proscindebant. Apparet per eosdem annos vitiatus codex erasione nominum ac transpositione legitimorum pontificum, sed potissimum intermissione schismaticorum atque intrusorum quorum nominibus asteriscos et breves notas in margine addendas censui, ut facilius secerni possent. His etiam de causis chronographiam secundi hujus Chronici, ea non distinguentem, ex anno 1050 minoris habendam moneo. Superiori ætate occurrunt aliquot pontificum epochæ iteratæ post biennium aut triennium, nempe Eugenii II, ad annos 820 et 823 ; Sergii II, ad ann. 838 et 841 ; Leonis quarti, ad ann. 830 et 833, et Anastasii tertii ad ann. 906 et 908, uno loco abrasæ, ut ad alterum transferrentur. Redditæ sunt utroque in loco, cum non satis constet utra earum ab auctore Chronici primum signata fuerit ; neque appareat num ipse posterioribus curis an recentior quispiam bibliothecarius ex repertis serius documentis priorem lectionem mutaverit. Nostri quod erat muneris, fideliter indicavimus etiam vitia atque erasiones, ne quispiam plus tribuat. aut per nos tributum arbitretur his chronologis quam par sit. In priori autem chronologia pontificum Romanorum (quam habes infra his in prolegomenis) descripta ex alio anteriori codice, quem vocant Chronicum Farfense, ubi erasiones nullas invenimus, in penultimo tantum versu Bonifacium antipapam, et quarto ante illum loco Leonem pariter pseudopontificem octavi nomine intrusum cum offenderimus, fortasse additos suspicamur ab imperito homine vetustiori ex Catalogo in præcedentibus desinente : ubi vitio amanuensis, ut arbitror, ante Marinum (qui quartus præponitur memorato Leoni) tres pontifices omissi sunt, Joannes XI, Leo VII et Stphanus IX.

Cætera in eodem priori Chronico recte procedunt.

Hac igitur præmissa notitia codicum et auctorum, tria illa opuscula chronologica inde accurate descripta tuto proferre jam possumus, utpote suis etiam vitiis et schismatum indiciis veritati historicæ profutura.

CATALOGUS IMPERATORUM,

A JULIO CESARE AD HENRICUM III

Ubi etiam legitur series regum Gothorum et Langobardorum, cum ducibus Spoletanis ac Beneventanis necnon pluribus comitibus Sabinensis tractus

(Ex Chronico Farfensi.)

Julius Cesar. Primo imperavit anno Urbis conditæ DCXCVIIII.

Octavianus filius Octavii Senatoris ; imperavit annis leg. LVI. XLVI. ; vixit LXXVII. Hujus anno imperii XLII. Jesus Christus Filius Dei Dominus noster Secundum Hebræos a mundi principio annis ætate. Secundum Hebræos a mundi principio annis III. DCCCCLII. Secundum Græcos annis VI. DVIII. Urbis DCCLI. *obiit.*

Tyberius, privignus, gener, et filius adoptione Augusti imperavit annis XXIII, vixit LXXXIII. Hujus anno XV. Christus baptizatus est : XVIII, passus, *obiit.*

Hoc in Chronico numeri semper exprimuntur per literas numerales alphabeti Latini. Compendii tamen caussa reddemus sequentes per cifras Arabicas.

Gajus Callicula, nepos Tiberii ann. 3, mens. 10, dies 8, vixit annis 39, *occisus.*

Claudius patruus Calliculæ Drusi privigni Augusti Octaviani. Hujus anno secundo Petrus Romam venit, anno dominicæ Incarnationis 45, et sedit in cathedra annis 25, *obiit.*

Nero. Hujus avunculus Callicula fuit. Imperavit annis 14, vixit vero 31. Hujus extremo anno Petrus, et Paulus Apostoli passi sunt, anno Domini 70. Passionis 38, *occisus*.

Galba senator, imperavit mens. 7, vixit ann. 73, *occisus*.

Otho. Lucius Imp. dies 5, vixit annos 38, *occisus*.

Vitellius, imperavit mens. 8, d. 1, vixit ann. 57, *occisus*.

Vespasianus illustris imp. ann. 9, d. 7, vix. 69, *obiit*.

Titus filius Vespasiani, imperavit ann. 2, mens. 8, d. 20, vixit 41, *obiit*.

Domitianus frater Titi junior, imperavit ann. 15, vixit 35, *occisus*.

Nerva imp. ann. 1, m. 4, d. 8, vix. 71, *obiit*.

Trajanus filius consul Nervæ adoptivus, imper. ann. 19, m. 6, d. 15, vix. 65, *obiit*.

Adrianis filius consobrinæ Trajani, imp. ann. 21, m. 10, d. 20, vixit 60 ann. *obiit*.

Antoninus Pius gener, et adoptivus Adriani, genere clarus, annis 23, vixit 77, *obiit*.

Antoninus Philosophus severus, nobilissimus, ann. 18, vixit 61, *obiit*.

Severus Annius Antoninus gener, et simul imperator annis 11, *obiit*.

Antoninus Commodus imp. ann. 12, m. 8, *occis*.

Pertinax Præfectus imp. dies 80, vixit ann. 70, *occis*.

Salvius Julianus imp. m. 7, *occis*.

Severus Philosophus Septimius ex Africa, Tribunus, pertinax vocatus, imp. ann. 16, m 3, *obiit*.

Antoninus M- Aurelius Bassianus Caracalla, imp. ann. 6, mens. 2, vix 43, *ob*. (Corr. *occis*.)

Macrinus Opilius præfectus, cum filio Diadumeno annum 1, m. 2, *occisus*.

Aurelius Antoninus, filius Caracallæ putatus, sacerdos Heliogabali ann. 2, m. 8, *occisus*.

Aurelius Alexander ann. 13, m. 8, *occis*.

Maximinus miles ann. 3, diebusque paucis, *occis*.

Gordianus Filius Gordiani, et Africæ Proconsul. annis 7, *occis*.

Philippus cum filio Philippo ann. 5, Urbis anno millesimo, *occis*.

Decius Pannoniæ Inferioris natus cum filio suo ann. 2, anno Christi 293, *occis*.

Gallus Hostilianus, et Galli filius Volusianus ann. 2, *occis*.

Emilianus Maurus fuit. imp. mens. 3, *occis*.

Gallienus et fr. ejus Valerianus simul imper. ann. 9, *occis*.

Postumus ann. 10, *occis*.

Carus diebus 2, *occis*.

Victorinus ann. 2, *occis*.

Tetricus senator Imperator.

Odenathus.

Claudius post Gallienum imp. ann. 2. *obiit*.

Quintilius frater Claudii diebus 17, *occis*.

Aurelianus ann. 5, mens. 6, *occis*.

Tacitus mens. 6, *obiit*.

Florianus dies 22.

Probus illustris. ann. 6, mens. 4, *occis*.

Carus Narbonensis, et Carinus et Numerianus annis 2, *occiditur*.

Diocletianus Dalmatiæ natus filius Anull. senatoris libertinus, vixit ann. 68.

Maximianus cum Diocletiano.

Constantius proles filii Claudii imperatoris ex prima conjuge sua Helena habuit Magnum Constantinum. Ex Theodora quoque privigna Maximi imperatoris cognomento Herculii, sex liberos fratres Constantini, habuit, ex quibus exstitit Constantinus pater Galli Dalmatii: a quo genitus est Dalmatius juvenius, et Julianus Apostota, imper. ann. 13.

Galerius. *occis*.

Severus, *occis*.

Maximianus socer Constantini, *occis*.

Maxentius filius Maximiani, *occis*.

Licinius Daciæ oriundus ann. 14, vix. 60, *occis*.

Maximus, *obiit*.

Constantinus vero Magnus filius Constantii post mortem Patris imperare cœpit, atque anno 18, imperii baptizatus est a Sancto Silvestro Papa, post tyrannorum interfectionem, scilicet Maxentii Herculii filii et Maximiani atque Licinii cognati supradicti Constantini. Imperavit ann. 31, vixit 66, *obiit, etc.*

Constans.

Constantius annis 38, vixit 55, *occis*.

Magnentius, *occis*.

Vetrannius, *depositus*.

Nepotianus filius Sororis Constantini, imp. d. 28, *occis*.

Gallus, *occis*.

Julianus annis 7, vixit 31, *occis*.

Jobinianus de Pannonia, m. 7, vix. ann. 33, *obiit*.

38 Valentinianus I, filius Gratiani, Christianissimus tribunus scutariorum, Pannoniæ: Urbis anno 1118 imp. an. 11, vixit 55, anno Christi 409, *obiit*.

40 Gratianus filius Valentiniani Aug. ann. 6, vix. 29. *occis*.

39 Valens 1, Arrianus, frater Valentiniani Aug. ann. 3, *occis*.

Valentinianus. 11, filius Valentiniani aug. *occis*.

41 Theodosius 1, Orthodoxus Hispaniensis, filius Theodosii ann. 17, vix. 50, *obiit*.

Eugenius, *occis*.

42 Archadius ann. 12, et Honorius ann. 30, filii Theodosii, Urbis anno 1149 *obiit*.

43 Theodosius 2, filius Archadii annis 55, *obiit*.

Roma capta est a Gothis, Conditionis anno 1164, die 3.

Constantinus. 2. Comes mens. 7, *obiit*.

Theodosius.

Valentinianus 3, ann. 30, gener Theodosii aug. filius Constantii ex Placidia Augusta sorore Honorii, *occis*.

44 Marcianus annis 7, Urbis 1211, anno Christi 440, *occis.*

Maximus m. 2, *obiit.*

Roma capta est a Genserico, et a Guandalis, conditionis anno 1208, Alaricum ann. 43.

45 Leo 1, ann. 17 Urbis 1211, *obiit.*

Leo 2, filius Leonis Aug.

Majorianus ann. 4. Ravennæ imperavit, *occis.*

Severus ann. 4. Ravennæ imperavit, *obiit.*

Anthemius ann. 4. Ravenæ imperavit *occis.*

Olibrius mens. 7, post quem Lucerius domesticus Ravennæ imperavit, *obiit.*

Theodoricus rex, *occis.*

Zeno post Leonem imperavit. Gensericus rex Guandalorum, *obiit.*

Odoacer rex annis 14, in tota Italia.

Augustulus menses 11. Urbis conditæ anno 1209, à Gajo Cæsare ann. 517, anno Christi 475, *depositus.*

47 Anastasius 1, hæreticus, anno Incarn. Domini 492, imp. ann. 27, *occis.*

Justinus 1, anno Incarn. Domini. 518. Imp. ann. 11, *obiit.*

49 Justinianus 1, filius sororis Justini, an. Domic. Inc. 529, *obiit.*

Athalaricus rex ann. 4. Gothis regn. Post quem Theodatus; deinde vero Guittigis. Tunc Hildebadus; ex hinc Ærarius. Post hos autem Totila.

Justinus 2, minor aug. ann. 11, anno Domini 508; Albuin rex Langobard. apud Ticinum annis 3.

Tyberius 2, ann. 7. Langobardi Italiam capiunt. Faroaldus dux primus Spoleti.

Cleph regnat anno 1, mens. 6. Autharius filius ejus an. 6.

Totto dux primus Beneventanus.

Mauricius Cappadox ann. 21, cum Theodosio Tyberio, et Constantino filiis SS. Ariulfus dux Raroaldo successit apud Spoletum. Post quem Theudebaldus filius Faroaldi Ducis superioris. Agilulfus regn. ann. 25.

Focas Aug. Psci patricii strator ann. 8. Arichis Dux Beneventanus annis 50.

Heraclius filius Heracliani Africam regentis Adadoloaldus regn. ann. 10.

Heraclonus filius Heraclei ann. 2. Ajo dux Beneventan. Arioaldus ann. 12. Rotharius ann. 16, et mens, 4.

Constantinus 2, filius Heraclei mens. 6. Tato dux Spolet. ann. 1, mens 5.

Constantinus 3, qui et Constans filius Constantini ann. 28. Reduald. dux Benevent. ann. 5, *occis.*

Mezecius Aug. tyrannus. Grimualdus dux Benev. an. 25, *occid.*

Constantinus 4, filius Constantis Aug. ann. 17. Transmundus dux Spolet.

Justinianus 2, filius Constantini ann. 10. Hic Africam abstulit Sarracenis.

Leo 2, annis 6.

Tyberius 3.

Justinianus 2, iterum imperavit cum filio Tyberio ann. 6.

Philippicus hæreticus, qui et Bardans dicebatur an. 1, m. 6.

Anastasius 2, qui et Arthemius.

Theodosius 3, anno 1.

Leo 3, hæreticus exustor imaginum sanctorum ann. 24.

Constantinus 5, ann. 35.

Leo 4, ann. 5.

Albuin Langobardorum rex decimus de Pannonia Ticinum venit anno Domini 569. Ep. 7, Conc. 7, et ult. ann. 3, obsessam obtinuit; et regnavit ann. 3, mens. 6.

Cleph. ann. 1, m. 6.

Post hunc sine rege sub ducib. Langob. fuerunt an 10.

Faroaldus dux primus exstitit Spoletanus.

Autharius Clephonis filius regn. ann. 6.

Torto dux primus Benevent.

Agilulfus dux Taurinatium regn. ann. 25.

Ariulfus dux Faroaldo successit apud Spoletum. Post hunc Thendelabius filius Faroaldi superioris. Arichis dux Benevent. ann. 50.

Adadoloaldus filius Agilulfi annis 10.

Arioaldus ann. 12.

Rotharius genere arod. in anno 77. Langobardorum regnat ann. 16, mens. 5.

Ajo filius Arichis anno 1, mens. 5.

Radualdus dux Benevent. ann. 5. Grimualdus dux germanus ejus ann. 25.

Radoaldus filius Rotharii regn. ann. 5, d. 7.

Aripertus filius Gunduald. regn. ann. 1, m. 3.

Tato dux Spolet.

Grimualdus gener Ariperti regis regnavit ann. 9. Transimundus dux Spolet. comes dudum Campaniæ.

Perctarit solus regn. ann. 7, cum filio suo Chuniperto ann. 10.

Romualdus dux Benevent. ann. 16. Grimualdus filius ejus ann. 3.

Gisulfus germanus ejus.

Cunipertus absque patre regn. mens. 8.

Regipertus dux Taurinensium, invaso regno, moritur eodem anno.

Aripertus filius ejus regn. cum eo, sive solus usq. ann. 12.

Faroaldus filius SS. Transmundi dux Spoleti.

Ansprandus regn. mens. 3.

Luitprandus filius ejus regn. an. 31, m. 7; obiit indict. 11.

Romualdus filius Gisulfi dux Benevent.

Transmundus contra patrem suum Faroaldum rebellans clericum illum fecit, et ducatum Spoletanum invasit.

Hildericus dux Spolet.

Agiprandus nepos regis dux Spolet.

Hildeprandus nepos Liutprandi,

Ratchis regn. Lupo dux Spolet.

Haistulfus regn.
Desiderius germanus Rachisi regis. Hic regnum perdidit circa annum Incarn. d. 774 et una cum conjuge in Franciam est delatus.
Theodoricus dux Spolet.
Hildeprandus dux Spolet.
Guinichis dux Spolet.
Karolus, rex Francorum, et Romanorum imperator primus filius Pipini regis Francor. Coronatur ann. Dom. 774.
Pipinus filius Caroli imp.
Guinichis dux Spolet.
Karolus 2 imp.
Bernadus rex Langobard.
Ludovicus imperator 1, filius Caroli.
Lotharius filius Ludovici 1, imperator.
Gerardus dux.
Eschrotonius comes.
Berengarius dux.
Ludovicus 2 imperator, filius Lotharii.
Karolus 4, filius Ludovici imp. anno Domini 880.
Karolus imperator.
Guido princeps Italiæ imper. anno Domini 890.
Lambertus filius Guidonis imper.
Hugo rex anno Domini 927.
Lotharius filius Hugonis regis.
Bonifacius, et Thebaldus filius ejus duces.
Berengarius, et Adelbertus filius ejus regn. anno Dom. 951.
Sarilo marchio.
Leo dux Sabin.
Rainerius dux Sabin.

A Azo comes Sabin.
Joseph dux Sabin.
Teuzo comes Sabin.
Transmundus dux.
Otto 1, imperator anno Domini 960.
Pandolfus princeps, et marchio.
Benedictus comes.
Crescentius comes.
Johannes comes.
Theophanius imp. anno Domini 990.
Otto 3, filius Ottonis 2, imper. anno Domini 996.
Rainerius, et Crescentius comites.
Girardus comes.
Johannes comes.
Heinricus 1, rex anno Domini 1003.
B Heinricus 2, rex 1, imperator anno Domini 1014.
Crescentius, et Oddo comites.
Odde et Ber. comites.
Gregorius comes.
Oddo et Petrus comites.
Oddo et Crescentius germani comites.
Chuonradus Imper. anno Domini 1028.
Crescentius, et Johannes nepos ejus.
Johannes Patricius.
Crescentius et Otto comites.
Heinricus 3, rex anno Domini 1040.
Heinricus imperator anno Domini 1047.
Heinricus imp. 2, anno Domini 1056, indict. 9.
Heinricus imp. 2, Θ [*hoc est mortuus est*] anno Domini 1059.
C Heinricus 3, imp. anno Domini 1084.

CATALOGUS SUMMORUM PONTIFICUM

Ex eodem Chronico Farfensi, scripto circa finem sæculi undecimi, sed ex vetustiori codice (ut videtur) excerptus, cum a S. Petro pertingat ad Benedictum ejus nominis VII, nempe ad Christi annum 984. Hoc in Catalogo exprimuntur non modo anni, menses ac dies, quibus pontifices singuli sederunt, sed etiam anni, menses ac dies interpontificii seu vacationis sedis usque ad Benedictum III.

Beatus Petrus primum in Cathedra Antiochiæ sedit annis vii, deinde urbem Romam ingressus Dominicæ incarnationis anno xlv ejus cathedram sedit ann. xxv, D mensib. ii, dieb. vii, Claudii imperatoris anno ii, temporibus Tyberii Cæsaris et Gaji, Claudii et Neronis. Hic post incarnationem Domini anno lxx, post passionem vero ejus anno xxxviii, cum coapostolo Paulo coronatur martyrio. †

Linus sedit annis xi, mensibus iii, diebus xii, temporibus Neronis.

Cletus sed. ann. xii, m. i d. xi, temporibus Vespasiani et Titi.

Clemens sed. ann. viiii, m. ii, d. x, temporibus Galbæ, et Vespasiani. Cessavit Episcopatus diebus xxii.

Anacletus annis xi, m. i, d. vii, temporibus Domitiani, cessavit dies xiii.

Evaristus anni xiii, m. vii, d. ii, temporibus Domitiani, Nervæ atque Trajani, cessavit dies xviiii.

Alexander ann. x, m. vii, d. i, temporibus Trajani, cess. d. xxxv.

Xistus ann. x, m. iii, d. xxi, tempor. Adriani, cess. d. i.

Telesphorus ann. xi, m. ii, d. xxii, temporibus Antonini Marci, cess. d. vii.

Yginus ann. iiii, m. iiii, d. vii, temporibus Severi Marci, cess. d. iii.

Annicius, ann. viii, m. iii, d. iii, temporibus Severi m. cess. d. xvii.

Pius ann. xi, m. iiii, d. iii, temporibus antonin Pii. cess. d. xiiii.

Sother ann. viiii, m. iii, d. xx, temporibus Severi septimi cess. d. xxii.

Heleuter, ann. xv, m. vi, d. v, temporibus antonini commodi, cess. d. vi.

Victor ann. x, m. ii, d. x, temporibus Cesaris, cessavit, dies xii.

Zepherinus ann. xvi, m. ii, d. x, temporibus antonini severi, cess. d. vi.

Calixtus, ann vii, m. ii, d. x, temporibus macrini, et heliogabali, cess. d. vi.

Urbanus ann. viii, m. xi, d. xii, temporibus Maximiani, et africani, cess. d. xxx.

Pontianus sed. ann. v, m. ii, d. ii, temp. Alexandri, cess. d. x.

Antheros ann. xii, m. i, d. xii, temporibus Maxim., et Afric. cess. d. xiiii.

Fabianus ann. xiiii, m. xi, d. xi, temporibus Maxim., et Africani, cess. d. vii.

Cornelius ann. iii, m. ii, d. x, temporibus Decii, cess. d. LXVI.

Lucius ann. iii, d. iii, temporibus Galli, et Volusiani, cess. d. xxxv.

Steph. ann. xiiii, m. ii, d. xv, temporibus Gallicani, et Max. cess. d. xxii.

Xistus ann. ii, m. xi, d. vi, temporibus Valeriani, et Decii, cess. d. xxvi.

Dionisius ann. ii, m. iii, d. vii, temporibus gallieni, cess. d. v.

Felix ann. ii, m. x, d. xxv, temporibus claudii, et paterni, cess. d. v.

Euticianus ann. viii, m. x, d. iiii, temporibus aureliani, cess. d. viii.

Gajus ann. xi, m. iiii, d. viiii, temporibus cari, et Carini, cess. d. xi.

Marcellinus ann. viii, m. ii, d. xxii, temporibus Diocletiani, et Max. cess. Episcopatus. ann. vii, m. vi.

Marcellinus ann. v, m. vii, d. xxv, temp. Maxentii, cess. d. xx.

Eusebius ann. ii, m. ii, d. xxv, temporibus constantis, cess. d. vii.

Melchiades ann. iii, m. vii, d. xxii, temporibus volusiani, et ruf. cess. d. xvii.

A Sancto Petro usque ad Beatum silvestrum, ann. ccxc, m. x, d. xii.

Silvester ann. xxiii, m. x, d. xi, temporibus constant., et volusiani, cess. d. xv.

Marcus ann. ii, m. viii, d. xx, temporibus constantini, et nepotiani ac sedi consulum, cess. d. xx.

Julius ann. xi, m. ii, d. v, temporibus constantii fil. constant. cess. d. xxv.

Liberius ann. x, m. iii, d. iiii, temporibus constant. fil. constant. cess. d. vii.

Felix ann. i, m. iii, d. ii, temporibus constant. fil. constant. cess. d. xxxvii.

Damasus ann. xviii, m. ii, d. x, temporibus Juliani, cess. d. xxxi.

Siricius ann. xv, m. xi, d. xxv, cessavit d. xx.

Anastasius ann. ii, q. xxvi, cessavit Episcopatus, d. xxi.

Innocentius ann. xv, m. ii, d. xxi, cess. d. xxiii.

Zosimus ann. i, m. viii, d. xxv, cess. d. xi.

Bonifatius ann. iii, m. v, d. xiii, cess. d. viiii.

Celestinus ann. vii, m. x, d. viiii, cess. d. xxi.

Xistus [III] ann. viii, d. xviiii, cess. d. xxii.

Leo ann. xxi, m. i, d. xxvi, cess. d. vii.

Hilar. ann. vi, m. iii, d. x, cess. d. x.

Simplicius ann. xv, m. i, d. vii, cess. d. vi.

Felix ann. viii, m. xi, d. xvii, temporibus odovacris regis. cess. d. v.

Gelasius ann. iiii. m. viii, d. xviii, temporibus Zenoni augusti, cess. d. viii.

Anastasius ann. i, m. xi, d. xxiv, temporibus theodorici regis, cess. d. iiii.

Simmachus ann. xv, m. viii, d. xxvii, temporibus Anastasii aug. cess. d. vii.

Hormisda, ann. viiii, d. xvii, cess. d. vi.

Johannes ann. ii, m. viii, d. xvii, temporibus justini aug. cess. d. lviii.

Felix ann. iiii, m. ii, d. xiii, temporibus theodorici regis, cess. d. iii.

Bonifatius ann. ii, d. xxvi, temporibus athalar. reg. cess. m. i, d. xv.

Johannes ann. ii, m. iiii, d. vi, temporibus athalar. et justini aug. cess. d. vi.

Agapit. m. xi, d. xviii, cess. d. xxiiii.

Silverius ann. i, m. v, d. vi.

Vigilius ann. xvii, m. vi, d. xxvii, temporibus justiniani aug. cess. m. iii, d. v.

Pelagius ann. xi. m. x, d. xviii, temporibus Narsis patricii, cess. m. ii.

Johannes ann. xii, m. xi, d. xxvi, temporibus justiniani aug. cess. m. x. d. iii.

Benedict. ann. iiii, m. i, d. xxviii, temporibus justiniani. aug. cess. d. x.

Pelagius ann. x, m. ii, d. x, cess. m. vi, d. xxv.

Greg. ann. xiii, m. vi, d, x, temporibus tyberii, maurit. et foc. cess. m. v, d. xviii.

Sabinianus ann. i, m. v, d. viii, cess. m. xi, d. xxvi.

Bonifatius, m. viii, d. xxii, cess. m. x, d. vi.

Bonifatius ann. vi, m. viii, d. xiii, temp. Focii aug. cess. d. xiii.

Deusdedit ann. iii, d. xxiiii, temporibus Eleutherii patricii, cess. d. xiii.

Bonifatius ann. v, d. x, temp. heleuterii pat. cess. d. xiii.

Honorius ann. xii, m, xi. d. xvii, cess. ann. i, m. vii, d. xviii.

Severinus m. ii, d. iiii, cess. m. iiii, d. xxviiii.

Johannes [IV] ann. i, m. viiii, d. xviiii, cess. d. xliiii.

Theodorus ann. vi, m. v, d. xviii, temporibus theodori patric. cess. d. lii.

Martinus ann. vi, m. i, d. xxvi, temporibus olimpii. cubicular. cess. d. xxxvii.

Eugenius ann. vii, m. viiii, d. xiiii, cess. d. LVIIII.

Vitalianus ann. xiiii, m. vi, temporibus constantini aug. cess. m. ii, d. xiii.

Adeodatus ann. iiii, m. ii, d. v, cess. m. iiii, d. xv.

Don. ann. i, m. v, d. x, cess. m. ii, d. xv.

Agatho ann. ii, m. vi, d. iiii, temporibus heraclii et tyberii, cess. ann. i, m. vii, d. v.

Leo [II] m. x, d. xvii, cess. m. ii, d. xv.

Benedictus [II] m. x, d. xii, temporibus constantini princip. cess. m, ii, d. xv.

Johannes [V] an. i, d. viiii, temporibus justiniani aug. cess. m. ii, d. xviii.

Conon. m. xi, temporibus justini, cess. m. ii, d. xxiii.

Sergius ann. xiii, m. viii, d. xxiii, temporibus itini aug. cess. d. L.

Johannes [VI] ann. iii, m. ii, d. xii, temporibus tyberii aug. cess. m. i, d. xviii.

Johannes [VII] ann. ii, m. vii, d. xxii, temporibus tyb. et just. augg. cess. m. iiii.

Sisinnius d. xx, temporibus justini, cess. m. i, d. xxviii.

Constantin. ann. vii, d. xv, temporibus itinn. cess. d. xl.

Greg. ann. xvi, m. viiii, d. xxviiii, temporibus Liutprandi reg. cess. m. ii, d. v.

Greg. ann. x, m. viii, d. xxiiii, temporibus Leoni, et constantin. augg. cess. d. viiii.

Zacharias, ann. x, m. iii, d. xiiii, temporibus, Ratchis regis cess. d. xii.

Stephan. [II] ann. v, d. xxxviiii, temporibus haistulphi reg. cess. d. xxxv.

Paulus ann. x, m. i, temporibus constantin. et Leon. agg. cess. ann. i, m. i.

Steph. [III] ann. iii, m. v, d. xxviii, temporibus desiderii, reg. cess. d. viiii.

Adrianus [I] ann. xxiii, m. x, d. xvii, temporibus Caroli, regis primi.

Leo [III] ann. xx, m. v, d. xvii, hic coronavit Carolum imp. cess. d. x.

Stephan. [IV] m. vii, temporibus Ludovici imperator. cess. d. ii.

Paschal. ann. vii, d. xvii, cess. d. iiii, temporibus hludov. et hlothr. imper.

Eugenius ann. iiii, m. vii, d. xxiii.

Valentinus, m. x, al. d. xl.

Greg. ann. xvi, cess. d. xv.

Sergius ann. iii, temporib. lothar. et ludov. cess. m. ii, d. xv.

Leo [III] ann. viii, m. iii, d. vi, cess. m. ii, d. xv.

Benedt. [III] ann. xx, m. vi, d. viii, temporibus constantin. et herenæ.

Nycol. ann. viiii, m. vi, d. xx.

Adrian. [II] ann. iiii, m. xi, d. xxii.

Johannes [VIII] ann. x, d. ii.

Marin. ann. i, m. v.

Adrian. [III] ann. i, m. iiii.

Steph. ann. vi, d. viiii.

Formos. ann. v, m. vi.

Bonifatius d. xv.

Steph. ann. i, m. i, d. xx.

Roman. ann. iiii, d. xx.

Theodor. d. xx.

Johannes [VIIII] ann. ii, d. xv.

Benedt. [IIII] ann. iiii, m. vi, d. xv.

Leo [V] m. i, d. xxvi.

Christophor. m. vii.

Sergius ann. vii, m. iii, d. xxvi

Anastasius ann. ii, m. ii.

Lando m. vi, d. xxvi.

Johannes [X] ann. xiiii, m. ii, d. iii.

Leo [VI] m. vi, d. xv.

Steph. ann. ii, m. i, d. xv. (*a*)

Marin. ann. iii, m. vi, d. xiii.

Agapitus ann. x, m. vii, d. x.

Johannes [XII] ann. viiii, m. iii.

Benedict. [V] m. ii, d. v.

Leo [VIII] ann. i, m. viii. (*b*)

Johannes [XIII] ann. vi, m. xi, d. v.

Benedict. [VI] ann. ii, m. vi.

Domn. ann. i, m. vi.

Bonifatius m. i, d. xii. (*c*)

Benedict. [VII] ann. viiii.

(*a*) Addendi hic sunt tres pontifices in Codice Farfensi omissi : Joannes XI, Leo VII, Stephanus IX.

(*b*) Leo dictus VIII, antipapa intrusus ab Henrico.

(*c*) Bonifacius iste pariter intrusus.

REGESTUM GREGORII CATINENSIS

SIVE

Chronicon, a Gregorio Catinensi, monacho ejusdem sacri cœnobii Farfensis, collectum ex diplomatibus pontificum Romanorum, imperatorum, regum Langobardorum, ducum, comitum aliisque publicis tabulis, ibi asservatis ex anno Christi 661 *ad annum* 1098, *in quo apparet series pontificum Ramanorum, imperatorum, regum, ducum, etc., necnon ejusdem cœnobii abbatum, per singulos annos æræ Christi distinctum, cum notis indictionum.*

(Ex codice archivi Farfensis, scripto circa fin. sæc. XI.)

Ann. D.	*Ind.*	
DCLXI	IIII	Eugenius Pp.
DCLXII	V	

Ann. D.	*Ind.*	
DCLXIII	VI	Vitalian. Pp.
DCLXIIII	VII	

Ann. D.	*Ind.*	
DCLXV	VIII	
DCLXVI	VIIII	
DCLXVII	X	
DCLXVIII	XI	
DCLXVIIII	XII	Constantin. imper. ϑ Constantin. imper.
DCLXX	XIII	
DCLXXI	XIIII	
DCLXXII	XV	
DCLXXIII	I	
DCLXXIIII	II	
DCLXXV	III	
DCLXXVI	IIII	
DCLXXVII	V	Adeodatus Pp.
DCLXXVIII	VI	
DCLXXVIIII	VII	
DCLXXX	VIII	SCS THOMAS ABB.
DCLXXXI	VIIII	Donus. Pp.
DCLXXXII	X	Agatho Pp.
DCLXXXIII	XI	Leo II Pp.
DCLXXXIIII	XII	
DCLXXXV	XIII	Bened. Pp. II. Sarraceni Carthaginem ceperunt.
DCLXXXVI	XIIII	Johs. V. Pp. Justinian. aug.
DCLXXXVII	XV	Conon. Pp.
DCLXXXVIII	I	Sergius Pp. I.
DCLXXXVIIII	II	
DCXC	III	
DCXCI	IIII	Transmund. dux pat. farualdi.
DCXCII	V	
DCXCIII	VI	
DCXCIIII	VII	
DCXCV	VIII	Leo imper.
DCXCVI	VIIII	
DCXCVII	X	
DCXCVIII	XI	Tyberius aug.
DCXCVIIII	XII	
DCC	XIII	
DCCI	XIIII	
DCCII	XV	Johann. VI. Pp.
DCCIII	I	Faroaldus Dux.
DCCIIII	II	
DCCV	III	
DCCVI	IIII	
DCCVII	V	Johann. Pp. Justinian. imp.
DCCVIII	VI	Sisinn. Pp. Constantin. Pp.
DCCVIIII	VII	
DCCX	VIII	
DCCXI	VIIII	
DCCXII	X	Justinian. imp. ϑ. Philippic. imper.
DCCXIII	XI	Liutprand. rex. Anast. imp.
DCCXIIII	XII	
DCCXV	XIII	Greg. II. Pp.
DCCXVI	XIIII	Haunept. abb. Luna cruentata est.

A	*Ann. D.*	*Ind.*	
	DCCXVII	XV	Fluvius Tiberis intumu dies viii
	DCCXVIII	I	Theodosius imper.
	DCCXVIIII	II	Leo aug.
	DCCXX	III	
	DCCXXI	IV	Constantin. imper.
	DCCXXII	V	
	DCCXXIII	VI	
	DCCXXIV	VII	Lucerius Abb. Transim dux Filius Faroaldi.
	DCCXXV	VIII	
	DCCXXVI	IX	
	DCCXXVII	X	
	DCCXXVIII	XI	
B	DCCXXVIIII	XII	
	DCCXXX	XIII	Leo imper. imagines sa rum incendit.
	DCCXXXI.	XIV	
	DCCXXXII	XV	Greg. III. Pp.
	DCCXXXIII	I	
	DCCXXXIV	II	
	DCCXXXV	III	Cœnobium Dom. Salvat. ficat. in letan.
	DCCXXXVI	IV	
	DCCXXXVII	V	
	DCCXXXVIII	VI	
	DCCXXXIX	VII	
	DCCXL	VIII	Fulco ald. abb.
	DCCXLI	IX	
C	DCCXLII	X	Zachar. Pp.
	DCCXLIII	XI	Luitprand. rex. ϑ
	DCCXLIV	XII	
	DCCXLV	XIII	Ratchis. rex.
	DCCXLVI	XIV	Lupo. dux.
	DCCXLVII	XV	
	DCCXLVIII	I	
	DCCXLIX	II	Haistulph. rex.
	DCCL	II	
	DCCLI	IV	Leo imper.
	DCCLII	V	Steph. II. PP.
	DCCLIII	VI	
	DCCLIV	VII	
	DCCLV	VIII	
	DCCLVI	IX	
D	DCCLVII	X	Desider. rex Albuin. Paul. Pp.
	DCCLVIII	XI	
	DCCLIX	XII	Guandelpt. abb. Steph. II
	DCCLX	XIII	Adelch. rex. Gisulphus. Spol.
	DCCLXI	XIV	Halan. Abb.
	DCCLXII	XV	
	DCCLXIII	I	Theodicus dux
	DCCLXIV	II	Ab initio mundi. a. v. cc Lxviiii. *diversa manus*
	DCCLXV	III	
	DCCLXVI	IV	
	DCCLXVII	V	

Ann. D	*Ind.*	
DCCLXVIII	VI	Stephan. III. Pp.
DCCLXIX	VII	Pipin. I. rex. ⊖.
DCCLXX	VIII	Probat. abb.
DCCLXXI	IX	
DCCLXXII	X	Adrian. Pp. I.
DCCLXXIII	XI	
DCCLXXIV	XII	Karol. rex. hildebrand. dux.
DCCLXXV	XIII	
DCCLXXVI	XIIII	
DCCLXXVII	XV	
DCCLXXVIII	I	
DCCLXXIX	II	
DCCLXXX	III	
DCCLXXXI	IV	Pipin. II. rex. Ragabald. abb.
DCCLXXXII	V	
DCCLXXXIII	VI	
DCCLXXXIV	VII	
DCCLXXXV	VIII	
DCCLXXXVI	IX	Altpt. I. abb.
DCCLXXXVII	X	
DCCLXXXVIII	XI	
DCCLXXXIX	XII	Guinich. dux.
DCCXC	XIII	Mauroald. abb.
DCCXCI	XIV	
DCCXCII	XV	
DCCXCIII	I	
DCCXCIV	II	
DCCXCV	III	
DCCXCVI	IV	Leo III. Pp.
DCCXCVII	V	Inundatio aq. fit Romæ in via Lata. ad II. staturam.
DCCXCVIII	VI	
DCCXCIX	VII	
DCCC	VIII	
DCCCI	IX	Karol. II. imper. Terræmot. magn. fit.
DCCCII	X	Bend. Abb.
DCCCIII	XI	
DCCCIV	XII	
DCCCV	XIII	
DCCCVI	XIV	Roman. dux.
DCCCVII	XV	
DCCCVIII	I	
DCCCIX	II	Defectio sol. fit. ab. hor. iii. usq. vi.
DCCCX	III	
DCCCXI	IV	
DCCCXII	V	
DCCCXIII	VI	Ludovicus I. imper. Bernard. rex.
DCCCXIV	VII	Guinich. dux. Kar. imp. ⊖.
DCCCXV	VIII	
DCCCXVI	IX	Ingoald. abb. Gerard. dux.
DCCCXVII	X	Steph. IV. Pp. Paschal. Pp.
DCCCXVIII	XI	Lothar. imper.
DCCCXIX	XII	
DCCCXX	XIII	Eugenius Pp.
DCCCXXI	XIV	

Ann. D.	*Ind.*	
DCCCXXII	XV	
DCCCXXIII	I	Eugenius Pp.
DCCCXXIV	II	
DCCCXXV	III	
DCCCXXVI	IV	Valentin. Greg. Pp.
DCCCXXVII	V	
DCCCXXVIII	VI	
DCCCXXIX	VII	
DCCCXXX	VIII	
DCCCXXXI	IX	
DCCCXXXII	X	Sichard. abb.
DCCCXXXIII	XI	
DCCCXXXIV	XII	Escroton. et Gerard. comites.
DCCCXXXV	XIII	
DCCCXXXVI	XIV	Berengar. dux.
DCCCXXXVII	XV	
DCCCXXXVIII	I	*Sergius Pp.* [III.]
DCCCXXXIX	II	
DCCCXL	III	*Leo Pp.* (IV.)
DCCCXLI	IV	Sergius Pp. (III.)
DCCCXLII	V	
DCCCXLIII	VI	Leo Pp. (IIII.
DCCCXLIV	VII	
DCCCXLV	VIII	Ecclesiæ apostolor. Petri, et P. devastantur.
DCCCXLVI	IX	
DCCCXLVII	X	Hilder. abb. Bened. Pp. [III.]
DCCCXLLIII	XI	
DCCCXLIX	XII	
DCCCL	XIII	Ludovic. [II]. imper.
DCCCLI	XIV	
DCCCLII	XV	
DCCCLIIS	I	
DCCCLIV	II	
DCCCLV	III	
DCCCLVI	IV	
DCCCLVII	V	Petro abb.
DCCCLVIII	VI	
DCCCLIX	VII	
DCCCLX	VIII	
DCCCLXI	IX	
DCCCLXII	X	
DCCCLXIII	XI	
DCCCLXIV	XII	
DCCCLXV	XIII	Nycol. Pp.
DCCCLXVI	XIV	
DCCCLXVII	XV	Dom. hludovicus imp. venit in hoc monasterium.
DCCCLXVIII	I	
DCCCLXIX	II	
DCCCLXX	III	
DCCCLXXI	IV	Adrian. [II.] Pp.
DCCCLXXII	V	Johann. abb.
DCCCLXXIII	VI	
DCCCLXXIV	VII	Johann. [VIII.] Pp.
DCCCLXXV	VII	
DCCCLXXVI	IX	Karol. [II.] imper
DCCCLXXVII	X	

Ann. D	*Ind.*	
DCCCLXXVIII	XI	Carol. [III.] mann. imper.
DCCCLXXIX	XII	
DCCCLXXX	XIII	
DCCCLXXXI	XIIII	Anselm. abb. Kar. IIII. imp.
DCCCLXXXII	XV	
DCCCLXXXIII	I	Teuto abb. Marinus Pp.
DCCCLXXXIV	II	Adrian. [II.] Pp.
DCCCLXXXV	III	Steph. [V.] Pp.
DCCCLXXXVI	IV	
DCCCLXXXVII	V	
DCCCLXXXVIII	VI	Nordebert. abb. Spent. abb.
DCCCLXXXIX	VII	Vital. abb.
DCCCXC	VIII	Petrus abb.
DCCCXCI	IX	Guido imper. Monasterium Salvatoris a paganis incenditur.
DCCCXCII	X	Formos. Pp. Lambert. imp.
DCCCXCIII	XI	
DCCCXCIV	XII	Guido imper. Θ.
DCCCXCV	XIII	Bonif. (VI.) Pp. Stephanus (VI.) Pp.
DCCCXCVI	XIV	Arnulfus rex romā venit.
DCCCXCVII	XV	Roman. Pp. Theod. Pp.
DCCCXCVIII	I	. . . Johann. (VIII.) Pp.
DCCCXCIX	II	Benedict. Pp.
DCCCC	III	
DCCCCI	IV	Leo Pp. [IV.] Xpophor. Pp.
DCCCCII	V	Serg. Pp. [III.]
DCCCCIII	VI	
DCCCCIV	VII	
DCCCCV	VIII	
DCCCCVI	IX	. . . . *Anastasius Pp. literæ hinc abrasæ vestigium reliquerunt.*
DCCCCVII	X	
DCCCCVIII	XI	Anastas. (III.) Pp. Lando Pp.
DCCCCIX	XII	
DCCCCX	XIII	Johann. X. Pp.
DCCCCXI	XIV	
DCCCCXII	XV	
DCCCCXIII	I	
DCCCCXIV	II	
DCCCCXV	III	
DCCCCXVI	IV	Impius. imper.
DCCCCXVII	V	Berengar.
DCCCCXVIII	VI	
DCCCCXIX	VII	Johann. abb.
DCCCCXX	VIII	Rimo abb.
DCCCCXXI	IX	
DCCCCXXII	X	Leo (VI.) Pp.
DCCCCXXIII	XI	
DCCCCXXIV	XII	
DCCCCXXV	XIII	Steph. (VII.) Pp.
DCCCCXXVI	XIV	
DCCCCXXVII	XV	Hugo rex.
DCCCCXXVIIII	I	Jobs Pp. [XI.]
DCCCCXXVIII	II	
DCCCCXXX	III	Ratfred. abb.

A	*Ann. D.*	*Ind.*	
	DCCCCXXXI	IIII	Theobaldus dux.
	DCCCCXXXII	V	Hlotar. reg. fil. hugon.
	DCCCCXXXIII	VI	Leo (VII.) Pp.
	DCCCCXXXIIII	VII	
	DCCCCXXXV	VIII	
	DCCCCXXXVI	VIIII	Campo abb.
	DCCCCXXXVII	X	Steph. (VIII.) Pp.
	DCCCCXXXVIII	XI	
	DCCCCXXXVIIII	XII	Hildeprid. abb.
	DCCCCXL	XIII	Eclipsis. sol. fit. Ansearius march. Θ.
	DCCCCXLI	XIIII	
	DCCCCXLII	XV	Marin. Pp. [II.] Otto rex venit italiam.
B	DCCCCXLIII	I	Sarilo abb.
	DCCCCXLIV	II	Nix grandis cecidit. XII. K. martii.
	DCCCCXLV	III	Agapitus Pp. [II].
	DCCCCXLVI	IIII	Bonifatius, et Tebald. duces.
	DCCCCXLVII	V	Hugo rex Θ.
	DCCCCXLVIII	VI	Dagobert abb.
	DCCCCXLIX	VII	
	DCCCCL	VIII	
	DCCCLI	VIIII	Otto rex venit italiam.
	DCCCCLII	X	Berengarius, et adelbertus reg.
	DCCCCLIII	XI	Johs [XII.] Pp.
	DCCCCLIIII	XII	Albericus princeps romæ.
C	DCCCCLV	XIII	
	DCCCCLVI	XIIII	
	DCCCCLVII	XV	
	DCCCCLVIII	I	
	DCCCCLIX	II	
	DCCCCLX	III	
	DCCCCLXI	IIII	
	DCCCCLXII	V	Otto rex coronatus est romæ a Johe Pp.
	DCCCCLXIII	VI	Leo [VIII.] Pp. * Bend. Pp. * *Imo Leo pseudo papa.*
	DCCCCLXIV	VII	
	DCCCCLXV	VIII	Johs (VIII.) Pp.
	DCCCCLXVI	VIIII	Johs abb.
	DCCCCLXVII	X	Hodelricus recessit. Johs abb. fit.
D	DCCCCLXVIII	XI	Otto II. imper. Sol. defecit hor. III. XIIII. K. Aug.
	DCCCCLXIX	XII	Sol fuit in tenebris. mens. Decemb. die XXII.
	DCCCCLXX	XIII	
	DCCCCLXXI	XIIII	Bened. P. *Vestigia erasi nominis apparent referendi post Dominum, ubi tamen omittitur.*
	DCCCCLXXII	XV	Domn. Hugo abb. nascit. m. ap.
	DCCCCLXXIII	I	Theophanes imper.
	DCCCCLXXIV	II	Ecclesia Dom. Salvatoris ædi-

Ann. D.	*Ind.*	
		ficatur in bojano. Donus Pp.
DCCCCLXXV	III	Bereng. imp. * Bonifatius Pp. [VII.]
		* *Imo invasor apostolicæ sedis. Vide Baron. ad ann.* 974.
DCCCCLXXVI	IIII	Bened. (VI.) Pp. *imo* [VII.]
DCCCCLXXVII	V	
DCCCCLXXVIII	VI	
DCCCCLXXIX	VII	
DCCCCLXXX	VIII	
DCCCCLXXXI	VIIII	
DCCCCLXXXII	X	
DCCCCLXXXIII	XI	
DCCCCLXXXIV	XII	
DCCCCLXXXV	XIII	Otto [III.] rex. Johs. (XIV.) Pp.
DCCCCLXXXVI	XIIII	Johan. (XV.) Pp. Hugo abb. ingreditur monaster. S. bric.
DCCCCLXXXVII	XV	Bonifatius Pp. * *Imo invasor iterum sedis apost. Vide Baron. ad ann.* 985,
DCCCCLXXXVIII	I	Johann. (XVI.) Pp,
DCCCCLXXXIX	II	
DCCCCXC	III	
DCCCCXCI	IV	
DCCCCXCII	V	
DCCCCXCIII	VI	
DCCCCXCIV	VII	
DCCCCXCV	VIII	
DCCCCXCVI	IX	Otton. (III.) imper.
DCCCCXCVII	X	Albericus abb. Greg. Pp.
DCCCCXCVIII	XI	DOM. HVGO ABB
DCCCCXCIX	XII	Silvester [II.] Pp.
MILLESIMO	XIII	
MI	XIV	Otto imper. ⊖. Landuinus abb.
MII	XV	
MIII	I	Henricus rex. Johan. (XVIII.) Pp.
MIV	II	Johan. (XIX.) Pp. Henricus Romæ coronatur,
MV	III	
MVI	IV	
MVII	V	
MVIII	VI	
MIX	VII	Guido (I.) abb.
MX	VIII	Sergius [IV.] Pp,
MXI	IX	
MXII	X	Benedict. [VII.] Pp.
MXIII	XI	
MXIV	XII	Henricus (I.) imper. Hugo abb. reordinatur secundo.
MXV	XIII	
MXVI	XIV	
MXVII	XV	

	Ann. d.	*Ind.*	
A	MXVIII	I	
	MXIX	II	
	MXX	III	
	MXXI	IV	
	MXXII	V	
	MXXIII	VI	
	MXXIV	VII	Johann. (XX.) Pp,
	MXXV	VIII	Chuonradus rex,
	MXXVI	IX	
	MXXVII	X	* Conon imp. Guido abb. * *Ita legitur. Sed fortasse legendum Cuonradus.*
	MXXVIII	XI	
	MXXIX	XII	
B	MXXX	XIII	
	MXXXI	XIV	
	MXXXII	XV	
	MXXXIII	I	Benedict. [VIII.] Pp.
	MXXXIV	II	Sol obscuratur hora VI,
	MXXXV	III	
	MXXXVI	IV	Hugo abb. reordinatur v. id. Junii
	MXXXVII	V	Chuonrad. imper.
	MXXXVIII	VI	Guido (II.) abb. ϑ.
	MXXXIX	VII	Hugo abb. ϑ. Suppo abb.
	MXL	VIII	Henric. (III.) rex. Almer. abb.
	MXLI	IX	
	MXLII	X	
C	MXLIII	XI	Silvester Pp. (III.) *Schism. Vide Baron. ad ann.* 1044,
	MXLIV	XII	Gregorius (VI.) Pp. Henricus (II.) imper.
	MXLV	XIII	
	MXLVI	XIV	Suppo abb. ϑ. Clemens (II.)
	MXLVII	XV	Pp.
	MXLVIII	I	DOM. BER. ABB. Bened. Pp,
	MXLIX	II	Damasus Pp.
	ML	III	Leo Pp. [VIII.]
	MLI	IV	
	MLII	V	
	MLIII	VI	
	MLIV	VII	Leo Pp. ϑ
	MLV	VIII	
	MLVI	IX	Henricus imper. ϑ,
D	MLVII	X	Victor. [II.] Pp. ϑ.
	MLVIII	XI	Steph. [VIII]. Pp. Baron. (X.) Bened. [X.] Pp. * * *Imo intrusus. Vide Baron. ad ann.* 1058.
	MLIX	XII	Nycol. [II.] Pp.
	MLX	XIII	
	MLXI	XIV	Alexand. (II.) Pp.
	MLXII	XV	
	MLXII	I	
	MLXIV	II	
	MLXV	III	
	MLXVI	IV	
	MLXVII	V	

Ann. D.	*Ind.*	
MLXVIII	VI	
MLXIX	VII	
MLXX	VIII	
MLXXI	IX	
MLXXII	X	
MLXXIII	XI	
MLXXIV	XII	Greg. [VII.] Pp.
MLXXV	XIII	
MLXXVI	XIV	
MLXXVII	XV	
MLXXVIII	I	
MLXXIX	II	
MLXXX	III	
MVXXXI	IV	
MLXXXII	V	Henricus (IV.) rex ad hoc monast. primo venit.
MLXXXIII	VI	* Clemens (III.) Pp. Heinricus imper. * *Schism. Is est Guibertu antipapa.*
MLXXXIV	VII	
MLXXXV	VIII	Fames valida fuit.
MLXXXVI	IX	
MLXXXVII	X	
MLXXXVIII	XI	DOM. BER. SS. I. ABB. Rainl. abb.
MLXXXIX	XII	Bern. (II.) abb.
MXC	XIII	
MXCI	XIV	
MXCII	XV	
MXCIII	I	
MXCIV	II	
MXCV	III	Lunæ obscuratio VIII. K. Mart. Stellarumque occasio II. non ap.
MXCVI	IV	
MXCVII	V	Hierosolim. VI. K. Octob. recuperat, est a Christianis. Columæ plurimæ ab occidente in orientem pergere visæ sunt Ber. (II.) abb.
MXCVIII	VI	
MXCIX	VII	

FRANCISCI BLANCHINI

PRÆMONITUM AD DUO SEQUENTIA OPUSCULA.

Duo proxima opuscula, Vitas pontificum, uti spero, illustrabunt non uno in loco. Cum enim observatum sit earumdem Vitarum scriptores, præsertim antiquiores, consuevisse, pro more Actorum publicorum non modo tempora singulorum diligenter enumerare per consulatus, sed etiam loca adnotare ubi eorumdem Vitæ exordium contigit, et ubi actus supremi atque officia peracta sunt; eaque loca idcirco notabilia iisdem visa fuerint ac posteris indicanda, suscepti operis ratio videtur a nobis postulare post ea præsidia comparata quæ ad chronologiam referuntur, ut etiam de topographia hujus historiæ dilucidanda cogitemus. Porro in singulis propemodum Vitis recensetur locus natalium et locus depositionis. Si autem is Romæ sit natus qui subinde Petri cathedram hic est assecutus, solet biographus regionis quoque nomen apponere, et quandoque partem regionis illustrem aliqua peculiari nuncupatione proferre. Neque minor est diligentia scriptoris in loco depositionis indicando. Memorat enim cœmeterium, basilicam aut titulum, ubi quod mortale illius pontificis fuerat sepeliebatur. Ne igitur ad singulas Vitas iterare cogamur expositionem regionis aut cœmeterii sic indicati, compendiosius esse duximus proferre duo opuscula, hanc topographiam nonnihil declaratura. Antiquitatis laus utrique conciliat auctoritatem, et designat partes Urbis, aut suburbani agri, de quibus agitur in recensione regionis aut cœmeterii, cum per ætatem illorum opusculorum, compluribus ante nos sæculis conscriptorum, nondum excidissent parietinæ eorumdem ædificiorum, quæ postmodum diruta, ac ferme solo æquata sunt, nec viarum ductus et regionum discrimina novis constructionibus variata reddidissent ea nomina posteris obscurtora.

Primum igitur ex hisce opusculis topographicis protulit ex codice membranaceo noni sæculi, reperto in bibliotheca Einsidlensis monasterii, R. P. Joan. Mabillonius, et retulit inter Vetera Analecta, tomi quarti pag. 506, cui titulus merito ascriptus fuit: *Descriptio regionum Urbis.* Est enim ordinata quædam enumeratio ædificiorum præcipuorum vel intra ambitum Urbis Romæ, vel extra Urbem, dextra lævaque spectabilium in progressu ex aliqua Urbis porta adcertum terminum viatori constitutum. Post eas descriptiones regionum Urbis, quas sæculo Valentiniani et Valentis concinnarunt Publicus Victor, et Sextus Rufus, illam ab Aldo Manuccio, hanc a Panvinio nostro primum editas, nullam hac vestustiorem mihi contigit observare. Quanto autem bono veteris historiæ et rei antiquariæ illæ productæ fuerint, declarat Panvinius in præfatione ad P. Victorem ita perscribens:

« Hic unus libellus est, cujus potissimum ope omnes qui hactenus de Urbis Romæ antiquitate scripserunt mirum in modum sublevati sunt. Cujus etiam vel male intellecti vel concisi occasione mul-

tos passim errores in universa Romana antiquitate commiserunt. »

Par certe utilitas atque ubertas non est illarum vetustiorum descriptionum Rufi et Victoris sub Valentiniano, Urbe nondum a Gothis diruta, ac istius Anonymi, quem scripsisse intelligimus post clades plurimas Romæ a barbaris illatas. Nam octavo circiter vel nono æræ Christianæ sæculo hanc esse tribuendam constat, cum posterior sit ætate Belisarii ; quippe cum in ea memorentur *molinæ* (pag. 509 edit. Mabill.) seu molendinaria, et vetustior esse videatur Leone IV ejusque de nomine appellatæ Urbis Leoninæ ambitu, quo Vaticanam basilicam eique adjacentia prædia providus ille pontifex tutatus est adversus frequentes incursus Saracenorum : nemo non intelligit hanc ita longe ab illis distare, ut ne conferri quidem possit. Rufi enim et Victoris plena est recensio, elegans, castigata, singulis in regionibus enumerans vicos, ædiculas, templa, lacus, balinea, thermas, ædificia denique memoratu digna, tam publica quam privata. At hæc descriptio jejunior paucas admodum indicationes insignium monimentorum percenset. Redditur attamen utilis ordinata illa, licet parca indicatione locorum, juxta viæ ductum dextra lævaque sequentium, et obversantium ei qui aliqua ex porta Urbis procedat ad aliam, vel ad certum viæ suæ terminum intra vel extra Urbem ; in ejusmodi progressionum titulis indicatum.

Utinam ad nos pervenisset minus abrupta et minus confusa hæc qualiscunque percensio. Nosceremus saltem vestigium aliquod viarum omnium præcipuarum, quæ in Urbe frequentabantur post clades Gothicas et Vandalicas, ac direptiones Langobardorum et Saracenorum. At malo litterarum fato contigit ut collectio ista ab auctore scriberetur negligenter, more adversariorum aut schedarum memoriæ tantum causa, ut casus obtulit, dietim relatarum in codicem, dum ipse modo ex una, modo ex alia Urbis porta (quod hospites ac peregrini solent) ad aliquem terminum, suo itineri sive ex condicto constitutum, sive forte fortuna oblatum procederet, observans in via quæ ipsi observarentur notatu digna. Accessit iisdem schedis, ita perfunctorie exaratis, ut dextra pro sinistris quandoque enuntient, nova perturbatio, a compactori negligentia, aut supinitate, ut arbitror, profecta. Membranas enim illas, duplici columna versuum in singulis foliis distinctas (uti apparet ex dimidiatis dictionibus in aliquo versu expressis per litteras capitales, quibus respondent syllabæ ac litteræ eamdem dictionem complentes et columnam proximam ejusdem paginæ occupantes, illique jungendæ) secuit aliquis in partes duas, atque ita compegit, quasi columnæ consequerentur, non cohærerent. Ejusmodi tamen damnum reparare non fuit difficile, cum dictiones ipsæ consecuturas syllabas demonstrarent, uti observare poterit quisquis editionis Mabillonianæ paginas ita contulerit, uti nos præstitisse cognoscet. Exempli causa postremus versus pag. 507 edit. Mabillonii prosequentibus iter a porta Flaminia intra Urbem ad lævam indicat sequentes versus pag. 508, et cum eis titulum *S. Silvestri* (in capite nunc appellatum) *et sic per porticum usque Columnam AR* (lege AN) ; mox eadem via Flaminia intra urbem progressis sinistrorsum pariter offertur *Forma Virginis* (aquæ scilicet Virginis) *fracta,* deinde *Sancti Marcelli* titulus. *Iterum per porticum usque ad Apostolos.* Quis itaque non videat hanc recensionem ædificiorum ad sinistram constitutorum ejus, qui a Porta Flaminia ad sanctos duodecim apostolos via Flaminia [hodie Curriculari dicta] intra Urbem procedat, jungendam esse alteri sectioni, ea quæ dextrorsum visuntur eamdem via demonstranti pag. 508, sed peturbato ordine postpositæ et ita perscriptæ ?

Via Lateranense
Sancti Laurentii in Lucina
TONINI. Obeliscum
Columna Antonini

Unde colligitur versus præcedentes pag. 507 cum his consequentibus et postpositis pag. 508 ita esse jungendos

A Porta Flaminia usque via Lateranense

In Sinistra Pariturrium	Sancti Laurentii in Lucina In dextr
Sancti Silvestri et sic per porticum usque columnam ANTONINI.	Obeliscum
Sancti Marcelli. Iterum per porticum usque ad Apostolos	Columna Antonini
	Via Lateranense

Indicat vero itinerarium Anonymi se in porta Flaminia constitutum, et pergentem recta usque ad titulos sancti Marcelli et sanctorum duodecim apostolorum, sinistrorsum quidem vidisse *Pariturium* (alii legendum putant *Periturrium,* hoc est ambitum turrium 29 a porta Flaminia ad Pincianam, in mœnibus et clivo conspicuarum, quas enumerat pag. 514) ; deinde titulum *sancti Silvestri,* unde *per porticum* (ex iis quæ supererant in Campo Martio) *usque ad Columnam ANTONINI* (nempe ad Cochlidem M. Aurelii Antonini) progressum in sinistra pertransisse titulum *sancti Marcelli,* et *iterum per porticum* ad titulum *SS. apostolorum* pervenisse, et ad *Viam Lateranensem,* quæ (uti ex titulo sectionis apparet) fuerat constituta hujus itineris meta.

Dextrorsum vero constat adnotasse titulum sancti *Laurentii in Lucina,* deinde *obeliscum,* nempe obeliscum insignem Campi Martii, nostra etiam ætate jacentem prope eumdem titulum, cujus pars maxima etiamnum visitur in cella vinaria domus privatæ, et a Nardino describitur lib. VI, cap. 6, pag. 354, memorante prope hunc obeliscum, loco styli erectum

Augusto in Campo Martio, uti Plinius narrat, lib. A xxxvi, cap. 9, ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium magnitudinem in sciaterico horoligio horizontali indicandam, reperta fuisse fragmenta ænea deaurata regularum horas et umbram denotantium. Post obeliscum dextrorsum occurrebat *columna Antonini,* alia scilicet columna, quæ ibidem perstitit erecta in clivo *Citorio* vulgo dicto usque ad annum 1702, cum detegeretur ex stylobate atque inscriptione, celebrem illam esse, Antonino Pio dedicatam in ejus apotheosi, atque in numismatibus expressam : et idcirco transferretur ad ornatum fori proximi ante palatium juridicundo et publicis tabulariis asservandis nuper constructum. Post eam Columnam Antonini Pii pertingimus ad viam Lateranensem, eam scilicet quæ inde perducit B ad Lateranum, dextrorsum flectendo per loca in proximis versibus ita recensita :

Thermæ Alexandrinæ
Sancti Eustachii, et rotunda
Thermæ Commodianæ
Minervium, et ad S. Marcum :

Descriptor Itinerarii, cum ex porta Flaminia ad viam Lateranensem nos perducens dextra lævaque potiora ædificia recensuisset ; iterum sistit in porta ; et converso itinere foris muros, hæc addit :

In Via Flaminea foris murum
In Dextera Sancti Valentini
In Sinistra Tiberis.

Hac igitur observatione adhibita, sectiones transpositæ hujus itinerarii ad suum ordinem rediguntur, C ac sejunctis partibus connectuntur. Si membranæ istæ Einsidlenses fuissent integræ, satis commodam Urbis ichnographiam haberemus, et cœmeteriorum catalogum topographicum pleniorem. Verum ex portarum enumeratione quam exhibet, apparet complures sectiones desiderari. Præstat attamen illius ætatis documenta quælibet, licet detruncata producere, quam iis omnino fraudare historiam Anastasii.

Addam quoque veritatis auctoramentum, ex perturbata ratione sectionum Itinerarii, necnon ex ejusdem erratis capiendum. Observari velim hujus Itinerarii auctorem in singulis portis Romæ consistere atque iter dirigere vel ab una Urbis porta ad aliam, vel a porta ad Forum, uti ex titulis sectionum constat. Consilium illi fuerat, quod sæpe dixi, observatu digniora ad sinistram sita in una columna disponere, præfixa litera *S,* sinistri lateris indice, vel extensa integra dictione *in sinistra* ; necnon dextrorsum posita in alia columna collocare, cui littera *D* significans dexterum latus progredientis, vel extensa dictio, *in dextera* præfigeretur. Mirum dictu est, anonymum nostrum aliquando easdem siglas D et S permutasse, et ea quæ ad dexteram obversarentur, pro sinistris negligenter obtrudere ; aut e converso quæ ad lævam viderat, dextera inscripsisse in suis adversariis. Hæc nempe ostendunt quanto faciliori lapsu hospites illius ætatis non admodum cultæ peccare potuerint in describendis epigrammatibus antiquis, eorumque numeris chronologiæ indicibus ex autographis Catalogis basilicarum, ex arcubus et monumentis principum ac magistratuum, qui poterant integrum viæ ductum mendos reddere sinistrum ex dextero. Quare non injuria censui in his fidendum esse potius lectioni codicum positorum in bibliothecis Urbis proximis, et cum autographis monumentis sæpe collatæ, quam cæteris ab Italia longe remotis, quorum textus cum autographis conferre vix ille potuit, qui raptim ea describebat more itinerantis, non satis eruditi, aut moræ impatientis, ut reditum maturaret.

His præmonitus Lector permittet ut schedas Einsidlenses, earumque sectiones tali ordine disponam, qui methodum Itinerarii reddat, citra ullam verborum aut versuum detruncationem, servatis dictionibus singulis editionis Mabillonianæ, cujus folia dextra lævaque (ubi componenda sunt) appositis numeris indicanda curavi.

DESCRIPTIO [a] REGIONUM URBIS

SIVE

ANONYMI ITINERARIUM PER URBEM, ET CIRCA URBEM,

Cum indicationibus observabilium ædificiorum, ibidem superstitum circa octavum Christi sæculum

Ex pag. 514 *editionis Mabillonianæ præmittitur enumeratio portarum Urbis, ejusque murorum ambitus ac descriptio.*

A porta sancti Petri *(b)* cum ipsa porta, usque portam Flamineam turres XVI propugnacula DCCLXXXII, posternas I'I, necessarias IIII. Fenestræ majores forinsecus CVII, minores LXVI. D

A porta Flaminia cum ipsa porta usque ad portam Pincianam clausam, turres XXVIIII, propugnacula DCXLIIII, necess.III, fenestræ majores forins. LXXV, minores CXVII.

A porta Pinciana clausa cum ipsa porta usque ad **portam Salariam**, turres XXII, propugnacula CCLXVI, necess. XLII, fenest. major. forins. CC, minores CLX.

A porta Salaria cum ipsa porta usque Nomentanam, turres X, propugnacula CXCVIIII, necess. II, fenest. major. forinsecus LXXI, min. LXV.

A porta Nomentana cum ipsa porta usque Tiburtinam, turres LVII, propugnacula DCCCVI, necess. II, fenest. major. forinsecus CCXIIII, min. CC.

A porta Tiburtina cum ipsa porta usque ad Prænestinam, turres XVIIII, propugnacula cum porta Prænestina CCCIII, necess. I. fen. major. forins. LXXX, minor. CVIII.

A porta Prænestina usque Asinariam, turres XXVI, propugnacula DIIII, nec. VI fenest. major. forins, CLXXX, minor. CL.

A porta Asinaria usque Metroviam, turres XX, propugnacula CCCXLII, nec. IIII, fenest. major. forins. CXXX, minor. CLXXX.

A porta Metrovia (*c*) usque Latinam, turres XX, propugnacula CCXIIII, nec. XVII, fenest. major. forins. C, minor. CLXXXIII.

A porta Latina usque ad Appiam, turres XII, propugnacula CLXXIIII, neces. VI, fen. major. forins. LXXX, minor. LXXXV.

A porta Appia usque ad Ostensem, turres XLVIIII, propugnacula DCXV, nec. XXIIII, fen. major. forins. CCCXXX, minor. CCLXXXIIII.

A porta Ostense (*d*) usque ad Tiberim, turres XXXV, propugnacula DCCXXXIII, neces. XVII, fenest. major. forins. CCCXXXVIII, minor CCXI.

A flumine Tiberii usque ad portam Portensem, turres IIII. oropugnacula LVIIII, fenest. major. forins. X, minor. XV.

A porta Portense usque Aureliam, turres XXVIIII, propugnacula CCCC, neces. II, fen. major. forins. CXXVII. min. CLXIII,

A porta Aurelia usque Tiberim, turres XXIIII, propugnacula CCCXXVII, neces. XI, fen. major. forins. CLX, min. CXXXI.

A flumine Tiberii usque ad portam sancti Petri turres VIIII, propugnacula CCCLXXXVIIII, fen. major. forins. XXI, et minor. VII, posternæ II.

Portu Sancti Petriin Hadrianio.

Sunt turres VI, propugnacula CVXIIII, fen. major. forins. XIIII, min. XVIIII.

Sunt simul turres CCCLXXXIII, prspugnacula VII. XX, Posternæ VI, necessariæ CVI, fen. major. forins. II. LXVI.

ADNOTATIONES MABILLONII.

(*a*) Hæc Romæ descriptio urbis muros repræsentat in eo statu quo post Belisarii instaurationem fuerunt, atque etiam nunc ferme perseverant.

ADNOTATIONES BLANCHINI.

(*b*) *Porta S. Petri*. Fuit hæc porta ad ripam citeriorem Tiberis in ingressu pontis Ælii [nunc *ponte S. Angelo*] ad molem Adriani perducens, in ripa ulteriori positam (nunc *Castello S. Angelo*) ab anonymo hujus Itinerarii auctore dictam *Hadrianium*, et inde ad S. Petrum. Quare et ipsam portam vocat *portam S. Petri in Hadrianio*. Disjecta fuit postquam producto pomœrio per Leonem IV ultra Tiberim, basilica Vaticana cum adjacentibus prædiis constituens Urbem Leoninam, mœnibus includebatur. Ante eamdem portam erectus visebatur arcus Gratiani, Valentiniani ac Theodosii, cum inscriptione edita, tum in vetustissima collectione codicis Einsidlensis huic descriptioni conjuncta, tum apud Gruterum fol. 172, n. 1, tum apud Mazochium aliosque ab ipso memoratos; inter quos Marlianus lib. VI, cap. 8, narrat arcus fragmenta apud ædem S. Celsi reperta, quæ nunc supersunt ex adverso ejusdem ecclesiæ. In ea inscriptione indicantur porticus maximæ, hinc per viam triumphalem et per pontem Vaticanum ad basilicam S. Petri productæ; inde ad theatrum Pompei et circum Flaminium. Membranæ Einsidlenses apud Mabill. fol. 487, n. 15, concordant cum editione Mazochii, fol. 6, etiam in dispositione tituli Cæsarei, in schedis Carpensibus a Metello apud Gruterum postpositi siglis D. D. D. N. N. N. stante vero arcu ita exscripti ab Anonymo, uti Mazochius eo jam disjecto reddidit:

IMP. CAESSS. D. D. D. N. N. N. GRATIANVS. VALENTINIANVS.
ET THEODOSIVS PII FELICES SEMPER AVGGG. ARCVM AD CONCLV
DENDVM OPVS OMNE PORTICVVM MAXIMARVM AETERNI NOMINIS
SVI PECVNIA PROPRIA FIERI ORNARIQVE IVSSERVNT.

Ab eadem porta S. Petri plures progressus Itinerarii sui orditur Anonymus, uti mox ostendam: quorum in uno cum arcum memoret in sinistra, dum pergit ad sanctum Apollinarem, constat denotari hunc ipsum arcum trium Augustorum, Gratiani, Valentiniani ac Theodosii.

(*c*) *Porta Metrovia*. Ex epistola 69 S. Gregorii Magni, lib. IX, appellatur *porta Metronis*, uti observat Nardinus lib. I, cap. 9. Quare *Metronia* potius dicenda esse videtur quam *Metrovia*. Ejus verba sunt: *Ascensis caballis per Metronis partam exeuntes, ut eos in Latinam vel Appiam viam sequeretur*. Situs indicat non longe abfuisse ab ingressu *Aquæ crabræ* (nunc *la Marrana*) in Urbem, ubi porta clausa etiam num visitur, dicta aliquando *Gabiusa*, a Gabiis, quo perducebat.

(*d*) *Porta Ostense*. Mabillonius adnotavit pag. 518, num. 73, legi constanter hoc in codice Einsidlensi *viam Ostensem, portam Ostensem*. Utrobique corrigendum esse vitium ex barbarie illius ætatis, aut scriptoris profectum, nemo nescit; cum ex colonia Ostiensi, quo via perducebat, dicta perinde sit ac Prænestina ex Præneste, Tiburtina ex Tibure, etc. Idem dicas de porta Portuense, quam Portensem appellat.

Portæ reliquæ satis notæ, utpote, nomen retinentes minime variatum apud omnes antiquarios. De Asinaria, quæ hodie non superest, dubitat Nardinus, num eadem sit quæ Cœlimontana, nunc S. Joannis dicitur, ex Anastasio in Vita Silverii, eam indicante prope Lateranos; an vero paulo inferius aperta; cum via Asinaria inter Ardeatinam et Latinam a Festo statui videatur. De Aurelia quoque antiquarii disputant, num ad pontem triumphalem cis Tiberim quærenda sit (cujus pontis fragmenta prope Ælium conspiciuntur), an in edito Janiculi ad Severi muros versus S. Pancratii ecclesiam fuerit constituta.

Anonymus Einsidlensis ex numero turrium et propugnaculorum indicat spatium ambitus Urbis et murorum inter portas Prænestinam et Latinam, trifariam ferme æqualiter divisum, loca portarum *Asinariæ et Metroviæ* nobis exhibere, illam Prænestinæ, hanc Latinæ proximiorem. Nec difficulter assequimur ex eodem indicio numeri turrium et propugna-

culorum, interceptorum inter portam Portuensem et portam S. Petri ad pontem Ælium, portam Aureliam ibi sitam fuisse quamproxime, qua ex Urbis muris regionis Transtiberinæ progredimur in summo Janiculo ad S. Pancratii. Cætera explicatione non indigent.

Unum addam ad illustrandum Urbis ambitum ex hac descriptione, scilicet, turrium numerum plurimis in locis spectari etiamnum superstitem. Numeravi enim a porta Pinciana ad Salariam duas et viginti, quot ab Anonymo describuntur, quarum tredecim intra hortos Ludovisianos, novem in adhærentibus vineis usque ad proximam portam Salariam. Distant invicem ferme æqualiter spatio pedum Romanorum centum viginti a centro turris unius ad centrum proximæ, qui sunt passus 25, qualium mille constituunt milliarium Romanum lapidibus distinctum ætate Vespasiani ac nostra. Latitudo turris est pedum circiter 20. Cortinæ vero inter turres ut plurimum pedum centum, in sex arcus æquales plerumque distributa, ita ut iniri facile possit ex numero turrium summa passuum contituens ambitum murorum. Assignatis enim passibus 25 distantiæ uniuscujusque turris a proxima, cum turres ex calculo Anonymi supputentur 383, fit ambitus Romæ, Aureliani et Belisarii mœnibus definitus, passuum 9575 septuaginta quinque supra novem mille et quingentos. Hodie, inclusa urbe Leonina, et Janiculo, passus æquare dicitur 15330.

Præmissa descriptione atque ordine portarum Urbis unde Anonymus profectiones orditur, sectiones Itinerarii ad ordinem portarum ita referendas censemus, facto initio a porta S. Petri, quam ipse constituit primam. *(Pag. 502. num. 72, editionis Mabillonianæ, per nos ita ordinatæ in sectiones.*

SECTIO I.

In porta S. Petri usque ad S. Paulum.

In S. [In sinistra] sancti (*a*) Laurentii et theatrum Pompei, et per porticum [an per posticum] usque ad sanctum Angelum et (*b*) templum Jovis.

In d. [In dextera] (*c*) theatrum : iterum per porticum usque ad (*d*) Elephantum. Inde per Scholam Græcorum. Ibi est aqua subtus montem Aventinum, currens scala usque in montem Aventinum, et balneum Mercurii. Inde ad (*e*) portam Ostensis. Inde per porticum usque ad ecclesiam Mennæ; et de Mennæ usque ad sanctum Paulum apostolum : inde ad sanctum (*f*) Felicem, et Adauctum et Emeritam. Deinde ad sanctam Petronillam, et Nereum, et Achilleum. Inde ad sanctum Marcum, et Marcellianum. Inde ad sanctum Soterum ; inde ad S. Sixtum ; ibi et S. Favianus, et Antheros, et Miltiades. Inde ad S. Cornelium. Inde ad S. Sebastianum. Inde revertentes per viam Appiam ad ecclesiam, ubi S. Sixtus cum suis diaconibus decollatus est. Inde ad portam Appiam. Ibi forma (*g*) Jopia, quæ venit de Marsia, et currit usque ad ripam. Inde ad cochleam fractam. Inde ad (*h*) Arcum recordationis. In S. Thermæ Antonianæ. In d. Xystus. In S. Nereus et Achilleus. Inde per porticum usque ad Formam. Inde ad VII vias. Ibi sancta Lucia et Septizonium In S. Circus maximus. In dex. Palatinus. Et sic per porticum maximum usque ad Anastasiam, et inde semper.

NOTÆ BLANCHINI.

Auspicio pietatis Christianæ orditur Anonymus viam ex itinere instituto ad limina apostolorum pro veteri scilicet consuetudine nostra religionis virorum, ab ætate Tertulliani et Caii, ferme supparis ævo apostolico, ea monumenta primo convisentium, quæ jam tum vocarunt *tropæa apostolorum,* uti apud Eusebium legis lib. II, cap. 25 : *Ego vero apostolorum tropæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanam, sive ad Ostiensem viam pergere libet, recurrent tibi tropæa eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt.* Hinc igitur exorsus a porta S. Petri ad basilicam S. Pauli proficiscitur, flexurus iter per celebriora cœmeteria et memorias priorum pontificum et Martyrum a S. Paulo ad S. Sebastianum, et inde per Appiam viam reversurus in Urbem. Ex porta igitur S. Petri per *Campum minorem* appellatum apud Nardinum lib. VI, cap. 5, ubi ejus ichnographiam reperies, progressus sinistrorsum conspicit titulum S. Laurentii in Damaso prope theatrum Pompei, quod dextrorsum relinquit.

(a) Inde per porticum (plures enim porticus excitatæ fuerant ad spatiandum, quas inter hic constitit *porticus Philippi* a Nardino ibidem delineata n. 35) usque ad sanctum Angelum, scilicet in Foro Piscario, ubi eamdem diaconia hodie superest.

(b) Templum Jovis. Nempe Capitolini, ad sinistram progredientis pariter siti.

(c) Theatrum Intelligo theatrum Marcelli, ad dexteram assurgens contra clivum Capitolinum, et templum Jovis.

(d) Elephantum Herbarium. Simulacrum scilicet elephanti ab Augusto erectum circa Forum Piscarium, uti Nardinus pag. 324 prudenter autumat, indicans memorari in hac regione VIII Fori Romani a P. Victore et a Notitia Imperii.

(e) Ad portam Ostensis. Ad portam Ostiensis viæ, in qua primum occurrit porticus extra Urbem usque ad ecclesiam martyris Mennæ nomine insignitam. Anonymi hujus ætate videtur pars reliqua porticus usque ad S. Pauli fuisse disjecta. Sanctus Adrianus papa eamdem paulo post reparavit usque ad Basilicam, teste Anastasio in ejus Vita, sect. 342 : *Porticum vero quæ ducit ad beatum Paulum apostolum a porta cum ecclesia sancti Eupli usque ad prædictam basilicam sancti Pauli a novo restauravit.* De ecclesia S. Euplii vide quæ erudite congressit V. C. Joan. Maria Crescimbeni in Historia S. Mariæ in Cosmedim, seu Schola Græca dictæ, lib. VII, cap. 29, cujus archipresbyteri officio plurima cum laude perfungitur. Idem observat cap. 36 Martinello quoque memoratam ecclesiam beati Mennæ, collecta insignem, dum statio perageretur ad S. Paulum Dominica IV Quadragesimæ, et in hisce scheldis Kinsedlensibus occurrentem inter portam Ostiensem et basilicam Pauli, reparatam fuisse a S. Leone III, uti Anastasius prodidit in ejus Vita sect. 361, quemadmodum narrat : et a S. Paschali I, sect. 444, donaria eidem ecclesiæ beati Mennæ fuisse oblata.

(f) Ad Sanctum Felicem, et Adauctum, et Emeritam. Insigne hoc cœmeterium paucos ante annos detectum est hoc ipso in loco per Itinerarium indicato, nempe ab ecclesia S. Pauli superato proximo clivo in via perducente ad S. Sebastianum. Primum a clivo prædicto visitur in Villa Mandosia, nuper repertum indicio veterum picturarum, in cubiculo cœmeterii conspectarum, quæ trium sanctorum nomina sub eorumdem imaginibus distincte referebant. Easdem delineavit et communicavit sæpe laudandus R. P. Joannes Marangonius, uti luculenter descripsit in Observationibus ad martyrum cœmeteria pari cum laude supra recensitus canonicus Boldettus lib. II, cap. 18, p. 541. Quare non immerito Bibliothecarius n. 361 in Vita S. Leonis tertii locum hunc Felicis et Adaucti ecclesia et cœme-

terio insignem appellat *juxta S. Paulum apostolum.* Antiquitas cœmeterii intelligitur ex eodem libro Anastasii sect. 89. in Vita S. Joannis primi, a quo renovatum fuisse dicitur: *Item renovavit cæmeterium Felicis et Adaucti.* Verum de hoc cœmeterio ac de reliquis hac in sectione memoratis vide Notas ad opusculum XVI, proxime subnectendum.

(*g*) *Forma Jopia, quæ venit de Marsia.* Legendum *forma Julia, seu Appia, quæ venit de Marcia.* Tres enim aquæ, Martia, Julia, Tepula omnium urbem influentium altissimæ, antequam Claudius imperator Claudiam et Anienem novum superinduceret, editioribus Romæ collibus rivos ministrabant, ad orientalem Urbis partem perductæ per triplicem specum, etiamnum spectabilem extra muros ante portam Prænestinam (vulgo *porta Maggiore*) a V. C. Fabretto descriptum pag. 18, n. 29, dissert. prima de Aquis et Aquæductibus. Verum eodem Fabretto observante ibi num. 49, ex Frontino, *Martia parte sui post hortos Pallantianos in rivum qui dicitur Herculaneus, dejicit se per Cœlium. Ductus ipsius, montis usibus nihil, ut inferior, subministrans, [modus] initur supra portum Capenam*; quibus hæc præsimit Frontinus: *Martias quoque, quæ Tepula intercepta, sicut supra demonstravimus, rivo Juliæ accesserat, nunc a piscina ejusdem Juliæ modum accipit, ac proprio canali et nomine venit, et a piscinis in eosdem arcus recipiuntur.* Colligitur ex his cur forma ista supra portam Capenam ex Cœlio perducta dicatur *Julia* veniens ex *Martia.* Utrisque enim aquis Martia et Julia ita accedentibus, ut una ex alterius piscina modum acciperet, et in eosdem arcus reciperetur, facillimum fuit utriusque nomen accommodare, et *Juliam* dicere venientem de *Martia* formam, quæ se dejiciebat per Cœlium et cujus modus initur supra portam Capenam. Scio rei aquariæ callentissimum Fabrettum nos docuisse loco citato num. 43, 49 et 58, Capenam portam veterem, et aquam Appiam retrudendam esse intra Urbem sub hortis Matthæiorum, et portam hodiernam L. Sebastiani post Aureliani tempora pro Capena habitam, nostri temporis antiquariis occasionem dedisse, Appiam formam credendi eam quæ arcui recentis portæ S. Sebastiani imminet, cum sit ramus Anionis veteris, per specum Octavianum huc perductus. Verum hæc ipsa occasio vulgaris erroris, passim accommodantis tria nomina aquarum, et ductuum proximorum *Juliæ, Martiæ* et *Appiæ*, potuit facilius ætate hujus Anonymi, barbariem ubique præseferente, confundere nomina, et permutare *Appiam*, seu *Juliam*, in *Jopiam*, cui obscuræ nuncupationi providenter addidit *venientem de Martia*, ut intelligamus, quocunque tandem nomine appellaretur, formam esse ex arcubus Martiæ huc perducentem aquas, ex Anione veteri, seu ex Julia, sive etiam ex ea quæ Appia tunc credebatur, petitas.

(*h*) *Arcum recordationis.* Interpretor arcum memoriæ Drusi excitatum ab Augusto ex S. C., quem superstitem ante portam S. Sebastiani ex ea figura quæ in nummis exprimitur, evicit Fabrettus sæpe laudatæ dissertationis num. 72. Cujus auctoritati accedit testimonium fragmentorum æneæ tabulæ ibidem repertorum, in quibus decreta ab ordine amplissimo in honorem alterius Drusi (nempe Tiberii Cæsaris filii) recensentur. Sunt vero eadem quæ memorat Tacitus Annalium lib. VI, num. 9, nempe similia iis quæ Germanico decernebantur sub Augusto Annal. lib. II, num. 83. *Memoriæ Drusi eadem quæ in Germanicum decernuntur.* Ex his fragmentis ineditis tabularum ænearum familiæ Claudiæ in Juliam cooptatæ, aliisque pluribus inscriptionibus familiæ Juliæ circa hunc arcum repertis in vinea Moroni, editis a V. C. Joan. abb. Aignolio post dissert. De Columna Antonini Pii, nullus superest dubitandi locus quin ad Drusum Claudii Augusti patrem, et Drusi Tiberii filii patruum arcus ille pertineat. Sed præ cæteris demonstrant tres inscriptiones in schedis Einsidlensibus repertæ cum hoc itinerario, descriptæ in porta Appia, quam *Papiam* corrupte nominant, ita editæ a Mabillonio Vet. Anal. tom. IV pag. 504 et 505.

76. *In Porta Papia.*

NERONI IVLIO. D. F. GERMANICO
Ti. Cæsari Germanici Augusti, nepoti, Iulio II. F. Aug. pronepot. Divi
Pont. Cæsari Augusti nepot. Divi nepot.
Pont. Cæsari Pontifici DIVI Pron. Caesari
Cos. ter. Imp. ter. Augurique tribuniciæ potestatis VIII.

77. *Item ibi.*

Imp. Cæsari. LIVIA (*) I. Divi F. August.
Drusi F. Pontific. Maximo, Uxori Cæsaris
Aug. Cos. III. Imp. tribuniciæ pot
VIII. Patri patriæ Aug. XV. Vir. S. F. VII.
vir Epulon. Cos. XIII. Imp. XVII. tribunic.
potest. XXX.

78. *Item ibi.*

Cæsari I. Cæsari Druso. Julio Ti. Claudio
Augusti. F. Augusti F. Germanici F. Drusi
Germanici F. DIVI. nepot Divi nepot. Aug.
pronepot. Neroni Germanico Pontif. Cos.
Augori. Cos. design Germinico Imperatori principi juventutis.

Tres inscriptiones Einsidlensis codicis ita reddendas hic esse judicavi, uti a Mabillonio sunt editæ, tum ut ostenderem arcum hunc Drusianum Via Appia erectum a senatu, et dicatum memoriæ Drusi Germanici (quem idcirco Anonymus appellat *arcum recordationis*) fuisse circumquaque ornatum plurimis inscriptionibus dicatis honori Claudiorum, seu Neronum, in familiam Juliam ab Augusto adoptatorum, tum ut demonstrarem anonymum illum descriptorem epigrammatum sive inscriptionum Urbis, nihilo felicius in his versatum, quam in sectionibus sui Itinerarii permiscendis potius quam ordinandis. Inscriptiones enim illæ aliquot ex gente Julio, et præcipuos ex gente Claudia singillatim referunt, Juliæ gentis agnatione donatos, post adoptionem a Cæsare Augusto Liviæ marito factam: quæ fortassis eodem ordine incisæ fuerant ac quatuor illæ apud Gruterum fol. CCXXVI, num. 9, ejusdem ætatis et familiæ viros ac feminas indicantes, nempe Drusum et Antoniam, Claudii imperatoris parentes, Agrippinam uxorem et Neronem filium. Verum ab anonymo descriptore ita exceptæ sunt ex arcu, ut versus continuatos crediderit segmenta singularum ad eamdem rectam lineam extensa. Quare mirum in modum implexa et perturbata sunt segmenta illa, non secus ac evenit in arcu non dissimili, ex saxis quadratis erecto Spoleti prope ecclesiam Canonicorum Regularium, iisdem principibus gentis Claudiæ in Juliam cooptatis, Germanico et Druso Tiberii filiis in hanc sententiam olim excisis, ut ex litteris supersititibus cognoscitur, licet implexam alii reddiderint lectionem, cum non distinguerent partem versuum singulorum ad Germanicum pertinentium, a parte proxima ad Drusi epigraphen referenda:

GERMANICO CAESARI TI. AVG. F. DRVSO CAESARI TI. AVG. F
DIVI AVGVSTIN. D. IVLI. PRONEP. DIVI AVGVSTIN. DIVI IVLI PRON
IMP. II. AVG. FLAMINI AVG. COS. II. T R.POT. II. PONT.
...S. C.

(*) Id est LIVLÆ.

Separatim enim legendum fuit primum :

Germanico Cæsari Tiberii Augusti Filio
Divi Augusti nepoti Divi Julii Pronepoti
Imperatori II. Auguri Flamine Augusti.

Deinde:

Druso Cæsari Tiberii Angusti Filio
Divi Augusti nepoti Divi Julii Pronepoti
Consuli II. Tribunic. potest II. Pontifici
ex senatus Consulto

At illi continenter producentes singulos versus, ac si per utramque inscriptionem excurrerent, ita imprudenter legebant:

Germanico Cæsari Tiberii Augusti filio
Druso Cæsari Ti. Aug. F. Divi Augusti II.
Divi Julii pron. divi Augusti nep. Divi
Julii pron. Imp. II. Augusti Flamini
Aug. Consuli II. tribunic. not. II. Pontifici ex S. C

Eodem errore præoccupatum fuisse Anonymum, itinerarii sectiones et veterum inscriptionum partes permiscentem, constat ex supra recitatis. Quis enim non videat, in ea, quæ n. 77 notata fuit, pag. 504, Mabilloniana, confundi in unam tres distinctas inscriptiones, Augusti, Liviæ et Tiberii? Ad Augustum pertinent litteræ:

IMP. CÆSARI DIVI F. AUGUSTO
PONTIFICI MAXIMO PATRI PATRIÆ
COS. XIII. IMP. XVII. TRIBUNIC. PO.
TEST. XXX. III.

Ita enim supplendus est num. XXX
Ad Liviam istæ referuntur:

LIVIAI
UXORI CÆSARIS AUG.

Ad Tiberium complures tituli his eisdem verbis, et versibus inclusi, licet numeris negligenter exceptis, et contra fidem aliarum inscriptionum variatis, ex quibus ita sunt restituendi.

TI. CÆSARI
AUG. F. DIVI N.
COS. II. IMP. III.
TR. P. VIII. AUGURI
VII. VIRO EPULON.

Qui scilicet tituli ac numeri Tiberio signabantur anno æræ vulgaris quinto, L. Valerio Messala, G. Corn. Cinna coss. quando plures populos in Germania vicit et cæteroqui consueverunt ita ordinari etiam post adeptum imperium ab Augusti morte, uti ex Gruteriana inscriptione constat fol. CCXXXV, num. 10, et ex hac Antiati, translata in museum Albanum.

II. CÆSARI DIVI
AUGUSTI F. DIVI. IVLI.
NEPOTI. AUG. PONTIFICI
MAXIMO COS. V.
IMP. VIII. TR. POT. XXXVIII.
AUGURI XV. VIR. SACR
FACIEND. VII. VIR. EPULON
L. SCRIBONIVS L. F. VOT. CELER.
ÆDIL. EX D. D.
PRO LUDIS

Possemus non difficulter reliquos principes familiæ Claudiæ, Drusum, Germanicum, Neronem Germanici filium, T. Claudium Drusi filium, qui postea imperavit, et Drusum Tiberii filium hic recognoscere, aptando singulis segmenta inscriptionum 76. 77, 78, ab Einsidlensi anonymo perturbata si tanti esset hæc pluribus prosequi, quæ hic tantum delibavimus, ut *arcum recordationis* illustraremus, *prope portam Appiam* in Itinerario descriptum, et confirmaremus ex inscriptionibus gentis Juliæ et Claudiæ, in eadem repertis etiam nostra ætate, multo autem evidentioribus ætate illius descriptoris, qui in suum codicem Einsidlensem ita tranferebat a se spectatas in *porta Appia*, quam *Papiam* fecit. Confirmant vero universa ista documenta vitiosæ rhapsodiæ hospitum ex dissitis regionibus huc adventantium, et raptim referentium in suam ephemeridem ea quæ spectabant, quam frequenter in numeris describendis errarent, etiamsi epigraphes palmaribus litteris marmori incisas, ac sub dio positas, et pleno sole perfusas, sibique pro lubitu expositas præ oculis haberent; ut proinde sumamus id optimo jure, quod toties indicavimus, Catalogos externos summorum pontificum exigendos esse ad fidem Italicorum vetustiorum et Urbi proximiorum, multo præclarius respondentium prototypis omnium illorum exemplorum, in basilica Paulina aliisque patriarchalibus urbanis et suburbanis olim expressis. Verum ex diverticulo in viam. Sequamur itaque ductum Anonymi, et *Porta Sancti Petri* suo in Itinerario Romano sectiones ac semitas proximas ita consignantis.

SECTIO II.

A Porta S. Petri usque ad porta Asinaria.

PER (*a*) ARCUM.

In sinistra

(*b*) Circus Flamineus. bi Sancta Agnes
Thermæ Alexandrinæ
S.Eustachii, Rotunda
Thermæ Commodianæ
(*c*) Minerviam. Ibi S. Maria
Ad sanctum Marcum
Forum Trajani et columna ejus.

In dextera.

B. Laurentii in Damaso
Theatrum Pompeii
(*d*) Cypressus
S. Laurentii in Minerva
Capitolium
S. Sergii. Ibi umbilicum Romæ
(*e*) Sancti Georgii.

R. [*REDEUNDO*] PER ARCUM SEVERI.

In sinistra.

(*f*) Tiberis
S. Hadriani. Forum Romanum
Subu RA. S. Lucia in Ortheo
Sancti Silvestri, et Sancti Martini
(*g*) Palatium juxta Hierusalem
Hierusalem
(*h*) Amphitheatrum
(*i*) Forma Lateranense. Monasterium. Honorii
Porta Prænestina
(*j*) Sancta Helena, sanctus Marcellinus, et Petrus.

In dextera

Sancta Maria Antiqua
Sancti Cosmæ et Damiani
Palatius Neroni, Aecclesia sancti Petri ad Vincula
Arcus Titi et Vespasiani
(*k*) Palatium Trajani, Amphitheatrum
Ad Sanctum Clementem
(*l*) Monasterium Honorii. Forma Claudiana
Patriarchium Lateranense.

NOTÆ BLANCHINI.

(*a*) *Per arcum.* Arcum scilicet Gratiani, Valentiniani ac Theodosii, *quem proximum ponti S. Petri* ipse describit, una cum epigraphe, inter inscriptiones suæ collectionis ab Einsidlensi codice excepta n. 15 editionis Mabillon. pag. 487, cujus etiam paulo ante meminimus in notis ad portam sancti Petri.

(*b*) *Circus Flamineus. Ibi Sancta Agnes.* Flaminium circum confundit cum Ægonali, in quo Sancta Agnes.

(*c*) *Minerviam.* Id est Minervium, seu templum

olim Minervæ, nunc vero ecclesia sanctæ Mariæ supra Minervam.

(*d*) Vide sect. III, lit. *e*, infra.

(*e*) *Sancti Georgii.* In velabro.

(*f*) *Tiberis.* Statua insignis fortasse Tiberinum fluvium repræsentans, quæ nunc in Capitolium translata est ex Corneliorum vico, sita circa S. Agathæ in Suburra (supra collem hodie dictum Monte Bagnanapoli ad Balnea Pauli Æmilii) uti Nardinus observat ex Rufo et Victore lib. IV, cap. 6, pag. 188.

(*g*) *Palatium juxta Hierusalem.* Licinianum dictum fuit, eodem Nardino comprobante ex Anastasio nostro in Vita Simplicii, sect. 72: *Hic dedicavit... et altam basilicam intra Urbem juxta palatium Licinianum beatæ martyris Bibianæ, ubi corpus ejus requiescit.*

(*h*) *Amphitheatrum.* Castrense prope titulum. S. Crucis ad Hierusalem.

(*i*) *Forma Lateranense.* Quæ inter titulum S. Crucis, et Portam Prænestinam (hodie *porta Maggiore*) ex ductu Claudii in Cœlium montem ad Lateranum aquas perducebat.

(*j*) *Sancta Helena. Sanctus Marcellinus et Petrus.* Extra portam Prænestinam milliario secundo ecclesiæ substructiones hodie supersunt supra cœmeteriumeorumdem sanctorum nomine celebratum.

(*k*) *Palatium Trajani.* Thermæ Trajani.

(*l*) *Monasterium Honorii. Forma Claudiana. Patriarchium Lateranense.* Prope formam Claudianam *post formam Aquæductus patriarchii Lateranensis* in Vita Paschalis I, legimus positum monasterium sanctorum Sergii et Bacchi. Et in Vita Leonis III monasterium sanctorum Andreæ et Barholomæi appellatur *Honorii.* Num duo essent monasteria, virorum unum, feminarum alterum proxima patriarchio Lateranensi et formæ Claudii, quemadmodum duo ibidem sunt nosocomia utriusque sexus ægrotis separatim curandis excitata (quem situm etiam card Rasponus Honorii monasterio attribuit lib III, cap. 13, de Lat. Patriarchio); an idem monasterium duplici nomine insignitum, non satis liquet. Virorum monasterium ab Honorio papa fundatum, et ab Adriano I restitutum ostendit Rasponus ex Anastasio sub invocatione *sanctorum Andreæ et Bartholomæi.* Monasterium vero *post formam Aquæductus patriarchii Lateranensis positum* claruisse titulo *sanctorum Sergii et Bacchi* novimus ex Vita Paschalis primi; ubi *ancillarum Dei congregatio quæ ibidem inerat, paupertatis inopia nullas omnipotenti Domino sanctisque illius laudes decantare cum valeret,* etc. Sed providus Pontifex non solum *ancillis Dei* necessaria ministravit, verum et adjecit monasterium *monachorum, ditans in facultatibus, et in familiis, massis, vineis, domibus,* quorum congregationi munus contulit (non secus ac Paschalis decessor Adrianus contulerat monachis Sanctorum Andreæ et Bartholomæi) ut *Deo, sanctisque illius laudes et hymnos nocte, dieque, modulanter in venerabili ecclesia Salvatoris Domini Nostri* JESU *Christi sita juxta Lateranas decantarent.*

SECTIO III.

A porta S. Petri usque ad sanctam Luciam in Orthea.

(a) In dextera.

In D. Circus Flamineus
Rotunda
Thermæ Commodianæ
Forum Trajani, et Columna ejus

In sinistra.

(b) In S. Sancti Laurentii in Damaso
Theatrum Pompei. Cypressus
(c) Sancti Laurentii. Capitolium
Sancti Sergii, ubi umbilicum Romæ

ARCUS SEVERI.

In dextera.

Tiberis
S. Hadriani

(*) In sinistra.

(*d*) Cavallus Constantini

FORUM ROMANUM

In dextera.

(*e*) Sancti Cyriaci
Sancta Agatha. Ibi imagines Pauli et sanctæ Mariæ

SUBURA

In dextera.

Thermæ Constantini
(*f*) Sancti Vitalis in vico longo, ubi caval. opt.
(*g*) Sanctæ Euphemiæ in Vico Patricii.

In sinistra,

Pudentiana Virgo in Vico Patricii.
(*h*) Laurentii in Formonso, ubi ille assatus est. Iterum per Suburam. Thermæ Trajani ad vincula.

NOTÆ BLANCHINI.

(a) In D. in dextera. Mendum manifestum. Permutandæ necessario litteræ D et S. In hoc enim progressu ad lævam procedentis spectantur circus Agonalis (quem sect. II et hic Flaminium perperam appellat), Rotunda, Thermæ Commodianæ, etc. et ad dexteram visuntur sancti Laurentii in Damaso, theatrum Pompeii, etc.

(*b*) *In S. Sancti Laurentii.* Legendum *in D., in Dextera,* uti paulo ante dixeram littera *a.*

(*c*) *S. Laurentii.* Ecclsia fuit, sub Adriano I dicta in Palatinis, sita contra ædes Matthæiorum, ubi nune visitur S. Catharina de Funariis; de qua hæc habet Martinellus pag. 364: « *S. Laurentii in Palatinis, et Pallacini* monasterium noviter restauravit Adrianus I et conjunxit cum alio monasterio sancti Stephani, juxta ipsum positi. quod cognominatur Baganda; et ordinavit ibi monachos ad psallendum in titulo S. Marci. » De eodem Biblioth. in Leone III, Gregorio IV et Benedicto III Grimaldus inquit: « Ista ecclesia erat in opposito palatii Matthæiorum, et periit in constructione monasterii sanctæ Catharinæ. Meminit bulla Cœlestini tertii, in qua vocatur etiam Clausura. »

Sectione II hujus Itinerarii dicitur etiam S. Laurentii in Minerva, ex quo indicatur etiam locus dictus ibi quoque *Cypressus.* Videtur enim respondere vico qui paucos ante annos vacabatur *l'Olmo,* fortassis ab *ulmo* arbore in locum *cypressi* ibi aliquando substituta circa ædem sacram et mouasterium S. Laurentii.

(*d*) *Cavallus Constantini.* Nardinus observat Notitiam Imperii in regione VIII, dicta *Foram Romanum,* indicare *equum Constantini* in ipso foro. Male autem non ominatur p. 253, dum putat sequiore ætate ita appellatam equestrem statuam Domitiani celebrem Statii carminibus. Fortassis etiam Constantino dicata fuit, abraso Domitiani nomine, seu basi mutata; non secus ac trimphalis arcus quem ipsi erectum spectamus, construxit senatus populusque Romanus ex diruto Trajani arcu.

(*e*) *Sancti Cyriaci.* Id est Quirici et Julittæ prope forum Nervæ. Apud Anastasium, num. 471, legitur titulus S. Cyriaci. Erat is in Thermis Diocletiani, ut in synodo Romana sub Gelasio papa: Sixtus IV, eodem ferme diruto præ vetustate, cardinalis titulum transtulit ad ecclesiam sancti Cyriaci prope forum Nervæ, de qua loquimur. Hujus vero antiquitas tanta est, ut a Vigilio papa consecratam fuisse mensam

altaris marmoream ex inscriptione in ea reperta perceperit Alexander card. Mediceus. Vide Carolum Piazza de Hierarchia Cardinalitia, ad titulum SS. Quirici (seu Cyriaci) et Julittæ, et antiquatum, seu suppressum S. Cyriaci in Thermis.

(*f*) *Sancti Vitalis... ubi cavall. opt.* Intellige simulacra duo in thermis Constantini reperta, et ad fontem in Quirinali constituta. quæ nomen colli dant, Monte *Cavallo*

(*g*) *S. Euphemiæ in Vico Patricii* Erat in Vico Patricio vetus ecclesia et monasterium sanctæ Euphemiæ, et archangeli Michaelis, teste Anastasio num. 338, et quidem juxta titulum Pudentis, num. 407, in Vita S. Leonis III, uti observavit Floravantes Martinellus in sua Roma Sacra, pag. 357, quam Eugeniæ martyris ecclesiam cardinalitii tituli honore decoravit S. Pius V. Hujus tamen successor Sixtus V solo æquavit, dum amplissimam viam aperiret a basilica Liberiana ad columnam Trajani; prope cujus forum monasterium puellarum Mendicantium instituit Clemens VIII, providus Pater, ut patrocinium ejus virginis et martyris, Romano populo in primis venerabile, æde sacra et collegio, ejusdem laudibus addicto, testatum faceret. Videndus ea de re laudatus Piazza in titulo suppresso sanctæ Euphemiæ, pag. 699.

(*h*) *Laurentii in Formonso.* Perinde scriptum in Virgilio Vaticano: *Formonsum pastor Corydon*, etc. A Formoso papa instauratum et idcirco dictum opinatur Grimaldus apud Carolum Piaza de Titulis Card. Verum ante Formosi ætatem annis plus quam centenis dictam fuisse ecclesiam *S. Laurentii ad Formosam, sive ad Formosum; et in Formoso* colligimus ex Bibliothec. in Vita S. Adriani, num 339, et in Vita S. Leonis III, num. 383, 385 et alibi, hodie dicitur *S. Laurentii Panisperna.*

SECTIO IV.

A porta S. Petri usque ad portam et viam Salariam.

(*a*) PER ARCUM.

In sinistra.

Sancti Apollinaris
Sancti Laurentii in Lucina

FORMA VIRGINIS.

(*b*) Oboliscum
(*c*) Sancti Silvestri. Ibi balneum.
(*d*) Sancti Felicis in Pineis.
In D. (*e*) Circus Flamineus. Ibi S. Agnes.
Thermæ Alexandrinæ et S. Eustachii.
Rotunda, et Thermæ Commodianæ.
Columna Antonini.
S. Susanna, et aqua de Forma Lateranense
(*f*) Thermæ Sallustianæ, et pyramidem.

NOTÆ BLANCHINI.

(*a*) *Per arcum.* Gratiani, Valentiniani et Theodos., de quo supra sect. II, lit. *a*.

(*b*) *Oboliscum.* De obelisco Campi Martii adhuc jacente prope Ecclesiam S. Laurentii in Lucina in privatis ædibus supra dixi supra.

(*c*) *Sancti Silvestri.* Dicti *in Capite*, olim SS. Dionysii et Silvestri.

(*d*) *Sancti Felicis in Pineis.* Præstat legere in *Pincis*, erat enim in colle Pincio, non longe a porta Pinciana, ut communis antiquariorum opinio fert, videnda apud Martinellum.

(*e*) *Circus Flamineus.* Flaminium vocat Agonalem, uti superius adnotavi sect. II, lit. *b*.

(*f*) *Thermæ, Sallustianæ, et pyramidem.* Pyramidem memorat, sed intellige obeliscum circi Sallustiani, quem in proximis hortis Ludovisianis jacentem conspicimus.

SECTIO V.

A porta Flaminea usque Via Lateranense.

In sinistra.

Pariturium
Sancti Silvestri, et sic per porticum usque columnam ANTONINI
Forma Virginis fracta
Sancti Marcelli. Iterum per porticum usque ad Apostolos.
In Via Flaminia foris murum
In dextera Sancti Valentini
In sinistra Tiberis

In dextera.

Sancti Laurentii in Lucina.
Oboliscum
Columna Antonini
Via Lateranense
Thermæ Alexandrinæ
Sancti Eustachii, et Rotunda
Thermæ Commodianæ
Minervium, et ad Sanctum Marcum.

NOTÆ BLANCHINI.

Sectio ista superius explicata Sect. IV, notis non indiget.

SECTIO VI.

A porta Numentana usque Forum Romanum.

(*a*) In S. Thermæ Diocletianæ.
(*b*) Sancti Cyriaci. (*c*) Sancti Vitalis
In D. Thermæ Sallustianæ.
Sancta Susanna (*d*) et Cavalli Marmorei
S. Agathæ in Diaconia
Monasterium sanctæ Agathæ
Thermæ Constantini
In Via Numentana foris muru
In Sinistra sanctæ Agathæ
In Dextera sancti Nicomedis.
Sancti Marcelli
Ad Apostolos
Forum Trajani
Sancti Hadriani

NOTÆ BLANCHINI.

(*a*) Codex mutilius in enumeratione viarum a porta Pinciana et Salaria (quæ omnino desunt) ex porta Nomentana (nunc Pia) *ad Forum* Romanum perducit.

(*b*) *Sancti Cyriaci.* in thermis Diocletiani idcirco appellati, uti sect. III, lit. *b* explicuimus.

(*c*) *Sancti Vitalis* dicti *in Vico longo*, titulus Vestinæ, qui superest

(*d*) *Cavalli Marmorei.* Supra etiam dixit sect. III, *Sancti Vitalis in Vico longo, ubi cavalli optimi.* Vide notas ibi relatas lit. *bb*.

SECTIO VII.

A porta Tiburtina usque Forum Romanum.

In D. Thermæ Sallustianæ
Sancta Susanna, et Cavalli marmorei
Sancii Marcelli

Ad Apostolos
Forum Trajani
Sancti Adriani
(a) Subura
Sancti Isidori
Sancti Eusebii. Via subtus mon.
Sanctus Vitus
Sanctæ Mariæ in præsepio
Iterum Sancti Viti
Sanctæ Eufemiæ

NOTÆ BLANCHINI.

(a) Subura. Legendum puto in *sinistra*. . . Et in fine sectionis hujus addendum *Subura;* nam constabit ratio progressus in titulo sectionis enuntiata, perducens scilicet a porta Nomentana ad Forum Romanum; si ut perveneris ad S. Euphemiæ ecclesiam tunc proximam sanctæ Pudentianæ in Vico Patricio (quod supra legis sect. III, lit. *c.*) contiguam SUBURAM intres, et inde ad Forum Romanum.

SECTIO VIII.

(a) *Item alia via Tiburtina usque ad sanctum Vitum.*

Forma Claudiana. PER ARCUM
Sanctæ Bivianæ. Nymphæum
In via Tiburtina foris murum.
In sinistra S. Hippolyti in dextera Sancti Laurentii.
Sanctæ Agathæ
Sancti Eusebii

NOTÆ BLANCHINI

(a) Alia Via Tiburtina. Ex via Tiburtina Urbem ingreditur, non ut antea per portam S. Laurentii, sed per portam Nævíam (hodie *porta Maggiore),* ubi *forma Claudiana* cum suis ductibus et inscriptionibus superstes indicat etiam *arcum* hic memoratum, per quem progressus S. Bibianæ ecclesiam dextrorsum videt, ac Nymphæum, sinistrorsum vero sanctæ Agathæ, et sancti Eusebii ecclesias, et monasteria. Sanctæ Agathæ hac in parte Urbis hodie desideratur. Eamdem puto quam Martinellus docet appellatam *In introitu Urbis, ad colles jacentes, in colle Pinu, in Lardario, et in monasterio.* Plura S. Agathæ monasteria occurrunt intra Urbem apud Anastasium. Præ cæteris tamen celebre id, quod sanctus Gregorius secundus post obitum Honestæ matris suæ construxit in paternis ædibus, prædia rustica et urbana illi attribuens *(num.* 183) unde nomen fortasse obtinuit S. *Agathæ in monasterio.* Narrat Bibliothecarius sanctum Pontificem præ cæteris hanc Urbis partem ædificiis excolere ac reparare instituisse (*num.* 177), licet prosequi ulterius præpeditus fuerit, adversa temporum vicissitudine. *Nam a porta Sancti Laurenti inchoans hujus civitatis muros restaurare decreverat, et aliquam partem faciens, emergentibus incongruis variisque tumultibus præpeditus est.* Num. autem 178 narrat ad S. Laurentii extra muros repartiones plures ab ipso perfectas, et monasteria duo circa basilicam Liberianam instituta, ut inde percipi possit sed Exquilinum collem potiora ipsius constructionum beneficia pertinuisse, ubi hæc sanctæ Agathæ ecclesia designatur ab auctore Itinerarii.

SECTIO IX

De septem viis usque Porta (a) Asinaria.

In sinistra Joannis, et Pauli
Forma Lateranense
(*b*) Ad sanctum Erasmum
Sancta Maria Dominica
(*c*) In Via Latina, intus in Civitate
In sinistra
Oratorium Sanctæ Mariæ
Sancti Gordiani
In dextera Sancta Lucia
(*d*) Palatinus (usque ad) S. Anastasiam
Sancta Petronella
Nerei et Achillei
Marci et Marcelliani ad S. Soterum
Sancti Cornelii, Xysti Faviani Antheros, et Miltiadis
Ad Sanctum Sebastianum.

NOTÆ BLANCHINI.

(a) De Septem viis, etc. Septem vias, Septodium, Septisolium et Septizonium dedisse nomen ecclesiæ sanctæ Luciæ, quæ hic sita in dextera memoratur e regione SS. Joannis et Pauli reete adnotat Martinellus ex pluribus Anastasii locis. *Diaconiam sanctæ Luciæ, quæ ponitur in septem viis* legis num. 404, et quidem ab alia diaconia diversam, quæ in eodem num. 404, posita dicitur *juxta Orphæa,* alias in Orthea (hodie superstitem appellatione S. Luciæ in Silice supra memoratam Sect. II) ad Suburam prope sancti Silvestri et Martini titulum. Sive septem viæ fuerint ad Septizonium Severi, situm ad radices Palatini Montis contra S. Gregorium in Clivo Scauri; sive appellatio corrupta Septizonii abierit in Septodium et Septisolium; ex hac progressione constat e regione SS. Joannis et Pauli, et S. Gregorii in Clivo Scauri S. Luciæ diaconiam esse collocandam et septem vias, quæ nunc etiam ferme patent ad Palatinum, ad arcum Constantini, ad Cœlium per Clivum Scauri, et infra Cœlium ad portam Capenam veterem sub hortis Matthæiorum, et ad novam sancti Sebastiani, nec non in Aventinum, et ad utraque parte circi Maximi, indicare locum Septizonii, unde anonymus Einsidlensis hujus sectionis iter instituit progressurus ad portam Asinariam, circa Lateranorum ædes patentem; quam aliqui putant eamdem ferme haberi oportere cum hodierna sancti Joannis, et ab Asiniorum hortis ac prædiis proximis ita appellatam.

(b) Ad sanctum Erasmum. Contra ædem S. Mariæ in Dominica titulum S. Stephani Rotundi in monte Cœlio, et illi adhærens monasterium S Erasmi jam dixi in præfatione tomi primi n. 49, ubi et prædia ipsi tributa in Græca inscriptione memorari videntur.

(c) In via Latina intus in civitate. Congruit locus declarationi V. C. Fabretti de Aquis et Aquæductibus, n 43, 48 et 58, statuenti sub Hortis Matthæiorum portam Capenam veterem; unde extra Urbem erat divertigium Latinæ ab Appia priusquam Aurelianus pomœrium amplificaret. Quare *Via Latina intra Civitatem* jam recepta ab Anonymo nostro jure exhibetur.

(d) Palatinus. Dextrorsum flectens secus Palatini tractum pertingit occidentem versus ad sanctam Anastasiam. Mox quasi resumpto itinere ex septem viis dextrorsum orientem versus procedit ad ecclesias et cœmeteria extra Urbem via Appia et Ardeatina. Sanctæ Petronillæ et SS. Nerei et Achillei cœmeterium apud Bosium et Aringhium ex ms. Actis Vaticanis indicatur via Ardeatina extra muros Urbis milliario uno et semis. A porta Capena veteri (ubi tunc muri Urbis) paulo ultra Almonem fluvium constitisse dicendum est tum cœmeterium, tum ecclesiam sanctæ Petronillæ, inqua stationem ad

certam diem habitam sub Leone III, ex Bibliothecario comprobat Aringhius loco laudato. Idem cœmeterium, et cætera quæ consequuntur, occurruut etiam Sect. I hujus Itinerarii dum proceditur a Basilica S. Pauli via Ostiensi ad S. Sebastianum, quam vide.

SECTIO X.

Porta (a) Metrovia ad Formam per septima vias.

In dextera Clivus Tauri (Scauri) (*b*)
A S. Stephanum in Celio Monte
Item alia via de porta (*c*) Metrovia
In dextera ad Sanctum Systum.
In sinistra Ecclesia sancti Johannis
Extra Civitatem, in dextera (*d*) S. Januarii
In sinistra, Circus Maximus
Mons Aventinus, Septizonium
Item in eadem via extra Civitatem
Et sic per porticum usque ad (*dd*) S. Januarium, ubi Systus martyrizatus est.
Oratorium Sancti Syxti.
(e) Sancta Eugenia. Ad S. Theodorum.
(e) Sancta Eugenia.
Ad Sanctum Theodorum.

NOTÆ BLANCHINI

(*a*) *Porta Metrovia.* Dictum fuit in notis ad portas Urbis, Metroviam in epistolis S. Gregorii Magni appellari portam Metronis. Fulvio dicitur porta Metrodii, sed quo auctore non constat.

(*b*) *Clivus Tauri.* Recte emendat Mabillon. in margine addens *Clivus Scauri*, ubi S. Gregorius Magnus construxit monasterium S. Andreæ in materna domo dictum *in Clivo Scauri*.

(*c*) *Metrovia.* Intelligimus itaque hanc portam patuisse eo circiter loco, ubi *Aqua crabra*, hodie dicta *la Marrana*, muros Urbis pervadens recipitur in declivi parte orientali montis Cœlii sub titulo S. Stephani Rotundi, et hortis Matthæiorum.

(*d*) *Sancti Januarii, et* (*dd*) *ad Sanctum Januarium ubi Systus martyrizatus est.* Januarii subdiaconi cum Sixto II et sociis passi corpus *sepultum via Appia in cœmeterio Callisti* memorat Bibliothecarius in Sixto II, num. 25. Passionis locum ex Actis colligunt ad templum Martis. Extra Urbem igitur, porta Metrovia, seu Metronis, unde in Latinam et Appiam viam ex æquo patet excursus, inter secundum ac tertium lapidem statuendæ sunt Sixti papæ, Januarii ejus subdiaconi aliorumque martyrum hic recensitorum memoriæ, uti consentiunt auctores Romæ Subterraneæ, et cum his Canonicus Boldettus in Observat. ad Cœmeteria SS. martyrum lib. II, cap. 18, ubi etiam de S. Eugeniæ cœmeterium idem statuit.

(*e*) S. Eugeniæ ecclesiam extra portam Latinam prope cœmeterium S. Stephani papæ ac martyris leges in opusculo infra edendo *in Decima Pora Latina*, quod consule.

Ad hanc sectionem decimam referri posse autumo ea quæ sequuntur pag. 512 edit. Mabillonianæ, licet continuari etiam possint cum extremis verbis in contextu sectionis primæ, ita expressis: *In dextera Palatinus. Et sic per porticum maximum* (maximam) *usque ad Anastasiam, et inde semper.*

Prosectio itineris a basilica S. Pauli ad S. Sebastianum, et inde regressu in Urbem facto per viam Appiam versus S Anastasiam, et ad extremum formæ Claudiæ supra Palatinum, ut a S. Anastasia circa Palatinum flexu instituto per arcum Titi, et Metam sudantem procedatur ad aliud extremum Formæ Claudiæ in Laterano, talis erit, connexa sententia cum verbis præcedentibus *usque ad sanctam Anastasiam, et inde semper per porticum usque ad sanctum Theodorum,* dextrorsum se offerentibus iis quæ in Itinerario ita enumerantur pag. 312.

Palatinus
Testamentum. Arcus Constantini
Meta sudante
Caput Africæ
Quatuor Coronati
Sancti Joannis in Lateranis

Convenit, inquam, progressus iste cum titulo sectionis x, proponentis iter *ad Formam* (ductus Aquæ Claudiæ) *per vii vias.* Supra enim perduxit viatorem ad formæ Claudiæ extremum in Palatinum collem, ut hinc eumdem perferat ad aliud extremum ejusdem formæ Claudiæ intra Urbem, nempe ad aquæductum Lateranensem, ubi a Claudiæ amplissimo specu in porta Nævia Lateranensis forma deducitur in collem Cœlium. Ut itaque ex S. Anastasiæ titulo prope circum Maximum huc perferatur, *per porticum,* intrat primo *ad S. Theodorum,* diaconiam scilicet prope forum argentarium et S. Georgium sitam. Dextrorsum spectatur *Palatinus* collis, quem circuit, donec perveniat ad *arcum Titi,* vocatum ab Anonymo *Testamentum,* quia Veteris Testamenti vasa in triumpho Titi ad Urbem perlata insculpta repræsentat, candelabrum, mensam panum propositionis, et thymiamatis, tubas sacerdotales. Tum procedens ad *arcum Constantini, et metam sudantem,* circa Amphitheatri partem meridionalem invenit *Caput Africæ* sub hortis cœnobii SS. Joannis et Pauli ubi repertus est lapis, positus a pædagogis puerorum *a Capite Africæ*, indicans hunc locum in secunda regione Urbis celebrem, quem referunt Sponius pagin. 227 Miscellaneorum eruditæ antiquitatis, et Fabrettus Inscriptionum fol. 296, n. 257, unde Nardinus corrigitur fol. 99 inducens *Caput Africi* contra textus Victoris et Rufi. Hinc recta ad SS. *Quatuor Coronatos*, et ad *S. Joannem in Lateranis* (ubi *Forma Lateranensis* ductus, et hujus sectionis meta constituta fuerat) viatorem sistit, complens iter *ad Formam per vii vias.*

SECTIO XI.

De porta Appia usque (a) scola Græca in via Appia.

(*b*) Cochlea fracta. Thermæ Antoninianæ
(*c*) Arcus recordationis.
Forma Jobia, Sancti Nerei, et Achillei
Sancti Xysti

NOTÆ BLANCHINI

(*a*) *Scola Græca.* In titulo edit. Mabill. legitur *usque Sancto.* Extendit, ut arbitror, syllabam priorem *sco* dictionis integræ *scola Græca,* putans perinde scriptum superius *sco Sancto,* ac inferius *sci Nerei, sci* Xysti. Sed jungendas esse syllabas et versus uti nos præstitimus, clamat res ipsa, et orationis contextus, et progressus viæ.

(*b*) *Cochlea fracta.* Machinam aliquam *aquariam* hic olium fuisse constructam arbitror, cochleæ, Archimedeæ artificio aquas Appiæ Veteris, quæ humiliores erant, ad editiora provehentem, antequam sublimior ductus Marciæ, seu Anionis novi per Cœlium huc perduceretur, uti supra indicavi, sive etiam post ductus illos a barbaris effractos indicaverit Anonymus cochleam aquariam constructam subsidiario usui humilioris aquæ elevandæ ad superiora, sua deinde ætate confractam.

(*c*) *Arcus recordationis. Forma Jobia,* etc. Hæc jam exposui in sectionibus superioribus.

SECTIO XII.

A porta Aurelia usque ad portam et viam Prænestinam

* Fons Sancti Petri, ubi est carcer ejus
Sancti Johannis et Pauli
Sancti Georgii, Sancti Sergii per Pontem
Capitolium, Umbilicum per Arcum.
Sancti Hadriani. Equus Con.
Tancti Cyriaci, et Thermæ
Constantini. Forum RO.
Forma Claudiana
Item Thermæ Diocletiani
Sanctæ Agathæ
Sancti Vitalis
Sanctæ Pudentianæ
Sancti Laurentii in Formonso, ubi assatus est.
Monasterium S. Agathæ.
(*a*) Molinæ, (*b*) Mica aurea, (*c*) Sanctæ Mariæ
Sancti Chrysogoni, et Sanctæ Cæciliæ
Palatinus. Ad Sanctum Theodorum
Sancta Maria antiqua
Sancti Cosmæ, et Damiani
Palatium Trajani
Monasterium S. Agathæ SUBURA
Sancti Laurentii in Formonso Sancti Vitalis
Sancta Pudentiana, et Sancta Euphemia
(*d*) Palatium Pilati, Sancta Maria Major
Sanctus Vitus. Nympheum
Sancta Biviana
Forma Claudiana
In via Prænestina, foris Murum, Forma Claudiana.

NOTÆ BLANCHINI.

(*a*) ***Molinæ***. Transtiberinam regionem ex porta Aurelia pervadit, ut per pontem Senatorium, sive etiam per Cestium ad Forum pertingat, et progrediatur ad viam Prænestinam. *Molinæ* primum spectantur, sive in Monte Aureo, per aquam Trajanam versatiles, de quibus Fabrettus de Aq. et Aquæduct. num. 247, ex Procopio, τούτου δὲ, etc.: « E regione Transtiberim magnus collis eminet, ibique omnes molitrinæ jam inde olim exstructæ sunt; quippe magna aquæ vis, per alveu i structilem ad collis verticem deducta, inde vehementi cum impetu in declive labitur; » sive fluviatiles, quas necessitate dictante Belisarius adinvenit, incisis videlicet per Gothos in Urbis obsidione aquæductibus, ubi Fabrettus ibidem memorat num, 348 et 350, ex Procopio ita describens: « Pro ponte (*sub Janiculo*) aptatis funibus, et ab utraque fluminis ripa validissime extensis, binos lembos colligavit, hipedali inter utrumque relicto spatio, qua majori impetu e pontis fornice aqua decurrebat; tum duabus molis utrique lembo impositis, in medio machinam, qua molæ volvi possent suspendit. Alios continenter lembos ad eorum rationem qui pone erant, connexuit, ac machinas eodem modo immisit; quæ omnes ordine profluentis aquæ vi circumactæ, appositas sibi molas ciebant, et quantum Urbi opus erat molebant. »

(*b*) ***Mica aurea***. Micam auream Sextus Rufus collocat regione secunda inter mansiones Albanas et Armamentarium. Diversa itaque fuit Mica Aurea, de qua noster Anonymus in hac regione XIV Transtiberina adhuc gradiens ex monte Aureo ad S. Chrysogonum. ***Micam***, de qua Martialis lib. II. ep. 59 *cænationem* esse observavit Nardinus, unde Poeta prospici ait tholum Cæsareum:

Mica vocor; quid sim cernis; cœnatio parva;
Ex me Cæsareum prospicis ecce tholum.

Auream dictam putat ab ornatus elegantia, eoque nomine interpretatur esse unum ex cœnaculis Domitiani. At mihi reputanti animo Martialem celebrare lib. IV, ep. 64, villam alterius Martialis in Janiculo positam, quam luculenter describit illis versibus:

Tulli jugera pauca Martialis
Longo Janiculi jugo recumbunt, etc.

subit cogitatio de *Mica Aurea* hic memorata ita sentiendi, ut cœnaculum fuerit in monte Aureo sive Janiculo, vel a montis nomine dictum *Mica Aurea*, vel ad exemplum illius cœnationis Augustæ, quam Nardinus Auream ab elegantia cultus credidit camdem in secunda regione a Rufo collocatam.

(*c*) *Sanctæ Mariæ*. Transtiberim: unde ad S. Chrysogonum progressus, *per pontem* (Cestium, sive per Senatorium, aut etiam per Sublicium) tendit *per arcum* (Jani fortasse quadrifrontis, spectabilem apud S. Georgii diaconiam, et arcum Argentariorum) ad *Palatinum, et ad sanctum Theodorum*. Ibi sancta *Maria Antiqua*, et reliqua ædificia, jam explicata in sectionibus superioribus.

(*d*) *Palatium Pilati*. Nisi hoc nomen vulgari somnio tribuendum sit, quale nostra ætate confingunt inepti quique e plebe, Pilati palatium similiter appellantes, citra ullius scriptoris testimonium, ædes ad pontem Senatorium superstites prope S. Mariæ Ægyptiacæ, quas olim inhabitatas ferunt a Nicolao Laurentii filio, crederem libenter *thermas*, et palatium *Novati*, conversas fuisse ab Anonymo nostro, vel ab ejus descriptore sæculi octavi vel noni in *Palatium Pilati*.

* *Fons sancti Petri, ubi est carcer ejus*. A porta Aurelia procedentibus ad Titulum SS. Joannis et Pauli nullus, quod sciam, fons sancti Petri vel carcer occurrit. Fons et carcer S. Petri vinculis et baptismo SS. Processi et Martiniani illustratus ab antiquariis ponitur ad Mamertinum ad radices Capitolii. Puto Anonymum nostrum memoria lapsum confundere fontem *S. Petri* ad sanctam Priscam in Aventino, ubi administratum ferunt ab apostolorum principe baptisma, cum alio fonte ad Mamertinum *ubi carcer ejus* ex communi sententia asseritur, et fontis scaturigine comprobatur. Ductus itineris hac in sectione suscepti *a porta Aurelia ad sancti Joannis et Pauli* fontem alium sancti Petri vix potest indicare, quam in titulo *sanctæ Priscæ*, ubi fertur exceptus hospitio beatus apostolus. Inde ex Aventino fit progressus ad orientalem plagam Circi Maximi, et ad titulum *SS. Joannis et Pauli*, tum ad *sancti Georgii, ad Capitolium* et reliqua loca in Itinerario descripta.

Præter vias inter Urbem sectionibus superioribus definitas, leguntur apud Anonymi Itinerarium, edit. Mabill. pag. 513, fragmenta indicantia memorias martyrum et cœmeteria extra murorum ambitum ita detruncata, ut operæ pretium non sit eadem supplere, cum ex opusculo proxime consecuturo distincte recenseantur. Fragmenta Einseldensis codicis pag. indicata ita redduntur.

In via Portensi extra Civitatem.

In Via Aurelia extra Civitatem, in dextera Sancti...
In Via Salaria extra Civitatem, in dextera Sanctæ...
In Via Pinciana extra Civitatem, in dextera Sancti..
Proti et Hiacynti. Sancti Hermetis.

Item in dextera.

Abdo, et Sennes
Pancratii, Processi, et Martiniani
Saturnini, Sanctæ Felicitatis cum VII. Filiis
Basilissæ, Sancti Pamphili
Sancti Johannis caput.

APPENDIX AD OPUSCULUM PRÆCEDENS.

DE REGIONIBUS URBIS ROMÆ.

Cum hocce opusculo septimi, vel octavi sæculi itinera intra Urbem descripta sint per quatordecim istius regiones quarto ante ipsum sæculo a Rufo, et a Victore descriptas, placuit editoribus Analectorum illi præfigere titulum *Descriptio regionum Urbis*. Propterea censuimus nonnihil prodesse ad illustrandum Anastasium, et Vitas, ubi regiones Urbis præsepe indicantur.

Verum regiones Anastasio, et bibliothecariis recensitæ, sunt septem illæ; quandoque occurrentes etiam in libris Ritualibus ordinis Romani, in quas summi pontifices redegerunt vetustas quatuordecim, ab Augusto constitutas, et in antiquis lapidibus singillatim enumeratas, præcipue vero in Capitolino marmore sub Adriano apud Gruterum edito fol. 248, n. 8, quarum in locum successerunt paulo diversa circumscriptione quatuordecim regiones Urbis hodie dictæ *Rioni*. Videmur itaque Vitarum expositioni, et lectorum commodo felicius consulturi, si præter viarum indicia, proponamus per brevem indicationem tum regionum quatuordecim ab Augusto positarum et sub Theodosio principe per Victorem, et Rufum descriptarum per potiora ædificia in iisdem inclusa; tum septem ecclesiasticarum (ut vocant) quas pontifices nostri totidem diaconis administrandas concrediderunt, nec non subdiaconis, ac notariis, ad acta martyrum scribenda et colligenda. Utræque nitidius perciperentur, si delinearentur in Tabula una cum indiciis viarum, addita etiam parte agri suburbani, quæ commonstraret cœmeteria Martyrum potiora intra secundum aut tertium lapidem ab Urbis mœnibus. Id vero præstare facili negotio quis poterit, si unica figura complectatur unam apud Nardinum incisam in fine libri primi, et duas, vel tres a Fabretto delineatas in opusculo erudito de Aquis et aquæductibus. Numeris 1, 238 et 248. A Nardiniana colliget regiones quatuordecim civiles. A Fabrettianis mutuabitur vias, et agri Romani suburbani mensuras diligentissime ab eo captas, et incisas: unde cœmeteriorum loca per vias singulas assignare, [adhibitis etiam Bosio, Aringhio, de Roma subterranea, et Boldetto de Observationibus ad Cœmeteria], non erit arduum. Si per typographum licuerit, tabulam topographicam curabimus Prolegomenis in fine apponendam. Interim ex Nardino indicatis quatuordecim regionibus civilibus Augusti decreto definitus, et figura ab ipso delineata utemur pag. 50, nonnihil tamen corrigenda ex Fabretto in regione prima, propter situm veteris portæ Capenæ, a Fabretto verius indicatum sub hortis Matthæiorum. Ejusdem etiam Nardini sententiam de septem ecclesiasticis regionibus Latine reddemus, quam probari maxime doctissimis viris intelligimus, præsertim Mabillonio in Commentario ad Ordinem Romanum ita scribenti pag. 18:

« Explorata est Urbis divisio in septem regiones ecclesiasticas, cum ex Augusti decreto in quatuordecim fuisset distributa: sed longe obscurior est, quæ tamen longe posterior fuit, divisio illa ecclesiastica, utpote modo obsoleta, quam civilis, hactenus retenta. Omnium optime Nardinus situm, ac limites cujusque regionis ecclesiasticæ assignavit ex Anastasio, qui montem Aventinum in prima, in secunda viam Mamertinam, basilicam S. Laurentii super sanctum Clementem in tertia, et caput Tauri in quinta collocat. Alias designat idem auctor ex conjectura. His adde in regione quarta titulum Vestinæ, ex veteri inscriptione quæ legitur in Romæ subterraneæ tomo II, seu lib. IV, cap. 25, ubi laudatur *Abundantius, acolythus reg. quartæ tt. Vestinæ*. Qui titulus SS. Gervasii, et Protasii, seu sancti Vitalis postea appellatus. »

Nardini sententiam igitur de regionibus ecclesiasticis, quam cap. 4, libri secundi perscripsit, ita reddam. Præmonet Augusto placuisse numerum regionum Urbis, qui quaternarium non excedebat ex antiqua partitione, commodioris regiminis causa ad quatuordecim augere, quarum fines ex recensitis per Victorem, et Rufum, et Notitiam Imperii ædificiis ac locis illustrioribus hodie etiam cognitis, conatus est ipse nobis exhibere punctuatis lineis in figura pag. 50. Tum subdit:

Major difficultas subest (finium regionibus assignandorum) *per tempora primitivæ Ecclesiæ*, quando regiones distributæ fuerunt per pontifices (nostros) notariis, ac diaconis: De Clemente I scribit Anastasius: *Septem notarios instituit quibus regiones divisit, ut gesta martyrum*, etc. Ubi cum agatur de quatuordecim antiquis regionibus distributis intra septem notarios, credibile est, duabus regionibus singulos notarios præposuisse Clementem (plures quippe non requirebat in singulis exiguus numerus Christianorum, qui erat per Urbem ferme æquabiliter dispertitus); aut pro modo majoris numeri, vel minoris, et in unaquaque regione diversi, a beato Clemente regionem alicui unam, alteri duas, vel tres fuisse assignatas. Idem Anastasius prodidit de Evaristo, septem diaconos fuisse ab eo constitutos: quibus Fabianus regens Ecclesiam circa annum Christi 238 divisit quatuordecim regiones urbanas. *Regiones urbanas septem diaconibus divisit, septem quoque subdiaconos creavit, qui septem notariis imminerent*, etc. Hucusque, licet notarii, ac diaconi dicantur septem tantummodo; attamen regiones apparent totidem

atque eædem fuisse apud Christianos, quæ apud ethnicos habebantur, neque leguntur imminutæ a numero bissepteno. Quare Ciaconius fallitur in Vita Hygini ita perscribens : « Ad promovendam religionem Christi, prædicationem, baptismum, et eucharistiam administrandam septem primum diaconi, septem regionibus præfecti, quæ solæ ex quatuordecim ab incendio Neronis salvæ et incolumes evaserunt, attestante Tacito, qui ait : *In regiones quatuordecim Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant, tres solo tenus dejectæ, septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant laceru et semiusta.* » Nam neque Tacitus affirmat solas septem mansisse habitatas, sed tantum asseverat quatuor intactas, tres destructas septemque partim laceras inde spectatas : neque post incendium minus culta, et habitatoribus frequens Roma fuit, quam antea fuisset, asserente Tacito restitutam fuisse, ac refectam elegantiorem. Colligitur etiam ex inscriptione in Capitolinis conservatorum ædibus asservata, Urbem in quatuordecim regiones peræque divisam etiam ætate Adriani ; quæ talis est qualem Panvinius, et Gruterus referunt, licet Nardini editio variet.

IMP. CAESARI DIVI
TRAIANI PARTHICI. FIL.
DIVI NERVAE NEPOTI
TRAIANO HADRIANO
TRIBVNIC. POTESTAT. XX.
MP. II. *COS* III. *P. P.*
MAGISTRI VICORVM URBIS
REGIONVM XIIII

Præterea tradit Anastasius, a S. Clemente distributas fuisse notariis regiones quatuordecim, non vero septem.

Ad id, plura post sæcula, quibus Romano imperio incrementum nullum accesserat, et in Urbe Roma incolarum numerus valde imminutus fuerat post orientalis imperii caput Constantinopolim ædificatam, Victor descripsit non solas septem regiones ab incendio Neroniano superstites, sed veterum quatuordecim numerum universum. Assentior quidem inter Christianos postea obtinuisse, ut regiones dicerentur septem. Quod si in Vita B. Caii Anastasius scribit, eas pariter fuisse divisas : *Hic regiones divisit diaconibus* ; et si in concilio Romano secundo, actione secunda, legitur de sancto Silvestro : *Fecit septem regiones, et diaconibus divisit* ; necesse est colligere, antiquas illas quatuordecim a pluribus pontificibus varie fuisse divisas, quandoque notariis, aliquando diaconis distributas, id est unam præ altera modo ampliorem, modo angustiorem, prout Christianæ professionis hominibus abundaret magis, aut destitueretur : donec sublatis persecutionibus B. Silvester ad septem non ultra mutabiles eas redegit. In Vita Simplicii papæ circa annum Domini 464, Anastasius ita perscribit : « Hic constituit ad S. Petrum apostolum, et ad sanctum Paulum apostolum, et ad sanctum Laurentium martyrem hebdomadas, ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes et baptismum. Regionem tertiam ad sanctum Laurentium : regionem primam ad Paulum. Regionem sextam et septimam ad sanctum Petrum, etc. Sed hebdomadarii isti pro quatuor regionibus constituti, cum septem essent, quod alias tres regiones Heruli occuparent, qui catholicæ Ecclesiæ minime communicarent, ut pote qui secta essent hæretici Ariani ; » ubi de septem tantummodo regionibus fit sermo. Haud facile adducar, ut credam, fuisse a B. Silvestro septem novas regiones inductas, nulla antiquarum ratione habita : cum nulla subesset causa cur Christiani contra Urbis consuetudinem, difficile id negotium tentarent. Id potius crediderim tractu temporis evenisse, ut duæ proximæ regiones uni concreditæ ad procurandum in unam veluti coalescerent, et S. Silvestro decernente ita imposterum servari, haberentur inde perpetuo tanquam septenæ.

Quænam vero fuerint, hæ septem jugatæ regiones, nemo nobis edisserit, neque facile quis explicuerit. Attamen id tentare gradatim placet. Primo enim facem nobis præferunt recitata verba Anastasii. Cum basilicæ B. Pauli addicta sit a S. Simplicio regio prima ethnica portæ Capenæ, tractus nempe excurrens extra Urbem usque ad ecclesiam S. Sebastiani foris muros, et eidem basilicæ proximus ; Regio decima tertia Aventinensis ipsi basilicæ proximior ratione viciniæ conjuganda fuisse videtur præ cæteris cum illa prima : quam conjugationem non probabilem modo, sed certam reddit idem Anastasius in Vita Eugenii hæc perscribens : *Eugenius natione Romanus de regione prima Aventinense.* Confirmatur ex epistola 19 libri XXI S. Gregorii Magni : *Præcipimus, ut hortum quemdam Politani presbyteri, positum in regione prima ante gradus S. Sabinæ, excusatione postposita*, etc.

Alia verba Anastasii in Simplicio, *Regionem tertiam ad sanctum Laurentium*, ostendunt pari facilitate tertiæ regioni (ethnicis dictæ Isidis et Sarapidis, extensæ vero supra Esquilias, ex eo circiter loco ubi hodie consistunt ecclesiæ S. Petri ad Vincula, et SS. Silvestri et Martini de Montibus dicti, ad aliam crepidinem Cœlii, ubi SS. Petri et Marcellini titulus erectus est, includenti quidquid in declivi parte collium jacet inter S. Clementis titulum, Amphitheatrum Flavium, et Suburam), tertiæ, inquam, huic regioni ostendunt copulatam fuisse quintam, complexam reliquas Esquiliarum partes cum colle Viminali ; cum regio nulla esset proximior ecclesiæ S. Laurentii extra muros. Confirmatur ista conjunctio ex epistola 58 lib. II S. Gregorii papæ, in qua domus Merulana, ubi hodie titulus S. Matthæi visitur ad fines quintæ referatur ad regionem tertiam : *Quia igitur ecclesia positam juxta domum Merulanam regione tertia.* Suffragatur etiam Anastasius in Adriano, dicens ecclesiam S. Clementis in ruinis esse positam regionis tertiæ : *Titulum vero beati Clementis*, quod etiam casurum erat, et in ruinis positum *Regionis tertiæ*, quæ scilicet ecclesia est in extremo margine secundæ, sed tertiæ subest, circa quam hujus ruinæ cadere potuerunt. Evidentius tamen

percipitur ex eodem Anastasio in Vita Stephani III : *Restauravit basilicam S. Laurentii super S. Clementem regione tertia.* Nulla pariter difficultas impedit quominus assequamur quartam, si perpendamus verba S. Gregorii in 5 epistola secundi libri. *Quatenus domum positam in hac urbe regione quarta, juxta locum qui appellatur Gallinas albas* ; locum scilicet a Rufo, et a Victore recensitum in sexta regione dicta *Alta semita*, in Quirinali posita, et adhærenti quartæ ad templum Pacis, extensæ vero a loco nunc dicto *li Pantani* ad Suburam recentiorum. Duæ vero, quas Anastasius indicat proximas fuisse basilicæ Vaticanæ in Vita Simplicii, nempe sextam, et septimam, quænam fuerint, manifestum esse videtur ; cum nulla pars Urbis (si Transtiberinam excipias) conjuncta magis affinitate loci quam planities campi antiquitus divisa duas in regiones, nempe in septimam, quæ *via Lata* dicitur, et nonam, cui nomen inditum Circus Flaminius : quibus ita jugatis ecclesiasticæ regionis septimæ appellatio, ut arbitror, tributa fuit. Sextæ autem nomen, [cum sexta ethnicorum quartæ conjuncta jam dicta sit] oportet tributum fuisse regioni quartædecimæ Transtiberinæ, in qua S. Petri ecclesia consurgit. Huic nulla ex aliis Urbanis regionibus uniri facile potuit ; Tiberino fluvio a cæteris omnibus eam longe separante ; et cum illa amplitudine sua satis occupet notarium proprium, et diaconum. Supersunt e Christianis regionibus duæ, secunda, et quinta ; et ex quatuordecim ethnicis quinque, nempe secunda, octava, decima, undecima et duodecima. Ad secundam Christianam pertinuisse etiam octavam ethnicorum, dictam *Forum Romanum,* ostendit Anastasius ; dum Zacharias declarat S. Georgii diaconiam dictam in Velabro, loco scilicet ad octavam Veterum pertinente, recenseri in secunda : *In venerabili diaconia nominis* [S. Georgii] *sita in hac Romana civitate regione secunda ad Velum aureum.* Ita etiam in Vita Anastasii ait : *Hic fecit basilicam, quæ dicitur Crescentiana, in regione secunda in via Mamertina in urbe Roma :* quam viam ferme evidenter constat fuisse prope carcerem sub Capitolio dictum Mamertinum in regione Fori Romani : et rationabile videtur asserere conjunctam fuisse cum octava regione undecimam, nuncupatam *Circi Maximi,* aut saltem illius partem longiori simul et angustiori tractu juxta Tiberim excurrentem. Secundæ nomen fortasse obtinuit ex eo quod primæ adhæreret sub Aventino. Mihi vero non opponantur Acta S. Martinæ, ubi ecclesia illa dicitur regionis sextæ ; nam via Mamertina, et diaconia S. Georgii ad Velum aureum dicuntur ab Anastasio spectare ad regionem secundam ; eodemque teste Simplicius ponit regionem sextam proximam basilicæ S. Petri : quæ omnia comprobant mendose descriptum fuisse numerum in Actis S. Martinæ ab amanuensi, qui loco unitatis I substituit quinarum V, et ex regione II fecit IV. Quinta denique regio ecclesiasticæ partitionis quænam alia fuerit, nisi decima Veterum dicta *Palatium* aut secunda, cui nomen *Cœlimontana*, aut duodecima, appellata *Piscina Publica ?* Ex Bibliothecario in Anastasio II apparet cognomentum *Thauma* ad eam pertinere, nec non aliud nomen *Caput Tauri : Anastasius* [inquit] *notione Romanus ex patre Petro de regione quinta Tauma Caput Tauri :* de qua etiam prius dixerat in Alexandro : *Natione Romanus ex patre Alexandro de regione caput Tauri.* Utrumque nomen exhibet nobis decimam. Nam *Thauma* [quod Latine est *admirandum*] vix cuiplam dignius aptari potest quam Palatio Augustorum, quod maximam regionis partem complectebatur : et *Caput Tauri*, vel fuit peculiaris ille vicus Palatini collis dictus *Capita Bubula,* aut pars imminens Foro Boario, ab æneo Tauro nomen fortasse adepta. Decimæ vero necessarium est secundam fuisse conjunctam, cui nomen *Cœlimontanæ* fuit, nec non fortasse duodecimam illi subjacentem perbrevi gyro : nisi hæc copularetur cum prima, portam Capenam, et Aventinum includente. Hæc fuerant ex meis conjecturis exponenda de septem regionibus ecclesiasticis urbis Romæ. Hactenus Nardinum audivimus : qui cum Martinellum sequi in pluribus fateatur, necesse nobis est ejusdem caput 4 Romæ sacræ, aut partem transcribere quod supradictarum partitionum elenchus erit, et breviarium.

« Ex instituto, inquit, pauca de sacræ Urbis regionibus explicabimus. Gentilium Romanorum Urbem ab Augusto Cæsare in regiones quatuordecim fuisse divisam, refert Suetonius cap. 30. Eamdem in Neroniano incendio majori ex parte arsisse scribit Tacitus his verbis : In regiones quatuordecim Roma dividitur, quarum quatuor integræ manebant ; tres solo tenus dejectæ : septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant, lacera et semiusta. Et licet eamdem decimo Neronis anno suis resurrexisse e flammis historici testentur, nihilominus scriptores sacri de septem regionibus tantum verba faciunt, quod duabus forsan simul junctis, per has a ministris Ecclesiæ Romanæ sua munia exerceri pontifices decreverint, ut infra dicemus. Has sic ab Anastasio Bibliothecario recensitas invenimus.

« Regio I Aventinensis in Eugenio I pontifice, et in Simplicio I.

« Regio II in qua Via Mamurtina in Anastasio II pontifice : et diaconia S. Georgii ad Velum aureum, in Zaccharia I.

« Regio III notatur in Simplicio I. In hac sita est basilica S. Laurentii, in Stephano III. Titulus S. Clementis, ibidem, et in Adriano I.

« Regio IV in qua ex patre Sergio natus fuit Sergius II pontifex.

« Regio V, Tauma Caput Tauri, in Alexandro I *et* Anastasio II.

« Regio VI in Simplicio papa. In ea templum S. Martinæ, et arcus Triumphalis Septimii Severii, ut in Actis dictæ sanctæ.

« Regio VII in eodem.

« In has igitur regiones, tanquam in majora membra, pontifices urbem, ni fallimur, diviserunt:

et cuique regioni notarii, subdiaconi, diaconi, presbyteri, qui alio nomine vocantur episcopi, et defensores ordinati sunt. »

His ita ex Martinello ac Nardino observatis, obscura esse non potest regionem ecclesiasticarum partitio, quæ ad illustrandum Anastasium debuit præmitti. Subdit Nardinus in fine capitis quarti regionibus quatuordecim in Urbe nunc vigentibus nihil esse commune cum totidem ab Augusto constitutis: et recentes has referri oportere ad ea infausta tempora, quibus Romanus populus factiosorum ambitu, ac perduellium tumultu excitatus legitimum pontificis maximi dominatum excutere, et consulare nomen, ac senatorium invehere cum quadam reipublicæ popularis specie tentavit. Fuerit necnon recentiorum regionum epocha ad ea tempora referenda, parum refert ad Anastasii textum explicandum, qui multo ante absolvitur. Reticere tamen non debeo, quatuordecim regionum civilium numerum, et situm undecimo etiam Christi sæculo præservatum, et signatum in Actis publicis. Nam inter cætera documenta legitur fol. 539 in regesto Archivi Farfensis, sæpe memorato in notis ad opuscula XII, XIII, XIV, traditio domorum publicis tabulis peracta a clero diaconiæ sancti Eustachii anno *Quinto Benedicti* (VII) *summi pontificis*, *Henrici* vero (II) *imperatoris tertio per indictionem* XV, *mense Januarii* 23 (hoc est anno Christi 1017), quæ domus indicantur *positæ Romæ regione nona in scorticlari inter Thermas Alexandrinas, et inter hos fines, ab uno latere tenentem Benedictum presbyterum, qui est hujus nostræ diaconiæ sancti Eustachii, et oratorium Salvatoris*, etc. Regio igitur nona tunc signabatur [quæ nunc dicitur A S. Eustachii] et in ea sitæ una cum diaconia supradicta Thermæ Alexandrinæ, et oratorium Salvatoris, quæ omnia hodieque supersunt.

Illud quoque ex Martinello tenendum est, regiones dici minus proprie apud ecclesiasticos auctores etiam minora Urbis membra, seu vicos, olim appellatos ab eorumdem parte insigniori, ut AVENTINENSIS, COELII MONTIS, FELLONIA, PIRI, VIAE LATAE, MERULANA, PATRICII, et PORTAE METODII: vel ab aliquo ejusdem vici ædificio insigni, ut COLOSSEI, NAVMACHIAE, AD DVOS ADAMANTES, CAPVT TAVRI. THAVMA, et ORTAE; itemque GALLINAE ALBAE. Aliquando ab ecclesiis in vico sitis regio nomen accepit, ut S. THEODORI, S. ADRIANI. Tandem regionem BIB BARETICAM repertam a se dicit in quodam epitaphio etiamnum superstite ad S. Laurentii extra muros, ad quam regionem referri ait monasterium S. Andreæ retro basilicam duodecim Apostolorum. Hanc pariter regionem, hodie dictam *Montium* a *Vivario* appellatum puto, insigni ædificio, et parte *Castri Prætorii*. Nam a quinto et sexto sæculo centenæ inscriptiones, et membranæ veterum codicum nos docent, perscriptum fuisse BIBARIVM quod erat VIVARIVM pronuntiandum, a Gothis corrupta voce, non secus atque in Hispania præstiterunt. Ne igitur tot nomina ejusdem regionis implexum reddant Anastasii textum, hæc addenda censuimus ex laudatis auctoribus breviter colligentes, per hactenus deductas observationes ita pariari septem ecclesiaC sticas regiones cum bis septenis ab Augusto designatis in urbe Roma, uti sequens tabella docet.

Nomina ecclesiasticarum regionum Urbis.	*Regiones Augusti veteres eisdem ecclesiasticis respondentes.*
Regio prima	Regio I. *Porta Capena*
	Regio XIII. *Aventinus*
Regio secunda	Regio II. *Cœli montium*
	Regio VIII. *Forum Romanum*
Regio tertia	Regio XI. *Circus Maximus*
	Regio III. *Isis et Serapis*
Regio quarta	Regio V. *Esquilina*
	Regio IIII. *Via Sacra*
Regio quinta	Regio VI. *Alta semita*
	Regio X *Palatium*
Regio sexta	Regio XII. *Piscina publica*
	Regio XIIII. *Transtiberim*
Regio septima	Regio VII. *Via Lata*
	Regio VIIII. *Circus Flaminius*

ENUMERATIO AC DESCRIPTIO TOPOGRAPHICA

CŒMETERIORUM SS. MARTYRUM PROPE URBEM

DESUMPTA

Ex Historia Malmesburiensis circa finem sæculi XI.

Willelmus Malmesburiensis de gestis regum Anglorum agens libro IV, ubi prosequitur Acta Willelmi II regis, circa annum 1096, cum Romam perducat nationis suæ viros, ad orientalem expeditionem se comparantes per religionis officia, eoque nomine sacram peregrinationem suscipientes ad omnium Ecclesiarum matrem, ac magistram, ut martyrum cœtus positum apostolorum principem, et martyrum cœtus innumeros venerarentur, præmittit descriptionem cœmeteriorum, in quibus memoria eorumdem martyrum celebraretur, ex quo ibidem sepulti nomen iisdem sacris cryptis. et supra illas fundatis ecclesiis, sive oratoriis, dederunt. In præcedenti opusculo septimi, vel octavi sæculi delibata ea tantum fuerant ab anonymo in suo Itinerario. Hic vero diligentius perquisita, et enumerata cum legantur ab auctore undecimi sæculi, valere plurimum censui ad Anastasii Vitas illustrandas, in quibus utramque paginam frequenter implent indicatio cœmeteriorum, ubi pontifices sepeliebantur, et reparationes, ac donaria a successoribus continenter oblata, ad Dei cultum in his sacris arenariis, aut in ecclesiis super ea constructis, decenter administrandum. Juxta numerum portarum Urbis ac viarum procedit etiam Villelmus iste in suo Itinerario : cui nullæ propemodum notæ adhibendæ sunt ; cum perspicue satis exponat et ordinate sententiam suam. Quare illius verba tantummodo transcribenda curavi ex folio 134 editionis Francofurtensis anno 1601 impressæ. Hæc autem sunt :

« Sed ne quid honori desit, adjiciam et portarum numerum, et multitudinem sacrorum cinerum : et ne aliquis obscuritate verborum causetur se a cognitione rerum rejici, erit sermo quotidianus, et levis.

« Prima porta Cornelia, quæ modo dicitur porta sancti Petri, et via Cornelia. Juxta eam ecclesia beati Petri sita est, in qua corpus ejus jacet, auro et argento, et lapidibus parata, et nullus hominum scit numerum martyrum qui in eadem ecclesia pausant. In eadem via est ecclesia altera, in qua requiescunt sanctæ virgines Rufina et Secunda. In tertia sunt Marius, et Martha, et Audifax et Abacuc filii eorum

« Secunda porta Flaminea, quæ modo appellatur sancti Valentini, et Flaminea via, et cum ad pontem Molbium [Milvium] pervenit, vocatur via Ravennana, quia ad Ravennam ducit. Ibi in primo A milliario foris sanctus Valentinus in sua ecclesia requiescit.

« Tertia porta Portiniana [*al.*, Porciniana] et via eodem modo appellata, sed cum pervenit ad Salariam, nomen perdit, et ibi prope in eo loco qui dicitur Cucumeris, requiescunt martyres Festus, Joannes, Liberalis, Diogenes, Blastus, Lucina, et in uno sepulcro 240 [*al.*, 260] et in altero 30.

« Quarta porta, et via Salaria, quæ modo sancti Silvestri dicitur. Ibi juxta viam sanctus Hermes requiescit, et sancta Vasella, et Prothus, et Jacinctus, Maximilianus, Herculanus, Crispus : et in altero loco prope requiescunt sancti martyres Pamphilus, et Quirinus septuaginta gradibus in imo terræ. Deinde basilica sanctæ Felicitatis, ubi quiescit illa, et Silanus filius ejus, et non longe Bonifacius martyr. Ibidem in altera ecclesia sunt Crisantus, et Daria, et Saturninus, et Maurus, et Jason, et mater illorum Hilaria, et alii innumerabiles. Et in altera basilica sanctus Alexander, Vitalis, Martialis, filii sanctæ Felicitatis. Et sanctæ septem virgines, Saturnina, Hilarina, Dominanda [*al.*, Dunanda], Rogantina, Serotina, Paulina, Donata. Deinde basilica sancti Silvestri, ubi jacet marmoreo tumulo coopertus, et martyres Cœlestinus, Philippus, et Felix, et ibidem martyres 365 in uno sepulcro requiescunt ; et prope Paulus, et Crescentianus, Prisca, et Demetrius, Praxides [*al.*, Praxedis], Potentiana pausant.

« Quinta porta Numentana. Ibi sanctus Nicomedes presbyter, et martyr : itemque via eodem modo dicitur. Juxta viam sanctæ Agnetis, et ecclesia et corpus, in altera ecclesia sancta Emerentiana, et martyres Alexander, Felix, Papias, in septimo milliario ejusdem viæ sanctus papa Alexander cum Eventio et Theodolo pausant.

« Sexta porta et via Tiburtina, quæ modo dicitur Sancti Laurentii, juxta hanc viam jacet S. Laurentius in sua ecclesia, et Habundius martyr. Et ibi prope in altera ecclesia, pausant hi martyres Ciriaca, Romanus, Justinus, Crescentianus ; et ibi non longe basilica sancti Hippolyti, ubi ipse cum familia sua pausant, id est decem et octo. Et ibi requiescunt beata Trifena uxor Decii, et filia ejus Cirilla, et Concordia nutrix ejus. Et in altera parte viæ ejus est ecclesia Agapiti martyris.

« Septima porta modo Major, olim Sirucrana [*al.*, Syracusana] dicebatur, et via Lavicana dicitur, quæ ad beatam Helenam tendit. Ibi sunt prope Petrus,

Marcellinus, Tiburtius, Geminus, Gorgonius, et quadraginta milites, et alii innumerabiles : et non longe sancti quatuor Coronati.

« Octava porta sancti Joannis, quæ apud antiquos Asseranica [*al.*, Assenarica] dicebatur.

« Nona porta Metrosa dicitur, et coram istis ambabus via Latina jacet.

« Decima porta, et via Latina dicitur. Juxta eam requiescunt in una ecclesia martyres Gordianus, et Epimacus, Sulpicius Servilianus, Quintinus, Quartus, Sophia, Tryphenus ; et ibi prope in alio loco Tertullinus, et non longe ecclesia beatæ Eugeniæ, in qua jacet et Claudia mater ejus, et Stephanus papa cum clero suo numero decem et novem, et Nemesius diaconus.

« Undecima porta, et via dicitur Appia. Ibi requieverunt sanctus Sebastianus, et Quirinus, et olim requiescunt apostolorum corpora. Et paulo propius Romam sunt martyres Januarius, Urbanus, Xenon, Quirinus, Agapetus, Felicissimus. Et in altera ecclesia Tiburtius, Valerianus, Maximus ; et ibi reconditi sunt Stephanus, Sixtus, Zefferinus, Eusebius, Melchiades, Marcellus, Eutichianus, Dionysius, Antheros, Pontianus, Lucianus papa, Optatus, Julianus, Calocerus, Parthenius, Tharsicius, Politanus [*al.*, Policamus] martyres. Ibidem ecclesia sancti Cornelii, et corpus. Et in altera ecclesia sancta Sotheris, et non longe pausant martyres Hippolytus, Adrianus, Eusebius, Maria, Martha, Paulina, Valeria, Marcellus, et prope papa Marcus in sua ecclesia. Inter viam Appiam, et viam Ostiensem est via Ardeatina, ubi sunt Marcus, et Marcellianus, et ibi jacet Damasus papa in sua ecclesia. Et non longe sancta Petronilla, et Nereus et Achilleus, et alii plures.

« Duodecima porta, et via Ostensa [*al.*, Ostiensis] dicitur, modo porta S. Pauli vocatur, quia juxta eam requiescit in ecclesia sua. Ibidemque Timotheus martyr : et non longe in ecclesia sanctæ Theclæ sunt martyres Felix, et Adauctus, et Nemesius. In aqua Salina est caput Anastasii martyris.

« Tertiadecima porta Portuensis dicitur et via. Ibi prope in ecclesia sunt martyres Felix, Alexander, Abdon, et Sennes, Symeon, Anastasius, Polion, Vincentius, Milex, Candida et Innocentia.

« Quartadecima porta, et via Aurelia, quæ modo porta sancti Pancratii dicitur, quod juxta eam requiescit in sua ecclesia, et alii martyres Paulinus, Arthemius, sancta Sapientia cum tribus filiabus, Fide, Spe, Charitate. In altera ecclesia Processus, et Martinianus, et in tertia, Felices duo, et in quarta Calixtus, et Calepodius, et in quinta sanctus Basilides. Duodecimo intra urbem milliario in monte Cœlio sunt martyres Joannes, Joannes et Paulus, et in sua domo; quæ facta est ecclesia post eorum martyrium, et Crespinus et Crespinianus, et sancta Benedicta. In eodem monte est ecclesia sancti Stephani protomartyris, et ibi reconditi sunt martyres Primus, et Felicianus, in monte Aventino sanctus Bonifacius, et in monte Nola sancta Tatiana pausat. »

NOTÆ BLANCHINI

Nullas propemodum notas huic opusculo esse adhibendas dixi ; cum satis aperta sunt tum ea quæ Willelmus contendit enumerare, tum vitiosa scribendi ratio, quæ pro illius sæculi imperitia obrepserat in aliquot nomina, nostra in editione idcirco retenta, ut ad verbum redderemus textum exemplaris unde opusculum petebatur. Ejusmodi vero sunt, quæ rerum intelligentiam non turbent : veluti cum porta et via *Flaminea* pro Flaminia scribitur, *Assenarica* pro *Asinaria*, *Metrosa* loco *Metroviæ*, seu *Metroniæ*, martyr *Xenon* qui *Zenon* erat appellandus, seu *Zeno*, etc. His igitur leviusculis erratis prætermissis, unum et alterum locum declarandum duxi.

Prior est in *prima porta Cornelia* et *via Cornelia*. Viam *Corneliam* agnoscimus cum Panvinio ex Victore, quam ex vetustis inscriptionibus arguimus sitam fuisse inter *viam Triumphalem*, et duas *Aurelias* [veterem et novam]. Panvinius, pag. 118 : *Viam Corneliam, cujus non nisi in marmoreis inscriptionibus, et apud P. Victorem mentionem exstare vidi, mediam inter Aurelias, et Triumphalem hac regione fuisse ex his inscriptionibus conjicio.*

Romæ in domo Cæsia.

C. SALLIO ARISTAENETO C. V.
SEPTEM VIRO. EPVLONVM
SODALI. AVGVSTALI. IVRIDI
CO. PER. PICENVM. ET APVLIAM
CVRATORI. VIARVM. AVRELI.
AE. CORNELIAE. TRIVMPHALIS etc.

Item Tibure in pariete ædis. S. Pauli.

C. POPILLIO. C. F. QVIR. CARO
PEDONI. COS. VII. VIRO EPVLON.
SODALI. HADRIANALI. LEGATO
IMP. GAESARIS. ANTONINI. AVG.
PII. PROPR. GERMANIAE. SVPER. ET EX
ERCITVS. IN EA. TENDENTIS. CVRATOR.
OPER. PVBLICOR. PRAEF. AERAR. SATVR.
CVRATORI. VIAR. AVRELIAE. VETERIS. ET
NOVAE. CORNELIAE. ET. TRIUMPHALIS etc.

Easdem inscriptiones Gruterus quoque retulit, hanc fol. 457, n. 6, illam fol. 465, in duplici basi sculptam, Asculanorum unam, Anconitanorum alteram numeris 5 et 6, distinctam ; et in singulis pari ordine recensentur viæ Aurelia, Cornelia, Triumphalis. De porta autem Cornelia cum sit altum silentium apud Victorem, et reliquos ante ipsum scriptores, nec in lapidibus adhuc repertis nominetur ; colligere possumus, viciniam viæ transtulisse serius id nominis etiam in portam, ad eam ex Urbe perducentem : præsertim si via Cornelia eam denominationem tantum accepit ex altero ab urbe milliario, ubi Aurelia nova bifariam dividebatur, uti ex Tabulis Fabrettianis paulo infra spectabitur. Dubium excitabatur ab eruditis scriptoribus antiquitatum Romanarum de via Cornelia, num esset constituenda inter Aureliam et Portuensem ; an potius inter Aureliam ac Triumphalem. Malebant nonnulli hoc secundum et colligebant ex ordine viis eisdem constanter attributo per inscriptiones paulo ante productas. Alii præferebant primum illud assertum, secuti auctoritatem Bosii et Aringhii Romæ subterr. lib. II, cap. 11, n. 8, quibus visum fuit, id cohærere proximius cum actis SS. martyrum ; Acta ab his auctoribus in medium prolata esse arbitror illa, quæ ipsi exhibent capite sexto decimo ejusdem libri, nempe sanctarum virginum et martyrum Rufinæ, ac Secundæ, necnon aliorum martyrum Marii, Marthæ, Audifacis, et Abacum : quos eadem Acta asseverant pro Christo necatos fuisse via Cornelia milliario decimo tertio, in fundo

cata Bassi, ubi et Massa Candida, et Sylva Candida, per pontificen attributa Cardinali episcopo Portuensi suadent memoratis auctoribus, ut viam Corneliam dirigant inter Aureliam et Portuensem. Verum si Acta laudata considerentur attente, et loca Massæ ac Sylvæ Candidæ una cum prædiis proximis, sanctæ Rufinæ nomine idcirco donatis, quod hodieque retinent, insimul comparentur, præsertim in emendatioribus Tabulis Chorographicis agri Romani, quas edidit tum Fabrettus V. C. ejusdemque agri ac cæterarum urbis antiquitatum ex diligentissimo vestigatore peritissimus judex omnium sententia habitus, in libro de Aquæductibus, tum in iis quas in amplioris mappæ figura accurate admodum incidi curavit ex præstantium antiquariorum suffragio Dominicus de Rubeis; hæc, inquam, omnia si conferantur, nemo non intelliget perspicue, Corneliam viam ex Aureliæ bivio ad Tabernam dictam *del Pidocchio* prope vineam Carpineam altero ab Urbe lapide juxta ductus aquæ Trajanæ Sabatinæ, seu Braccianensis, a Paulo V restitutore dictæ *Aqua Paola,* dextrorsum flectere versus Triumphalem, ac dirigi ad agrum Cæretanum; sed ita proximam progredi viæ Aureliæ, ut eadem Arenaria, et Martyria, ac cœmeteria utrique Viæ aptari et assignari possint, Corneliæ scilicet, atque Aureliæ: non secus ac in Actis SS. Eusebii, et sociorum, productis ab Aringhio lib. II, cap. 15, n. 3, sepulti dicantur beati martyres *non longe ab urbe Roma milliario sexto in Arenario inter viam Aureliam et Triumphalem.* Consulatur Fabretti Tabula, inserta libro de Aquæductibus post numerum 283, in fine dissertationis secundæ. Constabit, ex porta *Aurelia Procopii,* quam Willelmus vocat *Corneliam,* et *S. Petri,* per vallem adhærentem basilicæ Vaticanæ a *Fornacibus* appellatam, perduci *viam Aureliam Novam* (assurgentem ad colles occidentales post basilicam S. Petri), perduci, inquam, *viam aureliam novam* ad vestigia veteris viæ, cujus portio adhuc visitur constrata silice inter vineam Carpineam et Castellum Aquæ Paulæ in vinea Burana: et ad Tabernam *del Pidocchio* Aureliam novam dividi in bivium, cujus bivii dexterior pars Triumphali et Cassiæ tantisper accedens accipit nomen *viæ Corneliæ,* sinistra vero retinet nomen *Aureliæ novæ,* donec progressu facto per fundum *del Porcareccio* juxta Tabulam Dominici de Rubeis pertingat ad prædium S. Rufinæ hodieque dictum, dextrorsum se extendens versus viam *Corneliam,* et sinistrorsum ad *Sylvam Candidam*, tredecim milliaribus ab urbe dissitam prope *Lorium dirutum*: inde vero *Aurelia nova* versus *veterem* sinistrorsum sinuata eidem *veteri Aureliæ*, jungitur versus fundum *della Bottaccia* tribus circiter milliariis dissitum a *S. Rufina,* et a *Porcareccio,* ubi *Aurelia nova* parum disjungebatur a Cornelia dextrorsum tendente versus Cære. Idem Fabrettus numero 100 laudati operis de Aquæductibus promiserat fore, ut Deo dante hæc plenius exponeret in opere jam tum promisso *De Agro suburbano,* et *suburbicario*: cujus desiderio cum eruditi teneantur, poscunt ab hæredibus viri clarissimi, et optime de litteris meriti, ut producatur in publicam lucem, si forte contingat id reperiri inter scripta ejusdem inedita.

Ex hisce igitur Actis martyrum, a Bosio, Severano, et Aringhio productis, SS. Rufinæ, ac Secundæ, nec non SS. Marii, Marthæ, Audifax, et Abacum, si ea comparentur cum Tabulis Agri Romani, et cum scriptis editis ab eruditissimo nostræ ætatis viro Fabretto, omnium diligentissime versato atque intento in perlustranda regione suburbicaria, videtur mihi confirmari positus viæ Corneliæ, a vetustis inscriptionibus indicatus medio loco inter *viam Triumphalem, et Aurelias duas, veterem ac novam,* nec non indicatio martyrii ac cœmeterii sanctorum hic descriptorum apte designari: quod etiam apparebit ex adnotationibus proximis ad Willelmi textum de *porta, et via Aurelia.*

Quartadecima porta, et via Aurelia, quæ modo sancti Pancratii dicitur, etc. *Et in quinta sanctus Basilides. Duodecimo intra Urbem milliario in monte Cœlio sancti Joannes, et Paulus.* In hoc textu Willelmi interpunctio manifeste vitiata turbat sensum ac topographiam. Sed parata est restitutio genuinæ lectionis, quam crasso admodum errore subvertit editio Francofurdensis, vel codex unde ista desumpta fuit. Mens erat scriptoris, a porta Aurelia per viam cognominem procedentis ad agrum Romanum, enumerare post quatuor ecclesias viciniores etiam quintam ex præcipuis, quæ in progressu viæ Aureliæ occurrunt, et memoria, aut cœmeteriis martyrum, eorumve reliquiis decorantur. Quare prioribus quatuor recensitis subdit: *et in quinta sanctus Basilides duodecimo extra Urbem* (seu *infra Urbem,* ut ætas illa ferebat) *milliario.* Completa recensione portarum, et viarum extra Urbem cœmeteriis insignium, transibat ad enumeranda *sanctuaria,* ut ipse nominat, Romana intra ambitum murorum, et pomœrium Urbis posita. Quare novam periodum constituunt illa verba *In monte Cœlio sunt martyres Joannes, et Paulus in sua domo, quæ facta est ecclesia post eorum martyrium,* etc., quæ verba male incluserat textus periodo præcedenti: neque enim mons Cœlius, et titulus SS. Joannis et Pauli, ad Clivum Scauri erectus, et umbilicum Urbis propemodum attingens, indicari unquam potest *duodecimo intra Urbem milliario.*

Constat etiam, lectionem sola interpunctione suo loco restituta integre reparari, si observetur distantia cœmeterii S. Basilidis via Aurelia, quam Beda, et Ado suis in Martyrologiis recensent milliario tertiodecimo ab Urbe, uti observarunt laudati auctores Romæ subterraneæ, eadem testimonia referentes lib. II, cap. 15, n. 5. Enumerant hi cum Beda Basilides duos, martyrio affectos via Aurelia: Basilidem sub Aureliano, cujus natalis dies celebratur IV Idus Junii, cum sociis Tripode, mandale, atque aliis viginti, et Basilidem alterum, cum Cyrino, Nabore, et Nazario coronatum in persecutione Diocletiani pridie Idus Junii. Secundi hujus Basilidis, ac sociorum passio consignatur quinto ab Urbe lapide, ita scribente Beda: *Romæ via Aurelia milliario quinto passio SS. Martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris, Nazarii: quorum Naborem et Nazarium simul cum Gorgonio martyre transtulit a Roma in Galliam Grodegandus Metensis episcopus, permittente Paulo papa Romano, anno Dominicæ Incarnationis* 765, etc., cui astipulantur martyrologia Rhebani et Notkeri, aliique scriptores. Prioris vero Basilidis, et sociorum natalem diem, et locum certaminis ita referunt iidem Beda, et Ado ad IV Idus Junii. *Romæ via Aurelia tertiodecimo natalis sanctorum Basilidis, Tripodis, et Mandalis sub Aureliano imperatore Platone præside, et aliorum viginti martyrum.* Pari ab Urbe distantia in proxima *via Cornelia* excavatum legimus *Arenarium,* ubi decollati et conditi sunt Marius, Audifax, et Abacum, ut ex codicibus eorumdem Acta exprimentibus, Lateranensi, Vaticano, et S. Cæciliæ, adnotant sæpe laudati Bosius, Severanus, et Aringhus lib. II, cap. 16, n. 7. *Via Cornelia milliario tertio decimo ad Nymphas cata Bassi.* Ubi vero quærendus sit locus *ad Nymphas cata Bassi,* addiscimus ex Tabulis archivi basilicæ Vaticanæ; quas cum inspexisset Grimaldus, reperit in donationibus S. Leonis Quarti, latifundium *Catabassi* situm esse in castro dicto *Bucceia* teste Martinello in sua Roma sacra pag. 327: *Nympha,* inquit. *Catabassi erat castrum Bucceiæ a S. Leone quarto monasterio Sancti Martini, spectanti ad basilicam Vaticanam, donati, quod hodie opulentum est prædium rubrorum terræ* 750, *ut inquit Grimaldus.* Et fol. 124, agens de ecclesia S. J. Calybitæ ait: *Ex fundo basi licæ Vaticanæ Bucceia nuncupato, eratque via Cornelia tertio decimo ab Urbe milliario huc translata fuerunt corpora SS. martyrum Marii, Marthæ, et filiorum ejus, ut scipsit Jacobus*

Grimaldus de basilicæ præfatæ canonicis, etc. Nemo ignorat ubi sit *Bucceia* castrum, et fundus late patens inter vias Aureliam novam et Triumphalem, necnon inter duo loca quatuor milliaribus a se invicem dissita, S. *Rufina* scilicet, et *Galera*, seu *Careiæ*, ut antiquitus appellabatur : ita ut fundus Bucceia utrumque locum ferme contingat, quemadmodum Latii tabula chorographica demonstrat. Hic autem quærendas esse *Nymphas cata Bassi* colligere etiam possumus ex Frontino, asserente apud Careias Aquæ Alseatinæ modum augeri acquisitionibus ex proximo lacu Sabatino, seu Braccianensi : *Alsietinæ*, inquit n. 56, *conceptionis modus nec in commentariis ascriptus est, nec in re præsenti certus inveniri potuit cum ex lacu Alsietino, et deinde circa Careas ex Sabatino, quantum aquarii temperaverunt, habet non plus quinariis duobus millibus*. Respondent vero Actis martyrum distantiæ istorum locorum, nempe S. Rufinæ ad milliarium decimum inter Aureliam novam et Corneliam, sed proximius accedentis ad Aureliam ; et latifundii Cata Bassi, seu *Buccea* per duo aut tria milliaria divergentis, et complectentis Corneliam viam usque ad milliarium ab Urbe decimum tertium quo loco etiam *Nymphæ occurrunt*, seu accessiones, et conceptelæ, influentes in Alseatinam Aquam ex Sabatino lacu apud *Carcias* hodie *Galera*.

Liquet igitur satis de dispositione latifundii *Cata Bassii* ad *Nymphas*, totum ferme spatium occupantis trium circiter milliarium ex via Aurelia nova ad viam Corneliam, in quo S. Ruffina ad decimum milliarium, Buccea ad duodecimum inter Careas, et Lorum, dirutum occurrunt, et Sylva Candida, ac cœmeterium S. Basilidis, passi sub Aureliano, quod propius adhæret a milliario duodecimo ad decimum tertium, necnon cœmeterium SS. Marii, Marthæ, et sociorum tertium lapidem, quam Aureliæ, refertur merito ad viam Corneliam tum a Beda, et Adone, tum a Willelmo Malmesmuriensi, tum a tabulario basilicæ Vaticanæ, ejusque ab inspectore Grimaldo, et conteste Martinello, tum a peritioribus topographis agri Romani. Tanta enim vicinia utriusque viæ *Corneliæ*, et *Aureliæ* ex altero ab Urbe lapide ubi dividebantur, easdem admovebat etiam circa decimum lapidem, ut eadem ecclesia S Rufinæ ibi constructa quando a Julio papa inchoabatur, et a Damaso successore perficiebatur dicatur posita *via Cornelia* milliario decimo : quando autem a S. Adriano I eadem ecclesia una cum prædiis adjacentibus donabatur Lateranensi patriarchio dicatur quidem posita milliario circiter decimo, sed ad *viam Aureliam* referatur : non secus, ac prædia Columnensium ad lapidem undecimum sita extra Urbem inter vias Latinam et Appiam, quas hinc inde contingunt, perinde possent nuncupari posita via Latina milliario undecimo, et milliario undecimo via Appia. Promiscua vero attributio prædiorum S. Rufinæ, et ecclesiæ ad decimum ab Urbe lapidem tum viæ Corneliæ, tum Aureliæ ita demonstratur. Ex Actis recitatis lib. II, cap. 16, n. 3, Romæ subterraneæ probat Bosius a B. Damaso perfectam fuisse basilicam Sanctarum Rufinæ, et Secundæ, quam Julius Marci successor in territorio Sylvæ Candidæ inchoaverat ubi sepulta fuerant corpora sanctorum Marcellini et Petri. Ductæ autem sunt, ac decollatæ SS. Rufina et Candida *via Cornelia milliario decimo in fundo Buxo, vel Buxeto in territorio Sylvæ Candidæ*. Sancti quoque martyres Petrus et Marcellinus capite plexi sunt in eadem Sylva Candida, et subinde sepulti ubi paulo post excitabatur memorata ecclesia supra locum martyrii SS. Rufinæ et Secundæ jussu Julii ac Damasi pontificum. Atqui ad lapidem decimum extra Urbem via Aurelia tam *domus culta Galeria* [seu *Careia*, hodie *Galera*] *posita via Aurelia milliario plus minus decimo* eadem ecclesia S. *Rufinæ* donatur ab Adriano Idjuxta Anastasium in ejus Vita, sect. 328]. *Lateranensi Patriarchio in alimoniam pauperum*, quam ecclesiam S. Rufinæ cum prædis attributis hodieque possidet Nosocomium Lateranense ad Sancta sanctorum ad levamen pauperum. Promiscue igitur usurpata fuit appellatio talis ecclesiæ S. Rufinæ, et fundorum, ac cœmeteriorum ad decimum lapidem tum viæ Corneliæ, tum Aureliæ novæ quibus includebantur : et consequenter etiam ad duodecimum lapidem, et decimum tertium viæ Corneliæ S. Basilidis cœmeterium jure restituitur ex interpunctione textus ita reparata.

Ne quidpiam omittam inobservatum hoc in opusculo, quod illustrare possit historiam martyrum, ac topographiam Urbis, et agri Suburbani, postremus etiam versus allati textus est dilucidandus. *In Monte Nola*, inquit *sancta Tatiana pausat*. Gratias haberem maximas Willelmo indicanti sacrum corpus et conditorium virginis, et martyris Romanæ adeo illustris sub Severo Alexandro, cujus agonis virtutem celebrant ex æquo Græci, ac Latini [uti Baronius observat tum in notis ad Martyrol. die 12 Januar., tum Annalium tomo II ad ann. 227, et Gallonius in Vitis SS. virginum Romanarum, aliique scriptores] nisi beneficium Willelmi concideret, vel ipsius incuria, vel culpa amanuensium. *Montem Nola* quem editio Francofrudensis habet, intra Urbem, vel circa Urbem prorsus ignoro. Loquitur autem ibi Willelmus de *sanctuariis Romanis* intra Urbem, postquam cœmeteria suburbana juxta portarum et viarum ordinem percensuerat. Intra urbem coperat ex monte Cœlio : prosequebatur per Aventinum, in quo Bonifacium martyrem, in titulo SS. Alexii et Bonifacii etiam hodie asservatum, indicaverat. Ordo instituti ab eo postulabat, ut si quidpiam in ejusdem montis Aventini sanctuariis a se observatum addere vellet, hic describeret. Sed *mons Nola* neque in Aventino, neque in ullo intra, vel circa Urbem loco [quod sciam] hactenus occurrit. Operæ autem pretium faceret interpres aliquis felicior, qui vel loci nomen hodiernum redderet, vel corrupti textus germanam lectionem ; cum Gallonius desudans in virginis ac martyris adeo celebratæ vita colligenda ex Græcis, ac Latinis doleat se reperire non potuisse, ubi nam sacrum ejusdem corpus, aut corporis partes fuissent depositæ. Attamen Bollandus protulit ex Græcis codicibus partem Actorum, diserte asserentem, ejusdem reliquias conditas fuisse *regione duodecima*. Unde confirmare possumus emendationem, quam suspicamur esse adhibendam textui Willelmi hoc in versu.

Certe si locus detur conjecturæ, libenter crediderim, a Willelmo, sive ab amanuensi fuisse scriptum in autographo compendiariis syllabis *In mon. ce. noba sancta Tatiana pausat*; ex quibus imperitus descriptor reddiderit *In monte nola sancta Tatiana pausat* ; cum auctoris mens fuisset exprimere *In monasterio cella nova* (seu *cella noba*, si barbare exprimebat *v* consonam) *sancta Tatiana pausat*. Monasterium *Celle Nova* memoratum ab hoc libro Pontificali in Vita Stephani Quarti sect. 272 et 273 pertinet ae partem regionis decimæ tertiæ adhærentem *duodecimæ*, in qua narrant Acta indicata apud Bollandum sepultam fuisse B. Tatianam. Erat enim *Cella nova oratorium S. Silviæ* matris B. Gregorii Magni, situm *prope ecclesiam S. Sabæ*, uti describit Joannes diaconus in Vita ejusdem pontificis lib. I, cap. 9. Celebre postmodum fuit hoc monasterium *S. Sabæ*, et *Cella nova* appellatum, etiam sæculis consequentibus : ita ut a Panvinio de septem Urbis ecclesiis, pag. 143, *Abbas S. Sabæ Cellæ Novæ* referatur inter illos viginti præcipuos, qui Romano pontifici solemni ritu sacro facienti assistebant, quos recenset etiam Joannes diaconus editus a R. P. Mabillonio in Appendice ad ordinem Romanum p. 574 musæi Italici.

Ad regionem decimam tertiam referri monasterium *S. Sabæ*, seu *Cella Nova*, qua parte attingit

regionem duodecimam dictam *Piscina publica*, constat ex Urbis topographia. Victor inter alia ædificia regionis duodecimæ enumerat Thermas Antonini: quibus ita adhæret crepido collis, et ambitus monasterii, atque ecclesiæ S. Sabæ, ut ab aliquibus Urbis topographis proximus titulus S. Balbinæ, licet in Aventini colle constitutus eadem acclivi parte cum S. Saba, dicatur *in Thermis Antonini*. Præterea prope Thermas easdem reperta sunt sepulcra complura, et quidem magnificenter constructa, præcipue in vinea nobilium marchionum de Cavaleriis: ut plane colligatur, ante novam amplificationem Urbis sub Aureliano principe in eam partem hujus regionis duodecimæ utpote pomœrio nundum inclusam, potuisse inferri cadavera: atque adeo corpus B. Tatianæ sub Severo Alexandro recondi potuisse regione duodecima uti Acta memorant, et inde transferri ad proximum monasterium Cellæ novæ, seu S. Sabæ, ubi nostra emendatio textus Willelmi constituit.

Fidentius hæc dicerem, si datum fuisset inspicere vetusta exemplaria ms. librorum Malmesburiensis: quæ si alicubi quis reperiat, de nostris conjecturis securius judicabit.

DE CHRONOLOGIA PONTIFICIA,

CÆSAREA ET CONSULARI.

Exhibenda nunc est brevis illa chronologia consularis et pontificia, quam promisi consecuturam per quatuor priora æræ Christianæ sæcula, ad quæ pertingunt Vitæ pontificum priori hoc tomo notarum inclusæ, a sancto Petro ad S. Silvestrum ejus nominis primum: prout sequente tomo dabuntur reliquæ (*a*) a S. Silvestro ad Stephanum VI, cum serie temporum respondente. Huic tamen summæ quatuor priorum sæculorum æræ Christianæ cur præmittendos duxerim annos quinquaginta eamdem æram Christi proxime præcedentes, ne gravetur lector accipere ex his quæ præmonenda esse duco, ad consilii nostri rationem nitidius declarandam; unde perspicua fiat methodus, et usus ejusdem chronologiæ cognoscatur dispositus ad pleniorem Libri et Historiæ Pontificalis illustrationem.

Videbatur deducenda series hujus chronologiæ ad Vitas pontificum Romanorum accommodatæ ex prima fundatione Romanæ sedis, aut certe ad exordio Vitæ Petri apostoli primi ejusdem episcopi, paria ferme faciente cum initio æræ Christianæ. Superiora enim tempora libri argumentum non attingit. Verum perpenso instituto nostro in notis, et observationibus tum chronologicis, tum historicis ad hasce Vitas, quo constituimus tempora, et gesta singulorum pontificum elucidare; non modo ex assertione illius bibliothecarii, a quo vita colligebatur, sed cæteris etiam documentis, ac probationibus genuinis, firmantibus, et declarantibus temporum characteres, ibidem recensitos, et historiæ indicia leviter perstricta; perspicuum fiet debuisse per nos repeti solida documenta temporum, ac gestorum ex quinquaginta saltem annis æram Christi communem proxime præcedentibus: quæ nexum habent peculiarem cum chronologia et historia pontificatus maximi Ecclesiæ Christi, et cum gestis atque characteribus temporum intra quadringentos eosdem annos a Vitarum istarum scriptoribus enuntiatis.

Chronologiam enim quod attinet, palam est, epochas singulorum pontificum tam in textu Anastasii, quam in catalogis Anastasio vetustioribus consignari per consulatus, et per imperia principum Romanorum. His autem suo loco non positis, et illa excidere necesse foret, quæ consulatibus et annis Cæsarum alligantur. Jam vero rei antiquariæ consultis decernendum relinquo, num satis firma censeri possit consularis, et Cæsarea chronologia, quæ non respondeat commensui, et numerationibus epocharum publice institutis, et cœptis in civitatibus, ac provinciis Romanæ ditionis in Asia, Africa, Europa per annos illos quinquaginta ex ævo Cæsaris dictatoris ad exordium æræ Christianæ. Antiocheni, et Laodiceni in Syria æram Cæsaris dictatoris inchoant ante Julianam ejusdem ordinationem. Quot in eadem provincia Syriæ, quot in Asia minori et in Ponto, quot in Africa, et in Europa institutæ sunt epochæ ex Actiaca victoria Augusti, et nummis insculptæ, et continuatæ sub imperatoribus consecutis? Alexandrina, et Coptica Ægyptiorum æra, Hispanici Augustorum anni, Romani quinquennales ludi, præter seriem Olympiadum, et annorum ab Urbe condita, pertinent ad firmamentum chronologiæ consularis et Cæsareæ, cui pontificia alligatur. Ad illarum igitur originem ascendere necesse est, his quinquaginta annis inclusam, ut characteres temporum exigantur ad fidem documentorum, sive in consulatibus, et imperiis, sive in gestis pontificum sint enuntiati: quo fiat, ut undecunque firmata tempora basim historiæ substernant inconcussam.

Ipsa vero historia summorum pontificum Novi Testamenti quantum luminis mutuetur a supremis illis annalibus sacerdotum veteris legis, qui per dimidium sæculum præcedunt epocham Christi, reputare unusquisque potest, comparatis Hyrcani ac successorum gestis a Josepho traditis sub diverso variorum principum dominatu, qui per eam ætatem Judæam, et finitimos tractus obtinuere, cum iis, quæ proxime contigerunt maximis sacerdotibus Christianæ Ecclesiæ, legitima successione in Romana cathedra Petri locum, et apostolatum adeptis. Attendi velim, in illa umbra Levitici sacerdotii, tantam

(*a*) Posteriorem hanc chronologiam, priori, Lectoris gratia, appositam, exhibemus. EDIT.

emicare majestatem dignitatis regiæ usque ad extrema tempora successorum Aaronis, intra eosdem annos quinquaginta supremos Christi veritatem sua figura enuntiantes, ut constet Hyrcanum summum pontificem, licet captivum a Parthis detentum, a Judæis tamen in eadem captivitate cum illo versantibus cis et ultra Euphratem, non secus habitum fuisse, quam regem, ut historia Josephi diserte memorat libro XV Antiquit., cap. 1 et 2, in hac nostra Chronologia indicato ad annum Christi 38. Luculentius autem apparet ex juribus ac titulis ethnarchæ inter suos, et fœderis, ac societatis cum Romana republica ipsi concessis tum a senatu, tum a Cæsare dictatore, relatis ad annum ante æram Christi 49, ex eodem Josepho : ita ut pontifex maximus Judæorum potestate sociorum populo Romani regum plane polleret, usque ad præfinita tempora per prophetas, quando ad Herodem alienigenam translato regno, hoc ipsum indicium Christi advenientis edendum erat. Perpendi velim ea jura judiciorum gentis suæ, tributorum, decimarum, successionis Hyrcano summo pontifici, ac liberis ejus in Capitolio asserta, æneisque tabulis tum in Urbe omnium domina, tum in duabus ab hac dignitate proximis civitatibus (Alexandria in Ægypto, Antiochia in Oriente) publice positis testata inveniri : et causam ejus honorificæ concessionis expressam, quod pontificis Hyrcani auctoritati parentes Judæi tum qui in Palæstina, tum qui in Ægypto degebant, suppetias Cæsari tulissent in Alexandrina obsidione.

Omitti hæc certe non poterant citra dispendium luminis inde obventuri historiæ pontificali Ecclesiæ Christianæ. Quando enim in ista legimus erectam fuisse ab apostolorum principe sedem Romanam cæteris præstituram, suoque nomine ita fundatas Alexandrinam, et Antiochenam, ut proximæ dignitate haberentur post Romanam, in qua una successoribus contulit, ut Ecclesiam regerent universam (quod legimus in Clemente) ; statim occurrit, in maximo Hyrcani sacerdotio spectari eam consuetudinem, ut Coloniæ deductæ ex populo ad verum Dei cultum exercendum electo, hierarchæ summo in omnium sacrorum legibus ita parerent. Nec species dispar imitationis obversatur animo attendenti primum e Christianis imperatoribus Constantinum in vita Silvestri regiis patrimoniis, et insignibus honestantem regale sacerdotium novæ legis in maximo ejusdem pontifice, ac Romana sede hujus propria ; cum videat ab imperii Romani institutoribus, primis Julio, et Augusto, licet ethnicis principibus, concessa, et asserta jura judiciorum, decimarum, ac principatus in gentem suam Judæorum Ecclesiæ moderatori summo, et totius Levitici ordinis hierarchæ maximo.

Observare quoque juvat, in catalogis nostris pontificalibus, unde vitæ originem trahunt, exordia pontificum consignari per consulatus, annosque numerari eorumdem pontificum etiam per hæc priora quatuor sæcula æræ Christianæ. Huic enim consuetudini præire attendimus morem non dissimilem Ecclesiæ Judaicæ, collectum ex Annalibus a Josepho ejusdem sacerdote, atque historico sub ipsa tempora apostolorum. Is enim epocham pontificalem Hyrcani ad ea, quæ diximus, tempora pertinentis ita consignat per consulatus historiæ suæ lib. XIIII, cap. 1 : *Cum igitur pontificatum accepisset Hyrcanus anno tertio septimæ, ac septuagesimæ supra centesimam Olympiadis, Q. Hortensio, Q. Metello Cretico consulibus, statim bellum eis Aristobulus intulit.*

Nescio an his attenderint recentiores illi scriptores, qui imaginati sunt consulum nomina posterioribus curis adjecta fuisse catalogis pontificum Romanorum : quibus indicavi in præfatione tomi primi, per quatuor priora sæcula æræ Christianæ, etiam Romanos consignare consuevisse epochas sacerdotum in sua collegia cooptatorum, perinde ac Josephus in Urbe scribens initia Hyrcani distinxit : qui alibi quoque dinumerat successiones integræ seriei summorum pontificum, et annos singulorum usque ad excidium templi, et Hierosolymæ sub Vespasiano. Mirandum potius foret, si hoc non præstitissent priores illi apostolorum discipuli, qui Petro et Paulo convixerant Romæ, et ritum sacrorum scriptorum probe noverant annos diligenter enumerandi, a Moyse, ac prophetis insinuatum, a Stephano in concionibus adhibitum, a Paulo in epistolis retentum, a Luca in Evangelio servatum, et in Actis apostolorum. Videbant in Urbe Josephum, paucis annis a martyrio principis apostolorum scribentem historiam gentis suæ, sacerdotum maximorum ætatem singillatim referre ad annos principum suorum, ac Romanorum. Videbant in Urbe quælibet collegia sacerdotum majorum signare consulibus, et epocha Urbis conditæ cooptationes singulorum, quemadmodum testatum nobis faciunt tot vetusta marmora ex illa ætate nostris oculis præservata in fastis, in Kalendariis, in Actis collegiorum, hac nostra chronologia sæpe producendis ad demonstrationem eorumdem consulatuum, et certi ipsorum temporis ac documenti. Stupidi propemodum fuissent notarii septem a Clemente instituti, diaconi, ac subdiaconi totidem a Fabiano post Anteri curam delegati ad gesta martyrum scribenda et colligenda (quos inter eminent dignitate atque exemplo Romani pontifices ejus ætatis fere omnes martyrio coronati), si tam celebri, tam communi, tam probatæ consuetudini ipsi tantummodo defuissent. Verum ne relabamur in documenta chronologiæ pontificiæ tot rationibus jam assertæ, convertimus ad historiæ probationes, ex iisdem annis quinquaginta de industria per nos collectas.

Negari nequaquam potest, quin his quæ, de primo, et altero adventu principis apostolorum in Urbem e Syria, ac de consilio cathedræ summi pontificatus hic statuendæ illi divinitus inspirato, perfecisse traditur sectione prima, viam quodammodo sternant gesta, quæ pertinent ad annum ante Christi æram 45, quando consules Antonius, ac Dolabella post mortem

Cæsaris, auctores fuerunt senatui populoque Romano renovandi Judæis eadem privilegia poscentibus per legatos ab Hyrcano ipsorum pontifice missos, quæ Cæsar antea contulerat: inter quæ illud memoratur a Josepho, *ut jus ipsis foret sodalitia in Urbe habendi sacrorum suorum, etiam si alia exterarum nationum vetarentur.* Hac indulgentia Romanorum, et Cæsaris præsertim, Judæis conciliata præ cæteris nationibus, peculiari Dei providentia disponebantur Cæsaris successores ad prima sodalitia nostra Romæ confovenda, quæ scilicet in primo et altero adventu Petriad Urbem ethnici distinguere nondum noverant a Judæorum conventibus ; præcipue cum viderent apostolos Judæorum contribules inter eos primum fidem Christi pronuntiare. Pari quoque ratione observari potest via complanata ad Christianæ Ecclesiæ episcopatus post Romanum maxime celebres fundandos ante Neronis persecutionem Antiochiæ et Alexandriæ ; cum utrobique obtinerent Judæi eadem privilegia superiorum regum, a Julio Cæsare confirmata, et a senatu populoque Romano, et a Cæsaris sucessoribus per hos quinquaginta annos, et per consecutos usque ad Titum, jus scilicet civitatis, et jus exercendi patria sacra ritu majorum. Nec dissimili beneficentia opis divinæ tot sedes aliorum episcopatuum ante Neronis persecutionem paratæ fuerant electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bythiniæ, et insularum Asiæ, atque Europæ adjacentium ; cum in iis regionibus, perinde ac in Græcia, et Macedonia, synagogæ Judæorum apertæ oppignerassent (ut ita dicam) aditum viris apostolicis, per Moysis tabernaculum ad interiora velaminis perlaturis, novi fœderis tabulas, et arcam Novi et æterni Testamenti, observante beato Ambrosio [lib. VIII in Lucam prope finem] Christum Dominum *ita venisse, ut per Judæos transiret ad gentes.* Ipsa captivitas Hyrcani apud Parthos, et Judæorum in Mesopotamia degentium erga eum reverentia monstrabat semitam, Dei nutu apertam ad perducendum ultra fines Romani imperii filios liberæ Christi sponsæ, cum eo penetrassent nati ancillæ illius, quæ generat in servitutem. Licet vero ethnicorum persecutiones, a Judæorum exemplis et insidiis excitatæ adversus Christum Domini, et contra illius Ecclesiam statim ac per apostolos condebatur, non secus ac fluctus abyssi magnæ contra arcam undique impulsi eamdem impeterent, statim ac perfecta ejus fabrica, inter illam Noe congregaverat præservandum a communi clade viventium genus ; attamen elevationis suæ gradus experta est iisdem in fluctibus mirabiliter a Deo substratos Ecclesia Christi : qui salutem facturus ex inimicis nostris, consulto voluerat ibi antea fundari synagogas, ubi synagogæ filii contra Ecclesiam urgerent vortices gentium, ac suos, ut ad eamdem illisi utrique conciderent, et, aggregatis fluctibus, arcam salutarem ad altiora proveherent.

Hæc igitur projectio fundamenti in Oriente et in Occidente, ad excitandum Deo templum vivum, Christiani cultus super depressa, et confusa rudera Judæorum, ac Gentium, ruina sua nos opprimere contendentium, ut plenius noscatur, petenda est ejus historia, et observatio ex gestis horum quinquaginta annorum Christi epocham præcedentium : in quibus maxima vis, et amplitudo apparet utriusque populi, contra nostros pontifices connisuri : sive spectes elevationem posterioris templi, cujus excidium prædixit Dominus, licet ab Herode tanta magnificentia restitutum est, ut imperitis videretur gloriam prioris superaturum ; sive extensionem consideres, ac robur imperii Romani, et copiam universarum superstitionum in eo vigentium, et in sacrificulis suis totidem hostes jam comparantium contra episcopos Romanæ sedis : quibus apostolorum principis cura, præ cæteris, transmittitur cum sacerdotio in omnes gentes proferendi Evangelium Christi. Apparatus iste orbis terrarum contra Ecclesiam nisuri, et per Ecclesiam saluberrime superandi, explicandus erat in amplissima pompa sua per annos quinquaginta ante æram Christi conspecta, ut lucem affunderet historiæ pontificali. Nam concisæ illæ priorum Petri successorum vitæ, quæ uno, aut altero versu grandia eorum gesta concludunt trita illa ac simplici clausula sacrarum ordinationum, *creavit presbyteros N, episcopos per diversa loca N.* quot ingentibus factis prægnent, acquisitione scilicet provinciarum, fundatione sedium, conversione regionum, non parum declarabitur ab adjecta notitia Orientis, et Occidentis, intra hoc spatium dimidii sæculi æræ Christianæ præmissi : quo exhibetur status orbis ferme universi per eosdem præsules apostolicos ad Ecclesiæ catholicæ societatem redigendi

Quarum methodo id exhibendum curaverim hac in chronologia, licet conspectus ipse satis docere possit ; attamen paucis declarare non piget.

Duplex columna singulas paginas bifariam dividit, ut in una referatur chronologia, et historia civilis ethnicorum, in altera sacerdotalis populi divinum cultum rite exercendum a Deo vocati : nempe Judæorum Ecclesiæ ante adventum Domini ; et Christianæ, post eum terris datum Deum et Hominem, et lapidem angularem, qui fac.t utraque unum.

In priori columna assignata chronologiæ, et historiæ gentium, ac præsertim Romanæ reipublicæ, et imperii principum, quibus cum Ecclesiæ historia nexus continuus præ cæteris intercedit, res occidentalis tractus digestæ sunt tam in chronologia quam in historia.

Chronologiæ indicatio generalis, complexura characteres annorum singillatim ex cyclo occidentalibus chronologis hodie recepto (utpote discernente citra ullum confusionis periculum quemcunque annum, ejusque a præsenti distantiam) conspicitur in marginali ductu columnæ, primaque sede sinistrorsum per seriem descendente : sub eo titulo superne posito : *Anni periodi Julianæ* ubi *periodus Juliana* a Sealigero inventa, annos singulos ordinat, additis

characteribus cycli solis, et lunæ, ac litterarum Dominicalium. Eidem anno periodi Julianæ assignat secundaria series cum ea descendens annos civiles Romanos ab Urbe condita. Cum vero annorum periodi Julianæ Scaligeri sit exordium Kalendis Januarii, seu veri post Cæsaris ordinationem, seu proleptici ante ordinatum a Julio Cæsare Kalendarum; annorum vero ab Urbe condita dies princeps sit, quæ festi Palilium fuerat Romanis, eaque in calendario Cæsaris assignetur XI Kal. Maii; consequitur, ut pars anni periodi Julianæ ex 1 Januarii ad 21 Aprilis, spectet ad complendum annum ab Urbe condita, et ex 21 Aprilis ejusdem periodi Julianæ, computetur novus annus, illum completum consequens in serie temporis ab Urbe condita. Quocirca duplex numerus annos singulos afficit hac in columna, unus pertinens ab annum complendum *ante Palilia*, alter ab novum denominandum *post Palilia*, uti ad singulas paginas ostendit titulus in fronte præfixus.

Intra hasce series epocharum utrinque descendentium procedit ductus columnæ amplioris, indicans documenta præcipua temporis ad eumdem annum pertinentis, ex magistratibus Romanorum publica auctoritate annum signantibus, cujusmodi sunt consules, et imperatores. Consulum ordinariorum prænomen, nomen, et cognomentum reddere conati sunt plures, qui in Fastis correcte exhibendis operam contulerunt. Qui Cuspinianum, Sigonium, Manutium, Panvinium, Pighium, Gruterum, Goltzium, aliosque superioris sæculi auctores noverunt, monendi non sunt, quantum superesset ad perficiendum, post exhaustos tot virorum præstantium labores. Quantum promoverint chronologiam consularem viri ætatis nostræ doctissimi, ministratis documentis lapidum, et nummorum feliciter detectis, ab iisque diligenter collatis, et explicatis, unica epistola consularis Norisii nostri ad celebrem chronologum Pagium luculenter docere potest: cui Almelovenius et Relandus præclara additamenta nuper impressis Fastorum suorum voluminibus contulerunt. In Cæsarea vero chronologia componenda cum consulari, quantum post Occonem desudaverit C. Mediaburbus, testatur opus egregium Numismatum ab eo præmissum editioni Fastorum, quam meditabatur. Ne autem eamdem perficeret, obstitere dubia complura, in nominibus consulum præsertim nondum soluta, defectu documentorum, quæ certa rederent testimonia veritatis.

Huic spartæ adornandæ opellam et nos contulimus hac in columna. Cum enim Clementis XI æternæ memoriæ pontificis studium ac favor in promovendis disciplinis, hisque præsertim, quæ ex genuina antiquitate subsidia conferunt certa ad historiam Ecclesiæ dilucidandam, perspectum haberet, e Romanis monumentis ferax in dies succrescere spicilegium ad veterum messem non spernendis manipulis cumulandam, cavit ne incisa litteris vetusta marmora intra, vel extra Urbem loco moverentur in effossionibus ruderum, quæ dietim fiunt, nisi prius accessu eorum quos ipse delegisset ad eadem recognoscenda, et ad historiæ præsidium describenda, in tuto collocaretur quidquid erudita antiquitas nobis seris posteris ita reservavit. Placuit beneficentissimo Patri id muneris tenuitati meæ conferre, proposito per eminentiss. card. Spinulam camerarium edicto providenter confirmante, vetera jussa pontificum decessorum die 30 Septembr. anni 1704, pontificatus sui quarto. Per hos viginti annos delegatæ mihi curæ *tum naturalis sollicitudo* (ut Frontinus experiebatur in commisso sibi munere a Nerva principe quem ambigit num appellet *diligentiorem, an amantiorem reipublicæ*) *tum fides sedula non ad diligentiam modo, verum ad amorem quoque commissæ rei me cum instigaverint;* quotquot vetustos lapides effodi contigit (fuere autem plurimi) aut nummos, chronologiæ consularis et Cæsareæ rationes comprobantes, aut corrigentes, huic operi reservavi. In hac igitur columna, ubi consulum nomina cum prænominibus et cognomentis integre exhibentur, quando certo nosci potuerunt, asterisco indicata reperies ad annos singulos loca, in quibus eadem collegia consulum, vel in prænomine, vel in nomine, aut cognomento reddendo, ex certæ auctoritatis monumentis corriguntur quantum assequi potui hoc vicennio, ex quo demandata mihi fuit hæc provincia recognoscendi et præservandi ad usum sacræ et profanæ historiæ pretiosa hæc documenta. In singulis collegiis consulum aut laterculis indicare placuit auctoritatem documenti unde comprobantur. Licet autem Almelovenius et Relandus hoc ipso tempore pleraque ex his monumentis recenter detectis acceperint, et publico litterarum usui plurima cum laude protulerint, attamen ab incœpto desistendum mihi non esse judicavi: cui in Fastis separatim edendis (si ostium et facultatem Deus concesserit) complura congesta, ex nummis præsertim et lapidibus epochas præferentibus, et ex cœlestibus observatis suppetunt, usuram plenioris lucis reparationi temporum præstitura.

Hujus lapidarii additamenti nostri ad Fastorum castigatorum auctoritatem specimen unicum exhibere contentus ero: nempe ineditam inscriptionem marmoreæ tabulæ, in Antiati littore cum aliis nobilibus ruderibus egestæ, cura et impensis eminentissimi principis Alexandri cardinalis Albani, qui doctissimi patrui Clementis XI adhortatione et exemplo, tutelam eruditæ antiquitatis et patrocinium suscepit. In illa marmorea tabula incisum legitur fragmentum Kalendis Juliani, complexum semestrem posteriorem anni a Kalendis Julii, non dissimile Farnesiano in litteris cycli lunaris, singulis diebus assignatis, et in aliis dierum adjunctis, satis expositis in nostra dissertatione de Cyclo et Kalendario Cæsaris: auctum vero in hoc marmore pluribus epochis illustriora gesta ejusdem Cæsaris et Augusti, eorumque principum familiæ, ad certos dies referentibus, in quibus et diem victoriæ Pharsalicæ, v Idus Au-

gusti hactenus ignoratam: et quod ad rem nostram chronologicam fastosque consulares tum comprobandos, tum castigatiores exhibendos confert, continens septem collegia consulum sub imperatoribus Tiberio, C. Caligula et Claudio. Dabo hujus præstantissimi fragmenti fidelem typum in fine istorum Prolegomenorum; et reservabo interpretationem, et notas quas attexui ad uberiorem ejus monumenti illustrationem, vel editioni Fastorum, vel Analectis Antiquitatis ineditæ.

Cæteris quoque indicationibus astronomieis, certam anni sedem diemque non minus evidenter quam hocce marmor demonstrantibus, carere non volui Prolegomenis adnexum Breviarium Chronologiæ, huic tomo inserviens, a Julio Cæsare ad finem Vitæ beati Silvestri papæ. Eclipses igitur solis ac lunæ quatuor hisce sæculis observatas, et a scriptoribus litteris consignatas, connotavi, in iisdem tabulis chronologicis per solis consuetum signum ●, si solares sunt; aut per alterius luminaris in licium ☾, si sunt lunares. Ubi hæc signa occurrunt, is annus ejusque sedes, seu a præsenti anno distantia, eclipsis phasibus comprobatur, quarum calculos respondere tabulis ex æquo ac observationibus demonstro in opusculo *de Reparatione Temporum*. Inter has eclipses insignes, nonnullas a chronologis non repertas videre licet, ut ad annum 13 æræ Christianæ.

Huic vero demonstrationi temporum constabiliendæ, beneficentia sanctissimi Patris, et nunquam satis laudati principis Clementis XI præsidia contulit: cum scilicet, excitato sub initium suscepti Ecclesiæ regiminis gnomone astronomico, ad usum Kalendarii constructo in Thermis Diocletiani, in quo cum posteri luminarium motus diligentissime explorare possint, ad tuenda Gregorii XIII beneficia necessarios; ut rei Paschali, pontificia providentia procurandæ, quidquid aptandum fuerat opportune comparavit; ita etiam chronologiæ undequaque confirmandæ et reparandæ, solidiora quæque adminicula providenter adjunxit.

His generatim præmonitis de chronologiæ documentis digestis in hasce tabulas, expediam breviter earumdem de dispositione ea, quæ dicenda supersunt, usus ut illarum sit paratior

Quinquennium illud temporum Cæsarianorum, ante formam anni Julianam a dictatore inductam, requirebat ut ductus columnæ ostenderet diversum initium anni civilis Romani, tunc incidens in prolepticum regularem seriei Scaligerianæ trimestri ferme spatio ante solstitium brumale, quod solstitium proxime consequitur post dies septem caput anni Juliani Kalendis Januarii. Id in eo quinquennio præstitimus, intercurrentibus ad eam tempestatem lineis, quæ annos civiles Romanorum ab Urbe condita in Palilibus completos et ex Palilibus renovatos ostendunt.

Completo autem quinquennio per annum *Confusionis* dictum, in quo novus civilis Julianæ formæ a dictatore datus est civibus Romanis, pariantur quidem lineæ anni Romani civilis terminum indicantes tam in columma periodi Scaligerianæ quam in columna annorum Romanorum civilium. His tamen adhiberi convenit duplex numerus, quorum prior indicet annum Urbis conditæ complendum eodem anno civili, et Scaligeriano die 21 Aprilis in Palilibus, alter vero numeret annum novum ab Urbe condita ex Palilidus, seu 21 Aprilis ineuntem. Signare autem necesse fuit singulis annis duplicem hunc numerum, ut demonstratio nostræ chronologiæ non careret documentis præservatis inter vetusta marmora Capitolina, et Fratrum Arvalium, quæ eosdem consules componunt ante Palilia cum priori numero, post Palilia cum posteriori annorum ab Urbe condita.

Hæc pauca de priori columna, Occidentalium res complexa, eique adjacentibus laterculis chronologiæ Occidentalium indicasse sufficiat. Cætera ad eas pertinentia, solo conspectu tabulæ satis percipiuntur.

4674.	L. Marcius Censorinus.	714.		*Olymp.* 185 *annus* I. *ante æst. et ex æst. ann* II.	Hyrcani Pontificis 30. Antigoni instrusi I. Herodis Regis 1. 2.	
26. 19.	C. Calvisius Sabinus.	*A. P.*				
C.	*Kal. Januarii L. Marcius L. f. c. n. Censorinus Cos. ex Macedonia* triumphat. Fasti Capitolini triumphales. Grut. p. 296.	715. *P. P.*			Herodes ex Italia redux cum mandatis ad Ventidium, ut Herodem contra Antigonum juvet : quod etiam C. Sosio Syriæ et Ciliciæ præfecto mandat. Herodes in Parthica expeditione egregiam operam navat Ventidio : ita ut Parthi, amisso Pacoro duce, et XX milibus suorum cæsis, intra mediam, et Mesopotamiam	
	Ventidius primo Labienum, deinde etiam Parthos prælio superatos expellit Cilicia, et Syria. Dio lib. XLVIII et Palæstinam recuperat, et Romæ V Kal. Dec. Pro-cos. ex Tauro Monte, et Parthis triumphat anno sequente. Fasti triumph Capitolini ap. Grut. fol. 296.		D		redacti sint. Vell Pat l. II, c. 78. Jos l. XIV. c. 27. Dio lib. XLIX, etc.	
4675.	App. Claudius Pulcher.	714.		II. III.	Hyrcan 31. Antis 2. Herodis 2.	39.
23. 1.	C. Norbanus Flaccus.	*A. P.*			3.	
B.	Hinc ÆRA HISPANICA deducitur.	715.			Vere ineunte Herodes duas legiones, C. Sosius XI ad Hierosolymæ	
	Domitius Calvinus Proconsul in potestatem Cæsaris anno superiori reduxerat Hispaniam jussam tributa pendere ex Kalendis Jan. hujus anni, unde incipit Æra Hispanica.	*P. P.*			obsidionem adducunt. Expugnant *Hierosolymæ tertio in jejunii solemnitate* Jos lib XIV. in fin. Anno Sabbatico ineunte. Card Noris Cenot Pis pag 145. ex Dione lib XLIX. his Coss. Antigonus ad Antonium perductus, cruci alligatus, flagris cæsus, ac deinde jugulatus : in	HIEROSOLYMA SOSIO ET HERODE CAPTA.
ÆRA HISPANICA.	P. VENTIDIVS P. F. PROCOS EX TAVRO MONTE ET PARTHEIS. V. K. DECEMB. A. V. C. DCCXV.					

Anni Periodi Jul. et cycli ☉ ☽	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pulil.*
	Fasti triumph. Capitolini.	
	Orodes Parth. Rex filium Phraatem regno præficit. Dio.	
4676.	M. Vipsanius L. F. Agrippa.	715.
28. 2.	L. Caninius L. F. Gallus.	*A. P.*
A.	Dio lib. XLIX.	716.
	Triumviri R. P. C. absoluto quinquennio Triumviratus, pridie Kal. Jan. ad aliud quinquennium se iterum III Viros renuntiarunt inchoandum ex Kal. Jan. hujus anni. Lapis Capit. sup. ad ann. 710. V. C. M. Agrippa Bello Siculo incumbit contra Sextum Pompeium, et portum Baiarum aperit. Dio lib. XLVIII, p. 388.	*P. P.*
4677.	L. Gellius L. f. Publicola.	716
1. 3.	M. Cocceius Nerva. Dio lib. XLIX	*A. P.*
C. F.	Cn. Domitius. m. f. m. n. Calvinus	718.
	Pro Cos. Hispania XVI K. sextil. A. DCCXVII. Imp. Cæsar. Divi. f. c. n. II. III. VIR. R. P. C. II. ovans. ex. Sicilia. Ibid. Novemb. A. DCCXVII. Fasti triumph. Capitol.	*P. P.*
	Triumviratus Lepido abrogatus. vita concessa: ipse relegatus Circeios.	
4678	L. Cornificius l. f.	
2, 4	Sex. Pompeius l. f.	
E.	Dio lib. XLIX.	
	His coss. Sextus Pompeius Cne. Magni filius de infelici expeditione Antonii in Parthos certior factus, in spem elatus se illis adjungendi in Asiam trajicit, ubi ab Amynta, principe Galatiæ, Lycaoniæ, et Pamphyliæ ab Antonio constitutus, ad deditionem compulsus, Mileti jugulatur. Appian. lib. v. Dio lib. XLIX, p. 403, etc.	717
		A. P.
		718
		P. P.
4679	M. Antonius m. f. 11. Abdic.	
3, 5	K. Januar. in ejus locum suf. L.	718
D.	Scribonius Libo.	*A. P.*
	L. Sempronius Atratinus.	719
	Lapis Fast. municip. ap. Grut. CCIC.	*P. P.*
	His coss. Bellum ILLYRICVM et Bellum MARSICVM, ibi C. SOSIVS. C. F. T. N. PRO COS.	

	Anni olymp. Olymp.	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*
A	186 III. IV.	quo Assamonæorum principatus desiit post annos 126, a Juda Maccabæo. Dio et Jos ibi.
		Hyrcani 32, Anan 1, Herodis 3, 4.
		Hircanus Pontifex a Parthis detentus, cognito, quod Herodes regnaret, licet honeste detineretur Babylone, et a Judæis ibi degentibus tanquam Pontifex, ac Rex coleretur [Phraate Parthorum Rege id permittente], impetrare
B		maluit, ut ad Herodem proficisceretur. Comiter excepit socerum Herodes, sed *Pontificem* creat *Ananielum* ab Aarone LVIII, Jos lib XV, cap 1 et 2, cum Hyrcanus esset auribus mutilatus, et cum Herodes caverat nobilem creare Pontificem Jos ibi.
	Olymp.	Ananielis 2, Herodis 4.
	186.	Antonius suasus ab Armeniæ
	ann. IV	Rege Atarasde Tigranis filio, con-
	et 186.	tra Medorum regem suscipit bel-
	P. P.	lum Parthis faventem, et Polemo-
	ann. 1	nem Ponti regem socium belli adhibet. Alexandra uxor Alexan-
C		dri Aristobuli regis filii, per Cleopatram curat Herodi insinuari, ut Summum Pontificatum filio suo Aristobulo conferat, hortatu M. Antonii Jos lib XV, c. 2. Is est ab Aarone LIX.
		Aristobuli 1. Herodis 5.
		Herodes pontificatum abrogat Ananieli, et confert Aristobulo adolescenti annorum 17 quem festo Tabernaculorum, sacris operatum, ad natandum de industria invitatum suffocari insidiose curat, ab Aar. LIX.
D	I, II	Ananielus iterum pontifex suffocato subrogatur ab Aarone antea LVIII, nunc LX. Antonius ab infelici expeditione in Syriam redux Herodis muneribus placatur apud se delati de morte Aristobuli. Jos. lib. XV, c. 4.
		Ananielis 3. Herodis 6.
	II, III	Herodes domesticis, in reditu ab Antonio, criminationibus suarum mulierum irritatus in cognatos sævit. Jos. lib. XV, cap. 4. Cleopatra irretitum suis amoribus Antonium inducit ad aliquot conterminas regiones sibi tribuendas. Flagitabat Judæam, et Arabiam

Anni Period. Jul. et cycli ⑦⑨	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*
	EX. IVDAEA III NONAS SEPTEMBR. A. DCCXIX	
	C. NORBANVS. C. F. FLACCVS. PROCOS	
	EX HISPANIA IV ID OCTOBR. A. DCCXIX	
	Fasti triumphales Capitolini.	
4680	Imp. Cæsar Divi f. II eadem	719
4, 6	die Kal. Abdicavit. In ejus lo-	*a. P.*
C	cum suf.	720
	L. Volcatius l. f. Tullus.	*p P.*
	Idem lapis Fastorum municip. ap. Grut. f. CCIC, et Frontin. his coss. notat V. C. ann. DCCXIX, et post annos XIII. C. Sentium P. Lucretium cos. Boccho rege Mauritaniæ defuncto, Mauritania in Provinciam redacta. Dio l. XLIX, Simultates gliscunt inter Cæsarem, et Anton.	
		720
		721
4681	Cn. Domitius Ahenobarbus.	
5, 7	C. Sosius.	
BA	Idem lapis, qui enumerat etiam suffectos.	
	Kal. Januarii consulum altercatio occasionem dat belli civilis inter Cæsarem, et Antonium. Dio sub init. lib. L.	
	His coss. Dionys. Halicarn. in præf. hist. numerat Olympiadem ineuntem 187, ut ex biennio sequenti colligitur, ubi in diebus æstivis numerat mediam.	
4682	Imp. Cæs. Divi f. III	
6, 8	M. Valerius M. f. M. n. Messala	721
6.	Corvin.	
	Idem lapis, AA. passim. ac PVGNA ACTIACA commissa 4 Non. Sept. Patercul. II, 84. Vide Noris Cen. Pis. p. 159. Augustus post	722
AERA EX VICTOR LA ACT. et LVC. IN SYRIA.	eam victoriam in Asiam Proconsularem profectus eamdem statim obtinuit. Ex Africæ proxima Ægypti parte, Pinarius Scarpus ex Antonii præfectis ad cum defecit. Didius legatus Cæsaris Syriam occupavit. Unde AERA AVG. IN SYRIA ex Autum. Vide Noris Ep. Syr. p. 251, edit. Lips.	
4683	Imp. Cæsar Divi f. IIII.	
7, 9	M. Licinius M. f. m. n. Cras-	722
P.	sus	
	BELLVM ALEXANDRINVM	723
	Idem lapis, qui et suffectos coss.	

	Anni Olymp	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta*	*Anni ante Æram Christi*
A		sibi dari ademptas suis regibus Verum Antonius restitit, largitus tamen maritima loca a fluvio Eleuthero ad Ægyptum præter Tyrum, et Sidonem, ibi.	
		Mortuo pontifici Judæorum succedit Jesus filius Phabæ ab Aarone LXI.	
		Jesu fil. Phabæ 1. Herodis 7.	34
	III *et* IIII	Herodes auxilia ab Antonio post bellum Mediæ sibi remissa educit	
B		contra Arabas, et vario marte cum illis confligit.	
		Antonius cum rege Medorum societatem belli junxerat, ipsi contra Persas, sibi contra Cæsarem, quod is Provincias Lepidi sibi usurpasset. Idem Antonius Armeniæ regem per fraudem captem, et vinctum in triumpho ducit Alexandriam, et regna dividit inter filios Cleopatræ. Dio lib. XLIX.	
	Ol. 186	Jesu 2. Herodis 8.	33
	IIII *et* 187, 1	Hillel Babylonius ex Davidica stirpe floret: ex hujus discipulo-	*Biss*
C		rum numeroso cœtu Jonathan Uzzielis f. auctor Chaldaicæ Paraphraseos clarissimus habetur. Inter Hillelem hunc, et Sammaiam orto dissidio familiæ, suboriuntur Scribarum, et Pharisæorum, S. Hieronym. in Isaiam lib. III, cap. 8, et ex illo Usserius in Annal.	
		Jesu 3. Herodis 9.	32
	I, II	Contra Arabum regem Aretam, Herodes tributorum causa arma movet. Jos. lib. XV, c. 6.	
D		Judæa vehementi terræmotu concutitur c. 7.	
		Herodes in discrimen adductum in se timens, quod favisset Antonio, post Actiacam victoriam, ne Hircanus adhuc superstes in regnum restituatur, de illius nece deliberat. Ibi. cap. 9.	
	II, III.	Jesu 4. Herodis 10.	31
		Herodes post interceptas Hircani litteras ad Malchum Arabum regem, suasu Alexandræ filiæ scriptas ad impetrandum hospi-	

Anni Periodi Jul. et cycli	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*		*Anni Olymp.*	*Judæorum et finittimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni ante Æram Christi*
☿ ☽	nominat: hos inter M. Tullium Ciceronis oratoris filium, qui de profligato Antonio litteras Augusti pro concione recitavit. Plutarch. in Cic. Appian. lib IV, bell. civ. Dio lib. LI, etc.				tium ac tutelam, eumdem quasi reum majesiatis Synedrio peractum occidit. Jos. ibi. Tum ad Augustum properat in Cyprum posito diademate supplex. Supra spem *Regnum ab Antonio Herodi datum Victor Augustus auxit Tacit.* hist. l. I, c. 9; Jos. lib. XV, c. 9; Jos. lib. XV, c. 10; et Belli lib. I, c. 15. Augusto per Syriam contra Antonium moventi, Herodes dona ad	
——	Antonius non sine proditione Cleopatræ, a classe, et copiis ad Augustum deficientibus, destitutus, in prælio Alexandrino se interimit, et paulo post Cleopatra. Ægypto in potestatem redactæ Augustus præficit C. Cornelium Gallum.		B		800 talenta dedit. Jos. lib. XV, c. 10.	
ÆRA AVG. ALEXANDRINA.	Hinc EPOCHA AVGVSTI ALEXANDRINA ex qua Censorin. anno Christi 238 computat annos 268.					
					Jesu 5. Herodis 11.	30
4684	Imp. Cæsar Divi f. V.			III,IV	M. Valerius Messala cum imperio extraordinario in Syriam	
8, 10	Sex Appuleius.	723			mittitur Dio l. LI, sed cito revocatur, ut bello Aquitanico dux	
E	Idem lapis, et lapis Ancyr. et Grut.	724			præsit. Noris Cen. Pis. p. 289, ex Dione: Q. Didio Syriæ Præside. Ibi.	
	Kalendis Januar. agente Sami Cæsare, in ejus verba Romæ juratum est, actaque ejus confirmata. Dio lib. LI, p. 456.					
	Cæsar dictus est IMPERATOR. Id. p. 458, qui et Ianum clusit ibi p. 457, et Patriciorum numerum auxit. Lap. Ancyr. ap. Gruter. p. CLXXXI, cum Censor esset cum M. Agrippa, ibi.		C		Augustus mense Sextili Urbem ingressus triplicem triumphum egit 1 de Pannon. Dalmatis, et lapydis 2 navalem de Vict. Actiaca, 3 de subacta Ægypto. Macrob. 1 Sat., c. 12, V Kal. Sept. Ara Victoriæ in Curia dedicata est. Vet. Kalend. in ædib. Farnes. ap. Grut. CXXVI.	
4585	Imp. Cæsar Divi f. VII.	724		*Ol.* 187	Jesu 6. Herodis 12.	29
9,11	M. Vipsanius l. f. Agrippa II.	725		IV *et*	Herodes efferatus ac delationi-	*Bis*
DC	Bellum *Cantabricum* [lapis Ancyranus] et Gallicum, in quo Messala Aquitanos domat.			*olymp.* 188 I	bus, et suspicionibus incitatus, Mariamnem uxorem et Alexandram socrum interficit. Jos. l. XV, c. 11.	
AERA IMPERII DECENNALIS AUG.	Ludi quinquennales pro Actiaca Vict. instituti, quos etiam ætate sua continuatos asserit Dio lib. LIII. Vide Cenot. Pis. pag. 295. Augustus lege de imperio a se retinendo, quod dimissurus videbatur] in decennium lata, Provincias dividit, pacatas Senatui ac Populo vero bellis expositas retinuit. Dio lib. XIII. Idibus Jan. Ovid. Fast.		D		Mariamnis injusta damnatio [detecta post mortem ejus innocentia] Herodem torquet. Hujus criminis pœnam interpretantur Judæi pestilentiam, quæ Hierosolymis grassata procerum plurimos assumpsit. Jos. lib XV, c. 11.	
4686	Imp. Cæsar Div. f. VII.	725		*Olymp.*	Jesu 7. Herod. 13, ex S. C. 10	28
B	M. Vipsanius L. f. Agrippa III.	726		I	a mor. Antig.	
10,12.	Lapis in Pal. Farnes. ap. Grut. CCXXIV, 1.			II	Herodes, qui Costabaro Idumæo sororem Salomen matrimonio junxerat, eumdem a prima accusatione precibus Salomes donatum,	
	His coss. Cæsar AUGUSTUS dictus fuit ex sententia Munatii Planci.					

Anni Per. Jul. et cycli. ☿ ☽	*Imperatores Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil*		*Anni Olymp.*	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, reges, res gestæ et documenta.*	*Anni ante Æram Ch.*
	Dio lib. 53.					
ÆRA AUGUSTOR *Censorinus dicta ex ea computat* 265 *A. Ch.* 238	Censorin. de die nat. c. 21, ex quo eum solum cudendæ monetæ aur. et arg. potestatem habuisse putat Vaillant. in tab. xx, fam. Jul. Hoc anno Messala Corvinus ex Gallia triumphum egit VII K. Oct. A. DCCXXVI. Fasti triumph. Vide Noris Cen. Pis. 288.				nunc iterum delatum, et ab uxore repudiatum necat. Tum vero a patriis ritibus deflectens Herodes peregrina instituta induxit, theatro, et amphitheatro excitatis et certaminibus athleticis quinquennal. in honorem Augusti Hierosolymæ invectis. Jos. lib. 15, c. 11.	28
4687	Imp Cæsar Divi f. Aug. VIII.	726		II	Jesu 8. Herodis 14 ex S. C.	27
14, 13	T. Statilius T. f. Taurus II.	727		III	Herodes e Judæorum primoribus conjuratos decem, violatæ religionis causa se illum interficere conatos ultro confessos morte afficit. Jos. ibi.	
A	Idem lapis in Pal. Farnes. ap. Grut. 234, 1. Augustus in Britanniam expeditione suscepta occurrentibus Britannorum legatis placatus in Gallia subsistit, et in Hispaniam profectus Cantabros domat. Ibi legatos Indorum a Pandione rege missos excipit, et Scytharum. Horat. in Carm. secul. et lib. 4, Od. 14.		B		Cornelio Gallo ex S. C. damnato sed maturata cæde sibi mortem inferenti successor datur in præfectura Ægypti Petronius. Dio l. 53.	
4688	Imp. Cæsar divi I. Aug. IX.	727		III	Jesu 9. Herodis 15 ex S. C.	26
12, 14	M. Junius D. f. m. n. Silanus	728		IV	Herodes contra seditiones populi securitati suæ consulens Samariam munire et de Augusti nomine SEBASTEN appellare, nec non Turrem Stratonis arcem alteram constituere et paulo post CÆSAREAM vocare instituit, in Galilæa *Gabalam*, Esthmonitim in Peræa. Jos. lib. 15, c. 11. Aminta rege mortuo, Galatia in provinciam redacta cum Lycaonia et Lollio tradita. Rufus.	
G	Idem Lapis. Augustus consulatum IX iniit Taracone [Sueton. in Octav. c. 26] labente anno 3, olympiadis 188. Euseb. Chr. quo Indorum legatos excepit, ibi et Syncell. cum Floro lib. 4, c. ult. Sueton. in Oct. c. 21. Jani templum iterum clusit. Dio lib. 53, *Augusta emerita* in Lusitania ab Augusto condita. Pantheon Romæ ab Agrippa. Dio lib. 53.		C			

HINC incipit ÆRA COPTICA in Ægypto et ÆRA SEBASTENORUM in Syria.

Anni Per. Jul. et cycli. ☿ ☽	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil*		*Anni Olymp.*	*Judæorum et finitimorum populorum pontifices, reges, res gestæ, et documenta.*	*Anni ante Æram Ch.*
4689	Imp Cæsar div. f. Aug. X.	728 729		*Olymp.* 188	Jesu 10 Herod. 16, ex S. C. et a morte Antigoni 13.	25 *Biss.*
13, 15	C. Norbanus Flaccus.			IV	Samaritæ pridem nunc SEBASTENI	ÆRA
F E	Idem lapis Farnesianus.		D	*et* 189	epocham suam hinc ordiuntur, ut	SEBA-
	Ælius Gallus tertius Præfectus Augustalis Ægypti expeditionem suscipit contra Arabas, tentaturus etiam, Æthiopum terminos et Trogloditicam Regionem. Strabo lib 2, p. 118 et lib 17, p. 816. Coptitæ Ægyptii Æram suam hinc deducunt recepto anno Juliano, Thoth. die Aug 29 Petavius lib x, cap 71.			I	ex eorum nummis ostendit card Noris. Ep. Syr. pag 534, edit Lips anno sterilitatis ac pestilentiæ in Judæa Herodis XIII, a morte Antigoni indicato apud Josephum lib 15, c. 13. Terentio Varrone legato Augusti in Syria et procos card Nor Cen Pis. pag 290, ex Jos Ælius Gallus tertius Ægypti præfectus. Nabatheorum Arabum res Obodas. Strabo lib 16, pag 780, et Aretas qui Gallum amice suscipit.	STENORUM *in Syria*

Anni Per. jul. et cycli.	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp*	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, reges, res gestæ et documenta.*	*Anni ante Æras Ch.*
☉ 4690 14, 16 D	Imp Cæsar. Divi f. Aug XI. Cn. Calpurnius Cn. f. Cn. n. Piso. Idem lapis Farnesian. Augustus abdicavit [Idem lapis] in Albanum profectus [Dio lib. 53], substituto in sui locum L. Sestio, circa initium April. et ex die V Kal Jul TRIBUNIC. POTESTATEM accepit, cum antea etiam dictaturam oblatam constanter recusasset. Patin in Sueton f. 139. Phraates III Scytharum auxilio in regnum restitutus legatos ad Cæsarem mittit repetens filium obsidem sibi reddi, et tradi Tiridatem. Hunc retinet Augustus, illum concedit ; sed repetit signa sub Crasso et Antonio amissa Justin. lib. 42, Dio l. 53.	729 730	A	I II	Jesu 11, Herod 10, ex S. C. et 14, ab. 4. Simon. Bocchi fil 1, ab Aarone 62. Herodes amotoa pontificatu Jesu Phabetis filio substituit Simonem Boethi Alexandrini filium cujus filiam Mariamnem ducit uxorem. Jos., lib. 15, cap. 12, et 18, cap 7. Is ab Aarone numer LXI. P Petronius arma romana promovet ultra Syenem m. p. 870. in Æthiopas [Plin lib 6, cap 29], quorum regina Candaces restituere coacta est abductas Cesaris statuas. Strrabo lib 17, pag 820, Dio lib 54, pag 524. *Agrippa* ob simultates cum Marcello *in Syriam* missus subsistit in Lesto insula. Dio ibi.	24

HINC PER ANNUAS TRIBUNICIAS POTESTATES ROM. PRINCIPUM TEMPORA DISTINCTE NUMERANTUR.

Anni Per. jul.	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta*	*Anni U. C ante et post Palil.*		*Anni Olymp*	*Judæorum et finitorum populorum Pontifices, reges, res gestæ et documenta*	*Anni ante Ær. Cl*
4691 15, 17 C	Imp Cæsar Aug tr. p. I. et II. L. Arruntius Coss C. Claudius Marcellus Æserninus Vignol ex antiq lap Puteolano in lib de Col. Pii pag 192. Nummi aur et arg *Augusto* cusi *Divi f. Cos* XI. *tr. p.* II *Imp* VIII, et in parte aversa tres globi, in quibus EUROPA ASIA AFRICA S. P. Q. R. circum *M. Coccejus Neva* III. *Vir* His Coss Augustus in Siciliam profectus est ut eam, ac omnes alias ad Syriam usque Provincias constitueret. Dio lib 54. Vide Noris Cen Pis, pag 292	730 734	C	II III	Simonis 1, 2. Herodis 18 ex S. C. Herodes Cæsareæ portum magnificenter construit Pyræo parem. Pleraque saxa in fundamentis jacta longitud ped 50, latitud 18, altitud 9. Templum quoque statuit Cæsari, nec non theatrum, et amphitheatrum lapidea : ejus denique gratiam captat Cæsareæ nomine civitati imposito. Joseph XV, cap 13.	23
4692 ☉ ☾ 16, 18 B	Imp Augustus Tr. P. II, III. Coss Q. Æmilius Lepidus M. Lollius Lapis Colotianus ap. Grut fol. CCXCVIII. Horatius in fine lib I. Epistolarum his Coss. implere se scribit ætatis annum 44. Augustus Agrippam Præfectum Urbi creat. Dio lib 54. Vide Cen Pisan p. 292, eique Juliam dat uxorem. Syracusas coloniam facit. In Græciam transit. Dio ibi.	731 732	D	III IV	Simonis 2, 3. Herod 19, ex S. C. Herodes cogitans de templo instaurando materiam convehit. Joseph lib 15, cap 14. Hinc anni 46, ad primum Pascha Christi prædicantis numerantur. Joannis 2, 20. Idem Herodes filios suos Aristobulum et Alexandrum Romam mittit salutatum Cæsarem et ut moribus Romanorum assuescant. Augustus his permotus officiis regnum ipsius auget accessione Trachonitidis et Bataneæ, dum Syriæ	22

Anni Per. Jul. et cycli ☉ ☽	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*		*Anni Olymp.*	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, reges, res gestæ, et documenta.*	*Anni ante Æram Ch.*
4693	Imp. C. Aug trib pot. III, IV.	732	A		præsidet Varro. Jos XV, 13. Vide C. Noris Cen Pis pag 290	
17, 19 A G	Coss M. Apuleius Sex f. Nepos, P. Silius Nerva.	733		*Olymp.* 189 IV *et* 190 I	Simonis 3, 4. Herod ex S. C. 20, a morte Antig 17. Joseph lib 15.	21 *Biss.*
	Idem lapis. Augustus in Samo excipit legatos Candacis Reginæ.				Herodes a Gadarensibus apud	
Ex his Coss incipit	Inde in Asiam pergit. Armeniæ majoris populo Artabazen accusanti, et Tigranem Romæ obsidem petenti regem concedit, et				Augustum accusatus, quasi tyrannice regnum administraret, non modo absolutus est a Cæsare, sed accessione nova donatus regionis ad fontes Jordanis, templum ex-	
ERA ANA- TARBI	per Tiberium induci in regnum hunc jubet. Dio lib 54. Tacit Annal lib 2, c. 3, et Nummi. Tyrii et		B		citat in honorem Augusti, ubi Panis spelunca sub monte Hermon,	
Noris Ep. Syr p. 370.	Sidonii ab Augusto libertate multati propter factiones. Dio p. 525 M. Cicero oratoris f. Syriæ legatus Appian lib 4.				a gentibus dicto Panio unde et urbs proxima Paneas vocatur, et Cæsarea Augusta sub Panio ab Herode tetrarcha hujus filio condita post annos circiter 20. Vide card. Noris Ep. Syr., pag 450.	
4694	Imper Cæs divi f. Aug tr. p. IV, V.	733				
18, 1 F	Coss C. Sentius Saturninus Q. Lucretius [*Vipsalio*]	734			Simonis 4, 5. Herod ex S. C. 20 a morte Antig 18	20
	Screverius in Frontino legit *Vespillo.*				Herodes hoc anno XVIII regni a morte Antigoni materia jam ante	
	Suf M. Minucius p. f.			I	convecta aggreditur novam struc-	
	Idem lapis. His Coss Agrippa in urbem perducit Aquam Virginem. Frontin. Virgilius poeta his Coss moritur. Donatus in ejus vita Augustus Romam revertitur. Vide card Nor Cenot Pis. pag 293, ubi de M. Cicerone oratoris filio Syriæ legato, pag 294.		C	II	turam templi Hierosolymitani e lapidus candidis longis cubit 25, lat 12, alt 8. Jos lib 15, cap 14. Turrim ab Assamoneis in arcem erectam, ubi asservabatur stola Pontificalis, munivit, et vocavit Antoniam, et cryptam ab ea perducentem in alteram turrim ad portam orientalem templi. Jos lib 15, cap ult.	
4695 192	Imp Cæs divi f. Aug tr. p. V. VI.	734				
	P. Cornelius p. f. *Lentulus Marcellin.*	735			Sim 5, 6, Herodis ex S. C. 22, a m. Ant. 19.	19
	Coss Cn. Cornelius Lentulus Augur.				Herodes Romam navigat, et fi-	
E	Idem lapis: et lapis Ancyr ap. Grut 234. L. Cornelius p. f. Balbus pro Cos ad diem VI Kal April triumph ex Africa A. DCCLXXXIV. Fasti triumph ap. Grut fol CCC. Cum Garamantas domuisset. Solin Plin. lib 5. Censoria potestas Augusto collata		D	II III	lios ab Augusto recipit, bonis artibus instructos domum reducit, uxores utrique jungit, Aristobulo Berenicen Salomes sororis filiam, Alexandro autem Archelai Cappadocum regis filiam Glaphyram. Jos lib 16 c. 1 et 2.	
4696 203 D	Imp. Cæs divi f. Aug tr. p. VI, VII	735			Sim 6, 7. Her ex S. C. 23, a m. Antig 20.	18
	Coss C. Furnius c. f. C. Junius [Silanus.]	736			Alexander et Aristobulus filii in	
	His Coss ludi sæculares Quincti ex lapide Farnesiano apud Grut. CCCLXVIII, 1.			III IV	Palæstinam cum patre reversi Salomes ac Phreoræ insidiis appetuntur. Joseph lib 16, c. 1.	
	Nummi aur et arg Augusti tr. p. VII, p. a. L. Mescinius Rufus III. Vir Cippus in quo IMP CÆS [AUG LUD SEC XV S. F.					

Anni Per. Jul. et cycli.	*Imperatores, Consules, Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U.C. ante et post Pali*
☿ ☽		
4697	Imp Cæs divi f. Aug. tr. p. VII, VIII	736
21, 4	L. Domitius An. f. *Ahe-*	737
C B	Coss *[nobarbus]*	
	P. Cornelius Scipio	
	Suf L. *Tarius Rufus.*	
	Idem lapis	
	Dedicatio templi Quirini. Dio lib 54. His.Coss Aug in Galliam profectus est ob bella ibidem concitata. Ib.	
4869	Imp Cæs Aug tr. pag VIII, IX	737
22, 5	M. *Livius* Drusus l. f.	738
C	Coss L. Calpurnius Piso	
	Bellum RHETICUM.	
	Idem lapis. [Ab utroque Nerone fratre hoc bellum geritur. Horat od 14, lib 4 Carm. His Coss triumphant P. Silius proconsul ex Alpibus et Pannon et L. Asinius proconsul de Sauromatis. Ex fast tr. Lyd.	
4699	Imp Augustus tr. p. IX et X.	737
Cycli	M. Licinius m. f. m. n.	738
☿ ☽	Crassus	
23, 6	Coss Cn. Cornelius Cn. f. Len-	
G	tulus Augur.	
	Idem lapis, et alius ap. Vignol de Col Pii fol 231, et lapis Ancyranus. His Coss Alpini a mare supero ad inferum domiti et sub Romani imperii ditionem redacti Tropæum in Alpibus erectum. Plin lib 3 cap 20.	
4700	Imp Augustus tr. pag X et XI.	739
24, 7	Coss Ti. Claudius Ti. f. Nero	740
F	P. Quintilius Sex f. Varus	
	Idem lapis et Fabrett inscrip p. 201. Hoc anno *mortuo Lepido* AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS creatus est Prid Non Martii. Vetus Kalend in Pal Farnes apud Grut.	
	Agrippa trib. pot. donatur in aliud quinquennium. Dio lib. 54.	
4701	Augustus Pont. Max. tr. p. XI,	740
25, 8	XII.	741
E D	M. Valerius M. f. Messala	
	Coss Corvin.	
	P. Sulpicius Quirinus	
	Suf. C. Valgius c. f. C. Canadius	
	Idem lapis Colot. et Macrob. Sat. XI, 2.	
	Drusus Sicambros subegit, Gallos Rhenum transeuntes cæcidit, Frisios ad amicitiam P. R. perduxit,	

	Anni Olymp.	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices reges, res gestæ, et documenta.*
A	*Olymp.* 190 IV	Sim 7, 8 Herod ex S. C. 24, a m. A. 21.
	et Ol 191 I	Herodes honorifice invitat in Asia agentem Agrippam post ludos Actiacos a λν, viris h. anno se Præside celebratos mense septembri, et in Syriam proficiscentem, sibi decretam Provinciam. Jos lib 15, c. 2.
		Agrippa Hecatombem Deo immolat Hierosolymis. Ibi.
		Simonis 8 et 9. Herodis 25, x S. C.
B	I	Asander Rex Bosphori moritur,
	II	cui Scribonius quidam succedere conatur, Dio et ex eo Calvis, Bosphoranorum motibus occurrere satagens Agrippa occasionem præbet Herodi Regi se comparandi ad Agrippæ comitatum, et ad plura pro Judæis beneficia ab ipso impetranda. Joseph lib 16, c. 4 et 5.
		Sim 9, 10. Herod ex S. C. 26, a m. A. 23.
	II	Herodes Agrippam his Coss
	III	contra Bosphoranos moventem comitatur, donec eosdem victos
C		Agrippa tradat Polemoni Regi. Eumdem Agrippam Hiensibus iratum placat et Judæis Ioniæ immunitatem ab illo impetrat. Jos lib 16, c. 3. 4. Dissidia et delationes domesticæ Herodem vexant. Jos ibi c. 6.
		Sim 10, 11. Herod ex S. C. 27 a M. C. 24.
	III	Agrippa cum annis decem Asiæ
	IV	diœcesim et Syriam administrasset, in Italiam revocatur ut bellum Pannonicum administret cum M. Vinicio, eique *in Syria* surrogatur *M. Titius.* Strab. Jos l. 16 c. 6, in fin. Vide Noris Ep. Syr p. 254 et Paterc lib 2. Herodes
D		Agrippæ commendat filium Antipatrum, ut Romam secum perducat. Jos ibi.
	Olymp. 191 IV	Simon 11, 12. Herod ex S. C. 28, a m. A. 25.
	Olymp 192 I	Herodes dedicat Cæsaream Jos lib 16, c. 9, mox in Italiam iterum navigans Olympicis ludis 192, in Elide præsidet et perpetuus Agonotheta declaratur ob liberalitatem ibi exercitam. Jos lib I, belli c. 16, et lib 16. Antiq cap 9. Vide card Noris Cen Pis pag 154.

Anni Per. Jul. et cycli.	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ. et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*		*Anni Olymp.*	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, reges, res gestæ, et documenta.*	*Anni ante Æram Ch.*
☉☽	triumphalibus ornamentis auctus ovans Urbem ingreditur. Tiberius in Dalmatas et Pannon. mittitur mortuo Agrippa. Dio lib. 54, et Paterculus l. 2.					
4702	Aug. Pon. Max. tr. p. XII, XIII.	741			Sim 12, 12. Herod ex S. C. 29, a m. A. 26.	12
26,9 C	Coss Paulus Fabius Maximus Q. Ælius Tubero	742		I	Herodes Augustum apud Aquileiam invisit, et filios accusans cum ipsis per Cæsarem reconciliatur, quem talentis CCC donat, seu scutatis 180, mill [Noris Cen Pis pag 154, ex Josepho] dividentem viritim CCCC nummos tertium in pot Trib XII. Lapis Ancyr. Herodes Cæsaream dedicat annis 12 a se perfectam regni ann 28. Olym 192. Jos et Noris ubi sup.	
	Frontin. de Aquæduct. 118, Jul. Obs. de Prodig. c. 134.			II		
	Tiberius Dalmatas et Pannonios imperio adjecit. Paterc 1, lib. 2, triumphalibus ornamentis ab Augusto ornatus Dio li. 54, p. 543. Drusus Frisios subegit ibi.		B			
4703	Aug. P. M. tr. p. XIII, XIV.	742		II	Sim 13, 14. Herod ex S. C. 30, a m. A. 27.	11
27,10 B	C. Julius Antonius Africanus.	743		III	Phraates Parthorum Rex quatuor filios obsides ad Augustum mittit vocato in colloquium Titio, qui id temporis Syriæ præerat. Strabo lib 16. p. 545, et ex eo card Noris Cen Pis diss 2, § 9, ubi nomina duorum corrigit ex lapide in Hortis Mediceis asservato in Monte Pincio, ubi *Seraspadanes et Rodaspes* Parthi Phraatis Regiam Regis filii vocantur. Jos lib 18, c. 3.	
	Coss C. Fabius Maximus					
	Sueton. in Claud. c. 2. His coss. Theatrum Marcelli dedicatum. Plin. l. 8, c. 7. Natalis Claudii Kalendis Augusti. Suet. et vetus Kalend. Antiat. in Mus. Alb. Augustus obeliscum dedicat Soli Pont. Maxim. Imp. XI, cos. XI, tr. pot. XIV, legitur in basi obelisci ad portam Flamin. rationarium Imperii scribit. Dio l. 54, p. 545.		C			
4704	Aug. P. M. tr. p. XIV, XV.	743		III	Sim 14, 15. Her ex S. C. 31, a m. A. 28.	10
28,11 A	Coss Nero Claudius Drusus T. Quinctius Crispinus	744		IV	Herodes thesauros quærit in sepulcris Davidis et Salomonis. Ex quo Josephus lib 16, cap 11, et seqq ejusdem Regiam conversam asserit in seminarium calumniarum ob inordinatos amores Phreoræ, et ambitionem filiorum.	
	Lapis in Pal. Farnes. ubi Augustus his coss. dicitur Pont. Max. Imp. XIII, cos. XI, tr. pot. XV, editus apud Gruter. fol. LXIII. Drusi mortui corpus Romam delatum Augustus et Tiberius in funere laudatum condunt. Dio l. 55.					
4705	Aug. P. M. tr. p. XV, XVI.	744	D	*Olymp.* 162	Sim 15, 16. Her ex S. C. 32, a m. A. 29.	9
1,12 G F	Coss C. Martinus L. f. L. Censorinus C. Asinius C. f. Gallus	745		IV	Defuncto Obode Nabathæorum Arabum Rege succedit Aretas, qui	
	Lapis in vin. Palazzeschi edit. a Vignol de Columna Pii p. 343.			*Olymp* 193	antea Æneas. Jos lib 19, c. 15.	
	His coss. LUSTRUM conditum. Censita civium Rom. quadragies centum millia et 236. Lapis Ancyr. ap. Grut. 230. Ti. ad bellum Germ. cum C. Cæs. proficiscitur Augustus in Kalend. Juliano vitiose intercalatum observans			I	Dionysius Halic in præf hist affirmat se hoc anno scribere aggressum 22 annis post finem bellis civilibus ab Aug impositum : quo anno finem bellis civilibus ferente numerat medium Olympiadis 187, quando ipse statim in Italiam navigavit.	

Anni Per. Jul. et cycli.	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pabil.*	A	*Anni Olymp.*	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, reges, res gestæ et documenta.*	*Anni ante Æram Ch.*
ⓉⒹ	omisso ad ann. XII. Bissextili corrigit. Plin. lib. 18, cap. 25. Solin. c. 3. Macrob. Sat. lib. 4, c. 14.					
4706	Augustus P. M. tr. p. XVI XVII.	745		I	Sim 19. Herodis ex S. C. 33, a	8
2,13 *E*	Coss Ti. Claudius Ti. f. Nero II. Cn. Calpurius Cn. f. Piso II. Suff. ex K. Aug. L. Manilius. Q. Torquatus. Lapis ap. Panvin. Hoc est sequenti anno. Augustus militibus emeritis pretium pro agris distribuit. Lapis Ancyr. Tab. 3, ap. Grut. p. 231. Arcus Augusto erectus in Norico tr. p. XVII, de quo Plinius lib. 3, c. 2. Kal. Jan. Ti. cos. II, de Germanis triumph. Dio lib. 54. Vide Noris Cen. Pis. p. 198.	746	B	II	m. A. 30. Matth I. Sy. Præf Saturnino Præ jud Volum. Simon Boethi Summus Sacerdos ob conscientiam veneficii imputati ejus filiæ Herodis uxor, pontificatu privatur. Succedit *Matthias* [ab Aarone LXIII]. Joseph l. 17, c. 15 et 18, c. 3, C. *Sentius Saturninus*, legatus Propræt. in Syriam venit, cum *Volumnio* Procuratore. Nummi signati Æra Aug Vide card. Noris Cen Pis pag 306, ex Jos lib 16, c. 16. Aretam regem datis muneribus Aug confirmat ibi.	
4707	Aug. P. M. tr. p. XVII. XVIII.	746		II	Joasar I Herodis ex S. C. 34,	7
3,14 *D*	Coss D. Lælius Balbus C. Antistius Vetus Monum. Ancyr. Tab. 3, ap Grut. p. 232. Panvin. in Fast. ex ant. lap. Fabrett. Insc pag. 698, habet *Antestio*. JANUS TERTIUM CLUSUS. Vide Noris Cen. Pis. p. 193, ubi per tres annos clausum probat.	747	C	III	m. A. 31. Matthia coacto abdicare *Joasar* [al. *Gozar*] pontifex creatur [Jos ibi] ab Aarone LXIV. Herodis filii damnati in Concil Berytensi strangulantur Sebaste. Jos lib 16, c. 17. Saturnino præside Syriæ [ibi] cum Volumnio aliisque ad 150 sententiam ferente. Antipater fratribus de medio sublatis etiam patrem tollere impie meditatur. Ibi lib 17, c. 1.	
4708	Aug. P. M. tr. p. XVIII, XIX.	747		III	Joasar 1, 2, Herod ex S. C. 35	6
4,15 *C*	Coss Augustus Divi f. XII. L. Cornelius Sulla. Lapis ap. Panvin. in Fast. Inductu Aquæ Merciæ supra portam Exquilinam *Augustus P. M.* tr. p. XIX. cos. XII. *rivos omnium Aquarum refecit.* Numi cum tr p. XVIII, cos. XI, et cum tr. p. XIX, cos. XII. Sueton in Aug. c. 29, annis 17, ab XI Consulatu elapsis XII, hunc ultro petiisse ait et XIII, antea recusatos. Quirinus cum extraord. imperio in Syriam missus census agit in Judæa. Vide Noris Cenot. Pis. p. 322.	748	D	IV	ex morte Antig 32. Hoc anno orbe in pace compositio. VERBUM DEI CARO FACTUM EST. Christus in utero B. MARIÆ Virginis, Angelo nuntiante conceptus de SPIRITU SANCTO VIII Kal April SS. PP. ex Lucæ Evangelio. Præcursor ejus *Joannes Baptista* nascitur mense Junio : et VIII Kal Jan DOMINUS NOSTER JESUS CHRISTUS NASCITUR DE MARIA VIRGINE IN BETHLEHEM JUDÆ IN DIEBUS HERODIS REGIS *cum exisset edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* Ibi.	
				Olm 193 IV	HÆC DESCRIPTIO PRIMA FACTA EST A PRÆSIDE SYRIÆ CYRINO. Lucæ 2.	
4709 5,16		748		*Olymp 194*	Tigrane mortuo Armenia rebellat. Vi. Cen Pis 185.	
B A	Augustus P. M. tr. p. XIX, XX.	749		1	Joasar 2, 3, Her. ex S. C. 36,	5 *Bis*

Anni Per. Jul. et cycli.	Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.	Anni U.C. ante et post Pal.	A	Anni Olymp	Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, reges, res gestæ et documenta.	Anni ante Ær. Ch.
	Coss C. Calvisius C. f. c. n. Sabinus. L. Passienus [Crispinus] Rufus.				37, a morte Antig 33. KALENDIS JANUARII CIRCUMCISIO DOMINI in qua vocatum est nomen ejus Jesus	
	Lapis in Pal. Farnes. ap. Grut. p. CVI, 4. Quintilio Varo in Syriam misso judicium defertur Antipatri parricidium machinati insidiis iteratis. Quem nefariæ machinationis convictum ad Cæsarem mittere cogitans diu retinuit Herodes, ac demum quinto ante obitum suum die occidi jussum sibi præmisit ad sepulcrum. Jos. lib. 17, c. x. Archelaus succedit.		B		Quintilius Varus in Syriam mittitur successor Saturnini. Jos lib 17, c. 17. Eodem anno ADORATIO MAGORUM, et FUGA DOMINI IN ÆGYPTUM et CÆDES PUERORUM INNOCENTIUM. Judas et Matthias cum sociis Hierosolymis igni combusti qua nocte luna eclipsim totalem pati spectata fuit in ejus exortu die 23 Mar ex Tab Astr Jos lib 17, cap 10. Herodes gravius ægrotat et moritur 25 Nov regni an. 37 inito: ex quo Romæ ex S. C. declar Archelaus successur. Augustum adit.	*Ecl lunæ total*
4710 6,17 G	Aug. P. M. tr. p. XX, XXI. L. Cornelius Lentulus. Coss M. Valerius Corvinus Messala.	749 750	C	I II	Joasar 3, 4, Archelai 1 et 2. Reditus Pueri Jesu ex Ægypto. Matth. 2. Herodis testamentum Cæsar confirmat, Archelao ethnarcha constituto in Judæa, Idumæa et Samaria. Herodi Antipæ regio trans Jord. et Galilæa: Philippo Batana Trachonitis et Gaulanitis: aliquæ urbes Græcanici instituti Syriæ contributæ Jos lib 17, c. 13.	4
	Lapis infra in not. p. 122, ex quo corrigen. Reines. cl. v. n. 29, et lap. Ancyr. Idem coss. in tessera gladiat. Fabr. Inscr. p. 38. Natalis Galbæ, qui postea imperavit. Suet. c. 1.					
4711 7,18 F	Augustus P. M. tr. p. XXI, XXII. Imp Cæsar divi f. Augustus XIII. Coss M. Plautius Silvanus.	750 751	D	II III	Joasar. 4. Eleazari 1. Archelai 2, 3. Archelaus jam ethnarcha in Judæam reversus Joasaro pontif. abrogat, et confert in ejus fratrem Eleazarum Jos. lib. 17, c. 15. Ad bellum Parthicum Caius Cæsar proficiscitur dum Augustus *Pater Patriæ* dictus est. Vide C. Noris Cenot. Pis. pag. 188, et Ovid. lib. 1 de arte etc., quo etiam anno Augustus Naumachiam dedit. Ibi. Tiberius Samum navigat ut Caium invisat. Velleius.	3
	Lapis in Hortis Mediceis in monte Pincio ap. Grut CVI, 7, et Reines. pag 597. Hoc anno Augustus PATER PATRIÆ appellatus est *Nonis Februarii* TR. POT XXI, ex Kalendario Prænest Noris Cenot Pis p. 179. Templum Martis Ultoris dedicat, Bellum Arabicum, Armen. Parthicum.					
4712 3,19 E	Aug P. M. tr. p. XXII, XXIII. Coss Cossus Cornelius Lentulus L. Calpurnius Piso Augur.	751 752		III IV	Eleazari, 1, 2. Archelai 3, 4. *Armenia recepta* [iterum]. Nam antea per Tiberium anno V. C. 73 2/3 quando in nummis dictus est Aug. IMP VII, nunc p. Caium quando dicitur imp. XIV. Vide Noris Cen. Pis. pag. 185.	2
	Lapis Veron ap. Panvin in Fast Grut 166, 3, et Reines p. 597.					
4713 9,1 DC	Aug P. M. tr. p. XXIII, XXIV. Coss C. Julius Cæsar Vipsanianus L. Æmilius Paulus.	752 753		O. 194 IV O. 195 I	Eleazari 2, 3. Archelai 4, 5. Caius Cæsar consulatum init in Syria Kal. Januarii: et Cenot. Pis C. Noris pag. 243 et in Oriente absolvit. Ibi.	1
	Gruter 1074, 2, et Reines 597.					

Anni Per. Jul. et cycli ☿ ☽	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni ante Ær. Ch.*
					Mortuo Artavasde nuper in Armeniæ regnum per Caium stabilito, Tigranes dona Augusto offert ut sibi detur. Augustus ad Caium remittit supplicationem Jussum bene sperare.	



Veteres nummi annum Christi Natalem ex Patribus illustrantes. 1 et 2 Coloniæ Cæsaraugustæ in Hispania editi c Jo. Vaillunt in Col., reliqui in Syria : 1. Sub Augusto trib. post XIX. Cos. XI. DES. XII. anno Christi Natali. 2, anno proximo tr. pot. XX. 3, Præsi de Syriæ Saturnino (anno EA. *35, sub quo censum actum in Syria tradit Ter tullianus. Ex Mus nostro cum 2 seqq. 4, Præside Quinctitio Varo, anno XXVI Aug. in Syria. 5, anno XXVII. 6 Herodis Antipæ sub C. Caligula anno 43, a morte Herodis Magni. Ex Musæo Rigor.*

HINC ÆRA CHRISTI COMMUNIS EXORDIUM CAPIT.

Anni Per. Jul. et cycli. ☿ ☽	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*	B	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
471.	Imper. Cæs. Augustus trib. pot.	753		*Olymp.* 195 *an.* 1 *et ex dieb æstivis* II	CHRISTUS DOMINUS PONTIFEX IN ÆTERNUM SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH Judæorum Pontificis Eleazari annus 3 et 4 ; regis Archelai 5 et 6. Caius Cæsar Augusti filius Orienti præpositus contra Parthos ad bellum se comparans, colloquio habito cum Phraate regis filio, pacem firmat. Vide card Noris Cenot Pis pag. 347	1
Cycli sol. 24, *lun.* 10, 2 *Litt. Dom.*	et ex die 27 Junii tr. pot. 25. Cen. Pis. Coss P. Vinicius. P. Alfenius Varus. Reines. ex antiq. lap. p. 592.	754				
B.	His coss. Tiberius, octavo sui secessus anno, Romam revocatur. Suet, in Ti. cap. 14. Patercul. lib. 2, cap. 99, et 102. Lucius Cæsar moritur Massiliæ 20 Aug. Cenot. His. et Kalend. Antiat. in					

Anni Per. Jul. et cycli.	Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.	Anni U. C. ante et. post Pal	A	Anni Olymp.	Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ, et documenta.	Anni Æræ Christi
	musæo card, Alexandri Albani in fine prolegomenon.					
4715	Imp. Aug. trib. pot. 25 et 26.	754		II	Christi Domini annus ætatis 7.	2
11, 3 A	Coss P. Ælius Lamia. M. Servilius.	755		III	Eleazari Jud Pont 45, regis Arch 6, 7.	
	Val. Max. lib. 1, c. 1. Panvin. Augustus, tertio decennio expleto, morum ac legum regimen in aliud decennium accipiens legiones 25 per provincias distribuit: Italiæ, et Galliæ littora classibus munit, centesimæ. et vigesimæ vectigalibus institutis. Goltz. et Lvdiat. ex Dion. Suet. Tacito.		B		Caio Cæsari Artageram obsidenti proditor vulnus infligit. Illo ex vulnere decumbente, ministri per avaritiam in provinciam grassantur. Lollius accusationem præveniens se interficit. Rector juventæ illi substituitur Quirinius, qui censum in Judæa egerat nascente Domino: Vide AA. prod in Cenot Pis pag 317 et 241.	
4716	Imp. Aug. tr. pot. XXVI. XXVII.	755				
12, 4 G	Coss L. Ælius Catus. C. Sentius Saturninus	756		III	Ætat. Christi Domini annus 8.	3
	Lapis Pisanus: ubi Augustus VIII Kal. Mart. trib. pot. 26. Tiberius ab Augusto adoptatur V Kal. Jul. Paterc. lib. 2, n. 103, et in Germaniam mittitur Ibi.			IV	Eleaz 5, 6. Archelai 7, 8. Caius Cæsar his coss XI Kal Mart diem obit C. Noris Cen Pisan pag 342. Augusto numerante trib pot 26. Ibi ex eodem lap Pisano.	
4717	Imp. Aug. trib. pot. 27 28.	756		IV	Æt. Christi Domini 9.	4
13, 5 F. E	Coss L. Valerius [Messala] Valæsus. [Cn. [Cornelius] Cinna Magnus	757		Ol 195 et Ol 196	Eleaz 6. Archel 8 9. Jesu fil Sias I Jos 18 c. 3 Eleazar ab Archelao abire jussus Pontificatu successorem accipit Jesum fil Sias [Ab Aarone LXV.] Jos I 17 c. 15 a quo etiam dicitur *Joazar*.	*Biss*
	Antiq lap in ædib Otthobon. Fabrett Inscript p. 703 emendans Gruterum fol 1083, 8.		C	I		
4718	Imp. Aug. trib. pot. 28 29.	757		I	Æt. Christi Domini 9.	5
146 D	Coss M. Æmilius Lepidus L. Aruntius	758		II	Jesu fil Sias seu Joazar 1 2. Archel 9 10.	IVDÆA *in Pro redacta anno* 9 *et* 10 *Ti ex Jos Vid Petavii Chron*
I	Extessera gladiat Fabrett Inscript p. 38. Solis eclipsis ex Dione lib 55 p. 57. Bello Pannonico, et Dalmatico per Batonem excitato, Tiberius accitur ex Germ in Illyricum. Plures nationes domat tum ibi, tum in Germania, et Pannonia præsertim Marcomannos, et Langobardos, ex Germania. Paterculus lib 2 c. 106 Dio l. 55.				Archelaus a primatibus Judæorum accusatus apud Augustum Romam accersitus damnatur exilio: relegatur apud Viennam: et *Judæa* cum universa ejus ditione Syriæ Provinciæ attributa Præsidem accipit Quirinium, qui censum in ea facit. Jos lib 17 c. 15. IVDÆA in Provinciam redacta anno ab Act Vict 37 Jos lib 18 c. 3.	
4719	Imp Aug trib pot 29 30.	758	D	II	Ætat. Christi Domini 11.	
15, 7 C	Coss A Licinius Nerva Silianus Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus	759		III	Jesu seu Joazar 2 3. . . Quirinius Præses. Coponius Procur.	
	Lap ap. Panvin in Fastet Grut 295 una cum suff ubi Augustus dicitur trib pot XXX. Contra DCCC rebellantium millia ex quibus CC mil armat. Tiberius imp. tuetur, dum faucibus Italiæ immin. Paterc ibi.				Sub hac secunda descriptione Quirinii in *Judæa*, Judas Galilæus *(de quo Actor* V 37*)* una cum Saddoco Pharisæo auctore quartæ Judæorum sectæ. census causa, seditionem movens cædibus omnia replet. Jos l. 18 c. 1 et 2.	
4720	Imp Aug trib pot 30 31.	759		III	Ætat. Christi Domini 12 qui n. an.	7
16, 8 B	Coss M. Furius p. f. p. n. Camillus Sex Nonius l. f. l. n. Quinctilianus.	760		IV	in templo *disputat inter Doc-*	

Anni Per. Jul. et cycli. ☉☽	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni ab U.C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Juduorum et finitimorum populorm, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Ær. Christi*
	Fasti Capit ubi leguntur etiam suffecti K. Jul. L. Apronius. A. Vibius Dalmatia partim bello partim pactione in potestatem Romanorum redacta. Dio lib 55, Vell l. 2.				*tores.* Lucæ 2. Jesu seu Joazar 3 Annæ seu Anani 1 Quirinius abrogato Joazari Sacerdotio Pontificatum defert Anano seu Annæ, Jos. lib. 18, c. 3.	
4721 28, 9 *A G*	Imp. Aug trib pot 31, 32. Q. Poppæus q. f. q. n. Sabinus Coss Q. Sulpitius q. f. q. n. Camerinus Fasti Capit cum suff ex K. Jul M. Papio Q. Poppæo Bellum Dalmat a Tiberio confectum deditione facta: et clades Variana in Germania accepta. Dio, lib 55. Vellelus lib 2, c. 170. Vespasianus nascitur xv. K. Dec Suet c. 2. Vesp.	760 761		*Ol* 196 IV *et* 197 I	Ætat. Christi Domini 13. Præsid. et Procurat. Rom. Annæ 1, 2. Præs. Quir. Proc. Coponius M. Ambivius. Coponio primo Procuratori Cæsaris in Judæam misso succedit secundus Procurator M. Ambivius, Quirino Præside adhuc Syriam administrante. Jos. lib. 18, c. 3. Vide Card. Noris Cen. Pis. p. 323, 327.	8 *Biss*
4722 18, 10 *F*	Imp Aug Trib pot 32, 33. P. Cornelius P. f. P. n. Dolabella Coss C. Junius C. f. m. n. Silanus Flam Mart Fasti Capit cum Cos suf Sex Cornel Lent Malag etc. Ti. ad cladem Varianam ulciscendam missus. Dio lib 55. Paterc lib 2.	761 762	B C	I II	Ætat. Christi Domini 14. Annæ 2, 3. Quirini. Præs. 4. Ambivii Proc. 1, 2. Salome Herodis Regis uxor moriens Jamniæ toparchiam Judææ relinquit. Jos: lib. 18, cap. 3.	9
4723 19. 11 *E* 3	Imp Aug Trib pot 33, 34 M. Æmilius q. f. m. n. Lepidus Coss T. Statilius Taurus II. Lapis antiq in Mus Card Albani, et ap. Almeloveen his coss x Kal Oct Aug Trib p. 34, Grut 239. Tiberius Augusti f. eidem factus est ex S. C. in Proconsulari Imperio Collega. Vell lib 1.	762 763		II III	Ætat. Christi Domini 15. Annæ 3, 4. Quirini Præs. 5. Ambivii Proc. 3. In Syria quoque, ut in cæteris Provinciis cum Tiberius h. a. factus sit Imperii Proconsularis Augusti Collega, illius Epocha hinc desumitur, ut apud Lucam, c. III.	10 AERA IMPERII PROCONSULARIS TIBERII
4724 20, 12 *D*	Imp Aug trib pot 34, 35. Ti Cæsar Aug f. trib pot 13, 14. Germanicus Cæsar Ti. f. Aug n. Coss C. Fontejus c. f. c. n. Capito. Fasti Capit cum suf ex K. J. C. Visellio. Natalis Caii Caligulæ prid Kal Sept. Suet c. 8, et alii lap ap. Sigonium. Triumphus Tiberii de Pann et Dalm. Paterc l. 2, triennio post	763 764	D	III IV	Ætat. Christi Domini 16. Annæ 4, 5. Quirini Syr. Pr. 6. Imperii Procons. Ti. 1, 2. Annius Rufus succ M. Ambixii Procur.	11

Anni Per. Jul. et cycli. ⓉⒹ	*Imperatores. Consules Romanorum res gestæ, et documenta*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ, et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	cladem Varianam. Ibi Vide Sigon,					
4725	Imp Aug tr. post 35, 36.	764		*Ol.*	Ætat. Christi Domini 17.	12
24, 13	Ti. Cæsar Aug. f. trib pot 14,	765		197	Annæ Pont. 5, Quirini Syr.	
CB	15.			IV	6. *Biss.* Præs. 7,	
	C. Silius p. f. p. n.			198	Imperii Procons Ann. Rufi Proc.	
	Coss L. Munatius l. f. l. n. Plancus			I	T. 2, 3. Jud. 2.	
	Fasti Capit et tess glad ap. Montfaucon.				Herodes Antipas Sepphorim civitatem a Quinctilio Varo olim incendio absumptam non modo restituit per hos annos, sed etiam præcipuam arcem Galilææ constituit, ubi ipse resideret. Vid. Pez. hist. Evang. tomo I, p. 303, ex Josepho lib. 18, Ant. 5, 3. Philippus Paneadem vocat Cæsaream, Bethsaida vero Juliadem. ibi.	
	His coss Augustus quintum in Decennium regendam temp. suscipit. Dio lib. 56, p. 588.		B			
	Quare initium æræ annorum AUGUSTI ex Lege de Imp. decennali perlata recte petitur ex Per. Julian 4685. Vide supra.					
4726	Imp. Cæsar Aug, f. etc trib pot	765		I	Ætat. Christi Domini 18.	13
25. 14	36. 37.	766		II	Anani 6, 7. Quirini Præs. Syr. 8.	
A	Ti. Cæsar Aug f. etc, trib pot 15, 16.				Imp. Procons. Rufi Proc. Jud. Ti. 4, 5. 3.	
	Coss Sex Pompeius Sex Apuleius.				Æræ Christi communis die 18. Aprilis.	
	Lapis Ancyran. apud Gruter, fol. 230 in mus Em.				Eclipsis Solis totalis his Coss. ante mortem Augusti relata a Dione lib. LVI, et eclips. — in Pann, post mortem Augusti. Tacit.	
	C. Gualterii lap ap. Panvin Noris ep. cons et Fabrett Inscript. Nummi Tiberii TR. P. XVI AUG F P ejusd TR. POT XVI PONT MAX DIVI F.		C	—	Eclipsis Lunæ in Ponnonia conspecta post mortem Augusti a legionibus tumultuantibus sub Germ. Ta.	
	His coss XIV Kal Sept Augustus moritur. Auctores et Kalend Antiat in Musæ Card Albani.			—	Ex tab. Astron. totalis spectari potuit occidente Sole in occidua parte Insularum Britann. hoc anno 13.	
4727	1, 2. Tib. Imp. trib. pot. 16, 17.	766			Ætat. Christi Domini 19.	14
23, 15	Coss Drusus Cæsar. Ti f.	767		II	Anani 7, 8. | Quirinii Præs. Syr	
G	C. Norbanus Flaccus			III	9, 10.	
	Tacit. annal. 4 et seq. usque ad ann. 29, Tiberius VI. Id. Mart. Pont. Max. factus est. Vetus Kalend. et inscript. Flor. in Diario P. Montfaucon p. 382. Natalis Vitellii VIII. Kal. Oct. Suet. in eodem c. V.		D		Imp Procons. Ti. Silani Pr. Sir I. 5, 6. Nummi Val Grat Proc Jud I.	
					Silanus anno I Tiberii, et Augusti in Syria 45.	
					Nummos obsignat Antiochiæ. C. Noris ep. Syr p. 252	
					In Musæo Mediceo, et nostro. Is est Cæcilius *Silanus Creticus* affinis Germanici. Tacit lib 2 et Valerius Gratus Proc Judææ in locum Anni Rufi l. 18, c. 3.	
	2, 3. Tib. Imp. trib. pot. 17, 18.	767		III	Ætat. Christi Domini 20.	15
4728	Coss T. Statilius Sisenna Taurus	768		IV	Anani 8. 9, Sil Pr Syr 10, 11.	
24. 16	L. Scribonius Libo				Imp Tib Pr 6, 7. Val Grat Proc	
F	Tacit, annal. I, ubi gesta hujus				Jud. 1, 2.	

Anni Per. Jul. et cycli. ⓉⒹ	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta,*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
	anni. Germanicus Orienti præficitur cum extraordinario imperio, quo tendit anno sequenti.				His coss mota Orientis regna. Parthi pulso in Armeniam Rege Vonone, qui fuerat Romæ obses, Artabanum acceperant. Vonones spem Ti. Implorat. Suet in Ti. c. 49. Tacit ann l. 2, c. 4.	
4729	3, 4. Tiberii tr. pot. XVIII XVIIII.	768		*Olymp.*	Ætat. Christi Domini 21.	16
25, 17	Coss. C. Pomponius Flaccus	769		198	Ismael Pont ab. Calp Pis Præs	*Biss*
E D	C. Cælius Rufus			IV	Aarone LXVIII. Syr 1.	
	Lap. antiq. indic. a Cupero Tacit. Ann. II, 41.			*et* 199 I	Imp Proc Tib 7, Val Grat Proc 8. Jud 2, 3.	
	His Coss. triumphat Germanicus de Cattis, Cheruscis, etc. Tacit.		B		Ismaele Pont amoto Ananus Pont LXIX. Jos lib 18, c. 3. Cappadocia in prov redacta post mortem regis Archelai. Cn. Piso præfectus Syriæ, amoto Silano Cretico Tacit ann 2.	
4730	4, 5. Imp. Tiber, tr. pot. 19, 20.	769		I	Ætat. Christi Domini 22.	17
26, 18	Coss. Ti. Divi Aug. f. Aug. III.	770		II	Eleazar Anani fi- Pisonis Præs Syr	*Epoch*
C	Germ. Cæsar Ti. Aug. f. II.				lius 2.	TIBERIA
	Lapis Flor. in Ædib. Rodulph. apud Montfaucon diar. Ital. p. 382, et Tacit. aun. 2.				Pont ab Aarone Val Grat Pr. Jud LXX. 3, 4.	DIS
					Epocha Tiberiadis ex num. Noris ep. Syr, p. 558.	*Metr Galilææ*
			C		Commagene in Provinciam redacta post obitum Antiochi regis, et rector illi impositus a Tiberio Q. Severus Tacit ann. 2.	
4731	5, 6. Imp. Tib. trib. pot. 20, 21	770		III	Ætat, Christi Domini 25.	18
27, 19	Coss. M. Junius Silanus	771		III	Simon Camithif. Pisonis Præ Syr 3.	
B	L. Norbanus Balbus				Ab Aarone LXXI. Grati Proc Jud 4, 5.	
	Lap ap. Panvin. et Grute. 1041, 14, et tessera gladiatoria Mus. nostri. Tacit. annal. 2. 59.				Valerius Gratus a Pontificatu amoto Eleazaro Simonem Comthi filium Pont LXXI substituit. Jos lib 18, c. 3. S. C. de sacris Ægypttis Judaicisque Italia pellendis. Tacit annal 2, c. 85.	
	Germanicus Ægyptum lustrat. ibi ad 62.					
4732	6, 7: Imp Ti. tr. p. 21, 22.	771		III	Ætat. Christi Domini 24.	19
28 1	Coss. M. Valerius Messala	772		IV	Simonis Pont I Pisonis Pr. Syr 4.	
A	M. Aurelius Cotta		D		eoque amoto	
☾ 18	Et Gratianus Aug tr. p. 10, 11,				Valens ad Orientem redux in Thraciam confligit cum Gothis v. Id. Aug et obit Idat. Vide Noris hist Pelag l. 2, c. 4 THEODOSIUS Magnus postea dictus, et qui anno sequenti levatus est Augustus, in Sirmio a Gratiano uxoris fratre XIV Kal Febr Constantinopolim ingreditur VIII Kal Dec cum toto anno per Diœcesim Thraciarum, Mœsiæ, et Scythiæ Gothi prædas agerent usque ad portas Regiæ Urbis. Idatius. Hic desinit Hieron chron.	
G	cos IV.					
Indict	Et Valentinianus Jun Aug tr. p.					
VI	3, 4, cos II.					
et VII	Coss Valens Aug VI. Valentinianus Jun Aug II.		C			
	C. Theod lib XII t. 19, l. 9, et l. 35, de curs publ aliæque apud Reland.					
	Præf Urbi *Hypatius.*					
	Synodus Romana quarta sub Damaso, in qua hæresis Marcelli et Photini damnatur, renovata postmodum a Bonoso. Vide Pagium Jun in Siricio n. VII, et ejus notas infra ad Damasum, et Sommier ibid					
5092	Imppp Cæsss Gratianus Aug tr.	1131		II	Damasi 13 et 14.	379
☉ 24	p. 10 et 11, cos IV.	1132		III	Theodosius Augustus dicitur die 19 Januarii a Gratiano, et contra Gothos feliciter dimicans eosdem expellit Thracia. Zonaras. Idatius. Prosper. Sed Theodoretus ante adeptum imperium hæc ab eo gesta perscribit. Vide Petavium ad h. a.	
☾ 19	Et Valentinian Jun Aug tr. p. 4,					
F	5, cos II.					
Indict	Et Theodosius Aug tr. p. 1, et					
VII	ex 19 Januarii 2.					
et VIII	Coss Decimus Magus *Ausonius.* Q. Clod Hermogenianus *Olybrius*		D			
	Gruter 363, 2. Reines 983, et leges 3, 4, c. Theod de Palat S largit aliæque ap. Reland.				Langobardi ex Insula Scandia egressi Vandalos primum vicerunt. Prosper.	
	Præf Urbi series interrumpitur.				S. Basilius obit Kal Januar.	
					Maximus Cynicus intruditur episcopus Constantinopolitanus. Vide otas ad Damasum.	
5092				III	Damasi 14 et 15.	
☉ 25						
☾ 1						
	[illegible] Cæs Gratianus Aug tr. p.	1132		IV	Theodosius Thessalonicæ morbo correptus ab Acholio catholico	
		1133			Antistite baptizatur. Socrat lib 5	

	Imperatores, Consules Romanorum res gestæ, et documenta.	*Anni U. C. ante et post Palil.*		*Anni olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Et Theodosius Aug tr. p. 1, 2, cos.				c. 6. Tum legem condit XI, cod de fide Catholica 3 Kal Mart Thessalonicæ ut damnatis hæresibus sola Catholica Fides obtineret, quam scilicet a Petro acceptam Romana Ecclesia, et Damasus teneret, et Petrus Alexandrinus. Vide Pagium Sen h. a. n. III et seq.	
	*Coss Gratianus Aug v. Theodosius Aug.				Petro Alexandrino episcopo mortuo, suffectus est Timotheus ejus frater Niceph. chron.	
	*Boldett inscript cœmet p. 85, et c. Th. lib 3, tit 5; l. 6, aliœque apud Reland.		B			
	Theophilus Alexandrinus tum Clericus, postea episcopus centum annorum computum Paschalem ab hoc anno orditur. Leo M. epist 64. Vide Petavium.				Circa hoc tempus Illyricum divisum est in Orientale, et Occidentale. Quare Theodosius cui Orientalis imperii ditio obtigerat etiam Orientale Illyricum tenebat. Vide Pagium Sen. ad h. a.	
	Gratianus contra Gothos mittit peritissimos Duces, et eosdem Macedonia, et Pannonia excedere cogit, mox pacem cum ipsis sancit. Ex Prospero.				Theodosius VIII Kal Dec ingressus Constantinopolim Arianis adimit ecclesias, quas annis 40 tenuerant. Demophilus Urbe cessit. Greg Nazianz in Ecclesiam introducitur VI Kal Dec Petav.	
	Justina Valentiniani Jun Mater Ariana femina hæresim promovere studet : cui acerrime resistit Ambrosius. Paulin in ejus Vita.					
	Impp Cæsss Gratianus Aug tr. p. 12 et 13, coss v.	1133 1134	C	289 IV *et* 290 I	Damasi 15 et 16. Constantinopolitana Synodus celebratur occasione ordinationis Maximi, et hæreseos Macedonii, quam Synodum œcumenicam postea reddidit consensus Damasi, qui Romæ indixerat Synodum œcumenicam celebrandam. Vide notas infra. Ejus Synodi decreta de fide omnia a Damaso confirmata : sed ex his quæ ad disciplinam pertinebant, ut Sedis Constantinopolitanæ jurisdictio non perinde confirmata. Vide notas ad Damasum.	381
	Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 6, 7, coss II.					
	Et Theodosius Aug tr. p. 2. 3, coss.					
	Coss .... Syagrius. .... Eucherius.					
	Vet inscriptex Schedis Gudianis apud Relandum et leges ut l. 6, c. Theod de divers rescript aliæque ibi.					
	Pr. Urbi *Fl. Ann. Eucharius Epiphanius.* Panvin et Contelor.					
	Concilium Aquileiense Nonis Sept. celebratum in quo Palladius, et Secundianus Ariani episcopi damnati sunt. In Hispania quoque Cæsaraugustæ in Synodo Priscillianistæ damnantur cum ipso Priscilliano laico : quem hæretici episcopi Abilensem constituunt : sed is agentibus Idacio, et Ithacio Catholicis episcopis decreto Gratiani expellitur. Romæ a Damaso, et Mediolani ab Ambrosio rejecti Priscillianistæ turbas in Hispania cient, quo fuerant reversi per aliud rescriptum Magistri officio-		D		Theodōsius 3 Kal Aug ad Auxonium Procos Asiæ rescribit, ut Catholicis Antistitibus Ecclesiæ tradantur. Reliquias eorum, qui passi ab Arianis fuerant, in Bas S Pauli Constantinopoli introducit. Adversus Arianos, et Manichæos, aliosque sancit, quæ lib XVI c. Theod tit 3, continentur. Petavius.	

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	A Æ Ch
	rum pretio corrupti. Serv Sulp I. 2. Vide notas infra ad Damasum.					
5096	Imppp Cæsss Gratianus Aug tr.	1134		I	Damasi 16 et 17.	3
☉ 27	p. 13 et 14, cos v.	1135		II	His Coss Prosper consignat adventum Athanarici Gothorum Regis Constantinopolim, ejusque obitum mense Januario, quem alii conferunt in annum præcedentem. Lydiat. Gothorum gens universa Romano imperio se dedit mense Octobri Macellin. Com ibi et Idatius.	
● 3	Et Valentinianus Jun Aug tr.					
B	p. 7 et 8, coss II.					
Indict	Et Theodosius Aug tr. p. 3, 4, cos.					
X *et* XI	Coss .... Antoninus. .... Syagrius.					
	Vet inscript in S. Agnetis extra muros, et leges utriusque cod. apud. Reland ut c. Theod l. 6, de div rescr et in epistola Paschasini ad Leon M.		B		Hieronymus juxta Petav h. a. Romæ apud Damasum subsistit, et scribit adversus Helvidium, Jovinianum, et Luciferianos. Vide notas ad Damasum.	
	Maximus in Britannia tyrannidem arripuit, qui apud Treviros Sede constituta *Victorem* filium consortem imperii nominat. Zosim 4, Socrat. et Victor.				Romam quoque adveniunt Paulinus Antiochenus, Epiphanius Cypri, Acholius Thessal et Ambrosius.	
5096	Imppp Cæsss Gratianus Aug tr.	1135		II	Damasi 17 et 18.	3
☉ 28	p. 14 et 15, cos v, qui occiditur	1136		III	Legati a Maximo ad Theodosium missi : et Ambrosius a Valentiniano ad Maximum legatus destinatur. Theodosius Synodum Constantinopoli haberi curat mense Junio, ut Decreta contra hæreticos exsecutioni mandarentur. Theodosius contra contumaces novas leges addit c. Theod de hæret l 9 etc. Vide Pagium Sen h. a,	
● 4	8 Kal Sept.					
A	Et Valentinianus Aug. tr. p. 8,					
Indict	9, coss II.		C			
XI *et* XII	Et Theodosius Aug tr. p. 4, 5, cos.					
	Coss .... Merobaudes II. .... Saturninus.					
	Vet lapis in S. Martini in Montibus a S. Damaso Papa inscriptus his coss et Fabrett p. 659 et 666, et l. un. c. Theod. de mand Princip aliæque apud Reland.					
	Maximus tyrannus per Andragatium Ducem Gratianum Aug a suis desertum occidit Lugduni 8 Kal Sept Marcellin. Com Socrat l. 5, c. XI.				ARCADIUS a Theodosio Patre Augustus dicitur 19 Januarii ad quem instituendum mittitur a Damaso papa Arsenius. Ex vita Arsenii Petavius	
5097	Imppp Cæsss Valentinianus Jun	1136	D	III	Damasi 18 et 19.	
☉ 1	Aug tr. p. 9 et 10, cos II.	1137		II	S. Damasus cum sedisset annos 18, menses 2, dies 10, obiit 11 Decembr. Vide notas ad Damasum.	
● 5	Et Theodosius Aug tr, p. 5 et					
G F	6, cos.					
Indict.	Et Arcadius Aug tr. p. 1 et 2,					
XII *et* XIII	* Coss Fl. Recimer. Fl. Clearchus.					
	* Vetus inscript Boldett cœmet p. 82, et Musæi Albani, et Fabrett p. 270, inscript et Fleetvood pag 442, necnon leges utriusque codicis apud Reland ut l. 3, C. Theod lib. 6, t. 2.				Legati Persarum Constantinopolim veniunt pacem a Theodosio postulantes : cui nascitur filius *Honorius* v Id Sept Idacius, Marcellin. Artaxerxes Persarum rex cum regnasset annos 4, moritur. Succedit filius *Sapores* a quo legati ad Theodosium missi. Agathias.	
	Symmachus Præfectus Urbi de					

Anni per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	restituendo Deorum cultu Valentiniano libellum offert, quem refellit Ambrosius. Ejus ep. 30.			290 IV et Ol 291 I	Siricii papæ ann. 1, ex Kal Jan Cum sedes Romana vacasset post obitum Domasi dies 21, SIRICIUS successor eligitur Kal Januar. Vide notas ad Siricium.	385
5098 ● 2 ⊕ 6 E *Indict* XIII *et* XIV	Imppp Cæsss Valentinianus Jun Aug tr. p. 10 et 11, cos II. Et Theodosius Aug tr. p. 6, 7, cos. Et Arcadius Aug tr. p. 2, 3 cos. Coss. Imp Cæs Fl. Arcadius. ... Bauto	1137 1138	B		In epistola ad Himerium Tarraconem datam III. Idus Feb his coss (cujus exemplum visitur in antiqno cod 800 ann. Monast S. Crucis in Urbe) continentur ea quæ in notis legi possunt. S. Hieronym navigat in Syriam, et media hyeme Jerosolymam intrat. Ejus epist 99, et Apol contra Rufin. S. Augustinus ad fidem catholicam convertitur. Conf lib VIII, cap 1 et seq.	
	Epistola Siricii Papæ data his coss. Vide notas pag 55, et leges plures apud Reland ut l. 6, C. Theod de jurisdict, etc. Synodus Burdegalensis adversus Priscillianistas in qua deponuntur Justantius, et Salvianus. Prosper Sever II. Priscillianus hæret. a Synodo provocans ad Maximum gladio addicitur. Ibi.					
5099 ● 3 ⊖ 7 D *Indict* XIV *et* XV	Imppp Cæss Valentinianus Jun Aug tr. p. 11 et 12, cos II. Et Theodosius Aug tr. p. 7, 8 cos. Et Arcadius Aug tr. p. 3, 4 cos. Fl. Honorius Theodosii Aug Coss F. N. P. Fl Evodius.	1138 1139	C	I II	Siricii 2. Concilium Romæ habet Siricius episcoporum 80, circa disciplinam Ecclesiæ Afric. Vide notas. Treviris quoque habetur Synodus de episcopis accusantibus apud principem. Sev in Vita B. Martini, qui concilio interfuit. S. Hieronym ad Didymum audiendum se confert, et Ægypti monasteria lustrat. Apol contra Rufin et S. Paula ibi peregrinatur. Hier epist 27, S. Jo. Chrys presbyter ordinatur. S. Cyrillus Hierosol moritur, cui succedit Joannes hæreticorum communione pollutus. S. Hleron epist LXI. Theodosius Greuthingis devictis cum filio Arcadio triumphans Constantinopolim ingreditur IV Id. Oct Idat Marcell Zosim IV.	386
	C. Theod l. 2 de curat Kalend et aliæ apud Reland. Valentiniani Jun soror Theodosio nubit. Marcell. Valentinianus Jun instigante Matre Justina Ariana femina pro Ariminensi professione legem edit 4 Cod de Fide Cath et Ambrosium persequitur, qui ab Auxentio ad disputationem provocatus coram populo ut id fiat postulat, et restitit Imperatori ne Basilicam tradat Arianis. S. Ambros ep. 14, et in or. de non trad Bas.		D			
5100 ● 4 ⊖ 8 C *Indict* XV *et* I	Impp Cæss Valentinianus Aug tr. p. 12 et 13, cos III. Et Theodosius Aug tr. p. 8, 9 cos. Et Arcadius Aug tr. p. 4, 5 cos. Coss Imp Valentinianus Aug III. Eutropius.	1139 1140		II III	Siricii 3. Arcadius cum patre Theodosio quinquennalia celebrat editionibus et ludis. Idat Marcellin. Justina S. Ambrosium acrius vexat, et in exilium expelli curat, sed renitente populo retinetur. Reliquias SS. Gervasii, et Protasii Ambrosius reperit, quæ miraculis clarent. Idem delegatur ad Maximum, qui ad eum veniens neque cum illo, neque cum Itha-	387
	Vet inscript a S. Sebast extra muros, et alia in Musæo Albano, et Grut 1102, 2, et Vandale, et Occon. Inscript Hisp XXVI, 4, et leges utriusque Cod apud Reland					

Anni Per. Jul. et Ind.	Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.	Anni U. C. ante et post Palil.	A	Anni Olymp.	Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.	An Æ Chri
	ut l. 4 C. Theod de domest et protect etc. Maximus sacrificia Gentilibus et aram victoriæ restituit laudante Symmacho Socrat l. 5, c. 4.				cianis communicare patitur. Ep. 33 et 85. Maximo in Italiam irruente Valentinianus ad Theodosium confugit, qui expeditionem suscipit in Ital Zosim 4.	
5101 ⊕ 5 ● 9 B A Indict I et II	Impp Cæss Valentinianus Jun Aug tr. p. 13 et 14, cos III. Et Theodosius Aug tr. p. 9, 10, cos II. Et Arcadius Aug tr. p. 5, 6, cos Theodosius Aug II. Coss Cynegius: qui in Mag decessit suff Merobaudes III. Vet inscript Fabrett 252, n. 39 et 576, n. 162 et leges cod Theod 14, 15, 16, de hæret aliæque apud Reland.	1140 1141	B	III IV	Siricii 4. Theodosius Sanctorum precibus se commendans (Aug de civit lib v, c. 26, et Ruf II, c. 32) contra Maximum in Italiam profectus, et de illo victor, qui Aquileiæ occisus fuit xv Kal Aug prout etiam victor ejus filius post dies paucos ab Arbogaste in Galliis interfectus, imperium omne quod de Maximo vindicarat Valentiniano restituit. Idat Marcell Zosim.	388
5102 ⊕ 6 ● 10 G Indict II et III	Imppp Cæsss Valentinianus Aug tr. p. 14, 15. coss III Et Theodosius Aug tr. p. 10, 11. cos II. Et Arcadius Aug tr. p. 6, 7, cos. Coss ... Timasius. ... Promotus. Gruter 462, 1 et leges cod Theod lib xv, tit II, de Aquæductu l. 3 et 4, aliæque apud Reland. Præf Urbi *Proculus*, l. I, C. de tut et cur. Theodosius dignitates omnes a Maximo collatas abrogat Mediolani l. 8, C. de Infirm et hæreticorum conventus omnino tollit l. 19, C. de hæret et cum Honorio filio Romam ingreditur Id. Jun et congiario dato P. R. discedit Kal Sept Idacius. Præf Urb CP. *Pancrat* Alm ex cod Theod et Just.	1141 1142	C D	291 IV et 292 I	Siricii 5. Siricius in concil Capuano causam Flaviani et Evagrii Theophilo mandat. Schisma Antioch tollitur. Templum Serapidis apud Alexandriam Theodosii jussu disjectum. Marcell Socrat. v, c. 16. Romæ quoque statuæ Idolorum confractæ, et obliteratæ cæremoniæ. Ex Prospero de Promiss l. 3, c. 38. S. Aug de Civit l. v, c. 26. Sed Pagius ex l. Cod. Th. de Paganis eversum Serapium prob anno 391. S. Gregorius Nazianzenus obit. Ex S. Hier in catal de script Eccl. Obit S. Monica mater S. Aug qui in Africam redit Conf lib 9, c. 8. Longobardi Ducibus eorum defunctis primum sibi Regem creant Rgelmundum Ajonis fil qui regnavit ann xxxiii. Prosp in chron.	389
5103 ⊕ 7 ● 11 F Indict III et IV	Impp Cæss Valentinianus Jun Aug tr. p. 15 et 16, cos IV. Et Theodosius Aug tr. p. 7, 8, 12, cos II. Et Arcadius Aug tr. p. 7, 8, cos. Coss Imp Valentinianus Aug IV. ... Neoterius. Spon p 20, miscell ant et l. 9. C. de episc et cleric aliæque apud Reland. Præf Urbi *Albinus* l. servos, C.	1142 1143		I II	Siricii 6. Siricius papa Jovinianum hæreticum damnat. Vide notas ad Siricium. In Concilio Mediolanensi Patres sequuntur sententiam Siricii Vide notas. S. Joannis Baptistæ caput repertum Constantinopolim defertur. Synodus II Carthaginensis Præside Genethlio. Petavius. Vide notas ad Siricium.	390

Anni r. Jul. et Ind.	Imperatores, Consules Romanorum res gestæ et documenta.	Anni, U. C. ante et post Palil.	A	Anni Olymp	Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.	Anni Æræ Christi.
	ad leg Jul de VI publ etc. C. apud Contelor et Alm. Obeliscus in circo positus a Theodosio, et ipsius statua argentea supra columnam erecta prope Ecclesiam Constantinopoli. Ammian Marcellin.				Thessalonicensium cædes jussu Theodosii patrata : cujus causa Imperator ab Ambrosio exclusus ab Ecclesiæ foribus pœnitentiam agit. Rufin l. 2, c. 18. Sozom l. 7, c. 24. Theodoret lib 5, c. 17. Paul. in vita S. Amb.	
04 8 12 3 Indict IV et V	Imppp Cæsss Valentinianus Jun Aug tr. p. 15, 16, cos IV. Et Theodosius Aug tr. p, 12, 13, cos II. Et Arcadius Aug tr. p. 8, 9. cos. Coss . . . Tatianus. . . . Symmachns. Boldett inscript cœmet p. 545, aliæ inscript exhibent T. Fabium Tatianum Cos ord ut apud Contelor p. 55 et leges utriusque codicis apud Relandum habent *Tatianum* et *Symmachum* I. 6, C, Theod de contrah empt et I. 4, de naufrag etc. Præf Urb *Proculus* CP. Almel Romæ Alyp Falt. *Probus*. Ibi.	1143 1144	B	II III	Siricii 7. His coss Theodosius imp Italia decedens Constantinopolim redit. Arbogastes autem in Occidente contra Valentinianum res novas molitus est cujus favore subnixus Eugenius imperium sibi usurpat. Prosper, et Zosimus lib 4. His coss data est lex XI, Cod Theod lib XVI, tit X, de interdicto usu sacrificiorum Evagrio Præf Aug et Com per Ægyptum. Pagius cum Gotofr.	391
105 9 13 C dict. V et VI	Imppp Cæsss Valentinianus Jun Aug tr. p. 16, cos IV [qui occisus est Idibus Maii]. Et Theodosius Aug tr. p. 13, 14 cos II. Et Arcadius Aug tr. p. 9, 10, cos II. Coss Arcadius Aug II. Rufinus. L. 2 et 3, cod Theod de defens civit lib I, tit X et aliæ apud Reland. Valentinianus Jun. catechum Mediolani sepelitur. S. Ambros de ejus fun et epist 34.	1144 1145	C	III IV	Siricii 8. Valentinianus Jun ab Arbogaste comite occisus oceumbit, *Eugenio* imperium usurpante. Zosim lib 4, c. 54 contra quem Theodosius expeditionem parat. Inter Joannem Jerosolym ep. Oregenistam, et Epiphanium orta dissensio. S. Hieronym ep. 60. S. Hieronymus h. a. librum complet de scriptoribus ecclesiasticis, ut ex ejus præf ad dextrum Pr. Pr. His coss profanorum sacrificiorum usus ubique sublatus lege XII cod Theod de Paganis.	392
5106 10 14 B Indict. VI et VII	Imppp Cæsss Theodosius Aug tr. p. 14 et 15, cos III. Et Arcadius Aug tr. P. 10, 11, cos II. Et Honorius qui Augustus dicitur IV Id. Januar. Coss Theodosius Aug III. . . . Abundantius. Synodus Hippon his coss celebrata VIII Id. Octobr leges cod Theod lib I, t. 1, 4, aliæque apud Reland. Reinesius in append inscript pag 1021, n. XVI, exhibet inscript	1145 1146	D	*Olymp* 292 IV *et* 293 I	Siricii 9. Honorius a patre Theodosio dicitur Augustus IV Id. Jan ut cum Petavio demonstrat Pagius h. a., n. 11, et Socratem deceptum docet : quod hoc anno XX Nov eclipsis solis fuerit, sed non ea die qua dictus est Augustus Honorius. Eclips solis dig fere XI, Constantinopoli XX Nov. Prosper et Marcellinus. Vide Petav. Forum Theodosianum dedica-	393

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U.C. ante et post Pahl.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Rom *Theod Aug III, et Eug D. N. cos* in quam adnotat Occidentalem consulem se gessisse Eugenium, sed ex subsecuta lege post ejus cædem anno 395, quæ habetur cod Thood lib 15, tit 14 de infirmis quæ sub tyrannis n. 9 tum ejus, tum aliorum nomina suppressa et Orientalium coss. substituta.				tur. Chron Alex. Hipponense concilium de disciplina celebratur : cujus canones docte exponit Schelestr de Eccl Afric diss 3, c. 6 Pagius. Quindecennalia a Theodosio celebrata. Ibi. Pr. Urbi CP. *Aurelianus.* Alm ex utroque codice.	
5107 ☉ 11 ☽ 15 A *Indict.* VII *et* VIII	Imppp Cæsss Theodosius Aug tr. p. 15, 16, cos III. Et Arcadius Aug tr. p. 11, 12, cos III. Et Honorius Aug tr. p. 1, 2, cos II. Coss Arcadius Aug III. Honorius Aug II. Leg cod utriusque apud Rel ut cod Theod de re milit l. 14, etc. S. Paulinus cum Therasia conjuge sæculo renuntians in Nolanum secessum abit. Aug epist 31 et 34	1146 1147	B	I II	Siricii 10. Theodosius assumpto filio Honorio contra Arbogastem et Eugenium contendit. Primo die qui videtur esse Sept 5 victoria penes tyrannum fuit. At nocte prostratus in preces, et ab apostolis certior factus, Deo pro ipso pugnante tyrannum profligavit, qui captus est et enterfectus 6 Sept. Arbogastes sua se manu confecit. Petavius ex Prospero et Marcellino. Thermæ Arcadianæ ex nomine conditoris dictæ. Ibi.	
			C		Donatistæ in Numida Bagajense concilium celebrant episcoporum cccx, quod mortuo Parmeniano Donatistarum episcopo Carth et Primiano suffecto ab aliis ordinatus esset Maximianus, qui damnatus fuit, Ibi, et Aug ep. 255 et 265. Alia synodus Constantinopoli super schismate simili in electione episcopatus Bostrensis. Ibi ex Balsamone.	
5108 ☉ 12 ☽ 16 *G* *Indict* VIII *et* IX	Imppp Cæsss Theodosius Aug tr. p. 16, cos II, qui obit 17 Januarii. Et Arcadius Aug tr. p. 13, 13, cos III. Et Honorius Aug tr. p. 2, 3, cos II. Coss Sex Anicius Olybrius. Sex Anicius Probinus II Gruter inscript 352, 5, 6, et 350, 2, 3, quæ in musæo card Albani. Item leges C. Theod lib VI, tit 24 de domest et protect l. 6, aliæque apud Reland. Pr. Urbi Romæ *Basilius*, et paulo post *Andromachus*, tum	1146	D	II III	Siricii 11. Theodosius complens annum imperii 16 moritur Mediolani, relictis duobus filiis Imperatoribus qui utrumque imperium communiter regerent, divisis tantum sedibus. Arcadius in Oriente, Honorius in Occidente resident. Rufinus filiam suam Arcadio tradere cupiens (nisi conciliator aliarum nuptiarum Eutropius eum prævenisset) Stilichonis indignationem in se excitat : qui tutor Occidentalis imperii (imo et utriusque et principum a patre datus) Rufini dolos detexit, et infidelitatem morte punivit. Nam contra	395

ni ul. l.	*Imperatores Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Florentinus. Constantinopoli vero *Theodorus*, et subinde *Africanus*. Almélov ex legib. Arcadius hæreticorum conventus prohibet. Cod Theod lib XVI, t. 5 de hæret l. 26 et seq. Idem adversus Gentiles plura constituit l. 13 de Paganis.				ipsum, et Alaricum Gothum a Rufino accitum in Græciam classe instructa. Alaricum fugavit, Rufinum per Gainam, et milites occidit : bonis ipsius Eutropio attributis, qui erat Stilichoni addictus. S. Augustinus Hippone regio episcopus ordinatur vivente adhuc Valerio ep. 5, Augustini 110, et Prosper in chron et Possid c. 8. Alii ordinationem differunt ad annum sequentem apud Pagium n. x. h. a.	
9	Impp Cæss Arcadius Aug tr. p.	1148	B	III	Siricii 12.	396
13	13, 14, cos IV.	1149		IV	Gildo comes et magister utriusque militiæ a Theodosio per Africam constitutus ante annos novem hoc anno res novas molitus tyrannidem arripuit circa autumnum (ex Claudiano de bello Gildon). et urbem Romam fame vexavit ex aliis AA apud Pagium h. a.	
7	Et Honorius Aug tr. p. 3, 4,					
	cos III.					
et	Coss Imp Arcadius Aug IV. Imp Honorius Aug III.					
t	Antiq lapis apud Vignol de col Pii p. 332, et leges utriusque cod apud Reland ut l. 14, C Th. de re milit et ll. 22, 23, 24 de hæret., etc. Præf Urbi R. *Florentinus*. CP. *Africanus*, tum *Clearcus*, deinde *Claudius* ex ll. apud Almeloven de Præf Urb. Fritigil regina Marcomanorum audita Ambrosii fama Christo credidit, et ab ipso fidei regulam postulavit. Tum viro suo persuasit, ut Romanis se traderet : quem anno sequenti ut videret Mediolanum veniens mortuum reperit. Petav ex Paulino in Vita S. Ambr.		C		Eutropius in Orientali imperio avaritia et crudelitate grassatur, Timasio ex magistro militum in Oasim relegato, et Abundantio consulari Sidonem. Petav ex Zosim lib 5. S. Jo. Baptistæ reliquiæ Alexandriam translatæ Payni II, quem 6 Kel vocat Theoph a. 5890, Incarn. 390. Ibi. Chron Paschale a martyrio SS. apostolorum Petri et Pauli ad hos consules numerat ann 335. Nos vero 331 inchoat.	
10	Imp Cæss Arcadius Aug tr. p.	1149		*Olymp.*	Siricii 13 et 14.	396
14	14, 15, cos IV.	1150		293	Eutropius, quo Stilichonem a	
18	Et Honorius Aug 4, 6, cos III.			IV *et*	profectione in Orientem abduceret, hostem ipsum ab imperatore	
:t	Coss Clodius Hermogenianus *Cæsarius*. — Atticus. Vet inscri; t in Monum Basil S. Pauli et Aring T. 2, pag 420, et Reines p. 943, et in epist ad Rupert. Leges quoque utriusque Codicis apud Relandum ut l. 9, C. Th. de jurisdict., etc.,et in concil African nempe Carth 3· Pr. Urbi R. *Florentinus* ex cod Theod lib XIV, tit 2 ; l. 3, etc., et CP. *Africanus* cod Th. lib IV, t. 4, l. 4.		D	294 I	et senatu denuntiari curat, et Gildonem comitem et Paganum, quem Theodosius Africæ præfecerat, sibi conciliat. Ita ab Honorio deficiens Africa adjuncta est Arcadio. Petav ex Zosim, v, et Marcellino. S. Ambrosius moritur sub diluculum Sabbati sancti prid. non. Aprilis. Paulinus. Nectarius moritur h. a. circa 27 Sept et communi consensu eligitur episcopus CP. S. Jo.	

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta*	*Anni ab U. C. ante et post Palil*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	His coss scripsit Q. Hilarion, qui hoc anno computat a Passione Domini annos 369 completos. Quare chronologia nostra recte habet quæ Passionem Domini statuit 28 Æræ communis : qui additi annis 369 Constituunt summam 397 Vide Schelestratium Antiquit Eccles diss 1 in fine, et Relandum in Fastis ad hos coss.				Chrysost missis ad eum legatis Antiochiam ab Arcadio. Ibi. Concilium Carthag III, Aurelio præside, cui subscripsit Augustinus. Flacilla Arcadii filia nascitur 15 Kal Jul chron Alex. Rufinus Aquileiensis Rom redux disseminare in Urbe nititur errores Origenis. Vide Noris hist Pelag c. 2, p. 9 et Pagium.	
5111 ☉ 15 ☽ 19 *C* *Indict* XI *et* XII	Impp Cæss Arcadius Aug tr. p. 15, 16, cos IV. Et Honorius Aug tr. p. 5, 6, cos IV. Coss Imp Honorius Aug IV. — Eutychianus. Vet inscript Gruter pag 1006, et Fabrett 269, et in bas S. Pauli, et in S. Sabinæ in Urbe. Leges quoque apud Reland ut C. Theod de re milit l. 16 et 17, etc Pro Urbi Romæ *Felix* C. Theod. lib VI, tit. 2. l. 10 sed vide Gotofr. CP. *Optatus* C. Theod. lib XII, t. 26. l. 13 et *Romulianus*. Ibi lib. VII, t. 1. l. 17.	1150 1151	B C	I II	Siricii 14 et 15. Gildo reguli cujusdam Maurici filius, qui Firmo fratri tyranno restiterat, a Theodosio comes Africæ, et utriusque militiæ factus magister, cum frumentum in Urbem convehi prohiberet, bello appetitus. Mascezel ejusdem frater qui in Italiam fugerat a Stilichone contra eumdem missus LXX millia ex illius exercitu cecidit. Gildo sese ipse strangulavit. Mascezelem reversum in Italiam Stilicho de Ponte præcipitavit in fluvium. Petavius ex Jornand. Honorius Imp Mariam conjugem duxit Stilichone, et Serena fratris Theodosii filia genitam.	39
5112 ☉ 16 ☽ 1 *B* *Indict.* XII *et* XIII	Impp Cæss. Arcadius Aug tr. p. 16, 17, cos. IV. Et Hon. Aug tr. p. 6, 7, cos. IV. Coss. Manlius Theodorus. ... Eutropius. qui in Mag. occiditur, et e Fastis expungitur. Vide Baronium. Quare et in l. 8, Cod. Th. lib 3, tit 1, solus Theodorus cos. exprimitur, et in aliis legibus ejusdem Cod. Veronæ et Altini datis, ut Gotofred. observat, et cum eo Almeloven, in Fast et Reland necnon in vet inscript. Gruter. 192, 12, solum Theodorum consulem nominat S. Aug de civit. Dei lib 18, c. 54, et Concil. Afric h. a. sub Anastasio Papa [Vide Binium p. 795,] celebratum inscribitur: Post consulatum Hon. Aug IV, et Eutych. Pr. Urbi Romæ *Flavianus* Cod. Theod lib XIV, t. 10, l. 3, CP. *Severinus* Ibi lib VI, t. 11, l. un. et *Clearchus* Ibi lib XIII, t. 1, l, 16.	1151 1152	D	II III	Siricii 15, et 16, qui obit 19 Septemb. ANASTASIUS electus successor ordinatur Episcopus die Dominica 9 Octob. Vide notas ad Siricium. Gentiles commenti fuerant Christianam Religionem destructum iri ante h. a. cum per 365 tantum substituram post Beati Petri Martyrium affirmarent : quos 365 ante hunc completos ostendit S. Aug de civit Dei lib 18, cap 54, addens hoc ipso anno subversa fuisse Carthagine fana Ethnicorum. Vide notas ad Siricium, et Pagium h. a. Quartum Concil Carthagin celebratum VI Idus Nov Præsidente Aurelio.	39

Anni per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
5113	Impp Cæss Arcadius Aug tr.	1152		III	Anastasii 1 et 2.	400
17	p. 17, 18, cos IV.	1153		IV	Gainas qui anno superiori rebellaverat, et Eutropium occidi impetraverat h. a. præpotens Saturninum Consularem et Eutropium Consulem sibi dedi ab Arcadio obtinuit. Arianis tamen Ecclesias Constantinop obtinere non potuit, resistente S. Jo. Chrysostomo.	
2	Et honorius Aug tr. p. 7, 8, Cos. IV					
G	Coss. ... Stilicho.					
	... Aurelianus.					
III	Vet. inscript. duæ Musæi Albani					
	et Fabrett. pag 552, et 739, et					
IV	Gudiana: et leges utriusque Cod. apud Reland ut 1. 59, 60, 61, C. Th. de curs publ, etc.					
	Pr. Urbi Romæ *Flavianus* Cod. Theod lib XI. t. 5, l. 29.		B		His Coss. Eudoxia dicitur Augusta, et Arcadia nascitur 3 Nonis April et conflagrat Ecclesia Gothorum IV Id. Jul Chr Pasch.	
	Sulpitius Severus lib II, a Crucifixione D. N. J. C. sub duobus Geminis coss usque in Stilichonem consulem numerat annos CCCLXXII, quæ summa cum nostra Chronologia omnino consentit.				Alaricus Gothorum Rex in Italiam descendit per Alpes Julias. Noris hist Pelag cap 2 pag 12.	
14	Impp cæss Arcadius Aug tr.	1153		*Olym*	Anastasii Papæ 2. et ex die 9	401
18	p. 18, et 19, ex die 16 Jan cos	1154		294	Octobr 2. Is obit die 3 Nov va-	
3	IV.			IV	cat Sedes dies 20.	
	Et Honorius Aug tr. p. 8, et 6,			*et*	INNOCENTIUS electus successor	
	ex. 17 Jan cos IV.			295	ordinatur die Dominica 24 Nov.	
XIV	Coss. ... Viacentius.			1	Vide notas ad Anastasium.	
XV	... Fravitta.		C		Concilia Africana duo h. a. habita, unum IV Kal Julias P. C. Stilichonis, alterum Idib. Sept Carthagine Vincentio et Fravitta coss juxta edit. Binii dicta II, III, sub Anastasio, quorum in postremo recitatæ sunt litteræ Anastasii Papæ, et ad eum decreta legatio. Vide Cod Canonum Eccl Afr ex Bibliolh Justelli, cujus antiquissimum exemplar asservatum vidimus in Biblioth Bodlejana.	
	Vel. inscript. Fabrett. pag 571, et leges utriusque Codicis apud Gotofr. et Reland. nempe l. 63, c. Theod de cursu publ lib VIII, tit 5, Concil Carth 5.					
	Præf Urbi Romæ *Andromachus* C: Th. lib XI, t. 28, l. 3, CP. *Clearchus* C. Theod lib VI, t. 26, l. 12.					
	Prima epist Paschalis Theophili Alexandrini qua Pascha h. a. indicitur XIX. Pharmuthi seu 14 Aprilis. Vide infra in notis ad innoc., et Noris hist Pelag lib I. c. 2. et Pag h. a. num 2.				Caput Gainæ hastili præfixum Constantinopolim allatum fuit Nonis Januarii Marcellin et Chron Pasch.	
	Uldes Hunnorum Princeps Gainam Danub transire conantem obtruncat ejusque caput ÇP. transmittit. Zosim l. v. c. 22.		D		Theodosius Arcadi filius nascitur IV Id. Apr. ibi.	
5115	Impp Cæss Arcadius Aug tr. p.			I	Anastasii 1, et 2.	402
19	19, et 20, cos v. qui filium Theo-	1155		II	Concilium Milevitanum I, In	
4	dosium Augustum dicit 17 Ja-	1154			Africa celebratum, ubi de primatu	
E	nuar.				Numidiæ inter Xantippum et Victorinum causa discussa et adjudicata Xantippo fuit. Vide Noris hist Pelag lib II, cap 2, et Pagium h. a. n. XXI et sep.	
	Et Honorius Aug tr. p. 9, et 10, cos v.					
	Coss. Arcadius Aug v.					
	Honorius Aug v.					
	Leges Cod Theod apud Reland utl. 15, de Tironibus lib VII, tit 13,				S. Hieronymus Apologiam secundam adversus Rufinum scribit	

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U.C. ante et. post Palil*	A	*Anni Olymp.*	*Chritianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ, et documenta.*	*Anni Æræ Christ*
	et lib XIV, tit 17, l. 14, et in Cod emendatis sub his coss apud eumdem Reland et Concil Milevitanum VI Kal Sept his coss. Præf. Urbi Romæ *Decius*. CP. *Clearchus* ex Cod Theod Almeloveen. Vicennalia Arcadii et Decennalia Honorii celebr Pag *Theodosius* Jun a patre Arcadio dicitur Aug 17 Jan Marcellim et chron Alex. Stilicho Honorium Astæ a Gothis obsessum liberat, et apud Veronam iterum Gothos profligat. Mediob ex Jornand cap 9, de rebus Get. His coss Solis facta est defectio III. Id Nov Idatius : quæ contigit ♈ Feria II, hora I, ante merid Constantinopoli.		B		Pagius h. a. n. XIII ex ipso Hieron. Theophilus ep. Alex a Monachis Origenistis quos expulerat accusatur Constantinopoli : (Baron n. III, ex Palladio) quare concertationes validæ subortæ inter SS. Jo. Chrysost Theophilum, et Epiphanium ; qui obit vel circa finem hujus anni, vel sub initium sequentis. Vide Pagium n. VIII, immixto etiam Jo. Hierosolymitano. V. Norisium hist. Pelag cap 2, pag 16.	
5116 ♈ 20 ♉ 5 *D* *Indict* I *et* II	Imppp Cæsss Arcadius Aug tr. p. 20 et 21, coss v. Et Honorius Aug tr. p. 10, 11, cos v. Et Theodosius Aug tr. p. 4 et ex 17 Jan 2 cos. Coss Theodosius Jun Aug. Fl. Rumorides. Inscript vet Grut 1052, 10, Fabrett 587, quæ nunc in Musæo Albano : et leges utriusque Codicis apud Reland ut C. de Jud et cœlicolis l. 10, etc. Ab hoc anno Ravennæ morari cœpit Honorius, ut ex ipsius Constitutionibus Dufresne in not. ad Zonaram pag 45, colligit. Ibi.	1155 1156	C	II III	Innocentii 2 et 3. Conciliabulum ad Quercum adversus Jo : Chrysostom incitante Eudoxia sanctum Antistitem expellit, sed paulo post tumultu populi facto revocatur Chrysostomus ab Arcadio. Vide notas ad Innocentium Carthagine quoque Synodus celebratur h. a. 8 Kal Sept in causa Donatistarum, cujus meminit S. Aug contra Crescon lib III, c. 45. Marina Patre Arcadio nata III id. Febr Marcellin et chron Alex.	403
5117 ♈ 21 ♉ 9 *C B* *Indict* II *et* III	Imppp. Cæss Arcadius Aug tr. p. 21, 22, cos VI. Et Honorius Aug tr. p. 11, 12, cos VI. Et Theodosius Jun Aug tr. p. 2, 3, cos, Coss Honorius Aug VI. ... Aristænetus. Inscript vetus in Basil S Pauli apud Arringh Romæ subt t. 1, p. 417, et leges utriusque Codicis apud Reland nempe C. Theod lib VI, t. 27, l 14, etc. Præf Urbi Romæ..... et CP. *Studius* C. Th. lib XVI, t. 2, l. 37. etc., ibi. Kal Jan Honorius Romam ve-	1156 1157	D	III IV	Innocentii 3 et 4, Ep. Innoc ad Victricium. Vide notas ad Innocentium. S. Jo : Chrysostomus circa festa Paschalia a sua Sede per sententiam Theophili dejectus appellat ad Rom Pont Innocentium, ad quem etiam Theophilus legationem mittit. Trimestri spatio post expulsionem Chrysostomi Eudoxia Augusta moritur. Arsacius in Constantinopolitanam Sedem intrusus. Clericorum pars Romam confugit. Petav ex Georg in Vita Chrysost. Innocentius rescindit sententiam Theophili. Vide notas ad Innocentium. Innocentius Ar-	404

Imperatores, Consules Romani. rum, res gestæ et documenta.	*Anni U. C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Christi.*

cadio reniens triumphum agit de Alarico. Claudian.

Ludi Gladitorii hoc anno per Honorium ubique omnino sublati [Vide Pagium num III] cum antea a Constantino aliisque Principibus vetiti quidem, sed non ubique fuissent aboliti.

scribit ut Synodus haberetur ea de re Thessal propter periculum scilicet schismatis. Vide Pagium Jun n. 9.

Celebratur etiam Carth Synodus de coercend. Donatistis. Felix Manichæus ab Augustino convictus hæresim damnat. Disp. S. Aug contra Fel.

} Impp Cæss Arcadius Aug tr. p.	1157		295	Innocenti 4 et 5. Secunda Decretalis Innocenti ad Exuperium. Vide not.	405
22 et 23, cos v.	1158	B	IV *et* 296		
Et Honorius Aug tr. p. 12, 13 cos VI.				Romæ congregati Italiæ episcopi Imp Honorium rogant, ut ad Arcadium scribat, uti Thessalonicæ Synodum fieri jubeat. Legati acceptis ab eo litteris necnon Innocentii papæ Constantinopolim profecti. Petav ex Pallad dial.	
III Et Theodosius Jun Aug tr. p. 3, 4 et cos, Coss. Fl. Stilicho II. Fl. Anthemius.			I	Honorius varias contra Donatistas sanctiones edidit, quibus pressi plerique ad Ecclesiam redeunt. Cod Theod lib XVI, t. 6, August epist 48.	
Lapis antiq Musæi Albani, et alius ap. Fabrett inscript fol 734 et alius olim in S. Martini de Montibus relatus a Martinello Romæ sac pag 256 et a Gruter 1053, 4 in quo puer Helias Argentarius *dep septimo Kal Nov die Veneris hora quarta.* Littera Dominicalis A die 26 Oct ostendit Fer v, de qua vide Lydiat ad h. a.		C		Arsacius moritur Nov XI, cum sedisset mens 11. Petav ex Socrate lib VI, c. 18 et ex Georgio in Vita Chrysostomi.	
Alii quoque lapides apud Grut 1054, 5 et Boissard, et leges a Relando indicatæ ut l. XVIII, c. Theod de Palat sac larg. etc.				S. Chrysostomus rigore hiemis asperrimæ pene confectus Cucusi cum fuisset, in Armeniam transfertur. Ibi ex Palladii epistola IV.	
Pr. Urbi R. *Gracchus* C. Theod lib VIII, t. 7, l. 20 et CP. *Ursus* C. Theod lib VI, t. 23, l. 1.				Isauri per Montem Taurum discursantes ingens dispendium Reipublicæ important. Lydiat ex Zozimo lib v, cap 25.	
Rhadagisus in Tuscia multis millibus Gothorum cæsis ducente exercitum Stilichone superatus et captus est. Prosper et Orosius. Vide Baron et Pagium.					
9 Imppp Cæsss Arcadius Aug. tr.	1158		I	Innocentii 5 et 6.	406
23 p. 23 et 24, cos VI.	1159	D	II	Legati ab Innocentio missi cum litteris Honorii et suis in itinere pessime affecti revertuntur. Theodorus apud Palladium et Georgius.	
8 Et Honorius Aug tr. p. 13, 14 cos VI.				Quarto past obitum Arsacii mense Atticus ex monacho ordinatur episcopus Constantinopolitanus. Socrat lib VI, c. 18. Sozom lib VIII, c. 17.	
ict Et Theodosius Jun Aug tr. p. . v 4, 5, cos. Coss. Arcadius Aug VI. Anicius Probus.				Theodosii Junioris Quinquennalia. Delatæ sunt Constantinopolim reliquiæ S. Samuelis Prophetæ die 19 Maii pompam ducentibus Arcadio Aug Anthemio	
Leges utriusque codicis apud Reland ut cod Theod de denuntiat v. edit refor, l. XV, etc.					
Pr. Urbi R.... Constantinopoli *Æmilianus* cod Th. lib XV, t. 1, l. 44.					
Vandali et Alani trajecto Rheno					

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C ante et post. Palil.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
	Gallias ingrediuntur prid Kal Januar alii Sept Prosper, Cassiodor et Zosim lib VI ; Suevos adjungit. Sed vide Pagium h. a. n. 12 et seq. n. 10, etc.				Pr. et exconsule Æmiliano P. U. et universo Senatu. Chron Alex et S. Hieronym adv Vigilantium, quem tractatum h. a edidit.	
5120	Imp Cæss Arcadius Aug tr. p.	1159		II	Innocentii 6 et 7.	407
☉ 24	24 et 25, cos VI.	1160		III	Theodosius Jun dedit Quinquennalia. Marcellin et Chron Alex addit 3 Id. Januarii.	
☾ 9	Et Honorius Aug tr. p. 14, 15,				S. Joannes Chrysostomus obit Cumanis ad Pontum-Euxinum XVIII	
F						
Indict	cos VII.					
V *et* VI	Et Theodosius Jun Aug tr, p. 5, 6, cos II.					
	Coss. Honorius Aug VII. Theodosius Aug II.		B		Kal Dec cum sedisset ann 9, mens 6, dies 20. Socrat lib VI, cap 19.	
	Antiq lapis apud Abb Georgium et leges utriusque Cod apud Reland ut Cod Th. lib VI, t. 26, l. 13, etc.				Eo mortuo Innocentius Papa, et Occidentales non prius communicare cum ipsius adversariis voluerunt, quam ejus nomen in diptycha referretur, et Arsacii aboleretur. Theod lib 5, c. 34. Vide notas ad Innocentium.	
	Præf Urbi R. *Senator* C. Just. lib. I, t. 5, l. IV et CH. *Hilarius* Cod Theod, lib XIV, t. 4, l. 1.				Concilium Carthaginense celebratum, in quo Decreta Legatio ad Honorium pro defensione Catholicorum contra Donatistas.	
	Vandali et Pannonii [vide Pagium num 10], proximas Rheno provincias longe lateque vastant : evertunt Moguntiam : diripiunt Rhenos, Ambianos, Atrebates, Morinos, argentoratum, etc., Zozim S. Hieronym ep. 11.		C			
	In Britannia tumultus militaris eligit Marcum tyran. Zosim lib VI, cap 2.					
5121	Imppp Cæsss Arcadius Aug tr.	1160		III	Innocentii 7 et 8.	408
☉ 25	p. 25 et 26. Coss VI, qui obit Kal.	1161		IV	Arcadius obit Kal Maii. Socrat lib VI, cap ult.	
☾ 10	Maii cum imperasset post obitum				Honorius in Orientem post fratris obitum proficisci volens a Stilichone detinetur, quod Constantius tyrannus e Britannia in Gallias profectus Arelate consideret. Stilicho in Orientem destinatus defertur Honorio tanquam affectator imperii, cum duas filias Mariam ac Thermantiam virgines despondisset, et diceretur Alaricum, Alanos, Suevos Vandalos contra ejus regnum concivisse, Ravennæ occiditur jussu Imperatoris; Zosim, lib V, et Philostorg, lib XII, cap 2, apud Photinum.	
E D	Patris ann 13, m. 3, dies 15.		D			
Indict.	Et Honorius Aug tr. p. 15, 16.					
VI	Cos VII.					
et VII	Et Theodosius Jun Aug tr. p. 6, 7. Cos II.					
	Coss. Fl. Philippus. Anicius Bassus.					
	Vetus inscript in S. Agnetis extra muros relata ab Aringh pag 168, tom II, et Reines p. 943, et leges apud Reland. C. Th. de tiron l. 19, etc, et Fabrett p. 268.					
	Pr. Urbi R. *Hilarius* C. Theod lib XIV, t. 4, l. 1. CP. *Monaxius* Cod Theod lib XIV, t. 17. l. 15.					
5122	Impp Cæss Honorius Aug tr.	1161		296	Innocentii 8 et 9.	409
☉ 26	p. 16 et 17. Cos VIII.	1162		IV	Cum in magnis angustiis essent	
☾ 11	Et Theodosius Jun Aug tr.			*et*	Romani, auctores quidam erant,	
C	p. 7, 8. Cos III.			297	ut quædam gentilitia sacra fierent,	
Indict	Coss. Honorius Aug VIII.			I	quod et Innocentium permisisse	
VII	iidem AA Theodosius Aug III.				falso scribit Zosimus ; cum e	
et VIII	Gruter 1058, 2, corrigendus in				contra legatus et ipse ad Hono-	

Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.	*Anni U. C. ante et post Pulil.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
		A			
nnm Cons Theodosii, quem habet v. [nisi sit Honorii IX, qui recte jungitur cum Theodosii v, infra anno 411.] Idem Grut 1052, 6, exhibet epitaphium Treviris jungens Honorii Consulatum VIII, cum primo Constantini [ejus scilicet tyranni ex Britannia qui h. a. Arelate consederat] de quo vide Noris epoch Syromaced diss 4, c. 1, circa finem. Eidem Purpuram mittit Honorius. Olymp apud Photium. Iidem coss Honorius VIII et Theod III, leguntur in utriusque Codicis legibus apud Reland ut Cod Theod de Decur. Urb Romæ l. 6, lib XIV, tit. 1, etc. Pr. Urbi Romæ *Bonosianus* ibi et *Attalus* ex Zosimo. CP. *Monaxius* Cod Theod lib XV, t. 1, l. 47, etc. Alani, et Vandali, et Suevi Hispanias ingrediuntur. Idatius, et Orosius. Mittitur vero in Hispaniam *Constans* Constantini Tyranni filius post pacem cum Honorio initam. Zosim lib VI, cap 4. Sed Maximus in Hispania tyrannidem exercet.				rium profectus suaserit leges plures a principe hoc anno editas contra varias superstitiones. Vide Baron Petav, Pag et ex antiquis Orosium. Urbs Roma anno superiori ab Alarico obsessa, et post ejus recessum h. a. iterum invasa capitur et diripitur per dies septem ex VIII Kal Sept asportatis auri		
		B		libris ter millibus, argenti XXX; M. præter alias species a Senatu pactas : Zosim, lib V Marcellin., Oros. etc. Vide Pagium ad h. a. qui ostendit perperam dilatam a. quibusdam chronolog et hist etiam antiquis hanc Urbis direptionem ad annum vel biennium proximum : Vide Philostorg, lib XII, cap 3. Attalus jussu Alarici imperator dicitur qui erat Pr. Urbi. Placidia Imperatoris soror capta nubit Ataulpho Alarici propinquo.		
		C		S. Honoratus lustratis Italiæ cœnobiis circa hunc annum Lerinense monasterium condit primo sub regula S. Pachomii. Noris, hist Pelag. lib II, pag 173, 176.		
3 Impp Cæss Honorius Aug tr.	1162		I	Innocentii 9 et 10.	410
27 p. 17, 18. Cos VIII.	1163		II	Attalus ab Alarico suadetur ut contra Heraclianum partes Honorii in Africa sectantem copias mittat. Neglecto Alarici consilio contra Honorium Ravennæ agentem movet. Jovius diffidentiam inter Alaricum et Attalum inducit. Spoliatur Attalus imperio ab Alarico (Zosim lib VI), et traditur Honorio, cum quo pacem Alaricus init : Alaricus trajecturus in Africam obit. Succedit Athaulphus Jornandes, cap 30.		
12 Et Theodosius jun Aug tr. p. 8, 9. Cos III.					
ict Cos *Fl. Varanes* solus : nam					
I Tertullus ab Attalo creatus um-					
IX bratilis Consul habetur. Orosius lib 7, cap 42. Cod Theod habet Varanem solum lib IX, t. 28, l. 11, 12, etc ; apud Reland et lib VII, t. 13, l. 20, quæ ostendunt direptionem Urbis anno superiori contigisse. *Marcianus* Præfectus Urbi ab Attalo constitutus. Zosim lib VI, cap 7.		D			
24 Impp Cæss Honorius Aug tr.	1163		II	Innocentii 10 et 11.	411
28 p. 18, 19. Cos VIII.	1164		III	Collatio habita Carth. catholicos inter et Donatistas, in qua Donatistæ penitus eversi. Vide Noris hist Pelag, lib I, cap 3 et lib II, pag 222.		
13 Et Theodosius Jun Aug tr. p.					
1 9, 10. Cos IV.					
lict Consul Theodosius Jun Aug IV,					
X sine collega leg 48. C. Theod de					
X operibus publicis data P. C. Varanæ et lib 7, ejusdem Cod tit 17, l. unica de lusoriis Danuvii : de				Antiochius Persa ab Isdegerde (Arcadii testamento tutor hic datus fuerat Theodosio) missus ad		

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta*	*Anni UC ante et post Palil.*		*Anni Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	qua Vide Gotofred signanda *Theodosio IV, et qui fuerit nuntiatus* (mate signatur V.) Theodosius Jun Decennalia, Honorius Romæ Vicennalia dedit. Marcellin Chron. Barbari qui se Hispaniæ infuderant provincias inter se dividunt. Galliæciam Wandali occupant, et Suevi Alani Lusitaniam, et carthag provincias: Wandali Silingi Bæticam. Idat.		A	tutelam Theodosii in ordinem redigitur, et Pulcheria Augusta sola imperium administrat. Theophanes. Constantini caput in conto affertur Honorio XIV Kal Oct. Idatius. Constans quoque interficitur Vienn per Gerontium, substituto ei *Maximo*: qui postmodum exutus purpurat vivit ignobilis in Hispania. Zosimus VI. et Marcellinus.	
	Pr. Urbi R, *Bonosianus* C. Theod. lib XV, t. 1, l. 48 et CP. *Isidorus*. Reland et Gotofr ex notit dign.		B	Synesius concilio coacto Andronicum Pentapolit Prov Præfa comm segregat, qui pœnitens recipitur ad veniam. Synes epist 58.	
5125	Impp Cæss Honorius Aug tr. p.	1164		III Innocentii 11 et 12.	412
☉ 1	19, 20, cos. IX.	1165		IV Mortuo Theophilo Alexandrino	
☾ 14	Et Theodosius Aug tr. p. 10,			episc die 15 Oct succedit Cyrillus	
G F	11, cos V.			Noris hist Pelag l. I, c. 4 et l. II,	
Indict X	Coss Honorius Aug IX Theodosius Aug V.			c. 1, Carthag concil damnat Cœlestium, qui ad Romanam sedem appellat. Mercator.	
et XI	Leges utriusque Cod apud Reland ut cod Theod de co iortat. Princip cornic l. 22, 23, 24, 25, etc. His coss occisi sunt Jovinus et Sebastianus fratres in Gallia et Hispania tyrannidem exercentes Marcellin. Chron. Honorius Donatistas post collationem pervicaces diversis pœnis mulctat, Ecclesias earumque bona Catholicis restitui jubet l. 52 Cod Theod de hæreticis. Jovinianus hæreticus in insulam Boam ab eodem Principe relegatur. Cod Th. eod tit l. 51.		C	S. Augustinus h. a, scribere incipit contra Pelagianos. Ibi lib. I, c. 4, et lib II, c. X, p. 238. Cassianus constructo apud Massiliam monasterio celebris Castori Aptensium episcopo abs sepostulanti Ægyptiorum monachorum instituta XII libros eo de argumento scribit, in quibus Semipelagianum dogma introducit, asserens humanis viribus bona opera posse inchoari, sed sine gratia divina non perfici. Vide Noris hist Pelag lib. II c. 1, pag 162. Cirtæ in Numidia Concilium habitum mense Junio contra Donatistas.	
5126	Impp cæss Honorius Aug tr. p.	1165		297 Innocentii 12, 13.	413
☉ 2	10. 21, cos IX.	1166	D	IV Heraclianus ob navatam strenue	
☾ 15	Et Theodosius. l. un Aug tr. p. 11			*et* operam contra perduelles comes	
E	13, coss V.			298 Africæ et consul creatus, perduel-	
Indict XI	Cos Lucius solus, nam expunctus fuit e Fastis *Heraclianus* Afri-			I lis ipse cum DCC navium classe in	
et XII	cæ comes, qui Collega datus fuerat Lucio in Consulatu, ut in Cod Th. lib XV, t. 14, l. 13 et Prosper, et Marcellin in Chron. Signantur itaque Consulatu solius Lucii leges Cod utriusque, ut C. Th. l. un. de comit et trib schol. etc apud Reland. Pelagius Brito dogma nominis			Italiam navigans, et contra Urbem copias ducens occursu Marini comitis ad Utriculum superatus in fugam vertitur, et in Africam delatus capitur Carthagine et interficitur, succedente Marino: cujus jussu *Marcellinus* Tribunus, qui pro fide Catholica fortiter laboraverat, Donatistarum ex insidiis occiditur, quem Martyrem colit	

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U.C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	sui contra gratiam Christi Cœlestio et Juliano auditoribus exerit. Prosper. Burgundiones Germaniæ populi partem Galliæ Rheno propinquam obtinent. Prosper. Vicennalia Imperii Honorii. Post cladem Gothicam Urbis solitudo sensim desinit: et 15 millia civium numerantur. Olympiod.				Ecclesia 8 Id. Apr. Petav ex Idac et Orosio lib. 8, cap 42. Vide Card Noris hist Pelag c. v.	
5127 3 16 D dict XII et III	Impp Cæss Honorius Aug tr. p. 21. 22, coss IX. Et Theodosius Jun. Aug tr. p. 12, 13. cos V. Coss Fl. Constantius. Fl. Constans. L. 38 K. Th. de navicularis ad Albinum Præf Urbi et l. 54, 55, de hæret aliæque apud Reland et epistola 22 Innocentii Papæ Idib Dec Constantio cos. Constantius Comes apud Arelatum Galliæ urbem consistens Gothos Narbona expellit, et in Hispaniam abire cogit. Athaulphus de exstinctione Romani nominis cogitans Placidiæ uxoris consilio, et experimento de suorum indocilitate ad parendum legibus facto bello abstinet et gloriam quærit de restituto Gothorum viribus Rom. Imperio. Orosius, lib 7, c. 43.	1166 1167	B	I II	Innocentii 13 et 14, qui in epistola 22. data Idib Dec Constantio cos rata habet Decreta synodi Macedoniæ. Pulcheria Theodosii soror Augusta appellata est IV Non Jul Marcel. et Chr Alex. Gothorum classis in Africam trajectura vi tempestatis demergitur in freto Gaditano. Orosius. Honorius Donatistas nova sanctione percellit X Kal Jul et confirmat acta contra eosdem sub Marcellino Tribuno spectabilis memoriæ viro lib XVI. Cod Theod tit v. de hæret l. 54 et 55, cujus exsecutionem demandat Dulcitio Trib ac Not ad quem S. Aug perscribit, prout Marcellino inscripserat libros de civit. Dei	414
5128 4 17 C Indict XIII et XIV	Impp Cæss Honorius Aug tr. p, 22, 23, cos X. Et Theodosius Jun Aug tr. p. 13, 14, cos VI. Coss iidem Honorius Aug X. Augg Theodosius Aug VI. L. 36, 57, 58, cod Theod de Hæret aliæque apud Reland. Pr. Urbi Romæ *Gracchus*. Cod Theod lib VIII, tit 7, l. 20. CP. *Ursus*. cod Th. lib VI, t. 23, l. 1. Attalus a Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus, et præsidio carens capitur, et Constantino Patricio vivus offertur, Athaulphus a quodam suorum vulneratus interit, regnumque ejus *Vallia* invasit. Prosper. Vallia adversus Alanos et Wandalos, Silingos bellum capessit. Idat.	1167 1168	C D	II III	Innocentii 14 et 15. Inventio reliquiarum S. Stephani Protomartyris ex epistolis S. Luciani, etc. Vide Baron et Pag. Orosius in Synodo Hierosolymitana occasione Encæniorum habita præsens, Acta contra Pelagium describit, ibi pariter degentem, ubi decernunt Patres, *ut ad beatum Innocentium Papam Romanum Fratres et epistolæ mitterentur universi quod ille decerneret securi.* Vide Card Noris hist Pelag lib 1 c. 7 et Pagium ad a. 2 n. VI. Judæi Alexandria expulsi a Cyrillo, quod cædem in Christianos patrassent noctu, excitos falso rumore incensæ Ecclesiæ. Socrat lib 8, c. 13, 14. Isdegerdes Persarum Rex proximus conversioni ad Christianam fidem ob exempla sanctitatis Maruthæ Episcopi Mesopotamiæ, hoc mortuo ob intempestivum zelum	415

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U.C. ante et post. Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
					Episcopi Abdaactis, incendentis Templum Ignis, gravi persecutione Christianos vexat ad quinquennium. Theophanes.	
5129	Impp Cæss Honor Aug tr. p. 23,	1668		III	Innocentii 15 et 16.	416
☉ 5	25, cos x.	1669		IV	Synodalis epistola Præsulum	
☽ 18	Et Theodosius Jun Aug tr. p.				Africanorum LXVII, damnantium	
B A	14, 15, cos VII.				errores Pelagii, et rogantium In-	
Indict XIV	Coss Theodosius Jun Aug VII. Junius Quartus Palladius.				nocentium Papam, ut Apostolica	
et XV	Panvin ex vet lapid et Reines		B		auctoritate et ipse damnet. Syno-	
	p. 422, et epistolæ Innocentii datæ				dus Milevitana pariter in Africa	
	VI Kal Febr ubi hi coss memorantur. Vide Reland et leges ab				eosdem errores damnans causam	
	ipso relatas 8, 9. C. Th. de Domest et protect etc.				refert ab Innocentio judicandam epistola 94 et 178 S. Aug. Vide	
	Pr. Urbi *R. Probianus*, cod Theod				Pagium sen ad h. a. n. VIII.	
	lib XIV, t. 20, l. 4. CP *Ursus*, cod				Ob victoriam de Attalo repor-	
	Th. lib XII, t. 1, l. 180. etc.				tatam ludi exhibentur Constanti-	
	Vallia pacem cum Honorio init,				nopoli, et Theodosius Heraclia	
	Placidia restituta, quæ nubit Constantio. Orosius et Prosper.				veniens Constantinopolim aurea corona ab Urso Urbis Præf. et	
					Senatu donatur Chr Alex.	
5130	Impp Cæss Honor Aug tr. p.			298	Innocentii 16, qui obiit die 14	417
☉ 6	24, 23. cos XI.			IV	Februarii cumsedisset annos XV,	
☽ 19	Et Theodosius Jun Aug tr. p.			*et*	ad Innoc. Vacat Sedes dies 22.	
G	15, 16, coss VII.		C	299	Zosimus successor eligitur die 9,	
Indict XV	Coss Honorius Aug XI. Constantius II.			I	et ordinatur die 11 Martii, et Pascha celebrat in litteris Paschasini memoratum die VIII Kal. April.	
et 1	L. 12, cod Theod lib VI, t. 2, ad Monaxium Pr. Urbi, etc., apud Reland, et in epistola Paschasini, et in epistola Zosimi papæ ad Aurelium.				Innocentius ante obitum respondet Synodicæ Milev Conc et damnat hæresim Pelagianam. Vide Noris hist. Pelag lib I. c. XI p. 70, 73, 74.	
	Vandali Silingi in Bætica per Valliam regem omnes exstincti. Idacius. Idem refert Alanos, qui Vandalis et Suevis dominabantur, a Gothis adeo cæsos esse, ut exstincto Atace ipsorum rege, pauci qui superfuerant, abolito regni nomine, Vandalis qui in Gallia resederant se subjecerint. Patavius.		D		Decretis duorum Conciliorum Carthaginensis et Milevitani contra hæreses Pelagianam et Cœlestianam cum accessisset judicium supremum Sedis Apostolicæ, *causa finita est*, ait S. Aug serm de verb Apostoli. Vide Noris hist Pelag lib I, cap 17, pag 104.	
	Controversia de Paschate inter Occidentales et Alexandrinos. Vide litteras Paschasini ad Leonem Magnum.				Cœlestius tamen Romam veniens et callida dissimulatione, non secus ac Pelagius libellum Zosimo offerens subdola purgatione conscriptum habetur innocens, sed paulo post plenius examen subire jussus uterque causa cadit, et instante Zosimo ambo tanquam hæretici pelluntur in exsilium.	
	Honorius Romam triumphans ingreditur præeunte currum ejus					
5131	Attalo, quem truncatum duobus					
☉ 7	digitis in Liparam Insulam rele-					
☽ 1	gat. Prosp ex chron et Philostor-					
F	gius.					
Indict		1669		I	Vide notas ad Zosimum.	
XV et 1	Impp Cæss Honorius Aug tr. p.	1170		II	Zosimi 1 et 2, BONIFACIUS.	418

Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olym*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
25, 26, cos XII. Et Theodosius Aug. tr. p. 16, 7, cos VIII. Coss. Honorius XII. Iid A A. Theodosius VIII. C. Theod lib X, tit. 10, l. 38. etc. apud Reland et concil African et in vetustissimo Justelli Codice Can Ecclesiæ Afric nunc asservato in Biblioth Oxoniensi. Vide notas in Zosimum. Solis defectio digit XI, et semis [juxta calculos Petavii] Romæ die 19 Augusti, Fer VI, h. 8, de qua Chron Alex Idacius et Marcellinus. Vide notas ubi supra. Valentinianus Jun Ravennæ nascitur ex Constantio et Placidia VI. Non Jul Prosp. Pr. Urbi Romæ *Palladius*. C. Th. lib IV, t. 4, l. 6.				Zosimus Legatos in Africam mittit ad negotia de appellationibus pertractanda. Interim obit die 13 Decembris. Successor eligitur *Bonifacius* ordinatus III Kal Januar. Vide notas ad Zosimum Pars alia Cleri in schismate eligit *Eulalium*, cui favet Symmachus. Concilium Carthaginense 214 Episcoporum præsentibus Legatis Apostolicæ Sedis celebratum. *Ejus decreta ad Zosimum Papam perlata*, quibus probatis, per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est. Prosper. Telepitense Concilium h. a. celebratum in Provincia Byzacens.	
Impp Cæss Honorius Aug tr. p. 26, 27, cos XII. Et Theodosius Jun Aug tr. p. 17, 18, cos VIII. Coss. Monaxius. Plinta. Gruter inscript pag 1050, n. 7 et cod Theod lib VI, t. 30, l. 22, aliæque apud Reland et epistola Aurelii ad omnes Byzacenos. Noris hist Pelag 115. Pr. Urb CP. *Ætius* C. Th. lib XIV, t. 6, l. 5, Romæ *Symmachus*, ut ex causa schismatis liquet. Hoc anno Pascha celebratum est III Kal Apr. S. Aug de 7 quæst ad Dulcitium. Vide Noris hist. Pelag lib I, c. 17, pag 107, et Tabulam Paschalem infra pag 146.	1171 1172	B C	II III	Bonifacii 1 et 2. Schisma Eulalii Symmachi patrocinio suffultum evocari facit promotos Ravennam. Eulalius causa cadens post Festa Paschalia relegatur in Campaniam. Vide notas ad Bonifacium. Concilium Carthaginense VIII Kalend Maii Episcoporum 217, quos inter S. Augustinus, et Alypius, et iterum VI Kal Dec qua gesta Synodalia ad Bonifacium transmittit : de qua vide Noris hist Pelag lib I, cap 17, et notas ad Bonifacium,	419
Impp Cæss Honorius Aug tr. p. 27 et 28, cos XII, Et Theodosius Jun Aug tr. p. 18, 19, cos IX. Coss. Theodosius Aug IX. Constantius Aug III. Cod Theod de Episc Eccl et Cler l. 44. etc. apud Relandum ubi duo tantum AA. Honor et Theodos et Constantius dicitur V. C. sed non Aug. Pr. Urbi Romæ *Palladius*, C. Just lib I, t. 3, l. 19.	1172 1173	D	III IV	Bonifacii 2 et 3. In Perside persecutio desævit ante quinquennium excitata. Socrat l. VII, c. et Theod l v. c. 89 et Marcellin. Romani Persas et Nisibin obsident : contra quos Vararanes Isdegerdis fil adscito sibi Alamundaro Saraceno veniens vincitur. Socrat lib VII, cap. 18. Sed vide Pag a n. 15. S. Hieronymus moritur ætatis anno 90. Prosper, qui habet æta-	420

Anni Per. Jul et Ind	*Impeartores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta,*	*Anni U. C. ante et post Pal*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.* Ch
	Francorum regnum hinc incipit juxta Petav *Pharamundus* primus Francorum rex h. a. cæpit. Prosper in chron a Pithœo edito. Idacius h. a. affirmat Constantium Augustum creatum, sed Prosper ad ann seq differt cum leg cod.				tis ann 95 errore Librarii. Pagius ad h. a
5434	Imppp Cæsss Honorius Aug tr. p.	1173		*Olym*	Bonifacii 3 et 4.
♍ 10	28 et 29, cos XII.	1174		299	Bonifacius epistolis ac Legationibus ad Honorium missis Græcorum usurpationes irritas reddere
● 4	Et Theodosius Jun Aug tr. p.		B	IV	
B	49, 20, cos IX			*et Ol*	
Indict	Et Constantius Aug tr. p. cos			300	satagit in Provinciis Illyrici. Vide
IV	III, assumptus ad consortium Im-				notas ad Bonifacium.
et V	perii VI Id. Feb qui quarto Non Sept occubuit. Theoph.				Theodosius Eudociam ducit uxorem. Arcadio Patri suo in ejus foro super columnam statuam erigit ac dedicat. Romani cum Persis confligunt et victoriam reportant die 8 Sept Marcellin et chron Alex.
	Coss. E stachius. Agricola.				Theodotus h. a. Antiochenus Episcopus creatus Pelagium detectum expulit Synodali sententia. Noris hist Pelag lib II, c. 4,
	C. Theod l. 45, de Episcopis et Eccl ubi Illyricum subjicitur Episcopo Constantinopolitano : sed Romani Pontifices jura sua per Vicarios Apostolicos non deseruerunt. Vide notas ad Bonifacium.		C		p. 186.
	Item aliæ leges utriusque cod apud Reland hos coss exhibent. Leges Cod Th. datæ his coss nempe lib II; tit 27, si certum petatur data V Kal Aug et aliæ præcedentes IV Id. Mart. VI Id Mart et VIII Id. Julii productæ a Norisio hist Pelag l. I, cap 20, comprobant Constantium Augustum hoc anno fuisse, quo etiam obiit septimo mense post adoptionem, ut Olympiodorus testis synchronus scribit, et Theophanes.				Cœlestius Pelagii socius a Volusiano Pr. Urbis expellitur. Ibi lib I, cap 20, qui frustra suas in partes trahere contendit Atticum Constantinopolitanum Episcopum, et Rufum Thessalonicensem Apostolicæ Sedis Vicarium. Vide Noris loco laudato, ubi docet revocatam fuisse a Theodosio ipso legem, subreptitia insinuatione extortam ab Episcopis Illyricianis defectionem meditantibus a Romana Sede ad Constantinopolitanam. Ibi lib I, hist Pel cap 20, p.
	Pr Urbi R. *Volusianus.* Vide Noris hist Pelag lib I, cap 20, pag 126.		D		131.
					Alypius a S. Augustino ablegatus ad S. Bonifacium Papam cum suis scriptis h norifice excipitur. Ibi c. 21, pag. 133.
5435	Impp Cæss Honorius Aug tr. p.	1174		I	Bonifacii 4 qui obiit depositus
♍ 11	29 et 30, cos XIII.	1175		II	die 4. Sept ex vet MS. Flor Vacat
● 5	Et Theodosius Aug tr. p. 20, 21,				Sedes abejus obitu dies 9. Biblioth.
A	cos X.				Vide notas ad Bonifacium Cœlestinus electus successor die 13 Sept.
Indict	Coss. Honorius XIII,				ordinatur Dominica seq 17.
V	Iiid Aug Theodosius Jun X.				
et VI	Cod Theod lib I, tit 11, l. 2, aliæque apud Reland et Bonifacii litteræ decretales his coss datæ V				Bonifacius Papa Patrocli Arelatensis Episcopatus invasoris, et

	Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.	*Anni U. C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et Anitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Id. Febr quarum exemplum in vet cod Monast S. Crucis Romæ. Romani in Hispania sub Castino Magistro Militum a Vandalis devicti. Vide Ruinart hist persec Vandal pag 2, cap 2, n. 3, et Idac. Tricennalia Honorii et Vicennal Theodosii. Pr. Urb CP. *Florentius.* C. Theod lib xv, tit 1, l. 8.				Narbonensis jura usurpantis ausus comprimit Illyricianorum Præsulum ausus. Vide notas ad Bonifacium. Theodosio nascitur filia Eudoxia. Marcell Persæ pacem cum Romanis ineunt. Ibi. Maximus Tyrannus et Jovinus ferro victi Tricennalibus Honorii adducti ex Hispan atque cæsi. Ibi.	
6	Impp Cæss Honorius Aug tr. p.	1175	B	II	Cœlestini 1 et 2.	423
12	30 et 31, cos XIII, qui moritur	1176		III	Ex hoc anno per triennium consequens S. Augustinus libros XV de Trinitate et XXII de Civitate Dei absolvit. Vide Noris hist Pelag lib I, cap 24, pag 152.	
6	Romæ mense Aug. Et Theodosius Jun Aug tr. p. 21				Placidia Augusta ab Honorio fratre cum filiis expulsa ad Theodosium proficiscitur, Bonifacio comite sumptus ministrante. Olympiod et Prosper.	
ict	et 22, cos X.				Cœlestinus Papa Pelagianos Italia expellit. Prosper contra collatorem cap 41. Julianus inter	
IX	Coss. Asclepiodotus. Marinianus.		C		hos libros 8, contra S. Augustin scribit in Cilicia, ubi Theodorum Mopsuestenum Pelagianum adit.	
	C. Theod lib I, tit 11, l. 3 aliæque apud Reland et inscript Grut 464, 8. Obit Honorius Imperator Romæ Augusti mensis die 16 vel 29. Vide notas ad Cœlestinum et du Cange hist Byz fam pag 72. His coss Eudoxia creatur Augusta IV Nonas Januar Chron Alex. Longobardorum secundus regnat *Lamissus* ann 3, Joannes ex Notario imperium usurpat in Occid Socrat l. VII, c. 25.				Vide Noris hist Pelag l. I. c. 9 et Pagium ad h. a. n. 15.	
17	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1176		III	Cœlestini 2 et 3.	424
13	tr. p. 22 et 23, cos X.	1177		IV	Theodosius Valentinianum Amitæ suæ filium Cæsarem facit, [et ad recuperandum imperium contra Joannem mittit: (Prosper) qui Augustus Romæ creatus est post occisum Joannem tyrannum anno seq ut Idacius et Marcellinus scribunt. Interea h. a. Cæsar creatus Eudoxiam Theodosii filiam sibi desponsat. Ibi.	
7	Valentinianus Cæsar.					
E	Coss Castinus.					
ict	Victor.					
I	C. Theod lib XV, tit 5, de spec-		D			
III	taculis l. 4, ubi solus imp Theodos X Kal Maii Victore V. C. coss et lib X ejusdem cod Th t. 20, de Murilegulis l. 14, data XVII Kal Nov Victore cos ubi Theodosius Aug et Valentinianus Cæs nominatur. Pr. Urb CP. *Severinus.* Cod Theod lib XV, t. 1, l. 52.				Monachi Adrumetini in Africa, de gratia et libero arbitrio litigantes, acceptis ab Augustino libris in concordiam revocantur. Noris hist Pelag lib I, cap 23.	
18	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1177		*Olym*	Cœlestini 3 et 4.	425
4	tr. p. 23 et 24, cos XI.	1178		300	Placidia Augusta magnam ge-	
8	Et Flavius Placidius Valentinianus Jun Cæs mox etiam Augustus			IV *et*	rens curam pro Catholica religione et Ecclesiis, leges comple-	
ict	dictus d. 23. Octobr du Cange fa-			301	res edi curat contra hæreticos et	
II	mil Byz ex Olympiodoro et Laterc			I	schismaticos post Joannem tyran-	
IX	Silvii.				num neci traditum. Vide Noris	

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
	Coss Imp Theodosius Jun Aug XI. Fl. Pl. Valentinianus Jun Cæs mox Aug. C. Th. lib VI, t. 10, de Primic et not l. 4, ubi Theodos Aug et Valent Cæs x Kal Oct quemadmodum et aliæ præcedentes apud Reland. Circa anni finem Valentinianus septennis puer Romæ imperator processit, ut ex Idacio et Olympiodoro tunc viventibus probat Moris hist Pelag lib I, cap 24, pag 152, ubi etiam ostendit Augusti nomen præferre in lege secunda cod Theod lib x, tit 26 de conductoribus data III Non Januar anni proxime consequentis Theod XII et Valentiniano II, coss.				hist Pelag l. I. cap. 24, pag. 152. Lerina Insula in Cœnobio Monachorum per S. Honoratum condito fit sanctorum Episcoporum seminarium: ubi SS. Eucherius, Maximus, Hilarius, Faustus, Lupus hac ætate sub Honorato rectore Cœnobii exercebantur. Ibi lib II, cap 1, p. 163. Apud illos attamen Monachos incipit serpere dogma Semipelagianorum. Ibi lib. II, c. 2.	
			B		Theodosius scholas Constantinopolitanas earumque professores in meliorem formam restituit, et his privilegia decernit, l. 3 C. Theod de stud liberal et l. 1 de professoribus.	
					Cœlestini 4 et 5	
5139 ☉ 15 ☾ 9 C *Indict* IX *et* X	Impp Cæss Theodosius Aug tr. p. 24 et 25, cos XII. Et Valentinianus Jun seu III Aug tr. pag 1. 2, cos II. Coss Theodosius XII. iidem Augg Valentinianus Jun II.	1178 1179		II	Mortuo Attico episc Constantinopolitano, VI Id Oct anni præced juxta Socrat l. VII, cap 25, Sisinnius episcopus eligitur pridie Kal Martii Socrat et Marcellinus. Patroclo Arelatensi succedit Honoratus ex Abbate Lerinensi.	426
	Lex 2 C. Theod supra indicata lib x, t. 26, aliæque apud Reland etc et in designatione Eradii ad episcop S. Augustin ep. 110. Pr Urbi R. *Albinus*. C. Th. lib VIII, t. 7 l. 22, CP. *Cyrus* C. Just lib XI. t. 7, l. 5, postea *Hierius*. C. Just lib XII, t. 59, l. 7. Vide Reland Gunderius rex Vandalorum capto Hispali, cum in Ecclesiam civitatis impias manus extenderet. a Dæmone correptus interiit. Gensericus frater succedit in Arianam perfidiam prolapsus. Idacius in chron.		C		S. Augustinus Pelagianis ubique terrarum prostratis scriptorum suorum censuram adoritur. Idem Eradium Presbyterum designat Coadjutorem episcopatus Actu publice signato his coss. Vide Noris. hist Pelag lib I pag 153 et 155.	
5140 ☉ 16 ☾ 10 B *Indict.* X *et* XI	Impp. Cæss Theodosius Jun Aug tr. p. 25, 26, cos. XII. Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 2, 3. cos, II. Coss Hierius. Ardaburius	1179 1180	D	II III	Cœlestini 5 et 6	42
	Cod Theod lib VII, t. 8, l. 14 et lib VI, t. 24, l. 10, aliæque apud Relandum. Bonifacius comes Aetii proditione declaratus hostis Rom. Imperii, cum Vandalis icto fœdere Gensericum ex Hispania in Africam vocat qui cum 80 millibus				Sisinnius Constantinopolitanus episcopus moritur circa anni hujus finem 24 Decembr cui anno proximo successor datur Nestorius. Socr l. VII, c. 28. S. Augustinus duos libros Retractationum hoc anno complet, quo Vandali, Alani, et Gothi ex Hispania in Africam irrumpunt. Possidius in vita S. Augustini. Vide Noris hist Pelag l. I, c. 23, pag 155. Hoc etiam anno quatuor volu-	

Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.	*Anni U. C. ante et post Pal.*	Λ	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
eo se transfert in perniciem publicam mense Maio his coss Prosper in chron et Victor Vitensis l. 1, c. 1. Ruinart hist Vand parte 2, cap 3, n. 6, et in præf ad hist Vict Vit n. 8.				mina complet adversus postremos Juliani libros. Ibi p. 204. Pelagiorum sectæ Patronus, et Nestorianæ origo Theodotus Mopsuestenus Episc. circa h. a. obit juxta Noris hist Pelag lib II, cap 4, sed biennio post juxta Pagium.	
Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1180		III	Cœlestini 6 et 7.	428
7 tr. p. 26 et 27, cos XII.	1181		IV	Nestorius ordinatur episcopus	
Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 3, 4, cos. II.	1182			Constantinopolitanus Kal Apr h. a. Liberatus Diac in Brev causæ	
Coss Fl. Felix. Taurus.		B		Nestor c. 4. Sed Socr lib VI, c. 24, IV Id. April.	
Lapis in S. Martini de Montibus et Gruter 1076, 2, et Reines 998, et leg C. Th. 8, de sponsal, etc ., apud Relandum.				Nestorius novum molitur Ecclesiis errorem inducere, etc. Huic impietati præcipua Cyrilli Alexandrini episcopi industria, et papæ Cœlestini repugnat auctoritas. Prosp in chron. Vide Noris lib II, hist Pelag c. 7, pag 204. Vide notas pagii et Sommier infra, ad Cœlestinum.	
Pr. Urb CP. *Proculus* C. Th. lib VI, t. 2, l. ult.					
Mortuo Rege *Pharamundo* circa 9 sui regni annum, secundus Francorum rex init Clodius. Prosper.					
Suevi sub Hennerico Rege Gallæciam deprædantes ab incolis fusi pacem instaurant. Idacius.					
Impp. Cæss. Theodos Jun Aug	1181	C	*Olym*	Cœlestini 7 et 8.	429
8 tr. p. 27 et 28, coss II.	1182		301	Nestori CP. novis hæresibus	
Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 4, 5, coss II			IV *et* 302	Ecclesiam turbante et Pelagianis patrocinium accommodante, Marius Mercator commonitorium of-	
Coss Florentius. Dionysius.			I	fert Theodosio Aug et Clero contra Pelagianos. Vide Noris hist Pelag lib II, cap 6.	
C. Theod l. 29 de Judæis, cœlicolis, etc, apud Reland et epistola decretalis S. Cœlestini Papæ univers. episcopis per Vienn. et Narbonensem Prov cujus exemplum vetus in Bibl S. Crucis in agr Sessoriano Romæ data XII Kal Aug his coss.				S. Augustinus lib XVIII de Civit h. a. scribit, ut ex cap 54, ubi affirmat fluere annum XXX post Cons Manlii Theodori. S. Cœlestinus admonitus de scriptis Nestorii per Ægyptum, aliasque Provincias disseminatis S. Cyrillo	
Aetius fit Magister Militum, qui Gothos non procul Arelate devicit Idatius.		D		mandat, ut de illorum auctore diligenter inquirat. Nestorius humanissimis litteris Cyrilli arroganter respondet. Petav ex Actis Concil Ephes.	
S. Hilarius ex Lerinensi Cœnobio assumitur ad Cathedram Arelatensem. Vide Noris hist Pelag lib II, c. 2. Agricola Pelagiani episcopi filius Ecclesias Hiberniæ dum inficit suis dogmatibus, Papa Cælestinus ad præservandam Catholicam fidem S. Germanum Antisiodorensem episcopum illuc transmittit civibus suis eidem demandatis. Prosper in fine collat. Vide Noris hist Pelag pag 192.				Juvenalis Hierosolymorum episcopus creatur mortuo Praylio juxta Baron et Petav sed Pagius n. 27, ex vita S. Euthymii probat Juvenalem eam Ecclesiam rexisse etiam anno superiori.	

Anni Per. Jul et Ind	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*An Æ Chr*
5443	Impp Cæss. Theodosius Jun	1482		I	Cœlestini 8 et 9.	4
♉ 19	Aug tr. p. 28, 29, cos XIII.	1483		II	Synodus Romana a S. Cœlestino habita sub initium Augusti contra Nestorium. Vide Pag. Jun n. XV, in Cœlest et notas infra.	
● 13	Et Valentinianus Jun Aug tr.				S. Cyrillus Ep. Alexandrinus defert ad S. Cœlestinum Nestorii hæresim, ac patrocinium Pelagianis accommodatum. Cœlestinus in responso includit litteras ad Nestorium transmittendas, in quibus præscribit terminum ad resipiscendum. Noris hist Pelag lib 2, c. 7.	
E	p. 5, 6, cos III					
Indict XIII	Coss Theodosius XIII. iidem Augg Valentinianus III.					
et XIV	Leges cod Theod lib VI, t. 27, l. 33, etc apud Reland Theodosii Jun XXX, soluta, et nuncupata XXXX. Vide Noris de num Lic pag 78, et Marcellin.		B			
	Per SS. Germanum, et Lupum episcopos Gallicanos reprimuntur in Britannia Pelagiani. Vide Noris hist Pelag p. 260.				Vandalis jam mensem tert Hipponam obsidentibus S. Augustinus obit. Ibi et pag 183 ubi probat Monachorum Cœnobitarum regulam Augustinianam paulo post obitum S. Patris ad Jurenses et alios perlatam.	
	S. Petronius ad Bonon episcopatum promovetur. Ib lib II, cap 2, pag 169.					
5444	Impp Cæss Theodos Jun Aug tr.	1483		II	Cœlestini 9 et 10.	4
♉ 20	p. 29 et 30, XIII.	1484		III	Cœlestinus iterato habita Synodo legatos in Orientem mittit cum commonitorio ad habendam Synodum Ephesinam dato VIII Id. Maii his coss ut executioni mandarentur ea, quæ decreta fuerant Romæ contra Nestorium. Vide Pagium n. 4.	
● 14	Et Valentinianus Jun Aug tr.					
D	p. 6, 7, cos III.					
Indict XIV	Coss Anicius Euchenius Bassus. Fl. Antiochus.		C			
et XV	Commonit Cœlestini papæ ad legatos ad syn Ephes.					
	Inscript vet in basilica S. Pauli, et apud Fabrett p. 736, et alia ex cœmet Commodillæ et cod Theod lib IX, t. 45, l. 4 et 5, etc apud Reland sacra divalis Theod imp ad Metropol his coss.				Celebratur Œcum Synod Ephesina CC. SS. Patrum anno CDI. Domini in Cœlum Ascensionis Theodosii Augusti 23 (juxta chron Pasch) præsidet S. Cyrillus cui S. Cœlestinus vices suas mandat. Die 22 Junii deponitur Nestorius, et damnatur hæreses Pelagiana, et Nestoriana. Vide Noris hist Pelag lib II, c. 9, p. 233 et 256 et notas ad Cœlestinum infra. Constantinopolitanæ Ecclesiæ præfixitur Maximus. Noris ibi Joannes Antiochenus Synodum habet contra Ephesinam, nec tamen patrocinatur Pelagianis. Norisius ibid	
	Aetius Francis prælio superatis, et ad pacem susceptis, censorium comitem Legatum ad Suevos mittit, quibuscum Idatius revertitur. Idacius.					
	Moritur his coss S. Paulinus X Kal Jul ætatis anno 78. Baron et Petav etc ex epistola Uranii Presbyteri,		D			
5445	Impp Cæss Theod Jun Aug tr.	1484		III	Cœlestini 10 qui moritur Julii	4
♊ 21	p. 30 et 31, cos XIII.	1485		IV	21. Vide notas ubi supra.	
● 15	Et Valentinianus Jun Aug tr p.				S. Xystus III succedit 10 Aug ibi et pag 104. Epistola S. Cœlestini ad S. Synod Ephes data his coss. Idib Martii; aliæque epistolæ ejusdem in edit Concil Binii To-	
C B	7 et 8 cos III.					
Indict XV	Coss Valerius. Aetius.					
et I	Vet inscript Fabrett 733 et Fleetwood p. 443, et l. 3, cod					

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
	Theod de Decurion et silentiariis, etc apud Reland.		A		mo I ex pag 739 ad 742 Synodus Antiochena.	
	Pr. Urbi CP, *Heliodorus.* Cod Theod lib VI, t. 24, l. ult.				Semipelagianorum factio, quæ per Gallias in dies augebatur, contra doctrinam S. Augustini, litteris S. Cœlestini compescitur; qui obit juxta Card Noris V Id. April juxta nos 21 Jul. Vide Noris hist Pelag lib II, cap X.	
	Bonifacius ab Africa ad Urbem veniens Magister Militum factus est, et paulo post moritur. Idacius, et Prosper		B		S. Prosper Aquitanus succedit in impugnatione Semipelag Sancto Augustino, et scribit contra Cassianum. Ibi.	
5146	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1185		*Olym*	Xysti III, 1 et 2.	433
☉ 22	tr. p. 31 et 32, cos XIV.	1186		302	Synodus Romana a Xysto Papa	
● 16	Et Valentinianus Jun Aug tr. p.			IV	celebratur, in qua de Pelagianis,	
A	8 et 9, cos. III.			*et*	ac Nestorianis agitur. Vide No-	
Indict I	Coss Theodosius Aug XIV,			303	ris hist Pelag lib II, cap 12,	
et II	Petronius Maximus.			I	pag 255.	
	Ç Theod de numerar actuar], 17, etc apud Reland et nummi veteres Petronii Maximi consulatu inscripti in Mus aliorum, ac nostro.				Faustus hoc anno renunciatus abbas Lerinensis Semipelagianorum coriphæus evadit, post Cassianum. Ibi lib 2, c. 2.	
	Et epistolæ S. Xysti III papæ hist coss datæ XV Kal Oct videndæ in concil Eph parte 3, ad Cyrill Alex et ad Jo. Antioch. Ibi fol 456.		C		S. Petrus Chrysologus Ravennatibus datur Episcopus monitu S. Apollinaris. Vide Pagium Jun in S. Xysto num 6.	
	Censorio comite regresso Hermericus Suevorum Rex cum Gallæcis pacem instaurat. Patav ex Idacio.				Orientalium appellatio ad Rom Pont. Vide Pagium.	
5147	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1186		I	Xysti 2 et 3,	434
☉ 23	tr. p. 32 et 33, cos XIV	1187		II	Vincentius Lirinensis h. a.	
● 17	Et Valentinianus Jun Aug. tr.				scripsit libellum suum post Ephesinam synodum. Petavius, Noris	
G	p. 9, 10, cos III.				Pagius, aliique.	
Indict II	Fl. Asper, alii Aspar.				Honoria Valentiniani imp soror	
et III	Coss Fl. Ariovindus, alii Areobinda.				ab Eugenio procuratore suo stuprata, Palatioque pulsa, et Theodosio transmissa, Attilam contra	
	C. Th. lib. V, tit 2, l. un. etc apud Relandum. Fabrett, p. 568, n. 120, in porticu S. Pauli.		D		Occidentalem Remp concitavit. Ibi ex Marcellino Maximiano Ep. Constantinopolitano mortuo subrogatur Proculus. Ibi ex Socrat lib 7, c. 39.	
	His coss Vandali jam nono anno Africam infestantes pactum cum Romanis ineunt de Africæ partitione signata anno sequenti.					
5148	Lydiæ ex Prosp.					
☉ 24	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1187		II	Xysti 3 et 4.	435
● 18	tr. p. 33 et 34. cos XV.	1188		III	Codex Theodosianus hoc anno	
F	Et Valentinianus Jun. Aug tr.				promulgatur XV Kal Martii: ubi	
Indict III	p. 10 et 11, cos IV.				in l. ult c. de hæret libri Nestorii interdicti, et incendio damnati.	
et IV	Coss Theodosius XV.					
	Iidem Augg Pl. Valentinianus IV.				Proclus CP. h. a respondet epi-	

Anni Periodi Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Inscript Vatic apud Aringh et Fleetvood et Reland cum legibus utriusque codicis ibi productis, nempe cod Theod de hæret, l. 66, etc. Pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum per triennium in loco Africæ portione Hippone III Id. Feb. Prosper in Chron et Cassiodor Paulus Diac lib XIV scribit datam per Trigetium. Vide Ruinart, hist persec Vandal p. 2, c. 4, n. 1.		B		scopi Armeniæ eum consulentibus de libris Theodori Mopsuesteni. Vide Noris diss de synodo V. Œc. cap 11, pag 150. Basilius librum edit, quo Theodori et Diodori blasphemias vitandas docuit. Post hæc Armenii Monachi Constantinop veniunt, et ubique ambos illos damnandos esse suaserunt. Petav ex Liberato cap 10.	
5149 25 19 *E D* *Indict* IV *et* V	Impp Cæss Theodosius Jun Aug tr. p. 34 et 35, cos XV. Et Valentinianus Jun. Aug tr. p. 11 et 12, cos IV. Coss Fl. Isidorus Or. Senator Occ. Reland ex inscript Gudianis ineditis, et ex utroque codice, nempe Theodosian de Decurionibus ll 187 et seqq usque ad 192 et l. 21, C. de Episc et Cler. Gothi pacis placita perturbant obsidente Narbonam Theodorico [Prosper] quam Idacius ab Aetio liberatam scribit, et ab eodem cæsa Burgundionum XX M. Petav.	1188 1189	C	III IV	Xysti 4 et 5. Nestorius edicto Theodosii in Oasim deportatur. Ex Actis Ephes synodi, et ex Evagrio Petavius. Joanni Antiocheno post annos sedis XIII, mortuo subrogatur Domnus. Ibi ex Cyrillo. Aetius Dux utriusque Militiæ Patricius appellatur strenuus Romani imperii propugnator. Ibi ex Jornande.	436
5150 26 1 *C* *Indict* V *et* VI	Impp Cæss Theodosius Jun Aug tr. p. 35 et 35, cos XV. Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 12 et 13, cos IV. Coss Actius II. Sigisvult, seu Sigisboldus. Epistola Xysti III Papæ ad Proculum, et epistola Paschasini ad S. Leonem Magnum apud Bucherium pag 75 et leges utriusque codicis apud Relandum, nempe cod Theod de Decurionib et silentiariis, l. 4, etc.	1189 1190	D	*Olym* 303 IV *et* 304 I	Xysti 5 et 6. Initia persecutionis Vandalicæ in Africa a Genserico motæ. Vide Ruinart in ejus hist p. 2, cap 4, num 2. Valentiniani nuptiæ cum Eudoxia Theodosii filia. Marcellin et Prosper, Bellum adversus Gothos Hunnis auxiliaribus geritur. Petav. Primus Cyrilli cyclus hoc anno cœpit: qui annorum XCV fuit. Petavius.	437
5151 27 2 *B* *Indict* VI *et* VII	Impp Cæss Theodosius Aug tr. p. 36 et 37, XVI. Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 13, 14, cos IV. Coss Theodosius Aug XVI. Faustus. Vetus inscript in Basilica S. Pauli apud Severan et apud Aringhium p. 414, et Reines p. 899, et l. 7, C. de hæreticis et 5, C. de Fabricensibus. Hermenrico Suevorum Regi morbo oppresso.	1190 1191		I II	Xysti 6 et 7. S Jo. Chrysostomi reliquiæ Constantinopolim allatæ. Socnates lib VII, c. 44. Ignatii quoque reliquiæ in fortunæ templum translatæ. Petav ex Evagrio lib I, c. 16, et inventa corpora SS XL martyrum. Idem ex Sozomeno lib XI, cap 2. Eudocia voti solvendi causa Hierosolymam profecta impetrat reliquias S Stephani, et Catenas	438

Anni Periodi Jul et Ind	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Rechilas filius succedit in Bætica victor. Petavius ex Isidoro.				S Petri, quarum unam transmittit Romam ad Eudoxiam. Vide Petavium ad annum seq et nostras notas ad Xystum.	
5152	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1191		II	Xysti 7 et 8.	439
☉ 28	tr. p. 37, 38. Cos XVII.	1192		III	Julianus Eclanensis Pelagianus	
☽ 3	Et Valentinianus Jun Aug tr.				a sede recuperanda repellitur per	
A	p. 14, 15, cos IV.				B. Xystum papam suasu S Leonis	
Indict VII	Coss Theodosius Aug XVII Festus.				tunc Diaconi mox ejus successoris. Prosper in chron.	
et VIII	Vetus inscriptio in Basilica S. Pauli et lex 22. C. de Episc et Clerc aliæque apud Reland.		B		Chron Pasch. Hoc anno Genserico Vandalorum rex Carthaginem ingressus est mense Hyperberetæo, eodemque anno Siciliam vastare annisus est : violata pace Carthaginem occupat XV Kal Novembr. Vide Noris hist Pelag lib II, cap 21, ex Prospero et Idacio.	
	Octava quinquennalia Theodosii Jun Aug. Vide Noris de nummo Licinii p. 80.					
5153	Impp Cæss Theodos Jun Aug tr.	1192		III	S. Xystus obit die 22 Jul. Vacat	
☾ 1	p. 38 et 39, coss XVII.	1193		IV	Sedes 42 dies. Eligitur S Leo, et	440
☽ 4	Et Valentinianus Jun Aug tr.				ordinatur Kalendis Septembris	
G F	p. 15, 16, cos V.				cum e Gallis rediisset accitus	
Indict VIII	Coss Valentinianus Aug V. Anatolius.				Legatione publica. Vide notas ad Xystum.	
et IX	Vetus inscriptio in Tit S. Martini de Montibus : et apud Gudium duæ a Relando impressæ : necnon leges plures, ut 7, C. de legibus, aliæque apud eumdem Relandum.		C		Collatio seu Processus habitus ante obitum S Xysti papæ in Basilica Heleniana sive Sessoriana his coss. Vide concil. Binii tom I, part II, pag 488.	
5154	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1193		*Olym*	Leonis 1 et 2.	441
☽ 2	tr. p. 39 et 40, cos XVII.	1194		304	Theodosius bellum contra Van-	
☽ 5	Et Valentinianus Jun Aug tr.			IV	dalos movet Areobinda, Anavilla,	
E	p. 16, 17, cos V.			*et*	atque Germano ducibus cum ma-	
Indict IX	Cos Cyrus solus *ob artem poeticam Eudociæ gratiosus ad Consulatum promotus.* Petav ex Suida.			305 I	gna classe minus feliciter directis. Prosper. Persæ, Saraceni. Zanni, Isauri, Hunni Romanas Provincias vastant. Contra eos missi Anatolius et Aspar pacem ineunt. Chron Alex et ex eo Petav.	
et X	Inscriptio vetus in S. Martini de Montibus habet P. C. DD. NN. Valentiniani et Anatolii cos Cyrum exhibet l. 10. C. de defens civit aliæque apud Reland.		D		Sirmium dirutum, et plurima Illyrici oppida per Bledam et Attilam Hunnorum reges. Ex Marcellini chron. Vide Noris hist. Pel l. I, c. 20, quibus pactas scribit Paulus Diac lib XIV, a Theodosio annuas auri libras mille. Vide Petav ad ann proximum.	
	H. a. celebratur Concil Arausic I ex Narbonensi et Lugdun. Provinciis. Petav.					
5155						
☉ 3	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1194		I	Leonis 2 et 3.	442
☽ 6	tr. p. 40, 41, cos XVII.	1195		II	Concilium Vasense dictum in	
D	Et Valentinianus Jun Aug tr.				Narbonensi Gallia celebratur. Petav.	
Indict X *et* XI	p. 17, 18, cos V. Coss Eudoxius. Dioscorus ambo Orient.				Cum Geiserico a Valentiniano pax confirmata, et certis spatiis	

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et. post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*
	Veteres inscript Febrett p. 112, Aringh pag 109. Reines p. 985 et 988, et Acta Concilii Vasensis, et lex 9. C. de discussionibus, allæque apud Reland.				Africa inter utrumque divisa. Sed in Geisericum conspirant optimates, qui detecti crudelissime necantur. Petavius ex Prospero.
5156	Impp Cæss Theodosius Jun Aug	1195		II	Leonis 3 et 4.
☉ 4	tr. p. 41 et 42, cos XVII.	1196		III	Leo papa contra Manichæos
☾ 7	Et Valentinianus Jun Aug tr. p.				Romæ latitantes insurgit : codices
C	18 et 19, cos V.				eorum igne absumit. Prosper in
Indict. XI	Coss Petronius Maximus II, Paternus.				chron Idem Leo Manichæos subvertit, et convertit Pelagianos.
et XII	Epistola 1 S. Leonis data VI. Id Octobr Maximo iterum et Paterno coss quæ in cod MS S Crucis : l. 4. C de offic mag offic aliæque apud Reland.		B		Prosper de promissis Dei cap 6. Vide Noris hist Palag lib II, cap 12, pag 255.
	Papyrus Maffejanus olim San-Bonifac apud Mabillon diar Ital et March Maffejum hist rei diplom p. 132.				Theodoretus Antiochiæ Synodos frequentans suspicionem incurrit hæreseos Nestorianæ apud Theodosium, a quo jubetur intra Urbem suam se continere. Petav ex ejusdem epistolis 84, 90, etc.
	Africa a Valentiniano divisa cum Vandalis. Ruinart hist persec Vandal part 2, c. 6, n, 4.				Theodosius imp ex Asiana expeditione redux juxta Marcellinum Thermas dedicat : quas ante dedicatas arguit. Petav ex chr Alex Ibi.
5157	Imp Cæs Theodosius Jun Aug tr.	1196		III	Leonis 4 et 5.
☉ 5	p. 42 et 43, cos XVIII.	1197	C	IV	Concilium Romæ a Leone Magno contra Manichæos habitum
☾ 8	Et Valentinianus Jun Aug tr. p.				memorat ex ejus epist 9, ad Turibium. Petav.
B A	19 et 20, cos V.				Synodus Arelatensis in causa
Indict XII	Coss Theodosius Aug XVIII, Albinus.				deposit Celidonii. Noris hist Pelag lib II. c. 12.
et XIII	In antiqua phylira apud Mabillon in supplem rei diplom p. 88, et Maffejum in hist rei diplom pag 134.				S. Cyrillus Alexandrinus obit. Ibi pag 256. Succedit Dioscorus qui Theodoreto infensus fuit. Petav.
	S Leonis epistola data III Id Febr his coss in codice vetust S Crucis.				De Paschate hujus anni consultus a S. Leone Paschasinus respondet celebrandum Aprilis 23, in epist post Leonianam 63.
	Item leges apud Reland ut l. 4. C. de statuis, etc.				
	Theodosius Jun Aug octav quinquennalia solvit. Noris de num. Lic p. 80.		D		Attila Bleda fratre suo cæso populos ejus sibi subjicit. Obit Arcadia soror Theodosii. Ibid.
5158	Impp Cæss Theodosius Jud Aug	1197		*Olymp*	Leonis 5 et 6.
☉ 6	tr. p. 43 et 44, cos XVIII.	1198		305	Leone Papa in Concilio Romæ
● 9	Et Valentinianus Jun Aug tr.			IV	habito contra S. Hilarii ordinationes in aliena provincia decernente
G	p. 20. 21, cos VI.			*et*	
Indict XIII	Coss Valentinianus Jun Aug VI. Nonius			306 I	lex Valentiniani conditur Novell l. VI, tit 24, de Episc ordin Petavius.
et XIV	Inscriptio Narbonensis apud Golnitz in Itin Belgico, et apud Pagium h. a. et in nostris Prolegom et apud Ruffos hist Massill. Vide notas ad Leonem M. et l.				Huc usque S. Prosper Chronicon suum perduxit. Vitus Magister utrjusque Militiæ missus in Hisp ut Carthaginenses vexaret

Anni Per. Jul et Ind	Imperatores, Consules, Romanorum res gestæ, et documenta.	Anni U. C. ante et post Pal.		Anni Olymp.	Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.	Anni Æræ Christi
	Novell Valentinian tit 3, aliasque apud Reland. Victor Tununensis hinc exorditur Chronicon.				et Bæticos, superatis Suevis et Gothis qui in ejus auxilium venerant profugit. Suevi eas Provincias prædantur. ibi ex Idacio.	
5459 7 10 F Indict XIV et XV	Impp Cæss Theodosius Jun Aug tr. p. 44 et 45, coss XVIII. Et Valentinianus Jun Aug tr. p 21 22, cos VI. Coss Aetius III. Q. Aurelius Symmachus. L. 8, C. de legibus, aliæque apud Pagium, Reland etc, Picti atque Scoti Britanniam invadunt Aetii ope frustra a Britannis implorata. Gildas Usser Britann Antiq p. 198 et 214, 218.	4198 4199	A B	I II	Leonis 6 et 7. Fames valida Constantinopoli, ac Templum Regiæ Civitatis exustum. Marcellin in chron Beda Gildas Pulcheria a rerum administratione removetur. Vide Pagium Sen ad hunc annum n. 11.	446
5460 8 11 E Indict VX et I	Impp Cæss Theodosius Jun Aug tr. p. 45 et 46. cos XVIII. Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 22 et 23, cos VI. Coss Callypius, seu Alypius, ut in Chron Pasch. Ardaburius. Epistola S Leonis papæ ad Januarium episcopum Aquileiensem quarta in codice S Crucis signatur III Kal Jan Alypio et Ardabute coss. Novellæ Valentinian et alia monum apud Reland habent Callypio et Ardabure VV. CC. coss.	4199 4200	 C	II III	Leonis 7 et 8. Proclus Constantinopolitanus Patriarcha obit succedente S. Flaviano. Pagius. Ingenti terræmotu Constantinopolis concussa. Marcellin chron [Januar 26, Malala p. 66. Niceph 25. Sept.] Ingens bellum per Attilam Regem h. a. inflictum pene totam Europam, excisis invasisque civitatibus atque castellis conrasit. Attila Rex usque ad Thermopolim h. a. infestus advenit. Marcellin chron. Leo Magnus ad Januarium Aquileiensem, et ad Septimium Altinensem scribens Pelagianam hæresim subvertit. Vide etiam Pagium Sen. ad h. a., num. 5 et seqq.	447
5461 9 12 C Indict X XI	Impp Cæss Theod Jun Aug tr. p. 46 et 47, cos. XVIII. Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 23 et 24, cos VI. Rufus Pretexatus *Postumianus*. Coss. Fl. Zeno. Lapis apud Gruter CCCCLXIV, 8 epistola S. Leonis M. 48 ad Eutychetem Kal Jun his coss, et Acta concilii Constantinopolitani, et Novell Valentiniani, tit 13 apud Reland. Tertius Francorum rex h. a. cœpit Meroveus postquam Clodius obiit : qui XX circiter annis regnavit. Petavius. Rechila rex Suevourm gentilis moritur Emeritæ : cui Rechiarius	4200 4201	 D	III IV	Leonis 8 et 9. Concilium Constantinopolitanum cœpit VI Id. Novembr ut in Act. I Chalcedon. In illo Eutyches hæreseos convictus accusante Eusebio Dorylæi episcopo. Vide notas ad Leonem. Eodem anno bis postulatus Ibas Edessenus bis absolutus est : primum Tyri mense Febr deinde Beryti mense Septembr Petav ex Actis Concil Chalcedon. Vide notas ad Leonem M. Provincia India Theodosio principi tigrim domitam pro munere misit. Marcellin chron. S. Germanus Antisiodorensis episcopus obit Ravennæ. Vide Norisium hist Palag: lib II, c. 12.	448

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	A A Cl
	filius catholicus succedit socer Theodorici Gothorum regis, qui Cæsaraugustanam provinciam populatur. Ibi lex Idacio.				
5462 ♉ 10 ● 13 *B Indict* II *et* III	Impp Cæss Theodos Jun Aug tr. p. 47 et 48. cos XVIII. Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 24 et 25, cos VI. Fl. Protogenes Or. Coss. Fl. Asterius Occid seu Fl. Astyricus. Diptychon Leodiense. Epistola dogmatica S. Leonis M. et aliæ plures ab 8 ad 30. Epistola VI Sidonii Apollin et l. VIII, c. de repudiis, aliæque apud Reland apud quem P. Annæus Silvius scripsit: *Constantinus Senior, qui Christianæ religionis ministros, etc. Ab Urbis exordio mille et ducentis completis annis Posthumiano et Zenone consulibus, et Asterio consule tanquam primus incipit.* In vetustiss codicibus Ecclesiæ Veron in epistola S. Leonis ad Flavianum, scribitur *Asturio* et Protogene VV. CC. coss. Diem obeunt SS. Hilarius episcopus Arelatensis, et Eucherius Lugdunensis. Vide Noris hist Pelag lib II, c. 2, et lib XI, c. 13 ex Prospero Tirone.	1201 1202	B C	*Olymp* 306 IV *et* 307 I	Leonis 9 et 10. Hoc anno Synodus prædatoria Ephesi est habita fraude Chrysapii eunuchi, in qua Eutyches a Dioscoro communioni restitutus est. Flavianus damnatus ; et cum Rom pontif appellaret, in exsilium pulsus moritur. Huic suffectus Anatolius presbyter Apocrisarius Dioscori, ut ait Niceph chron et ex eo Petavius. Legati Rom pontif vexati Hilarius effugit, et Romam venit. Ibi habita Synodo Leo pont Ephesinam illam abrogavit. Acta Concil. Chalced. Liberatus. Ibi. Vide notas ad Leonem M. Sebastianus a Genserico occiditur. Ibi ex Idacio.
5463 ♉ 11 ♓ 14 *A Indict* III *et* IV	Impp Cæss Theodosius Jun Aug p. 48 et 49, cos XVIII, qui deinde h. a. moritur ex lapsu ab equo die V Kal Aug succedente *Marciano*. Et Valentinianus Jun Aug tr. p. 25 et 26, cos VII. Fl. MARCIANUS Thrax sive Illyricus nubit Pulcheriæ Theodosii Jun sorori et creatur Augustus die 8 Kal Sept tr. p. 1. Coss Valentinianus Aug VII. Avienus. Vetus inscript Bas S. Pauli apud Aring R. S. pag 500, et Sirmond ab Ep. I, 9. Sidon Apoll aliam refert. Tertiam Fleetwood p. 402. Leonis papæ epist 32. Acta concil Chalced T. IV, Concil Gen p. 62. Scoti cum Pictis Aquilonares Insulæ Britanniæ partes populantur. Wortingerus rex ut expellat ciet milites ex Germania : quæ	1202 1203	D	I II	Leonis X et 11. Synodus Constantinopolitana in qua Eutyches ab Anatolio damnatur. Placidia obit. Prosper in chron et S. Petrus Chrysol. Vide Norisium hist Pelag lib II, c. 12, pag. 260. Chron Alex refert h. a. Attilam Valentiniano mandasse, ut sibi palatium adornaret. Aetium vero profectum in Gallias Alaricum adversum eum incitasse. Tum ad Danubium profligatas Attilæ copias : sed Alaricum occubuisse. Petav. Sed vide ann sequentem. Cyrus ex præf prætt et Urbi fit clericus, deinde episcopus Smyrnensis. Ibi.

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi..*
	occasio fuit idololatriæ in Insulam referendæ. Vide Pag Sen n. 16.					
5464	Impp Cæs Valentinianus Jun	1203		II	Leonis 11 et 12.	451
☉ 12	Aug tr. p. 26, 27, cos VII.	1204		III	Sancta Synodus Chalcedonensis 738 Patrum celebratur VIII Kal. Octobris : cujus Acta vide infra in notis ad Leonem M.	
☽ 15	Et Marcianus Aug tr. p. 1 et 2 cos.					
G Indict	Coss Marcianus Augustus. Adelphius.					
IV et V	Vetus inscript Basil S Pauli. Aringh tom II, pag. 419, et Severan p. 151. Reines p. 977, et l. VII, c. de Paganis, etc. aliæque apud Reland. Item S. Leonis epist 35, 38 etc.				S. Leo licet adesse optaret, legatos misit, ne per absentiam suam Italia irruptionibus Attilæ redderetur magis obnoxia. *Is turba regum*	
	H. a. Attila Galliam populatur. Parisii Genovefa precibus liberati. Tandem ab Aetio in campis Catalaunicis vincitur : de qua victoria Idacius. Vide Petavium ad h. a. qui et eclipsim lunæ ex Idacio refert spectatam 26 Septembris.		B		stipatus (ait Jornandes) Romanas provincias, præsertim in Galliis et ad Rheni tractum vastabat, pugnatum in campis Catalaunicis, ubi CC millia cæsa. Vide Pagium h. a. n. 26. Attila Galliis expulsus in Italiam arma convertit.	
5465	Impp Cæss Valentinianus Jun	1204		III	Leonis 12 et 13.	452
☉ 13	Aug tr. p. 27, 28, cos VII.	1205		IV	Attilæ post Aquileiam, Ticinum, et Mediolanum vastatas urbes Romam tendenti Leo Magnus occurrit, cujus suasione recedit barbarus victor. Hac occasione ad æstuaria confugientes Itali Venetias condunt. Marcellin Com Cassiod Miscella. Vide Petav et Pag Jun num 37 in S. Leone ex Prospero.	
☾ 16	Et Marcianus Aug tr. p. 2 et 5, cos.					
FE Indict V et VI	Fl. Herculanus Occid. Coss Asporacius, seu Sporacius Or.		C			
	S. Leo epist 52 ad 55 et 91, l. II, C. de Consul et n. sparg ab eis pecun et l. X C. de Advoc divers Judic etc, apud Reland. Inscript vetus in S. Pauli basilica Romæ subt, tom II, p. 416, et Grut 1054 8, at Fabrett inscr p. 757 ubi Cons Herculani componitur cum primo D. N. Severi Aug. Carthaginensis Ecclesia quæ per annos XIII ex quo capta erat episcopo caruerat, h. a. Deo gratias episcopum creat. Victor Utic.				Pro Chalcedon Concilio laborat imperator : et quæ contra Flavianum gesta erant abolet. Acta Concil. Chalc. Theodosius monachus Eudociam in Palæstina inficit hæretica peste : Hierosolymitanum thronum occupat : episcopos catholicos fugat, alios occidit, et a Marciano pertrahi ad se jussus fugit. Theophanes.	
5466	Impp Cæss Valentinianus Jun	1205		*Olymp*	Leonis 13 et 14.	453
☉ 14	Aug tr. p. 28, 29, cos. VII.	1206		307 IV *et* 308 I	S. Joannis Baptistæ caput Emesæ repertum sub his coss refert Chron Alex mense Peritio, id est Febr. alligans epochæ Syromaced. 763, Antiochenorum 504. Sed vide Pagium Sen. et du Cange, qui ad annum superiorem revocant.	
☾ 17 D Indict VI et VII	Et Marcianus Aug tr. p. 3, 4, cos. Coss Vincomalus Or. Opilio Occid. Concil Andegavense. Vetus inscript in cœmet v Nom Rom subt., tomo II, pag 174, et al. inscript Gudiana apud Reland et epist S. Leonis 56 et seqq. Et Valentiniani et Marciani Augg ex tom IV Con-				Pulcheria Aug moritur X Sept martyr Rom. Marcell Chron Alex. Dioscoro ab Alex episcopatu de-	

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et Gentilium populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	cil et Noris ad Fast cons dissert p. 54.				posito in Conc Chalc succedit Proterius. Vide Pag. Jun n. 33 in S. Leone.	
5467	Impp Cæss Valentinianus Jun	1206		I	Leonis 14, 15.	454
☉ 15	Aug tr. p. 29, 30, cos VII.	1207		II	De die Paschali subortas controversias anno præsenti et proxime præcedenti ac sequenti. Vide S. Leonis epistolas, et Bucherium, necnon Pagium, et tabulam nostram Paschalem p. 146, in notis ad Leonem M.	
● 18	Et Marcianus Aug tr. p. 4, 5,					
C	cos.					
Indict. VII	Coss Aetius Occid. Studius, alii Asterius Or.					
et VIII	Epistola S. Leonis ad Julianum Coensem legatum suum. Vide Bucher de cyclo Vict pag 81.					
	Item epistolæ 70, 71, 72 ejusdem Leonis, et l. XII, c. de SS. Eccl aliæque apud Rel.		B		Juvenalis Hierosolym episcopus ab eodem S. Leone admonitus catholicam fidem collecta Synodo omnibus amplectendam proponit. Append Concil Chalc.	
	Valentinianus a stupro uxoris Maximi ad cædem Aetii et Boethii impellitur. Marcel Idacius.				Anatolius CP. episcopus altius attollens se a S. Leone reprimitur, ac primatus studio cedit, ep. 71 S. Leonis. Petav.	
	Attila vomitu sanguinis ob intemperantiam perit. Pagius Senior n. VIII, refert ad annum præcedentem.				Gothis Pannonia, Gepidis Dacia assignata Jornandes. Vide Pag Sen ad h. a. n. 9.	
					Dioscorus hæreticus h. a. perit. Ibi n. 15.	
5468	Imp Cæs Valentinianus Aug tr,	1207		II	Leonis 15 et 16.	455
☉ 16	p. 30, 31 cos. VIII, necatur in	1208		III	Imp Marcianus Aug tr. p. 5, 6.	
● 19	campo Martio per Maximum ; qui		C		Cos frustra Legationem adornat ad Gensericum pro Italiæ securitate, et libertate Augustarum. De Genserici præda Romæ collecta per dies XIV. S. Leone cladem deprecante et sæviora damna, vide Procop de bello Vand Evagr lib II, c. 7. Ruinart de pers Vand p. 2. c. 6, n. 9, et pag Sen ad h. a. et notas infra pag 161.	
B	Imperium invadens Eudoxiæ vim					
Indict VIII	infert. Hæc ex Africa Gensericum					
et IX	evocat qui Roma potitus prædatur, et Judaica vasa ex Hierosolymis huc advecta olim per Vespasianum et Titum in Africam transfert. Ex Prospero, Idacio, Theophane, etc. Vide Pagium.					
	Avitus ab exercitu Gallicano acclamatur Aug.				Marius episcopus Aventicensis ab h. a. suum Chronicon auspicatur.	
	Coss Valentinianus Aug VIII. Anthemius.					
	Vetus inscriptio in hort. S. Sabinæ apud Gudium, et Relandum. Epistolæ S. Leonis 112, etc, de quibus Pagius Sen h. a. num 13 Victorius in Præfat Pasch Festi.		D			
5469	Impp Cæss Marcianus Aug tr. p.	1208		III	Leonis 16 et 17.	456
☉ 17	6, 7, cos.	1209		IV	Marcianus Avitum imperatorem agnoscit consortem imperii. Idacius in chron.	
● 1	Et Avitus Aug tr. p. 1, 2, cu-					
A G	jus consulatus cum Eparcho me-					
Indict IX	moria superest in 2 lapid Rom. Vide Reland.					
et X	Coss Varanes. Joannes.					
	Vetus inscriptio apud Fabrett Inscript pag 758, *post hos coss* v. *Id. Majar die Solis* posita anno				Gensericus non tantum in Africa et Sicilia, verum etiam in complures provincias Orientalis et Occidentalis imperii post obitum Valentiniani irrumpens vastat. Vict Vitensis. Gensericus Catholicos vexat in	

mi r. et d.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta,*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	sequenti : l. 25, C. de Episc et Cler etc apud Reland.				Africa. Victor Maximo Antiocheno episcopo mortuo succedit Basilius Orthodox epist Syrorum ad S. Leonem.	
	Childericus quartus Francorum Rex h. a. Meroveo mortuo succedit. Theodosius Gothorum Rex Avitii Imperatoris hortatu Hispanias ingreditur Rechiarium ad ultimos Gallæciæ fines fugat. Bracharam capit, et sacra omnia diripit, et morte Rechiarii Suevorum Regnum in Hispania exstinguit. Idacius.				Jordanus apud Petav h. a. refert Theodoricum Suevis permississe, ut gentis suæ Regem eligerent : qui Remismundum optarunt.	
			B			
70 18 2 ict x xi	Imp Cæs. Marcianus Aug tr. p. 7, 8, cos qui obit prid Kal Maii succedente LEONE, cujus accedente consensu MAJORIANUS Ravennæ Augustus salutatur. Coss Constantinus. Rufus	1209 1210		*Olym* 308 iv *et* 309 i	Leonis 17 et 18. Gensericus Eudoxiam cum Placidia filia Olybrii conjuge remisit Theoph Evagr l. ii, c. 7. Avitus tertio anno quam a Gallis et Gothis imperator factus fuerat Gothorum auxilio destitutus imperio et vita caruit Idatius. At Idatius, aliique nec integrum annum imperio ejus attribuunt Hist Miscell eumdem Placentiæ episcopum creatum narrat abdicato imperio Petav,	457
	L. 8 et 9, C. de hæreticis. S. Leo epist 7 et seqq. et lapis apud Fabrett pag 577, ubi notatur his coss natus Paschasius per dies Paschales prid Non Aprilis die Jovis. Ais coss Canonem suum Paschalem edidit Victorius Aquit computans a duobus Geminis ad hos coss Constantinum et Rufum annos ccccxxx inclusis extremis. Suevi Lusitaniam ingressi Ulyssiponem occupant. Idac.		C		Ægyptii hæretici Marciano mortuo tumultuantur. Horum signifer Timotheus Ælurus ex Monacho Presbyter Alexandrinus præstigiis suis Monachos in Proterium commovet, et Ælurum intrudi suadet. Theoph Liberatus. Vide Pagium in notis ad S. Leonem num 34.	
71 19 3 ict i xii	Impp Caes Leo Aug tr. p. 1 et 2. Et Majoribus Aug tr. p. 1 et 2. Coss Leo Augustus. Majorianus Aug. Novell Majoriani tit 7 et l. 15, C. de re milit aliæque apud Relandum. Epistolæ sancti Leonis 77, aliis 131, 132, etc.	1210 1211		i ii	Leonis 18 et 19. Leo imp ab episc orbis super Chalcedoden. Concilio concordes accipit epistolas. Marcell Evagrius.	458
	Eclipsis Solis v Kal Junias ab Idatio indicata Feria iv, ab hora iv, ad vi, quam Petavius Romæ digit 8 supputat.	♉	D		Anatolio episcopo Constantinopolitano decedenti succedit Gennadius. Theod Lect Caron et Pagius Sen n. 8.	
	Childericus Rex a Francis ejicitur, qui Ægidium Romanum comitem Militiæ Magistrum Regem salutant. Ibi ex Greg Turon et Aimonio.				Anastasius fit Hierosolymorum episcopus. Cyrill et Euthymius apud Petav.	
					Timotheus Ælurus Proteriumin Baptisterio necat prima die Paschatis, et Cyrilli scripta depravat. Ibi ex Theoph et Evagr l. ii, c. 8.	
					Euthalius Diaconus primum, deinde episcopus Sulcensis editus a Laur Zaccagnio, opus suum in epistolas Pauli hoc Consulatu absolvit : ad quem numerat ab ad-	

Anni Periodi Jul et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	A Ch
					ventu Salvatoris annos CCCCLXII Pag.	
5172	Impp. Cæss Leo Aug tr. p. 2, 3.	1211		II	Leonis 19 et 20.	4
☉ 20	Cos.	1212		III	Leo Proterii nece cognita Cæsarium mittens cædis illius particeps abscissione linguæ multavit, Timotheum vero Episcoporum judicio reliquit. Petavius ex Theoph.	
☾ 4	Et Majorianus Aug tr. p. 2, 3.					
D	Cos.					
Indict XII	Coss Fl. Ricimer Occid. Patricius Or.					
et XIII	Vet inscript Rom subt, tom II, p. 693, et Reines p. 976, et l. 4, C. de summ. Trinit etc, apud Reland Epistola S. Leonis 80, de qua vide in notis ad Leonem M.		B		Constantinopoli Concilium celebrantur in quo Chalcedonensis Synodus confirmata et Ecclesiastica disciplina constituta. Balsam in Nomoc. Acacio Antiocheno mortuo sufficitur Martyrius. Niceph chron.	
5173	Impp Cæss Leo Aug. tr. p. 3,	1212		III	Leonis 20 et 21	4
☉ 21	4. Cos.	1213		IV	Timotheus Ælurus interfector Proterii episcopi Chersonam relegatur : et post menses quinque in episcopatu Alex eidem sufficitur Timotheus Solofaciolus Conc. Chalcedon defensor. Victor Tun Epistolæ S. Leonis 99 et 100. Theophan. Vide Pagium Jun in S. Leone num 36.	
☾ 5	Et Majoribus Aug tr. p, 3, 4.					
C B	Coss Apollonius Or.					
Indict XIII	Magnus Occid. L. 11, C. de Advoc divers jud					
et XIV	etc. ap Reland et S. Leo epist 99 ad 103. Maldias Suevis imperans jugulatur. Succedunt Frumarius et Remismundus. Hispanis Theodoricus Nepotianum Mag Militiæ, et Sunericum comitem præfecit. Idatius.		C		Eudocia Theodosii relicta moritur Hierosolymis, cum opera SS. Euthymii et Simeonis Stylitæ resipuisset ab hær Eutych in quam ad tempus prolapsa fuerat. Cyrill et Niceph.	
5174	Imp Cæss Leo Aug tr. p. 4, 5.	1213		*Olym*	Leonis 21 et 22. Hilari 1.	
☉ 22	Cos.	1214		309 IV *et* 310 I	S. Leo M. obit 3 Novembr dep x Nov. Vacat Sedes dies 17, succedit S. HILARUS ordinatus 12 Novembris die Dominica. Vide notas ad Hilarum.	
☾ 6	Et Majorianus Aug. tr. p. 4, 5.					
A	Cos.					
Indict XIV *et* XV	Coss Fl Severinus Occid. Daglaiphus Or. Vetus inscript Nolana in Præf tomi I n. 26, circa finem et epist XI, lib. I. Sidonii Apoll et Concil Turonense I. Vide Pag Sen ad h. a. Majorianus Aug a Ricimere occiditur : qui ann superiori adversus Vandalos bellum parans dissimulato habitu legati specie ad Gensericum in Hisp profectus fuerat. Procop de bell Vand lib I.		D		Majorianus Augustus a Ricimere Patricio occiditur prope Dertonam die 7 Augusti ex chronographo per Cuspinianum edito et per Onuphrium observato. Vide Pag Sen ad h. a. n. 2. In ejus locum levatur imperator Ravennæ 19 Nov. LIBIUS SEVERUS. Ibi. Hoc anno 64 post obitum S. Martini Turonensis episcopus ordinatur Perpetuus : a quo Greg Turon lib X, hist Franc c. 31, ordinata esse affirmat jejunia et vigilias per anni circulum.	
5175 ☉ 23 ☾ 7 *G* *Indiet.* XV *et* I	Impp Cæss Leo Aug tr. p. 5, 6. Cos II.	1214 1215		I II	Hilari 1 et 2. Studius Patric. Monasterium ce-	4

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U.C. ante et post Pahl.*	A	*Anni Olymp. et* XI	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Et Libius Severus tr. p. 1, 2. Coss. Leo Augustus II. Libius Severus Aug. Vetus inscript ap Fabrett pag 757. S.A Hilari epist v, et Leontii Arelat ad Hilarum papam. Eclipsis Lunæ VI. Nonas Martii Fer VI. Idat.	—			lebre condit CP. in quo Acœmetas monachos transfert : ubi Studitæ deinde dicti sunt. Theoph. Antiochia Isauriæ terra dehiscente mergitur, piis aliquantis relictis. Idatius.	
5476 ☉ 24 ☾ 8 F Indict I et II	Impp Cæss Leo Aug tr. p. 6, 7, coss. 2. Et Libius Severus Aug tr. p. 2, 3, cos. Vivianus. Coss Basilius qui et Fl. Cæcina Basilius Apud Sidon Apoll lib I, ep. 9. Inscriptio Paschalis apud Fabrett 577 et Noris ad Fast coss pag 53 ex qua hoc anno celebratum est Pascha 21 Aprilis. Vide supra ad ann 457, I, 12, C. de advoc. Victorius Aquitanus rogatu Hilari Papæ Cyclum Paschalem annorum 532 edit. Vide Petavium.	1215 1216	B	II III	Hilari 2 et 3. Petavius adnotans Theophanem h. a. numerare Mundi 5956. Christi 456, qui est Æræ communis 463, refert Petrum Cnapheum Zenone duce Orientis sibi conciliato, Apollinaristas quosdam contra Martyrium Antiochenum Episcopum concitasse. Martyrius a Gennadio honorifice exceptus CP. Antiochiam dum redit, tumultuantem populum videns, sedi renuntiat. Petrus ejusdem invasor ab Imp in exsilium pellitur.	463
5477 ☉ 25 ☾ 9 E D Indict II et III	Impp Cæss Leo Aug tr. p. 7, 8, coss 2. Et Libius Severus Aug tr. p. 3, 4. Cos. Rusticus. Coss Olybrius qui et Fl. Anicius Olybr. Vetus inscriptio in S. Sabinæ Fabrett, pag 567. Solis defectio die 20 Augusti Constantinopoli digit fere 6 ab Idatio memorata : de qua Petavius. Childericus per octennium a Francis expulsus Regno suo restituitur. Vide Pag Sen h. a. n. 9.	1216 1217	C	III IV	Hilari 3 et 4. Olybrius Romam missus a Leone Imperatore, ducta uxore Placidia, invitus a Romanis coronatur. Chron Pasch ad h. a. retulit una cum Consulatu. Sed trimestre Imperium Olybrii differendum est ad ann 472. Vide infra. Beogor Rex Alanorum a Ricimere occiditur apud Bergomum. Cassiodor. In eo defecit Alanorum Principatus inter Ligerim et Rhodanum. Obitus S. Simeonis Stylitæ h. a. signatur a Chron Pasch.	464
5478 ☉ 26 ☾ 10 C Indict III et IV	Impp Cæss Leo Aug tr. p. 8, 9, coss II. Et Lib Severus Aug tr. p. 4. 5, cos qui Ricimeris Patricii dolo veneno interimitur. Interregnum post ejus mortem anni et aliquot mens ex Cassiod. Coss Fl. Basiliscus. Hermineric. Vetus inscript. Fabrotti 567 Montfauc Diar Ital p. 161. Concil Rom et epistola Hilari Papæ. Vide notas ad Leonem M. Gensericus valida classe oras Italiæ et Græciæ populatur. Quin	1217 1218	D	*Olym.* 310 IV *et Ol* 311 I	Hilari 4 et 5, qui Concil Romæ celebrat. Vide notas infra ad Hilarum. Incendium CP. juxta chron Alex. Ægidius comes Gothorum ex insidiis moritur, qui post ejus obitum Romanas civitates occuparunt. Idatius. Childericus Andegavis pugnat. Odovacrius cum Saxonibus Andegavos venit, et magna clade populum devastavit. Ex historicis Francorum : quorum criterium vide apud Pag. Sen h. a. n. x.	465

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni ab U. C. ante et post Palil*	A *Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Annī Æræ Chris*
	et Alexandriam usque pervasit. Procop, lib 1.				
5179	Imp Cæs. Leo Aug tr. p. 6, 10,				
☉ 27	cos III.	1218	I	Hilari 5 et 6.	466
● 11	Vacat Imp Occid.	1219	II	Vortigerus Britannorum Rex in Occidentali parte Britanniæ moritur : cui sublegitur Cleri, Principum, ac populi suffragio *Aurelius Ambrosius* : cujus ad inaugurationem Concilium Cimbricum celebratur. Ex Concil. Angl. Pagius ad h. a. n. 7.	
B	Leo Aug III primum solus,				
Indict IV	Coss cui Tatianus Collega labente anno in Cons				
et V	additur.				
	Vet Inscript Rom subt tom 4, p. 418 et Reines 967 et l. 9 C de his q. ad Eccl confug.		B		
	Theodorico Gothorum Regi demortuo succedit *Evaricus* frater, qui, vastatis Hispaniis, in Gallias descendens Arvernum obsedit. Petav ex Isidoro et Sinodio. Pagius Senior refert ad annum proxime sequentem.			Natus est h. a. Clodovæus e Basina Thoringorum Regis uxore post divortium ducta a Childerico susceptus. Vide Petav.	
5180	Impp Cæss Leo Aug tr. p. 10,	1219	II	Hilari 6 et 7.	467
☉ 28	11, cos III.	1220	III	Leo Imp. Anthemium Patricium Romam misit, Imperatoremque constituit. Marcellin et Chron Pasch.	
● 12	Et Anthemius Aug tr. p. ex				
A	mense Aug.				
Indict V	Coss Busæus. Joannes.				
et VI	L. 17, C. de Collationibus.		C	Ricimer quippe Patricius Mag Militum cum Leone egit, ut Græcus Romam mitteretur Augustus, cujus filiam Ricimer sibi desponderet. Senatur item Legatos ad petendum Anthemium misit, et 8, ab Urbe milliario Augusto mense salutavit. Petav ex Sidon. Paneg et hist. Evagrii lib 2. c. 18.	
	Conimbrica a Suevis per dolum occupata et vastata. Idatius. Heraclius Flori Consularis filius, et Marsus Isaurus, contra Vandalos a Leone Imperatore missi Tripolim, aliasque Urbes expugnant. Quare Geisericus pacem petit et impetrat. Theophanes Procopius lib I.			Pestis in Urbe sævit, dum in ea Lupercalia celebrantur. Gelasius Papa in epistola ad Androm.	
5181	Impp. Cæss. Leo Aug tr p. 11,	1221	I	Hilari 7. SIMPLICII primus.	468
☉ 1	12. Cos III.	1222	IV	Hilaro vitam claudenti 21 Febr post vacationem Sedis dierum 3 succedit SIMPLICIUS ordinatus die Dominica 24 Febr. Vide notas pag 165 et 174.	
● 13	Et Anthemius Aug tr p. 1, 2.				
G F	Cos II.				
Indict VI	Cos Anthemius Augustus II,		D		
et VII	solus.				
	Inscrip Neap apud Fabrett, p. 757. D. habet Anthemio III. Cos videtur legenda Anthemio I T E rum Cos. Fortasse litteræ detritæ ansam errori dederunt in describendo.			Victor Tunon exordium Simplicii statuit sub cos Leonis IV et Anthemii II, sed legendum tantummodo Anthemii II sine collega ex legibus hic indicatis.	
	Cos. Anthemius Augustus II, solus legitur l. 15. C. de Episc aud et aliis pluribus apud Reland.			Leo classi navium mille contra Vandalos missæ Basiliscum præficit Verinæ Augustæ fratrem : qui victis Geiserici navibus pretio corruptus dicitur spe Imperii ab Aspare et Ardiburio Arianis, ut quasi victus fugeret Constan-	
	Arvandus Galliarum Præfectus majestatis Romæ damnatus in exsi-				

ii ul. d.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U C ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	lium mittitur. Cassiod. Chron. Sidon, epist, 7, lib 1.				tinopolim, a Verina Augusta liberatus relegatur Perinthum. Procop Niceph l. 15, c. 17.	
2	Impp. Cæss. Leo Aug tr p. 12,	1222		*Olymp.*	Simplicii 1 et 2.	469
3	13. Cos III.	1223		311	Caput Denzicis Hunnorum Regis Attilæ filii Constantinopolim	
4	Et Anthemius Aug tr p. 2, 3. Cos II.			IV *et*	est allatum. Marcellin.	
et	Coss Zeno. Fl. Marcianus.			312 I	Patricius Asparis filius a Leone Cæsar dictus Alexandriam mittitur ut ab Arii pravis dogmatibus	
II	L. 34. C. de Episc et Cler aliæque ap. Reland.		B		Asparem revocaret. Ab eodem Principe Zeno gener cum exercitu in Thraciam missus feliciter evadit Asparis insidias: ex quo Aspar suspectus Leoni redditur. Vide Pagium Sen ex Theophane hæc recitantem, et ad annum hunc revocantem Geiserici cladem anno superiori ex aliis Chronographis relatam.	
	Isidorus in hist. Suevorum postquam narravit Remismundum Suevorum Regem Corimbriam diripuisse, et Ulyssiponem occupasse, refert ab Ajace quodam natione Galata Ariana perfidia imbutos fuisse Suevorum Reges usque ad Theodemirum, qui, erroribus abjuratis, Catholicus fuit; quare silentur successores Remismundi usque ad ann 560, ab hist.					
3	Hisp. Vide Pagium Sen.					
	Impp. Cæss. Leo Aug tr p. 13	1223		I	Simplicii 2 et 3.	470
4	et 14. Cos III.	1224		II	Quindecennalia Leonis Imp h. a. consignat Pagius, licet ejus	
et	Et Anthemius Aug tr p. 3, 4. Cos II.		C		Consulatum IV eum aliis statuat anno sequenti.	
I K	Coss Severus Occid. Jordanes Or.				Gennadius Constantinopolitanus Episcopus Danielem Prophetam ex integro ad verbum commentatus est, et homilias multas composuit: et Pauli epist omnes exposuit. Marcelliuus, et cum eo Petav.	
3	L. 14. C. de sacr. Eccles etc. apud Reland.					
	Chronographus Victori Tununensi insertus perperam adscribit huic anno Arelatum et Massiliam occupatas a Gothis; cum ex Jornande ad ann 477, differendam Eurici dominationem ostendat Pagius n. xx anni 477.					
4	Impp. Cæss. Leo Aug tr p. 14,	1224		II	Simplicii 3 et 4.	471
5	15. Cos IV.	1225		III	Aspar cum Ardabure et Patricio	
6	Et Anthemius Aug tr p. 4, 5. Coss II.		D		filius, illo Patricio, hoc Cæsare, generoque Leonis Principis appellato Arianus cum Ariana prole spadonum ensibus in Palatio vulneratus interiit. Ex Marcellini chron et Evagrii hist l. 2, c. 15. Petavius, Pagius, et reliqui Chronologi.	
et	Coss Leo Aug IV Probanius.				Gennadio Constantinopolitano Episcopo decedenti succedit Acacius. Evagr Nicephor.	
K	Charta Cornutiana ex Archivo Tiburtino. Vide Prolegom pag XXXII et l. 13. C. de off rect prov aliæque apud Reland.					
	Item lapis effossus anno 1724, ad S. Pauli.					
15	Impp Cæs Leo Aug tr. p. 15,	1224		III	Simplicii 4 et 5.	472
5	16, cos IV.	1225		IV	Theophanes hunc annum notat mundi 5964 quo anno refert	
17	Et Anthemius Aug tr. p. 5, 6,				obsessam Constantinopolim ab	
A	cos II					

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U.C. ante et post Palil.*		*Anni Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*
Indict x	Coss Maximus Or. Faustus Occid.			Asparis factione, sed a Basilisco et Zenone repressos obsessores. Leo Olybrium Placidiæ virum imperatorem destinat : qui tamen ex morbo decedit.
et xi.	Vet inscript ad S. Pauli R. S. p. 519. Reines 982. Gruter 1057, 5. Epistola Simplicii papæ Jo. Raven ep in cod S. Crucis, p. 174. C. de advoc diversor judic.			Acacius CP. a Leone imp. extorquet privilegium secundæ sedis. Vide notas pag. 173.
	Anthemius imperator Romæ a Ricimere genero suo v Id. Julii *Fl. Anicius* Olibrius imperator antea appellatus confirmatur, sed perit mense septimo juxta Marcellin. Defunctus est etiam Recimer 18 die Augusti Cassiodor.			Eudoxia cum 16 annis cum Honorio vixisset ac filium Ildericum genuisset, clam profugit ad loca sancta, ibique mortua est. Theophan. Sidonius Apollinaris h. a. Arvernorum episcopus creatur Baron. et Petav. ex Sidonii epist. 1, lib. vi, aliisque. Pagius Sen. ann. seq. differt.
	Vesuvio ex monte cineres eructati Byzantium usque perlati sunt. Marcellin.		B	
5186	Impp Cæss Leo Aug tr. p. 16,	1225		*Olymp.* Simplicii 5 et 6.
♉ 6	17, cos v.	1226		312 Ostrogothæ, qui sub rege Walamir, ejusque fratribus Theodemir
♓ 18	Et ex iii Non Martii Glicerius			iv et Widemir degebant, occiso Wa-
G	juxta chronog Cuspiniani Ravennæ			*et* lamire sese diviserunt ; et pars
Indict xi	levatus est imperator ; juxta Marcellinum plus præsumptione,			313 1 eorum duce Widemir in Italiam contendit ubi Glycerius erat. Sed
et xii.	quam electione Cæsar. Vide Cangium CP. Christ et Pag. Sen.			Widemir ibi fatis concessit, relicto Widemir filio, quem ad vici-
	Et ex mense Martio Leo Junior Leonis ex Zenone Nepos declaratur Cæsar. Alii putant post obitum Sen. Vide Pag.		C	nos Vesegothas (nempe Occidentales) misit, quibus se adjungentes Gallias et Hispanias suo jure defendunt. Theodemir Illyricum aggreditur, moriturque successore relicto Theodorico. Jornandes.
	Cos Leo Aug x sine collega.			
	L. 6. C. de bonis, quæ liber, etc.			
5187	Impp Cæss Leo Aug tr. p. 17,	1226		i Simplicii 6 et 7.
♉ 7	cis. v.	1227		ii Zeno imperator ex 19 Januarii.
♓ 19	Et Glycerius tr. p. 1, 2, et			Saraceni Mesopotamiam, Hunni
F	Zeno ut infra, Julius Nepos ex			Thraciam incursant. Theoph. et
Indict	4 Junii.			Cedren.
xii	Et Leo Junior : qui Avo Leoni			Glycerius a Nepote Marcellini
et	Seniori vita excedenti mense Ja-			quondam Patricii Sororis filio
xiii	nuar (Cangius ex hist Græc) succedit, et Patrem Zenonem coronat,			imperio pulsus in Portu Urbis Romæ episcopus ordinatur. Marcell.
	sed morbo exstinguitur. Leo Jun eodem anno, Theoph Malala et Chr Alex		D	Per Epiphanium Ticinensem pacem ab Evagrio obtinet Julius Nepos imperator dictus a Leone Aug. et in Italiam missus ad expellendum Glycerium quod præstitit. Vide hist. apud Pagium h. a. n. 8 et seqq.
	Cons Leo Junior sine collega.			
	L. 11 C. de legibus, aliæque apud Reland et vetus inscript Mabillon de cultu SS. ignot edit Traject., p. 44, et alia Fleetvood pag 342, et Rom subt tom II, pag 419 ad Bas S. Pauli.			
5188	Impp Cæss Zeno Aug tr. p. 1, 2,	1227		ii Simplicii 7 et 8.
♉ 8	cos ii, expulsus a Basilisco ty-	1228		iii Theophanes refert Zenonem
♓ 1	ranno mox redux.			mortuo Leone fil. Basilisci fa-
E	Et *Jnlius Nepos* cui effugato v			ctione in Syriam fugisse. *Basi-*

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
Indict XIII *et* XIV.	Kal Sept. Orestes filium suum AUGUSTULUM substituit imperatorem prid Kal Novembris. Chron. Cuspiani. Cons Zeno Aug II sine collega. L. 29 C. de inoff test., etc apud Reland et Epistola S. Simplicii papæ ad Florentium, etc., data post cons Leonis Aug cujus antiquum exemplar in cod monast S. Crucis de Urbe. Augustulus ab Oreste Patre ad imperium promotus dicitur etiam Momillus. Jornand.				*liscus* in campo Cæsar acclamatus uxoris impulsu Timotheum Ælurum revocat, ac Petrum Fullonem : et Acacium CP. urgens ad damnandam Synodum Chalcedon. a populo impeditur. Evagrius lib. III. c. 4 Timotheus Solophaciolus Alexandria cedit. Ostrogothi Illyricum devastant Theodomire rege cum Theodorico fil. eos ducente. Pag. Sen. ex Jornande, aliisque h. a. n. 6 et seqq.	
5489 ☉ 9 ● 2 *D. C.* *Indict* XIV *et* XV.	Imp. Cæs. Zeno Aug. tr. p. 2, 3, cos. II. Et Augustulus decimo imperii mense expulsus ab ODOACRE, qui se *Italiæ regem* vocari mandavit. Coss Fl. Basiliscus II. Armatus. L. 28, C. de jur dot etc. apud Reland. Odoacer Herulorum rex a Nepoti fautoribus in Italiam accitus Romam obtinuit. Augustulum in Lucullano Campaniæ Castello exsilii pœna damnat. Ita Occidentale concidit imperium. Petavius ex Marcellino. Geisericus h. a. mortuus videtur, cum regnasset a capta Carthagine annos 39 juxta Procop. Succedit Hunericus. Ibid. Sed Pagius Sen. differenda hæc putat ad annum sequentem.	1228 1229	B C	III IV	Simplicii 8 et 9. Scribit Simplicius ad imperatorem de cohibendo Æluro. Vide notas ad Simplicium. Zeno Petrum Fullonem Basilisci fautorem in ordinem redigit, ac Pityos relegat : unde postea profugit. Attamen perfidia Armati proditus Basiliscus in Cappadociam relegatus, turri includitur, ubi fame periit. Procop I hist Vand. Timotheus Ælurus intrusus in thronum Alex a monachis pellitur. Theophanes. Liberatus cap. 16 asserit hunc sibi veneno necem conscivisse. Alexandrini in locum Æluri Petrum Moggum substituunt : quem Zeno expulit teste Liberato ac Felice papa. Epist 2 Petav. Pleraque ex his Pagius Senior referenda judicat ad annum proxime sequentem.	476
5490 ☉ 10 ● 3 *B.* *Indict* XV *et* I	Imp. Cæs. Zeno Aug tr. p. 3, 4, cos. II. Regis Odoacris in Italia 1 et 2 ex 23 Augusti. Cos. Nullus. Epistola Simplicii papæ ad Zenonem VIII. Id. Oct. et vetus inscript. Grut. 1051, 6 habet *Post Consulatum* iterum Armati : fortasse legendum erat P. C. [Basilisci deleto nomine] ITERUM et ARMATI et Fleetwood pag 378 eodem modo signatur l. 9, cod. unde vi, etc., apud Rel. Basilisco in ordinem redacto circa mensem Augustum, Zeno imperator Urbem regiam, et imperium recuperat. Ex Theoph et	1229 1230	D	*Olym* 313 14	Simplicii 9 et 10. Barnabæ apostoli corpus inventum in Cypro una cum Evangelio Matthæi pectori imposito : qua occasione Cyprus Antiocheno ex patriarchatu exempta fuit et Constantinopolitano attributa. Zeno, intrusis a Basilisco episcopis pulsis, Catholicos vel ejectos restituit, vel novos ordinari fecit. In primis Petrus Cnapheus Antiochia exactus est : et in ejus locum Stephanus subrogatus. Petav ex Cedreno et Theophane qui addit Stephanum in Laodiceno synodo innocentem pronunciatum qui a Cnaphei fautoribus, insimulatus fuerat hæreseos Nestorianæ. Pa-	477

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*An Æ Chr*
	Simplicii papæ epistolis a Baronio recitatis. Pagius n. 6 ad h. a. Zenoni auxiliatus legitur Theodoricus Amalus Italiæ rex in Panegyr. Ennodii n. 7.				gius Sen de Stephani Jun ordinat ad annos sequentes differendum censet, quem vide. Vide etiam notas Bencini, pag 171, et Pagii, p. 177.	
5191 ☉ 11 ☾ 4 *A.* *Indict* I *et* II	Imp Cæs. Zeno Aug tr. p. 4, 5, cos. II. Regis Odoacris 2 et 3. Cos. Illus Or. sine Collega. L. 11, C. de injur, etc., apud Reland et epistola Simplicii papæ ad Acacium. S. Lupus Trecensis obit Kal. Aug Petav cum annis 52 suæ Ecclesiæ præfuisset.	1230 1231	B	I II	Simplicii 10 et 11. Romana synodus a Simplicio ; Constantinopolitana ab Acacio celebratur. In utraque Petrus Fullo damnatur. Vide Pag Sen h. a., num 6 et seqq et notas Pagii Jun ad Simplicium.	47
5192 ☉ 12 ☾ 5 *G.* *Indict* II *et* III	Imp. Cæs. Zeno Aug tr. p. 5, 6, cos. III. Odoacris regis 3, 4. Cos Zeno Aug III sine Collega. L. 11, C. qui petant tutor et Epist. Simplicii P. C. Illi : ubi tamen Pagius legendum autumat P. C. Placidi nempe anno 481 scriptam. Theodoricum regem apud Græciam debacchantem deterret Sabinianus Illyricianæ militiæ Dux strenuus (narrante Marcellino) qui juxta Theophanem uxoris Asparis fratre genitus, et a Zenone defecerat.	1231 1232	C	II III	Simplicii 11 et 12. Stephanus Antiochenus episcopus [qui et senior] a Petavio et Evagrio lib III, c. 10, dicitur h. a. confossus acutis calamis a sectatoribus Fullonis. Pagius Sen. h. a, n. 3, contendit Seniorem Stephanum vitam produxisse ad 480, nec illum confossum a Fullonianis, sed Stephanum Juniorem, quemadmodum et ordinationem Junioris Stephani usurpatam ab Acacio ad annum 481 docet referendam.	47
5193 ☉ 13 ☾ 6 *F. E.* *Indict* III *et* IV	Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 6, 7, cos III. Odoacris regis 4 et 5. Cos Basilius Jun sine Collega. L. 22, Cod de Testam, etc., apud Relandum. Nepos, quem Orestes imperio abdicaverat, ejusdem comitum insidiis occiditur prope Salonas. Marcellinus. H. a. vel sequenti Clodoveus V. Rex Francorum iniit Petav. S. Benedictus nascitur. Ibi ex Leone Ost.	1232 1233	D	III IV	Simplicii 12 et 13. Urbs regia per XI dies continuos terræ motu quassatur VIII Kal Oct. Marcellinus. Sed Pagius ad ann 477 ex Theophane recensendum putat. Vide ibi n. 9. Hunericus Zenone et Placidia id agentibus permittit Carthaginensibus Afris, ut episcopum eligerent. Ordinatus est Eugenius. Victor Vit lib II.	48
5194 ☉ 14 ☾ 7 *D* *Indict* IV *et* V	Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 7, 8, cos III. Oloacris Regis 5, 6. Cos Placidus sine Collega. Memoratur hic Cons juxta Pagium in epistola Simplicii Papæ anno sequenti data post Consulatum Placidi.	1233 1234		*Olym.* 314 IV *et* 315 I	Simplicii 13, et 14. Stephano Sen succedit Stephanus Jun in Sede Antioch. Pagius in notis infra pag 177 Theodoricus Gothorum rex Triarii filius, qui ad quartum milliare Urbi Constantinopolitanæ cum copiis accesserat, jacentis	48

ni ul. d	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Hunericus in Catholicos, sed multo magis in suos desævit. Victor. Vit lib 2. Moritur Chilpericus Francorum Rex juxta Pag Sen h. a. n. 6.				supra carpentum teli acumine fixus interiit. Marcellin. Perozes Persarum rex hoc circiter anno in expeditione contra Nephtalitas sive Hunnos Albos perit. Pag Sen. n. 5, ex Agathia et Procop. Stephanus Sen Antioch Ep. obit ibi n. 6.	
5	Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 8, 9,	1234		I	Simplicii 14 et 15.	482
5	coss III.	1235		II	Simplicii ritus et decreta h. a.	
ł	Odoacris Regis 6, 7.		B		Vide in notis Pagii ad Simplicium. Stephan Jun Antiocheno occiso subrogatur Calendio orthodoxus. Ex epist Simplicii Papæ Pagius,	
et	Coss Severinus. Trocondus.				et ordinatur Constantinopoli.	
I	Epist 14, Simplicii Papæ, cujus antiqu exempl in Bibioth Monast S. Crucis de Urbe: et Concil Turonense I. Vide Pag h. a. num 27. S. Severinus Noric Apost h. a. obiit Pagius n. 29.				Theodorius Volamer [sive Amalus] utramque Macedoniam et Thessaliam depopulatur, et Larissam Metropolim deprædatur. Marcellin. Timotheo Solophaciolo episc, Alex demortuo succedit Joannes Catholicus, quem expelli mandat Zeno Imperator, et Henoticon evulgat.	
5	Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 9, 10,	1235	C	II	Simplicii 15, 16. FELICIS III. I.	483
5	cos III.	1236		III	S. Simplicius obit die 2, Martii. Vacat Sedes dies 5, Eligitur S. FELIX ejus nominis tertius ordinatus die Dominica VI Martii. Vide notas ad Simplicium. Et juxta Bencini notas synodum Romæ celebrat pag 182, in qua Petrus Cnapheus Antiochenæ Sedis invasor damnatur ut Eutychianus ac Theopaschita. Petrus Moggus Alexandrinus Ep. Henotico recepto in fide nutat, et fit Acephalorum sectæ occasio. Verinæ Augustæ litteris excitati Orientales Leontium Aug admittunt. Petavius ex Theophane.	
I	Odoacris Regis 7 et 8. Cos Faustus sine collega.					
et	Vetus Inscript Gruter 1062, 5, et					
I	Nolana in Præfat ad tomum I. hujus edit num quæ et apud Fleetvood p. 400. Theodoricus Rex Gothorum Zenonis Aug munificentiis pene pacatus, Magisterque præsentis militiæ factus, et cos design. Daciæ ripensis et Mœsiæ partes sibi concreditas tenet. Petav		D			
	Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 10,	1236		III	Felicis Tertii I et 2.	484
	11, cos III, qui Cæsarem creat *Basiliscum*.	1237		IV	Synodus III Romana sub Felice. Vide notas pag 187, 189, 191, col 2, et Jo: Talajam Ecclesiæ Nolanæ præficit. Petav ex Liberat. c. 18. Chron Pasch h. a. Zeno Imp Cæsarem creavit Armati Magistri Militiæ præsentialis filium *Basiliscum*. Mense Junio die 27, Indict VII, Leontius tanquam Imp Antio-	
	Odoacris Regis 8, et 9.					
et	Coss Theodoricus Rex. Venantius.					
	Vet inscript apud Aringhium 419, in Basil S. Pauli Fleetvood pag 456, Epist Felicis III, ad Acacium et I. 10. C. unde vi apud Reland. Evarix Gothorum Rex in Gallia					

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
	obit, succedente sibi Alarico filio, cum regnasset annos XX, Peta ex Victore et Concil Agathensi. Edictum persecutionis Hunerici datum VI Kal Mart quo anno Eclip Solis 13, Januarii. Vide Noris hist Pel l. 2, c. 21.				chiam ingreditur et Præf Præt Lilialum constituit. A Zenone Aug contra eum et Illum socium mittitur Joannes Scytha, a quo victi in castellum se recipiunt. Petav ex Theophane. Dira persecutio in Africa contra Catholicos ab Hunerico Rege excitatur mense Febr pulsis in exsilium plusquam 334 Episcopis. Obit Hunericus Id. Dec. Succedit Guntabudus. Noris hist Pel l. 2. c. 21.	
5198	Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 11, 12.	1237		*Olym*	Felicis 2. et 3.	48
☉ 18	Cos III.	1238		315	Quarta Synodus Romana sub	
☾ 11	Odoacris Regis 9, et 10.			IV	Felice contra Fullonem et Aca-	
F	Cos Symmachus sine Collega.			*et*	cium. Vide notas pag 187 et 191.	
Indict VIII *et* IX	Vetus inscript apud Aring tom II, pag 419, et Gruter 1057, 5, et Reines pag 982. Zenonis filius ad Imperii spem, sed pessime educatus, moritur. Petav ex Suida. Clodoveus anno V. regni sui Syagrium Suessionibus imperantem acie vicit, et ab Alarico Visigot. Rege ad quem fugerat, Clodoveo deditus occiditur. Ex Gregor Turon et Aimoino. Petavius.			316	In Insula Cypro Corpus S. Barnabæ Apostoli eo revelante detegitur: cujus ad pectus S. Matthæi Evangelium repertum Constantinopolim defertur. Petav. Sed de anno incertum intra triennium. Vide Pagium h. a. n. 2. Ex Antioch Throno pulso Calendione Catholico Petrus Fullo Sedem occupat, et Xenajam servum Persam Hierapolis Episcopum constituit, qui contra sacras imagines primus dogmatizavit Theoph in Miscell et Anast Diac in Synodo Nic II, Hierosolym Episcopo Martyrio defuncto succedit Sallustius. Petav. Pagius differt ad ann proximum.	
5199	Imp Cæno Zeno Aug tr. p. 12 13.	1238			Felicis 3 et 4.	49
☉ 19	Cos III.	1239		II	Joannes Antiochenæ Ecclesiæ	
☾ 12	Odoacris Regis 10, 11.				Presbyter contra Eutychianos scribit Marcellin quem Gennadius de	
E	Coss Decius.				viris ill c. 93, Nestorianismi sus-	
Indict IX *et* X	Longinus. Vetus inscript in S. Martini de Montibus, cujus modo fragmenta supersunt in pavim. Integra legitur apud Fleetvood p. 458, et Reland ad ann 472, 480, et leg 14, C. de testibus, aliæque ibi.				pectum habet, observante Petavio. Clodoveus Chlotildem Chilperici Burgundi filiam uxorem ducit, cum Theodoricum ex concubina jam suscepisset. Ibi ex Greg Turon.	
5200	Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 13, 14.	1239		II	Felicis 4 et 5.	4
☉ 20	Cos III.	1240		III	Quintum Concilium Romanum	
☾ 13	Odoacrir Regis 11 et 12.				sub Felice III, Boethio V. C. cos.	
D	Cos Fl. Boethius solus.				Vide notas ad Felicem III.	
Indict X *et* XI	Aringh lib 4. Rom subt pag 169, et Reines 920, et Fleetvood pag 410, et 514. et Concil Rom h. a. et l. 5, C. de fruct et lit expens.				Theodoricus Gothorum Rex Zenonis Aug nunquam beneficiis satiatus prope Constantinopolim infestus accessit et pluribus locis	

Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.	*Anni U. C. ante et post Palil*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
Guntabundus Rex Vand. S. Eugenium Episc Carthag revocat ab exsilio. App ad chron. Prosp Noris hist : Pelag lib 2, c. 21.				igne crematis in Moesiam rediit. Marcellinus et Suidas. Odoacer in pugna Pebanum Regem Rugorum prope Danubii ripas vincit, et captivum adducit XVII. Kal Dec Cassiod. Vide pag ad h. a. n. 3.	
Imp Cæs Zeno Aug tr, p. 14, 15.	1240		III	Felicis 5 et 6.	488
Cos III.	1241		IV	Acacius moritur juxta Petavium h. a. juxta Pagium vero qui sequitur Victorem Tunonensem, anno proxime consecuto Flavitta successor trimestri spatio vita defungitur. Catholicus videri cupiens ad Felicem scribit; sed is cognita communione illius cum Moggo ejusdem Apocrisiarios non admittit. Petav. Calendio Philippis transfert Antiochiam reliquias S. Philippi Episcopi Ant et schism Ecclesiæ suæ post annos C. finem imponit Theoph.		
Odoacris Regis 12, et 13.		B			
Coss Dynamius. Sifidius.					
* Leguntur in epistola Felicis III, in cod Monast S. Crucis Romæ. Dynamius legitur apud Fabrett Inscript p. 528. Claudius Julius Edesius Dynameus V C et in I. Reinesius Ædesium Dynamium P. V. legit in vet inscript. Vide Reland. Theodoricus Rex, omnium suorum multitudine assumpta Gotorum, in Italiam tendit. Marcellin dicitur a Zenone persuasus, ut contra Odoacrem pugnet. Procop lib, I, ex quo Petav.					
Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 15, 16, cos III.	1241		*Olym*	Felicis 6 et 7.	489
Odoacris Regis 13 et 14.	1242		316	Flavittæ CP. Demortuo sublegitur Euphemius, qui Petrum Moggum detestatus Acacium expungere noluit, ideoque communionem Felicis Papæ non meruit. Niceph lib XVI, c. 19, Theophanes. Vide notas infra pag 201. Mortem tamen Acacii ad h. a. differendam, adeoque et successores docet Pagius ex Vict Tunon.		
Coss. Eusebius Or. Probinus Occ.		C	IV		
Vetus inscriptio in Basilica Sancti Pauli apud Aringh pag 419, et Fleetvood pag 457. Reines pag 982, et in Gudian apud Reland necnon ex l. 6, C. ad S. C. Trebellian.			*et Ol* 317		
Odoacer Rex Erulorum ad Isontium prope Aquileiam victus, et repetito certamine in campis Veronensibus magna strage deletus est. Cassiodor et Jordan. Sed vide Pag Sen ad h. a. num 3.			I		
Imp Cæs Zeno Aug tr. p. 16, 17, cos. III.	1242		I	Felicis 7 et 8.	490
Odoacris Regis 14, 15.	1243	D	II	Felix Papa S. Cæsarii Arelatensis Episc librum de gratia et libero arbitrio scriptum commendat. Gennad de vir illustr cap 86. Petav ad h. a. Synodus Lugdunensis post Arelatensem h. a. ab eodem consignatur. Vide Pag Sen ad h. a. ubi sectæ *Prædestinatianorum* originem narrat. Petrus Moggus h. a. obit Baronius, Pagius, Petavius ex Theophane. Succedit Athanasius pariter hæreticus. Ibi.	
Coss. Longinus II. Faustus Jun.					
Vet inscript Aringh Romæ subt lib 4 c. 25, et Spon. *Recherche des Antiquités de Lyon,* pag. 202. Mabillon ex charta Veneta p. 201 Fabrett inscript p. 757. Fleetvood p. 397, et 494, et Felicis Papæ epist. Theodoricus ad Abduam sive Ducam Fl. tertio certamine Odoacrem fundens eumdem compulit se					

Anni Per. Jul et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni C. U. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices. Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Ravennæ includere, ubi per triennium obsidetur.					
5204 ♍ 24 ● 17 *F.* *Indict.* XIV *et* XV.	Imp Cæs Zeno Aug. tr. p 17, 18, cos III. Anast. Imp ex die 18 April. Odoacris Regis 15, 16. Cos Olybrius Jun absque Collega. L. 4. C. de præscript 30, vel 40, annorum, etc. apud Relandum, et Concil Carpentoract. Vide Pagium Sen h. a. n. 21. Dicitur etiam h. a. Post Consulatum Longini bis et Faustini vet lap Lugdun apud Fleetvood p. 483. Imp Cæs ANASTASIUS ab Ariadna Zenonis Aug vidua maritus ducitur, et coronatur Imperator. Theophanes h. a. numerat ab Adamo 5999. secundum Alexandrinos 5983. Diocletiani 207. Incarnationis 483. Petav. Evagrius ab Augusti Imperio 532. Sed numeri sunt corrupti. Lydiat.	1243 1244		II III	Felicis 8 et 9. Chron Pasch sub hoc Consule habet; H. a. mense Xanthico, sive Aprili sanguinis fluxu correptus diem suum obit Zeno annos natus LXV, dies IX. Imperavit XLV. ANASTASIUS DICORUS coronatus mense Aprili Fer v. Majoris hebdomadæ Ind XIV, anno secundum Antiochiæ magnæ æram DXXXVII. Idem ex Malala. Concilium Carpentoractense. V. P. Sen h. a. n. 21. S. Patricius Hiberniæ primus Episcopus h. a. obit Petav Sed vide Pag Sen	491
5205 ♍ 25 ● 18 *E D* *Indict* XV *et* I	Imp Cæs. Anastasius tr. p. 1, et ex 18. April 2, cos. Odoacris Regis 16, 17. Coss. Anastasius Aug. Rufus. L. 3, C. de off quæstor et inscript vet Lugdun. apud Sponantiq Lugd p. 48, et Fleetvood in Sylloge p. 344, Gruter 1049. n. 2, Pagius diss hyp. p. 296, alius lapis in Vaticano impluvio collocat s. Anastasius Imp. ex Acephalorum et Hæsitantium secta liberum cuique Facit quæ velit amplecti. Petav ex Evag lib III, cap 30. Vide et Baronium, et Pag Sen h. a.	1244 1245	B C	III IV	Felicis 9, qui obiit 25 : Febr. Vide notas ad Felicem III. GELASIUS Successor eligitur ordinatus Kal Martii. Vide notas ibid. Longinus Zenonis demortui frater adversus Anastasium rebellat, a quo tamen captus relegatur Alex ubi ordinatur Presb. Isauri adhuc rebelles domantur per Jo : Scythan, Jo : Gibbum, et Diogenem protracto ad sexennium bello. Petav ex Theophane et Marcellino, Gelasius ad Episcopos Dardaniæ scribit, ut hæreticorum communionem vitent. Vide notas ad Felicem III.	492
5206 ♍ 26 ● 19 *C* *Indict* I *et* II	Imp Cæs Anastasius Aug tr. p. 2, 3, cos. Odoacris Regis 17, qui circa initium Martii occiditur a Theodoric , qui regnat in Italia ex d. v. Mart. Coss. Eusebius II. Albinus, seuAlbinus solus. Fabrett inscript pag 758. Cons Albini, et epistolæ Gelasii Papæ Albino V. C. cos. Ex Marcellino autem uterque. Odoacer Ravennæ obsessus paciscitur cum Theodorico ut pari jure ambo in Italia regnent: sed	1245 1246	D	*Olym* 347 IV *et* 348 1	Gelasii 1, et ex Kal Mart 2. Gelasius per Faustum Magistrum officiorum a Theodorico Rege ablegatum Constantinopolim, Græcos ad officium revocare studet, sed frustra : cum Euphemio Episcopo Constantinopolitano istud egit Græcorum objecta scriptis refellit, et contra Pelagianos fidem tuetur epist 5, 6, 7. Seditio Constantinopoli suboritur, in qua Anastasii Imp et uxoris statuæ dejectæ per urbem raptantur. Marcellinus. Perotzi Persarum Regis filius	493

Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.	*Anni U. C. ante et post Palil.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
a fœdifrago in convivio occiditur. Procop Cassiodor. Jordanus. *Theodoricus* Italiæ Rex Anastasii Imp amicitiam, et Regum proximorum Clodovei Fratris Alarici Wisgot et Sigismundi Burgund petit. Cassiod. Ep. I ex Jordan.				Zamasphes Cabade pulso Regnum occupat per quadriennium. Ibi. Contra Isauros Duces ab Anastasio missi prospere c nfligunt, interfecto tantum Conone, qui miles ex Episcopo effectus fuerat. Petav. ex Theophane.	
Imp Cæs Anastasius Aug tr. p. 3. 4, cos. Thodorici Regis 1 et 2. Asterius qui Turcius Rufus Coss. Apronianus. Præsidius. Vetus inscriptio in Tit S. Cæciliæ, et apud Fabrett p. 758, et alia in S. Pauli, et epistola S. Gelasii Papæ iisdem coss data. Asterii Consulis autographum in Virgilio Mediceo de quo Card Noris Cenot Pis dissert IV § 1. Clodoveus Francorum Regnum Sequanam usque dilatat. Petav ex Sigeberto.	1246 1247	B	I II	Gelasii 2, et 3. Synodus Romana, in qua Gelasius cum LXX Episcopis decernit de libris recipiendis a Catholicis aut rejiciendis. Idem Pelagium, Cælestium, et Julianum Eclanensem, eorumque libros configit, et Semipelagianorum scripta [Cassiani et Fausti Rejensis] rejicit tanquam apocrypha, Baron et Noris hist Pelag lib II cap 17. Sed confer cum adnotatis ab eodem Card. Norisio ad Cenot. Pis diss IV, § 1, pag 445, et a Pagio ad h. a. In cod vetus Monast S. Crucis signatur Decretum Asterio et Præsidio VV. CC. coss.	494
Imp Cæs Anastasius Aug tr. p. 4, 5, cos. Theodorici Regis in Italia 2 et 3. Coss. Fl. Viator, (aliis solus.) Æmilianus. Utrumque nominat l. 2, C. de bonor possess contr tab libert observante Relando. Acta Concilii Romani II, sub Gelasio *Fl. Viatore V. C. Cos* et epist Gelasii. Clodoveus Francorum Rex de Alamannis victor Clotilde Regina suadente a S. Remigio baptizatur cum militibus ter mille Gregor lib II, c. 3, et Aimoinus l. I, cap 19, apud Petav h. a.	1247 1248	C D	II III III	Gelasii 3 et 4. Synodus Romana II, celebrata Id Maii, in qua Misenus olim Apostolicæ Sedis Legatus, et Acacii communione infectus pœnitens reconciliatur. S. Eugenius Carthaginensis Episcopus pro fide exsul in Gallia obit Gregor Tur hist Franc l. II, c. 3. Euphemius Constantinopolitanus Antistes ab Anastasio Principe in ordinem redactus et in exsilium pulsus. Huic Macedonius suffectus est, qui Henotico subscripsit. Marcellin. Theophan Theodorus Lector, et Cedrenus, indicati a Petavio ad hunc annum.	495
Imp Cæs Anastasius Aug tr. p. 5, 6, cos. Theodorici Regis 3 et 4. Cos Paulus solus qui Frater Imperatoris, etc. L. 16, C. de testament milit etc. apud Reland. Alii appellant hunc annum *Post consulatum Viatoris*, ut apud S. Petrum inventus lapis, et a Schelestr relatus in Fastis (antiquit Eccl Tom I), et apud Fleetvood in Sylloge pag 421. Quatuor filii Gunderici Regis	1248 1249		III IV	Gelasii 4 et 5, qui obit 19. Nov cum sedisset ann IV, mens VIII, dies 18, ut in pluribus codicibus. Ex Anast aliisque a Pagio Jun recitatis. Deponitur apud S. Petrum die 21. Novembr. Eligitur Successor ANASTASIUS ejus nom II, die Dominica ordinatus 24. Novembr. Vide notas ad Gelasium. India Anastasio Principi Elephantum et duas Camelopardales pro munere mittit. Marcellin. S. Epiphanius Ticinensis Epi-	496

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U.C. ante et post. Palil.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*
	Burgundiorum inter se dimicant. Vid ap. Pet h. a.				copus obit. Ennodius. Conversionem Clodovei ad Christum h. a. consignat Pagius : quam Petav retulit anno superiori et Baron post triennium. Vide notas ad Gelasium.
	Guntabundus Rex Vand obit 24. Sept Ex append ad chron Prosp Noris hist Pel lib II, c. 21. Succedit Trasamundus per annos 26, menses 8, dies 4. Ibi.				
	Imp Cæs Anastasius Aug tr. p.	1249		*Olym.*	Anastasii II, 1 et 2.
5210	6, 7, cos II.	1250		348	Sedente Anastasio II Papa infelix constitutio erat Principatuum,
♉ 2	Theodorici Regis 4 et 5.			IV *et*	quos regebant Principes hæretici,
● 4	Cos. Anastasius Aug II, sine		B	349	ut Anastasius Imp talis postea co-
E	Collega.			I	gnitus, Theodoricus in Ital Alaricus Visgot in Gallia, Gundebaldus
Indict. V *et* VI	L. 9, C. de repudiis, etc., apud Rel.				in Burgund Ariani, et Suevi, et si qui alii in Hispania. In Germania autem, et Britannia adhuc Pagani. De solo Clodoveo baptizato Anastasius gratulari potuit. Vide notas ad Anastasium. Legatos tamen misit ad Imp S. Germanum Episcopum Capuanum, et Cresconium Tudertinum, ut nomen Acacii abrogaret. Petav ad h. a.
	Eo cos Solis defectus apparuit, bellumque Isauricum sexto anno sedatum. Athenodorus, sive Antenodorus Isaurorum primus in Isauria captus, decollatusque est. Marcellin et ex eo Lydiat. Sed vide Pagium Sen anno sequenti 498, cui in Eclipsi Solis ex Marcellin signandæ contestis. Petav.				
	S. Eleutherius Tornacensis episcopus plusquam XI millia h. a. ad Christum conversa exemplo Clodovei baptizat. Pag ad h. a. n. 4.				Mortuo Athanasio episcopo Alexandrino hæretico suffectus est
			C		Joannes eadem labe infectus. Ibi ex Liberato. Vide et Pag h. a. n. 3.
	Ambrosius Aurelius Britannorum rex moritur proditione filii. Succedit *Utherus* frater ex Florilego. Pagius ibi n. 5.				
5211	Imp Cæs Anastasius Aug tr. p.	1250			Anastasii II, 2 et 3, qui obit 4
♉ 3	7, 8, cos. II.	1251		II	die 17 vel 18 Novemb Successor
● 5	Theodorici Regis 5 et 6.				Symmachus ordinatur 22 Novemb. Vide notas ad Symmachum.
D *Indict* VI *et* VII	Coss Jo. Scytha Or. Paulinus Occ.				Ingens seditio Constantinopoli et multi in ea cæsi. Petav ex chron Alex Imperator nummos *Follares,* quos Romani *Teruntianos* vocant, usui populari cudit.
	L. 4, C. de legitim. tutel. apud Rel.				
	Festus quidam Senator Romanus a Rege Theodorico ad Anast Imp missus cum imperatori clam promisisset effecturum se, ut Anastasius Papa Henotico subscriberet ; cum in reditu ad Urbem percepisset obiisse Pontificem, corruptis pecunia compluribus e Clero contra Symmachum legitimum successorem eligi curat Laurentium. Pacis causa res ad Theodoricum refertur, unde origo usurpationum sæcularium. Vide notas ad Symmachum.		D		Ibi ex Marcellin.
					Macedonius episcopus Constantinopolitanus Urbis Monasteria quæ ab ejus communione recesserant cum Henotico subscribere detractarent, frustra sibi adjungere curat jussu Imperatoris. Præcellit constantia Virginum, Matronæ, et Sophiæ. Ibi ex Theoph.
5212					Palladio Antioch episc mortuo succedit Flavianus. Ibi.
♉ 6					
●	Imp Cæs Anastasius Aug tr. p.	1251		II	Symmachi 1 et 2. 49
C	8, 9, cos. II.	1252		III	Synodus Romana I, sub Symma-

ini Jul. Ind.	Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.	Anni U. C. ante et post Palil.	A	Anni Olymp.	Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.	
ict	Theodorici Regis 6 et 7.				cho adversus ambitum Pontificatus Kal Mart.	
II III	Coss Joannes Gibbus [al. solus.] Asclepius.				Anastasius aliquot tributa sustulit, inter quæ Chrysargyrum : et venationes amphitheatrales abolevit : et Magistratus venales esse vetuit. Petav ex Theophane et Evagrio lib II, c. 39, necnon ex Cedreno.	
	L. 25, C. de excus tut et l. 5, C. de silentiar utrumque coss exhibent not Reland solum Joannem chron Pasch et Marcellin. Concilium vero Romanum, et ep. 1. Symmachi Papæ hunc annum signant *Post Consulatum Paulini.*					
13	Imp Cæs Anast Aug tr. p. 9,	1252		III	Symmachi 2 et 3	500
5	10, cos II.	1253	B	IV	Synodum II Romanam sub Symmacho celebratam fuisse h. a Pagius docet ex Theodoro lectore ; et Anonymo Valesiano : in qua facta pax inter Symmachum et Laurentium antequam Theodoricus Romam veniret.	
7	Theodorici regis 7 et 8.				S. Fulgentius Romam venit ad limina Apostolorum, Petav ex Actis apud Surium, Saraceni Phœnicen et Syriam incursant. Idem ex Theophane.	
A ict	Coss Patricius. Hypatius.					
II IX	L. 43, C. de transact., etc., apud Reland. Ambo coss Orientales. Quare in Occid signatur annus : *Iterum post consulatum Paulini.* Vetus inscriptio in pavim Basil S. Pauli quam refert Aringhius Rom subt. Tom 1, p. 447, et Reines p. 964, et Reland.					
	Theodoricus cunctorum votis expetitus Romam advenit, ubi S. S. Q. R. munificentiam demeruit, et certam ad reficiendos muros pecuniam attribuit. Cassiod. Complures figlinæ in tectis eccles Urb aliisque ædificiis signantur *regnante D. N. Theodor. Felix Roma.* Vid Ciamp de sac æd. c. 9, p. 129.		C			
	Imp Cæs Anastasius Aug tr. p.	1253		*Olym.*	Symmachi 3 et 4.	501
	10, 11, cos II.	1254		319	Romæ Synodus habita in causa	
14	Theodorici Regis 8 et 9.			IV	schismatis a Laurentio concitati,	
6	Pompeius Or.			*et*	quam contraxit brevibus ac nitide.	
8	Coss. Avienus Occid qui Rufus			320	Petavius h. a. Indicendam duxit	
	Magnus Faustus Avienus.			I	Theodoricus de consensu ejusdem	
ict	Vetus inscript Lugdun apud				Symmachi, qui ultro subire volebat judicium. Verum Patres nil definire ausi primæ Sedis Antistite subinde schismaticorum,	
I	Reland et Fleetvood p. 495 et Acta					
X	Synodi Rom h. a et Epistolæ Symmachi Papæ iisdem coss.		D		ut videtur, factione impediti, urgente tandem Rege X Kal Nov damnato Laurentio secundum Symmachum sententiam dixerunt. Vide notas ad Symmachum. Pagius Synodum ad 503 differendam statuit.	
	Codex legum Burgundicarum a Gundebaldo Rege h. a. promulgatus juxta Pagium n. 3, qui et restitutionem Cabadis in Regnum Persarum ex Procopio et excursionem Bulgarorum [nomen antea inauditum] in Illyricum et Thraciam huic anno assignat.				Constantinopoli in tumultu ludorum theatralium causa tria millia civium occisa. Marcellin.	
					Cum Arabibus Saracenis pax ab Anastasio facta. et Reip tranquillitas restituta. Theophan.	

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C ante et post. Palil.*	Λ	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
5215	Imp Cæs Anastasius Aug tr. p.	1254		I	Symmachi 4 et 5.	502
☉ 7	11, 12. cos II.	1255		II	Romæ Synodus quarta sub Symmacho Palmaris dicta celebratur, in qua Odoacris quondam Regis Herulorum sanctio abrogata, quæ contra libertatem electionis Rom pontificis lata fuerat. Vide notas ad Symmachum ubi Pagius Junior patrui sententiam sequitur distinguentis hujus anni Synodum quam vocat Tertiam, a quarta Palmari	
☾ 9	Theodorici Regis 9 et 10.					
F	Probus.					
Indict X *et* XI	Coss. Avienus Jun qui Rufius Magnus Faustus. Avienus Junior.					
	L. 10, C. de collationibus, aliæque apud Reland ubi et Symmachi Papæ epist. Probo V. C. cos et Acta Synodi Rom Avieno V. C. Jun cos et inscript Reines p. 961 recitat antea editum ab Aringhio Tom I, Rom subt p. 338. Epistolam Symmachi Probo cos datam Pag refert num x, ann 513.		B		sub Symmacho quam differt ad annum proximum : nihil moratus characteres coss quibus signatur ; cum errore Librariorum id factum putet.	
5216	Imp Cæs Anastasius Aug tr. p.	1255		II	Symmachi 5 et 6.	503
5259 ☉ 23 ☾ 15 G Indict IX et X	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 19, 20, coss IV. Totilæ regis 5 et 6. Quinquies P. C. Basilii Jun. Novellæ Just 115. Concilia Heridense et Valentinum in Hispania h. a. celebrata ostendit Pagius num 10. Circa hujus anni finem, nempe XVI Kal Januar ingressum Totilæ in Urbem Romam statuit Pagius perpensis Marii Aventicensis, et Procopii verbis, unde alii ad sequentem tradunt	1298 1299	C	I II	Vigilii 8 et 9. Prid Id. Octobr P. C. Basilii Jun quinquies Indict X. apud Patras Achaiæ a Vigilio papa consecratur Episcopus Ravennæ Maximianus. Agnellus in ejus Vita p. 85, edit Bachini. Popularis seditio Constantinopoli ferme suborta tum ob edictum Trium Capitulorum, tum ob carnisprivium ante Paschalia festa maturius cœptum. Vide Noris de V Syn p. 24 et 25, et notas ad Vigilium.	546
5260 ☉ 24 ☾ 16 F Indict X et XI	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 20, 21, coss IV. Totilæ regis 6 et 7. * Sexties P. C. Basilii Jun * Inscriptio in Ardica S. Vitalis Ravennæ apud Agnellum edit Bachini p. 95, et Nolana a me descripta. Theodebertus rex Francorum obit. Regnat Theodelvadus. Pagius ad annum 552, n. 21. Totila Isaurorum fraude Roma potitus sub finem anni præcedentis ab eadem devastanda : litteris Belisarii permotus abstinet : et Romanos captivos in Campaniam	1299 1300	D	II III	Vigilii 9 et 10. Vigilius Constantinopolim ingressus VIII Kal Febr P. C. Basilii sexies (ex Auct Marcellini) paucos post dies arcet sacris Mennam Constantinopolitanum, et contra Acephalos licet patrocinio Theodoræ Augustæ fultos Decretum promulgat. Vide notas infra pag 280. Pollicetur se Tria Capitula damnaturum. Restituit pacem Mennæ in Natali Apostolorum. Vide Noris de Syn V. pag 27 et notas ad Vigilium et Pagium ad h. a. n. 5 et seqq.	547

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi*
	abducit. Belisarius Urbis acceptæ muros instaurat. Procop lib 3, c. 13. Vide Noris de syn V, pag 27, et notas ad Vigilium. Alboina rex Langobardorum bello petitur a Cunimundo Gepidarum rege. Sigebert.					
5261 ☉ 25 ☾ 17 *E D Indict* XI *et* XII	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 21, 22, coss IV. Totilæ regis 7 et 8. * Septies P. C. Basilii Jun. * Vetus inscript apud Fabrett p. 758, et alia a me descripta Terracinæ. Item ap. Reines p. 996, et Keland h. a. ubi et Justiniani Novell 38 et 127. Heruli Illyricum omne incursant: et Gepidæ Sirmium capiunt, et alia Dalmatiæ loca. Longobardi cum Gepidis pugnant, et in Norico quædam castella capiunt. Marcellin. H. a. sextum Heptarchix Anglo-Saxonicæ Regnum Northumbriæ scilicet exordium habuit. Pagius ex Malesinuriensi, aliisque hist n. 13.	1300 1301	B C	III IV	Vigilii 10 et 11. Mense Januario Patriarchæ Constantinopolitani nomen primo gradu motum est, Vigilio ei præposito. Theod ad h. a. Vide Noris de Syn V. cap 4. Vigilius indicit, et aperit concilium Constantinop et Judicatum emittit, in quo damnat Tria Capitula, salva reverentia in omnibus concilii Chalcedon. Huic judicato refragantur Afri, Illyrici, et fere omnes Occidentales. Vide Noris, ibi, et notas infra et Pagium h. a. et 547. Obit Theodora Augusta mense Junio. Acephalorum patrona, et totius tragœdiæ Trium Capitulorum auctrix, vel occasio. Noris ibi.	548
5262 ☉ 26 ☾ 18 *C Indict* XII *et* XIII	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 22, 23. Cos IV. Totilæ Regis 8 et 9. * Octies P. C. Basilii Jun. * Vetus inscriptio ad S. Apollinaris in Classe prope Ravennam VII. Id. Mrii Indict XII a me descripta Totilas sub finem hujus anni Urbem recuperat. Vide Pag ad ann seq n. 3. Theudi Visigothorum Rege interempto regnat Theudisclus Æra Hispan 86 anno Justiniani 23. Isidor juxta edit Grotii et Labbei, sed 22 juxta Pagium n. 7 anno superiori. Concilium Aurelianense V, anno 38. Childeberti Regis Indict XIII. Pagius.	1301 1302	D	*Olym* 331 IV *et* 332 I	Vigilii 11 et 12. Post Cons Basilii ann. VIII. Justinianus imp per diversas provincias regni sui omnes episcopos Tria Capitula damnare compellit. Victor Tun. Vide Noris de synod V, cap 4. Bellum Persicum minus feliciter geritur a Romanis a Petræ obsidione recedere coactis, et inducias cum Persis ad quinquennium pacisci. Vide Pag h. a. n. 3. Illyriciana synodus in defensione Trium Capitulorum Justiniano scribit. et Benenatum episcopum obtrectatorem eorumdem damnat. Vide Noris de syn V, c. 4 et Pagium h. a,	549
5263 ☉ 27 ☾ 19 *B Indict.* XIII *et* XIV	Partem Galliæ quam Gothi possederant Francis attribuit Justinianus ut eosdem a fœdere Gothico divellat. Pagius ex Procopio. Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 23, 24 Cos VI.	1302 1303		I II	Vigilii 12 et 13. Vigilius Rusticum et Sebastia-	550

Anni Per. Jul. et Ind.	Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.	Anni U. C. ante et post Pal.	A	Anni Olymp.	Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.	Anni Æræ Christi.
	Totilæ regis 9 et 10. * Novies P. C. Basilii Jun. Vetus inscrip Dedicationis Basilicæ B Stephani Ravennæ tertio Id. Decembr novies P. B. Basilii Jun. Vide Agnellum Bachini parte 2, pag 89, et epistola Vigilii III Kalend Maii Imp Justiniano anno XXIV, P. C. Basilii V. C. anno IX. Baron ad h. a. num 4. Sclavi Istrum trajiciunt, urbes capiunt, et in eas crudeliter sæviunt. Procop. Lechus Sclavus dicitur circa hæc tempora Poloniam occupasse. Calvis ex Polon hist.		B		num S. R. E. Diaconos damnat tanquam S. Chalcedonensi synodo adversarios. Vide Baron. Noris et Pagium h. a. n. 4 et et 5, et notas infra. Africani episcopi per summam temeritatem Vigilium excommuicant synodali sententia. Vict Tunun, tam hi Vigilii decreto quam Justiniani rescripto Illyriciani percelluntnr. Ibi. agitur de syn œcum. convocanda. Interim Mopsuestiæ habetur h. a. Vide Noris et Pagium ad h. a. num 9 et 10. Vigilius judicatum suum e manibus Mennæ recuperat. Vide Noris de syn v, in fin cap 4.	
5264 ☽ 28 ☽ 1 A ndict XIV et XV	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 24, 25, cos IV. Totilæ regis 10 et 11. Decies P. C. Basilii Jun. Edictum Justiniani de Tribus Capitulis, et libellus Cleri Romani ad eumdem pro Vigilio h. a. scrip. Vide Noris et Pag. Totilas liberatus timore Germani a Justiniano missi primum contra Sclavos (in qua expeditione diem clausit) ut subinde contra Gothos in Italiam veniret, libere agit, et in Siciliam profectus eam vastat, ingentique præda et frugum copia auctus in Italiam redit. Procopius, et ex eo Calvis ad h. a	1303 1304	C	II III	Vigilii 13 et 14. Occidentalibus episcopis ad synodum accedentibus Constantinopolim, Vigilius sine ipsis eam celebrare detrectat. Justinianus edicto suo Tria Capitula damnat. Vigilius, convocatis episcopis, ab apostol sedis communione suspensum declarat quemlibet qui damnationi præbuerit assensum. Indignatus imperator eumdem custodiri jubet; sed fuga elapsus Chalcedonem cum episcopis sibi adhærentibus pervenit. Vide Noris de Syn v, a pag 40, ad 48.	551
5 1 2 F ict V I	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 25, 26, cos IV. Totilæ regis 11 et 12 qui occiditur. Junio mense, Teia succedente. Undeciies P. C. Basilii Ju . Encyclica Vigilii data Nonis Febr imperante Domino Justiniano PP. Aug anno XXV. Post Cons Basilii anno XI. Vide Noris de Syn v. pag 49. Narses contra Gothos in Italiam missus feliciter pugnat non longe Ravenna fugato cæsoque Totila: cui Tejas successor a Gothis se Ticinum recipientibns datur brevi moriturus: in quo desiit Ostrogothorum Regnum in Italia. Urbem receptam instaurat Narses. Vide notas ad Vigilium.	1304 1305	D	III IV	Vigilii 14 et 15. Vigilii constantia tot experimentis probata suadet Justinianum, ut legatione ad eumdem missa cum jurejurando indemnitati Constantinop revocet. Nam citra pontificis Rom. assensum nihil firmum statui posse intelligebat, Redit Vigilius, et veniam postulantes Mennam, Theodorum, et Andream Ephes aliosque episcopos in gratiam et communionem recipit. Edictum revocat Justinianus. Mennas obit. Successor illi datur in sede Constantinopolitana Eutychius. Vide Noris. ibi a pag 49 ad 51, et notas ad Vigilium. Regales exuviæ Totilæ occisi Constantinopolim transmissæ.	552

Anni Per. Jul et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Romanis Cumas ac reliqua oppida recuperantibus. Procop. Vide Pag ad h. a. n. 10, 11 et 16. Agathias ex h. a. narrationem inchoat de rebus Persicis ubi desiit Procopius. Ibi num 13.				Armeniorum æra qua hodie utuntur h. a. cœpit ex 9 Julii fer 3. Vide Pag h. a., num 23.	
5266 ☉ 2 ● 3 *E* *Indict* I *et* II	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 26, 27, cos IV. Tejæ primus et postremus tum ipsius, tum Ostrogothorum in Italia. Duodecies P. C. Basilii Jun Acta Synodi v. Œc Constantinop II et Justiniani Novellæ 145, 146. Tejas frustra invitato ad societatem belli Theodebaldo Francorum rege a Romanis prope Cumas fusus occiditur circa Februarium. Procop in fine lib 3, de bello Goth et Agath.	1305 1206	B	*Olym* 532 IV *et* 333 I	Vigilii 15 et 16. Collatio I synodi V œcum. habetur die 4 Maii. Vigilius suum constitutum edit 14 Maii. Vide notas, p. 284 et 285. Octava et postrema collatio celebratur die IV Nonas Julias. Vide Norisium ex pag 65 ad 69. Vigilius paulisper cunctatus in approbatione actorum concilii decernenda illam tandem signavit anno sequenti. Vide notas ad Vigilium.	553
5267 ☉ 3 ● 4 *D* *Indict* II *et* III	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 27, 28, cos IV Post Cons Basilii Jun ter et decies. Constitutum Vigilii pro damnatione Trium Capitulorum et approbatione Concilii datum VII. Kal Martii Imp D. Justini no PP. Aug anno 27 et P. C. Basilii V. C anno 13, ex edit Baluzii. Vide Pagium h. a. n. 4. Theodebaldus Francorum Rex moritur. Hlotarius patruus ejusdem Patris et Regnum illius et uxorem accipit, quam subinde Sacerdotum monitu dimisit. Ibi num 7 et 8. Agile Rege occiso Athanagildum Visigothi in Hisp creant Isidor.	1306 1307	C	I II	Vigilii 16 et 17. Vigilius licet cum cæteris patriarchis non interfuisset appprobans gesta Concilii, damnat Tria Capitula, et permittitur regredi in Italiam. Verum in Siciliam cum pervenisset, dolore calculi ad extremum vitæ adducitur sub initium anni sequentis. Vide notas infra ad Vigilium. Quiescentibus Persis Justinianus Justino Germani filio regiones Colchicam et Armeniam cum pleno imperio tradit, quas ille vexat per Joannem Afrum duris exactionibus. Agathias.	554
5268 ☉ 4 ● 5 *C* *Indict* III *et* IV	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 28, 29, cos IV. Post Consulatum Basilii Jun quater et decies. Veteres nummi apud Cang Constantinopolis Christ Tab 26, et apud Mediob signant h. a. Justiniani XXIX. Hoc tempore Saxones iterum Hlotario rebellantes, cum ab eo peterentur hostiliter, eique pro satisfactione dimidium rerum suarum offerrent, idque exercitus Francorum refutans ex invito pu-	1307 1308	D	II III	Vigilii 17 et Pelagii primus. Vigilius Syracusis in Sicilia moritur die IX Januarii. Die Dominica 18 Aprilis ordinatur episcopus successor PELAGIUS. Vide notas ad Pelagium, ubi agitur de usurpatione a Justiniano attentata et inducta exemplo Gothorum in electione Romani pontificis, a qua Ecclesiam liberatam fuisse constat regnante Pippino.	555

Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
gnasset, magna ab eis cæde protritus fugæ præsidium petiit. Marcellin chron.					
Imp Cæs Justinianus Aug tr. p.	1308		III	Pelagii 1 et 2	556
29, 30, cos. IV.	1309		IV	Pelagius Legatis, et litteris a Childeberto Francorum Rege sibi transmissis super S. Leonis dogmatica et Fide Concilii Chalcedonensis respondit anathema dicens iis qui de Fide aliter sentirent quam in epistolis S. Leonis, et in Concil Chalced continebatur. Vide Pagium h. a. n. 7. Pax cum Persis constituta.	
Post cons Basilii Jun XV.					
Epistolæ Pelagii plures h. a. datæ apud Baronium, Binium, Labbeum, Pagium, quem vide.					
Bajoariæ ducatus h. a. instituitur, et fit dux primus Garibaldus. Turonensis lib IV, c. 9. Dicitur etiam rex Bajoariorum idem Garibaldus a Paulo diac., lib III de gest Langob. Vide Pagium h. a., n. 17		B			
Imp Cæs Justinianus Aug tr. p.	1309		*Olym*	Pelagius 2 et 3.	557
30, 31, cos. IV	1310		333	Pelagius annuit Childeberto Pallium de more petenti pro Arelatensi episc cum vicibus Apostolicis.	
Post cons Basilii Jun XVI.			IV *et* 334		
Epistolæ Pelagii ad Childebertum regem datæ h. a. XVI. P. C. Basilii. Vide Pag. Papyrus apud March Mafieum rei diplom., pag. 193.			I	Circa hunc annum ab Aquileiensibus schismaticis Synodus habita est contra Concilium v. Œcum. Pelagius Narsetem rogat, ut schismaticos coerceat, et Paulinum episcopum antesignanum captivum ad Justinianum transmittat. Vide Noris de Syn v. pag 82.	
Sindualdus Herulorum rex rebellis a Narsete vincitur et occiditur. Aimoin., lib II, c. 34. Hinc universam Italiam Justiniano recuperat Narses. Mediobard ad Occonem h. a.		C			
Initium regni Theodemiri in Hisp qui catholicam religionem ibi restituit. Vide Pagium ad ann 560, n. 3 et 4.					
Imp Cæs Justinianus Aug tr. p.	1310			Pelagii 3 et 4.	558
31, 32, cos IV.	1311		II	Pestis Constantinopoli grassatur a Febr ad Julium. Bulgari, seu Hunni, et Sclavi circa Thraciam irrumpunt, ac Tauricam Chersonesum : contra quos mittitur Belisarius. Theophanes, et Agathias	
Post cons Basilii Jun XVII.					
Vet inscript ecclesiæ Narniensis apud Baron h. a., et Gruter 1161. 8, et Fabrett 167. A. et A. Fleetvood, pag 576.		D			
Childebertus rex obit juxta Pagium h. a. cum regnasset annos 47 aut 48. Marius Avent.					
Imp Cæs Justinianus Aug tr. p.	1311		II	Pelagii 4 et 5.	559
32, 33, cos IV.	1312		III	Bulgari trans Danubium a Belisario repulsi. Agathias.	
Post cons Cons Basilii Jun XVIII.				H. a. Sancta Sira Virgo Seleuciæ in Mesopotamia nata Martyrio coronatur in Persidea quodam Præfecto. Pagius ex ejus vita ad h. a. n. 10.	
Justiniani Novell 141... et edict XI.				In sede Antiochena Domnino succedit Anastasius. Vide Pagium	
Absolvitur h. a. Cyclus Paschalis Victorii Aquitani annorum DXXXI ab æræ Christianæ 28, quo Christum Dominum passum asserit : quo et nos ducimus.					

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U.C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Ann Æra Christ*
	Vide Pagium h. a.				ad annum 561. n. 2. ex Theophane.	
5273 ☉ 9 ☾ 10 *D C* *Indict* VIII *et* IX.	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 33, 34. cos IV. Post cons Basilii Jun XIX. Bellum Britannicum in Armorica gestum h. a. probat Pagius, n. 3 anni 564. Concilium Bracarense in Hisp celebratur. Vide Pag ad h. a., n. 4, et ad ann 563, n. 4, et Baron ad ann sed.	1312 1313		III IV	Pelagii 3 qui obit die 2 Martii JOANNES III successor ordinatur Kal Augusti. Vide notas p. 264 et seqq. Hunnos ex Mœsia in Thraciam h. a. transisse scribit Mediob ad Occon et repulsos a Belisario. Vide Malalam.	560
5274 ☉ 10 ☾ 11 *B* *Indict* IX *et* X.	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 33, 35, cos. IV. Post cons. Basilii Jun XX. Octava quinquennalia imperii a Justiniano vivente Justino suscepti celebrata arguit n. 1 Pagius ex Circensibus a Theophane memoratis. Clotarius Francorum rex obit. Pagius, n. XI, et Henschenius de tribus Dagobertis, pag 13.	1313 1314	B	*Olym* 334 *et* IV 335 I	Joannis 1 et 2. Bulgarorum irruptionem in Thraciam, et excursum prope Constantinopolim, et Sergium Patricium ab iis captum, eosdem a Belisario repulsos trans Danubium h. a. post cons Basilii XX retulit Victor Tunun in Chron Pax ad annos L cum Persis h. a. constituta. Menander Protector in excerpt de Legat. Vide Pag h. a. n. 9 et 10.	561
5275 ☉ 11 ☾ 12 *A* *Indict* X *et* XI	Imp Cæs Justinianus Aug tr p. 35, 36, cos IV. Post cons Basilii Jun XXI. Francorum regnum quadrifariam divisium inter filios Clotarii. Sigebertus Austrasiam, Gunthranus Burgundiam obtinet. Cassiodorus circa hæc tempora Bibliothecas insignes instruxit in Monasteriis Scyllacensi a se constructo, et in Vivariensi. Vide Baron et Pag ad h. a.	1314 1315	C	I II	Joannis 2 et 3. Corpus S. Antonii eremitæ repertum cum maximo honore perducitur Alexandrinam, et in Basilica S. Joannis Baptistæ honorifice collocatur, Vict. Tunun. Magna Ecclesia S. Sophiæ Constantinopoli dedicata h. a. die 24 Decembris. Theophanes, et Agathias, ex quibus Pagius, aliique historici.	562
5276 ☉ 12 ☾ 13 *G* *Indict* XI *et* XII	Imp Cæs Justinianus Aug tr p. 36, 37, cos IV. Post Cons Basilii Jun XXII. Vetus inscriptio in crypt. Vatic quam habes infra in notis p. 299. Locus Marcelli subdiaconi regionis sextæ concess a Beatissimo Papa Joanne, etc dep P. C. Basilii V. C. ann XXII. Indict XI, [legendum XII] undecimo Kal Januari, Torrig pag 93 et Ciamp de sacr ædif p. 104.	1315 1316	D	II III	Joannis 3 et 4. Conjuratio contra Justinianum Constantinopoli suborta, de qua Theophanes, in discrimen adducit complures etiam innoxios : quos inter Belisarius. Verum hujus innocentia postmodum cognita honoribus restituitur, a quibus exciderat. Vide Pagium ad annum 561, n. 1, ubi ex characteribus Chronologicis a Theop indicatis ad h. a. referri demonstrat conjurationem.	563
5277 ☉ 13 ☾ 14 *F E* *Indict* XII *et* XIII	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 37, 38; cos IV. Post Cons Basilii Jun XXIII. Vetus inscript Romæ apud Panvin Fastos h. a. et Reines p.	1316 1317		III IV	Joannis 4 et 5. Julii mensis die 19. Patricius Belisarius prioribus cunctis dignitatum honoribus restitutus in gratiam quoque rediit imperatoris.	564

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	et charta plen secur Ravenn in supplem rei diplom. Mabillon Fl. Justiniano P P. Aug anno 38, post Cons Basilii anno 23, prid Id. Jul Indict XII. Gildas h. a. librum suum edit de excid. Britanniæ in quo historiam annorum 44 præcedentium scripsit. Vide Pagium n. 6, hoc anno.				Theophanes. Vi de Pagium ibi n. 5. Eustochius Hierosolymitanus episcopus, qui fuerat Macario superstite ordinatus, ejicitur : et rursum Macarius reformatur (h. e. restituitur). Victor Tunum et Evagr apud Pag quem vide ann. 561, n. 3.	
5278 Ⓣ 14 ● 15 D *Indict* XIII *et* XIV	Imp Cæs Justinianus Aug tr. p. 38, 39, cos IV, qui obiit XIV Nov et JUSTINUS Aug tr. p. Imp ex die 14 Nov. Post cons Basilii Jun XXIV. Vide Card Noris et Syn v. Œcum pag 86, ex inscript Romana. et legibus ea demonstrantem. Pagius quoque ad h. a, num 3 et 7, ostendit Justinum ex Curopalate Augustum a Joanne ex Scholastico Patriarcha coronatum die 14 Novembris Imperium suscepisse.	1317 1318	B	*Olym* 335 IV *et* 336 I	Joannis 5 et 6. II. a. mense Martio ind. 13. Patricius Belisarius Byzantii moritur. Theoph. Vide Pagium num. 5 ad ann. 561. Justinianus hujus anni initio edictum suum de incorruptibilitate Christi corporis emisit. Pag. ad h. a. n. 2, cujus causa Eutychius Patr. Constantinop. quod hæreticæ sententiæ subscribere nollet, expulsus est, et intrusus Jo. Scholasticus. Vide Noris. de Syn. v. pag. 91 et Pagium n. 2 ann. 563.	565
5279 Ⓣ 15 ● 16 C *Indict* XIV *et* XV	Justinus Jun Imp Aug ann 1 et 2, cos. Cum Tribunitiæ potest titulus tam in nummis, quam in inscriptionibus hac ætate exoleverit, ejusque loco anni Imperii in utrisque numerentur, sive consulatus perpetui Augg et nos annos eorumdem Imperii ita signabimus. Novella Justini Aug de divortio data XVIII Kal Octobr Chalcedone imperante D. N. Justino PP. Aug anno primo, Indict XV, ex edictione Pithæi. Vide pagium ad h. a. num 7.	1318 1319	C	I II	Joannis 6 et 7. Avarum legati circa finem Novembris anno præcedenti a Justino excepti, sed sine illis muneribus remissi, quæ superbe petere consueverant. Pagius ex Menandro in excerptis, et Corrippo ad h. a. n. 4 et 5. Turcæ quoque ad Justinum legationem adornant, ne Abares reciperet.	566
5280 Ⓣ 16 ● 17 B *Indict* XV *et* I	Imp. Justinus Aug. ann. 2, 3, cos. *Post consulatum Justini Jun. Aug. *Vetus inscriptio effossa in Exquiliis. Flora quæ vixit ann. V, dies XXVIII dep. sub die III Id. Aug. Ind, XV P. C. D. N. Justini PP. Aug. Dicitur etiam hic annus consulatus Justini annus secundus apud Mar. Avent et anno II dicitur in nummis CP. Christ. Tab. 27. Pessimo Justini Consilio Narses Italiæ reparator Constantinopolim revocatur. Unde non solum Bar-	1319 1320	D	II III	Joannis 7 et 8. Anno 2 consulatus Justini Jun Aug Indict prima. Hoc anno Narses ex Præp et Patricio post tantos prostratos Tyrannos, id est Baduillam, et Tejam reges Gothorum, et Bucelinum ducem Francorum, necnon et Sinderalem Erolum, Mediolanum, vel reliquas civitates, quas Gothi destruxerant laudabiliter reparatas, de ipsa Italia a suprascripto Aug remotus est. Mar Avent. Justinus Imp et Chosroes fœdera inter Romanos et Persas con-	567

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Ann Æra Christ*
	baris, sed et Venetis schismaticis animus crevit, ac paulo post nobilissima provincia, et Langobardorum bello, et schismaticorum dissidiis afflicta pessumivit. Noris. de Syn. v. p. 89.				stituta solvunt exeunte altero Imperii anno. Pag h. a. n. 6, ex Theophane.	
5281 ☉ 17 ☽ 18 *A G Indict* I *et* II	Imp, Justinus Aug ann 3 et 4, cos. Nummi veteres apud Cangium et Mediob signati ANNO III, ANNO IV. Chron. Pasch. Ind. I, post cons. Justini Jun Aug II, solius. Migratio Langobardorum e Pannonia Italiam versus sub Alboino h. a. refertur a Paulo diacono lib. II, cap 7, ubi narrat *egressos de Pannonia mense Aprili per Indict primam alio die post sanctum Pascha*, cujus festivitas eo anno juxta calculi rationem ipsis Kal. Aprilis fuit, cum jam ab Incarn. Domini anni 568 essent evoluti.	1320 1321	B	III IV	Joannis 8 et 9. Narses Sophiæ Augustæ Justini uxoris minis perterritus, et revocatus ab Italiæ Exarchatu, in quem Longinus successerat, Langobardos in Italiam vocat. Vide Norisium de Syn v, pag 89, et Pagium ad annum præcedentem num 5, et seqq qui recte admonent duos esse distinguendos Narsetes, et antiquos historicos ejus rei testes producunt. Pagius anno uno maturius quam Norisius statuit ingressum in Italiam, præcipue ex edicto Rotharis sive exordio legum Langobardicarum, quod refert n. 5, ad h. a.	568
5282 ☉ 18 ☽ 19 *F. Indict* II *et* III	Imp. Justinus Aug anno 4 et 5, cos. Ex nummis, ut supra, signatis utroque anno. H. a Alboinus Liguriam intrat Indictione III ingrediente tertio Nonas Septembris sub temporibus Honorati archiepisc. Mediol. Paulus diac lib II hist. Langobard. cap. 25 et Noris de Syn. v, p. 90, Levigildus adepto Hispaniæ principatu ampliare bello regnum statuit. Isidor. Chron.	1321 1322	C	*Olym* 336 IV *et* 337 I	Joannis 9 et 10. Justinus Imp per Tiberium Excubitorum Comitem in Thracia bellum genti barbarorum (Avarum) ingerit, et victor Tiberius Constantinopolim redit Abbas Biclariensis in chron adnotante Pagio ad h. a. num 4. Joannes Papa teste Greg Magno lib III, ep. 2, ab iis qui Urbium Antistites consecrabantur exigit ut in Synodum v, jurent voce et scripto. Vide Noris de Syn v, pag 89.	569
5283 ☉ 19 ● 1 *E. Indict* III *et* IV	Imp. Justinus Aug ann 5 et 6, cos. Ex nummis, ut supra. Novellæ Justini *de filii liberarum*, data Kal. Mart. Constantinopoli imp. D. N. Justino PP. Aug. anno V, P. C. ejusdem D. N. II de qua Baluzius in notis ad Capitularia regum Fr. p. 1255, citra ullam correctionem, nam annus quintus Justini a consulatu	1322 1323	D	I II	Joannnis 10 et 11. Apollinaris episcopi Alex obitum h. a. Baronius retulit : Pagius superiori una cum ordinatione Joannis successoris : quos vide. Justinus Imp Armeniam et Iberos Provincias Romanas facit, cum Persarum essent. Hinc bellum Persicum motum. Calvis ex Gerund Arabum historici h. a. Muhamedis Saraceni natalem referunt die 5 Maii Feria 2. Ibi.	570
5284 ☉ 20 ☽ 2 *D Indict* IV *et* V	ejus secundo h. a. labebatur. In Prov. Gallæciæ Miro post Theodomirum Suevorum rex efficitur Biclar. Vide Pagium n. 8. Imp. Justinus Aug. ann. 6 et 7, cos.	1323 1324		II III	Joannis 11 et 12. Marcarius II Patriarcha Hiero-	571

uni Jul. nd.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	Ex nummis signatis ANNO G et G I.				solym h. a. circiter obit. Succedit Joannes. Pagius h. a. num 4.	
	Hoc anno S. Gregorius Magnus Prætor Urbanus fuit. Vide Card. Noris. de Syn. v, p. 90 et 95.				Initium belli Persici vicennalis h. a. statuit Pagius ex Theophylacto l. III, c. 8, quod Persarmenii Romanis se tradidissent Gregorii Pontificatus (Antioch)anno primo, ejus scilicet qui in locum Anastasii dejecti suffectus est a Justino. Alias etiam causas pacis infractæ referunt ad Legationes ad Aretham regem Æthiopum a Justino, et ad hunc a Turcis missus. Ibi et anno sequenti num XI.	
	ALBOINI regni in Italia initium. Lues inguinaria in Gallia, et Italia. Marius Avent.					
	Alboinus Papiam occupat, et sedem regni ibi constituit. Ex Paulo diacono lib II, cap. 13. Pagius ad hunc ann. num. 2.					
	Laurentius Medioaln episc cautionem de v Synodo ad Joannem Papam mittit Noris de v Syn p. 90.		B			
5	Imp Justinus Aug. ann 7, et 8,	1324		III	Joannis 12 et 13.	572
24	cos.	1325		IV	Marcianus Magister Orientalis Militiæ et Imperatori conjunctus genere adversus Persas missus provecta ætate in Osrhoenam venit: transmisso Euphrate Barbaros repellit in regionem Arzanenam, et territos fugat. Ex Evagrio lib v, c. 8, et Theophane Byzantio apud Photium. Pagius ad h. a. referendum docet anno sup n. 7.	
3	Ex nummis inscriptis ANN VII et					
t	ANN VIII, apud Mediob et Cangium					
et	Constantinopoli Chron Charta ex					
	phylira anno VII. Justini PP. Aug					
1	et post cons ejus secund anno quarto Indict IV, die 3 Non Jun apud hæredes Deciani J. C. Imolensis, nunc apud Ill. Archiep Ancyranum Fontanini, de qua etiam Ephem, Venetæ erudit et March Maffens hist dipl p. 163.		C			
	Chariberto Francorum regi h. a decedenti succedit in Austrasia *Sigibertus*, in Neustria *Chilpericus*. in Burgundia *Guntramnus* Cointius apud Pag h. a. n. 4.					
5	Imp Justinus Aug ann 8 et 9,	1325		*Olymp*	Joannis 13, qui obit die 23	573
2	cos.	1326		337	Julii cum sedisset ann XI, mens	
4	Nummi veteres in quibus sculptum ANNO VIII, et ANNO GIII apud			IV *et* 338	XI, diebus XXVII. Vacat Sedes mensib X, diebus III. Vide notas ad Joannem III.	
t	Mediobard et Cang.			I	Marcianus ex Dura oppido contra Persas movens Nisibin tendentes eosdem cædit, et iterum Duras redit. Theophylactus l. III, c. 10, apud Pag h. a. n. 6.	
1	Præfectura Urbis a Magno Gregorio h. a. administrata est juxta Pagium ad h. a. et ad ann 584, num 3.		D			
	Dissensio inter Franciæ Reges exorta: quam avertere satagit S. Germanus episc Parisiensis per Brunchildem Reginam. Pagius ibi n. 7, Synodum IV celebrat Parisiis. Vide ann 576, n. 5.				Chosroes e contra Apamæam incendit in Cœlesyria, et rursus in Persidem revertitur. Ibi n. 7.	
I	De Paschatis celebrat dissident					
3	Hispani. Ibi n. 4.					
5	Imp Justinus Aug ann 9 et 10.	1326		I	Benedicti I, ex die 27 Maii.	574
	cos.	1327		II	Post vacationem Sedis ab obitu Joannis mensium X, et dierum III, eligitur BENEDICTUS, et ordinatur	
t	Ex veteribus nummis signatis ANNO X.					

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ, et documenta.*	*Anni U.C. ante et post Pal.*	A	*Anni Olymp*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*An Æ Chri*
	Decennalia Imperii Justini celebrata, in quibus idem Augustus mentis imbecillitate laborans suasu Sophiæ Augustæ die VII Septembr juxta Mediob Cæsarem creat *Tiberium Constantinum*, et Augustum, eique Rempublicam regendam tradit. Ex veteri lap Vaticano ad S. Angeli. Card Noris de Syn v p. 91, et Pagius ad h. a. num 6 et seq.				die Dominica 27 Maii. Vide notas ad Benedictum I. Persæ Duras capiunt, et Romani obsidionem Nisibis solvunt. Evagr lib v. c. 10, aliique apud Pagium h. a. n. 3. Samaritis privilegia adimuntnr a Justiniano concessa. Ibi n. x.	
5288 ☉ 24 ☽ 6 *F* *Indict* VIII *et* IX	Impp Justinus Aug ann 10 et 11, cos. Ex nummis antiquis signatis ANNO X et ANNO XI. Et Tiberius Constantinus Cæs Aug. Variæ Langobardorum excursiones per Italiam ex anno 570, ad hunc factæ, sacras ædes deformant, et spoliant, occisis sacerdotibus. Vide Pagium ex Gregor. Turon indicantem etiam ad h. a. num 2, in quo mortem Sigeberti regis Francorum statuendam ostendit.	1327 1328	B	II III	Benedicti 1 et 2. Induciæ triennales cum Persis constitutæ per Orientem, exclusa Armenia, in quam concurrunt arma utriusque Imperii Romani et Persici. Chosroes a Romanis funditur, qui progressi Persidem ipsam devastant, et 24 elephantos inter exuvias Persicas Constantinopolim mittunt. Vide Theophylactum et Biclariensem, ea de re productos a Pagio ad h. a. n. 6 et 7.	575
5289 ☉ 25 ☽ 7 *E D* *Indict* IX *et* X	Imp Justinus Aug ann 11 et 12, cos. Ex nummis ubi signantur ANNO XI et XII. Et Ti. Constantinus Cæs cujus nummi signantur inscript anno II et III. Distractis Persico bello Imperii viribus Langobardorum arma per Italiam novis acquisitionibus, et direptionibus dant operam. Vide notas ad Benedictum I.	1328 1329	C	III IV	Benedicti 2 et 3. Persæ contra pactas inducias triennales Constantinam, et Theodosiopolim adoriuntur, et Armeniam proximam devastant. Ex Theophylacto, et Menandro Pagius ad h. a. n. 6 et 7.	5
5290 ☉ 26 ☽ 8 *C* *Indict* X *et* XI	Jmpp Justinus Aug ann 12 et 13, cos. Et Ti. Constantinus Cæs ann 3 et 4. Lapis Vaticanus post Aringhium editus a Card Noris de Syn v, pag 86 ipso admonente continet notas complures chronologicas, cujus anni in depositione Boethii CL. P. OCT. KAL. NOBR. IND. XI. IMP. D. N. JVSTINO PP.	1329 1330	D	*Olym* 338 IV *et* 339 I	Benedicti 3 et 4. Eutychius ab exsilio Constantinopolim revocatur die 3 Octobris, post mortem Joannis Scholastici a Justiniano Imperatore in ejus sedem intrusi. Vide Noris de Syn v. pag 91 et seqq. Pagius confirmat n. 5, ad ann 578.	
5291 ☉ 27 ☽ 9 *B* *Indict* XI *et* XII	AVG. ANN. XII TIBERIO CONST. CAES. ANN. III, etc. Imp Justinus Aug ann 13, cos qui obit III Non Octobr ex Chron Alex. *Tiberius Constantinus* Justino	1330 1331		I II	Benedicti 4 et 5 Benedictus cum sedisset ann IV mens I et dies 28 obiit die 25 Julii h. a. depositus die 30 [ex Biblioth]	5

Anni Per. Jul. et Ind	*Imperatores, Consules, Romanorum res gestæ, et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	succedit, Augustus coronatus die 26 Septembris ab Eutychio Patriarcha jussu ejusdem Justini. Vide Cangium de famil Byzantinis in Tib Constantino. Dicitur etiam annus IV et V. Tib Constantini a Cæsarea dignitate adepta: quo labente centum millia Slavorum in Thraciam irrumpunt. Menander Protector p. 124. Vide Pagium n. 7, h. a.				Cessavit Episcopatus mens 3, d. 10 (Catalog Luc mens 3, dies 25) PELAGIUS II, electus successor ordinatur die Dominica 27 Novembr. Vide notas pag 305. Mauricius dux [qui postea Imperator] contra Persas missus eorum regionem devastat. Pagius h. a. n. 6, ex Theoph.	
5292	Imp Tib Constantinus Aug ann	1331	B	II	Pelagii 1 et 2.	579
28	V et VI.	1332		III	Dum agitur de pace Romanos inter ac Persas sancienda, moritur Chosroes, qui per annos 48 regnaverat. Hormisdas in regno successor superbe Legatos excipiens non alia conditione pacem a se datum iri respondet, quam si persolvantur pecuniæ omnes a Justiniano quotannis contributæ. Ex Theophylacto, et Menandro Pagius ad h. a n. 3 et seqq.	
10	Cos Tib Junior Constantinus					
A	Aug *qui amplum Consulare munus*					
dict	*in populum sparsit.* Theophanes.					
XII	Concil Gradense a schismaticis					
XIII	Aquileiensibus celebratum h. a. die 3 Novemb. hos characteres Chronologicos præfert: *Imperante Ser Ti Constantino Augusto anno ejus Imperii quinto eodem consule sub die tertio Nonas Nov. Indict XIII.* Vide Noris de Syn v. pag 97 et 100, ubi agit de translata Sede Aquileiensi Gradum.					
5293	Imp Ti. Constantinus Aug, cos	1332	C	III	Pelagii 2 et 3.	580
1	anno VI et VII, in nummis signato	1333		IV	Contra superbum Hormisdam expeditionem suscipit Ti. Mauritius: castra ad ripam Tigridis locat: Martinum ac Theodoricum immittit in hosticum solum, illud que vastat. Theophylact. Eulogius Patr Alexandrinus succedit Joanni. Pagius ad h. a n. 8.	
11	Dicitur etiam hic annus II con-					
G F	sulatus Tib Const Aug et aliter II,					
ndict	post consulatum Ti, Const, etc.					
XIII	Circa hæc tempora Ducatus					
XIV	tres, Marchionatus duos, et Civitatum duces 36, a Langobardis in Italia constituti. Vide Panvin antiq Veron l. V, c. 5, et Campellum hist Spolet. lib XI, pag 324, ubi ex Paulo Diac. lib III, cap 15. primum Spoletanum ducem Faroaldum memorat: et Camillum Peregr. lib II, ubi de Zottone primo duce Beneventanorum ex Paulo Diac. agit et Panvin primum Forojuliensem ducem Gisulfum tradit.		D			
5294	Imp Ti. Const Aug cos anno VII	1333		*Olym*	Pelagii 3 et 4	581
2	et VIII, ex nummis.	1334		339	Bellum Persicum iterum recrudescit, in quo Romani egregiam	
12	Hunc annum Petrus Notarius			IV	victoriam reportarunt, dum castra	
E	S. Ecclesiæ Neapolitanæ jussu Re-			*et*	Hormisdæ, et supellectilem ejus	
Indict	ducis Episc emendans Codicem			340	cum Elephantis capiunt, quæ Im-	
XIV	ita indicat emendari, *sub die Iduum*			I	peratori tantum reservata sunt:	
dIV	*Decembrium Imp Domino Nostro Tiberio Constantinopoli Augusti* [fortasse legendum, Tiberio Con-				cætera Militibus dantur. Calvis ex Zonara. Huic adde Theophy-	

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Palil*	A	*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
	stantino Augusto] *anno septimo, post consulatum ejus Augusti anno tertio, Indictione quintadecima, obsidentibus Langobardis Neapolitanam civitatem.* Mabillon Analect Tom II, p. 11, ex Codice ms. Biblioth San-Germanensis.				lac et Evagrium a Pagio productos ad h. a. n. 14. Sirmium Avaris a Romanis deditum. Ibi n. 15, ex Menandro Protect. pag 175. Marius episcopus Aventicensis, seu Lausanensis, qui subscripsit concilio Matisconensi II anno 585, h. a. Chronicum suum absolvit continuans Prosperi Chron. Pag. ibi, n 17.	
5295 ☉ 3 ● 13 *D* *Indict* XV *et* 1	Imp Ti. Constantinus Aug cos anno VIII, qui obit 14 Augusti, evecto prius ad Augustam dignitatem TI. MAURITIO, cui filiam Constantinam uxorem tradit. Sacra Pragmatica Tiberii ita signatur: *Data tertio Id. Augusti Constantinopoli, Imperatoris Domini Tiberii Constantini Augusti anno VIII, et post cons. ejus anno tertio, et nobilissimi Flavii Mauritii Felicissimi Cæsaris anno primo.*	1334 1335	B	I II	Pelagii 4 et 5. S. Eutychius Patr Constantinopolitanus obit 6 Aprilis, et post dies sex Joannes Diaconus, qui Jejunator dictus est, successor consecratur. Vide Pagium n. 6 et seq h. a. Chron Alex Cæsarea dignitate auctum Mauritium narrat die 5 Augusti, Ind XV, et coronatum Augustum die 13, et die seq mortuum TI Constantinum. Vide Pag h. a. num 9.	582
5296 ☉ 4 ● 14 *C* *Indict* I *et* II	Imp *Ti Mauritius* anno 1 et 2. Licet caruerit Consulibus hic annus, qui signantur in nummis, eum narrat Auctor Chron Alexandrin inscriptum fuisse: *Post Cons divinæ mem Ti. Constantini anno quarto.* Pag h. n. 1, sequens tamen annus in eodem Chron signatur: *Post Consulatum Ti. Mauritii Augusti solius* I. Quare consul Mauritius fuit Autumnum post h. a. Vide Noris. de Syn v. p. 93, ex Simocatta. Langobardi post necennium sub ducibus exactum regem creant *Autharim Veronensium ducem* mense Martio: de quo Panvinius ex Paulo Diac agit antiquit. Veron l. v, c. 8. Smaragdus Exarchus II, in Italiam mittitur. Panvin Fast ex Paulo Diac.	1335 1336	C	II III	Pelagii 5 et 6. Terræmotus atrox Constantinopoli diex Maii h. a. primo Ti. Mauritii memoratur a Theophylacto lib II, c. 12, et Theophane: qui addunt Legatos Avarum a Mauritio postulasse, ut annuæ ipsorum distributioni 80 m. alia 20; m. adderentur. Negante Imperatore hoc additamentum Avares bellum decernunt, Singidonem. Augustam, et Viminacium expugnant. Vide Pagium h. a. n. 14 et 15. Persecutio Ecclesiæ Catholicæ a Leovigildo rege Gothorum in Hispania. Ibi num 9.	583
5297 ☉ 5 ● 15 *B A* *Indict* II *et* III	Imp Cæs Ti. Mauritius anno 2 et 3, ex nummis idem Consul. Annus præsens in Chron Alex signatur post consulum Mauritii, ut card Noris observat de Syn v. p. 93, licet ejusdem consulatu fuerit insignitus. Ibi ex Simocatta, quod Pagius confirmat ex Theophylacto. Chilpericus Francorum rex h. a. occiditur. Ibi n. 16.	1336 1337	D	III IV	Pelagii 6 et 7. Circa hujus anni finem, vel sequentis initium S. Gregorius Pelagii Papæ apocrisiarius Constantinopoli Romam redit. Pagius ad h. a. n. 13 ad quem exstat Pelagii epistola ex Baronio num 15 data IV Non Oct Ind III Pag n. 13. Bellum Persicum continuatur. Ibi n. 15.	584

ni Jul. d.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U C ante et post Pal.*	A	*Annt Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Æræ Christi.*
8	Imp Ti. Mauritius Aug anno 3	1337		*Olymp*	Pelagii 7 et 8.	585
6	et 4, P. cos ejus 2.	1338		340	Theodosius filius nascitur Mau-	
6	Signatur hic annus in epitaphio			IV	ritio Aug ex Theoph Pag ad ann	
	Candidæ IV Id. Sept Imp D. N.			*et*	588 n. 9.	
ct	Mauritio PP. Aug anno IV. P. A.			341	S. Hermenegildi martyrium h.	
	ejusd ann II. Indict quarta. Baron			I	a. contigisse probat Pagius n. 2	
IV	in Martyr Rom ad diem 4 Sept.				et seq ad ann 584.	
	Reines p. 960, ex Capacio et Sum-				Hoc circiter anno S. Columba-	
	montio: de quo vide Pagium n.				nus monasticæ disciplinæ propaga-	
	1, h. a.				tor relicta Hibernia Insula in Gal-	
	Ebaricus filius Mironis Regis				liam venit, ut ex vetusto Codice	
	Suevorum in Gallæcia, et succes-		B		arguit Mabillonius, et cum eo Pa-	
	sor privatur regno ab Audica,				gius h. a. n. 5.	
	qui tyrannidem usurpat, Sed Au-				Childebertus Francorum rex	
	dicam h. a. expedit Leovigildus				ulturus necem S. Hermenegildi	
	Gothorum rex, ita deficiente in				cujus sororem duxerat, exercitum	
	Hispania Suevorum dominatu quod				in Hisp mittit: sed repellitur a	
	cœperat anno Christi 409. Vide				Reccaredo Leovigildi duce. Isido-	
	Pagium ex num 12. ad annum 582.				rus.	
9	Imp Cæs Ti. Mauritius Aug an-	1338		I	Pelagii 8 et 9	586
7	nos in nummis signat 4 et 5 P. Cos	1339		II	Pelagius ad episcopos Istriæ in	
17	ejus 3.				schismate perseverantes Trium Ca-	
	Autharis Langobardorum regis				pitulorum causa dat litteras, et	
ct	electionem h. a. Mauritii quarto				Legationem instituit, eosque ad	
	statuendum ex Abb Biclariensi in-				unitatem Ecclesiæ reduci curat im-	
r	tendit Pagius n. 2 et 3 ad ann				plorato Fl. Smaragdi exarchi auxi-	
	585.		C		lio: cum quo Langobardi inducias	
	Leovigildus rex moritur, succe-				statuerant formidantes Childeberti	
	dente Reccaredo. (Ex Biclar Pag				Francorum regis adventum cum	
	ibi n. 14) Qui Legatos de pace				validis copiis in auxilium Roma-	
	mittit ad Guntramnum Fr. Regem				norum. Ex utroque Gregorio, Ma-	
	Pag ibi n. XI.				gno scilicet, ac Turonensi, e	
	Childebertus qui a Fl. Smara-				Paulo diacono Noris et Pagius ad	
	gdo exarcha muneribus invitatus				hunc annum.	
	in Italiam descenderat contra Lan-					
	gobardos ab iisdem pari ratione ad					
	pacem secum faciendam, et ad re-					
	gressum in Franciam pertrahitur.					
	Ex Turon et Paulo diac. Pagius					
	n. 4.					
0	Imp Cæs Ti. Mauritius Aug an-	1339		II	Pelagii 9 et 10.	587
8	nos in nummis signat 5 et 6 post	1340	D	III	Romani per loca Persidis gras-	
8	consulatum ejus quartum.			.	santur. Avares Thraciam infe-	
	Severus Aquilejensis episcopus				stant. Ex Theophylacto lib II, c.	
ct	qui Heliæ successerat, et non mi-				10. Pagius ad h. a. n. 3 et 4.	
	nus acriter pro Tribus Capitulis				Ex epitaphio Cæsariæ in Diœ-	
	depugnabat cum sociis episcopus				cesi Avenion ad Baronium trans-	
	captus, et Ravennam perductus a				misso, in quo medium noctis	
	Smaragdo coram Jo. Ravennate				die Dominica inlucescente VI Id.	
	episc. Tria Capitula cum sociis				Decembr *quadragies*, et VI P. C.	
	damnat, et liber dimittitur. Vide				Basilii Jun. V. C. C. anno XII re-	
	Noris de v. Syn p. 102.				gni Domini Childeberti regis In-	
	Smaragdo exarcho tertius suc-				dict quinta plures epochas stabiliri	
	cedit Romanus Panvin Fast ex				Pagius docet h. a. n. 12.	
	Paulo diac.					

Anni Per. Jul. et Ind.	*Imperatores, Consules, Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*		*Anni Olymp.*	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, reges, res gestæ et documenta.*	*Ann Æri Christ*
5301	Imp Cæs Ti. Mauritius Aug an-	1340		III	Pelagii 10 et 11.	588
☉ 9	nos in nummis signat 6 et 7 et in	1341		IV	Jo. Patriarcha Constantinopolitanus Synodum habet in causa	
☽ 19	octis publicis hic annus dicitur				Gregorii Patr Antiocheni accusati	
D C	post consulatum ejus quintus.				de incesto, qui innocens declara-	
Indict	Panvinius antiquit Veron lib v				tur, et ad suum episcopatum re-	
VI	cap 8 hoc anno tradit a Childeber-				dit, quo tempore exercitus Roma-	
et VII	to Franciæ rege missum in Italiam				nus contra Persas dimicans tu-	
	exercitum contra Langobardos,				multuabatur propter annonæ im-	
	sed fame, ac morbo regredi co-				minutionem a Philippico fraudu-	
	actum post mensem tertium Autha-				lenter suggestam, sedato tumultu	
	rim quoque regem paulo post				Romani victoriam insignem de	
	diem obiisse : cui quartus in Italia		B		Persis reportant, et spolia opima	
	rex Langobardorum sublegitur				Constantinopolim transmittunt.	
	Agilulphus ex duce Taurinensi pa-				Pag h. a. ex Theophyl. etc. n. 3	
	ter Aoaldi qui anno XXV paterni				et seqq.	
	regni eidem successit. Sed vide					
	ann 590.					
5302	Imp Cæs Ti. Mauritius Aug si-	1341		*Olymp.*	Pelagii 11 et 12.	589
☉ 10	gnat in nummis ann 7 et ann 8	1342		341	Romani cum Persis, licet anno	
☽ 1	qui in actis etiam dicitur post con-			IV	superiore cæsis, apud Martyropo-	
B	sulatum ejus sextus, aliis quintus.			*et*	lim præliari non desistunt. Philip-	
Indict	Francorum exercitus a Guntram-			342	picus ægre admittitur dux ab exer-	
VII	no rege transmissus, Bosone duce,			1	citu suasione Gregorii Arch Antio-	
et VIII	in Galliam Narbonensem, per Clau-				cheni : verum infeliciter pugnans	
	dium Lusitanum Reccaredi ducem				revocatur, et illi sufficitur a Mau-	
	cæditur, et castris captis in fu-				ritio Comentiolus. Ex Theophy-	
	gam vertitur. Biclar Chr. Vide		C		lacto, et Evagr Pagius h. a.	
	Pag h. a. num IX.				Tiberis inundatio mense Nov	
	Eodem anno Mauritii VII qui est				Romæ contigit : quam consecuta	
	Reccaredi regis tertius Uldilas				est proxime clades, seu lues in-	
	contra Reccaredum conjurans, ei-				guinaria. Turonens lib X cap 1.	
	que insidias struens in exsilium					
	pellitur. Biclar ibi num 12.					
	Concilium Toletanum III h. a.					
	celebratur. Ibi n. 4 et 6 quo Go-					
	thi et Suevi ad Catholicam Fidem					
	conversi. Ibi n. 8.					
5303	Imp Cæs Ti. Mauritius Aug si-	1342		I	Pelagii 12, qui obit 7 Febr.	590
☉ 11	gnat in nummis ann 8 et 9, qui ab	1343		II	Vide notas ad Pelag. et Noris de v	
☽ 2	hist etiam dicitur post cons ejus				Syn p. 105.	
A	septimus, aliis etiam sextus.				Theodosius Mauritii filius suæ	
Indict	Concilium Hispalense primum		D		ætatis annum agens 4, et menses	
VIII	h. a. celebratum signat æram : *die*				sex coronatur Aug. Chron. Alex	
et IX	*primo Nonarum Novembrium anno*				et Theophan. Vide Pagium ad	
	quinto regni gloriosissimi Domini				ann 588, n. 8, et ad h. a. n. 3.	
	nostri Reccaredi regis era DCXXVIII.				Post diuturnam vacationem Ro-	
	Vide Pagium h. a. n. 6.				manæ Sedis GREGORIUS qui postea	
	H. a. Childeberti regis Fr. XV				Magnus dictus est, ordinatur suc-	
	juxta Turonensem l. X. c. 3, ejus				cessor die 3 Septembr h. a. Indict	
	exercitus per tres menses Lango-				9. Vide Noris de v Syn pag 93.	
	bardos in Italia vexabat. Autharis				A morte S. Silvestri usque ad	
	ad Guntramnum regem Childeberti				initium Gregorii Magni juxta Co-	
	ex fratre nepotem legationem				dices Anastasianos recte nume-	
	mittit, ut pacem a patruo ejus				rantur anni CCXLVI. Obiit enim Sil-	
	impetret. Sed nondum reversis e				vester exeunte anno 335. Ordina-	

Anni Per. Jul et Ind	*Imperatores, Consules Romanorum, res gestæ et documenta.*	*Anni U. C. ante et post Pal.*
	Gallia legatis Autharis apud Ticinum moritur Non Sept non sine Veneni suspicione, cum sex annos regnasset : succedente Agilulpho. Ex Paulodiac. Pagius ad h, a. n. 17, et ex Gregorii M. epistola 17, lib I, Panvinius hæc refert ad ann 598. Vide supra.	

Anni Olymp.	*Christianorum, Judæorum et finitimorum populorum, Pontifices, Æræ Reges, res gestæ et documenta.*	*Anni Christi.*
	tas fuit Gregorius 3 Septembris 590. Vide notas ad Gregorium M.	

CAJETANI CENNI

PRESBYTERI PISTORIENSIS

AD CONTINUATIONEM CHRONOLOGIÆ BLANCHINIANÆ

PRÆFATIO

SUMMA SECTIONUM.

Continuatur Chronologia Blanchiniana ab anno Christi 590, seu a S. Gregorio M., per tria integra sæcula. — II. Œconomia hujus quarti voluminis. — III. Italiæ res obscuræ, lucis multum accipiunt ab editione Mediol. Scriptor. Italicor. — IV. Dissidiis recentiorum obscuriores factæ. — V. Unicum essent præsidium iisdem vetustate obrutis monumenta veterum. — VI. At Coss. privatorum exoletis tutiores characteres temporum sunt anni PC qui usque ad 668 rite numeratur ; inde vero tanquam tribunitiæ potestates. — VII. Regum Langobardorum et exarchorum, qui Coss. successerunt, parum curati anni apud veteres. — VIII. Illi quidem eos numerabant in Actis publicis, hi autem secus. — IX. Varia de utrisque apud scriptores opinio. — X. Res Francorum diligenter scriptæ ; at Merovingiorum tempore parum conjunctæ cum nostris. — XI. Post hegiram olympiades, et anni Urbis rari usus ; epochæ tamen omnes Blanchinianæ continuantur. — XII. Cyclus Victorii adhuc in usu erat apud Italos et Gallos per septimum et octavum sæculum. — XIII. Æra descensus Langobardorum in Italiam a Blanchino neglecta, omittitur, quanquam non semel apud veteres memorata. — XIV et XV. Status Ecclesiæ Hispaniensis usque ad S. Gregorium M. dum Gothi reges Ariani rerum potiebantur. — XVI et XVII. Status Ecclesiæ Britanniarum usque ad eumdem pontificem, dum ad idololatriam per Anglo-Saxones introductam reversæ erant. — XVIII. Utrumque regnum pares vicissitudines passum, pari felicitate redit ad fidem sæculo sexto exeunte. — XIX. Quo tempore novum Hispaniæ accidit infortunium Saracenis eam invadentibus, Germaniæ omni Evangelium annuntiatur. — XX. Occasione laudandi munificentiam regis Pipini et imperatorum Caroli M. ac Ludovici Pii erga S. sedem, totius Anastasiani operis œconomia proponitur. — XXI. Ditio ecclesiastica emergens ab Italorum defectione, quum impii Augg. persequi sacres imagines cœperunt, a rege Pipino amplificatur. — XXII. Distinguitur ditionis epoche a donatione Pipini. — XXIII. Primus omnium ducatus Romanus ab imperatore Orientis cum tota Italia deficiens in ditionem Ecclesiæ concedit. — XXIV. Divinitus fit ut impio Leone temerante sacros. Ecclesiæ reditus ex patrimoniis, pinguiores iidem succedant ex ditione ecclesiastica. — XXV. In rebus ad S. sedem pertinentibus præferenda cæteris opinio card. Baronii. — XXIV et seqq. Theophanis Coronographia de tribus Augg. Anastasio, Theodosio, et Leone Isaurico asseritur contra Pagium et recentiores. — XXXI. Catalogus regum Longobardorum. — XXXII et seqq. Notæ et observationes in Catalogum regum Langobardorum. — XXXIX. Catalogus exarchorum Ravennæ. — XL. Notæ et observationes in Catalogum exarchorum Ravennæ. — XLI et XLII. Patriciorum duplex genus, imperialium, et pontificiorum. Patricii imperiales. — XLIII. Patricii pontificii.

1. Eam sane provinciam sortitus sum, qua operæ pleæque plenior decerni mihi non potuit. Chronologiam quippe Cæsaream pontificiam in Librum Pontificalem ab omnium disciplinarum genere ornatissimo præsule Francisco Blanchino Veronensi susceptam, et usque ad annum Magni Gregorii primum, Tib. Mauritii nonum, PC. ejus septimum, feliciter perductam, at, quæ humanarum rerum conditio est, in medio cursu relictam, ego conficere jussus sum. Provinciam, ut verum fatear, cujus tertia vix parte Annalium Ecclesiæ parens defunctus : « Jure, ait, quiescimus, et quidem itinere fatigati, cum interdum per vastam rerum gestarum ignorantia solitudinem fuerit in invio via laboriose quærenda ; aliquando voluti per ardua montium instar Jonathæ fuerit manibus pedibusque reptandum, ut oppositas immensas ubique difficultates superare possemus : cum inter hæc omnia quam sæpissime densarum spinarum obicibus præpediti, a multiplicibus scilicet diversisque ingruentibus undique negotiis violenter abrepti, ab itinere instituto ad aliena curanda oportuerit, ad passus ferme singulos divertisse. » (Bar. *Annal.* tom. VIII, *ann.* 14.) Quam tamen obtinuisse me juvat. Qui enim melius immortali ejus nomini parentarem, cujus jam senescentis consuetudine usus sum, præcepta audivi, immensas aliqua ex parte sollicitudines allevavi ? Aut qui melius ponerem tirocinium, quam eam obeundo provinciam, quæ et tanti præsulis memoriam et meum officium seris posteris testaretur ? Hinc est quod neque labor improbus, neque suavia eadem esse officium mihi et necessaria esse intellexi, me unquam deterruerunt : quin potius suavia eadem esse officium mihi et amor persuaserunt. Quamobrem quæ tria sæcula Blanchiniana chronologia reliquit intacta, ea diligenter pervagatus quidquid ad Librum Pontifica-

lem illustrandum conducere ratus sum, pro meo modulo accurate digessi, eorumque duo fere integra in hoc volumine spectanda proposui, quod reliqui est in quinto et ultimo exhibiturus (*a*). At quoniam, ut chronologi solent, dum temporum rationem habui, res gestas ipso in Libro Pontificali, et notis historicis enarratas, membratim indicarem oportuit, ideirco in easdem præfari aliquid debeo, ut vel delibatæ et in compendium redactæ viam sternant ad percurrendam tutius antiquitatem undequaque tenebris obvolutam.

3. Historia igitur hujus voluminis comprehendit unius et triginta summorum pontificum, a S. Gregorio Magno ad Stephanum III, alias IV, res gesta (*b*). Horum pars virtutibus eximiis, pars laude sanctitatis, immortali memoria digni sunt ; quippe qui laboribus, fide, constantia, Italiam omnem, urbem Romam et apostolicam sedem tum a regum Langobardorum, plerumque Arianorum, tum ab imperatorum Orientis, perquam raro sanctam sedem et Christi vicarium reverentium sævitie, tyrannide, impeietate tuiti sunt ; eorum non pauci in multis ærumnis, deportatione, exsiliio, morte, catholicam fidem et jura sanctæ sedis vindicarunt. Italia præterea omnis, nec semel Roma ipsa. pro vita, pro laribus, pro fortunis, pro liberis dimicantes ; necnon homines perditissimi divina omnia et humana violantes atque evertentes, vel visibile in Ecclesiæ caput Christi vicarium manus impias extendentes : nova Ecclesiam hæresis, novæ persecutiones exagitantes, novi eam martyres et confessores illustrantes ; nascentia demum imperia, et regnorum excidia, quarti hujus voluminis materia sunt. Quam mœstissimam lacrymisque proferendam historiam, majori ex parte in Libro Pontificali enarratam ego per annos digessi, ut calamitatum ætas certa haberetur. Cæterum ne principium, prosecutio, exitus, tragica omnia essent, eo usque seriem rerum perduxi, quoad invisibilè ipsum caput Ecclesiæ Christus pro eadem pugnans in manu forti, potentiam Langobardorum evertit ac fere contrivit ; Orientalis imperii vires, quæ adhuc in Italia supererant, ejectis exarchis, penitus delevit ; ditionem apostolicæ sedis, angustis antea finibus circumscriptam, protendit ; coronam Augusteam male hærentem frontibus Orientalium in Occidentem revocavit ; eaque per suum vicarium piissimos Franciæ reges ornavit. Quod ultimum, nempe Occidentis excitatum imperium, tametsi hoc volumen haud amplectitur, quippe finem habet Caroli Magni regis Franciæ anno primo ; cum tamen apostolicæ sedis gloriam, ejus ditione undequaque dilatata, idem Carolus, ut sui prædecessores, antequam imperator fieret, summis viribus asseruerit, cujus rei præmium imperii postea coronam accepit, hinc disjungendum non esse arbitratus sum, ut læti adeo finis mentio mœstissimarum rerum memoriam deleret.

3. Talem vero ac tam variam historiam merito dolet Baronius tenebris obvolutam ; tanta enim, septimo præsertim sæculo, ignorantia Occidentem fere totum pervaserat, ut litteræ penitus interiisse viderentur. In Italiam præcipue id malum advexit descensus Langobardorum, qui amplius bis centum annis eam vi et armis possederunt. Nostras tamen res dolendas magis faciunt recentiorum dissidia, quam veterum scriptorum inopia. Et sane ingens monumentorum copia, tot opuscula, privilegia, chartæ, donationes, et id genus documenta quæ V. Cl. Ludovicus Antonius Muratori, bibliothecæ Estensi præfectus, in lucem edidit nostra ætate, fidem faciunt quod utcunque inopes litterarum majores nostri tamen quæ suis temporibus evenerunt, eorum memoriam ad nos transmittere conati sunt. Negare non ausim, quod maximus hic assertor Italicæ gloriæ admodum rara protulerit monumenta, sæculum septimum cæteris obscurius illustrantia, eaque vel injuria temporum, vel librariorum socordia depravata et corrupta ; per eadem tamen, adhibitis optimæ notæ codicibus, ipsoque acumine ingenii, additisque præclarissimis observatis, non semel docet remotissimas hinc ætates pede inoffenso percurrere. Præterea cæteros inter scriptores veteres, auctorem Miscellæ ac Paulum Warnefridi cognomento Diaconum ad primævum splendorem restitutos, et Librum Pontificalem vulgo tributum Anastasio cum quatuor codd. ex biblioth. Ambros. var. lect. in lucem edens, facem haud dubie præfert antiquitates Italas perlustranti multo dilucidiorem quam qua usi sunt nostram ætatem præcuntes. Hinc est quod Vaticanam hanc nostram editionem, optimis tot codicibus a doctissimo præsule ditatam, locupletiorem prodire volui additis præstantissimis quatuor Ambrosianis ex viri ejusdem clarissimi editione decerptis ad pontificum rerumque gestarum tempora firmius stabilienda. Quem etiam ad finem adhibui cod. celeberrimum Farnesianum e schedis Blanchinianis expressum, et Catalogum Veronensem ab eruditissimo P. Josepho Blanchino editum in Prolegomenis, qui varias lectiones alterius codici, nempe Vallicellani, adjunxit, ita ut quartus hic tomus additione sex codicum præstantissimorum, ditior vulgatis in lucem prodeat.

4. Quid vero ? gravius multo incommodum et nostris et peregrinis rebus eruditi, inquam, recentiores tot tamque variis sententiis attulerunt, quam ipsa barbaries Langobardorum. Ut enim de cæteris sileam, e mox laudatis antiquis scriptoribus auctore Libri Pontificalis, et Paulo Warnefridi quisnam hodie veritati aditus pateat ? Romanorum scilicet ætates pontificum e Libro Pontificali Panvinus, Baronius, Papebrochius, Pagius eruerunt : at quam raro unanimes sunt ? Ex Paulo autem Warnefredi Langobardorum regum historiam præ aliis Peregrinus, Sigonius, Panvinus, Baronius, Pagius, Bacchinus summa cum diligentia texuerunt : at quantam inter eos discrepantiam, quot dissidia nos posteri deprehendimus ? Perinde est de auctore Miscellæ, qui cum in extremis libris Theophanem exscripserit, merito a Baronio ut Theophanes laudatur, cum illius Chronographiam GL., post suam mortem evulgatam, non viderit. Multa apud auctorem istum occurrunt quæ alios in sententiam aliam ire coegerunt. Id vero præsertim notatu dignum est visum, quod ab ultimo anno Phocæ res prævertit annuo spatio, rem inobservatam Baronio. Primi hunc metachronismum deprehenderunt viri doctissimi Henschenius et papebrochius,, ille in Exegesi de S. Theophanis Chronographia, hic in Conatu Historico-Chronolog. (tom. III *Mart.*, et 6 *Maii*), et uterque ad extremum Constantini Copronymi annum Christi 775, perduxerunt. Contra Antonius Pagius rem ab iis observatam laudans ac severius expendens, observat Theophanem recte consignare solis eclipsim anno 693. ac proinde in viam illum redire post errorem 84 annorum contendit, deinde ad Constantinum Copronymum veniens, ne ad metachronismum rediisse Theophanem cum viris doctissimis fateatur, depravatum esse ait Chronographum toto imperatoris illius tempore. At de his infra redibit sermo. Hæc cum ita sint, nemo non videt recentiores ipsos, pro eo ut tenebris obvolutam historiam illustrarint, conatos esse ut in incerto eam magis magisque positam confirmarent ; quæ res quantum negotii ac periculi scribenti afferat, non est petendum.

5. Ea propter qui nostra ætate res certas scribere pro virili contendunt, rejectis aliorum observatis, præsidio monumentorum veterum uti solent. Horum ope doctissimus præsul Blanchinus, novis-

(*a*) Lucem non vidit hoc, de quo loquitur Cenni, *quintum et ultimum volumen*. EDIT PATROL.

(*b*) Apud nos, medium tomi secundi. EDIT. PATROL.

simus Fastorum consularium illustrator, numero pluribus atque eruditione singularibus eosdem observatis locupletavit. Exactis vero consulatibus privatorum, ubi consulatus Augustorum perpetui cœperunt, ac tribunitiæ potestatis exoleverunt, minor deinceps occurrit eruditio ex monumentis, ut planum est ex Blanchiniana chronologia, quæ ab anno 565 Justini Junioris, seu Curopalatis primo, P C. Basilii, V. C. 24, et ultimo coss. privatorum, ad 590. ejusdem extremum, duas tantummodo inscriptiones præsefert statuentes tempus certum ; primam nempe an. 657, recens effossam in Exquiliis, quam muneris sui gratia exhibet ; utpote a S. M. Clemente XI, ob miram antiquitatis scientiam, monumentorum omnium Romæ et foris quotidie effossorum cognitor descriptorque electus. Alteram vero affert an. 577, ex card. Norisio de Synodo v ; quibus etiam tertia addi potest, nempe epitaphium Candidæ, cujus epigraphen Blanchinus ex Martyrologio recitat an 585, ad quem pertinet. Hanc autem quia is non integram descripsit, lubet afferre ex Baronio, qui Annal, tom. IX, an. 715, occasione recitandi inscriptionem Theodimi subdiaconi et correctoris Ecclesiæ Romanæ, ex eadem Neapolitana ecclesia S. Andreæ ad Nidum, ubi illa exstat, epitaphium Candidæ recitat, cujus epigraphes ita habet :

HIC REQUIESCIT IN PACE CANDIDA C. F. QUÆ VIXIT PL. M. ANN. L. DIE IIII. ID. SEPT. IMP. D. N. MAURITIO PP. AUG. ANN. IIII, PC. EJUSD. AN. II. IND. QUARTA.

Hujusmodi tamen inscriptionibus quemadmodum comprobatur quod, exoletis, tutioribus temporum characteribus, tribunitiis potestatibus et consulatibus (nam semel inito ab Augustis consulatu, idem postea quoad viverent per PC. 1, 2, 3, etc., numerabantur), imperiales tantum anni in actis publicis signabantur, simulque laudati postconsulatus ; ita etiam monemur vanum deinceps fore chronologiam consularem appellare ; quippe quam dum Cæsaream nuncupamus, Augustea consularique una simul dignitatibus conspicuam intelligimus.

6. Verum, antequam pergo alia dicere quæ oportet chronologiæ præmittere, discrimen illud magni momenti indicem neeesse est, quod eruditissimus Antonius Pagius et in Epistola Hypatica, et in sua Critice ad an. 668 observat in postconsulatibus Augustorum. Horum siquidem pars rite numerant PC. post annum quo consules processerunt ; pars autem ab ipso anno initi consulatus perpetui postconsulatus. tribunitiarum instar potestatum numerant : quo inobservato discrimine ratio omnis temporum pessumiret. Ab anno igitur 566, cum Justinus Junior processit consul, usque ad 668, cum Constantinus Pogonatus imperii summam cœpit administrare cum fratribus Heraclio et Tiberio, post patrem Constantem Syracusis cæsum, rite nummi et acta PC. exhibent. Inde vero novam in Fastos mutationem, ut ait Pagius, inductam videre est : vix enim Augusti procedebant coss., PC. annum primum numerabant. Utriusque generis exempla suppetunt ex actis publicis et monumentis, non autem ex nummis, qui annos duntaxat imperii præseferunt ; quæ potissima causa est cur in chronologia non usus sim nummaria eruditione, ne inutilibus eam rebus infarcirem. Cæterum Byzantinorum numismatum, præter nullam eruditionem, raritas etiam magna dolenda est numerantium annos Augustorum ; nam, ut Cangius affirmat (*Diss. de inf. ævi nomism.*, n. 44), demptis nonnullis æreis Justini Thracis, Justiniani, Justini Junioris, Tiberii, Mauritii, Phocæ, Heraclii et aliquot aliorum, nec aurei nec argentei ulli cum iis temporum notis exarati reperiuntur. Quod patet ex eorumdem collectionibus ab Occone, Mediobarbo ipsoque Cangio factis. Itaque postconsulatus Augustorum in conciliis, pontificum epistolis, diplomatibus, actisque aliis publicis, ante Constantinum Pogonatum ab imperii semper annis distinctos videre erit ; post Constantinum vero æque ut plurimum cum annis imperii postconsulatus procedunt ; vixdum enim augustea cum dignitate exibant, consulari etiam illustres amabant fieri. Quam rem qui ante Pagium non animadvertit, in maximos eum errores labi oportuit.

7. Eo nunc revertens unde profectus sum, cum viderem præcipuis temporum indicationibus destitutam meam chronologiam futuram omnino imparem Blanchinianæ, novis eam fulcire adjumentis meditabar, annos videlicet regum Langobardorum exarchorumque Ravennatensium numerando. Animadverti enim nihil cum pontificum omnisque Italiæ rebus esse conjunctius Lnagobardica et exarchica historia. Præterea compertum est quod ipsis ex primordiis consulatus perpetui Augustorum utriusque originem auctores repetunt ; nam primo anno PC. Justini, æræ vulgaris 567, exauctorato Narseti successisse tradunt Longinum Italiæ præfectum, qui postmodo insolenti et usque ad eum diem inaudito apud Italos nomine exarchus est appellatus. Sequenti autem anno exeunte, Langobardi e Pannonia profecti post Kalendas Apriles in Italiam ingressi sunt. Quid vero utilius rebus nostris fuerit excogitatum quam utriusque Italicæ potestatis consulari, sic volente Numine, suffectæ recensere annos singulos, qui cum Cæsareis ac pontificiis pariati, tum minus dolendum redderunt defectum consulum, tum magna nos parte operis allevarent, quod ineuntibus temporum rationes superest ? Id vero cum apud antiquos factum non viderim, haud facturum me operæ pretium ratus sum, si cum siluerim nummos Byzantinos, tanquam rem inutilem, duplicem annorum seriem enumerassem, Italorum rebus stabiliendis inutiliorem. Quod unum non modo utile, verum etiam necessarium esse duxi propter tot tamque varias recentiorum opiniones, Fastos tam regum Langobardorum quam exarchorum Ravennæ ex privatis et aliorum observationibus confeci, subjiciendos omnium oculis, postquam satis præfatus ero. Interim necesse est ut comprobem, quæ mox affirmabam, parum videlicet pensi habitos Langobardorum regum aut exarchorum annos in actis publicis aliisque documentis ad Italicarum rerum historiam illustrandam accommodatis.

8. Dubitari certe non potest quin plura exstent monumenta regum Langobardorum. cujusmodi sunt chartæ, donationes et privilegia eorumdem annos numerantia. Prologi etiam legum a Rothari et aliquot successoribus latarum, annos eorum commemorant, ut planum est. Quid autem utilitatis inde habetur ad Cæsaream seu pontificiam historiam ? Utile tum quidem utrique fuerat cum concilia, epistolæ pontificum, sacræque etiam divales Cæsarum Augustorumve, Langobardicos aut exarchicos numerare annos consuevissent. At unicum exstat hujusmodi monumentum, nempe concilium Romæ habitum a S. Zacharia anno 743, in quo Liutprandi 32 memoratur : quod novo prorsus exemplo, neque antea unquam factum monent Baronius et Pagius. Hic insuper inde eruit fœdus tunc temporis esse initum inter Romanos et Langobardos ad tuenda, sacras imagines contra impium Constantinum (Pag. *an.* 643, n. 16) Quod si rara eaque non publica documenta Langobardorum annos exhibent, exarchorum non modo rara, sed nulla, quod ego sciam, memoria est, quæ annos indicet. Remque astruit vetus inscriptio marmorea ad annum pertinens 731, quam præsul Blanchinus a se descriptam Ravennæ in ecclesia S. Apollinaris in classe publicæ lucis fecit in præfatione eruditissima tomi 1 hujus operits, num. 51, unde hanc particulam decerpsi

IN N PATRIS ET FILII ET SPS SCTI IMP PIISSIMIS DO NN LEONE ET CONSTAN
TINO A DO. CORONAT PACIF. MAGNIS IMP LEONE
QUIDEM CLEMENTISS. IMP. ANNOXIS. CONSTANTINO VERO A D CORONATO IMP
ANNO XI. GVVERNANTEM ITALIA DN EVTVCHIO EXCELL. PATRICIO
Et Exarch. IIII. Kal. Februarias Ind. XIIII. etc.

Unde liquet Eutychium exarchorum ultimum, qui anno 731 numerabat annum exarchatus quintum, omnino eum silere, ac proinde ita factum a suis etiam prædecessoribus probabile est, magno cum historiæ nostratis detrimento. Quæ res profecto maximam me in admirationem conjecit, cum vidi summorum principum morem ad exarchis negligi, A qui dicuntur eam partem quæ supererat Occidentalis imperii summa cum potestate administrasse, cujus rei certissimum indicium. nummos ab eisdem cusos servavit antiquitas, quorum formam a Cangio expressam in fine Mauricianorum his exhibeo.



Testatur Cangius in eorum plerisque hanc imaginem pectoralem feminæ corona murali ornatæ aspici cum inscriptione *Felix Ravenna* ; in postica autem monogramma urbis. Aquilam vero, quæ in aliis visitur, signum fortasse putat effingere Romani imperii.

9. Multum inde incommodum historia nostra accepit ; quare scriptis recentiorum ignoscitur. Si enim tanta discrepantia occurrit in rebus Langobardicis, quas consignavit litteris scriptor gentilis, patria Forojulianus, ubi primum sua gens constitit, eorum regni æqualis. et cui necessaria ad historiam conficiendam suppellex non defuit, ut ipse testatur lectores admonens, ubi incompertum quid narrat (*lib.* VI, *cap.* 43) : quid mirum tot tamque varias ivisse in opiniones, qui de rebus exarchorum Ravennæ membratim apud veteres indicatis scripserunt ? Græci siquidem, quorum res erat, siluerunt ; monumenta Ravennatensia, si qua erant, interciderunt : ipsi exarchi, ut vidimus, suæ dignitatis annos neglexerunt. Hinc est quod doctissimi cardinalis Baronii tempore ipsa eorum series manca circumferebatur, quanquam multi de iis scripserant. Post Baronium Antonius Pagius et Benedictus Bacchinus, novis eductis exarchorum nominibus, eamdem seriem explere conati sunt. Denique Anonymus Mediolanensis, omnium novissimus, hanc spartam ornandam suscipiens, et antiquos et recentiores ad trutinam revocat (*Script Ital* to. X, tab chronograph. sect 16, n. 79, 80), ita ut magnum aliquid ex illo exspectes. Quid vero ? Dum alienis scriptis confutandis insistit, aliorum observata in compendium refert, ipse admodum jejune, et cum Libro Pontificali pugnantia in medium affert. De tribus tantum exarchis recens detectis loquitur, ac mirari se olim ait quod Theodorus Calliopa sex et triginta annos explerit a 650 ad 686. Verum minus alte eum petere debuisse Theodori primordia docet Liber Pontificalis in S. Martino, de adventu et cæde Olympii diserte loquens, necnon de Theodori novo in Italiam adventu, quem recte Sirmondus (*Synops Collect Anastas.*) cum anno illigat 653. Pari modo primordia Platys differre oportuit anni unius spatio, de quibus infra B opportunius dicendum erit. Quæ cum ita sint, contentus, inquam, regum Langobardorum et exarchorum Fastos proponere, et quidem seorsim, ut ætates dignoscantur melius, res gestas in chronologia sparsim indicabo, ut earumdem cum cæteris affinitas videatur. Eapropter in summa Cæsareæ chronologiæ parte utramque hanc Italicam potestatem libuit indicare.

10. Profecto quod præsidium nostrarum rerum chronologia nequidquam desiderat ex Langobardis et exarchis, Francorum reges attulissent, quorum historiam servatis plerumque temporum rationibus tum multi antiquorum scripserunt, nam decora in eo regno ingenia nunquam defuerunt, ut videre est in celeberrima collectione Duchesnii ; tum recentiores C eruditissimi variis optimisque observationibus illustrarunt. At quemadmodum res civiles Francorum usque ad Carolum Martellum majorem domus parum cum nostris conjunctæ sunt, et tam ipsius Caroli Martelli quam Pippini regis ejus filii res gestæ ad octavum sæculum jam provectum pertinent, quo exeunte principem Cæsareæ chronologiæ locum Francorum reges tenent, tanquam Romani imperatores : ita nec postremi Merovingiorum, Caroli Martelli, neque Carolingiorum primi, Pippini regis recensere annos volui, quorum facta, quæ tantam sanctæ sedi splendorem pepererunt, non silui. Neque operosum id mihi fuit : ubi enim a S Gregorii Magni anno primo, unde ordior, ad primum S. Gregorii II, nempe a 590 ad 715, ordo rerum me duxit, D viam ingressus sum multo jucundissimam, tum copia rerum abundantem, tum distinctam lapidibus qui iter metiuntur : annalium videlicet scriptores perquam accuratos inveni, quibus accommodatior res chronologo excogitari non potest. Carolinum præterea Codicem nonaginta et novem epistolas continentem Gregorii III. Zachariæ, Stephani II, al. III, Pauli, Stephani III, al. IV, Adriani,, et Pseudo-Constantini, ad Carolum Martellum. Pippinum, Carolum Magnum, ejusque fratrem Carolomannum, quem Gretserus post Baronii mortem, anno 1613 evulgavit, habui ducem et rebus enarrandis et ineundæ temporum rationi tutissimum. Utcunque

sta omnia diligenter præstiterim, multisque ccessionibus ditaverim chronologiam, con- a semper concedet, nec rerum temporumque rmitatem præseferet quam id Blanchiniana imus admirari. Quod si rerum potius vicis- quam socordi ingenio vertatur vitio, nec injuria, nec mihi fiet invidia.

uas vero accessiones fecerim chronologiæ pontificiæ, abs re non erit indicare. Equi- annos digessi res præcipuas, tum civiles, lesiasticas, florentissimorum nostra ætate m, Hispaniæ, Magnæ Britanniæet Germaniæ, Libro Pontificali aut memorantur aut enar- De iisdem regnis cur parce aut nihil Blan- a chronologia loquatur, infelix eorum condi- Gregorium Magnum causa est : Ariana eresis Hispaniæ regnum, duo cætera idololasumdabant. Hoc tamen discrimen est inter d Germania tunc primum audiit Evange- ispania vero et Britannia ab eodem defece- propter causas cur utrumque regnum defe- evi narratione complectar, ut redeuntium ad aximeque proficientium magis delectet hislis autem præmitti oportet quæ restant de onibus chronologicis. Blanchinianas quidem ue ad finem Libri Pontificalis adhibui. Qua rtasse reprehendar. Dicet enim aliquis cum Periodum Julianam, cyclos solis et lunæ, ales litteras, indictiones Cæsareas. et æram anam, utile quidem et necessarium fuit sse. Olympiades vero et annos Urbis ante et illa, quænam utilitas, quæve necessitas conoportere persuaserunt ? Enimvero postquam ova illa æra, Christiano adeo nomini infauipe hegira, utramque earum, ut rari deinus, omitti posse Pagius docet. et vere eas ; mihi autem libuit chronographos alios jure gio comparandos sequi, cum præsertim ab issimo chronologo necessarias esse didice- datas olympiadum et Urbis æras, ad parianibum, seu hegiræ, et Græcorum annos cum (Card. Nor., *de Epoch. Syrom.*) Nulla enim n fatear, ex Blanchinianis, concessu omnium rum, tutior epocha est duabus prædictis. er lunares et ipse annos hegiræ numerare im a die 16 Julii, fer. VI, cum Arabes inci- fuga Mahummedis, ante initium secundi mpiadis 350, qui est annus æræ Dionysianæ . ante Palil. 1374, post Pal. 1375 ; singunnis diem mensis et feriam de more indi- nova annorum forma turbentur res nostræ: olympiadum et U. C annos perpetuo cum et aliis deduxi.

It planius autem sit cur doctissimo Pagio diam recuso, illud velim animadverti quod ipse Dionysianus, cujus æra celebrior certe m Arabica, nonnisi temporibus Caroli Maferri est cœptus Victoriano in Galliis, et, ni or, in Italia ipsa, ut mox ostendam. Indeque i, olympiadum et Urbis annis omissis, certa epocha destituerentur res nostræ, Gallorumn nostris octavo, ut aiebam, sæculo conjunæ. Siquidem Galli anno olympiadis 369 se- U. C. 1451 ante Pal. qui est æræ Dionysiautebantur cyclo Victoris, ut notat Scaliger stissimo cod. Euseb. Chron. et cum eo Noris Ravenn. ac Pagius ad an. 699, n. 19. Ibi egitur : *In. annum. V. Childeberti, Regis. um. Pipino. Jubente. ab. Adam. sunt. anni. ia. DCCCC. fuit. Pascha. X. Kal. Aprilis. . Domini. fuit. K. madias. per. Cyclum. m. annorum. CLX. Repetitio. a. capite. Cy-* terea continuator Fredegarii suam continuaabsolvens anno æræ Dionys. 736 ineunte : one, inquit, *Domini usque in istum annum em in Cyclo Victoris anno* 177, *Kal. Januar. i. anni* 755 ; numerat quippe a mense Martio, A ut hodie etiam Florentiæ et alibi. Bucherius insuper vigere apud Gallos Victoris Cyclum observat in Doctr. temp. anno Dionys. 740, ex dissidio Paschali ejusdem anni ; nam Victoriani XV Kal. Mairis, Alexandrini VIII Kal. celebrandum contendebant. Idem dissidium instauratum fuit viginti post annis, nempe 760 : cum enim term. Pasch. esset dies 5 Apr., Victoriani noluerunt cum Alexandrinis celebrare Pascha seq. die Dom. 6 Apr., at distulerunt ad sequentem Dom. 13 ejusdem mensis. Quamobrem Pagius, ad eum annum num. 6, recte admonet Cyclum Victoris viguisse apud Gallos usque ad Carolum Magnum. Perinde Italos, qui Pascha juxta Cyclum Dionysii 95 annorum, jam diu celebrabant, non penitus omisisse Cyclum Victoris octavo sæculo ineunte, satis superque constat ex monumento per me allato in notis Chronologicis Constantini, videlicet : *Primo anno pontificatus ejus implentur anni centum quinquaginta de repetito Cyclo Victorii ind.* B VII. *anno primo Tiberio imperante cum Justiniano patre.* Si enim in Catalogo æquali eorum temporum pontifices Romani recensebantur juxta Cyclum Victoris, non igitur tanti habebatur æra Dionysiana, ut prætereundæ mihi visæ sint certiores æræ, cujusmodi sunt olympiades et anni Urbis, ne chronologiam inhærere paterer dubiis adhuc epochis : tametsi Dionysiana eadem, quæ brevi ubique apud Occidentales obtinuit, merito aliis omnibus præferatur.

13 Optandum sane erat ut quoniam varia scriptorum opinio operosum reddidit Langobardorum regum annos singillatim expendere. saltem privata rerum Italicarum epoche ab adventu Langobardorum supra memorato per annos singulos deduceretur ; siquidem anni ab illo adventu non semel per septimum octavumque sæculum numerantur. Et, ut dicam quod sentio, vehementer miratus sum id minime in mentem venisse Blanchino præsuli ; quippe quem vidi invasionem alteram Italiæ a Gothis factam C ante Langobardicam, non modo per annos digessisse, sed ipsis Gothorum regnum annis una cum imperatorum enumeratis, ab Odoacris appulsu anno 476, ad Totilam Tejamque devictos virtute Narsetis ann. 452 et 453, totam per eorumdem in Italia moram diligentissime descripsisse. Sed postea, re attentius considerata, vidi doctissimum virum ab id præstando fuisse deterritum tot tamque variis Langobardici adventus opinionibus, quæ inutilem ejusmodi epochem reddidissent, ut aiebam num. 7. rem inutilem futuram annos regum ejus gentis et exarchorum, ab antiquis neglectos, recensere. Præterea privatas idem curas non adjunxit Langobardicæ historiæ. Namque adhæsisse eum video chronologiæ præsertim Pagii, qui scriptores Francicos secutus, quandoque adversatur Libro Pontificali et Paulo Diacono : ac proinde ab eodem hac in re paulum digredi coactus ero in fastis conficiendis quos sum pollicitus. Equidem parce et timoris semper plenus in peregrinorum, D etiam coævorum, sententiam ivi. Ubi enim vidi abbatem Biclarensem, æqualem eorum temporum, constituta primi Langobardorum regis Alboini cæde anno Justini Jun. 7, Leovigildi 5, æræ Dionysianæ 572, octo duntaxat post annos, 5 videlicet Tiberii, 13 Leovigildi, principum Antharith consignare, quod aperte pugnat cum Paulo Warnefridi et epistolis S. Gregorii Magni, id mecum deliberavi ut exteris res nostras referentibus non audirem. Quis enim ferat regnum Clephonis octodecim mensium, ac decennale interregnum post Alboini cædem, antequam Autharis levaretur, ad auctores synchrono intra octennium coarctari ? Itaque veniam mihi hanc dabit præsul doctissimus, ut ab se recedam in Langobardorum serie texenda, sive, ut verius loquar, sententiam Antonii Pagii cum scriptis conferam auctorum nostratium, ne cum Blanchino abi decipiantur.

14. Ilis delibatis de chronologicis indicationibus præcipuis (non enim est quid loquar de nonnullis astronomicis quæ propriis signis incurrunt in ocu-

los), venio nunc ad Hispaniæ ac Magnæ Britanniæ defectiones a catholica fide breviter enarrandum, ut quæ sparsim leguntur in chronologia de utriusque ad illam reditu facilius intelligantur Ac primum de Hispania. Hæc ab ipsis apostolorum temporibus Ecclesiam habuit, deinde episcopos et metropolitas. Tribus persecutionum sæculis martyrum numero illustris fuit. Pace per Constantinum Ecclesiæ reddita, sacris ædibus sanctisque constitutis catholicam fidem et Ecclesiæ disciplinam longe lateque diffundi gloriata est. Ab Adriano primum, deinde ab eodem Contantino in quinque provincias divisa (Mauritania enim Tingitana et Baleares insulæ extra continentem sitæ sunt), Bæticam, Lusitaniam, Gallæciam, Tarraconensem, Cathaginensem, totidem habuit metropolitas, quorum singulis episcopi plures paruerunt. Brevi ea omnia pessumeunt. Honorio octavum ac Theodosio tertium coss., anno æræ Christianæ 709, Alani, Wandali, Suevi pervadunt Hispaniam et omnia miscent : ii postmodo debellantur a Gothis, qui rerum potiuntur : barbari omnes, omnesque a catholica fide abhorrentes. At præsertim Gothi, qui duobus fere sæculis ante Reccaredum regem, qui hæresim detestatus est, catholicos vexaverunt, Arianismum profitebantur. Hæc Gothorum religio ; cujus originem audire opportet. Cum gens Gothorum, ab Hunnis pulsa, in Thracia primum consistere a Valente impetravit, mox deficiens non sine Romano sanguine profligata fuit, ac demum Gratiano imperante, fœdus cum Romanis percussit, Ulphilam habuit episcopum. Hunc principem legationis fecit, cum terræ indigens quam coleret, a Romanis petiit morari quocunque loci vellent. Quare episcopus Gothus Cpoli degens anno 381 interfuit concilio generali II, tuentibusque sententiam Nicænorum Patrum adhæsit. Postea Apolim rediens, incertum num legationis fautores quærens, an pro accepto beneficio gratificaturus, cum Arianis communicavit. Nec multo post Gothi omnes, Ulphilæ præceptis imbuti, ab Ecclesia catholica tanquam Ariani avulsi sunt. Iidem, vario tantum nomine Visigothorum et Ostrogothorum, hi in Italiam, illi in Galliam et Hispaniam irrupere.

15. Qui tenuerunt Hispaniam, nempe Visigothi, hæresim ibi altius figere quam alii apud Italos potuerunt, Gothicam statim liturgiam ubique adhiberi vi et armis conati sunt; sacra deinde omnia paulatim invertere. Nequidquam catholici episcopi ecclesiasticam disciplinam tueri, aut catholicam saltem religionem periclitantem servare nitebantur. Ariani enim reges errorem constantissime defendebant, nec pietate sanguinisve conjunctione ab ejusdem oppugnatoribus deportatione, exsilio, capite plectendis retardati unquam sunt. Testes sunt tam multi episcopi e suis sedibus ejecti ; testes sunt tot martyres pro fide constantissime occumbentes ; testis denique est ipse Hermenegildus, regis Leovigildi filius, qui cum suis fortiter pugnans pro fide, ab Arianis victus occiditur. Nonnulli quidem episcopi, catholicæ religionis zelo inflammati, dum dissidentes barbari Hispanas provincias lacerabant, catholicosque tam vehementer insequebantur, sacros canones defendisse memorantur. Hinc est quod rebus ad extremum miseris, Romani pontifices, ne quidquid jurisdictionis erat inter episcopos confunderetur, identidem eorum aliquem, zelo cæteris præstantiorem, vicariatu apostolico ornarunt, ut nullis studium fidei ac disciplinæ limitibus contineretur, at ubicunque Ecclesia catholicorum esset, ibi incolumis eadem servaretur. Hunc honorem omnium primo Asturicensi episcopo Turibio esse datum legimus a Leone Magno : eumdem uni aut alteri Hispalensi Simplicius et Hormisda sunt impertiti, necnon Joanni Tarraconensi episcopo Hormisda idem concessit. Præterea recti fideique semper retinentissima Hispania turbulentissimis hisce etiam temporibus nonnulla catholicorum concilia celebravit, aliaque gessit non pauca, eam incolentium gloriæ perpetuo ascribenda. Quid vero ? Hispaniensis Ecclesia universim misera usque ad Reccaredum regem duobus fere sæculis fuit ; neque unquam emersisse eam legimus, nisi anno Pelagii pontificis extremo, cum, concilio Toleti III celebrato, tum rex, tum tota ejus gens Arianismum, Leandro Hispalensi et monacho Eutropio prædicantibus, detestati sunt. Cætera et ex chronologia et ex notis infra petenda. Etenim a S. Gregorii Magni primordiis ad S. Gregorium II, nempe ab exeunte sexto ad octavi sæculi principium, nulla Occidentalis patriarchatus felicior florentiorque diœcesi Hispana ; inde vero rursus miseram multoque infeliciorem quam antea fecit Saracenorum invasio.

16. Ab Hispania nunc pergo in Magnam Britanniam. Hæc altero Ecclesiæ sæculo, regis Lucii pietate a S. Eleutherio papa obtinuit evangelica prædicatione illustrari, at postea, quæ regni illius vices sunt, a fide discessit. Magnæ hujus insulæ notitia tum ecclesiastica tum civilis repeti memoria debet ex eruditissima descriptione præsulis Blanchini in notis historicis ad S. Eleutherium ; utrumque enim ejus statum tam alte insculpit animo, ut priorum trium Ecclesiæ sæculorum nullius provinciæ imaginem tam affabre elaboratam fatear me vidisse unquam. Deinde ut uno velut ductu ad monachi Augustini prædicationem gradus fiat, summa hæc fusioris historiæ capita meminisse oportet. Constantino formam imperii ab Adriano excogitatam post Nicænum concilium instaurante, ac diviso orbe Romano inter quatuor prætorii præfectos ; trium diœcesium tractus Galliarum, Hispaniarum, Britanniarum, præfecto prætorii Galliarum obvenit. Provinciæ Britanniarum a Constantino quatuor institutæ ; has postmodo Valentinianus fecit quinque ; tres præsidiales, Britanniam I et II, et Fl. Cæsariensem ; consulares duas, Maximam Cæsariensem et Valentiam. Sic divisa diœcesis spectabili vicario paruit usque ad coss. Honor. Aug. VII et Theodos. Aug. II, sive usque ad an. 407. Tum vero tyrannidem induit, levatisque ac brevi cæsis Marco et Gratiano, felicior succedit Constantius, qui trajiciens in Galliam, universum Gallum Aquitanumque militem ad suas partes trahit. Nacti occasionem barbari invadunt Gallias, Respublicæ ubique emergunt : Britanni ipsi, dum Alaricus Romam expugnat an 709, sese in libertatem asserunt. Sic magna insula præcipiti defectione ab imperio avulsa, primum infelix, deinde misera. Romano spoliatam milite, prædæque transmarinarum gentium patentem, ægre tuentur indigenæ. Quare anno 421 legatis ad Honorium missis, subjectionem promittunt, modo a Pictis et Scotis invasoribus liberentur. Roma mittitur legio; ab infestationibus liberantur, de muri repagulo admonentur. Nova tamen auxilia a Romanis petita sequenti anno ; hi autem fatigati expeditionibus, vale iis dicunt. Facti igitur sæviores transmarini, prædis cædibusque Britanniæ infestiores sunt usque ad annum 446, cum Wortigernus, Britannorum rex, tentato iterum nequidquam Romanorum auxilio ab Aetio magistro militum Valentiniani III, de Saxonum petenda ope coacto consilio deliberat.

17. Quamobrem sequenti anno juxta consilium imprudens proceram, missa legatione invitat Saxones, qui jam diu regno ejus inhiabant. Post biennium robustiores Germaniæ populi Angli, Saxones, Juttæ, Hengistro duce, præsidium afferunt Britannis, mox periculum allaturi. Vix in insulam ingressi, sedeque in orientali plaga constituta, cum Pictis et Scotis decertant, eosque in fugam vertunt. Conventur postea est inter Britannos et Anglo-Saxones (ita tres eæ nationes conflato nomine appellatæ) ut hi pugnarent in posterum pro Britannorum laribus, militiæ stipendia accepturi. Pugnat Wortigernus anno 450 cum hostibus, deque iis insignem victoriam refert fœderatorum auxiliis, quare præmium Hengisto Cantium largitur. Interea Hengistus, defectionem

, fratrem Horsam novumque militem e
i accersit, cumque iis filiam Rowen. Hor-
ii regem salutat; filiæ autem venustate
Wortigernum, qui repudiata uxore isti
Erat Wortigerno filius magnæ indolis, cui
Vortimero. Ilic Hengisti fraudem depre-
patri et Britannis nuntiat. Hospites loco
abiti; fit pugna: Wortimeri virtute inter-
rsa, fugatur Hengistus, qui fratri succe-
antii regno. Transfuga in Tanet insulam
ens, inde in Germaniam redit: multisque
copiis adest sequenti anno, nactusque
num præmortuo filio regnantem solum,
filiæ artibus invadit regnum. Semel enim
factus captivus Wortigernus, primo liber-
bus provinciis, deinde vitam, traditis
ocis, coactus est redimere. Tunc barbari
mnia et sacerdotes debacchantur, flamma
squidquid religionis est prosternunt. Wor-
pse in Cambriam seu Walliam fuga elapsus,
in oppido sese munit. Huc qui eum secuti
uias fidei Britannicæ advexerunt; cætera
idololatriam misere redierunt. Heptar-
inde barbari, seu septem regna aliud alio
constituerunt. Juttarum regnum fuit Can-
us metropolis Dorovernum seu Cantuaria.
abuerunt tria, quæ dicebantur Saxonum
um, Meridianorum, et Occidentalium; tria
li, nempe Anglorum Orientalium, Mediter-
i, seu Merciorum, et Nordanhymbrorum,
anniæ constitutionem est nactus Augustinus
s qui a S. Gregorio magno ad eam gentem
is. Quando autem nonnullo intervallo ea
fidem reversa sint, quanquam digessi in
gia, lubet hic uno ductu delibare Cantii
cujus urbs primaria Dorovernum seu Can-
nde Cantuarios et Vectuarios Beda incolas
Juttarum origine, omnium primum evan-
eillustratur ab Augustino monacho primus-
ium heptarchiæ regum Ædilbertus, seu
tus, idololatriam detestatus, catholicam
plectitur an 597. Post septem annos, nempe
xonia Orientalis, quam hodie regionem
i et Mediam vocant, baptismo sui regis
, qui et Seberetus, illustratur. Northum-
e in duas olim provincias seu regna Ber-
i et Deiorum, Beda teste, dividebatur,
i regem baptizari gloriata est anno 627, 12
die sancto Paschatis, Eboraci, ab episcopo
cui præmium rex dono dedit urbem ipsam,
fieret episcopalis; sexque annorum præ-
e multa per sanctum episcopum millia sunt
a. Orientalium Anglorum regnum, quod
ebatur provincias Norfolciam, Suthfolciam
brigiam cum insula Elii, ut ait Pagius au-
Spelmanni (*an.* 627, *n.* 25), suum quidem
irpualdum, seu Erpenwaldum, Christianum
ri anno 628: at eodem anno eum dolens
, nonnisi 629, aut tardius 630, succedente
, episcopus Felix ejus gentis instruendæ
suscepit. Occidentales Saxones, qui et Ge-
uncupantur, anno 635 baptizato Cynigilso
ege, Christiani fiunt, prædicante Birino epi-
quem papa Honorius eo miserat nulli addi-
i. Rexque idem Cynigilsus, atque Osualdus,
icro eum fonte suscepit, filiamque illius
duxit, donarunt Birino civitatem Dorcic,
sedem episcopalem constituit, hodie Dorce-
n Cobunis, et Oxoniensi comitatu appella-
ciorum regnum, quod usque ad annum 626
uta heptarchia duces administrarunt, at tunc
egis nomen sibi ascripsit, an. 653, regnante
fidem est amplexum Oswii, Northumbrorum
filii ejus Alcfridi opera. Australes demum
, seu Westsaxones novissime omnium he-
e regnorum Christo dederunt nomen anno
um rege Edilwalchio fidem catholicam am-

A plectente. Sic quator et sexaginta annorum spatio vasta ea insula Evangelii leges amplexa est; cujus antea pars minima, nempe Cambria, seu Wallia, ubi reclusi erant Britanni, fidem quidem conservabat, sed in ritu de Paschate et quibusdam aliis ab Ecclesia Romana dissidebat.

18. Quam recte utriusque regni vicissitudines conjunxerim, vel inde patet quod utrumque Ecclesiæ Occidentalis faciem minus horridam septimo præsertim sæculo nobis exhibet; cum Langobardorum vesania et audacia Cæsarum difficilia Italiæ tempora reddebantur. Præterea tanta utriusque similitudo est, tanta conjunctio, ut quæ uno ferme eodemque tempore Hispania ab Arianis, ab idololatris Britannia catholicam religionem et sacras Ecclesiæ leges conculcari passæ sunt; uno item eodemque fere tempore illa a S. Leandro Hispalensi, hæc a S. Augustino monacho uberrimo Evangelii flumine irrigari cœperint, atque hæc impietatem, illa errorem de-
B ponentes, decorem Sponsæ Chrsiti postliminio revocaverint. Quamvis enim magnum id discrimen eas intervertat quod Britannia paulatim illustrata, splendorem diuturnius præsetulerit; Hispania vero instar fulguris catholicas voces penetrasse in omnes fines gloriata, sit brevi experta gravius magisque deplorandum ob Saracenicam invasionem incommodum. Nam Wortigerni cum paucis elabentis in Walliam calamitates, Pelagius et sui confugientes in Asturiam perpessi sunt: tamen, cum nova hæc calamitas, quæ trium sæculorum silentium Ecclesiæ Hispaniensium indixit, octavo sæculo acciderit, nihil impedit quin toto septimo elabente utrumque regnum conjunctim spectemus amplissimæ religionis segetis feracissimum, postquam vidimus conjunctim utriusque horrorem duobus fere sæculis quæ præiverunt. Atque utinam simili Brtiannia infortunio iterum fuisset obnoxia, ut similis semper utriusque conditio ad nostram usque ætatem memoraretur!
C Nam Hispani, qui ad Asturiæ montes confugerant, secumque fidei reliquias advexerant, hanc semper incolumem servaverunt; et ubi angustos regni fines paulatim dilatare iisdem licuit, ad sartam atque tectam Ecclesiæ disciplinam ubique conservandam, plures episcopos habuerunt, ut testatur synodus Ovetensis anno 882 celebrata, cui episcopi duo et viginti Ovetensi subjecti interfuerunt. Quare postea, cum virtus extremorum Gothicæ gentis regum ignavia labefactata, sensim Hispanis rediit, cœperuntque barbaros prælio vincere, atque ex urbibus integrisque provinciis propulsare, pari religionem gressu quo arma in eas victricia intulere. Nec, quamvis magna vulnera acceperant sacri canones, novi fuerunt opus præcones fidei, qui Evangelium, a quo Hispani non defecerant, iterum annuntiarent.

19. Cæterum hanc novam calamitatem Hispaniæ magna ex parte allevat gens inclyta Germanorum a S. Bonifacio, cui factum postea nomen ejusdem gentis apostolo, ex idololatriæ tenebris universim edu-
D cta per idem tempus. Huic autem universæ Germanorum conversioni ante exitum septimi sæculi proluserat S. Willibrordi prædicatio, qui omnium primus in Frisia et aliqua in Germaniæ parte Evangelium annuntiavit, fundavit Ecclesiam, eamque martyrum indigenarum sanguine conglutinavit. Quæ tam longe et tam late per Occidentem diffusa Evangelii prædicatio portendebant tum imperii, tum Ecclesiæ Orientalis, semper levis semperque inconstantis, primo imminutionem, deinde etiam excidium. Ubi enim audacissimis semper studentes hæresibus, demum sacras imagines persecuti Augusti, ad extremum audaces esse cœperunt, et Ecclesiam pessum quotidie ire, et imperium vacillans primum, deinde penitus dirutum aspexerunt. Quod si, ut aiebat Baronius, « consilio Dei factum ut cum insurgerent in Romanos pontifices imperatores, Italiæ milites in eos rebellarent, malentes pro salute pontificum in discrimen adduci, quam Græcorum manibus ipsos

relinquere indefensos. Ex hoc tempore exarchorum vires admodum tenues reddi cœpere; contra verò Romanis pontificibus, pro quibus milites starent, auctæ sunt. Et quod in libris Regum est, tunc accidit, ut post longam concertationem decresceret in dies domus Saul, cum David magis proficeret.» (Bar., *an.* 701.) Cum vero ad tantum audaciæ iidem venerunt, ut Christi, sanctissimæ Virginis sanctorumque omnium effigies protriverint, publicisque eas edictis ubique conculcari præceperint, tunc præcipua imperii parte exuti, vanum imperatorum Romanorum nomen retinentes, nihil profecto aliud præter imaginem ad captam usque Constantinopolim servaverunt imperii. Ea propter, quæ Blanchinianæ chronologiæ erant pars major, res civiles et ecclesiasticæ Orientales, minimam nostræ partem occupabunt. Tria enim prædicta florentissima Europæ regna in rerum Orientis locum succedent, sternentque, ut ita dicam, amplissimam viam enarrandis in quinto operis hujus volumine de primis Occidentis Augustis post instauratum imperium piissimis Franciæ regibus tam bene de apostolica sede et de Romanis pontificibus meritis, quorum prædecessores Carolus Martellus et Pippinus quid præclare pro eadem sede gesserint, infra digestum per annos videre est.

20. Caroli quidem Martelli majoris domus voluntas magis quam facta commendantur: morte autem hunc præveniente Pippinus filius, rex Carolingiorum primus, apostolicam sedem tum a Langobardica tyrannide et ab scelestis Iconomachorum conatibus liberavit; tum Exarchatu primum et Pentapoli, deinde aliis regionibus, urbibus castrisque plurimis locupletavit: quæ extrema in hujus voluminis parte fusissime in Pontificali Libro enarrata, in extrema pariter parte chronologiæ singillatim expendi. Qua Carolus Magnus et successor Ludovicus Pius, præ aliis successoribus, munificentissima liberalitate sanctam Sedem prosecuti sunt, eam et narrationis prolixitas et moles voluminis differendam ad aliud volumen persuaserunt. Quid? Miraris bipertito promissam chronologiam a Blanchino præsule (*præf. ad tom.* II) quadripertito divisum iri? Sis per me monitus quod doctissimus vir, copia rerum obtutus, consilii aliud cepit, cum tertium operis volumen eis Pelagii secundi ætatem non produxit, idemque, immanibus aliorum laborum studiis fatigatus, quibus brevi animam profudit, Prolegomenon valde inops in lucem edidit. Quapropter V. C. P. Joseph Blanchini, præsulis nepos, patrui gloriæ jure studens, tres optimæ notæ miræque antiquitatis codices tertium idem volumen illustrantes nactus, Decretum Gelasii, Sacramentarium D. Leonis Magni, et Psalterium antiquæ versionis Italæ, ne minus opportune minusque utiliter ederentur in lucem, huic quarto tomo præmisit. Consilium profecto erat tum tria prædicta opuscula, tum alia plurima ab eodem V. C. simul congesta seorsim edere; at ne Anastasii cum notis variorum continuationem exspectantes deluderentur, optimum visum est pontificum Vitis quæ supersunt divisis in duas partes bipertito pariter divisa prolegomena, ut fieri est cœptum, præmittere; ita ut volumen quartum a S. Gregorio Magno ad initium regni Caroli Magni, nempe ab anno 590 ad 768, perveniat; quintum vero totum opus perficiat. Neque imprudenter factum id videtur; nam quartum Langobardorum et Exarchorum tyrannide afflictos pontifices et Italiam repræsentabit; et quintum præseferet ditionem apostolicæ sedis maximis auctam incrementis per Francos reges ejusdem beneficio ad summum imperii fastigium evectos.

21. Redeo ad Pippinum, primum ditionis sanctæ sedis amplificatorem. Huic potissimam amplificatæ ditionis ecclesiasticæ gloriam deberi omnes fatentur, ejus enim rei memoria conservatur in antiqua tabula Ravennatensi apud Papyrium Masson. lib. II.

PIPINVS. PIVS. PRIMVS. AMPLIFICANDÆ. ECCLESIÆ. *VIAM.* APERVIT. ET. EXARCHATVM. RAVENNÆ. CVM. AMPLISSIMIS..... *cætera exesa.*

At recentiores nonnulli eruditissimi, præque iis Antonius Pagius, epochem civilis administrationis sanctæ sedis huc revocant. Siquidem hic postquam cum Baronio examinavit alterum Pippini adventum in Italiam, donationemque amplissimam sanctæ sedi factam, quam fuse Liber Pontificalis enarrat in Stephano II, al. III, laudatam epigraphem interpretatur (*an.* 755, *n.* 6) quasi hinc certa incœperit dominatio civilis pontificum, statuitque cum continuatore Fredegarii ejus principium anno prædicto 755. Equidem prætermitto id parvum unius anni discrimen, quod intercedit Fredegarii continuatorem inter et Annales Fuldenses, sequenti anno Pippini donationem consignantes; sed juvat a Pagio inquirere num aliquid primum instituere et idem amplificare sint illi unum atque idem? et ne grammaticis quæstionibus immorer, statim urgeo: Duplex Cottiarum Alpium restitutio ante Pippini donationem facta; prima nimirum Joanni VII ab Ariperto (*Anast.* num. 168; *Diac.* l. VI, cap. 28); altera Gregorio II, a Liutprando (*Anast.* num. 179), attendi non debeat, ac si Alpes Cottiæ Patrimoniorum et Curtium conditionem imitentur; sed Galientium castrum, quod S. Gregorius III redemit a Spoletino duco Trasimundo, Curtesne et Patrimonia imitabatur? Audiatur Anastasius: « Dans pecunias non parvas Trasimundo, duci eorum, ut cessarent bella et quæstiones, potuit causa finire, et in compagne sanctæ reipublicæ, atque in corpore Christo dilecti exercitus Romani annecti præcepit.» *Num.* 203.) Num forte putat Pagius sanctam rempublicam corpusque Romani exercitus ditionem respicere impii Leonis, a quo Italia omnis defecerat, ut Romanos pontifices tueretur, in quorum ditionem haud dubie omnis concessisset nisi tot armatorum mole premeretur? Audiat igitur clarius ipso ab Anastasio testimonium, ubi agit de quatuor Zachariæ civitatibus restitutis: « Prædictas, inquit, quatuor civitates, quas ipse ante biennum per obsidionem factam pro prædicto Trasimundo duce Spoletino abstulerat, eidem sancto cum earum habitatoribus redonavit viro.» Quæ post, recensente Anastasio patrimonia Sabinense, Narniense, Auximanum, etc., aliud emicat argumentum quod infra expendam.

22. Miratus sum scilicet quod Pagius, q i recte arguit Cointium falso tradentem Romanam etiam urbem in ditione imperatorum Spoleos permansisse usque ad annum 796, idem postea, distinctis cum Cointio laudato patrimoniis juribusque sanctæ sedis, concludat quod: *Jura, loca, fines ac territoria civitatum* pertinent ad donationem Pippinianam; patrimonia vero tum intra tum extra eam donationem consistunt. Id enim est constituere Pippinum auctorem ditionis ecclesiasticæ, quod aperte pugnat cum supra allata epigraphe Ravennatensi, quæ non auctorem aut institutorem, sed amplificatorem ejusdem ditionis eum appellat. Qua in re studii causas non habens procul, ut historicum decet, nec pro Francorum regum, nec pro apostolicæ sedis dignitate loquitur; hujus enim ditionem in civilibus ex donationibus emergentem nobis tradit, quæ ex ultro sese dedentium populorum voluntate suam trahit originem; piissimos vero Francorum reges, qui ecclesiasticam ditionem certatim amplificarunt, Pippino rem feliciter incipiente, perperam docet principatum instituisse, quod manifeste falsum est. Enimvero, ne ullus ei scrupulus remaneat, Anastasius in Stephano II, al. III (*num.* 246 *et* 247), antequam memoret Pippinianam donationem, semel et iterum vocat civitates et loca ab Aistulpho invasa *sanctæ Dei Ecclesiæ ac reipublicæ Romanorum jura.* Deinde ad donationem veniens post alteram obsidionem Ticini (*num.* 252 *et seqq.*) primum restitutas testatur civitates, deinde perpetuo possidendas Romanis pontificibus a Pippino donatas. Quæ autem erant hæ restitutæ primum, mox donatæ civitates? Earum omnium, quas Anastasius ibidem enumerat, nulla

rniam, ad Romanum ducatum pertinebat; A
incta apud eum mentio occurrit: « Necnon
em Narniensem quæ a ducatu Spoletino
tomanorum per evoluta annorum spatia
:asa. » Quapropter nulla ex quatuor lau-
latibus antea restitutis pontifici S. Zacha-
suis habitatoribus, in Pippinia donatione
r; at Ravenatium, Æmiliæ Pentapolisque
nt; quas profecto regiones a Pippino do-
e summis pontificibus controversia nulla
n id vocari in controversiam posset, num
:giones, quarum civitates vocantur *Jura*
anorum et sanctæ sedis, ultro se ante de-
ontificibus cum ab imperatoribus Orientis
t, ac postea invasæ a Langobardis fuerint;
elli a Francis captæ, sint donatæ pontifi-
quoniam hanc evolvens controversiam,
is modum excederem, intactam relinquere
co.
im id præterire non debeo, quod ostendet B
udata epigraphe appellari amplificatorem,
vero a Pagio et aliis institutorem ecclesia-
cipatus Pippinum. Præ aliis, quas Italia
ntationibus per exarchos inductis, magna
i fuit, cum Longinus eam in ducatus for-
:git. Perstiterint necne prætores urbani,
lures in S. Gregorii epistolis memorantur,
fert; certe urbs Roma et ejus ducatus per
regia urbe missum regebantur. Sic stetit
: administratio usque ad annum circiter
impius Leo ut melius ac tutius persequi
posset, S. Gregorium II, modis omnibus co-
interficere. Tantum facinus perpetraturis
im, ait Anastasius (*num.* 483) Marinus im-
patharius, qui Romanum ducatum tenebat,
issus urbe, imperatore mandante hoc pro-
inc defectio omnis Italiæ antea memorata;
tis ubique ducibus excussum jugum impe-
lenique origo certa ditionis Ecclesiæ; nam
:s ipsi in partes divisi, pars eorum ponti-
imperatori adhæserunt: ipse exarchus Pau-
s, duxque Romanorum Petrus afflictus:
lta et oppida in Æmilia et Pentapoli Lan-
se dedunt: Eutychius exarchorum extre-
sus Cpoli in cæsi Pauli locum, ut impium
et facinus in Romanum pontificem, res
:isas inveniens, Romani ejusdem pontificis
uxilium implorat, a quo defenditur. Dux
manorum Stephanus, Petri successor, non
ab imperio pendet, sed a Romano pontifice.
III nutu obsessam a Liutprando Urbem de-
S. Zachariæ mandatis obtemperans, dum
tifex Ravennam proficiscitur tuiturus Ex-
eam gubernat. Historiam hanc totam nar-
asius, quam ego explicui, non excogitavi.
ut vidimus, novam regiminis formam SS.
: Gregorius III et Zacharias induxerunt,
nen magnæ rerum partis potiebantur; ea-
:er quod suum erat ab invasoribus Lango- D
petebant, et hi vicissim tanquam propria
et urbes et oppida restituerunt. Ita regale
um, quo nullum sanctius, nullum est fir-
rbe terrarum, originem habuit quam regna
:æclariorem. Studium nimirum et pietas
m primo illud instituit, deinde Francorum
nificentia accedente, quæ virtute et armis
im manibus scelestissimisque Orientis im-
us eripuere, ea diplomate donationis fir-
petuo possidenda sedi apostolicæ largiti
iationis Carolinæ exemplum ex codice Far-
Caroli ævo descripto, videsis infra, col. 225,
im dictorum firmitatem.
od si quis, Pagio adhærens, litteras cum
terpretatus erit Gregorii III ad Carolum
i, majorem domus Franciæ, in quibus do-
atifex, quod quidquid reliquum erat in
Ravennatium *pro subsidio et alimento*
pauperum Christi, seu luminarium concinnatione (Pag., *an.* 760, n. 4), a Langobardis desolabatur; is certe, cum vulgi opinionem posuerit, discens ab ecclesiastica historia quod sanctæ sedis administratio civilis non cœpit ævo Constantin. Magni, tantulum opinionem de hujus imperatoris donationibus Patrimoniorum, ac de Patrimoniis ipsis imbiberit, ut pro eorum indemnitate aliquid loqui, seu potius memoria repetere, necessarium esse existimem. Memoriam, inquam, repetere; nam doctissimus præsul Blanchinus in notis ad S. Sylvestrum cum Nicolao Alamanno de Lateranensibus parietinis eadem late expendit, singillatim enumerat, eorumque ex reditibus in summam collatis. 35 milleos solidos confici ostendit, quos Nicephorus et Theophanes affirmant pendi quotannis consuevisse a præsidibus provinciarum ante Leonem Isauricum. Ii vero solidi nummum aureorum vulgo *doppie* septemdecim millia erant ex ejusdem computo; ac proinde totidem quotannis inferebantur in ærarium apostolicæ sedis, nomine Patrimoniorum; quorum reditus parte decima pinguiores erant, in ministros exactionum insumi solita. Hæc profecto si animadvertantur, tum omnem nobis eripient admirationem ob immensas pontificum largitiones, basilicarum instaurationes aliosque ingentes sumptus, qui nostram ætatem referunt; necnon ob identidem perpetratas a barbaris patriarchii Lateranensis expilationes, jussasque ab iisdem summas immensas ad redimenda ablata: tum in maximam conjicient ob divinæ omnipotentiæ consilium. Vixdum enim impius Isauricus *Patrimonia SS. principum apostolorum, quæ olim Ecclesiis auri dimidium, et tria conferebant argenti talenta, publicæ rationi exsolvi præcepit* (Theoph. *in Leone*), quod nullus prædecessorum ausus erat, vidit exaltari Ecclesiam, se autem in dies magis humiliari. Perinde factum diximus de Langobardis in sancta manus scelestas extendere non verentibus. Ac præterea innumera afferri possent exempla hujusmodi, C unde evidens fieret Christum pugnasse semper in manu forti pro Ecclesia, cum ejusdem vicariorum gladio ancipiti irreverentes principes insultarunt. Summi enim pontifices ut bona Ecclesiæ vindicent illo semper sunt usi, semperque utentur, quippe qui non inhærent solo jure Patrimonii, ut aiebat Blanchinus, sed alio potiori divinis e legibus emanante, quo res Deo sacræ per summum Dei sacerdotem procurandæ, possidendæ, retinendæ et repetendæ sunt a sacrilegis usurpatoribus, quoties occupentur. *Vide notas Blanchini ad Sylvestrum, infra.*

25. Pauca hæc non potui quin afferrem, ut liquido constaret legenti, ad sanctæ sedis res quod attinet. Baronii sententiam sequi oportere, non Pagii; qui, ut multis novis rebus Annales Ecclesiasticos illustraverit præsidio monumentorum quæ post mortem illius prodierunt in lucem, meliusque inierit rationes temporum, non pauca, quæ doctissimo cardinali objecit, siluisset utilius. Idque non difficile deprehendet, D quem sedulo utrumque conferre non pigeat. Equidem audacius fortasse quam par erat, eruditissimi Pagii opiniones ad trutinam revocavi, quam rem ipsemet ægre fero; de scriptore enim agitur qui tantam sibi apud omnes æstimationem et admirationem collegit, ut passim annalista omnium facile princeps prædicetur. Huc accedit quod quamvis propriæ opinionis tuendæ causa, confutare alienam semper licuit, nonnunquam tamen genus vitæ, conditio, ætas prohibent hujusmodi licentia uti; non enim ingenia omnia ad aliena scripta discutienda eorumque auctoritatem infringendam natura finxit. Præterea id graviori me reprehensione dignum faciet, quod quem auctorem ad singulos fere passus consului, ubi spinosiora puncta fuerunt obvia, ab eo non semel defecerim, quod ingrati animi vitium fortasse aliquis nuncupabit. Qui autem secus me gererem, quandoque doctissimum cardinalem Baronium, injuria reprehensum aspiciens quandoque etiam præsulis Blanchini opi-

niones recta oppugnari considerans? De ordinationibus pontificum Romanorum, exempli ergo, Blanchiniana doctrina Pagii opinioni adversatur; namque hic ordinatos seu consecratos eosdem docet diebus Dominicis aut solemnioribus festis, quot ut evincat, festis non semel diebus accenset quæ apud vetustatem non erant, ut de festo omnium Sanctorum et Cathedra Romana in notis ostendi. Blanchinus contra non modo Romanos pontifices, sed ipsos episcopos ordinari consuevisse tradit post pacem Ecclesiæ redditam diebus tantum Dominicis, quod multis astrui posset exemplis episcoporum, præsertim Angliæ ad catholicam fidem recens conversæ, vel, ut dicam melius, reversæ. Hinc est quod in tantæ opus eruditionis Baronianam criticem aliquando invectus videar, cum revera ejus auctorem eruditissimum semper sequar semperque magis admirer.

26. Cæterum quota quantaque usus fuerim libertate adversus Pagium, nullam quidem ob rem compellor veniam petere, præterquam ob conjecturam quam trium imperatorum, Anastasii, Theodosii ac Leonis Isaurici chronologiam statuere ausus sum, conjectura Pagii adversante; nam ipse etiam historiam vetustate obtutam conjiciendo maluit tradere, quam cum Theophane enarrare. Itaque ut digesta per annos facilius intelligantur, promendum censeo quod conjeci adversus Pagium. Animadverti esse certum Anastasii principium apud omnes. Leonis vero incertum; nam recentiores, temporum augustiis compulsi, a Baronio discrepant spatio annuo, ad annum, 717, initium Leonis differentes, in quorum sententiam ivissem pedibus, nisi epistola S. Gregorii II testata mihi esset, Leonem imperare cœpisse ind. XIV, quæ annum indicat 716. Quare alterutri opinioni standum mihi esse putans, nec tamen a Theophanis auctoritate recedendum, firmavi cum Baronio principium Leonis anno prædicto 716; et quoniam Copronymi ætate ab ejusdem exitu metiri oportere ratus sum, tam Leonis quam Copronymi primordia retrahenda dixi in notis ad Gregorium II. At postea re maturius considerata, ac pontificum litteris per otium examinatis, comperi quod, vitans Pagii lapsum, non leviori lapsu alio sum implicitus, dum removi principium Copronymi, quod mox patebit removeri non posse. Trium vero laudatorum Cæsarum ætates non invicem disjungi at simul connecti debere intellexi, ac proinde chronologiam Theophanis retinendo ita singulas intertextas exhibeo, ut Anastasium, et Theodosium atque hunc et Leonem simul administrasse imperium palam faciam; namque esse acclamatum Theodosium superstite Anastasio, et Leonem vivente Theodosio idem Theophanes dilucide narrat.

27. Artemius igitur, Philippico in ordinem redacto, qui annum unum et sex menses regnum gesserat, ut recte Paulus Warnefridi *(lib. VI, c. 34)*, cœpit imperare *ipso S.Pentecostes Sabbato, undecima indictione circa vesperam*, ait Agatho Diac. in sua peroratione (ap. Combefis. *Auct. Bibl. PP.*, apud Pag. *ann. 711 et 713*), id est die 3 Junii an. 713, imperavitque annos duos, menses novem, ut habet Theophanes, emendatus a Pagio *(an. 714, n. 3)*, et quidem recte; nam præterquam quod Liber Pontificalis testatur S. Gregorium II, qui ordinabatur die 19 Maii 715, fuisse temporibus *Anastasii* (ita enim est appellatus Artemius, quando coronam accepit) *Theodosii et Leonis*, exstat in editionibus Conciliorum capitulare ejusdem Gregorii II Martiniano episcopo et Georgio presbytero in Bajoariam proficiscentibus, *datum Idib. Martii anno Anast. 3, pontificatus* (postconsulatus) 3. Unde liquet Anastasii abdicationem, ante dies decem factam, Romæ adhuc ignorari. Theodosius vero, Anastasii successor, imperavit, ex eodem Theophane, juxta laudati Pagii emendationem, annum unum, menses tres, ita ut *uterque Augustus annos* expleverint omnino quatuor, qui duobus mensibus ac diebus novem eis terminum a Theophane stabilitum 25 Martii pro inauguratione Leonis progrediuntur; quod tam Baronii quam Pagii opinionem evertit. Præterea certum, ut vidimus, principium Anastasii ab exitu item certo Copronymi distat annis 62 mensibus 3, diebus 11; nam totidem excurrunt a die 3 Junii an. 713 ad 14 Septembris 775, cum esse mortuum Copronymum certo constat. Sed Leoni tribuuntur a Theophane a. 24, m. 2, d. 25, et Copronymo a. 35, m. 2, d. 26, qui in summam collati dant annos solidos 59, menses 5, dies 21, his autem si addantur prædicti anni 4. Anastasii et Theodosii, summa colligitur annorum 63, m. 5, d. 21, quæ anno uno, duobus mensibus ac diebus undecim amplior erit quam fines præscripti principi Anastasii atque exitus Copronymi patiantur. Ad hæc accedit quod numerus annorum 59, m. 5, d. 21, inter Leonem et Copronymum dividendorum, minui non potest, nisi magno cum Theophanis chronologiæ detrimento, quod fieri non debet recentiorum arbitrio, nisi vetustatis auctoritas suppetat Theophani præferenda. Theophanes vero illigat principium Leonis cum anno Alexandrino 709, nobis 716, mortemque Copronymi cum 768 nobis 775, qui duo termini invicem distant annis 59, menses autem numerantur a 25 Martii ad 14 Septembris. Nec remanet confugium ad mensem Martium 710, Alexandrini, Dionysiani 717, nam centies monuit Pagius quod Theophanes cum civili anno a mense Septembri numerat Augustorum annos, tametsi aliquot ante menses incœptos.

28. Hæc cum ita sint, chronologiam igitur novam oportet stabilire, spectata rerum serie. Anno 715, Anastasius instructam classem mittit adversus Saracenos *(Anast. Bibl.; Theoph., Miscel.)*. Sui autem milites rebellant, e medio itinere deflectunt, ac Theodosio acclamato imperatore, obsessum Cpolim redeunt eodem duce. Hisce auditis Anastasius, rebus pro temporis angustia dispositis, Nicæam confugit, ibique se munit. Interim Cpolis semestrem obsidionem passa, Theodosio se dedit, qui in eam ingressus coronatur, deinde Anastasium in ordinem redigit, mense Martio ineunte an. 716, ut e supradictis colligitur. Tum temporis Leo, prætor Orientis, qui Anastasii partes pro viribus tuebatur, degebat Amorii in urbe Phrygiæ Salutaris. Huc pervenit eodem anno 717, calipha Saracenorum Suliman, qui terra ducebat exercitum, Umaro classem admovente Cpolim, quo Saraceni arma inferebant. Continuo Saraceni acclamant imperatorem Leonem eorumque vocibus concinentes milites prætoris intra mœnia, imperatorem eum acclamant. Tentata mox nequidquam Amorii animorum fide per ducem Saracenorum Musalmam, « Consilium quippe habebat æstate capere illud, et exspectandi classem, et sic in Asiam descendendi atque hiemandi *(Auctor Miscel.)*, » eum inter et Leonem convenit: Musalma in Asiam hiematum abit; Leo vero, videns liberas Romanas provincias, Nicomediam petit, filiumque Theodosii ibi degentem cum regio omni apparatu secum ducit Cpolim; quare Theodosius, consilio habito cum S. Germano et proceribus, relinquit imperium Leoni, ipse cum filio fiunt monachi. Hæc facta anno 716, ex mox dicendis planum erit. Anno sequenti 717, Musalma, qui, hiemans in Asiam, illusum sibi esse sensit a Leone, arma iterum movet in Thraciam, dataque ad Sulimanum epistola eum accersit cum classe: die quinta decima Augusti cœpit obsidio illa celebris Cpolis, qua beata Virgo urbem liberavit *(Theoph.; Aut. Misc.)*. Calendis vero Septembribus ipse Suliman præsto est cum classe; at paulo post, die scilicet 8 Octob. moritur Suliman, daturque ei successor in caliphatu Omarus anno secundo imperii Leonis, æræ Dionysianæ 717, ut Theophanes et Elmakinus, cujus auctoritate utitur Pagius, qui Baronium arguit anno spatio discrepantem (Pag., *an. 717, n. 1; 718, n. 2*). Insuper anno Leonis tertio nascitur ei filius Copro-

s, et coronatur Maria uxor die 21 Octobris, A
bet Theophanes, seu 25 Decembris, ut auctor
llæ: quæ Pagius, similimodo arguens Baronium,
ad annum 718 (Pag., *an.* 719, n. 9). Quæro
: si die 8 Octob. an. 716, erat in cursu annus
nis, ac 24 Octob. sequentis anni tertius, qui-
eo inauguratus fuerit die 24 Martii anni 717?
recentiores sit fides.

Vel hinc omnes vident Leonem cœpisse im-
ante mensem Octobrem anni 716. Epistolæ
sæpius laudata Gregorii II primordia ejus-
ia esse suadet ante mensem Septembrem ejus-
anni. Equidem, ut dicam quod sentio, Leo
natus fuit Amorii principio expeditionis Sara-
um, indeque annos numerat Theophanes, qui
quoque innuit, nempe 24 mensis Martii; falso
Pagius clamat contra Baronium ita docentem,
ens ejusdem Theophanis auctoritati, qui nu-
annum primum Leonis ab Ind xv et anno
709; recte enim omnia procedunt; etenim B
ndicto xv quam annus 706 incipiunt Kalendis
nbribus anni Dionysiani 716; nec aliud pecca-
eophanes quam indicando ipsum mensem et
labentis anni, quam rem persuasisse putarem
, ut crederet chronographum, consueti moris
m, non amplius numerare annos Cæsarum cum
civili, at singulari in Leone methodo usum
nisi de Leonis ipsius principio ita diserte idem
s (*an.* 727, *n.* 1): « Theophan., qui Leonis
ium cum anno Dionysiano 716 recte copulavit,
im imperii ejus annum a Kal. Septemb. de
cum anno civili inchoavit. » At, bona cum
venia, dum Theophanes de more incipit Leo-
nos cum anno civili 709, nonne omnis doctri-
is rueret, tum de reditu Theophanis in viam
iuturnum metachronismum contra viros do-
nos Henschenium et Papebrochium continuari
ndentes; tum de ratione numerandi ab eodem
hane adhibita, si mensem Martium anni 717
sset cum 709 Alexandrini principio? Insuper C
dversione etiam dignum est, quod indictionem
adjungit Theophanes Leonis primordiis, nisi
quitur de ejus morte et de successione Copro-
; non enim aliam debuit illigare cum Septem-
onysiani anni 716, unde incipit Alexandrinus
idem vero recte indicat indictionem IX, quia
ipsa emortuali 18 Junii anni 741 res est,
iona indictio in cursu erat. Eademque de
orditur imperium ejusdem Copronymi ab eo-
ie emortuali et indictione, quas illigat cum
Alexandrino 733, cujus adhuc supererant
duo ac dies duodecim: quam minutam ani-
rsionem negligentes Henschenius et Papebro-
continuari metachronismum usque ad finem
ymi tradiderunt. Cæterum Theophanes duos
tos menses ac dies duodecim anni Alexandrini
o anno solido numerat semel et iterum in
ymo, quem imperasse ait annos 35, mani-
ibi contradicens, nam in Leone, eumdem im- D
docuerat solos 34. Ac proinde utriusque
ti ætatem ad annos Dionysianos accommoda-
m chronologia Theophanis haud pugnantem
isidero. Leo Isaurus, acclamatus Amorii die
tii an. 716, imperat an. 25, m. 2, d. 25; mo-
lie 18 Junii 741. Constantinus Copronymus
it ab eodem anno et die emortuali patris an.
2, d. 26; moritur die 14 Septembris an. 775.
Itaque nil pensi habitis postremis Leonis
cum falsis Indictionibus copulatis, rerumque
iligenter considerata, ne lectam a Theophanæ
huius impii Cæsaris implevi, numerumque
im Copronymi, ab ipsomet Theophane incon-
initum, restitui. Hinc liquet quod ex annis
4, d. 12, qui excurrunt ab Junii mensis
743, cum inaugurabatur Anastasius, ad 14
b. 775, emortualem Copronymi, duo scelestis-
ugusti, hic et pater, imperarunt an. 59, m. 5,
d. 20; nec remanent nisi anni 2, m. 9, d. 21, inter
Anastasium et Theodosium dividundi. Ac proinde
ab Anastasio in ordinem redacta ineunte mense
Martio an 716, post imperii annos duos, menses
novem, Theodosio non remanent usque ad acclama-
tum Leonem nisi dies præfati 21, cum tamen teste-
tur Theophanes eum imperasse annum unum,
menses tres, priusquam indueret monachum. Qua-
propter juxta rerum seriem per me allatam et Ana-
stasii, et Theodosii, et Leonis tempora simul
contexere opus est, ne tot tamque variæ opiniones
recentiorum Theophanis chronographiæ præferan-
tur. Objicient fortasse aliqui tot pontificias epistolas
annum Leonis per me restitutum, quod antea fece-
rat doctissimus Baronius auctoritate Menologii Ba-
siliani, eidem anferre. Sed hujusmodi objectionem
diluendi causa duplex Leonis principium videtur
considerandum, cum a militibus acclamatus fuit et
cum coronam accepit. Hinc est quod annos Leonis
pontificiæ litteræ non numerant ab acclamatione
Amorii facta, sed a coronatione peracta Cpoli,
postquam Theodosium monachicum institutum am-
plexus est. Hanc vero et rerum series supra allata
et epistolæ utriusque Gregorii II et III docent esse
factam mense Decembri, et quidem adulto, ita ut
cum Leo dedit litteras Gregorio II, ind. XIV, haud-
dum coronam imperii accepisset; quo discrimine
inter Theophanem et pontificum litteras inobservato,
in scopulos sæpe offendere compelleremur: quare
in Leone distingui oportet acclamationem et corona-
tionem.

31. Jamque, ut mihi videor, satis præfatus in chronologiam Cæsaream pontificiam, exhibeo Fastos regum Langobardorum et exarchorum Italiæ seu Ravennæ: illos quidem primo loco, utcunque exarchi eos præiverint; nam veluti effectus causam sequitur, ita, Langobardis ut resisterent, missi in Italiam exarchi, post eorum reges recenseantur necesse est.

FASTI REGUM LANGOBARDORUM.

1. ALBOINUS. Langobardi, annos 42 in Pannonia morati, anno 568, die 2 Aprilis in Italiam proficiscuntur, duce Alboino. Forum Julium primum invadunt, ibique relicto Gisulpho nepote, Alboinus sequenti anno Liguriam occupat die tertia Septembris, ac Mediolanum ingreditur: paulo post aggressus Ticinum, triennio absoluto eam capit an. 573, sedemque regiam instituit. Idem cum ab ingressu Mediolani, Septembris initio, anno 569, regnasset an. 3, m. 6, Rosemundæ uxoris insidiis occiditur Veronæ, mense Martio ineunte (Paul Diac lib II, *Hist Langob*, *capp* 7, 9, 25, 26, 27, 28).

2. CLEPHO. Exstincta cum Alboino regia Langobardorum sobole, gentis ejus nobilissimus Clepho unanimi consensu rex eligitur; qui exsilio et cædibus Romanos affligit, demum jugulatur a suis, postquam regnavit an. 1, m. 6, nempe ab eodem mense Martio emortuali Alboni an. 573, ad Septemb. 574 (Paul Diac lib II, cap 31).

3. AUTHARIS. Post decennale interregnum usque ad annum 584, quo duces triginta quinque omnia tyrannice moderati erant, magna cum Italiæ calamitate (Diac lib II, cap 32; S. Greg, *Dial et epist*), in consilio universali Langobardorum creatur Autharis Arianus, quem Clepho ex Messana susceperat. Duces dimidium eorum quæ possidebant regalibus usibus tribuunt. Hic post regnum sex annorum, ab an. 584 ad 590, veneno, ut fertur, occubuit Ticini nonis Septembribus, cum eodem anno edicto sanxisset ne in Paschate baptizarentur pueri Christiano ritu (Diac lib III, cap 16, et 34; S. Greg lib I, ep. 17).

4. AGILULPHUS, qui etiam Ago. Post mortem Autharis regina Theudelinda assensu Langobardorum sibi eligit maritum, et regem creat Agilulphum,

Taurinatium ducem, ineunte Novembri an. 590, idemque anno seq levatur Mediolani ab universo populo. Post diuturnum 25 annorum regnum moritur Novembri mense anni 615 (Paul Diac, lib III, cap 34; lib IV, cap 43).

5. ADVLOALDUS. Primus a patre ascitus in consortium regni an. 605, et in circo Mediolani acclamatus desponsata ei filia Theodeberti, ac stabilita pace cum Francis: regnare incipit cum matre Theudelinda, cum esset annorum 13; at post annos decem veneno illitus in balneo e solio deturbatur tanquam insaniens, matre præmortua, anno 625 (Diac lib IV, cap 32 et 43; Baron, an. 616).

6. ARIOALDUS. Hic regnum Langobardorum invadens. anno, ut videtur 624, Adaloaldo superstite, regnavit annos 12, nempe usque ad an. 636 ineuntem (Diac lib IV cap 43 *et seq*).

7. ROTHARI, genere Arodus, religione Arianus, qui omnium suæ gentis regnum primus tulit leges scriptas, quas antea memoria retinebant: postquam regnavit annos 16, m. 4, ab ineunte 636 ad mensem Maium 652, relicto filio, quem fecerat regni socium moritur (Diac lib IV, cap 44, 47, 49).

8. RODOALDUS, Rotharis filius, paucis post mortem patris diebus occiditur: quare anni 5, dies 7, regni ejus numerantur cum regno Rotharis, (Diac lib IV, cap 49 et 50).

9. ARIPERTUS, filius Gundualdi fratis Theudelindæ regnare orsus anno eodem emortuali Rotharis, et Rodoaldi 650 in finem vergente, regnat annos 9; moritur exeunte 661 (Diac lib IV, cap 53).

10. BERTARIDUS et HODEBERTUS, filii Ariperti, diviso invicem regno, Godebertus Ticini, Bataridus Mediolani regnant usque ad principium 663, an. 1, m. 3. Tunc enim ab invasore Grimoaldo Godebertus occiditur, Bertaridus ad Gaganum regem Avarum confugit (Diac lib IV, cap 53; lib V, cap 33).

11. GRIMOALDUS. Fratribus de regno decertantibus, quod diviserant, Grimoaldus, dux Beneventi, in auxilium vocatus a Godeberto, hunc suorum fraude proditorem putans occidit, regnum invadit, idque tenet annos 9, ab anno 663 ad 671, incompletos (Diac lib V, cap 33).

12. BERTARIDUS. Audita morte invasoris intra tres menses e Saxonia redux Garibaldo puerulo Grimoaldi filio exturbato, Avitum regnum tenet annos 18 incompletos, a 671 ad 688 (Diac lib V, capp 45 et 47).

13. BUNIBERTUS, Bertaridi filius, in consortium regni ascitus a patre, anno regni sui octavo, post ejusdem mortem regnat annos 12, nempe ab an. 688. ad 700 exeuntem (Diac. lib. IV, cap. 17; Sigeb. 687).

14. LIUTBERTUS, admodum puer regnat sub tutore Ansprando; at mense octavo sequenti, anno 701, ab invasore Ragumberto ejicitur (Diac. *ibid*).

15. RAGUMBERTUS, filius Godeberti, a Grimoaldo invasore occisi, dux Thaurinatium, nactus regis pueri occasionem in regnum redit, eodem anno moritur (Diac. lib. VI, cap. 18).

16. ARIPERTUS II, Ragumberti filius, statim consors regni ab eodem factus. Magnum habuit regni æmulum Ansprandum qui apud Bajoariam exsulabat; anno enim exsilii decimo in Italiam veniens cum Theodeberti, Bajoariorum ducis, auxiliis, rem gerit incerto Marte cum Ariperto: hic autem sevictum credens, in Franciam abiturus, in Ticino onustus auro mergitur, cum regnasset annos 12, a 701 ad 712 (Diac. lib. VI, cap. 35).

17. ANSPRANDUS, vir egregius, Langobardis apprime charus, vix regnum adeptus moritur Idibus Jun 712, cum tres tantum menses regnasset (Idem *ibid.*; *Epitaph. Tic*).

18. LIUTPRANDUS, Anspranді filius, quem Langobardi grati animi ergo patre adhuc superstite acclamant. Regnat annos 31, m. 7; moritur die 13 Januar. 744 (Diac. lib. IV, cap. ult.; Heremp.; Anast.; Concil. Rom. habitum 743; Baron.; Pag. n. 16, 743).

19. HEILDEBRANDUS, Liutprandi nepos eo in languorem decidente, cum crederetur mori, levatur a Langobardis; Liutprando postmodum convalescente fit consors regni. Eo mortuo ab ipsis Langobardis dejicitur augurio territis, dum enim levabatur, cuculus insedit regiæ hastæ. Qua solus, qua cum Liutprando, regnavit octo amplius annis (Diac. lib. VI, cap 55 et 58; Heremp.; Anast.; Diplom.).

20. RACHIS. Dejecto a Langobardis Heildebrando, ad solium evehitur mense Julio anni 744. Zachariæ papæ suasu fit monachus an. 749, postquam regnavit annos 4. menses 9 (Heremp, *Epist. Chron.*; Anast. *in Zach.* num. 217 et 223; Sigeb.; Baron. *an.* 750; Pag. ibid, num. 1).

21. AISTULPHUS. Relictum sibi regnum a fratre administrat, Romano semper pontifici infensus, annos 7. ab anno 749 ante mensem Jul. ad 756 post diem 5 April. (Sieb. *Chron.*; Anast *in Steph. II*, al. *III*; Bacchin *in Petro Seniori*).

21. DESIDERIUS. dux Tusciæ, male pereunte Aistulpho, rex eligitur: regnat annos 18, a 756 ad 774, cum a Carolo Magno, tunc rege Francorum. profligatus, ducitur cum uxore in Franciam. Adalgiso filio ejus elabente Cpolim. Sic regnunm Langobardorum, quo vexata erat Italia annis 206, virtute Francorum exstinctum jacuit (Anast, *in Adrian.*; Heremp., *Annal.*, *Fuld.*, Met., Bert., recentiores meliores omnes).

32. Regum catalogo absoluto, tum aliena, tum mea observata expediam necesse est. Chronologia Pauli Diaconi diligenter servata, S. Gregorii M. (*ep.* 17, *lib.* 1) auctoritate illigo mortem Autharis cum nonis Septembribus anno 590. Hinc retro abiens numero ejusdem Autharis annos 6, interregni 10, Clephonis 1, mens. 6, Alboini 3, mens. 6: quibus in summam collatis, me retrocessisse video annis 21, ac pervenisse ad nonas Septembres anni 569, cum Alboinus invasa ante biduum Liguria ingressus mihi esse videtur Mediolanum Liguriæ metropolim, regiamque olim sedem, ubi præfectus prætorio Italiæ residebat, quam pene excisam a Gothis, Narses instauraverat, ut ait Marius Aventicenis. Ab hoc igitur anno cum Sigonio initium repeto Langobardorum in Italia regni, ut Benedictus Bacchinius, a quo aliquot mensibus discrepo; nampe is non ab ingressu Mediolani, sed ab obsidione Ticini, 29, ut putat, Decembris, inchoat, Agnelli auctoritate compulsus consignantis mortem Alboini 28 Junii: quod profecto improbabile est, quia Ticinum triennio post captum incertam inauditamque originem cum suæ obsidionis principio Langobardico in Italia regno fecisset. Ab anno autem et die emortuali Autharis, nempe 590, nonis Septembribus, ad initium Rotharis legislatoris, certa est chronologia Diaconi. Dat enimvero Agilulpho an. 25, Adaloaldo 10, Arioaldo 12, qui in summam relati, sunt 47 et ad annum deducunt 637, qui die 22 Novembris erat secundus Rotharis, ut patet ex prologo ejus legum: » Anni Deo propitiante regni mei octavo ætatisque 38, ind. II, et post adventum in provinciam Italiæ Langobardorum, ex quo Albium tunc temporis rege procedente divina potentia adjuti sunt, anno 76 feliciter datum Ticini in Palatio. » Qui characteres indicant annum 643, in conclusione vero et dies memoratur 22 *Novemb.* Quare ne acquisituri annum prorogemus indictionem cum Bacchinio, initium Rotharis retrahi debet ad annum 646, et qui annus superfluit in Chronologia Pauli, conjuncto decimo Adaloaldi cum primo invasoris Ariolandi, duplicari. Porro Adaloaldum esse superstitem post regni invasionem testantur pontificis Honorii litteræ pro legitimi regis restitutione: sed Honorius ordinatus fuit pontifex die 27 Octob. an. 625, eodem igitur anno et invasor regna-

et rex legitimus, qui fuit venenati liquoris sce-
unctione seu potione in insaniam versus inva-
ejusdem jussu, numerabat regni sui annum 10.
is Adaloaldum rediisse in regnum falso putat,
us monumentis deceptus *(in Bullar. Cassin.* tom.
æ vitiatam præ se ferunt datam. Indictiones
t nimirum XV et I, annis Adaloadi 16 et 17
ictas mense Augusto; cum doceamur documento
jusdem mensis indict. IX (Ughell., *Ital. Sac.*,
in cursu esse illius annum 3, ac proinde
ictis indict. indicari annos 12 et 13. Quod mi-
ur Pagio perspectum non fuerit; nam laudata
menta ejusdem Bullarii præit donatio Agilulphi
r vitiata, quippe quæ annum Agilulphi 18 copu-
m indict. V. Augusto mense, qui erat conjungen-
m ind. XII, ut ex dictis in catalogo satis liquet.
Operosius aliquanto est Diaconi chronologiam
re ab initio Rotharis ad invasionem Grimoal-
otharim quippe incipere anno 636 jam vidi-
invasum autem fuisse regnum a Grimoaldo
663 manifeste ostendit prologus ejus legum :
Deo propitio regni mei sexto, mense Julio, indict.
æ annum indicat 668. Quare inter 636 et 663
nensem Julium septem et viginti anni solidi nu-
tur, cum occurrant apud Diaconum anni 31,
s 7, dies 7; nam Rothari dat an. 16. m. 4,
ldo an. 5, d. 7, Ariperto an. 9 filiisque
ertarido et Godeberto an 1, m. 3. Quapropter
ini opinionem sum amplexus, qui Rodoaldi
n metitur cum regno patris, ita ut mors utrius-
aucorum dierum discrimine. uno eumdemque
venerit. Neque id novum apud Langobardos,
m erat in morte positum, Augustorum exem,
lios sibi asciscere in consortium regni. Ita
otharim fecit Agilulphus, cujus filii Adaloal-
nos 10, cum matre Theudelinda aperte
at Diaconus post mortem patris (*lib.* IV, *cap.*
lii autem Rotharis an. 5, d. 7, non distinguit
iis patris (*lib.* IV, *cap.* 50). Ab eodem tamen
inio unius anni discrimine disjungor ob tar-
b eo constituta Brioaldi primordia cum Sigo-
uæ res producere indict. II edicti Rotharis
ompulit usque ad Kal. Januar. quod multis
tur exemplis in historia regni Langobardici,
ipsum principium an. 869, die tertia Sep-
is, signatur per indict. III. certum profecto
um quod Langobardi Cæsareæ indictionis
habebant, a Kal. Septemb. incipientis. Cætera
unt. Sed ea quæ sequuntur ab invasionis Gri-
i anno 663 ad principium Liutprandi necesse
considerentur spectato prius Liutprandi ejus-
itio. Hoc vero desiderari quidquam certius
sse videtur; quippe quod desumitur a morte
, cujus memoria exstat Ticini hac in epigra-
b ejus tumulo : *Datum Papiæ die Iduum Junii*
x, nempe anno 712, quam affert Horat. Blan-
. C. in suis notis ad Paul. Diaconum. Cum-
a epigraphe concinit prologus Liutprandi le-
Anno Deo propitio regni mei primo pridie Kal.
indict. XI, nempe anno 713. Necnon monu-
m Parthenonis monialium S. Mariæ et S. Au-
i titulo a Senatore conditi : *Filius honorandi*
, *et Theodolindæ regnante Liutprando anno* 3
jus V *Kal. Decemb. indict.* XIII id est an. 714,
refert Mabillon. *(Itiner. Ital.)* Obiter hic mo-
Mabillonio eidem non audiatur referenti ex
terio Augustinianorum Ticinensi S. Petri in
ureo hoc documentum : *Hæc omnia quæ su-*
ximus, adjudicamus ven. monasterio S. Petri in
ureo, in quo S. ac Vener. Augustinum adduxi-
latum IV *nonas April, regni Liutprandi primo,*
. Nam, præterquam quod redolet posteriorem
uram, nec Liutprandus ad regnum ascenderat
Aprili an. 712, neque ecclesia S. Petri in
ureo fundata erat, nec demum S. Augustini
s advectum e Sardinia illuc fuerat. Liutprandi
principium vel cum die ipsa Ansprandi patris
emortuali 13 Jun. illigari oportet vel paucos ante
dies desumi, cum eidem ægrotanti tertio regni mense
ut gratificarentur Langobardi, filium ejus adhuc
superstitis levaverunt : tametsi, ne in incerto rem
positam sequar, diem ipsam emortualem Ansprandi
13 Junii principium regni Liutprandi constituto.

34. Eapropter utriusque regis, Grimoaldi et Liut-
prandi, principia invicem mihi disjunguntur anni 19
et menses aliquot, nam totidem excurrunt a 683 ad
712. Paulo autem Diacono sunt 552 et nonnulli men-
ses : dat siquidem Grimoaldo annos 9; Bertharido,
post 3 menses creato, 18; Cuniberto 12, Liutberto
mens. 8; Ariperto an. 12, incompletos, quibuscum
numerat incertos Ragumberti menses, ac demum
Ansprando dat menses tres : qui in summam collati
efficiunt annos 52 et duos fere menses. Omnia ta-
men procedent, si trium priorum regum annos cum
Sigeberto et recentioribus incompletos accipiamus,
ut in catalogo indicavi, quod ipse Diaconus fatetur
de Bertarido (*lib.* V, *capp.* 35 *et* 37), nec mortem
Cuniberti eis annum 700 perducamus : regum vero
quatuor qui successerunt chronologiam, proposita
rerum serie, mox expedio. Moriens Cunibertus
exeunte anno 700 committit regnum Liutberto filio
sub tutore Ansprando. Dux Taurinatium Ragumber-
tus, qui ante annos 38 Godeberto patre interfecto,
ac invasore Grimoaldo connivente evaserat, in spem
paterni regni erectus bellum movet Ansprando. Octo
elabuntur menses, dum arma utrinque parantur ac
mense circiter Maio seq. anni 701 confligitur apud
Novaram : Ansprandus et Rotharit dux Bergomatum
fœderati superantur, Ragumbertus in solium ascen-
dit, brevi moritur, Aripertus filius regnat. Reparatur
bellum, fit pugna atrocior, fœderati profligantur,
capto et occiso puero Liutberto, fugato Ansprando,
Rothari in exsilium pulso. Ansprandus deinde, fuga
elapsus in Commacenam insulam, copiis petitur : is
autem ac comperta ad Bajoarios se recipit anno 702
in finem vergente, ut erudite Pagius, motus Pauli
auctoritate (*lib.* VI, *capp.* 22), ac simul conciliatis
annis tetrarchiæ Theodeberti, observat. Novem
ibi annos exsulat; decimo vero ineunte, qui erat
712, cum tetrarcha Theodeberto et Bajoariis præsto
est, rem gerit dubio marte haud procul Ticino. Ari-
pertus se victum putans, fuga in Franciam arrepta,
Ticino mergitur circa diem 13 Martii, ut suadet tri-
mestre Ansprandi regnum, qui ut diximus, 13 Junii
ejusdem anni occubuit mortem, relicto filio Liutpran-
do; quem Langobardi ante patris obitum levaverant
regem. Hujus stabilito principio, cum Diaconus re-
gnum ei tribuat annor. 31, m. 7, illigavimus mortem
cum die 13 Januar. an. 744, contra Bacchinium,
qui anno superiori et mortem Liutprandi et Rachis
principium constituit, historiam Libri Pontificalis
non recte, ut mihi videtur, interpretatus, quem se-
qui deinceps necesse erit; cum morte enim Liut-
prandi explicit Historia Pauli de rebus Langobardo-
rum. Spectata igitur cum eodem Paulo regum octo-
decim chronologia, videndum restat quid de succes-
sorum ætate valeat stabiliri Pontificalis Libri et do-
cumentorum præsidio.

35. Postremi Langobardorum reges quatuor,
Heildebrandus, Rachis, Aistulphus et Desiderius, 30
omnino annos post Liutprandum implent. At cum
eorum historia destituatur præsidio Pauli Warnefri-
di, qui, ne suæ gentis excidium historicus parum pru-
dens enarraret, cum Liutprando desiit, videretur
Herkemperto adhærendum, ne tot tamque variis
recentiorum opinionibus lacessiti, certamen potius
quam regum Langobardorum chronologiam instaurare diceremur : attamen quia chronologum parum
exactum fuisse Herkempertum documenta ostendunt,
alio me vertam necesse erit. Constituam igitur primo
ætatem Heildeprandi conregnantis cum Liutprando,
deinde rerum serie proposita, Heildeprando ejecto
suffecti Rachis principium, ejusque abdicationem
cum fratris Aistulphi primordiis conjunctam, hujus

exitum, ac Desiderii creationem et captivitatem expediam. Conregnasse Heildeprandum cum Liutprando certum est. Id docet monumentum (vitiatæ licet notæ temporariæ) quod Joannes Pusterla bibliothecæ Ambros. præfectus, communicavit cum Mabillonio: *Manigulda Dei ancilla, et veste monialium induta vivens lege Langobardorum, regnantibus Liutprando et Heildeprando, anno eorum 25, ind.* v (Itin. Ital.), Clarius documentum ex archivo Lucensi edidit Fiorentinius apud eruditos celebre: *Regnante domino Liutprando excellentissimo rege regni ejus 24, et excellentissimo nepote ejus Domino Hilprand rege anno 1, mense Martis, indict.* IV. Unde liquet mense Martio an. 736 Liutprandum sibi jam ascivisse socium regni nepotem suum, quem Langobardi, dum morbo correptus ille erat, levaverant, idemque postmodo convalescens sustinuerat. Alio demum documento apud laudatum Mabillonium (*Itin. Ital* et *sæc.* II *Bened.*) confirmatur, quod ipso mense Martio prædicti anni 736 conregnare cœpit Heildeprandus, eratque adhuc superstes pridie Kalendas Aprules anni emortualis Liutprandi 744. Documentum autem ita habet: *Actum Ticini sub die* II *Kal. Apr. anno felicis regni nostri nono Per indict.* XII. Quamobrem Heildeprandus, præter annos octo solidos, regnavit menses aliquot, quorum numerum res vetustate obrutæ indagare non sinunt. Ac proinde novam abbatis Bacchinii chronologiam (*in excursu Chron. ante Jo. Sen.*) penitus rejiciens, menses tantum retinui sex, quos tribuit Heildeprando post Liutprandi obitum: ita ut solio non fuerit deturbatus nisi mense Julio, sex nempe mensibus post Liutprandi emortualem diem, 13 Januarii anni 744. At ne simul pugnantia videar tradere, en Libri Pontificalis synchroni historiam et documenta, quibus utor.

36. Liutprando Ravennam premente, Eutychius exarchus et Ravennates orant pontificem S. Zachariam ut auxilium ferat. Hic legatione ad regem nequidquam adornata, per se Liutprandum ipse convenit. Roma proficiscitur Ravennam, hinc Ticinum, quo pervenit die 28 Junii, anno 743. Die postera sacrum facit in S. Petri in Cœlo aureo. Agi deinde cœptum de Ravennatibus liberandis ac restituendis ablatis. Victa demum regis duritie, conventum ut, cæteris restitutis, partem tertiam sibi rex reservaret territorii Cæsenatis reddendam post Kalendas Junias (anni videlicet 744), dum interim legati regii mitterentur Cpolim ac redirent, Romam revertitur S. pontifex his compositis, atque iterum celebrat festum SS. Apostolorum, quorum natalem diem celebraverat Ticini. Haud ita multo post mortuum esse audit Liutprandum regem ante condictam universæ restitutionis diem, Kal. Jun. 744. Hæc Liber Pontificalis narrat in Zacharia, ac nulla adhibita temporis nota, refert deinde expulsionem Heildeprandi regis a Liutprando relicti, electionem Rachisi, pacemque cum hoc per pontificem stabilitam in annos 20; quæ omnia evenisse anno 744 tum ex dicendis palam fiet. At pergo ad cætera quæ Liber Pontificalis narrat in fine S. Zachariæ, et in Stephano II, al. III. Sancitæ contemptor pacis rex Rachis Perusium aliaque Pentapoleos oppida oppugnabat, cum S. pontifex eum adit, muneribus placat, orationis suavitate ad meliora convertit: quare is, relicto throno, cum uxore et filiis contendit ad sacra limina, inde Cassinum petens monachum induit. Aistulphus, fraterno potitus sceptro, S pontifici Stephano semper infensus, Pippinum Francorum regem pro sancta sede pugnantem habuit hostem, cujus virtutem semel et iterum periclitatus cominus timuit, elusit eminus; at demum fœdifragus Deo ultore inter venandum interiit, postquam vidit Pippiniana donatione Ecclesiæ ditionem Exarchatu, Pentapoli et Æmilia amplificatam. Aistulpho succedit Desiderius, dux Tusciæ, opitulante pontifice, Langobardis invitis; qui cum primo mitis in sanctam sedem, deinde maxima illi detrimenta inferre ausus esset, a Carolo Magno tunc rege Francorum debellatus, cum uxore asportatur in Franciam ann 774, finemque affert Langobardorum in Italia regni, anno ab eorum ingressu ducentesimo sexto.

37. Restat modo ut Rachis, Aistulphi, Desiderii ætates confirmem documentis. Pulso, ut aiebam, Heildeprando, continuo regnavit Rachis (mensis nimirum Julii die circiter 13, an 744), quod comprobant documenta duo: 1, Prologus ejus legum temporariam hanc notam habens: *Anno regni mei secundo* II *die calendarum Martiar indict* XIV. 2. Privilegium ab eo datum *Ticino in palatio, quarto die mensis Martii, anno felicissimi regni nostri secundo, ind.* XIV *feliciter* (Ughell. *Ital. Sac.* t. II; *de Ep. Placent*). Quæ duo documenta cum spectant ad annum 746, certissime ostendunt Rachim levatum esse post diem 4 Martii an. 799, ut fatetur Pagius (*ann*, 736, *n.* 9, 744; *n.* 5, 750, *n.* 1). Quid vero in incerto relinquatur ejus principium, quod et Herkemperti auctoritas et Bacchinii observata reddunt certum? Notat Bacchinius Heildeprando tribuendos post Liutprandum menses sex, qui, ut supra aiebam, ad prædicti mensis exitum perducunt; Herkempertus vero ætatem Rachis definit annor 4, mensium 9, quod temporis spatium ab Julii mensis die tertia decima initum ad diem circiter 13 mensis Aprilis perducit anni 749. Hoc certe anno abdicasse Rachim, Fratremque Aistulphum regnare orsum testatur documentum ejus fere ætatis, quod ita habet: *Anno Dominicæ incarnationis 749, centesimo vero octogesimo ingressionis. Langobardorum in Italiam, vir gloriosissimus* AISTULPHUS (Ratchis) *germano suo devicta Pentupoli suasu Domini Zachariæ papæ facto Romæ clerico sceptrum Langobardorum strenue regens*, etc, (*Script. Ital.* t. I, q. 2, *de Fundat. mon. Nonant.*). Quod monumentum a Pagio alibi observatum (*an.* 750, *n.* 1) non recte ab eodem arguitur, tanquam æræ Langobardicæ annos mutilans; etenim scriptor Ligur ab adventu in Liguriam, sive a Langobardici regni primordiis cœpit, erat autem utriusque in cursu annus 180 usque ad Septembris priores dies æræ Dionysianæ 749. At mensis in incerto adhuc est: duo scilicet documenta Aistulphi primordia inter menses Martium et Julium ejusdem anni restringunt. Prologus ejus legum coegit Pagium ut illud constitueret post Kal Mart; ibi enim legitur: *Anno felicissimi regni nostri in Dei nomine* V *in die Kalendarum Martiar. indict* VII, quæ anno convenit 754. Confirmatio vero bonorum monasterii Farfensis: *Data Ravennæ in palatio quarto die mensis Julii anno felicissimi regni nostri tertio ind.* IV, id est 751, coegit Bacchinium ut Aistulphi principium ante mensem Julium constitueret (Pag. *an.* 750, *n.* 1; Bacchin. *in Agnell.*; *Script. Ital.* t. II, p. I; pag. 168). At monumentum aliud pro monasterio eodem Farfensi: *Datum Ticini in palatio* 5 *Aprilis anno felicissimi regni nostri in Dei nomine septimo per Ind* IX *feliciter*, nempe 756, ostendit Aistulphum non cœpisse, nisi post diem 5 Aprilis; adhuc enim erat in cursu annus septimus. Quæ cum ita sint, ab Herkemperto hic discedendum non arbitror, ut Ostiensis opinionem sequamur cum Baronio, Pagio, Bacchinio et aliis eruditis, quos latuit novissimum hoc documentum; ut enim paucorum dierum discrimen apud Herkempertum occurrat, majori porro discrepantia ab Ostiensi avertimur, nisi falsis niiimur veterum monimentis.

38. Huc accedit quod Pagius, Sigonium et Angelum de Nuce, eruentes ex documentis quod regnum Desiderii cœpit anno 756 exeunte, redarguens, et documenta ipsa insimulans vitiati characteris, alia adversus eos auctoritate non utitur, præter Stephani II, al. III, epistolam (*cod. Car.*) ita habentem: « In ipsis quippe diebus quibus ad hanc Romanam urbem devastandam profectus est (*Aistulphus*) post annui spatii circulum ita divino mucrone percussus est, ut profecto in eo tempore quo fidem suam tentans

piaculi scelera perpetratus est, in eo et suam
fineret vitam. » At enim ut Pagius recte
t de Romana obsidione (*an.* 735, *num.* 1 *et*
lversus card. Baronium, et Kalendis Janua-
i Juniis anni 753, eadem cœperit, id certe
edit quin litteræ pontificis, morali ea indu-
tantur discrimine aliquot dierum, si obsidio
nestris, ut refert Liber Pontificalis, seu etiam
mensium, si brevior eadem fuit juxta epi-
Pippini apud Baronium (*an.* 755) ; summa
ii eadem est, nec Stephanus chronologis
n facessit, quippe annum indicans emortua-
tulphi consentit cum Annalibus Francorum,
Fuldensibus et Lambecianis, qui ad annum
i mortem producunt. Quare Sigeberti Chro-
istulphi ætatem definiens annorum 7 perpe-
endatur a Pagio ; namque is ab anno 749
is ejusdem mensis perveniens annos omnino
explevit. Quin etiam Herkemperto ipsi
menses quinque fortasse audiendum erit ;
annos numeravit Rachis usque ad hujus
onem ad urbem Romam, ita ut post conver-
suam mensibus adhuc quinque, velut hie-
i solio Langobardorum permanserit ; Aistul-
i eosdem menses tribuerit, tanquam vero
:his abdicationem regi. Utcunque autem se
at, anno prædicto 756 post mensem Apri-
navit novissimus Langobardorum rex, qui
ii Annalium sententia postquam regnum
3 annos, certum Langobardici regni exitium
nam Carolus « cunctum Italiæ regnum ade-
Franciam regreditur, ducens secum Deside-
m conjuge ejus. Adalgisus filius ejus Cpolim
nnal. Fuld. et Lambec., an. 774). »
solutis Langobardorum fastis, venio nunc
:hos Italiæ, quorum catalogum collatis alio-
ervatis cum Libro ut plurimum Pontificali
m.

NGINUS. Hic postquam Narses, tot rebus
e gestis celebris, invidia illi ab æmulis com-
. Justino exauctoratur, in Italiam mittitur
is anno 567. Postmodo Narses Neapolim
s Langobardos e Pannonia per legatos ac-
quare Longinus inauditum Italis nomen ac
em novam, nempe exarchi adipiscitur, tue-
mperii Occidentis partem a Langobardis non
i. Italiam rexit, ab adventu ex urbe regia
nos 15 (Paul. Diac. lib. II, c. 5 ; Noris *de*
Pag, *an.* 567, n. 4, ex Mar. Aventic).

ARAGDUS, *gloriosus chartularius sacri pala-*
missus in Italiam anno 583 cum dignitate,
isa incerta revocatur post triennium (*Libell.*
ap. Nor. *de Syn.* 9 ; Pelag II, *ep.*)

)MANUS, *patricius*. Revocato Apolim Sma-
nno 586, succedit in exarchatu, suumque
iem Ravennæ post annos 11, nempe 598
num. 113 ; Jo. Diac *in V. Greg.* l. III, cap 44
ibique Henschen. Noris. *de Synod.* v. cap. 9,

LLINICUS seu GALLICINUS. Mittitur succes-
nani an. 698, post quadriennium revocatur
)iac. lib. IV. cap. 26. Noris *ubi sup* ; Panvin.

.. SMARAGDUS iterum. Callinico revocato
us iterum mittit cum dignitate Smaragdum,
anvinus Italiam rexisse ait annos 9, ab anno
t 602 ad 611 (Paul. Diac. lib. IV, c. 26. ;
ibi suæ. Panv. *Chron.*)

ANNES LEMIGIUS, *judex Reipublicæ*. Hic
iante Jo. præfecto Neap. occiditur, quarto
nitatis anno (Anast., num. 117, ; Panv. *Chron.*)

ANNES ELEUTHERIUS, *patricius et cubi-*
, *seu eunuchus*. Cæso Lemigio interpontificii
: post Bonif. IV, ante diem 19 Octob. 615,
· successor Eleutherius, qui post triennium
ot menses imperium affectans necatur, pari
·tuna ac Lemigius, tempore interpontificii

A post S. Deusdedit, ante diem 24 Decemb. 618 (Anast. num. 117 et 118).

8. ISAACIUS, *patricius*. Destinatus ab Heraclio statim atque audiit Joannis cædem anno exeunte 618, ad regendam Italiam venit sed. anno 619, ac diutissime dignitatem tenuit, annos videlicet 25 ; cum Mauritio chartulario expilavit patriarchium Lateranense anno 639, ac Ravennæ occubuit, postquam capite mulctatum vidit Mauritium chartularium, qui contra ipsum Italiæ affectabant imperium anno 643 (Anast., num. 121 et 126 ; Panvin. *Chron.* Baron. et Pag. anno 643).

9. THEODORUS CALLIOPA, *patricius*, Italiam regens anno secundo revocatur incerta causa (Anast, num. 126).

10. PLATON, *gloriosus patricius*. Regere Italiam cœpit anno 645, rexitque usque ad 649 (S. Martin., *ep.* 16 ; Anast.. num. 131 ; Baron. et Pag. 649, n. 7).

11. OLYMPIUS, *cubicularius*. Profectus Cpoli B Romam venit cum dignitate an. 649, dum Lateranense concilium celebrabatur. Italiam rexit quatuor annis solidis ac nonnullis mensibus : morbo interiit an. 653 (Anast., num. 131, 132, 133).

12. THEODORUS CALLIOPA, *patricius iterum*. Constans, audita morte Olympii, mittit successorem Theodorum cum jussione ut captivum faciat S. Martinum pontificem. Incertum dignitatis tempus (Anast., num. 133 ; Murator., *Rer. Ital.* to. I, p. II, pag. 303, in dubium revocat duplicem Theodori dignitatem).

13. GREGORIUS. Circa annum 658 conjicit abbas Bacchinius missum esse Gregorium exarchum (*ex Privil Const. Syracus.* an. 999).

14. THEODORUS, *excellentissimus exarchus*. Male a recentioribus creditus Calliopa, ob Pauli et Anastasii silentium. Hujus item ætas incerta : at ex Bacchinio ab an. 668 ad 687 pervenit (Anast., num. 156 : Bacchin. *ad Petr. Sen.*).

15. JOANNES PLATYS, *patricius*. Italiam regere C orditur an. 687 ; cumque nullus occurrat exarchus usque ad Theophylactum : eam rexisse credi potest usque ad 702, annis circiter 15 (Anast. num. 157 et 159 ; Pag *an.* 687).

16. THEOPHYLACTUS, *cubicularius, patricius*. Ravennam mittitur Cpoli anno 702. Italiam regit annos octo usque ad 710 (Anast., num. 165 ; Panvin. *Chron.*).

17. JOANNES RIZOCOPUS, *patricius*. Missus in Italiam anno 710, excipit Neapoli pontificem Constantinum, prodeuntem Cpolim : deinde veniens Romam multa indigne ibi perpetrat ; ac demum turpissima morte occumbit Ravennæ, incertum quo anno. Panvinus credit 711 ac triennio exarchatum vacasse ait. Scaliger sex annos dat Rizocopo, Pagius vero hunc reprehendit (Anast., num. 172 ; Panv. *Chron.* ; Scalig. *de Exarch. Rav.* ; Pag., *an.* 715, n. 4).

18. FL. SCHOLASTICUS, *cubicularius, patricius*, Mittitur cum dignitate in Italiam anno 713 exeunte vel sequentis initio ; nam secum affert sacram Ana- D stasii qui, Philippico in ordinem redacto salutatur imperator die 4 Jun. 713. Quare Panvinus et Scaliger biennio perperam differunt, ad annum nempe 715 (Anast., num. 176 ; Baron. *an.* 713).

19. PAULUS, *patricius*. Missus a Leone Isaurico in Italiam anno 726. Conspirationem adversus S. Gregorium II instaurat ; ipse anno post interficitur Ravennæ (Anast., num. 183 et 185 ; Diac. l. VI, cap. 49).

20. EUTYCHIUS, *patricius eunuchus*. Audita Isaurus cæde Pauli, quem miserat post Marinum spatharium, ut insidias et ipse moliretur pontifici, similiter Eutychium in Italiam venire jubet, ut cœptum ab exarcho Paulo ac spatharii duobus scelus perficeret. Hic novissime omnium diuturnius cæteris Italiam tenuit, ab anno videlicet 727 ad 751, qua infensus Romanis pontificibus, qua ab iisdem protectus adversus Langobardos ; at demum horum rege Aistulpho capiente Ravennam ante diem 4 Jul., Eu-

tychius in Græciam abiit, finemque attulit exarchatui, cum annus esset æræ Dionysianæ 751, Zachariæ 10, Constantini Copron. 32. P. C. ejus 10, Aistulphi 3. Itaque exarchatus Italiæ seu Ravennæ, cujus primordia constitui cum Longini anno primo 567, stetit annis circiter 184, habuitque exarchos omnino 20, Smaragdi et Calliopæ repetita dignitate (Anast., num. 183, 185, 186, 187, 194, 213. Recentiores passim, præque iis Bened. Bacchin. *in Agnell.*).

40. Epoche ista exitus exarchorum, quo tempore Italia fere omnis ab impiis imperatoribus Græcis defecerat, recte cum Græcanici imperii exitio copulabitur ; quamvis enim tantata non semel ejusdem instauratio est, divinitus tamen factum ut omnia nequidquam Cæsares molirentur. Exarchatus vero ad sanctæ sedis ditionem amplificandam per tot annorum seriem vindicatus Græcis viribus adversus bellicosissimos Langobardos, tandem venit ad momentum in horum manus. At postmodo, a Francorum rege Pippino usurpatoribus profligatis, concessit in sanctæ sedis ditionem una cum Pentapoli et Æmilia : neque ad nostram hanc ætatem barbaris amplius patuit. Idem et origine et dignitate celebris, illustrior postea est factus, cum tres eminentissimi apostolicæ sedis legati tripertito illum administrare, sanctisque legibus conservare summorum pontificum nomine incœperunt, ut nostro ævo videmus fieri. Cæterum ut aliquid dicam de exarchis, quorum catalogum exhibui, horum chronologiam difficile est per menses et dies digestam dare ; alios enim, statim atque designabantur Cpoli, missos esse, alios aut Cæsarum voluntate, aut longa via detentos sero in Italiam venisse refert historia. Hinc est quod aliorum exemplo annos indicare contentus, quo potissimum mense aut designarentur Cpoli aut in Italiam pervenirent, neglexi disquirere. Id tamen animadverti, quod usque ad Theodorum Calliopam, cum anno 633 secundo missus captivum fecit S. Martinum pontificem Romanum, successio exarchorum certa est. Inde vero usque ad Joannem Platyn, qui anno 687 in Italiam venit, conjecturis doctissimorum virorum Pagii et Bacchinii nititur. Qui Platyn sequuntur quinque exarchi certe mihi ætatis videntur ; attamen eos inter sunt tres successionis non ita certæ, ut nullum dubitationi locum relinquant Theophylactus, Joannes Rizocopus et Paulus ; sed duo cæteri Fl. Scholasticus et Eutychius, hic Paulo, ille Rizocopo omni procul dubio successerunt, ut videre est apud auctores per me laudatos in catalogo. Quamobrem si forte novum aliquem exarchum ætas proferet, aut inter Theodorum Calliopam et Joannem Platyn aut inter eumdem et Rizocopum, aut demum inter Fl. Scholasticum et Paulum, temporum ratione habitaris collocetur necesse erit. Plura, ad Chronologiam quod attinet, nec temporis nec loci est observare. Quod autem spectat dignitatem exarchi, præter ea quæ obiter paulo ante (*numm.* 7, 8) aiebam, nonnihil reliquum mihi feci hic opportunius indicandum.

41. Exarchi dignitatem Italis quidem novam, tametsi alias eam gentes non ignorasse testatur Gregorius magnus (*epist.* lib I, 59 et 72, *ad exarch. Afric.*). Officiis semper palatinis adjunctam discimus, dum legimus patricios, chartularios sacri palatii, eunuchos, cubicularios et judices civitatum eadem ornatos esse. Eruditis singula hæc officia enucleatius expendere otiosum foret: de patriciis autem nonnulla in memoriam revocare certum mihi est atque deliberatum, quidquid eorum patientia jam diu abutar. Duo mihi sunt patriciorum genera ; quæ enim alia multa refert Cangius in Glossario generali hac divisione comprehendi arbitror: alii sunt patricii Cæsarum, alii pontificum, alii nempe ab imperatoribus, alii a Romanis pontificibus creabantur. Formam creandi patricios imperiales asservatam in bibliotheca Vaticana ex Paulo Forojuliano, seu Diacono, a Cangio expressam exhibeo : *Patricii dignitas taliter disponenda est, quatenus illa non vili personæ, nec alicui concedatur ignoto. Sit enim valde notus imperatori, sit fidelis et prudens, non elatus. Protospatharius veniens ante imperatorem osculetur suum humerum, et dicat : Maxime imperatorum, adest quem vocasti. Tunc stet ad sinistram imperatoris illius hyparchus, quem nos dicimus præfectum, et dicat ei imperator : Cum protospatharo futurum patricium adducito. Dum autem venerit patricius, in primis osculetur pedes imperatoris, deinde genu, ad extremum osculetur ipsum : tunc osculetur omnes Romanos circumstantes, et dicant omnes : Bene veniatis : nobis nimium laboriosum esse videtur concessum nobis a Deo ministerium solum procurare : quocirca te nobis adjutorem facimus, et hunc honorem tibi concedimus, ut Ecclesiis Dei et pauperibus legem facias, et inde apud altissimum judicem rationem reddas. Tunc induat eum imperator mantum, et ponat ei in dextro indice annulum, et det ei bombacinum propria manu scriptum, ubi taliter contineatur scriptum : Esto patricius, misericors et justus. Tunc ponat ei in caput aureum circulum et dimittat.* Hanc dignitatem, qua ornati, ut ait Walfridus Strabo, erant primi post Cæsares, docet Senator fuisse perpetuam : *Mox ut datus fuerit hic honor, in vitæ tempus reliquum homini fit coævus (lib.* VI, ep. 2*)*. Ac proinde suspicatur Cangius, num propterea breviori alii dignitati, ut esset exarchatus, aut alia præfectura, adjungeretur. Idem tamen in cod. Theodos. legens expatricios, id tantum obtinuisse apud Gothos cum auctoribus aliis sentit. Præ iis Gutherus hanc dignitatem inter palatinas eminentissimam non fuisse perpetuam, sed ut cætera officia ad nutum principis docet, ac finita administratione expatricios appellari consuevisse *(de Off. dom. Cug.* lib. II, cap. 19).

42. Hinc est quod in Dufresnii opinionem eamus pedibus necesse est. Qui enim duo patricii, sede Cpolim translata, ut ait Porphyrogenitus *(de Adm. Imp.*, cap. 27) mitti inde solebant in Italiam (eos hodie *proreges* diceremus) *quorum unus Siciliæ, Calabriæ, Neapoli et Amalphiæ præerat : alter vero Benevento, Capuæ, Papiæ cum reliquis, et tributa quotannis fisco imperatoris pendebant* ; eos certe dignitate in sedibus militum pares magistris militum in expeditione, ad nutum principis amoveri consuevisse crediderim ; tametsi duæ inscriptiones, ab eodem Guthero allatæ, secus docere videantur. Harum prima exstans Treveris, ita habet :

HIC. IACET. ELIVS. CONSTANTIUS
VIR. CONSVLARIS. COMES. ET. MAGISTER
VTRIVSQUE. MILITIÆ. ATQVE. PATRICIVS;

alia Romæ :

FL. RICIMER. V. I. MAGISTER. VTRIVSQ
PATRICIVS

Quibus ex inscriptionibus tum copulari patriciatum cum militia discimus, tum perpetuam esse eam dignitatem. Sed diversa fuerit ratio patriciorum qui in Italiam mittebantur ante Gothorum tempora : qui autem patricii horum ætate in Italiam præfecti missi sunt, cæterique omnes ab Augustis tunc temporis creati, perpetui erant juxta Senatoris doctrinam. Cujus rei argumentum sunt tot numero patricii uno eodemque tempore in aula Constantinop. degentes, quorum *sex deferentes secum trecenta navigia, simulque et Siciliensium stolum in hanc Romanam urbem absoluti a regia urbe ad nos properant,* aiebat S. pontifex Paulus in epistola ad Pippinum *(Cod. Carol.* 24*)*. Præterea tum in Libro pontificali, tum apud historicos Langobardici in Italia regni æquales legimus frequenter patricios alios alibi, dum eorum unus Ravennæ exarchatum administrabat ; plerumque enim hæc dignitas patricii conferebatur. Itaque et Belisarius et Narses, qui patricii nomen solum retinuerunt, et exarchi omnes, qui cum excellentissima dignitate exarchi patriciatum eminentissimum copularunt, ubi semel ornati eo fuerunt, eumdem nun-

quam deposuerunt ; nec dum eorum aliqui revocabantur Constantinopolim, finita administratione expatricii appellati ullibi reperiuntur. Cæterum hæc dignitas, utpote prima post Cæsares, quemadmodum dicebam antea, ab Augustis Byzantinis summi honoris causa conferebatur regibus ac principibus exteris, ut videre est apud Cangium in Glossario.

43. Augustorum exempla secuti sunt Romani pontifices, dum Francorum reges patricios creaverunt. Id tamen discrimen est inter utrumque patriciorum genus, quod patricii imperiales primi erant post Cæsares inter officia palatina : patricii vero pontificii dignitate et potestate summa utebantur, dicebanturque, ut observat Gutherus, patricii Romanorum, non Romani, quia Romanis omnibus imperabant, exercitum ducebant, et vere imperatoris majestate præfulgebant, ut Carolus Magnus, dictus propterea *patricius Romanorum, ut pater et protector Romani totius imperii* (Guther., *de Off.* lib II, cap. 29). Quamobrem ut erudite Pagius cum Marca (*ann.* 640, num. 6 et seqq.), patriciatus pontificum Romanorum duo complectebatur : *Jurisdictionem qua reges Francorum in Urbe ex consensu pontificis et populi Romani potiebantur, et protectionem, seu defensionem, quam Romanæ Ecclesiæ polliciti erant.* Inde est quod vexillum mitti solitum a Romanis pontificibus ad principes arma ferentes in paganos aut hæreticos, ad ipsos etiam patricios mittebatur, quod minime ab iis fiebat cum imperatoribus, *quia Romanæ Ecclesiæ tuitio ex generali obligatione et speciali pacto imperio conjuncta fuit.* Quæ cum ita sint, perperam putavit Cangius, et ante eum alii multi scriptores, patriciatum Romanorum non esse aliud quam præfecturam Urbis seu etiam Italiæ, dignitatem a Romanis excogitatam post dejectum Græcanici imperii jugum, cui assentitur Alamannus (*de Later. Pariet.* cap. 11), quod viderint, Carolum Magnum adeptum imperialem majestatem patricii nomen siluisse : nam quidquid imperatoris nomen præstare videatur patricio Romanorum, potestas erat una atque eadem, *protectoris* videlicet ac *defensoris* Romanæ Ecclesiæ. Ea propter Carolo Magno patricio Romanorum Romam advenienti idem honor est adhibitus ab Adriano qui postea est adhibitus a Sergio erga Ludovicum imperatorem. Adrianus enim suscepit Corolum *obviam illi ejus sanctitas dirigens venerandas cruces, id est signa sicut, mos est ad exarchum aut patricium suscipiendum* (Anast., num. 345). Eadem præstitit Sergius Ludovico, aiente Anastasio : *Sicut mos est imperatorem aut regem suscipere* (num. 484). Præterea cum Carolum Martellum Rom. pontifex patricium creavit, ut late Pagius (*ubi sup.*), Græcanicum imperium adhuc exstabat. Multo igitur major fuit dignitas pontificiorum quam imperialium patriciorum. Jam vero satis multa.

CHRONOLOGIA

AD TOM. IV EDIT. ROM. VATIC.

A sancto Gregorio Magno usque ad Stephanum III, alias IV.

Anni Periodi Jul et Indict	*Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*	*Anni Olymp*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi*
5303 ♑ 11 ● 2 A *Indict* VIII IX	Mauritii Tib Aug 8 et 9 post cos VII al. VI. Mauritius Theodosium fil coronat. Imperat festis Paschal 26 Mart seu 2 Apr ex Theoph et Chron Alex Pag Baron ad an. refert 593. Franchor felix pugna in Langob Diac Turon Bar Pah. Antarith R. Lang de pace agens cum Francis morit. Ticini non Sept Theodolinda Agilulph Tauri nat. Ducem maritum et Regem eligit m. Nov et m. Majo seq a. ab exerc acclamatur Mediolani Diac lib 3 cap ult Pag An. 616 n. 2. Hormisd Pres. R. Chosrois filii electi Regis jussu necatur Theophil lib 3, c. 8 ; Pag a. seq.	1342 1343	342 I II	S. Gregorius M. post diuturnam vacationem ordinatur die 3. Septemb non 19 Martii, ut mss ap. Bolland. Tunicæ I. A. inventio ad h. a. pertinet. Ex Fredeg et Aimoin pag n. 9. a. 593, cum Bar. Litania septiform Romæ ante Greg consecr pag n. 5, 19. Sigon. Concilium Rom et duæ Pseudosynodi Schismaticor Istriæ. Pag n. 13. Dissid in Gallia de die Pasch et ibid. Concil Metense in causa Ægidii perduellis. Ex Turon. Pag n. 2, a. 594 cum Bar. S. Columbanus Luxoviense Monasterium fundat. Pag n. 13, et a. 612, n. 6.	590
5304 ♑ 12 ● 3 G *Indict* IX X	Imp Mauritius Tib Aug 9 et 10. cos VIII al. VII. Narses Mauritii Satelles cum Domitiano Melitenes Episcopo Persicem ingress feliciter pugn cum Varamo Finis Persici belli, quod 20, a. duraverat. Chrosroes a Varamo pulsus regno inita societate cum	1343 1344	II III	S. Gregorii 1 et 2. Gregor synodicam mittit ad Patriarchas Orientis, in qua 4. Generalia concil ut 4 Evangel venerari se ait, quintum approbat. S. Agathæ in suburra Eccl a Gothis profanatam dedicat. Ex Dialog Bar. Ad S. Leandr Ep. Hispal re-	591

Anni Period Jul et Indict	*Romanorum imperatores, reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi*
	Romm restituitur. Ex Theophil et Chron Alex Pag a. 593, n. 2 et 4. Baron bienn differt. Zadespratæ transfugæ, qui olim Hormisdæ duxerat, caput ad Chrosroem defertur, Pag a. seq n. 4, cum Bar. Explicit h. a. Chronic abb Biclarensis				spondet de trina Mersione in Baptism et lætatur Reccaredum Reg Christ Fid amplexum. l. 1, ep 41, et in Episc Donatistam qui Primatum avebat in Afr scribit ep. 72. Langobardi Theodolindæ Reginæ opera Christiani fiunt, ut facti erant Chrotildis opera Franci, et Ingundis Gothi Bar. Gregor Turon Historia explicit. Bar a. differt 595, ubi Pag n. 11, asserit, eum fortasse illo anno mortuum, cum sedisset A. 23.	
5305 ♑ 13 ● 4 *Indict* *F E* X XI	Imp Mauritius Tib Aug 10, 11, post cos IX, al. VIII. Mauritius movet adversus Avares, seu Turcas Traciæ incubantes, Pag an. seq n. 10 Eclipsis solis die 19 Martii. Fredegar, cap 13. Aimoin lib 3, cap 8. Petav de doctr tem lib 8. Parallax Latitud 46 29. Latit bor 41, 29, latit visa 5, 0. Semidiam, Solis 16 58, summa semidiam 54 30, scrup residua 29 30, digiti Eclipt 10 26, ad tab Pruten Calvis qui eam accidisse ait fer 7, hor 10, post med noctem Cp.	1344 1345 ♑	B	III IV	S. Gregorii 2 et 3. Duob Diaconis nunciantib Donatistas Afr invalescere Greg Hilarium Cartularium eo mittit, eodemque anno Eccl Carthagin. Privilegia confirmat lib 2 ep 39 scribit etiam ad Hibernos, in causa schismatis lib 2, ep. 36. Gussanvillæus ex mss legit ad Istros, quam opinionem sequitur Noris de Syn V. pag m. 726, to. I. Pagius contrarium sentit n. 2. H. a. Greg in S. Clementis habet homiliam 38, ex Diac Bar qui h. a. totas 40, vult absolutas. Et Hadrianum Thebat. episcopum injuste depositum restituit. Synodus Cæsaraugust 2.	592
5306 ♑ 14 ● 5 *D*<br*Indict.* XI XII	Imp Maurit Tib Aug 11, 12, coss X al. IX. Chosroes a Mauritio auxilia impetraturus, vovit S. Sergio M. et finxit se Christianum fieri velle; quod tamen non fecit, ut testatur S. Greg ep. 62, l. 2. Guntramnus R. Francor moritur 28. Mart. Fredeg et Herman Contract Pag n. 17. Baron non recte constituto Regni initio, mortem differt ad a. 598 Prisco Patricio expeditio in Avares committitur. Pag n. 12. Baron. h. a. et alii autumant privileg Sammedardense, sed supposititicum ostendit Pag n. 8, et Dupin dissert 7.	1345 1346	C	IV *et* 343 I	S. Gregorii 3, 4. Greg expostulatoria de injusta lege per Mauritium lata in Ecclesiam lib 2. ep. 26, 65. Greg mittit Cp. Sabinianum Diac apocrisarium, qui eidem succedit in Pontificatu lib 2, ep. 52, solitudinem repetit Dialogis scribendis daturus operam, et secum ducit Petrum Diaconum, quo interlocutore utitur : Ecclesiæ tamen curam non negligit, ut variis ex epistolis ad varios episcopos patet. Simeon Stylita jun et Greg Antiochen moriuntur Anastas in Sedem Antioch restituitur. Pag n. 17, et seq a. n. 4, ex Evagr cum Lambec idem asserit arguens Chr Alex sup a. id factum referens. Bar seq a. et biennio post Greg Antioch mortem recitat.	593
5307 ♑ 15 ● 6 *C* *Indict* XII XIII	Imp Maurit Tib Aug 12, 13, coss XI. al. X Constantina imperatrix suasu Jo. patriarch Cp. petit caput S. Pauli, sed a pontif eluditur. Greg l. 3, ep. 30. Evagrii histor sex lib comprehendens a fine Theodoreti, et Socratis h. a. explicit Phot. Pagius ostendit eam non progredi Aug mens superior a. et ne Photii opinio corruat, h. a. publicatam putat. Eclipsis solis die 23 Jul, fer 6 noris sex ante merid. digiti ecliptici 11, 28 sol in 1 gr. Leon Calvis ex Aimoin contra Sigeb qui biennio post eam refert.	1346 1347 ♑	D	I II	S. Gregorii 4, 5. Greg h. a. multum laborat ob Schismaticos sese obicientes Constantii Mediol Episcopi confirmationi, nisi Synodum v. damnet. Item ob Donatistas Afr rebaptizantes l. 3, ep. 32, necnon ob Siciliæ Hæreticor conversionem lib 4, ep. 6, et ob Barbaricinos Gentiles in Sardinia convertendos, l. 3, ep. 25, 27. Procop de bel Wand l. 2. Maximum Salonitanum intrusum a communione sejungit. Amos post Joannem fit Jerosolym. Episcopus. Baron a. seq ubi Pag n. 6. Maximianus Syracusan. Episcopus moritur, succedit Joannes, cui	594

	Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christ*
					de more Pallium mittit Greg lib 5, ep. 18.	
8 16	Imp Maurit Tib Aug 13, 14 post coss XII al XI.	1347 1348		II III	S. Gregorii 5, 6. Greg Ezechielem interpretari desinit, Langobardis cæde omnia implentibus. Homil 22, in fine Virgil Arelatensem Vicarium instituit Austria et Burgundia. Pag n. 3. Maximi Salonitani intrusi gratia Imputentis causam Ravennæ cognosci jubet, ubi sedes concessa, postea allium missum. Concil Rom II, habet in quo Joannem Presb Chalcedon a Jejunatore depositum absolvit. Greg l. 5, ep. 15, mittit Moral et Pastoral ad S. Leandrum Hispal. Jo. Jejunator moritur cum sedisset a. 13, m. 5, ab a 582, die 12. Apr Noris de Syn V. c. 9, §. 4. Pag seq a. n. 2, 3, ad quem Joan mortem differunt Baron et Panvin.	595
9 17 8	Imp Maurit Tib Aug 14, 15, post coss XIII al. XII. Imp præfecti pacem a Greg cum Lang sæpe tentatum prævertunt. Childebertus Theodorico, et Theodoberto relictis herædibus morit Vit S. Colum c. 18. ap. Bed to. 3. Baron qui initium ejus regni perperam illigavit cum a 579, solos 17 anno regni contra antiquor fid illi tribuit. Pag n. 13, 14, qui mortem comprobat Greg ep. 58, lib 5. Zotto Dux Benevent capit Crotonem : alibi Romani multa a Langobard patiuntur. Sigon.	1348 1349	B C	III IV	S. Gregorii 6, 7. A Cyriaco Joannis Jejun successore, et a Gregor ultro citroque mittuntur legati pro communione. Augustinus Monachus cum sociis in Angliam missi. Idemque ex Gallia Romam rediens sociorum jussu rem difficilem dissuasurus revertitur cum Greg litteris, quæ exstant ap. Bedam signatæ Mauritii a. 14, post coss 14, sed 13, legendum vult Pag. Res fidei in Africa pessumeunt per Donatistas. Greg lib 5, ep. 63.	596
0 18 9	Imp Maurit Tib Aug 15, 16, post. Cos XIV, al. XIII. Edilbertus Rex Angliæ qui Adilbergam seu Bertam Christianam ux. hab dat facultatem Augustino prædicandi in suo regno Cantiæ. Cætera sex Angliæ regna non h. a. fidem recipiunt. Idem rex Angliæ fit Christianus : et h. a. August transfretaverat in Angl ex Beda pag num 2. et seqq. Mauritii ægrotantis testamentum, quo int filios partitur Imperium, ad h. a. vel ad sup pertinet, non ad seq ut Baron putat. Ex Theophylacto pag n. 2. a. 598.	1349 1350	D	IV *et* 344 I	S. Gregorii 7, 8. Greg recipit Responsales Cyriaci cum commeudatitiis imperatoris, et synodica. Sabiniano revocato mittit Cp. Anatolium. Orientalis Eccl. curam suscipit. Ex var epistolis n. a., necnon Africanæ lib 6 ep. 32. Augustinus Arelati episcopus ordinatur, et in Angliam reversus hominum decem millia baptizat. Id. l. 7, ep 30. Henschen ad Greg Vitam a Jo. Diac scriptam differt ordinationem Augustini ad a. seq sed epistola Greg quam citat, non minus testatur Anglorum conversionem factam a 597, quam ordinationem. Concilium Toletan de cast cleri.	597
1 19 10	Imp Maurit Tib Aug 16, 17, post cos XV. al. XIV. Pax demum sancitur cum Lang Probi opera, quæ a. seq firmatur a Rege Lang Greg lib 7, ep. 2, 5. Romæ nunciatur victoria adv Sclavos et Schismaticor reditus ad Eccl Idem lib eod ep. 9. Baron. Fredegundis Chilperici Neustriæ Regis vidua, et Chlotarii II,	1350 1351		I II	S. Gregorii 8 et 9. Greg defensorum officium honore et dignitate auget, et ex iis Faustinum in Siciliam mittit ad convertendos Judæos. Id. l. 7, ep. 24. Eulogii Alex opera fit conversio hæreticorum, l. 7, ep. 30. Alii hæretici Thessalonicæ insurgunt in Chalced concil l. 7, ep. 7. Anastasius Senior episcopus	598

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp.*	*Romani pontifices, et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
	mater moritur. Pag n. 9. Romano Exarcho succedit Callinicus aliis Gallinicus, Eschen ad Jo. Diac cap 44 et 42. lib 3 et Panvin chron.				Antiochenus moritur. Pag. n. 9, Baron au. seq Oscensis synodus in Hispania, in qua nihil notatu dignum ad nostra tempora spectans reperitur Bail Summ Conc p. 2.	
5342 ♋ 20 ● 11 *D* *Indict* II III	Imp Maurit Tib Aug 17, 18. post Cos XVI, al. XV. Gregor dat litteras ad Agilulph, et Theodolind post subscript pac l. 7. ep. 41, 42. sed timet ad Arnulpho Duce Spolet qui Varnilfridæ uxoris consilio sub condit subscr lb. ep. 102. Convocatur Conc Ap. et Greg suspicat pro Œcumenici nomine unde litteræ ad Euseb Thessalon lb. Maurit mittit Rom 30. auri libras pauperib erogandas et rogas militibus dandas Greg lib 8. ep. 2. Chaganus Rex Avarum Thraciam invadit. Ex Theophyl lib 7, c. 13. Pag n. 2. a seq ad quem differt Bar et ait Pannon infer.	1351 1352	B	II III	S. Gregorii 9 et 10. Istriæ schismatici Gulfari magist milit aliorumque opera ad Ecclesiam redeunt. Id. l. 7, ep. 97. Greg donaria mittit Secundino abb magni int Langob nominis eaque inter duos Homiliarum codices. Lib 7, ep. 53. Cyriacum abb in Gall et Hisp mittit, ut congregatis ubique synodis mores corrigat et Simoniam aboleat, Lib 7, ep III, et seqq Dona mittit Reccaredo Gothor in Hisp Regi, et S. Leandro Ep. Hispal. pallium, qui podagra laborabat, quo morbo tune etiam pontifex vexabatur. Lib 7, ep. 125 et 126. Pestis grassatur in Africa. Id. lib 8, ep. 41.	599
5343 ♋ 21 ● 12 *C B* *Indict* III IV	Imp Maurit Tib Aug 18 et 19. post cos XVII. al. XVI. Sclavi in Ital irrump qua occas Epidauri Episc S. Donati corpus Corcyram transfert. Greg lib 12. ep. 2. 3, 8. Commentiolus de integro Dux creatur, et a Romm in ejus gratiam reversis quinquies cum Avarib pugnatur feliciter Theophyl l. 8, c. 2, 3. Revocato Greg mittitur ad Urb præfect. Leontius, qui Sicilia transiens, Libertinum Præfectum cæsum præfectura dejicit. Gr. l. 8, ep. 31. Civile bellum int Francor. Reges. Theodoric et Theodeb victores, Clotarius victus. Aim l. 3, c. 88. Bar a. seq. Pag ibid n. 16. Cometes antea apparuerat in cœlo Diac lib 4, cap 16.	1352 1353	C	III IV	S. Gregorii 10 et 11. Greg accipit ab Eulogio Alex patriarcha Commentar ab eo factum contra hæreticos Agnoitas, ut de illo judicet, qui cum laudat ut catholicum Greg lib 8, ep. 43. Concilium Rom III habetur in quo damnatur Andreas Græc detectus impostor, et falsar. Pag n. 7; Bar a. seq. Constantio Mediolanensi Episcopo mortuo sufficitur Deusdedit Rege Langobardor adversante. l. 8, ep. 65.	600
5344 ♋ 22 ● 13 *A* *Indict* IV V	Imp Maurit Tib Aug 19 et 20, post cos XVIII, al. XVII. Expleto pacis tempore, inter Langob et Romanos præliatum iterum : Romani ab Arnulpho Spoleti Duce victi. Diac lib 4, c. 17. Buron seq a. Pag ibi n. 2. Reccaredus Hispan Rex cum regnasset annos 15, m. 1, d. 10, ab anno 586, versus fin Apr. moritur. Ex vas et Vulsa Pag n. 17. Mauricius fil Theodosio dat uxorem filiam Germani Patrici mense Nov ann Imp sui 20 Theop Ducang. de Fam Byzant.	1353 1354	D	IV *et* 345 1	S. Gregorii 11 et 12. Greg respondet synodicæ Esychii Jerosol episcopi Amos mortuo suffecti, lib 9, ep. 4. Ad Virgil Arelaten et ad Reges Francor scribit de Simoniaca labe extinguenda, quæ adhuc in Gall vigebat. Ibid. epp 49, 53, et seqq. Cum Augustino. cui mittit Pallium, et instructionem de novis creandis episcopis, cum Adilberto Angl Rege, et cum Adilberga regina gratulatur de Fidei progressu. lib 9, ep. 58 59, 60. Beda Hist Angl l. 1, cap 29. Concilium R m IV, falso a Collectoribus III, nuncupat in quo sit decretum constituti nomine pro Monachis. Pag n. 2. Ludov Bail hoc III, vocat in IV, aut eod anno celebr ait damnatum Andream Monachum impostorem. Sum Conc.	601

ni iod il dic	*Romanorum imperatores, reges, exarchi, res gestæ.*	*Lang Anni ab. U. C.*	A	*Anni Olymp.*	*Romani pontifices, et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi*
5 23 14 ict 1	Imp Maurit Tib Aug 20, 21 post cos XIX, al. XVIII. Mauritius, qui Tib Constantino successit a. 582. M. Aug 14, ut Blanchin cum Pag post Imp a. 20, m. 3, dies aliquot h. a. 27, Novemb mensis trucidatur cum suis. Noris de Syn v. cap 9, § 3, 5. Pag n. 9. Ducang in Byzant Famil Augg c. 9, nummum exhibet inscriptum A. XX, alterum A. XX. THEUP *Thessalonicæ urbe percussus.* Ibid Ducang de Fam Byz. Antea tamen d. 23 Nov Phocas centurio a militib elevatus tyrannidem usurpaverat. Theophylact lib. 8, c. 5, et seq. Vide a. 610, et a Cyriaco Patriarcha coronatur die 23, Nov. fer 6. Revocato Callinico, Exarchus mittitur Fl. Smaragdus iterum. Diac., Noris.	1354 1355		I II

Anni Period Jul et Indict	*Romanorum imperatores, Lang reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp*	*Romanorum pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Ann Æræ Chri*
	trima, vel quadrima, et firmatur pax perpetua cum Francis. Paul Diac lib 4, cap 31. Dim l. 3, cap 89, biennio ante. Phocas cum omnem movisset lapidem, ut Narsetem obtineret, postquam ad Romanos eum redire iteratis juramentis impetravit fœdifragus vivum comburi jubet. Ex Cedr et miscel. Baron. Greg mortem sequitur hyems frigida, obsumtisque vitibus, et messibus fames in Italia fuit. Diac lib 4, cap 30.				Abb non Marcianus ut perperam tradit chron Aquileien. Noris de V. Syn cap 9, §5. Candidianus etiam, seu Candianus, ut habet Noris, Gradensis Patriarcha eligitur favente Exarcho, quemadmodum Aquileiensem schismatici elegerant favore Agilulphi Langobardor. Regis: nam Gradus in Exarchi ditione erat, Aquileja ad Langobardos pertinebat. Idem ibid. Sigon.	
5319 ☉ 27 ☽ 18 *B* *Indict* IX X	Imp Phoca Aug 4, 5, cos 11. Agilulphus iterum Novembri mense pacem firmat ad triennium cum Romanis. Paul Diac lib 4, cap 33. Sigon, qui addit h. a. Ferrariam, quæ tunc vicus erat, mœnibus cinctam ab Exarcho Smaragdo, et in formam Castri redactam. Calvisius perperam hæc tribuit Diacono, et Solis eclipsim triennio ante visam ad h. a. differt ex male intellecto Aimoini loco, lib 3, cap 90. Romæ caritas minus sensibilis Sabiniani beneficio. Vide Notas Baldini inferius.	1358 1359	B	I II	Sabiniani 2. Sabinianus moritur die 2. Febr cum sedisset annum m. 5, d. 4, vacat sedes m. 11, d. 26 Baron et Flaming qui sedis tempus contraxere, a Pagio redarguuntur n. 3 et 4 Cyriacus Cp. patriarcha moritur Diac Bar dies etiam notatur 29 Octob Sabbato ex chron Alex pag n. 3. Faustus Monachus discip S. Mauri Benedicti ex Gallia redux vitam S. Abb cujus fuerat comes, probandam obtulit Bonifacio seq; anno.	606
5320 ☉ 28 ☽ 19 *A* *Indict* X XI	Imp Phoca Aug 5, 6: post cos III. Phocas Domitiam filiam jungit Prisco Patricio comit Excubitorum et Tyrannidem exercet. Ex Theoph pag n. 6. Idem concedit Bonif III, Rom Pontifici qui ab eo id petierat, ut decerneret (contra audaciam Patriarchar Cpl qui œcumenicos se dicebant) Romanam Eccl esse caput omnium Ecclesiar. Baron super anno. Vide notas ad eumd Bonifac. Crucium concussio Cp. in publ supplicatione magna mala portendit, ut habet Theodor Siceota.	1359 1360	C	II III	Bonifacii III, 1. BONIFACIUS III, ordinatur die 29 Januar et cum sedisset octo tantum menses d. 22, moritur die 20 Octob, non 10 Nov ut vult pag n. 5, sup a. ex cod Ms. cœnobii Virdunensis S. Vitoni qui sepultum ait h. a. die 12 Novemb n. 2. Thomas Cyriaci successor ordinatur Cp. 22 Januar Idem ex Chron Alex sup a. n. 3. S. Eulogius Patriarcha Alex cum sedisset a. 27, non 17, ut perperam Neceph ab anno 580, ut firmat cum Pagio Blanchin moritur h. a non seq ut credit Baron. ubi pag n. 3. S. Desider Vienn. Episcopus a quadrien exil redux paulo post Brunichildis jussu martyr occumbit. Ex Fredg et Aimoin. Pag a. 612, n. 12.	607
5321 ☉ 1 ☽ 1 *GF* *Indict* XI XII	Imp Phoca Aug 6, 7, post cos IV. Priscus insidias molitur in Phocam: quare ad Africæ Prætorem Heraclium dat litteras, ut mittat filium Heraclium adversus Tyrannum. Ex Theophane Bar Hist Miscell. Interim Persæ nullo resistente occupant Armeniam, et Cappadociam, fusoque Romano Exercitu flammis ac ferro omnia vastantes Chalcedonem usque perveniunt	1360 1361	D	III IV	Bonifacii IV. 1. BONIFACIUS IV, post interpontificium mens 10 dier 6, ordinatur die 25 Aug Per hæc tempora Pp. Bonifac a Phoca obtinet Pantheon, quem dedicat Christiano ritu in honorem B. M. V. et sanctorum martyrum incerta die licet Martyrologi ponant 13. Maii Pag n. 3, sud anni cum Bar Sigon biennio post. Pagius autem putat, ab hoc tempore institutum festum Sanctorum omnium cal Nov ut hodie celebratur. Vide notas Chronol ad Bonif.	608
5322 ☉ 2 ☽ 2	Cedr.					
E *Indict.* XII XIII	Imp Phoca Aug 7, 8, post cos V. Phocas sui generis hominib remp omittens creat Comitem Orientis Bonosum hominem immitem. Cir-	1361 1362		IV *et* 347 I	Bonifacii 1 et 2. In occid h. a. res Eccl prorsus obscuræ Bar. Theodorus Scribo Patriarcha	609

	Romanorum imperatores, reges, exarchi, res gestæ	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp*	*Romani pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
	censem facit, multosque sibi conviciatos obtruncat. Hist. Miscell. Tassilo Bajoarior. Dux h. circit a. moritur. Diac. lib 4, cap 41. Pag. n. 5. Ab h. a. incipit prochronismus Theophanis, quem sequitur Baron quare per annos 84 æræ Alexandrinæ addendi anni octo ut cum Dionysiana conveniat. Pag Henschen to. 3. Mart in exegesi de Chronogr S. Theoph et Papebroch in conat ad Constantin docent continuari usque ad finem Copron nemoe ad an. 775.				Alex occiditur, cui succedit Joannes Eleemosynar. Ex Chron Alex. Pag n. 3. Bar seq a. Isicius Jerosol. Patriarcha moritur, cum sedisset annos 8. Pag ibid et seq a. n. 9. H, a. circiter Virgilius Arelatensis moritur, post quem sederunt Florianus, et Theodosius. Pag n. 4. Seditione Antiochiæ mota, Judæi crudelissime insectantur Christianos, quo in tumultu S. Anastasius Patriarcha Antioc occiditur : quare Phocas misso exercitu quæstionem haberi mandat. Multi Judæorum damnati et urbe ejecti. Miscell,	
	Imp Phoca Aug 8, post cos VI.	1362	B	I	Bonifacii IV, 2 et 3.	610
	Ex Chr Alex a. 7, Octobr usq ad 13. Januar in publ Tabulis legitur Imp Heraclii a. primo.	1363		II	Concil Rom cui adest Mellitus Londoniens. Ep in quo duo pro Anglis decreta. 1. Repressi qui Monachis adversabantur. 2. Confirmata fundatio Dorovernensis, seu Cantuarien. Monasterii. Holsten Collect Rom pag 224. Pag n. 10.	
	Phocas ab Heraclio victus miserrime obtruncatur 5 mensis Octobris, quum regnasset a. 7, menses 10. et dies 18, nam coronatus fuerat die 23 Novembr a. 602. Zonar Cedren Ducang. Heraclius inauguratur die 5 Octobr a Sergio Patriarcha, et Eudocia uxor coronatur Aug Baron et Pag n. 6. Witterico in Hisp per conjurationem occiso postquam regnavit a, 7, succedit Gundemarus. Isid Chron.		C		S. Columban cujus Vitam a Jona descriptam correctiorem collat cum Mss exhibet Mabill sect 2. Bened in exsilium mittitur a Theodorico Burgundiæ Rege. Pag n. 13. Thomas Cp. Patriarcha moritur cui succedit Sergius primo vir optimus, deinde Monothelitar. caput Bar a. 608. Niceph Calv Pag n. 2. Cum Anastas Antioch Patr trucidato Niceph explet Patalogum eorum præsulum, nam qui sequuntur sunt Hærectici. Chr Alex Pag sup a. n. 2. Concil Toletan de Toletano primatu.	
	Imp Heracl Aug 1, 2.	1363		II	Bonifacii IV 3 et 4.	
	Ex Chr Alex a 14 Jan usque ad Decemb expletum h. a. legitur : et Consulatu ejusd religiosiss nostri principis. Syria a Persis devastatur M. Maio. Pag n. 2. Heraclius augetur filia Epiphania ex Eudocia die 7 Jul idem num 4. Ex Theoph et Chron Alex quæ 15 Aug baptizata Eudocia appellatur. Ducang de Fam Bizant. Jo. Lemigius h. a. exeunte Exarchus in Italiam venit.	1364	D	III	Ecclesiasticæ res occidentis h. a, obscuræ ut notat Baron S. Columbanus h. a. consilium init Evangelium prædicandi Scalvis. Pag a. 613, n. 5. Hoc, vel seq a. S. Apollinari Bituricensi Episcopo diem obeunti succedit S. Astregisilus Abbas S. Nicebii, cujus res gestas et miracula Scriptor Anon trib libris complexus est. Henschen ad d. 20 Maii. Mabill. Pag n. 5 et seqq	611
	Imp Heracl Aug 2, 3.	1364		III	Bonifacii IV 4 et 5.	612
	Hic annus inscribitur post cos Heracl Aug. Heraclius, minor dictus, et Constantinus, nascitur die 3 Maii et Eudocia moritur die 13 Aug. Ex Chron Alex Pag n. 2. et Epiphania coronatur Aug die 4. Octob Ex Theoph. Pag n. 2. Ducang de Fam Byzant. Persæ Raxate Duce Cæsaream Cappadociæ capiunt. Theophyl	1365		IV	S. Columbanus in Italiam venit, et ab Agilulpho moræ optione data consistit Mediolani. Bar a. seq ubi Pag n. 5 Sigon addit, eum Arianos, qui multi adhuc erant verbis, et scriptis probante Rege, concidisse. S. Gallus unus ex sociis S. Columbani, tempore proficiscendi in Italiam, vehementem in febrim incidit, ex qua post S. Columbani	

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U.C.*	A	*Anni Olymp*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi*
	l. 8, c. 12. Theobebert. Austrasiæ Rex a fratre victus, clericus fieri cogitur, mox occiditur. Fredeg c. 38. Aim l. 3, c. 98. Baron perperam sup a.				discesssum convalescens condidit cellam in Sylva speciosa : post aliquot vero annos celeberrimum ædificavit Monasterium ad lacum Acronium S. Galli oppido nobilitatum, in finib Helvetior et Vindelicor. Hujus hodie Abbas est Imperii Princeps. Ex Walfr. Pag n. 5, a. seq.	
5326	Imp Heracl Aug 3, 4. post cos II.	1365		IV	Bonifacii IV, 5 et 6.	613
♈ 6	Hic a. legitur. III, post cos He-	1366		*et*	S. Theodorus Siceota moritur	
● 6	rael Aug 2 et Fl. Heraclii Jun			348	die 22 April., ad quem diem Hen-	
G	Constantini a Deo custoditi filii			I	schen, et Menolog Basil.	
Indict	ejus a primo semp Augg Impp.				S. Columban non longe a Papia	
I	Heracl Jun coronatur 22 Jan non		B		Bobiense Monasterium fundat, ut	
II	25 Decemb ut Theophan nec 22				Luxoviense in Francia jam fun-	
	Apr ut Eleus. Pag ex chron Alex				daverat : ibique anno post moritur.	
	n. 1, 3.				Sigon. Pag bien post.	
	Imp incesto connub neptem sibi				Bobiense Monasterium, cujus	
	jungit, quæ a Sergio Aug coronat.				fundator S. Columbanus est pri-	
	Bar et Pag n. 2.				mus Abbas succedentibus SS.	
	Theodoricus Burgundiæ, et Au-				Attala, Bertulfo, et Wandelberto,	
	strasiæ Rex moritur dissenteriæ				situm est in Cottiis Alpibus qua-	
	morbo. Fredegar et Aimoin I. 3, c.				draginta milliar ab urbe Ticino,	
	100, vel ut Jonæ placet, fulmine				ut ait Paulus Diac l. 4, c. 43 in	
	ictus ; quatuor relinquit fil Sigi-				Diœcesi Placentina. Hujus Mona-	
	bertum, Childebert. Corbum, Ma-				sterii fundationi Agilulphi libera-	
	croveum, cui Chlotarius vitam				litas opem tulit : alii postea Reges	
	permisit. Fredeg c. 42, qua in re				Langobardorum suis donationibus	
	fallitur Bar Jonam sequens in S.				idem amplificarunt Adaloaldus,	
	Columbani Vita. Pag n. 28. Sige-				ac præcipue Liutprandus, dona-	
	bertus paucos menses post patrem				tionibus celebres.	
	regnat, eoque occiso Chlotar II.					
	Neustriæ Rex Monarchiam Fran-		C			
	cor obtinet, quam a Chlot I,					
	morte a 561, plures Reges per					
	an. 51, circiter tenuerant. Aimoin					
	init l. 4. Pag II. 33,					
5327	Impp Heracl Aug 4 et 5, post	1366		I	Bonifacii IV 6 et 7.	614
♈ 7	cos III.	1367		II	Circa hæc tempora S. Columban	
● 7	Heracl Jun 2 et 3.				scripsit epistolam super tribus	
F	Hoc anno, ut videtur, capta				capit ad Bonifac IV, quam con-	
Indict	urbs Damascus. Ex Theophane, et				sule num 7 et seqq ap. Pag qui S.	
II	Niceph. Pag n. 2 an. sup cum Bar.				Abbatem scripsisse eam refert ex	
III	Et Jerosolyma Lindebr.				Monasterio Bobiensi Agilulphi R.	
	Sisebutus in Hisp edictum pro-				Longobb jussu, ad tollendam	
	ponit in Judæos, ut omnes intra				calumniam, qua Pontifex hæreti-	
	annum Christiani fiant, aut ex				corum receptor dicebatur, n. 23.	
	Hisp amissis rebus omnibus pel-				Jerosol capta die 26. Octob Za-	
	lantur. Ex Isid Calvis.				charias Præsul, SS. Crux, præda	
	Heraclius Martinam ex Sorore,				ingens, multique captivi abripiun-	
	et Martino neptim uxorem ducit.				tur in Persidem, unde Judæorum	
	Canonibus refragantibus, et Ser-		D		insultatio Christianis, eorumque	
	gio Patriarcha contradicente ; su-				cædes. Bar et Pag n. 38, ex Chron	
	scepit autem filios ex illicito con-				Alex. At Petav hæc differt ad	
	tubernio distortos, et luxatos.				seq. an.	
	Niceph. Eucamp de Fam Biz.					
5328	Impp Heracl Aug 5 et 6, post	1367		II	Bonifacii IV 7, Deusdedit 1.	615
♉ 8	cos IV.	1368		III	Bonifacius IV, cum sedisset	
● 8	Heracl Jun 3 et 4.				annos 6, m, 8. d. 12, h. a. mo-	
E	Heraclius legatos mittit ad Chos-				ritur, die septima mensis Maii, et	
Indict	roem, qui nihil promovent, quin				post sedis vac mense 5, dier 13, ei	
III	carcere detinentur. Pag n. 3, et				subrogatur S. DEUSDEDIT, die 19	
IV	seq Petav Bolland aliique a. seq.				Octobris.	
	Constantinus alter ex Martina				Concilia duo h. a. celebrata	
	conjuge Imperatori nascitur. Pag				Parisien a Sirmondo post Baron	
	n. 18.				publicatum, cujus supersunt Ca-	
	Rebellante Jo. Neap Præfecto				nones 15 Pag n. 15 qui sup for-	
	Jo. Exarchus occiditur. Interpont				tasse. a indictam putat. Alterum	

Romanorum imperatores. Lang. reges, exarchir, res gestæ	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp*	*Romani pontifices et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
tempore cui successor mittitur Eleutherius. Hic tyrannidem meditans Neapolim pergit Jo. ulturus, ut subditos sibi devinciat; et Jo: Compsino interfecto Ravennam redit. Agilulphus R. Lang moritur: succedit Adaloald sub tutela Theodolindæ matris, quicum regnat an. 10, Diac l. 4, c. 45. Sigon.				Egarense anno 3 Sisebuti. Idem n. 16. Labb sup a: S. Columban moritur in Bobiensi Cœnob die 21 Novembr. Baron et Pag n. 14, uterque ex Jona ap. Mabill.	
Impp Heracl Aug 6 et 7, post cos v. Heracl Jun 4 et 5. Chosroes invadit Ægipt totamque Lybiam excurrit usque Chalcedonem, non Carthaginem ut Anastas legit hist Eccl necnon Auctor Miscellæ quos sequitur Baron at eos decepit affinitas neminum Καλχηδὼν et Καρχηδὼν Bar sup a. Pag. ibi n. 2, et h. a. n. 3, captam Alexandriam ostendit. Post hæc Persæ redeuntes ad propria præsidium ad obsidendam Chalcedonem relinquunt. Baron super a. hæc refert; at Pagius recte observat, verno tempore expeditiones militares consuevisse suscipi, ac proinde ad h. a. pertinere. Pag sup a. n. 1.	1368 1369	B	III IV	Deusdedit 1 et 2. Capta a Persis Alexandria Jo. Eleemosynar Cyprum venit ubi moritur h. a. Pag n. 6; vide an. 620, a n. 3 ad 8. Zacharia in captivitatem adducto, Modestus presbyter vicar Ecclesiam Jerosol administrat. Ex Antiocho Mon Bar et Pag ex Anonymo n. 5. Initium hæresis Monothelitar. Idem num 6. Theodolinda Basilicam S. Jo. Bapt construit in Modœtia, sup Mediolan 12 mill passuum. Exinde Langob in omnib actis S. Jo. invocare incipiunt. Bar.	616
Impp Heracl Aug 7 et 8, post cos vi. Heracl Jun 5 et 6, qui cos a patre h. a. dicitur. Fames, et pestis Cpoli h. a. incipiunt, quum enim sup a. Persæ cœpissent Ægyptum, et Alexandriam, nihil inde frumenti advehehatur, unde fames, deinde pestis traxerunt originem. Ex Niceph. Pah num 9, et anno seq n. 11.	1369 1370	C	IV *et* 449 I	Deusdedit 2 et 3. C. Eustasius Abbas Luxovien Warascis, deinde Boiis prædicat: idemque postea ab Agrestio Monacho, qui erat schismate trium Capitul infectus calumniatur. Quare habitum Matisconense concil incertæ Epochæ. Pag num 4 et 5 Baron Concil h. a. vult celebratum.	617
Impp Heracl Aug 8 et 9, post cos vii. Heracl Jun 6 et 7. Ap. fame gliscente Sportnlarum largitiones sublatæ chr Al. Italicis tumultibus in Græciam perlatis Heraclius ad gubernandam Ital in locum Eleutherii destinat Isaacium Patricium. Sigon. Is autem nonnisi sequenti anno venit postquam Eleuther trucidatus est in Castro Luceolis sede vacante, id est post d. 8 Novemb eodem temp urbs Roma Elephantiaca lue laborabat, quæ statim secuta est terræmotum ingentem Aug mense. Anast. Calvis. Joannes Eleutherius Exarchus, quum anno jam quarto gubernaret Italiam, auditis Imp angustiis: sede vacante tyrannidem usurpat, ot sui Prædecessoris exemplo trucidatur ante diem 24 Decemb Anast.	1370 1371	D	I II	Deusdedit 3 et 4, Bonifacii V. 1. Deusdedit post sedem annor 3, dier 20, a die 19 Octob. 615, h. a. die 7 Novemb. moritur, 8 sepelitur, ut recte Anast et Martyrolog a Baron emend. Eique subrogatur Bonifacius V, post Interpontif unius mensis, dier 16, qui die 24 Decemb. ordinatur. Synodus Hispal. II, contra Acephalos. Bar seq a. Sigon aliique volunt h. a. Joannem V, suffectum Joanni IV, Raven Ep. sed Rubens, et cum eo Ughell Ital sac. tom. 2, sentit Joannem IV, cognom Classianum ab anno electionis suæ 606, sedisse ad 630, duosque Joannes non recte admitti. V. Bacchin dissert Chron de Petro Sen cap 6.	618
Imp Heracl Aug 9 et 10, post cos viii. Heracl Jun 7et 8. Ad h. a. pertinet pragmatica	1371 1372		II III	Bonifacii V 1 et 2. Hujus a. initio. vel sup exeunte Eadbaldus Cantuarior Rex. qui S. Ethelberti patris ævo fidem	619

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, Lang. regcs, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*	*Anni Olymp*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*An Æ Ch*
	sanctio Heracl ne quis cooptetur in Alerum Cp. nisi in defuncti locum subrogetur, unde magna ejusdem imminutio nascitur. Baron non recte supra. ubi Pag n. 12. Theophanem, et Ccdr secuti Sigon et Baron accessum Chagani Avarum Regis ad urbem Ap. clademque ac deprædationem magnam sup. a. ponunt : quum vero Chron Alex hæc tradat facta Junio M. Ind IX. ad an. 612. ex eodem pertinent. Itaque ne pax quidem h. a sancita ut vult Baron nec petita ut Sigon inter Heracl et Chagan quidquid Theop Cedren Zonar secus doceant. Pag n. 4. a. 621.			suscipere noluit convertitur opera S. Laurentii Ep. Cantuar qui h. a. moritur, ut trad Sigeb Chron et ex Cotselin. Pag num 5, sup a. Quamobrem Mellitus et Justus post annum, a quo in Franciam abierant, reversi. Beda lib 2. cap 6. Bar. Pag num 5. Mellitus, qui Laurentio succedit et Justus Rhofensis Ep. magna sollicitud Angl Ecclesiam gubernantes hortatoriam a Bonifacio Pap accipiunt, Beda lib 2, cap 7.	
		B			
5333 ☉ 13 ☽ 13 F E *Indict* VIII IX	Impp Heracl Aug 10 et 11. post cos IX. Heracl Jun 8 et 9. Irruptio Chagani, et Avarum in Regiam Urbem. Pag n. 4. a. seq. Sisebuto Hisp R. mortuo succedit Suinthila qni regnat a. 10, mens aliquot. Hujus primordia non recte Calvisius illigat seq a. S. Isidoro hujus enim chron Gothor desinit in Sisebuto : et chron Mundi Sisebuti anno 4, Heraclii 5 (puta post cos) æra 654. LeBreul notat in uno cod reperiri duplicem finalem clausulam, nempe prædictam, et aliam Regno Heraclii 18, Suinthilani 7, æra 665, quam liquet mendosam esse, nam biennii discrimine pariantur Heracl anni 18, cum æra 665, ideoque Pagius, qui a. 625, Suinthil 5, absolutum vult chron Gothor fallitur.	1372 1373	III IV	Bonifacii V 2 et 3. S. Anastasius Persa, qui Chr fidei amore illectus ab exercitu jam secesserat, h. a. Hierosolymis Cristianus fit, et Monasticam vitam amplectitur. Herman et Sigeb Chron. Pag a. seq cum Bar n. 7, ubi Martyrium hujus sancti a Petavio constitutum 622. Bollandi auctoritate restituit ad a. 628.	620
		C			
5334 ☉ 14 ☽ 14 *D Indict* IX X	Impp Heracl Aug 11 et 12, post cos X. Heracl Jun 9 et 10. Hoc denique anno juxta Chron Alex sancita inter Heracl et Chaganum pace Imperator delectum habet illaturus arma in Persidem, ut fecit seq a. Pagius n. 4. Calvis. Hac occasione cum Imperator destitueretur pecunia, thesauros Ecclesiar pro quibu flebat bellum, mutuo sumit, vasaque aurea, et argentea ex iisd, Eccl accepta ad monetam cudendam usurpat. Miscell.	1373 1374	IV *et* 350 I	Bonifacii V 3 et 4. Agrestinus monachus Luxoviensis, relicto abb Eustasio, venit Aquileiam, nactusque eam ecclesiam a Romana propter tria capitula dissidentem ejus dissidii defensorem gerit venenatamque sup ea re epistolam per Aurium Adaloaldi regis notarium ad Attalam Bobiensem abbatem scribit. Ex Beda Sigon. Bar a. 618. Noris de Syn v.	624
		D			
5335 ☉ 15 ☽ 15 C *Indict* X XI	Impp Heraclii Aug 12 et 13, post cos XI. Heraclii Jun 10 et 11. Heracl Paschate celebrato die 4, Apr feria 2, sub vesper arma in Persidem fert. Sigon ex Theoph. Pag a. sup n. 5. Belli Persici, quod sexennium duravit, annus primus. Idem pecuniam e sacris vasis conflatam militibus distribuit. Theoph Anast hist Eccl. Cedren	1374 1375	I II *Hegir an. 1 Vesperi diei 15 cum incip fer 6 Judæorum.*	Bonifacii V 4 et 5. Heraclio Armeniæ fines ingresso Paulus Monoculus, al. Severianus, est obvius, qui Monotheli:mum profitebatur : quare impellrator ex tunc fuisse seductus videtur. Pag. n. 3. Maumed pseudo-propheta metu inimicorum fugit ex urbe Mecha. Unde initium Hegiræ, seu æræ Arabum, quæ annis tantum lunaribus constat, nempe 12 mensium	622

	Romanorum imperatores, reges, exarchi, res gestæ.	*Anni ab U. C.*		*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi*
	Miscella. Non recte. Bar biennio ante. Hinc Pagius Olympiades et annos Urbis prætermittit, utpote rari usus in posterum. Dagobertus Clotarii II, fil 39 anno patris regnare incipit in Austrasia mense Martio h. a. et regnat an. 16. Petav. Pag n. 10, 11.				lunarium, quos vocant Muharam, Sepher, Rabie, Evel prior., Rabie Achir post., Giumadi prior., Giumadi post., Regiab., Sahaben, Ramadan, Schebal seu Xavel, Dulcada Silcade, Dilhada Zilitsche: quorum impares 1, 3, 5, 7, 9, 11 habent dies 30, pares 29. Hegira incipit vesperi diei 15 Jul., cum inchoat fer 6 Judæor. Calvis.	
6	Impp Heraclii Aug 13 et 14,	1375		II	Bonifacii V, 3 et 6.	623
16	post cos XII.	1376		III	Bonifacii binæ litteræ Eduino	
16	Heracl Jun 11 et 12. Belli Persici annus 2.			*Heg* 2 *15 Jul*	regi Nordanhymbrorum, ejusque uxori Edilburgæ, quas recitat	
ict	Heraci Persidis viscera penetrans omnia igne et armis vastat:		B	*fer.* 3	Beda, Hist Angl., cap 10 et seqq lib II, hoc vel seq anno scriptæ, ubi	
1	postea in Albania hyemans quinquaginta millia captivos Persas, quos secum ducebat, libertate donat Anast Hist Eccl Bar sup a. Sexredus, et Siwardus Oriental Saxonum Reges, qui Seberto patre mortuo ad idololatriam redierant contra Kinigildum Occidental. Saxonum Regem pugnantes necantur: eisque succedit Sigebertus cognom Parvus, qui fidem ad Oriental Saxones revehit. Ex Malmesburiensi. Pag n. 3.				a pontifice auditum, Edelburgam, quæ paulo ante amplexa erat catholicam fidem, desponsam fuisse Eduino Nordanymbror. regi, ita tamen ut tam uxori, cum ejus comitatui liberum relinqueret religionis exercitium, Pagius non recte differt ad an. 625. Vide notas chronol ad Bonifacium.	
7	Impp Heraclii Aug 14 et 15, post	1376		III	Bonifacii V, 6.	624
17	cos XIII.	1377		IV	Bonifacius V cum sedisset ab	
17	Heracl Jun 12 et 13. Belli Persici annus 3.			*Heg* 3 *24 Julii*	ordinat die 24 Decemb 618, annos 5, menses 10, obiit diem suum 24	
e	Heraclius tres Chosrois Duces Sarablancam, Sarbazanem, et Sainum tribus præliis profligat, deinde in Albania iterum hyemat. Ex Anast Bar sup a. ubi Pag n. 2. Adaloaldus Langob Rex quum 12 Proceres trucidasset, ab aliis regno pellitur, et levatur Arioaldus Taurinor. dux. Aim lib 4, cap 10. Ex eodem, et Fredeg. Pagius an. 626, n. 7 Paulum errasse contendens: ipse autem Adaloaldus usque ad seq an. est superstes.		C	*fer* 11.	Octob h. a. ac die postera est depositus. Pagius non recte ad annum seq differt ratione ordinat Paulini in Eboracen episcopum. Vide notas chron ab Bonif V. Mellitus Cantuariensis archiep moritur VIII Kal Maii, eique succedit Justus Rhofensis episcopus, qui quamprimum accepto pallio et facultate episcopos ordinandi a pontif Bonifacio, ordinavit Rhofensem episcopum Romanum. Beda lib II, cap 8.	
	Impp Heraclii Aug 15 et 16,	1377		IV	Honorii annus 1.	625
8	post cos XIV.	1378		*et* 351	Post Bonifacium vacasse Sedem	
8	Heracl Jun 13 et 14. Belli Persici annus 4.			I *Heg* 4	plusquam dies 13, ut habent Codd et Catalogi, ratio ipsa nos docet, et Heraclii absentia Cp. Probabi-	
28	Carolus Martellus tertium pu-	1472		III	S. Gregorius mittit Bonifacium	
17	gnat cum Chilperico Rege, et Reginifredo majore domus: hic vi-			*Hegira* 101	ad conversionem Germanorum	
ict	ctus fuga elabitur ad Andegavensem civitatem: Chilpericum fu-			23 *Jul* *fer* 1	suis munitum litteris, quas dedit h a. Idibus Maiis. Has recitat Baro ex Willibaldo; quarum character temporar est an. 3. Imp Leonis Ind 2.	
	gientem cum Eudone Duce Aquitaniæ et thesauris persequitur usque Parisios. Ex contin Fredeg contra Diac Pag n. 10 et 11.				Pessimam Ecclesiarum Galliæ, et Germaniæ constitutionem per hæc tempora refert Pagius ex Hincmaro n. 8	
	Radbodus Rex Frisiorum magnus Christiani nominis osor, paulo post adventum S. Bonifacii moritur. Baron. et Pag. n. 4.		B			
3	Imp Leonis Isauri Aug 4 et 5.	1472		III	Gregorii II, 5 et 6.	720
4	Constantini Copronymi Aug 4.	1473		IV	L. Germanus Patriarcha Cp. co-	
18	Constantinus Copron creatur			*Hegira* 102	ronat puerum Constantinum a pa-	
7	Aug a patre et fit consors Imperii			12 *Jul* *fer* 6	tre factum consortem Imperii die Sancto Paschatis. Teoph Bar.	
ct.	die 31 Martii ipso die Paschatis. Theoph Miscell.					
	Umarus Califa Saracenorum moritur VII Idus Febr eique succedit frater Izitus Califa XVI, qui antea conregnabat. Ex Elmakino Pag n. 2.					
	Chilpericus Rex Francor moritur; succedit Theodoricus IV septennis a Dagoberto III patre relictus, qui educabatur in Monasterio Calensi. Pag. num. 3 et 4.		C			
4	Impp Leonis Isauri Aug 5 et 6.	1473		IV	Gregorii II, 6 et 7.	721
8	Constantini Copronymi Aug 4	1474		*et*	Concilium Rom 4 sub S. Gre-	
9	et 2.			375	gor II. Anno Leonis 6 PC. 6 Con-	
	Izitus Califa edit decretum ad-			1	stantini 2 mense Aprili Ind IV.	
.	versus sacras imagines Christianorum: ut Pag n. 7, a. 723, cum Baron.			*Hegira* 103	Quare Baron recte celebratum ait hoc anno. Pagius vero ob male	
	Alahorus præfectus Saracenorum Hispan nequidquam tentaverat Galliam Narbonen, at Zama ejus successor h. a. qui est tertius suæ Præfecturæ, eam suæ subjicit potestati. Idem postea tentato Tolosa ab Eudone Aquitaniæ Duce superatur et occiditur: quare Hispaniæ Præfectus post eum fit Ambiza. Ex Isid Pac et Roder Pag. n. 4 et seq.			31 *Jun* *fer* 3	constitutum Leonis principium Codd omnes emendare cogitur n. 1. S. Joannes Eboracensis Episcopus, qui ante quadriennium abdicato Episcopatu ad Monasterium redierat, de more SS. Episcoporum Angliæ hujus temporis, h. a. moritur. Beda Pag n. 6 et seqq.	
5	Impp Leonis Isauri Aug 6 et 7.	1474	D	I	Gregorii II, 7 et 8.	722
	Fl. Constantini Copronymi Aug 2	1475		II	S. Bonifacius. qui per trien-	
	et 3.			*Hegira* 104	nium moratus erat in Frisia cum S. Willibrordo ejus gentis Epi-	
	Leo Hebræos et Montanistas			31 *Jun.*	scop. oblatam episcop dignitatem	
ct	baptizari cogit; quare eorum multi maluerunt propriis in domibus cremari. Theoph Baron Pag.			*fer.* 1	recusans in Germaniam, quo a S. Gregorio missus erat, proficiscitur, Baron et Pag.	
3	Impp Leonis Isauri Aug 7 et 8	1475		II	Gregorii II, 8 et 9.	723
4	Fl. Constantini Copron Aug 3 et 4	1476		III	S. Bonifacius, qui prospero	
	Africani, qui Africam invadentibus Saracenis, Europæ se effude-			*Hegira* 105	successu in Hassia et Thuringia	
ct	rant victum quæritantes ab ordinib. Ecclesiasticis, detecti aut Manichæi, aut Donatistæ generali decreto prohibentur a quoquam Episcopo ordinari. Baron.			10 *Jun.* *fer.* 5.	prædicaverat Evangelium, Romam invitatus Apostolicis litteris, ibi consecratur Episcopus nulli sedi addictus prid Kal Decemb ipsisque Kalendis datæ epistolæ plures, ut Apostolicus Legatus	

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum, imperatores Lang reges exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U C.*	A	*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
	Theodo II Tetrarcha Bajoa. moritur, eique succedit filius Grimoaldus, Theodebaldo altero fil et Tetrarcha præmortuo, forte etiam Theodeberto alio filio. Pag n. 9.				ubique recipiatur, a Bar recitantur h. a.	
5437 ☉ 5 ☾ 3 *B A* *Indict* VII VIII	Impp Teonis Isauri Aug 8 et 9 post Cos VIII et IX. Fl. Constantini Copron Aug 4 et 5. Izidus Califa Saracenorum postquam regnavit an. 4 m. 1 moritur die 4 Febr eique succedit Hisiamus frater Califa XVII. Ex Elmak Pag a. sup n. 8.	1476 1477		III IV *Hegira* 106 29 *Maii* *fer.* 2.	Gregorii II, 9 et 10. S. Gregor scribit Bonifacio prid Non. Dec a. Leon 8, PC. 8, Constantini 5, Ind 8, qui in Hassia et Thuringia post reditum incredibili successu fidem annuntiabat. Baron fuse. Ven Beda librum suum de sex ætatibus absolvit anno Leonis 9, nempe h. a. ait Pag. a. 725, n. 1.	724
5438 ☉ 6 ☾ 4 *G* *Indict.* VIII IX	Impp Leonis Isauri Aug 9 et 10. Fl. Constantini Copron Aup 5 et 6. Tetrarchia Bajoariæ ab Theodone II instituta finem habet cum morte Grimoaldi ex fratribus postremi in primo bello Bajoariis facto h. a. a Carolo Martello. Hucbertus succedit in toto Ducatu, qui erat fil Theodeberti natu majoris filii Theodonis II. Ex Annal Pag n. 6 et seq. Saraceni ab Eudone Aquitaniæ Duce, qui sacras spongias Roma acceptas inter milites diviserat, magna clade afficiuntur anno undecimo post Invas Hispan nempe ab a. 714 unde plures ordiuntur. Anastas. Ambiza præfectus Saracenor. Hisp moritur, eique succedit Jahie. Isid Pac Roder.	1477 1478		IV *et* 376 I *Hegira* 107 19 *Maii* *fer.* 7.	Gregorii II, 10 et 11. S. Corbianus Bajoariæ Tetrarcham Grimoaldum reprehendens, quod Plictrudem uxorem fratris sui incestis nuptiis retineret, ab hac nova Herodiade mirum in modum exagitatur. Baron sup a. Æthelbertus R. Cantuariæ gratulatur S. Bonifacio ob ingentes conversiones ab eodem factas, cupitque pius Rex secum habere commercium litterarum. Baron. et Pag ex Epistolis Bonif. n. 12.	725
5439 ☉ 7 ☾ 5 *F* *Indict.* IX X	Impp Leonis Isauri Aug 10 et 11. Fl. Constantini Copron Aug 6 et 7. Leonis vesania contra Sacras Imagines h. a. incipit V. an 730 unde principium odii Imp in S. Germanum et alios Præsules et Christianos omnes. Gregorius ipse qui hucusque litteras quotannis accipiebat ab Imp nullas amplius accipit quare is anno incerto ad Caroli præsidium se vertit Bar et Pag ex Theoph et Misc h. a. et 730. Græci occasione Imaginum rebellantes classem Cp. admovent, 18 Octob confligunt, superantur : ideoque audacia Imperatoris augetur. Theoph cumque eo Pag seq a. n. 1. Auctor Miscel habet 14 Kal Maias et ad seq a. refert, quem sequitur Baron.	1478 1479		I II *Hegira* 108 8 *Maii* *fer.* 4.	Gregorii II, 11 et 12. Imago Christi ærea e summo Palatii portæ ab Imp dejicitur quam martyrio defendunt mulieres. Baron h. a. Pag 730, num 9 uterque ex Theoph. S. Gregorius respondet ad Consultationes S. Bonifacii anno Leonis 10, Constantini 7, x Kal Decemb Baron recitat ejus Epistolam, nec non aliam Bonifacii ad Danielem suum olim in Anglia Episcopum, hoc anno, et cum eo Pag n. 16. Ina Rev Occid Saxonum abdicato Regno, quod inierat an. 689 peregrinatur Romam. Ex Beda Pag n. 15; ex Polyd Baron an. 740.	726
5440 ☉ 8 ☾ 6 *E* *Indict* X XI	Impp Leonis Isauri Aug 11 et 12. Fl. Constantini Copr Aug 7 et 8. Paulus Exarchus missus sup a. ab imp ut facinus cum Spathariis perpetraret interficiendi pontificem ab Italis pontificem defendentibus interficitur ; ejusque successor mittitur Eutychius ob eumdem scelestum finem.	1479 1480		II III *Hegira* 109 27 *Apr* *fer* 1	Gregorii II, 12 et 13. Dum in Italia insidiæ tenduntur Sancto Pontifici ab Iconomachis Imperialibus, S. Jo. Damascenus Syrus Damasci Præfectus, et Califæ Saracenorum Minister, tres orationes et alia opuscula edit contra Iconomachos. Combefis hist Monothel Baron Pag n. 3.	727

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*		*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis*	*Anni Æræ Christi.*
	Saraceni Nicæam Bythiniæ metropolim obsident æstivo tempore, ac re infecta recedunt. Miscel. Baron AA. ap Pag num 2.				S. Hucbertus Leodien Episcopus moritur hoc anno non seq ut Bar in append ad to 9. Ex Coint Pag. n. 4.	
5441	Imp Leonis Isauri Aug 12 et 13.	1480		III	Gregorii II, 13 et 14.	728
☉ 9	Fl. Constantini Copron Aug 8	1481		IV	S. Germano tenduntur insidiæ	
☾ 7	et 9.			*Hegira*	ab Imp per Anastasium, qui postea	
D C	Carolus Martellus Bajoarios iterum rebellantes secundo prælio			110	fit ejus successor. Baron.	
Indict	superat. Ex Annal Pag n. 1.			16 *Apr*	S. item Jo. Damascenus Imagi-	
XI	Jahie præfectut Saracenor. Hispan quum triennio eam gubernasset, moritur; succedit Codoyfa per			*fer* 6	num vindex insidiis petitur: conficta enim epistola, qua ille proditor declarabatur ad R. Saracenor mittitur, qui veram credens dextram S. Viro amputari jubet,	
XII	menses tantum sex, exeunte enim h. a. eidem succedit Othsman, brevi et ipse extinctus post menses quatuor. AA. ap. Pag n. 2.		B		qua per B. Virginem ei restituta, Regi esse cœpit carior, quam antea: is tamen, omnibus suis rebus venditis, fit monachus. Baron.	
	Sutriense Castellum a Langobardis occupatur per dies quadraginta ac deinde redditur S. Sedi Anast Baron.				Sub Jahie Præfecto Christiani in Hispaniis pacifice habiti, et Saraceni, Maurique iis adversantes acerbe puniti. Isid Pac.	
5442	Imp Leonis Isauri Aug 13 et 14.	1481		IV	Gregorii II, 14 et 15.	729
☉ 10	Fl. Constantini Copr Aug 9 et 10.	1482		*et*	S. Ecbertus Monachus Anglus	
☾ 8	Othsman præfectus Saracenor.			377	qui olim meditans conversionem	
B	Hispan moritur, quum 4 tantum			I	Germanorum, quum minime id	
Indict	mensibus gubernasset Hispan succedit Haithanus, qui decem men-			*Hegira*	licuerit, in Hiberniam transierat,	
XII	sibus præfecturam exercet. AA.			111	et monachos Hiienses docuerat	
XIII	ap. Pag sup a. n. 2.			5 *Apr*	S. Pascha juxta Catholicam Ro-	
	Saraceni in Gallias irrumpunt, magnaque fit eorum cædes Beda lib 5, c. 24 et Epit Anast Baron Pag n. 3.		C	*fer* 3	manam Ecclesiam, h. a. die ipso Paschatis moritur. Fuerat is divinitus a peste liberatus. Ex Bed Pag n. 7.	
	Visi h. a. cometæ duo alius ab Oriente, alius ab Occid. Ibid.					
5443	Imp Leonis Isauri Aug 14 et 15.	1482		I	Gregorii, 15 et 16.	730
☉ 11	Fl. Constantini Copr Aug 10	1483		II	S. Germanus qui sederat Cpoli	
☾ 9	et 11.			*Hegira*	annos 14 m. 5 d. 7 abdicare	
A	Leo aperte Sacras Imagines per-			112	compellitur die 7 mensis Januar	
Indict	sequitur evulgatis edictis: quare			26 *Mart*	fer 3 et in exsilium mittitur.	
XIII	Italia omnis ab eo deficit; Ra-			*fer* 1	Theophan Baron et Pag.	
XIV	vennæ præsertim et Venetiarum exercitus novum creare imperatorem meditatur, at S. Pontifex intercedit impii Leonis conversionem sperans. Anast Pag n. 8.				Duæ S. Greg Epistolæ, quas Baron refert a. 726 huc pertinent: prima scilicet ad Imperatorem est mitior, quippe conversionem ejus quærebat Pontifex; alia vero ad Anastasium Patriarcham intrusum, est valde aculeata; eum excommunicat, nisi resipiscat, etc. Anast Baron.	
	Mahometus succedit Othsmam præfecto Saracenor Hisp et paulo post circa m. Mart statuit in suo loco Abberraman, qui fere triennium gubernat. Pag a. n. 728, n. 2.		D		S. Corbinianus primus Episcop Frisingensis moritur. Pag n. 13 et seqq.	
	Carolus Martellus semper victor, committit prælium cum Suevis et eos domat Annal. Pag n. 16.					
5444	Impp Leonis Isauri Aug 15 et 16.	1483		II	Gregorii II, 16. Gregorii III, 1.	731
☉ 12	Fl. Constantini Copr 11 et 12.	1484		III	S. Gregorius II quum sedisset	
☾ 10	Eudo Dux Aquitaniæ pacem			*Hegira*	a die 19 Maii 715 annos 15 m. 8,	
G	frangit sancitam cum Carolo Mar-			113	d. 24, supremum diem obit h. a.	
Indict	tello duodecim ante annos: at			15 *Mar*	die 11 Febr daturque ei successor	
XIV	semel et iterum profligatur h. a.			*fer* 5	S. Gregorius III qui post 35 d.	
XV	Ex Annal Pag n. 15.				interpont consecratur die 18 Mart.	
	Abberramam Præfectus Saracenor Hisp Monasteria, et urbes Æduensem, et Senonensem in Galliis vastat. AA. ap. Pag n. 13.				h. a.	
	Historia Anglorum V. Bedæ explicit. Beda in fine lib 5.				S. Bonif dat litteras ad Greg III debitam S. Sedi subjectionem promittens et plurimas conversiones narrans, at non exstant. Bar et Pag ex Othlono in ejus V.	

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, Lang reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U C.*	A	*Anni Olymp. et Heg*	*Romani Pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis, et Occidentis.*	*An Æri Chri*
5445 ♈ 13 ♓ 11 *F E* *Indict* XV I	Impp Leonis Isauri Aug 16 et 17. Fl. Constantini Copron 12 et 13. Leo jungit matrimonio cum Constantino fil Irenem filiam Cagani Theophan Baron. Carolus Martellus duobus magnis præliis Saracenos affixit, primo nempe h. a. altera vero a. 737 hoc juxta Narbonam apud Byrram, illo in Aquitania apud Pictavos, Eudo enim sup a. bis victus a Carolo, quum h. a. de re communi contra Saracenos ageretur, auxilium ab eo petit, simulque conjunctis viribus insignem victoriam referunt. Abberraman ipse Præfectus Hisp qui Wasconiam, et Aquitaniam II sibi subegerat, interficitur, cui succedit Abdelmelecus. Annal et AA. ap. Pag n. 1 et seqq.	1484 1485		III IV *Hegira* 114 3 *Mar fer* 2	Gregorii III, 1 et 2. Concilium celebratur Romæ prorestituendis Sacris Imaginibus adversus imp Leonem : eædemque ubique, præsertim Romæ magno cum splendore constituuntur. Baron contra imperator. Legatos pontif de iisdem instaurandis agentes detinet, et in exsilium pellit. Anast Baron. Epistola Greg ad Bonif qua ad singula respondet capitula ejus litterarum, mittitque ei Pallium, refertur a Baron sup a. sed ad hunc pertinere idem docet. S. Wilfridi Jun episc Eboracen mortem narrat Pag 731 n. 9, et seqq contra Bolland 29 Apr et S. Eucherii episc Aurelianen exsilium a Carolo mart jussum contra Baron 725 ad hunc ann refert n. 4.	732
5446 ♈ 14 ♓ 12 *D* *Indict* I II	Impp Leonis Isauri Aug 17 et 18. Fl. Constantini Copr. Aug 13 et 14. Abdelmelecus Hispan. Præfectus videns Gallias sæpe nequiquam esse tentatas a suis prædecessoribus, furorem suum in Hispanos exercet, Christinum nomen persequendo. Hinc Pelagii Regnum ad Asturiæ montes coarctatum. Pag sup a. n. 5 et seq et h. a. n. 2. Eclipsis Solis die 14. Aug horis post med noct 8 et 30 minut in Anglia : digiti Ecliptici II, 1. Sol in 24 Leon. Ex Scriptorib Angl Calvis.	1485 1486	B C	IV *et* 378 I *Hegira* 115 21 *Feb fer* 7	Gregorii III, 2 et 3. Nova inutilis legatio mittitur ad imperatorem tum a S. Gregorio tum ab Italia omni. Anast Baron. In Bajoaria quidam schismaticus nomine Eremwifus hæreticæ pravitatis auctor fit, sed S. Bonifacius auctoritate apostolica et enascentem hæresim, et hæresiarcham ipsum compressit. Baron Pag putat hæc facta a. 736 ut ibi n. 8.	733
5457 ♈ 15 ♓ 13 *C* *Indict* II III	Impp Leonis Isauri Aug 18 et 19. Pl. Constantini Copr Aug 14 et 15. Carolus Martellus bellum Frisicum sup a. susceptum conficit hoc anno, Annal Pag n. 9. Abdelmeleco supremum diem obeunte Obeydella Prorex Califæ in Africa Hispan Præfecturam committit Ocbæ, ut Christianos persequi non desistat, prædecessoris exemplo. AA. ap. Pag n. 7. Eclips Luuæ in Anglia hora fere 2 post med noct fer 1 die 24 Januar digiti Eclipt 18, 15. Sol in 8 fere Aquar Calvis.	1586 1487	D	I I *Hegira* 116 10 *Feb fer* 4	Gregorii III, 3 et 4. Hoc et seqq annis multa martyrum, et confessorum exempla propter sacras Imagines in Oriente Baronius refert. At Pag ex Menæis omnia ea pertinere ostendit ad Leonis Armeni tempora, ut tunc videbimus. Uterque Auctor late de iisdem agens videndus. S. Theodorus Cantor vere ab Isauro est relegatus ob defensionem Sacrarum Imag ut narrat h. a. Baron. Duos erudite Theodoros distinguit Pag num 1 qui non confundendi.	734
5448 ♈ 16 ♓ 14 *B* *Indict* III IV 5449 ♈ 17 ♓ 15 *A G* *Indict* IV V	Impp Teonis Isauri Aug 19, et 20. Fl. Constantini Copr Aug 15 et 16. Eudone Aquitaniæ Duce mortuo Carolus Martell in Provinciam ingressus, eam suæ subjicit potestati, ex duobus Eudonis filiis Hunaldo, et Hattone ille post patrem est Dux. Pag ex Annal n. 5 ubi erudite Wascones et Aquitanos distinguit, qui ab antiquis confunduntur, quanquam alius Aquitaniæ, alius Wasconiæ Ducatus esset. Impp, Leonis Isauri Aug 20, et 21. Fl. Constantini Copr Aug 16, et 17. Carolus Martellus Aquitanico	1487 1488 1488 1489		II III *Hegira* 117 30 *Jan fer* 1 118 19 *Jan fer* 5 III IV *Hegira*	Gregorii III, 4 et 5. Ven Beda h. a. clausit supremum diem VII Kal. Jun ipso die Ascensionis, ut Baron et Pag. ostendunt ad an. 731 ex Cuthberti Epistola ad discipulum Cuthwin, tametsi Baronium ait Pag. ibidem n. 4. deceptum vitiato Codice differre ejus mortem plus æquo. Gregorii III, 5 et 6. Pagius nuc differt adventum S. Bonifacii in Bajoariam, et enascen-	735 736

Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.	*Anni ab U. C.*		*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
bello confecto Burgundiam et Provinciam suæ subjicit potestati. Pag num 7, ex Annal. Explicit Continuator Fredegarii, cui adjunctæ sunt Appendices duæ: prima scilicet usque ad consecrationem Pipini; altera vero usque ad ejusdem mortem. Liutprando Langobardor. Rege in languorem incidente, Langobardi levant Regem ejus Nepotem Heildebrandum, quem ille convalescens consortem Regni esse patitur. Privil Archivi Lucen ap. Florentin.		A		tem Hæresim ab eo damnatam, de qua cum Baron egimus ad an. 733.	
) Impp. Leonis Isauri Aug 21, et 22 18 Fl. Constantini Copr Aug 17 et 18.	1489 1490	B	IV *et* 379	Gregorii III, 6 et 7. Evantius Ecclesiæ Toletanæ	737
6 Carolus Martell qui, mortuo h. a. Theodorico IV, rexit Franciam usque ad an. 742, quum Childericus IV creatus est, pugnat h. a. feliciter in Septimania contra Saracenos, ut Pag ostendit num 8, et seq ex Annal, et Append 1 ad contin Fred contra Baron, qui ex duobus Saracenicis bellis facit unum, idque ad annum seq differt. Geolwlfus R. Northumbror moritur, eique succedit Eadbertus. Baron et Pag num 3, et continuat. Epit Bedæ qui scripsit historiam eidem Geolwlfo.			I. *Hegira* 119 8 *Jan fer* 3 *Hegira* 11. 120 28 *Dec fer* 7	Archidiaconus, qui Urbano Archiepiscopo in ferenda Saracenor persecutione adjutor fuit cum Frederico Eccitanæ Ecclesiæ Præsule; moritur. Isid. Pac. pag. n. Hoc item anno S. Erminus prius Episc deinde Abbas Laumiensis moritur VII. Kal. Maii, eique succedit Theotuinus, non Theodulphus, ut vult Baron. Mabillon et ex eo Henschen et Pag. n. 1. Per hæc tempora in Galliis adhiberi cœptam æram Dionysianam, sive numerari annos Incarnationis, docet Pag, n. 7.	
4 Impp Leonis Isauri Aug 22, et 23. 49 Fl. Constantini Copr Aug 18, 17 et 19. Carolus Martellus, qui semel ict anno 718 iterumque 720 pugnaverat cum Saxonibus trans Rhenum, tertio cum iis feliciter pugnat h. a. pro Sacris et Religione. Annal Pag n. 4.	1490 1491	C	I II *Hegira* 121 18 *Dec fer* 5.	Gregorii III, 7 et 8. Galliæ episcopi post Saracenos ejectos de Ecclesia restituenda sunt solliciti. Baron Tertia S. Bonifacii profectio Romam, unde discedit trinis munitus litteris quas Baron recitat absque ullo tempor charactere. Synodum in Bonif. Epist memoratam, quam scripsit Romæ ibi degens h. a. Romæ congregandam non Augustæ, ut vult Baron, aut alibi ex alior opinione idem Pag. ostendit n. 2	738
52 Impp Leonis Isauri Aug 23, et 21. 20 Fl. Constantini. Copr Aug 19, et 20 48 Saracenos iterum in Gallias ingressos, et Provinciam late vaict stantes, Carolus Martellus, accedente Liutprandi Langobardor. ii Regis auxilio, debellat. Annal et Pag n. 6. Ethelardus Occid Saxonum Rex. moritur: Cuthredus ei succedit Contin Epit Bedæ. Pag n. 10.	1491 1492	D	II III *Hegira* 122 7 *Dec fer* 2	Gregorii III, 8 et 9. S. Bonifacius Roma redux Bajoariam in quatuor Episcopatus dividit: Salisburgensem, Frisingensem, Ratisponensem, et Pataviensem. Greg. Epist quam recitat Baron. De his Diœcesibus late Pag. n. 1. et seqq. S. Willibrordus primus Episc. Trajecti, qui Frisiorum conversionem a SS. Egberto, et Wigberto tentatam perfecit, et Trajectensem Episcopatum instituit, moritur die 7 Novemb. Ex Alcuino. Pag num 11. Hanc postea Sedem	739
53) 21) 19 B Impp Leonis Isauri Aug 24 et 25. dict El. Constantini Copr Aug 20 III et 21 IX Terræmotu ingenti Cpolis et	1492 1493		III IV *Hegira* 123 26 *Nov fer* 7	Paulus IV in Archiepiscopalem erexit. Gregorii III, 9, et 10. Gallia quæ hoc anno nullis, infestatur bellis. ut docent Annales. dissidium movet de Paschate;	740

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U C.*	A	*Anni Olymp Heg.*	*Romani pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Ann Æri Chri*
	aliæ urbes Orientis quatiuntur: [die 26 Octob fer 4, qui multos menses perseveravit. Theoph. Liutprandus R. Langob obsidet urbem Romam, ubi sese defendebat Trasamundus dux Spoletinus: at Gregorrio pontifice, Stephano Patricio, et duce, necnon Romano exercitu eum non tradentibus Regi, is .solvens obsidionem abit, et quatuor civitates eripit Apostolicæ Sedi. Anast in Zachar.				nam juxta Cyclum Victorianum, qui adhuc in usu erat. apud Gallos præsertim, contigit, xv Kal Maii, juxta Alexandrinos autem VIII. Kal ejusdem mensis, octo dierum discrimine. Append Contin Fredeg.	
5454 ♈ 22 ● 1 A *Indict* IX X	Impp Leonis Isauri Aug. 25. Fl. Constant. Copr. Aug. 21 et 22. 1. Leo Isaurus cum imperasset ab acclamatione Amorii annos 25, m. 2, d. 25. nempe a die 25 Martii a. 716 moritur h. a. die 18 Junii, solusque imperat Constantinus Copr, annos 34, m. 2, d. 26, usque ad diem 14 Septemb. an, 775. Initium tamen Imperii fuit contensiosum; namque in ejus odium, qui instar patris erat eversor Sacrar. Imaginum, creatur Imp Artavasdus post d. 27 Jun. Baron. Pag. n. 4. Carolus Martel] quum regnasset an. 25, a pugna Vincianensi a. 717, 21 Mart. moritur 15 aut 22 Octob. Majordomatum bipertito dividens inter filios Pipinum, et Carolomannum Austrasiam nempe, et Neustrasiam. Pag. n. 11 et 19 ex contin. Fred append et Annal.	1493 1494		IV *et* B 380 1 *Hegira* 124 15 *Nov* *fer* 4	Gregorii III, 10 et 11 S. Zachariæ 1. S. Gregorius III quum sedisset an. 10, m. 8. d. 24, a die 18. Mart 731, h. a. moritur 28 Novembris. Eique succedens S. ZACHARIAS, post quatridui interp ordinatur h. a. die 3 Decemb. Duplex Greg III ad Carolum legatio a Baron supra. relata ad hunc pertinet; quum autem uterque eodem anno mortui sint incertum quid Carolus consilii ceperit. Id certum est, eum declaratum a S. Pontifice Patricium, seu defensorem Apost Sedis. Pag num 4, et seqq. S. Bonifacius crescente fidelium numero tres alios Episcopatus instituit, I in Francia Or. ap. Wirtzburg, hodie Herbipolim; II In Hassia ap Buraburg, hodie eversum; III in Thuringia apud Herphesfurt, hodie Herfordiam. Bonifac Epist 22, ad Zachar.	741
5455 ♈ 23 ● 2 G *Indict* X XI	Imp. Fl. Constantini Copr. Aug. 22 et 23. 1 et 2. Artavasdus, et Nicetas fil. bis infeliciter pugnant cum Constantino. Miscell. Bar. Pag. ex Theoph a. seq. Erancia novis intestinis motibus agitatur tum in Aquitania tum in Germania, et post quinquennale Interregnum Childericus III fit Rex. Annal. Pag n. 15 et seqq. Carolus, postea Magnus, et Imperator Occid. Pipino nascitur h. a. non post quinquennium, ut nonnulli contendunt. H. Vales contra Coint et Pag. ex Annal. n. 22. et seq.	1494 1495	C D	I II *Hegira* 125 4 *Nov* *fer* 1	Zachariæ 1 et 2. S. Zacharias pace facta cum Liutprando per Legatos. paulo post per se ipse eum convenit, urbesque ante biennium quatuor ablatas restitul obtinet. Anast. Bar. Pag. h. et sup a. Idem Epistola ad Bonifacium data Kal Apr confirmat tres Episcopatus super anno fundatos ab illo in Francia Orientali. Baron et Pag n. 6. Concilium a S. Bonifacio in Germania habetur, de quo Baron an. 740, ubi Pag n. 1, perperam bipertito divisum ostendit, et h. a. n. 9, primum esse ait ex celebratis a S. Bonifacio.	742
5466 ♈ 24 ● 3 F *Indict* XI XII	Imp Fl. Constantini Copr. Aug. 23 et 24. 2 et 3. Constantinus in prælio vincit Artavasdum, qui ex Zon bienn imperavit, die 2 Nov. eique et filio ejus Niceph. erui oculos mandat. Baron et Pag. num 18. Liutprando Ravennæ obsidionem parante Exarchus, et Archiep orant Pontificem, ut præsidium sibi afferat, quare is eo tendens pacem stabilit cum Rege, Anast Baron Marca Pag n. 14. Hischamus Califa Saracenor XVII, moritur: succedit Walid	1495 1496		II III *Hegira* 126 25 *Oct* *fer* 6	Zachariæ 2 et 3. Concilium Romæ celebratur Ind XII in quo novo exemplo annus 32 Liutprandi Langg R. signatur: hinc eruit Pag num 16, fœdus inter Pontif et Langobb initum obtuendas Sacras Imagines. Concilium item Liptinense celebratur h. a. Bar et Pag n. 1. Legati pontif sup a. ad Constantinum missi obtinent quod petitum iverant, prædia nempe aliquot perpetuo possidenda ab apostol. Sede, idque post devictum et excæc. Artavasd. Bar. Pag n. 19.	743

	Romanorum imperatores, reges, exarchi, res gestæ.	*Anni ab U. C.*		*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.,*
	II, Califa XVIII, Ex Elm Pag n. 4, Bar ex Miscel sup a.				Duæ exstant Zachar Epistolæ Kalend. Apr datæ et altera Bonif de ætate ear v Pag. n. 2 et seqq.	
7	Imp Fl. Constantini Copr Aug	1496		III	Zachariæ 3 et 4.	744
5	24, et 25, 3, 4.	1497		IV	Concil Suessianense habetur	
4	Liutprandus h. a. ineunte moritur : regnat nepos Heildebrandus solus usque ad m. Jul quum Langobardi eo ejecto levant Rachim Diac l. 6 c. 58 Herempert.			*Hegira* 127 13 *Oct fer* 3	præside S. Bonif, unde miser Gallicanæ Ecclesiæ status agnoscitur. Pag n. 7. Carolomannus fundat monasterium Fuldense, primusque ejus abbas fit S. Sturmio discipulus S. Bonifacii Bavarus. Pag n. 10 et seqq.	
	Walid II, Califa Sarac quum regnasset an I, interficitur 16 Apr succedit fil Jezidus III, Califa XIX qui moritur post m. 5, fit Califa XX Ibrainus, dejiciturque post d. 69, a, Merva, seu Marva rebelle, qui est Califa XXI. Hic Christianis favit, præsertim Hispanis, quos a vectigalibus pro mortuis exsolvendis liberavit. Pag ex Elmak n. 17, sup a. et 1, hujus ex Isid Pac.		B		Duæ S. Zachariæ epistolæ, prima Indict XII. x Kal Jul et altera non Nov. Indict XIII quæ hunc annum indicant, habent hanc subscr. Artavasd a. 3 PC. 3 sed et Nicephoro Magno imp. ann. 3 quæ indicant Artavasdum produxisse imp ad h. annum.	
3	Imp Fl Constantini Copr Aug	1497		IV	Zachariæ 4 et 5.	745
6	25, et 26, 4 et 5.	1498		*et* 381 I	Concil Romæ II. sub Zachar in quæ Adelbertus Gallus et Clemens Scotus hæretici a S. Bonifacio damnati in Synodo Germanica, auctoritate apostolica iterum condemnantur die 35 Oct. Anton. Pag agens de hoc concil aliisque per hæc tempora celebratis corrigit Cointium eorum ætates perturbantem num. 10.	
	Carolomannus et Pipinus Majores domus Franc feliciter pugnant in Saxonia, et Aquitania, fortasse etiam in Alemania, cum prospero Religionis eventu : Annales et Pag n. 11, et seq			*Hegira* 128 2 *Oct fer* 7		
	Ethelbaldus R. Mercior qui multa in leges et mores major peccaverat, reducitur ad bonam frugem in Synodo Germanica hoc a habita, quæ deposuit Gervilium Moguntin Episcopum subrogato. S. Bonifacio. Baron et Pag num 1.		C		Colonia Agrippina instituitur metropolis, cui postea prælata Moguntia. Epist Zach. Pag. n. 4.	
7	Imp Fl. Constantini Copr Aug	1498		I	Zachariæ 5 et 6.	746
7	26 et 27, 5 et 6.	1499		II	Post confectum h. a. bellum	
	Tenebræ caliginosæ in Syria Saracenis intestino bello digladiantibus declinantis Imperii eorum indicium. Ex Theoph Bar Pag n. 1.			*Hegira* 129 22 *Sept fer* 5	Alamannicum, Carolomannus de sæculo deserendo cogitans, iter instituit Romam. Pipinus vero fratrem ad Sacra Limina profecturum magnis honoribus et muneribus prosequi meditatur. Annal.	
	Pestis ingens, quæ a sup cœperat in Sicilia et Calabria, pervenit Cp. eaque impius Imper flagellatur. Bar et Pag num 3.				Per hæc tempora S. Virgilius fit episcopus Saltzburgensis, qui est ordine quintus. Pag n. 6.	
	In Hispania III non Apr tridui, nempe Dom fer 2, et 3, visi tres Soles deinde fame valida omnes eam incolentes laborarunt. Isid Pac Pag n. 9.					
	Rachis R. Langobardor suas leges fert Kal Mart anno secundo Regni sui. Prolog Leg.					
	Abulcatar mittitur Prorex Saracenor Hispan civilibus inter se armis pugnantium, qui eos componit. Ex Isid Pac Pag seq a. n. 14.		D			
8	Imp Fl. Constantini Copr Aug	1499		II	Zachariæ 6. et 7.	747
8	27 et 28, 6 et 7.	1500		III	S. Pontifex legatos Francor.	
	Terræmotus ingens in Palestina die 18 Januar hor 4. Theoph Baron et Pag sup a. n. 2.			*Hegira* 130 11 *Sept fer* 2	audit de Moguntina Sede in Metropolim erigenda. Pag contra Baron ex litter Zach a seq n. 3, et 751, n. 8. Sed antea, Nonis nempe Januar responderat ad litteras Bonif et varia Capitula Pipini, 27, capitib partim ad ord Sacerdotalem, partim ad cur animar partim ad copulas illicitas pertinentibus. Pag 744, n, 4, et seqq.	
	Cripho Pipini et Carolomanni fr. qui ob temere mota arma in fratres sub custodia detinebatur h. a. liberatur. Et Pipinus Carolomanno Romam profecto, bello, in Saxones redintegrato, eos proligat. Ex Annal et Cont. Fred. append. Pag. n. 5 et 6.				Carolomannus, vir strenuus, qui	

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum Imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*		*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*An Chri*
	Abuleatare prorege Saracen. Hisp sub finem æstatis sup a. dignitate moto a Rebellibus levatur Toaban, qui pariter sub finem æstatis h. a. moritur, succedente Juzepho. Pag. n. 14.				rebellantes Principes vicit, Homaldum Aquitaniæ, Bajoariæ Odilonem, grassantes Saxones superavit, nova tentantes Alamannos repressit, pacatis omnibus relicto sæculo induit Monachum. Baron ex Regin et Ostien. Pag n. 1.	
5461 ☉ 1 ● 8 *G F* *Indict* I II	Imp Fl. Constantini Copr Aug 28 et 29, 7 et 8. Pestis quæ ante biennium cœperat Cp. late grassatur præsertim in suburbiis. Pag a. 746 et seqq ex Theoph et Niceph. Gripho ad Saxones abiens arma in fratrem movet : at Pipinus iisdem superatis, eorumque regione late vastata redit ad propria. Annal Met. Edbertus R. Cantii moritur : succedit fr. Edilbertus : Odiloni pariter mortuo h. a succedit Tassilo II puerulus. Coint. Pag n. 8.	1500 1501		III IV *Hegira* 131 3) *August* *fer* 6	Zachariæ 7, et 8. S. Zacharias dat litteras ad Reginfredum aliosque 12 Episcopos, laudans eorum cum S. Sede conjunctionem, et orans ut junctim cum S Bonif Vicario Apost ministeriis suis constanter insistant. Baron et Pag cum Coint n. 5.	748
			B		Moguntio circa hujus anni finem a. Pontifice Metropolis instituitur. Ex restituta Ep. Zach. Pag an 751, n. 8, cum Baron.	
5462 ☉ 2 ● 9 *E* *Indict* II III	Imp Fl. Constantini Copr Aug 29 et 30, 8 et 9. Terræmotu magno concutitur Syria. Abdalla creatur Califa Saracenor XXII, exeunte Octobri mense ; Marvane adhuc superstite. qui paulo post ab Abdalla patruo Abdallæ interficitur. Theoph et ex Elmak. Pag n. 1. Gripho superiori anno cum Saxonibus victus a fratre, h. a. excitat Bajoarios contra eumdem. Annal et Pag n. 4. Aistulphus frater Rachis fit rex Langob. Bar seq a.	1501 1502		IV *et* 382 I *Hegira* 132 20 *Aug.* *fer* 4	Zachariæ 8. et 9. Anastasius Monachus et Abbas Monaster S. Euthymii excitat hæresim in Trisagium, de solo filio intelligi illud debere affirmans : at præsto est S. Jo. Damascen qui scribendo Trisagium vindicat. Bar et Pag n. 2. Rachis Langobardor Rex suasu S. Zachariæ ex hoste Apostolicæ Sedis fit Monachus, regnum fratri Aistulpho relinquens, qui diu S. Sedem vexare ausus est.	749
			C			
5463 ☉ 3 ● 10 *D* *Iudict* III IV	Imp Fl. Constantini Copr Aug 30 et 31, 9 et 10. Constantino ex Irene filia Chagani Chazariæ regis prima e tribus uxoribus h. a. die 25 Januar nascitur filius Leo, qui seq anno in consortium imp adscitus, die 14 Septembris a. 775 post mortem patris solus imperat. Theoph. Cedr. Francia h. a. ut annales tradunt, nullo bello infestatur. Musulmani Fallæciam incolentes diuturno Christianos bello vexarant : tandem mutuis dissensionibus divisi ab Alphonso catholico h. a. ex tota Gallæcia ejiciuntur Ex Anon. Andalus. Pag a. 753, n. 11.	1502 1503		I II *Hegira* 133 9 *Aug.* *fer* 1	Zachariæ 9 et 10, S. Anselmus conditor Monasteriorum floret. Hic, ex Duce Forojuliensi Monachus, fundavit primum Monasterium Fanani, deinde Nonantulanum, cujus fuit primus Abbas ; postea erexit Cæuobium Vincentiæ, et habuit sub se 1149 Monachos. Italicor Script to. I, par 2, opusc fund Mon Nonant. Pag n. 2, ex Mabill idem laudat tanquam V. S. Anselmi ab Anon descriptam.	750
			D			
5464 ☉ 4 ● 11 *C* *Indict* IV V	Impp Fl. Constantini Copr Aug 31 et 32, 10 et 11. Leonis IV Aug 1. Constantinus, die 6 Jun ipsa Pentec, consortem Imp facit fil Leonem sexdecim mensium puerum. Theoph Niceph Pag n. 11. Legatio celebris Pipini ad S. Sedem Burchardo Episcopo, et Abbati Fulrado commissa ; ut nempe de translatione Francorum Regni agerent a desidibus Merovingiis ad bellicossissimos Carolovingios. Hi vero S. Sedis.	1503 1504		II III *Hegira* 134, 29 *Julii* *fer* 5	Zachariæ 10 et 11. S. Zacharias ad varia S. Bonif. consulta respondet prid. non. Nov. a. Constantini 32. Imp. II. Ind. 5. Alia et. exstat ead. Indict. ipsis Nonis scripta. Cod. Bonif. Pag. n. 7, cum Baron. Aistulphus, Ravenna capta, ipso in Exarchorum palatio, quorum novissimus Eutychius Cpolim fugerat, dat privilegium confirmationis bonorum Monasterii Farfensis die 4 Jul. anno Regni ejus 3. Ind. 4. At annis quatuor evolutis Exar-	751

nni iodi l. et dict.	*Romanorum imperatores, Lang. reges, exarchi, res gestæ.*	*Anni ab U.C.*	A	*Anni Olymp et Heg.*	*Romani pontifices et res ecclesiast Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi*
	anctoritate declarantur Reges, primusque eorum an. seq inungitur Pipinus. Annales passim. Aistulphus mense Julio ineunte capit Ravennam, finemque affert Exarchatus, qui duraverat annos circiter 184.				chatus et alia plura in ditionem S. Sedis Pipini Regis beneficio concesserunt, Bacchin. in Agnel. Vide Præfation. et notas in Steph. II. al. III. Theophilactus Patriarcha Antioch. moritur: succedit Theodorus. Ex Theoph. Pag. n. 10.	
465 Ð 5) 12 A dict V VI	Impp Fl. Constantini Copr Aug 32 et 33, 11 et 12 Leonis IV Aug 1 et 2. Eclipsis Lunæ prid Kal Aug fer 2 ineunte hora una post mediam noctem digiti Eclipt 20, 50. Ex Roger Calvis in Anglia. Pipinus Carolovingiorum Rex primus auctoritate S. Sedis in Francia agnoscitur, et Suessione inungitur a S. Bonifacio Moguntino Episcopo Baron et fusius Pag. n. 1 et seqq. Childericus autem III Merovingiorum ultimus exauctoratur, et in Monasterium Bertinianum retruditur. Pag n. 6. Copronymus late suam impietatem, et hæresim protendi satagit. Ex Theoph. Pag n. 18.	1504 1505 ●		III IV *Hegira* 135, 18 *Julii fer* 3	Zachariæ 11, Stephani II, al. III, 1. Quum S. Zacharias sedisset a die 3 Decemb. 741, a. 10, m. 3, d. 13, moritur h. a. die 15 Mart. et post Interpont. d. 12. consecratur ejus Successor STEPHANUS II, a Panvin. et Baron. dictus III, quia alium Stephanum post Zachariam electum non ordinatum, inter Pontiff. numerant, consecratur inquam die 26 Mart. Stephanus nequicquam sollicitata Imperatoris ope adversus Aistulphum Langobardorum Regem, ad Francorum Regem se vertit, a quo auxilium petit. Anast. Baron. Pag. n. 16, ubi ait Romanos Pontifices nondum Imp. Orientis detrectasse, quæ est mira Christi Vicarii tolerantia, Christi ipsius exemplo.	752
466 Ð 6) 13 G dict VI VII	Impp Fl. Constantini Copr Aug 33 et 34, 12 et 13. Leonis IV Aug 2 et 3. Aistulphus Romam obsidet. Interim redeuntibus legatis ad Pipinum missis, ac referentibus præsto esse Regis auxilia, quum contra legati redierint Cpoli re infecta, Pontifex totum se vertit ad Reges Franciæ, neque amplius quæsitam legimus Imperatoris opem. Baron et Pag sub a. n. 16. Pipinus insignem de Saxonibus victoriam refert, qui ad Regis clementiam versi pacem impetrant. Redeunti mors fratris sui Griphonis rebellis in Wasconia, ubi confugium quæsierat nuntiatur. Ex Append II Contin Fred et Annal. Pag n. 8. Eclipsis Sol 9 Jan, fer 3, h. 2 ante merid, et Lunæ 24 Jan h. 1 post med noct, ineunte fer 4 Calvis.	1505 1506 ☉ ●		IV *et* 383 I *Hegira* 136, 7 *Julii fer* 7	Stephani II, al, III, 1 et 2. Stephanus a Langobb. vexatus publicis privatisque precibus implorato Dei auxilio, in Franciam proficiscens, Romaegreditur 14 die Octobr. 15 Novemb. Ticino discedit in Franciam perveniens ingenti cum honore accipitur, obviam euntibus filiis Regis, etc. Anast. Anastasius in Cp. Sed. a Leone intrusus a. 730, quum fuisset ejusdem invasor an. 24, h. a. moritur. Succedit Constantinus Monachus hæreticus. Baron. et Pag. num. 1. S. Bonifacius Lullo in Episc. Mogunt. subrogato in Frisiam redit, ibique Trajectencem Episcopatum regit. Baron. a. 755 et ibi Pag. qui etiam h. a. num. 9 et sed. Privileg. Steph. Abbatibus Monast. Nonantulani in perpetuum mense Januar. Ital. Script. to. 1, p. II, pag. 191.	753
467) 7) 14 F dict II III	Impp. Fl. Constant. Copr. Aug. 34 et 35, 13 et 14. Leonis IV Aug. 3 et 4. Pseudosynod. Cp. contra Sacras Imagines Imperatori favente Patriarcha. Steph. Diac. Cp. Pag. n. 10 et seqq. Pipinus in conventu Carisiaco cum Proceribus decernit S. Sedi opem ferre, nequicquam ab Aistulpho (qui h. a. Kal. Mart. suas leges tulit) tentante per Carolomannum legatum suum removere animum Regis ab armis suscipiendis in Langobb. Carolomannus enim Pontifice annuente remanet in Mo-	1506 1507	D	I II *Hegira* 137 26 *Junii fer* 4.	Stephani II, al. III, 2 et 3. S. Stephanus die Epiphan a Rege deducitur ad palatium Pontigonense, inde Carisiacum. In Monast Sancti Dionysii ægrotat, convalescit, multa in Gallia pro munere Pontif exercet: Reges inungit Pipinum, uxorem filios, incertum an Chrismate, an S. Bonifacii unctionem confirmans. Proficiscitur cum exercitu: rebusque compositis a victore Pipino, Romam ingreditur anno exeunte. Anast Annal Baron Pag n. 4 et seqq. Isidori Pacem Chronicon ex	754

Anni Period Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, reges, res gestæ.*	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp et Heg*	*Romani pontifices, et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
	nasterio S. Dionysii, et Pipinus num multo milite Ticinum venit cum Pontifice. Annal. Anast. Abdalla Califa Sarac. XXJI. Abbasidar. primus moritur die 9 Jun. succedit fr. Abuginfar Almansor Califa XXIII. Ex Elmak. Pag. n. 23.				plicit. Est is primus e quinque Scriptorib Regum Hisp a Sandoval editis 1605 et idcirco non visis a Baron. Pag n. 26.	
5468 ☉ 8 ☽ 15 *E* *Indict* VIII IX	Impp. Fl. Constant. Copr. Aug. 35 et 36, 14 et 15. Leonis IV Aug. 4 et 5. Eclips, Lunæ 23 Nov. fer. 1. Londini. ex Roger. Calvis. Pipino in Galliam reverso Narbo, quæ triennalem patiebatur obsidionem, a Francis Gothorum conventione expugnatur, Saracenisque e Septimania expulsis ultra Pyrenæos ea provincia restituitur. Annal. Pag. n. 23. Aistulphus in Franciam profecto Pipino resiluit, pacta conventa servare noluit, legatos Pontificios contempsit, urbem Romam obsedit Anast. Baron. late. Pag. n. 1 et seqq.	1507 1508		II III *Hegira* 138 15 *Junii* *fer* 1	Stephani II, al. III, 3 et 4. Pipino enixis Pontificis præcibus moto in Italiam redeunte, Aistulphi fœdifragi audacia reprimitur, donationes antiquæ Ecclesiæ factæ instaurantur, novis adjunctis. Anast Baron.	753
5469 ☉ 9 ☽ 16 *D C* *Indict* IX X	Impp. Fl. Constant. Copr. Aug. 36 et 37, 15 et 16. Leonis IV. Aug. 5 et 6. Aistulphus quum regnasset post fratrem an. 7 Pontifici semper infensus, h. a. male perit post d. 5 Apr. Rex Langobb. annuente Pontifice fit Desiderius omnium ultimus ut dicam a. 774. Nova epoche Saracenor. Hispan. hac quippe anno eorum Reges incipiunt. Abderamen cum Juzepho Præfecto confligit, quo victo, ac fugiente Toletum, ipse Rex salutatur ; qui Ameræ licet nomine contentus fuerit, Rex tamen primus eorum et in Hispaniis : et quidem h. a. regnare incipit, tametsi Juzephus nonnisi post triennium occiditur. Sic usque ad h. a. Præfecti : hinc usque ad 913. Ameræ. deinde Califæ sunt appellati. Ex Anon. And. et Elm. Png. num. 7.	1508 1509	B C	III IV *Hegira* 139 3 *Junii* *fer* 5	Stephani II, al. III, 4 et 5 Pontifex Aistulpho mortuo, et tranquilla Italia omni, scribit Pipino, ut quæ antea erant ablata S. Sedi a Langobardis, nec ab impio Aistulpho reddita fuerant reddi curet a novo Rege Desiderio ; ut fidei Catholicæ Orientis a Constantino impugnatæ satagat, multaque alia, quæ videsis Cod Carol ep. 8 et ap. Pag n. 2 et seqq. Theodorus Antiochen Episc a Saracenis in exsilium mittitur, et Orthodoxi vexantur, iis prohibendo, ne de Christiano dogmate cum Arabibus disputent. Theoph ap. Pag n. 5.	756
5470 ☉ 10 ☽ 17 *B* *Indict* X XI	Impp Fl. Constant Copr Aug 37 et 38, 16 et 17. Leonis IV. Aug 6 et 7 Pipinus et Constantinus mutuis legationibus de pace agunt, quæ nullum sortitur effectum. App II, ad Cont Fred. Pag n. 7. Desiderius Ecclesiæ ditionem vexare et ipse incipiens Romam veniens sub Autumnum promittit, se redditurum Imolam, Bononiam, Auximium Anconam, etc quas occupaverat, si redderentur sibi obsides a Pipino Franciam secum ducti : quare Pontifex legatione ad Pipinum missa aliud litteris, aliud voce ei significat. Cod Carol Epp 28, 26, 30, 33, unde patent Constantini molimina II Ravennam et Exarchatum ad defectionem per missum suum Leonem pertraheret.	1509 1510	D	IV *et* 384 I *Hegira* 140 24 *Maii* *fer* 3	Stephani II, al. III, 5 et 6, S. Pauli 1. Stephanus postquam sedit an. 5, d, 29 a die 26 Mart 752 h. a. moritur 26 Apr, daturque ei successor S. PAULUS, qui ordinatur 29 Maii, post interp dier 35 aut 32 a die depositionis. S. Paulus statim atque Sedem apostolicam ascendit binis litteris cum rege Pipino et Francis fœdus Prædecessorum instaurat. Epp 13 et 22, Cod Car.	757

	Romanorum imperatores, reges, res gestæ.	*Lang.*	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp et Heg.*	*Romani pontifices et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
	Impp Fl. Constant Copr Aug 38 et 39, 17 et 18.		1510 1511		I II *Hegira* 141 13 *Mai* *fer* 7	Pauli 1 et 2. Paulus ut Pipinum a Constantino dissociet nil intentatum relinquit; omnem amoris significationem erga illum, in hunc vero odium vehemens multis testatur: Marinum quoque presbyterum, a quo fuerat proditus, in gratiam Pipini episcopum fieri jubet in ejus regno. Ex Cod Car. Pag n. 1 et seqq.	758
	Leonis IV, Aug 7 et 8.					Antiphonale, Responsale, et alios id genus libros Paulus mittit in Franciam, pro hor tempor. more, ut cantus Romanus sensim introducatur in illud regnum. Ep. 25, Cod Car.	
	Desiderius hoc item anno tempore autumni venit ad Sacra limina, et Pontifici promittit se plura patrimonia redditurum, quæ in Tuscia eripuerat. Cod Car ep. 26. Pag n. 9.			B		Eadbertus R. Northumbr monitus a Pontif ut Monasteria ablata Foldredo abbati restituat, relicto Regno filio suo Osulpho fit Canonicus Eboracensis. Pag num 11.	
	Pipinus pugnat iterum adversus Saxones, multisque eorum cæsis, antequam in Franciam redeat, coegit ut promitterent se mandata ejus omnia facturos, et 300 equos quotannis ad generale conventum honoris gratia missuros. Baron sup a. et ibi Pag n. 8, ex Annal.						
	Garcia cognom Arista primus Navarræ Princeps moritur; succedit fil Eneco Garseanis, vel Inigo Garcieis Aristha, qui primus hoc anno Regis nomen assumit. AA. ap. Pag n. 12.						
	Impp Fl. Constant Copr Aug et 40, 18 et 19.		1511 1512		II III *Hegira* 142 3 *Mai* *fer* 5	Pauli 2 et 3. Sergius Ravennæ Episcopus petit a S. Pontifice, ut Ecclesiæ suæ reddi jubeat Monasterium Galiatense S. Hilari; quare Diploma edit Pontifex pro ejus restitutione, quod Baron refert ex Rubeo, cujus temporar notas emendat Pag n. 1.	759
	Leonis IV Aug 8 et 9.						
	Aragoniæ Comitatus, qui sæculo XI, in Regnum evasit h. a. instituitur, primusque ejus Comes est Azenarius: at Aragonia parvis initio limitibus circumscripta a Regibus Navarræ obtinere cœpit. Idque factum, quia Christiani Hispan qui Regi Saracenor seu Ameræ Abderamini parere nolebant, Comitibus morem gerebant occasionem exspectantes Regnum a servitute Saracen eripiendi. Pag n. 13.			C		S. Othmarus secundus abbas Sangallensis moritur. Ex Mabillon et aliis AA. Pag n. 2 et seqq ante eum Baron. Moritur item h. a. S. Pirminius primus abbas Augiensis Monasterior conditor tertio Non Novemb. Pag n. 8 et seqq.	
	Pipino nascitur filius, quem suo nomine appellat; et S. Pontifex e sacro fonte suscipere eum optat: Ep 23, Cod Car post bien moritur.					Christiani in Oriente a Saracenis vexantur: ac prohibentur conficere publica vectigalium acta, quod officium brevi eisdem restituere coguntur, non enim Saraceni numeros et summas valebant scribere. Theoph.	
	Osulpho post regni annum a suis nequiter occiso regnat Ethelwadus in Northumbria mense Augusto. Annal Mailr. Pag sup a. n. 11.						
	Impp Fl Constant Copr Aug 40 et 41, 19 et 20.		1512 1513		III IV *Hegira* 143 21 *Apr*	Pauli 3 et 4. Error Paschalis inter Orientales: Orthodoxis die 6 hæreticis 13 Aprilis id celebrantibus. Theoph. Pag observat n. 6, quod	760
	Leonis IV Aug 9 et 10.		☉				
	Eclipsis solis die 15 Aug hora post merid 4, digiti ecliptici 8, 15, sol in 26 Gemin. Ex Miscell et tabul Pruten. Calvis.			D	*fer* 2	qui Cyclum Victorii sequebantur, ut Galli, cum h. a. Cyclo Lunæ 1, term Pasch 5, April noluerunt seq die 6, Pascha celebrare, et ad 13 distuler seq Dom.	
	Waifariusdux Aquitaniæ tyrannidem induit, et res ecclesiarum sibi usurpat. Pipinus repetit res ecclesiasticas ad suum regnum pertinentes, et ut pristina iisdem immunitas reddatur per legatos monet: omnia Waifarius contemnit. Hinc bellum novennale oritur, quod Annales Aquitanicum vocant, idque Pipinus confecit novissimo vitæ suæ anno 768. Ex Annal. Append 2, ad Contin Fred et Eginh. Pag num 1 et seqq.					Oratoribus Pipini Regis motus Desiderius aliqua ex parte satisfacit Pontifici, multa ex ablatis restituens, partem se restiturum promittens: S. tamen Pontifex id nuntians Pipino, ut cum Desiderio ei convenerat, non desistit eum orare, ut totum S. Sedi restitui curet. Cod Car Ep. 21. Pag n. 3.	
	Impp Fl. Constant Copr Aug 41 et 42, 20 et 21		1513 1514		IV *et* 385 I *Hegira* 144 10 *Apr* *fer* 6	Pauli 4 et 5. S. Pontifex patrias ædes in Mo-	761

Anni Periodi Jul. et Indict	*Romanorum imperatores. reges, res gestæ.*	*Lang.*	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices et res ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi*
	Leonis IV Aug 10 et 11. Belli Aquitanici an. 2 Pipini 10. Annal. Pipinus et hoc anno feliciter contra Waifarium præliatur ; ac multis Wasconibus, seu Aquitanis cæsis, captisque una cum Blandino Comite urbis Arvernæ, necnon urbe ipsa expugnata et regione late vastata, redit ad propria. Ex Annal et contin Fred App 2. Pagium num 5. In Oriente defensores Sacrar Imaginum multa patiuntur ab impio Constantino ; et h. a. S. Andræas Crisis ob eamdem causam Martyrium facit. Ex Metaphr. Baron et Pag n. 2. Vide ap. Baron fuse h. hist.					nasterium et Ecclesiam Monachorum convertit, ac Deo dicavit in honorem SS. Pontificum Stephani Mart et Silvestri Conf quod postea ad Moniales transiit, ut hodie est, S. Silvestri in Capite vulgo appellatum. Baronius testatur, Privilegium ea occasione datum a S. Pontifice apud easdem Moniales asservari. Pag n. 1, corrigit temporariam notam. S. Garibaldus Ratisponen episc 2, h. a. circiter moritur, postquam tenuit eam sedem annos 22, nempe ab an 739, cum S. Bonifacius	B	Bajoariam in quatuor episcopatus divisit : id moris in Ecclesia erat Ratispon ut monachi et Canonici vicissim succederent. AA. ap. Pag n. 7.	
5475	Impp Fl. Constant Copr. Aug		1514		I	Pauli 5 et 6.	762
☉ 15	42, et 43, 21 et 22.		1515		II	Monachi Orientis defensores	
☾ 3	Leonis IV Aug 11 et 12.				*Hegira*	Sacrar Imagg persecutionem ab	
C	Belli Aquitanici an. 3, Pippini 11				145	Imp impio patiuntur. Metaphr.	
Indict	Pipinus tertio in Waifarium pro-				31 *Mart*	Baron.	
XV	fectus, Bituricam obsidione cin-				*fer* 4	Paulus Papa donat Pipino qua-	
I	git, machinisque demum expugnatam suæ ditioni subdit jure belli : milites ab hoste in eam missos ut defenderent civitatem absolutos clementer dimisit, comites ibidem inventos in Franciam cum uxoribus et liberis ire jussit, suosque comites iis substituit. Capto inde mira celeritate castro Toarcio in Franciam est regressus. Annal Cont Fred App 2. Pag n. 6. Almansor Bagdadum postea sedem Califaram hora ab astrologis designata ædificat, vocatque Medinato-SSalami. Ex Elm et Abulpharajo. Pag n. 7.					tuor Monasteria, nempe S. Stephani M., S. Andreæ Ap. et S. Victoris cum omnibus ad ea pertinentibus pro sustentat peregrinor Monachor Christi pauperum, etc. Cod Carol ep. 12. Pag n. 2. Monasterium Prumiense 35, circit. mill pass Treveris dissitum,	C	fundat Pipinus Bertradæ conjugis rogatu, quod postea floruit viris illustribus tum monastica disciplina, tum eruditione, eique præficit Assuerum sanctum virum. Privileg fundat exstat datum 13, Aug a. Pip 11. Pag num 3.	
5476	Impp. Fl. Constant Copr Aug		1515		II	S. Pauli 6 et 7.	763
☉ 16	43 et 44, 22 et 23.		1516		III	Pipinus Romam mittit Haribertum Abbatem, et Dononem Comi-	
☾ 4	Leonis IV Aug 12 et 13.				*Hegira*	tem, ut Pontifici sibi metuenti a	
B	Belli Aquitanici A. 4, Pipini				146	Langobb testarentur ejus constan-	
Indict	12. Pipinus quartum descen-				20 *Mart*	tiam pro defensione S. Sedis. Con-	
I	dens in Aquitaniam usque Cadur-				*fer* 1	tra Pontifex mittit cum iisdem in	
II	cum pervenit, lateque vastata ea regione, in Franciam revertitur. Ann. Met. Constantinus prospere pugnat cum Bulgaris, quorum multa mill cædit, ac victoria elatus in urbem triumphans ingreditur, Theoph. Turcæ h. vel seq a. nempe Constantini 23 ex portis Caspiis exeunt, multisque per Armeniam occisis aut captis, domum redeunt. Idem. Hiems horrenda sævit tam in Oriente, ex Theophane, quam in					Franciam legatos suos Joannem Subdiac et Abb, ac Petrum primum defensorem cum gratulatoriis ob firmum constantemque ejus	D	animum erga S. Sedem Cod Car ep. 18. Willisvinda, et ejus fil Cangor comes fundant Monaster Laureshamense ultra Rhenum, in Diœcesi Wormaciensi, primumque ejus Abbatem instituunt Chrodegangum Episcopum Metensem. Ex Diplom a marq Freh edito. Pag n. 5.	
5477	Occidente, ex Francor Annal Ba-				III				
☽ 17	ron et Pag. n. 3.				IV	S. Pauli 7 et 8.	764
☾ 5	Impp. El. Constant Copr Aug		1516		*Hegira*	Gliscente defensorum SS. Imagg	
A G	44 et 45, 23 et 24.		1517		147	persecutione S. Stephanus Jun	
Indict	Leonis IV Aug 13 et 14.				9 *Mart*	ætatis a. 49, in Præconnesum Hel-	
II	Belli Aquitanici A. 5, Pipini 13.				*fer* 6	lesponti insulam exsul mittitur h.	
III	Annal.						

Anni Periodi ful. et Indict.	*Romanorum imperatores, reges, res gestæ.*	*Lang. Anni ad U. C.*		*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani Pontifices et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
	Eclipsis Solis 4 Jun. fer 2 fere in ipso meridie. Digiti ecliptici 7, 15. Sol in 16, gr. Gemin. ex Aimoin. Bunting Calvis. Pipinus conventum habet in civitate Wormacia, ubi agit de pace cum Waifario Aquitaniæ duce, et cum Tassilone Bajoariæ, qui sup a. rupto fœdere cum Avunculo suo Pipino, e Francia in Bajoariam fugit. Quare h. a. in nullam partem educit milites. In eodem conventu Comites declarati filii Pipini. Ex Annal Pag n. 3 celebravit Natale, et pascha in Carisiaco. Pipinus Legatos Imp audire noluit, nisi præsentibus Pontificiis, et utrosque de fide orthodoxa et traditione Patrum disputantes audit, deinde tam ad Pontif quam ad Imp. directis legatis quæ evenerant significat. Pag. n. 4.		A		a. quum superiori ad id damnatus fuerit Cpoli. Bar sup a. Pag ibi n. 1. Tres Orient Patriarchæ, Theodorus Antiochæ, Theodorus Hieros et Cosmas Alexandrin Concilium cum Suffraganeis die Pentec celebrant, et Epiphaniæ Episcopum qui in impiam Imperatoris sententiam contra Imagines concesserat, anathemati subjiciunt. Unde liquet, præter Cpolitanum cæteros Patriarchas Orientis fuisse defensores Sacrar Imaginum. Bar sup a. et ibi Pag n. 2.	
5478	Imp Fl. Constant Copr Aug 45	1517	B	IV	S. Pauli 8 et 9.	765
☽ 18	et 46, 24 et 25.	1518		*et*	Langobardi Senogalliam vastarant cæsis incolis, et abacta præda;	
☽ 6	Leonis IV Aug 14 et 15.			386		
F	Belli Aquitanici A. 6, Pipini 14.			I	at Desiderius per legatos Pipino	
Indict	Annal.			*Hegira*	significarat nil a Langobb actum	
III	Multa hoc anno prælia commit-			148	contra Rom Pontif: quod Paulus	
IV	tuntur inter Comites Aquitanos, et Francos, qui illos superarunt. Pipinus, qui natale et Pascha celebravit Aquisgrani non eduxit copias; at celebravit ut sup a. conventum, qui Attiniacensis dicitur ab Attiniaco urbe, in qua celebratum. Eo conveniens Assuerus abbas Prumiensis a Pipino impetrat cellam S. Goaris supra Mosellæ et Rheni confluentes sitam, quæ ab h. a. monasterio Prumiensi conjuncta remansit. Ex Annal et Wandelb. Pag num. 6. Ethelwaldus R. Nordanhumbror. moritur: succedit Ealredus trinepos Idæ, qui regnat an. 8 ex Westmon. Pag n. 7.		C	27 *Feb* *fer* 4	resciens, Pipino rei veritatem narrat per suos Legatos. Cod Car ep. 14 Alia item epistola h. a. quæ est Cod Car 24, nuntiat Pipino sex Patricios cum ingenti classe paratos esse ab Imperat ut in Italiam venirent; eosdemque auctos classe Sicula Romam properare, inde in Franciam profecturos: iisdemque litteris nuntiat Desiderii pervicaciam, qui nihil eorum quæ promiserat, S. Sedi restituerat, imo minaci epistola eum territaverat. Pag n. 2, et seqq.	
5479	Impp Fl. Constant Copr Aug 46	1518		I	S. Pauli 9 et 10.	766
☽ 19	et 47, 25 et 26.	1519		II	Constantinus Monachus pa-	
☽ 7	Leonis IV Aug 15 et 16.			*Hegira*	triarcha Cp. hæreticus qui anno	
E	Belli Aquitanici A. 7, Pipini 15.			149	753 electus fuerat, quum sedisset	
ndict	Annal.			16 *Febr*	an. 13 in exsil mittitur: succedit	
IV	Pipinus Paschate celebrato Aquis-			*fer.* 1.	die 18 Novemb. Nicetas Eunu-	
V	grani iterum movet in Aquitaniam, et transacto Ligere, provincia omni vastata, ita ut omnes suæ ditioni subjicerentur, cum multa præda et spoliis Aquitania fere tota acquisita in Franciam redit. Ex contin Fred App 2. Pag n. 4. Paulus congressu habito coram Legatis Desiderii, de mittenda ad Pipinum nova legatione deliberat, per quam nuntiat Desiderium, longe ut cætera restitueret, S. Sedi, ea omnia quæ restituerat, invasisse iterum: quare pejora metuens ejus auxilium implorat. Ex Ep. 17, Cod Car. Pag n. 5.		D		chus e Sclavor genere contra Canones. Theoph. Baron. Pag n. 1. Baronius fuse narrat Constant. Copr sævitiam, et irreverentiam erga Sacras Imagines, et viros illustres. Ex Miscell. et Niceph. Chrodegangus Episcopus Metensis, qui an. 763 præfectus fuerat Monaster. Laureshamensi recens condito h. a. moritur 6 Mart ex Martyrol Meten. Pag n. 6 Mortuus item est hoc anno Egbertus archiepisc. Eboracen. ut cum Baron Pag an. 764 n. 4.	

Anni Periodi Jul. et Indict.	*Romanorum imperatores, reges, res gestæ.*	*Lang.*	*Anni ab U. C.*	A	*Anni Olymp. et Heg.*	*Romani pontifices et res Ecclesiasticæ Orientis et Occidentis.*	*Anni Æræ Christi.*
5480 ☉ 20 ☽ 8 *D Indict* V IV	Impp Fl. Constant Copr Aug 47 et 48, 26 et 27. Leonis IV Aug 16 et 17. Belli Aquitanici A. 8, Pipini 16. Annal. Pipinus Paschate ap. Gentiliacum celebrato Bituricas cum uxore Bertradane se confert actoque ibi conventum. Maio expeditionem suscepit eodem men in Waifarium, contra quem alteram suscipit m. Aug et utrobique victor exstitit: hiemavit Bituricis. Ex Annal Pag n. 8 et seq exercitum vero ad hiemandum misit in Burgundiam. App Cont Fred. Tres Patriarchæ Or. Sacrar Imagg defensores una cum multis Metropp et Episcopis scribunt Pontifici Synodicas, testantes Imaginum cultum vigere in Oriente. Has, mortuo Paulo accipiens Pseudo-Pont. Græce et Lat ad Pipinum mittit, ut sibi eum conciliet. Ep. 99 Cod Carol Pipinum vero non esse passum, se ab invasore decipi, ejus silentium indicat.		1519 1520		II III *Hegira* 150 5 *Febr fer* 5	S. Pauli 10 et 11. S. Paulus degens ap. Basilicam S. Pauli æstivo calore morbo correptus moritur die 28 Jun quum sedisset an 10, m. 1, a. die 29 Maii 757 et antequam spiritum exhalet, intruditur Constantinus, qui invadit apostolicam Sedem an. 1, m. 1, nempe usque ad 29 Jul mensis seq a. quod invasionis tempus appellatur interpontificium ab Anastasio. Vide notas Chronol Stephani II et Pauli. Concil Gentiliacense, prope Parisios habetur jussu Pipini, ubi actum de processione Spiritus S. et de Sacris imaginibus contra Græcos, quorum errores, non dubitat Pagius, quin Franci Episcopi improbarint: at concilium non exstat. Pag sup a. cum Baron n. 3.	767
5481 ☉ 21 ☽ 9 *C B Indict* VI VII	Impp Fl. Constant. Copr Aug 48 et 49, 27 et 28. Leonis IV Aug 17 et 18. Belli Aquitanici A. 9, et ultim. Pipinus accersito exercitu e Burgundia mittit suos Comites cum parte copiarum ad capiendum Remistagnum patruum Waifarii, qui sup a. fidem fefellerat: captumque ab iisdem cum uxore ultimo supplicio affici jubet. Ipse totum exercitum contra Waifarium movet, ac tota in suam ditionem Aquitania redacta, captum denique Ducem interfecit IV Non Jun ut habet chron S. Galli. Demum ipse Pipinus ægrotat, et diviso inter filios Carolum, et Carolomannum Regno, moritur VIII Kal Octob quum regnasset post mortem Caroli patris an. 26, post regiam adeptam dignitatem 16. Coronatur Reges VII Id. Oct Carolomannus Suessione, et Carolus postea Magnus et Imperator Occid in Civit. Noviom Annal Pag n. 2. et seqq.		1520 1521		III IV *Hegira* 151 25 *Jan fer* 2	Stephani III, al. IV, 1. H. a. die 28 Jul Sergius et Waldipertus Presbyteri cum Langobardis Romam ingressi, die sequen Constantinum intrusum ex occupata Apostolica Sede dejiciunt, quam invaserat an. 1, m. 1. Deinde post dies 10, nempe 7 Aug consecratur Pontifex STEPHANUS III, al. IV. Anast. Pipinum regem Carolovingiarum primum, a Merovingiis potestate in eum translata S. Sedis auctoritate, amplificatorem Ditionis S. Sedis, quæ Caroli Martelli ævo cœpit, deficiente Italia omni ab impio Leone Sacrar. Imaginum osore, harumque defensorem maximum advers Constantinum, et Catholicæ religionis in magna Aquitaniæ parte a Saracenis labefactatæ, et ab Idololatris in Trans-Rhenana Francia eversæ restitutorem jure Ste phanus II et Paulus *Christianissimum* nuncuparunt, in suis litteris. Cod. Car.	768

APPENDIX AD CHRONOLOGIAM.

Exhibenda nunc sunt, quod ante promiseram, unum aut alterum specimen documentorum quæ nobis oblata sunt genuina, et maxime illustria ad seriem et notas temporum comprobandas, præsertim in lectissimo museo lapidario sæpe a nobis producto et producendo, eminentissimi principis Alexandri cardinalis Albani: quod si appellavero *Capitolium alterum* ad fastos consulares a Christo nato reddendos ex synchronis monimentis, citra invidiam verbi, dicto constabit veritas. Perinde enim contigit et Romano Capitolio, ut fastos suos veteres et archetypos in foro proximo effossos recuperaret munifi-

ac studio alterius principis Alexandri cardi- A licet illa quoque mutilata fuerit superius. Exhibet
serenissima gente Farnesia: cujus benefi- enim genus quoddam fastorum persimile municipa-
liberalitati et curæ acceptum referunt ætates libus, veluti Casinensi, edito in notis nostris ad
decus præcipuum Romanæ historiæ, tum sa- S. Clementem infra, aliisque apud Gruterum et Fa-
m profanæ. brottum aliosque antiquarios videndis. Quemadmo-
iminis igitur gratia duos ex ingenti numero dum enim in coloniis et in municipiis solemne erat
ı lapides, Latinum unum, alterum Græcum: ut, exemplo populi Romani Quiritum, inciderentur
epertum ante annos septem in littore Antiati, quotannis nomina consulum ordinariorum Romæ
a et sollicitudine memorati cardinalis Albani, ineuntium magistratum Kal. Januarii, a quibus an-
ıe sanctissimi patris lætitia et adhortatione ni nomenclatura petebatur, deinde recenserentur
lida historiæ firmamenta conquirentis; hunc nomina vel duum virum in coloniis, vel quatuor virum
m pridem notum, et ante annos centenos et juri dicendo in municipiis, aut quinquennalium,
ı, et quod excurrit, editum a Grutero ex (quod conspicimus in Casinati); ita hoc in lapide
transmissa scheda, desumpta ex libris Anti- ex ruinis Antii effosso signati sunt Romani consu-
ım Bernardini cardinalis Maffæi: in qua tamen les ordinarii serie continuata, cujus fragmentum
tor ita vitiose reddiderat nonnullos versus, superstes inchoat a consulatu Cn. Acerronii Proculi,
tus occultaverit pretiosissimum documentum et C. Pontii Nigrini, emortuali Tiberii, æræ autem
riorum, in illo marmore compositum cum Christianæ 36, et pertingit ad consulatum quintum
ıtu Galli et Flacci, adeoque cum cæteris omni- Tiberii Claudii, collega Orphito, æræ Christi 45.
chis Orientalium et Occidentalium populorum B Singulis vero sub collegiis consulum leguntur in-
omani: quod modo integrum et custoditum cisa nomina sex magistrorum, vel pro magistro-
ıetypo Romam perlato in museum Albanum, rum, qui quotannis eligebantur ad curam vel ad
ime sculptum cernimus, et opportune pro- impensam ludorum e corporatis vernis, sive liber-
ıs ad æras universas hoc duplici specimine tis domus Augustæ in Antiati secessu degentibus
ndas, et stabiliendas in nostris tabulis chro- (quem a Tiberii ætate ad Adrianum principem fre-
is, et antiquitatum genuinarum auctoritate quentatum ab Augustis ostendi in epistola delapide
os singulos confirmatis. Antiati ex testimonio veterum scriptorum) et ad-
or igitur primum Latinis litteris insculptum, dictis peculiari officio, et opificio sigillatim, ut vi-
teris Antii ruderibus repertum, est frag- detur, in domo Augusta. Clare admodum conspici-
n tabulæ amplioris, in qua dispositum con- tur VERNARUM DIES FESTUS ita signatus in illo mar-
ur Kalendarium Julianum, in columnas more die 6 Octobris; et inter magistros sub consu-
im distributum per totidem anni menses, et latu Tib. Claudii Cæsaris et Vitellii II (æræ Chri-
tum dietim iisdem plane litteris indicantibus stianæ 43) legitur LYSIMACHUS ÆDITUUS Dei sui VER-
tos, nefastos, et comitiales, necnon ætatem NANI: quem scilicet genium suum tutelarem et pa-
er cyclum octagrammum, quæ leguntur in tronum elegerant corporati isti vernæ et die festo
ano, per alios et per nos edito et explicato peculiari celebrabant. Opificia et professiones pro-
o de Kalendario et Cyclo Cæsaris. priæ libertorusm et vernarum domus Augustæ ob-
er festa præcipua Romanorum et indicia servantur passim adjunctæ nominibus singulorum:
m, leguntur in hoc Antiati propriis diebus C sunt autem illæ PISTOR, JUSCULARIUS, MENSOR, TE-
ı gesta præcipua principum familiæ Juliæ, et GULARIUS, TOPIARIUS, PAVIMENTARIUS, DISPENSATOR,
idem ascitorum, natales, funera, a Julio SUBULICUS, A SUPELLECTILE, A CORINTHIIS, etc.,
dictatore ad ætatem Claudii; inter quæ illud aliæ quoque nobiliores occurrunt PICTOR, ATRIENSIS,
ire non pigeat quod die 20 Augusti consignatur MEDICUS, A BIBLIOTHECA. Verum hæc expendenda
INFERIAE L. CAESARIS. Diem emortualem Lucii reservamus explicationi peculiari hujusce monu-
s nunc primum ex hoc Antiati Kalendario menti, suo loco edendæ.
, ita proxime definiverat card. Norisius in Chronologiæ utilitates hic tantummodo sunt at-
Pis., pag. 265, ut demonstraverit obitum il- tingendæ. Epocha pugnæ et VICTORIÆ PHARSALICÆ
incipis deberi alicui ex diebus interceptis in- ibi adnotata legitur ad diem nonam mensis Augusti
t 21 Augusti, contra Salianum et Ricciolium, DIVUS JUL. PHARSALIÆ VICIT. Hæc nullis monumen-
ientes ad Decembrem. Norisiani computi tis certa hactenus reddebatur, licet felicissimum
et felicitas hoc marmore comprobata tanti ingenium em. cardinalis Norisii ex collatis auctori-
et, ad chronologiam ut ipsemet scribit, si latibus veterum scriptorum quam proxime ad illam
sdem principis tantum attingeret. Quod inde acesserit in Epocha Syromacedonum, dissert. 3,
uitur, hoc ducimus multo pluris habendum. cap. 5. Præstat attamen omnibus documentis tem-
uitur autem augmentum fiduciæ industriam porum hoc in lapide consignatis series illa consulum,
n excitans ad pontificum nostrorum epochas quæ plus quam viginti paria incisa fuisse ostendit
ndas. Perinde enim possunt ex tabulis depo- huic marmori supra hoc semestre spatium exten-
m SS. martyrum et pontificum, annuo ritu sum a Julio ad Decembrem. Totidem cum referret
lesia memoratarum, dies earumdem firmari, D præcedens semestre deperditum a mense Januario
si adjungantur monumenta et comparentur: ad Junium, consequitur ut anni continui plus quam
iit ex marmore Antiatum recognosci, illo quadraginta ac totidem paria consulum nobis osten-
n conspecto, diem tamen obitus L. Cæsaris derentur e primo Christi sæculo per unicum hunc
fuisse deductum æqualibus ex documentis lapidem, integer si ad nos pervenisset: quibus cum
n et nummorum per Norisium mature consi- addi possent ex marmore Casinati novem illa consu-
; quod præstitum similiter cognoscimus in lum collegia ex Capitone et Rufo (Christi 67) ad Ve-
scribenda die *pugnæ Pharsalicæ*, licet nunc spasiani VI et Titi V (Christi 75) feliciter præservata
n declarata sit hoc in eodem fragmento et inferius impressa in notis ad S. Clementem, vi-
arii ad diem v Idus Augusti, cum non igno- deremus fastos consulares plus quam dimidii sæculi
. in æra Christiana principis duobus marmoribus
imus reperiri tantummodo potuisse partem musei Albani comprobatos. Supersunt attamen ex
e marmoris, quæ continet sex menses anni illo numero complures in Antiati, ut ænea tabula
posteriores a Julio ad Decembrem, eosque demonstrat, fideliter expressa ex archetypo, et hic
tegros cum tabula sequioribus ætatibus in inserenda speciminis gratia ex collectione marmo-
secta aut confracta decadem dierum postre- rum Latinorum ad chronologiam pertinentium.
miserit in singulis mensibus. Produco, e lapidibus Græcis ejusdem musei emi-
et pretium hujus monumenti, li cet confracti, nentissimi Alexandri card. Albani, alterum docu-
la tabulæ quæ supra Kalendarium extenditur, mentum et firmamentum chronologiæ, conjungens

Fragmentum inscriptionis superstes in marmorea tabula, reperta in ruinis veteris Antii, studio, et impensis em. ac rev. principis Alexandri S. R. E. cardin. Albani: cuius in celebri musæo lapidario Romæ custoditur.



Tyriorum cum æra consulari ; quibus con-
nnes reliquæ Orientis et Occidentis orbi
ognitæ redduntur, non minus certæ.
hæc tabula exhibet epistolam Tyriorum
olos degentium, scriptam x Kalendas Au-
loet Flacco consulibus (id estanno æræ Chri-
magistratum præcipuum, senatum et popu-
æ suæ, Tyriæ scilicet civitatis, quam hone-
ibus titulis ejus dignitatis, *Sacræ et invio-
is legibus utentis, Metropolcos Phœniciæ et
ivitatum atque Navarchidos, seu classicæ.*
itulos Tyro attributos produxerat hoc ipso
re card. Norisius inter epochas Syromaced.
ens diss. 4, cap. 3, ubi feliciter, ut solet,
initium æræ Tyriorum, illud perspicue
at ex Actis conciliorum. Ex Gruteri editione
tantummodo titulorum attributionem. Cor-
uidem ; nam schedæ Pighianæ, a quibus
excepit, obliteraverant insigne documen-
Tyriorum, quod in recenti Gruteriani ope-
ne perinde latet, licet complures auctores
icantur, qui ejusdem lapidis meminerunt.
k his datum fuit archetypum conferre cum
Pighianis. Vidissent profecto integrum et
im documentum æræ Tyriorum CCC ex
respondere consulibus Tusco et Gallo (in
sti 174). Hoc ipsum apertum reddere par
uam cardinalis Albani beneficio in Urbem
marmor illustre reddit testimonium epochæ
ime pariatæ a cardinali Norisio, ex Actis
um, cum æra Christiana et cum Fastis con-
Romanorum, unde commensus tutissimus
cum cæteris omnibus chronologiæ cardini-
Orientales et Occidentales. In marmore
teolano hæc observantur.
tionis exordium est titulus epistolæ, scriptæ
o Kal. Augusti, Tusco et Gallo consulibus a
pud Puteolos stationem habentibus, ad
et ad populares suos, et quidem incisum
nplioribus, licet Gruteri prior et postrema
inutis characteribus titulum exprimat,
ic si essent notæ potius quam pars inscri-
ta enim exprimuntur litteræ tituli :

ICTOΛΗ ΓΡΑΦΕΙCA ΤΗ ΠΟΛΕΙ, etc.

ola scripta civitati, etc.

inc epistolam incidi curarunt Tyrii statio-
ntes Puteolis Acta senatus Tyriorum ea de
post receptam epistolam, *die 21 mensis Dii*
indus erat in anno Syromacedonum et
, ut laudatus card. Norisius ostendit, dia-
producens anni et mensium Tyriorum, unde
tur diem 21 mensis Dii pariari cum 8 De-
nni Juliani Romanorum) ; *anno trecentesimo*
) æræ Tyriorum, ex die 19 mensis Octobris
de more annum inchoantis. Hanc æram ex
atus expressam proxime a receptis litteris,
al. Augusti Tusco et Gallo consulibus, ita
exhibet marmor :

ΟΙΚΙΩΝ ΒΟΥΛΗΣ ΑΧΘΕΙΣΗΣ ΚΑ. ΔΙΟΥ. ΤΟΥ.
ΕΤΟΥC. Τ., etc.

A quæ Latine ita reddendæ sunt : *Colonorum convocato senatu, die 21 mensis Dii, anni tercentesimi,* etc.

Pro his autem verbis nitidissime atque integerrime in marmore præservatis obtrusit imprudens ille descriptor, qui hanc inscriptionem oscitanter exceptam retulerat in libros Antiquitatum Bibliothecæ card. Maffæi verba quæ sequuntur, nihil de Tyriorum æra indicantia : απολλων του λησαχθεισης δι ου ετους.

Mirum propterea videri minime debet, si advenæ descriptores chronologiæ pontificum Romanorum ætatis barbaræ, qui ex tribus basilicis patriarchalibus annos, menses ac dies transcribebant sedis singulorum ibi depictos, et elongatos palmis plus quam sexagenis ab oculis inspectantium, tot mendis numerorum insperserunt suos Catalogos raptim transcriptos ex pariete parum illustrato per fenestras angustiores ; cum antiquarii ætatis nostræ cultissimæ, ac superioris sæculi, dum hæc studia florebant et florent, integras dictiones perverterint, et contextum verborum permutaverint, atque ita inemendata iterum excuderint inconsulto archetypo, quod poterant, ut nunc possumus, non modo oculis admovere, sed etiam manibus contrectare. Unum hoc specimen satis docet causam erroris in Catalogis festinanter descriptis, præsertim per hospites regionum ab Urbe elongatarum : et utilitatem ac necessitatem consulendi monumenta cum archetypo, etiam post editiones iteratas ætatis nostræ, hanc laudem professæ in antiquitatibus emendate ac fideliter exhibendis. Sed ad inscriptionis Puteolanæ epocham redeat sermo.

Annus æræ Christianæ communis 174, signatus consulibus Gallo et Flacco, cum initium afferat anni tercentesimi æræ Tyriorum, expressi in Actis senatus rogati ad diem 21 mensis Dii, sive ad 8 Decembris Juliani, ut responsum daret epistolæ a popularibus suis ad ipsum datæ Puteolis eodem anno, diex Kalendas Augusti, manifestat initium æræ Tyriorum cadere in autumnum anni ante æram Christi 126. Ex Actis concilii Tyri, recitatis in synodo œcumenica apud Chalcedorem, actione 9, idem initium optime collegerat cardinalis Norisius. Confirmat igitur æræ istius character luculento hoc testimonio comprobatus Acta concilii, et mirifice illustrat commensum epocharum Orientalium cum Occidentalibus.

Gruteri autem editio, etiamsi e schedis mendosis hausta, nec a quoquam posterioribus curis emendata, nobis plurimo adjumento est ad integritatem hujus inscriptionis ad posteros transmittendam. Cum enim intra hoc sæculum, a Gruteri prima editione absolutum, Græco huic marmori Puteolano fragmenta nonnulla temere fuerint abscissa, nisi Gruteriana illa editio præcessisset, integram dare inscriptionem ex archetypo non possemus. Integram vero dabimus, indicantes characteribus quadratis, seu capitalibus, quos *majusculos* vocant, litteras in marmore præservatas ; et cæteras in frustis nunc deperditis, quæ fuerant ætate cardinalis Maffæi ex archetypo tunc integro transcriptæ, et a Pighio transmissæ ad Gruterum, exhibebimus *minusculis* characteribus non capitalibus.

ΕΠΙCΤΟΛΗ ΓΡΑφεισα τη πΟΛΕΙ

PION THC IEPAC KAI ACΥΛΟΥ KAI ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ ΜΗΤΡΟΠολεως φοινικηC KAI ΑΛΛΩΝ ΠΟΛΕ
KAI ΝΑΥΑΡΧΙΑΟC ΑΡΧΟΥCΙ ΒΟΥΛΗ ΔΗΜΩ KAI THC κυριας πατριδος ΟΙ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙC
KATOIKOΥΝΤΕC ΧΑΙΡΕΙΝ
ΘΕΟΥC ΤΟΥC KAI ΤΗΝ ΤΟΥΚΥΡΙΟΥ ΗΜΩΝ ΑΥΤΟΚΡΑΤορος τυχην ΕΙ ΚΑΙ ΤΙC ΑΛΛΗ CΤΑΤΙ
ECTIN EN ΠΟΤΙΟΛΟΙC ΟCΟΙ ΠΑΕΙΟΥC ΥΜΩΝ ICACI KAI ΗΜΕΤΕΡΑ ECTI KAI ΚΟCΜΩ ΚΑΙ
ΈΘΕΙ ΤΩΝ ΑΛΛΩΝ ΔΙΑΦΕΡΟΥCΑ ΤΑΥΤΗC ΠΑΛΑΙ ΜΕΝ ΕΠΕΜΕΛΟΥΝΤΟ ΟΙ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙC ΚΑ
ΚΟΥΝΤΕC ΤΥΡΙΟΙ ΟΙ ΠΟΛΛΟΙ ΟΝΤΕC ΚΑΙ ΠΑΟΥCΙΟΙ ΝΥΝ ΔΕ ΟΛΙΓΟΥC ΗΜΑC ΠΕΡΙΕCΤΗ ΤΟΝ
ΘΜΟΝ ΚΑΙ ΑΝΑΛΙCΚΟΝΤΕC ΕΙCΤΕ ΘΥCΙΑC ΚΑΙ ΘΡΕCΚΕΙΑC ΤΩΝ ΠΑΤΡΙΩΝ ΗΜΩΝ ΘΕΩΝ ΕΝ ΘΑ
ΦΩCΙΩΜΕΝΩΝ ΕΝ ΝΑΟΙC ΟΥΚ ΕΥΤΟΝΟΥΜΕΝ ΤΟΝ ΜΙCΘΟΝ ΤΗC CΤΑΤΙΩΝΟC ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΚΑ
ΌC ✠ C̄N ΜΑΛΙCΤΑ Η ΚΑΙ ΤΑ ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ ΕΙC ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΤΟΝ ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙC ΤΗC ΒΟΥΘΟΥCΙΑC
ΣΙΝ ΠΡΟΣ ΕΤΕΘΗ ΔΕΟΜΕΘΑ ΟΥΝ ΠΡΟΝΟΗCΑΙ ΥΜΑC ΤΟΥ ΔΙΑΜΕΝΕΙΝ ΑΕΙ ΤΗΝ CΤΑΤΙΩΝΑ ΔΙΑΜΕΝ
ΑΕ ΕΑΝ ΠΡΟΝΟΙΑΝΤΩΝ ΚΑΤΕΤΟC ΔΙΔΟΜΕΝΩΝ ΕΙC ΤΗΝ ΜΙCΘΩCΙΝ ✠ C̄N ΠΟΙΗCΑCΘΕ ΤΑ ΓΑΡ ΕΥΕ

ΡΑ ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ ΚΑΙ ΤΑ ΓΕΙΝΟΜΕΝΑ ΕΙC ΕΠΙCΚΕΤΗΝ ΤΗC CΤΑΤΙΩΝΟC ΕΙC ΤΑC ΙΕΡΑC ΗΜΕΡΑC ΤΟΥ
ΚΥΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC CΥΜΠΕCΟΥCΗC ΕΑΥΤΟΙC ΕΛΟΓΙCΑΜΕΘΑ ΙΝΑ ΜΗ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΒΑΡΩΜΕΝ
ΥΠΟΜΙΜΝΗCΚΟΜΕΝ ΔΕ ΥΜΑC ΟΤΙ ΟΥΔΕΜΙΑ ΠΡΟCΟΔΟC ΓΕΙΝΕΤΑΙ ΟΥΤΕ ΠΑΡΑ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ
ΟΥΤΕ ΠΑΡΑ ΕΜΠΟΡΩΝ ΤΗ ΕΝΘΑΔΕ CΤΑΤΙΩΝΙ ΩC ΕΝ ΤΗ (*a*) ΒΑCΙΔΙ ΒΑCΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ παρακαλοῦμεν
ΟΥΝ ΚΑΙ ΔΕΟΜΕΘΑ ΥΜΩΝ ΤΗC ΤΥΧΗC ΦΡΟΝΤΙCΑCΤΕ ΤΟΥ ΠΡΑΓΜΑΤΟC Ἐγραφθη ΕΝ ΠΟΤΙ
ΟΛΟΙC . ΠΡΟ . Ι . ΚΑΛΑΝΔΩΝ . ΑΥΓΟΥCΤΩΝ ΓΑΛΛΩ ΚΑΙ ΦΛΑΚΚΩ Κορνηλιανῷ ὑπατοιν
ΑΠΟ * ΑΚΙΟΝ ΒΟΥΛΗC ΑΧΘΕΙCΗC . ΚΪ . ΔΙΟΥ ΤΟΥ ΕΤΟΥC . Τ̄ . ΕΦΗΜΕρoντος
ΚΑΛΑΙΚΡΑΤΟΥC ΠΑΥCΑΝΙΟΥ ΠΡΟΕΔΡΟΥ
ΑΝΕΓΝΩCΘΗ ΕΠΙCΤΟΛΗ ΤΥΡΙΩΝ CΤΑΤΙΝΩΝΑΡΙΩΝ ΑΝΑΔΟΘΕΙCΑ ὑπο λαχητος
ΕΝΟC ΑΥΤΩΝ ΕΝ ΠΗΞΙΟΙΝ ΠΡΟΝΟΙΑΝ ΠΟΙΗCΑCΘΑΙ ΑΥΤΟΙC Μ̄ CΝ εἰστε θυσιας
ΚΑΙ ΘΡΗCΚΕΙΑC ΤΩΝ ΠΑΤΡΙΩΝ ΗΜΩΝ ΘΕΩΝ ΕΚΕΙ ΑΦΩCΙΜΕΝΩΝ εν ναοις
ΚΑΙ ΜΗ ΕΥΤΟΝΕΙΝ ΤΟΝ ΜΙCΘΟΝ ΤΗC CΤΑΤΙΩΝΟC ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΚΑΤΕΤΟC . . . .
ΚΑΙ ΤΑ ΑΝΑΛΩΜΑΤΑ ΕΙC ΤΟΝ ΑΓΩΝΑ ΓΩΝΑΤΟΝ ΕΝ ΠΟΤΙΩΛΟΙC ΤΗC ΒΟΥΘΟΥCΙας αν
ΤΟΙC ΠΡΟCΤΕΘΗΝΑΙ ΤΩΝ ΓΑΡ ΕΤΕΡΩΝ ΑΝΑΛΩΜΑ ΤΩΝ ΓΕΙΝΟΜΕΝΩΝ ΕΙC ΕΠΙ
CΚΕΥΗΝ . ΤΗC CΤΑΤΙΩΝΟC ΕΙC ΤΑC ΙΕΡΑC Η ΜΕΡΑC ΤΟΥ Κυριου αυτοκρατορος . .
ΠΕCΟΥCΗC ΑΥΤΟΙC ΕΛΟΓΙCΑΝΤΟ . Ι ΝΑ ΜΗ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΒΑΡΩC ΙΝ ΚΑΙ ΥΠΕΜΙΜΝΗ
CΚΟΝ ΟΤΙ ΟΥΔΕΜΙΑ ΠΡΟCΟΔΟC ΓΕΙΝΕΤΑΙ ΑΥΤΟΙC ΟΥΤΕ ΠΑΡΑ ΝΑΥΚΛΗΡΩΝ ΟΥΤΕ
ΠΑΡΑ ΕΜΠΟΡΩΝ . ΩC ΕΝ ΤΗ ΒΑCΙΛΙΔΙ ΡΩΜΗ ΜΕΘΗΝ ΑΝΑΑΝΟCΙΝ ΦΙΛΟΚΑΗC ΔΙΟ
ΔΟΡΟΥ ΕΙΠΕΝ . ΟΙ ΕΝ ΡΩΜΗ CΤΑΤΙΩΝΑΡΙΟΙ ΕΘΟC ΕΙΧΟΝ ΑΕΙ Ποτε εξ ων αυτοι λαμ
ΒΑΝΟΥCΙΝ ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΤΟΙC ΕΝ ΠΟΤΙΟΛΟΙC Μ̄ CΝ . ΑΞΙΟCΙ και νυν οι εν ποτιολοις
CΤΑΤΙΩΝΑΡΙΟΙ ΑΥΤΑ ΤΑΥΤΑ ΑΥΤΟΙC ΤΗΡΗCΙΘΑΙ Η ΕΙ ΜΗ Βουλονται οι εν ρωμη αυ
ΤΟΙC ΠΑΡΕΧΕΙΝ ΑΥΤΟΙ ΑΝΑΔΕΧΟΝΤΑΙ ΤΑC ΔΥΟ CΤΑΤΙΟ Νας επι τη αυτη αιρεσι
ΠΕΦΩΝΗCΑΝ ΚΑΛΩC ΕΙΠΕΝ ΦΙΛΟΚΑΗC ΔΙΚΑΙΑ ΑΞΙΩ Cουσι οι εν ποτιολοις αει
ΟΥΤΩC ΕΓΕΙΝΕΤΟ ΚΑΙ ΝΥΝ ΟΥΤΩC ΓΕΙΝΕCΘΟ ΤΟΥΤΟ ΤΗ πολει συμφερει φιλακθη
ΤΟ Η CΥΝΕΘΕΙΑ ⊂ ΑΝΕΓΝΩCΘΗ ΠΙΤΤΑΚΙΟΝ ΔΟΘΕΝ ΥΠΟ λαχητοC πριμογε
ΝΕΙΑC ΚΑΙ ΑΓΑΘΟΠΟΔΟC ΥΙΟΥ ΑΥΤΟΥ ΤΥΡΙΩΝ CΤΑΤΙΩ Ναριων στατιωνος τυρια
ΚΗC ΤΗC ΕΝ ΚΟΛΩΝΙΑ CΕΒΑCΤΗ ΠΟΤΙΟΛΟΙC ΕΝΩ ΕΔΗΛΟΥΝ παρεχειν την ημετεραν
ΠΑΤΡΙΔΑ CΤΙ . . . . . ΙΑC ΑΥCΤΗΝ ΜΕΝ . . . . . ΑΙΡΩΝ .

Tertium specimen si lector desideret confirmatæ chronologiæ annorum maxime illustrium ex genuinis documentis lapidum hoc in museo card. Albani præservatorum, illud habebit initio notarum, ubi reperiet exemplum ex archetypo desumptum consulatus apud nos Christianos omnium celeberrimi, *duorum scilicet Geminorum,* quod hic non repetam.

Ex his autem speciminibus colligi possunt complura, perquam opportuna tum ad probandam chronologiam, tu ad illustrandam historiam. Nam ex Antiate Kalendario ad firmamentum historiæ ac temporum ab excessu Tiberii ad quintum consulatum Claudii quot corollaria repeti valeant, paulo ante satis indicatum fuit. Puteolani vero lapidis, et epistolæ Tyriorum stationem ibidem habentium, necnon responsi senatus, ac decreti suæ metropoleos documenta nos erudiunt inter cætera tum de usu illarum vocum *stationis* et *stationariorum,* alibi adhibito ad rem militarem, hic vero ad cœtum, seu collegium, sive ad universitatem popularium illius nationis in colonia Puteolana degentium cum jure sacrorum patrio ritu exercendorum, nec non de communicatoriis litteris eorumdem cum sua metropoli, et de loco *Stationis aptando* εἰς ἐπισκέυην τῆς στατιῶνος, *ad Sacrificia, et ad munera religionis* εἴστε θυσίας καὶ θρεσκείας, *per dies sacros* εἰς τὰς ἱερας ἡμέρας. Hæc omnia quantum valeant ad explicandam vim vocabuli translati ad consuetudinem et ritum significandum *stationis* Christianorum nostrorum, ab ætate nascentis Ecclesiæ ad nos derivatum, facile intelligimus ex idea eidem vocabulo alligata in hac inscriptione; cujus explicandæ et ad nostram rem applicandæ locus non deerit ubi de stationibus sermo occurret. Demum ex tertio specimine lapidis consignati celebri nota *Consulatus duorum Geminorum,* reputet unusquisque apud se quantum firmamenti inde accedat nostris diptychis Ecclesiæ, in quas ab initio ejusdem fundationis relatos fuisse dicimus ope ministrorum ad id muneris ele- A ctorum dies dispositionis fidelium, præcipue vero sanctorum martyrum et pontificum summorum. Manifestum enim fit per illius lapidis conspectum, ipso anno Redemptionis nostræ in Hierosolyma completæ apud Romanos etiam ethnicos suorum funera ita diligenter fuisse procurata, et in necrologii tabulas digesta adeo accurate, ut non modo referrentur scripto in commentarios familiarum, sed etiam inciderentur marmori nomina singulorum qui inferebantur certo sub consulatu, mense ac die, cum indicatione parietis et columbarii, ubi singulorum cineres conditi asservabantur. Hujusmodi lapide conspecto teste synchrono ejusdem consuetudinis Romæ vigentis, quis audeat fidem derogare tabulis nostrorum fidelium Romanorum, eodem sæculo in Urbe conditis per notarios a Clemente papa constitutos, per presbyteros, diaconos, subdiaconos, clericos, fossores, martyrum Actis colligendis, eorumque ministerio addictos etiam a successoribus, et ad B ipsorum corpora et reliquias curandas et recondendas adhibitos, atque celebraturos annuis sacris illorum in memoriam Deo oblatis (ut Cypriani epistola, et mos ac ritus Ecclesiæ universæ demonstrat ubique gentium); quis, inquam, audeat fidem derogare tabulis *depositionis episcoporum, diptychis et catalogis martyrum,* unde historiæ pontificiæ origo prima petenda est, cum videat usum Romanis omnibus eadem ætate familiarem exprimendi diem, mensem et annum per laterculos consulares, quo quisque vita functus inferretur? Agnati, amici, hæredes, posteri ad hæc pietatis officia civili consuetudine propensi, ubi Christianam fidem edocebantur, et charitatis divinæ officiis elevabant eam pietatem naturæ erga confratres, qui Christo secum nomen dederant, ad fidem resurrectionis, consecrabant multo perennius praxim Romanam. Hæc autem, et similia corollaria ex speciminibus deducenda viam muniunt *notis et observationibus* in Vitas singulorum C pontificum.

ADMONITIO BLANCHINI IN SEQUENTES TABULAS.

Duo brevia additamenta exhibeo, quæ videntur opportune nobis oblata ad chronologiæ et historiæ confirmationem: primum ex his additamentis constat tribus vetustis inscriptionibus ætate Gallieni incisis in

(*a*) Ita legitur in marmore, errore forsan quadratarii, nam legendum videtur: ΑΠΟΙΚΙΩΝ ΒΟΥΛΗC ΑΚΘΕΙCΗC; *Colonorum convocato senatu,* etc.

totidem æneis tabulis, quæ venales oblatæ sunt hoc anno 2728, eminentissimo ac reverendissimo principi Alexandro card. Albano, ejusque permissu a me descriptæ ex autographis eruditorum commodo proferuntur. Plura poterunt inde peti ad chronologiæ et historiæ confirmationem. Chronologia ibi inveniet Fastorum Consularium comprobationem ad annos æræ Christi communis 260 et 261, in quibus destituebatur genuinis documentis æqualibus ejusdem temporis, unde uterque laterculus impleretur. Habebit lector duplex monimentum consulatus *P. Cornelii Sæcularis II et C. Junii Donati II*, qui pertinet ad annum 260, sequentis vero anni 261 consules *Imp. Gallienum IV et Volusianum* tertia tabula demonstrabit.

Nec destituetur historia peculiari fructu ex iisdem tabulis, siquidem observabit barbariem orthographiæ jam tum irrepsisse etiam in ditione Italiæ suburbicaria, licet stylus orationis acta publica nondum deformasset. Quod mihi præ cæteris attendendum videtur, est in secunda tabula, versu decimo tertio nomen et usus *Diplomatis*, nempe *cooptatio Patroni per Duplomum*: cujus rei et nominis vetustius exemplum æri aut marmori consignatum non reperi. *Rei diplomaticæ* illustratores invenient quod inde colligant Geographi quoque in municipii *Ostrensi* et *Sentino* hisce in tabulis memoratis non destituentur aliquo fructu suæ exspectationis. Antiquarii vero suas areolas ex hoc fonte irrigabunt, sive formulas cooptandi patronos considerent, sive ritum honorificum offerendi per legatos tabellam æream post diplomatis auctoramentum jam pridem decreto publico præstitum. Operi nostro Anastasiano commode cadit observatio barbaræ deformationis vocum ac litterarum sub Gallieno jam irrepentis in publica documenta; ut mirum minime sit quod sequior corruptela sit consecuta scribendi, pronuntiandi ac dictandi, quam intulere proxima a Gallieno sæcula in publicas tabulas veluti in chartam Cornutianam, donationes et concessiones Gothorum et Langobardorum, et in hujusmodi scripta, quibus historiam pontificiam illustrari conati sumus. En igitur epigraphen trium laminarum quas indicavi.

Prima alta est palmos Rom. duos, lata palm. 1, uncias 9; altitudini additur tympanus triangularis elevatus uncias 9.

P. CORNELIO SAECVLARE II. ET IVNIo DONATo COS
KAL IVLIS

SENTINI CVM IN SC'OLA SVA FREQV'ES' NVMERVS COLL FABR
SENTINATIVM CONVENISSENT NVMERVM HABENTIBVS
C. IVLIO MARTIALE ET C. CASIDIO RVFINO QQ ET REFERENTIB

IPSIS SEMPER'IT IN PRAETERITVM ITA SPLENDIDISSIMVM NN
CO'NISVM ESSE VT ADFECTIONE SPLENDORIS SVI IN SINGVLOS
QVOSQ'VAE CONDIGNOS MERENTES EX'IBEANTV' EI MAXIME
IN HONORE A'DQVE DIGNITATE MEMMIAE VICTORIAE QVON
DAM INDOLES MA'MORIAE FEMINE MATRIS NVMERI NOSTRI
PRO'ORSVS QVAEQVE ESSE PROVECTVM NOMEN DOMVS

EIVS PER ORDINEM GENERIS SVI OMNES IN NVMERVM N
PATRONI IN COLLEGIVM NOSTRVM APPELLARANTVR OPTAN
DAQVE ERANT VT OMNES VNIVERSITQV'AE INCOLVMES IN
NVMERVM NOSTRVM VIDERENTVR ET QVONIAM VIR SPLEN
DIDVS CORELIVS FVSCVS PATRONVS NVMERI DEBEAT EX
EMPLO PIETATIS PARENTIVM ET MATRIS HONORIFICENTIA
ITAQVE SI OMNIBVS VIDERETVR TABVLA' AEREAM EI OFFER
RI

Q. F. P. D. E. R. I. C. C.

GLORIOSVM ESSE RELATIONEM B. B. V. V. QQ. COLLEGI. N
ET IDEO CVM SIT CORELIVS FVSCVS SPLENDIDE NATVS VT
POTIVS HONORIFICENTIAE NOSTRAE MODVM INTEL
L'EGAT NECESSA'QVE SIT EI TABVLAM AEREAM TITVLIS
ORNATAM SCRIPTA OFFERRI PETIQVE AB EO HANC
OBLATIONEM NOSTRA LIBENTI ANIMO SVSCIPE
RE DIGNETVR LEGATOSQVE IN EAM REM FIERI QVI
QVE DIGNE PROSEQVANTVR NERATIVM AMPLIATVM ORPIVM VER
TALEM AEMILIVM VICTOREM BEBIDIVM ISTVM CASIDIVM MART' A
LEM IVLIVM MARTIALEM CASIDIVM RVFINVM BEBIDIVM I'ENVA
RIVM AETRIVM ROMANVM CASIDIVM CLEMENTINVM AETRIVM
VERNAM VASSIDENVM FAVOREM CASIDIVM IVSTISSIMVM SA
TRIVM VERECVNDVM STATIVM VELOCEM VETVR'I CELERINVM

Secunda lata palm. duos et semis, alta palm. 2, uncias tres, cum additamento tympani alti palmum unum.

P CORNELIO SAECULARE II ET CIVNIO DONA
TO II COS IIII NON DEC

OSTRE IN MVNICIPIO COLL. CENTON CVM. SCOLA SVA FREQVEN
TES. SCRIBVNDO AN FVISSENT IBIQVE REFERENTE I. VESSIDIO FOR
TVNATO QQ VNIVERSORV' CONCENSV VERBA SVNT FACTA

QVANTO AMORE QVANTAQVE MVNIFICENTIA MNN CARENVS VIDI
ANVS ORNASSE PAL'A EST CVIVS IMPARES BENEFICIIS AD
REMVNERANDAM EIVS ADFECTIONEM QV'ERERE REMEDIA
DEBERE SED PRECIPVVM A'QVE LAVDABILEM COMMVNIS VOTI
REPERTVM CONCILIVM VT CORETIVM VICTORINVM AD GENVS 'AE
IVS ET HONORES PERTINENTEM VEL'AC OB'LATIONE MVNEREMVS
ET PATRONVM 'AEVM IAMDVDVM LECTVM PVBLICA TESTIFICATIO

NE MANIFESTETVR IGITVR SI CVNCTIS VIDETVR TABVLAM AEREAM
CONTINENTEM TESTIMONIVM CIRCA EVM NOSTR*E ADFECTIONIS
IDEOQVE. Q. RQFRDEA*EAR. V. I CENSERVNT
PLACERE CORETIO VICTORINO PATRONO NN TABVL AEREAM CONTI
NENTEM VERBA DECRETI NOSTRI OFFERRI PER VESSIDIVM FORTVNA
TVM CORNELIVM TERTIVM QQ PVBLILIVM MAXIMINVM
AVRELIVM VRSINVM. VACERIVM ISTVM
COCCEIVM MERÈVRIALEM ANTISTIVM MAXIMVM
OCTAVIVM CLEMENTEM PETRONIVM FELICEM
VESSIDIVM FILOQVIRIVM OCTAVIVM TAV
RVM SATRENV* SVPERVM VESSIDIVM VERECVNDV
STATIVM FAUSTVM LEGATOS

Tertia lata palm 2, uncias 3, alta palmos duos et semis cum elevatione tympani perpendiculari unius palmi.

(Ubi astericus collocatus est indicat in autographo ita deformatum et barbare sculptum esse contextum orationis.)

IMP GALLIENO AVG. IIII, ET VOLVSIANO COS
XV KAL SEPTEMBRES

SENTINI IN TRICLIN*I DOMVS CC. NVMERVM HABENTI
BUS SEQUELL*A EIVSDEM COLLEGI IBI REFERENTIBVS CASIDIO
SEVERO PATRE N. N. ET HELDIO PEREGRINO PARENTE CVM SIT
O*PORTVNVM CREBRIS BENEFICIIS ET ADFECTIONEM AMORIS
erg A N. N. ÉX*IBENTIBVS ADSISTERE ET MUNIFICENTIA
meo RVM SICVT O*PORTVNITAS TESTIMONIVM PERHIBERET
remVNERARE IGITVR SI CVNCTIS VIDETVR CORETIVM FVSCVM
SPLENDIDVM DECVRIONEM PATRIAE N SED ET PATRONVM TRIVM
COLL. PRINCIPALIVM ET VESIA MARTINAM CONIVGEM EIVS
PATRONAM SED ET CORETIV* SADINVM FILIVM EORVM IAMPRIDEM
PATRONOS PER DVPLOMVM A NVMERO N COOPTATOS NVNC TABVLAM
AEREAM PATRONVS EIS OFFERRI VT MERITO HONORE PRO MERI
TIS INNOTESCAT Q. F. P. D. E. R. I. CC
QVOD IN PRAETERITVM CORETI FVSCI PATRONI VPSIAESIAE MARTIN*E
PATRON*E ET CORETI SABINI FILI EORVM ERGA AMOR*E BENEFICIA PRAES
TITA SVSCEPERIMVS NVNC ETIAM IN FVTVRVM NON DISSIMILIA QVAE
NVNC SENTIMVS PERPETVO EX DOMV*M EORVM PROCESSVRA PARI ADFEC
TIONE*M SPERAMVS ATQVE IDEO CONSENTIRE RELATIONI. BB. VV. CASIDI
SEVERI PATRIS N. N. ET HELBI PEREGRINI PARENTIS ET AD REMVNERANDAM
EORVM BENEVOLENTI*A QVO LAVTIVS ADQVE PVLCHRIVS DIGNE HONOREM
SIBI OBLATVM SVSCIPERE DIGNETVR DECRETVM ET IN TABVLA AEREA
PERSCRIPTVM EISQVE ET A NOBIS PROFECTVM EST LEGATOSQVE
FIERI PLACVITQVE HANC TABVLAM DIGNE PR*CSEQVI
SATRIVS ACILIVS SATRIVS CLEMENS
V'OESIDENVS MEFELLINVS VASSINVS VERINVS
CASIDIVS SEVERVS AELDIVS PRIMVS HELDIVS PEREGRNIVS
BRITTIVS MAXIMVS AELIVS HONORATVS PROLVIVS HILARINVS AETRIVS
TERMINALIS FELICISSIMVS SATRIVS IANVARIVS CASIDIVS ROMV
LVS AETRIVS VERNA SATRIVS VPSUS

TRACTATUS ANALYTICUS

DE PRÆEMINENTIA ET AUCTORITATE SANCTÆ SEDIS

BREVITER COMPLECTENS

riam dogmaticam ejusdem sanctæ Sedis a fundatione usque ad pontificatum sancti Leonis Magni.

idiomate scriptus ab archiepiscopo Cæsariensi Cl. Sommier, et Latine redditus a D. Cajetano Cenni presbytero Pistoriensi.

---

itatem regum et principum in subditas ntes a Deo unice profectam esse tum sacra ra (*a*), tum constans traditio Patrum affir- At vero nulla in terris dominatio est cujus io et jurisdictio e Scripturæ oraculis eviden- areat, exercitium pleniori Patrum auctoritate betur, quam divi Petri, quique eum secuti omanorum pontificum. Ex duobus hisce fon- uidquid haurire licuit ad nostra usque tem- c trademus, analytica simul et historica me- n compendium, redactum, ut inde dogmati- nctæ sedis historiam perficiamus.

ARTICULUS I.

enta constitutionis et attributorum S. sedis e sacra Scriptura desumpta

i Scriptura constat Veteri et Novo Testa- : Vetus Novi præseferebat imaginem, et Syn- Ecclesiæ (*b*). Illius mi istri varii ministros dumbrabant ; proindeque summus Judæo- cerdos pontificem maximum Christianorum at. Has autem symbolicas relationes, quas Scriptura, eventus luce clariores reddide-

no Judæorum sacerdoti erat certum supre- ie tribunal (*c*) ad sententiam ferendam de re- nibus ad religionem spectantibus, ad verum legum aperiendum, ad controversias ab- omnes definiendas. Haud secus pontifex us Christianorum sede utitur stabili ac su- utpote qui eamdem in Ecclesia auctorita- ercet. Quandoque in Synagoga idem ponti- porali administratione cum spirituali con- fungebatur, ita constituta jam atque firmata a, cum Romæ imperium, quæ pene omnibus ta erat, plures inter reges discissum, pror- eriisset, Petri successores vel temporalium os et supremos rerum moderatores divina ntia constituit, in locorum et gentium parte um sedes sita est. Quamobrem regale sa- um tum lege scripta tum naturæ adumbra- a qua patres, postea seniores e patriarchali sacerdotis officio fungebantur et regni, is absolutum numeris invenitur. Necnon anorum omnium caput et parens, ad omni mundi principum potestate solutus, suam

ap. VI, 4 ; Rom. XIII, I, I Pet. XIII, Cor. X, 11 : Hebr. X, I. eut. XVII ; II. Paral. XIX ; Eccli. XLV. 8, 11. oan. I, 42 ; Marc. III, 16 ; Luc. VI, 14 ; Matth.

atth. XVI, 13 et seq.

auctoritatem majori cum dignitate ac libertate exercere potest nulli omnino suspectus.

In Novo Testamento, ubi de Ecclesiæ fundatione res est, illud in primis occurrit, Petrum nempe et ejus successores singulos caput et fundamentum Ecclesiæ designari. Ipse, cum antea Simon diceretur, nomen illud Petri assequitur (*d*), ipse principem ubique occupat locum ; per ipsum æternus Pater Jesum Christum manifestat hominibus Filium Dei vivi. Ipsum ejusque successores dignitatis suæ compotes Salvator facit (*e*), angularis nempe lapidis Ecclesiæ, stabiliendæ illius gratia, ita ut portæ inferi non prævaleant adversus eam. Ipsi denique ac successoribus claves tradit regni cœlorum, supremam scilicet Ecclesiæ gubernandæ potestatem.

Pro iisdem se Salvador ipse testatur orasse, ut ne eorum fides deficiat (*f*), quin etiam fratres suos in fide confirment.

Divinus idem Salvator post resurrectionem suam, antequam in cœlum ascendit (*g*), Petrum et successores instituit supremos Ecclesiæ totius moderatores, dum agnos ovesque ut pascerent imperavit, quibus corpus Ecclesiæ universum conficitur. Agni siquidem Christiani sunt populi, ovesque agnorum matres pastores varii, quorum curæ alia aliis gregum portio demandatur. Itaque agnos et oves, populos nempe et pastores, Petro ejusque successoribus committere ut eos custodiant, perinde est ac supremos totius Ecclesiæ gubernatores declarare, cujus ovile unum ab uno pastore dependet (*h*).

Vix dum Jesus Christus ascendit in cœlum, Petrus suo fungi munere orditur (*i*), cumque magnam nascentis Ecclesiæ partem Hierosolymis congregatam teneret, eam ut pararet ad accipiendum Spiritum sanctum, in proditoris Judæ locum voluit ut alius apostolus sufficeretur explendi causa sacri ejus collegii sedes omnes.

Post Pentecosten Evangelii prædicationem Petrus omnium primus est orsus (*j*) Veteris Testamenti mysteria reserans, quibus Jesus Christus adumbrabatur ; primus verbum Dei semel atque iterum annuntians octo hominum millia ad Deum conversa baptizari fecit, primus supremum se largitorem gratiarum perpetrandis miraculis demonstrat, infligendisque anathematibus judicem se delictor m ostendit (*k*). Petrus ipse Jacobum minorem Hierosolymorum episcopum creat ; ipsumque tanquam

(*f*) Luc. XX, 31, 32.
(*g*) Joan. XXI, 15 et seq.
(*h*) Joan. X, 16.
(*i*) Act. I, 5 ; Joan. Chrysost., hom. 3 in Act.
(*j*) Act. II, et seq.
(*k*) S. Joan. Chrysost. in hom. 87.

Ecclesiæ caput adit Paulus haud ita multo post conversionem suam (*a*). Cum vero jam Evangelium per totam Judæam perque finitimas provincias late esset diffusum, idem Petrus invisit Ecclesias tum ab apostolis cæteris, tum ab aliis Evangelii præconibus institutas, easque in immensum protendit, vicis undequaque pagisque integris Jesu Christo acquisitis (*b*).

Præterea Petrus salutem gentibus primus annuntiat, sicuti primus nuntiarat Judæis. Cum enim nationis utriusque communis pater et pastor supremus futurussit, eapropter utrique ostium reserat ad ovile, necnon divinæ gratiam adoptionis implorat. Tandem ubi pro fide vinctus carcere servatur, parumque abest quin morte sua spectaculum Judæis gratissimum præbeat, Ecclesia, id quod pro alio ex apostolis nullo unquam constat esse factum, maxime de illius tanquam sui capitis incolumitate sollicita, pro ejusdem indemnitate publicas supplicationes indicit (*c*).

ARTICULUS II.

De constitutione et jurisdictione sanctæ sedis sub D. Petri pontificatu constat ex traditione.

Antequam Petrus veniret Romam, quam noverat destinatam a Deo esse supremam catholicæ Ecclesiæ sedem, Antiochiæ cathedram collocavit, quæ Orientalis Romanorum imperii metropolis erat, locumque, post Romam et Alexandriam, cæteras inter urbes tanti imperii principem occupabat. Visibile hoc Ecclesiæ caput in præcipuis constituendis sedibus imitatur formam a divina sibi providentia exhibitam in hujus mundi regnis condendis, maxime id intelligens ad doctrinam, augmentum ac diuturnitatem fidei, necnon ad exterius Ecclesiæ regimen profuturum. Quapropter ad singularem Jesu Christi gregis inspectionem, quem totius quam late patet orbis populi debebant conficere, tres superiores constituit sedes : Romæ scilicet, Alexandriæ et Antiochiæ ; præter generalem omnium inspectionem, in trium earum sedium una constitutam, quam ejus successores occupassent.

Patriarchalem Antiochiæ sedem ante alias erexit, quippe quam urbem inclytam cæteris priorem sanctus apostolus suo in itinere offendit. De hujus erectione sedis aperte non loquitur Scriptura, ob meram omissionem, ut testatur divus Hieronymus (*d*), attamen argumentis adeo firmis traditio comprobat ut revocare id in dubium non liceat. Sanctus Ignatius (*e*), Petri post Evodium successor eadem in patriarchali sede, divusque Joannes Chrysostomus (*f*), ex urbe ipsamet oriundus, id litteris consignarunt. Chronographi omnes epocham inde sumptam posteris commendarunt, ut videre est in Chronicis Eusebii Cæsariensis (*g*), Alexandrino (*h*), Nicephori (*i*) et Adonis (*j*). Pontifices summi Damasus, D. Leo Magnus, Gelasius et S. Gregorius Magnus apertissime id ostendunt ; longeque ante Gregorii ejusdem ævum perpetuam hujus rei memoriam consecravit Ecclesia, festum instituens quod celebratur quotannis septimo vel octavo Kalendas Martias. Magna Nicæna (*k*) synodus de patriarchali Antiochenæ sedis auctoritate suas in provincias perinde loquitur ac de jure ab omni antiquitate testato ; cui proinde origo alia non debet tribui, quam ipsius Ecclesiæ fundatio. Quoad illius ditionis terminos, in confesso est apud veteres amplexam fuisse olim quidquid Oriens Romani dicebatur imperii (*l*) ; quinderim nempe provincias, quæ postea uni ex præfectis prætorio paruerunt. Præterea constat, pro Ecclesiarum numero, quæ succedente tempore fundabantur, terminos eamdem suos Orientem versus protulisse.

Post sedem Antiochiæ positam apostolorum princeps Romanam fundavit Ecclesiam ; hoc tamen discrimine, quod præter totius Occidentis patriarchatum Romæ conditum, omnium insuper Ecclesiarum primatum in ea constituit. Ab Moysis ævo id semel legimus prænuntiatum (*m*), iterumque a Daniele propheta (*n*). Sancti Patres, præque iis Augustinus, animadverterunt quædam ethnicorum oracula tanquam indicia, et spirituale et temporale Romanorum imperium portendentia (*o*). Cujusmodi sunt quæ ex Ciceronis de Philosophia libris, ex T. Livii (*p*) ac Dionysii Halicarnassensis Historiis (*q*) eque Virgilii carminibus suppetunt (*r*). Observandum est insuper quod Roma, cum sit in umbilico regionis omnium quæ in terrarum orbe sunt facile principis, commercio enim utitur cunctarum gentium (*s*) ; quod ejus imperium longe lateque diffusum id temporis, cum omni creaturæ Evangelium prædicandum erat ; quod denique præpotens Romanorum ingenium, ubi de imperando res est, certissima erant religionis præludia, quam Deus ibidem decreverat instituere. Divum Petrum, penes quem summa rerum ad religionem spectantium administratio erat, divinæ quidem sapientiæ consilium non latuit, quod ut exsecutioni mandaret, Romam se contulit (*t*). Divusque apostolus Paulus post annos aliquot ad Romanos dans litteras paucis complectitur quæ ibidem gesserat apostolorum princeps, præbetque analysim fundatæ ab eodem Ecclesiæ. *Fides vestra,* inquit *annuntiatur. in universo mundo. Vestra quidem obedientia* (Christi Evangelio) *in omnem locum divulgata est (u).* Pleni estis charitate atque cognitionis perfectæ fidei vestræ, ita ut alterutrum docere atque exemplo firmare valeatis.

S. Petrus Romæ scripsit primam quæ exstat canonicam Epistolam, quæ primæ instar Decretalium habenda est (*v*). Ea siquidem, præterquam quod mysteria fidei et moralia tradit præcepta, disciplinæ insuper momenta primis iis temporibus congruentia præscribit. In eadem Evangelii librum probat perscriptum ab suo ipsius discipulo D. Marco, ea continentem quæ ab se audiverat prædicari : atque hunc librum catholicæ Ecclesiæ proponens tanquam divinitus inspiratum, per istiusmodi jurisdictionis actum ostendit supremi auctoritatem pontificis, omnia definiendi quæ ad fidei normam moresque informandos fidelium inserviunt (*x*).

Argumentum aliud supremæ auctoritatis pontificiæ præbuit, cum D. Marcum misit Alexandriam, ut Petri nomine alteram ibi patriarchalem Ecclesiæ sedem stabiliret (*y*). Alexandria principem Romani imperii locum post Romam occupabat ; quare ipsius

(*a*) Gal. I et II. S. Ambros. in eumd. loc.
(*b*) Act. IX ; Chrysost. in Act., hom. 21.
(*c*) Act. XII, 5.
(*d*) S. Hieron. lib. I, in Epist. ad Galat., cap. 2.
(*e*) S. Ignat., epist. ad Antiochen.
(*f*) Chrysost. in laud. in S. Ignat.
(*g*) Euseb. in Chron. ann. 38 et 44.
(*h*) Alexan. an. 36.
(*i*) Niceph. in fine.
(*j*) Adon. ætat. VI.
(*k*) Conc. Nic., can. 6.
(*l*) S. Hier., epist. 61.
(*m*) Num. XXIII et XXIV.
(*n*) Dan. VII. 23 et seq.
(*o*) Cic. de Divin., 110 et 112.
(*p*) T. Liv., dec. 1, l. I.
(*q*) Dion. Halic. l. II.
(*r*) Virg. Ecl., IV.
(*s*) S. Aug. de Civ. D., l. V et X.
(*t*) S. Leo serm. 1, de nat. App. Pet. et Pauli.
(*u*) Rom. I, 8, 14, 15, 16, 19.
(*v*) Euseb. Hist. l. II, c. 15. S. Hier. in Marc.
(*x*) Euseb. loc. cit.
(*y*) Gelas. in decret. de lib. apocr.

eumdem locum, quoad ecclesiasticum Petrus contulit ex allatis paulo ante ra- Præterea legavit alios ex discipulis suis in identis provincias, ut metropoles ibi et os episcopatus erigerent, ubi perspectum uis Ecclesiam fuisse nullam excitatam s quas Petrus ejusque successores funda-

idfuit præfuitque concilio Hierosolymis); ac post rerum quæ agitabantur discus- surgens *(b)*, se ait a Deo electum fuisse is, ut ab ipsius ore audirent gentes ver- gelii, eorumque definitionem, quæ opor- i. Postea sententiam pronuntians, legem nime necessariam esse in Ecclesia defini- nesque salvos fieri per fidem et gratiam ti. Tunc omnis multitudo tacuit, ut Scri- atur, id est secundum divi Petri senten- o amplius est ausus disceptare. Aliqui e primoribus veritatem verborum quæ proprio ore testati sunt, ac quemadmo- eta concilii disponerentur pronuntia-

quæ hac in synodo sancita fuerunt, tam). Paulus adamussim servarunt, quando- nonnulis sunt usi legalibus cæremoniis, aliquid indulgendo, efficacius ad Christi converterent. Omnia Moysis præcepta ibrogare non expediebat, neque Judæi iversi prohibendi erant penitus ea sequi : ipe erat declarare eos qui e gentibus ad em convertebantur, ejusmodi legibus non sensim obsolescerent et Synanoga felici- gueretur. Cum autem Paulus Petrum repre- servatos aliquot horum rituum, idcirco fuit quia principis apostolorum erga dulgentia detrimentum gentibus inferebat m adhuc novitia dispositione, cum occa- andali inde desumerent unde apostolus m iri non suspicabatur *(c)*.

lo Petrus Romam redit, tum ut susce- s perficiat, tum ut proprio conglutinet san- edem, cujus fundamenta posuerat. Quod Athanasius ab apostolo *(d)* cœptum cum solutumque testatur. Hic supremam per- pistolam deditque ad omnes Christi fideles, tamentum suique novissimum paterni onumentum erga omnes fideles, quorum erat *(e)*. Per eamdem monet quomodo rum interpretationem oporteat fieri ; divi stolas commendat easque intellectu diffi- facile in pravos posse sensus inflecti ab atetur *(f)*. Præclaram de homine omnium udulentissimo Simone Mago victoriam ulto autem præclariorem de Satana, qui gentium dominæ immanissimum jugum um dedecus imposuerat *(g)*.

urbe Jesu Christi vicarius eodem plane orum compendia cumulavit, quo Jerosoly- Salvator, crucifixus perinde atque ille m in monte *(h)*. Sic una cum eodem Sal- nielis prophetiam explevit, aientis quod qui tantulus videbatur hominibus, abscis- nte sine manibus percussit statuam illam atque proceram ad montis radices ere- edegit quasi in favillam æstivæ areæ *(i)* ; A lapis autem qui percusserat statuam factus est mons magnus, et implevit universam terram.

ARTICULUS III.

Traditio secundi et tertii sæculi quoad auctoritatem et jurisdictionem sanctæ sedis.

Successionem Romanorum pontificum nullo unquam tempore interruptam pro firmissimo sanctæ Sedis auctoritatis argumento sancti Patres habuerunt. Hujus rei testes videsis Tertullianum *(j)*, sanctos Irenæum et Cyprianum, aliosque. S. Irenæus pontifices omnes numerando percenset, qui ad sua usque tempora gubernarunt Ecclesiam ; Eusebius Cæsariensis ad suam ætatem eosdem persequitur, ad initium scilicet quarti sæculi, Uterque horum silentio præteriit divum Cletum, quin Eusebius et sanctum Marcellum omisit. Scriptores alii quamplures hoc, qui sequitur, ordine censuerunt. Beatus B Petrus, SS. Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Evaristus, Alexander, Xystus, Thelesphorus, Iginus, Pius, Anicetus, Sother, Eleutherius, Victor, Zephirinus, Callixtus, Urbanus, Pontianus. Antherus, Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Xystus II, Dionysius, Felix, Eutychianus, Caius, Marcellinus, Marcellus, Eusebius, Melchiades.

De primis quidem pontificibus admodum pauca ad nos pervenerunt ; siquidem idolorum cultores persequentes Ecclesiam pleraque monumenta veterum de iis loquentia eripuerunt. Quamplurimi ab iis episcopi creati dicuntur fuisse (qua in re nulla dubitatio esse potest), ut scilicet Ecclesiis præessent quæ pontificum eorumdem auctoritate in patriarchatu Occidentis excitabantur (*k*). Sanctus Linus præsules quindecim ordinavit. S. Cletus quinque *et* viginti Romæ presbyteros constituit ; quorum postea numerum auxit Evaristus eosdemque inter et septem a se creatos diaconos divisit synaxes, quæ tituli vocabantur (*l*). C D. Clemens epistolam scripsit Corinthiis, quam Patres validissimum auctoritatis Ecclesiæ Romanæ argumentum judicarent, ut pacem atque concordiam inter fideles tueretur, firmaretque in fide nutantes ; denique ut enuntiaret palamque faceret quæ apostoli tradiderunt. De reliquis, quæ divo Clementi tribuuntur, operibus nihil affertur, namque supposititia a nonnullis habentur. Alexander et Xystus liturgiæ nonnihil addiderunt, itemque Telesphorus, qui jejunium quadragesimale, jam traditione servatum, lata lege sanxit (*m*). Hyginus ab Ecclesia expulit Cerdonem hæreticum, eidemque interdixit, quia scilicet cum suos ille errores in provinciis prædicasset, eosdem postea in urbe Roma dissimulabat (*n*), quos demum detectus abjiciendi speciem præbens, interea clanculum profitebatur assidue. Pius decretum fecit de Paschate celebrando die Dominico (*o*). Aniceto hujus successore pontifice, Polycarpus, sanctitati et doctrinæ laude omnium Asiæ præsulum coævorum facile præstantissimus, namque discipulus D. Joannis fuerat, Romam se contulit, de rebus ad disciplinam spectantibus pontificem consulturus. Qua de re hoc inter eos convenit ut ne quis ab usu discederet. S. Dionysius Corinthiorum episcopus Soteri testatur Romanos pontifices in Ecclesia semper esse habitos tanquam communes omnium parentes, non modo quoad vitam spiritus, sed etiam quoad sæculi (*p*), namque ii nunquam non suppeditarunt

c. I, ad Decent.
xv, 7 et seq.
II, 31 et seq.
than. Apolog. de Fuga sua.
tr. I, 20 et 21.
tr., II, 15 et 16.
ugust. contra Fulg. Donat., cap. 23.
. ult. 18 et 19.
II, 34 et 35.

(*j*) Tertull. de Præscript. ; S. Iren. lib. III et IV : S. Cypr. ep. 69 ; S. Aug. contr. Ep. fundam.
(*k*) Lib. Pontif. sub nom. Damasi in Lino et aliis.
(*l*) S. Iren. l. III adv. hæres., c. 3. Euseb. l. III, Hist., c. 12.
(*m*) Euseb. in Chron.
(*n*) Iren. l. III c. 4.,
(*o*) Euseb. Chron. Id. Hist. 5, 24.
(*p*) Id ibid. IV, 22.

fidelibus quæcunque ad sustinendam vitam necessaria essent. ubi gentium pro catholica fide insectationum incommodis vexarentur.

Eleutherio pontifice D. Irenæus Lugdunensis episcopus testatur (*a*) quod ad incitas redigendi causa in provinciis hæreticorum ac schismaticorum audaciam, atque impediendi quominus depravarentur mores, itum fuit ad apostolicam sedem tanquam doctrinæ sibi concreditæ sequestrem, unde integerrima manat ad posteros per summorum successionem pontificum: quodque constanti omnium opinione singularis ea et suprema sedes constituta fuit tanquam perpetuum ac præclarissimum monumentum, nullo unquam tempore futuram in Ecclesia fidem aliam præter eam quam apostoli tradiderunt.

Montanistæ, quorum pestis grassabatur in Asia iter ad eamdem sedem instituunt, communionis diplomata impetraturi, ut quibusve ab aggressionibus sese ita defenderent; et reapse catholicos simulantes obtinuerunt (*b*). At demum, fraude illorum detecta, pontifex et traditas epistolas fecit irritas, et anathema nefariis capitibus inflixit. Hunc ipsum Pontificem misisse tradunt ad Majoris Britanniæ Regem duos Evangelii præcones, a quibus idem gentesque omnes sibi subditæ Christianam fidem susceperint.

Pontifex Victor a fidelium communione Coriarium Theodorum removit, ejusque doctrinam condemnavit (*c*). Eadem usi fortuna erant Florinus et Blastus Ecclesiæ Romanæ presbyteri: eorumque erroris ac schismatis occasione, contendentium celebrari oportere Pascha quarta decima luna Martii cum Judæis, (*d*) quacunque illud die obtigisset hebdomadis, constituit Victor omnino servatum iri Pii prædecessoris decretum de celebrando Paschate die Dominica quartam decimam lunæ proxime consequente in universo Christianornm orbe. Asiæ duntaxat Minoris episcopi, studentes consuetudini ab Aniceto pontifice toleratæ, novæ huic legi Victoris recusant ne obtemperent (*e*). Quare pontifex anathemate illos statim percusserat, nisi D. Irenæus ictum avertisset. Quam recte Asiaticorum disciplinam hac in re proscribere pontifex cogitarit, Nicænum postea concilium apertissime demonstravit (*f*). Eadem occasione locupletissimis sanctorum Patrum auctoritatibus ostenditur (*g*) contra quam aliqui recentiorum sentiunt, quod ab apostolicæ sedis communione secludi perinde est atque ab Ecclesiæ catholicæ unitate amoveri.

Zephyrinus damnavit hæreses Marcionis, Praxeæ, Sabellii aliorumque hæreticorum, in quos declamavit Tertullianus (*h*); qui propediem Montani deliramenta professus, eamdem implicitus damnationis sententia est, quam in hæresiarchæ illius vesaniam pontifex pronuntiavit. Quin etiam Tertullianus (*i*) idem rigidæ nimium innocentiæ assertor factus, cum effutiret fornicationis et adulterii crimina majora esse quam quibus absolvi ab Ecclesia homines possint, neque ab opinione recederet, fuit denuo condemnatus.

Callixtus quatuor anni temporum jejunium instituit (*j*). Fabianus latam in Africano concilio sententiam adversus Privatum hæreticum confirmavit (*k*). Ad eumdem Origenes suam fidei professionem misit; quin etiam, nonnulli uti tradunt historici, ad apostolicam sedem se contulit, errores coram diluendi causa qui sibimet objiciebantur (*l*). Hunc pariter pontificem est qui asserit Philippo imperatori pœnitentiam injunxisse, quem antiquorum non pauci Christianis accensent.

Post Fabiani obitum vacavit sancta sedes sexdecim menses cum dimidio, ob summam Imperatoris Decii sævitiam, qui, Cypriano teste (*m*), imperii æmulum, quam pontificem in Urbe Roma minus ægre esset passus (*n*). Hoc viduitatis suæ tempore Romana sedes ea præbuit vigilantiæ, auctoritatis ardentisque studii testimonia, quæ communem decent parentem, Christianos tam Romæ quam aliis in Provinciis degentes, optimis regens consiliis. Interea sponsum opperiens leges condidit salutares, quæ in catholica Ecclesia fuerunt promulgatæ (*o*).

Verumenimvero tametsi nil intentatum tyranni reliquerint ut supremi electionem pontificis impedirent, Cornelius tamen ad Petri cathedram, nempe, ut Cypriani verbis utar, ad sacerdotii sublime fastigium est evectus (*p*). In hunc pontificem schisma excitavit Novatianus, qui fuit primus antipapa. Cum schismate, quod pleurumque fit, hæresim iste conjunxit; docens quod lapsos post baptismum Ecclesia reconciliare non potest, neque ad communionem sacrorum mysteriorum admittere, quantumvis eosdem maxime pœniteret; cum Deus id judicium sibi unice reservaverit, neque hac in re suam cum alio ullo auctoritatem communicaverit. Quamobrem Cornelius congregavit adversus eum concilium, ejusque hæresi ac schismate condemnatis, ipsum secumque sentientes omnes ab Ecclesiæ communione sejunxit. (*q*) Cujus lati judicii universalis Ecclesiæ præsules participes facti, unanimi consensu omnes id probarunt.

Cyprianus (*r*) vero præ cæteris in pseudopontificem stylum distrinxit, luculentissme ostendens quod, cum unam Jesus Christus Ecclesiam unumque omnino episcopatum instituerit, cujus funguntur munere variis in provinciis dispertiti præsules, quarum cura iisdem incumbit; cumque electus atque inauguratus is fuerit cui Deus universalis hujus Ecclesiæ regimen commendavit, et per quem unitas et conjunctio ejusdem existit Ecclesiæ, nequaquam fieri ab alio poterat, nisi schismatica societas, quæ quoniam nil præter humanum saperet, eadem fortuna uti qua solent schismata oporteret, quæ maximas quidem repente turbas faciunt, at propediem ruunt ac dissolvuntur. Post hæc demonstrat neminem per fidem et charitatem cum Ecclesia posse conjungi, qui a Romano pontifice sit disjunctus, nempe qui pontifici earumdem virtutum vinculo indissolubili ac perseveranti non adhæret. Postremo Romanam Ecclesiam declarat habendam esse tanquam radicem et matrem omnium Ecclesiarum, neque ab ipsa ullo pacto abscedendum esse.

Sancto eidem episcopo, ut rerum humanarum vicissitudo est, causa demum pro se ipso dicenda fuit contra caput illud insanissimum nomine Fortunatum, quem nefariorum manus ad Carthaginensem sedem sui loco provehere moliebatur. Quare in expostulatoria ad Cornelium epistola id apprime queritur (*s*) quod schismatica illa ac scelesta societas impudenti adeo ore fuerit, ut ad divi Petri cathedram, ad omnium principem Ecclesiarum, ad episcopalis unitatis originem temeritatis atque impudentiæ suæ nuntium mittere non dubitarit, ani-

(*a*) S. Iren. l. III, c. 3.
(*b*) Tert. lib. adv. Prax.
(*c*) Lib. Pontif. Bedæ in VI mundi ætat. Adon in Chron.
(*d*) Theodoret. hæret. Fab. lib. II.
(*e*) Pontif. in Victore.
(*f*) Euseb. V Hist. c. 22 et seq.
(*g*) Ruffin. Hist. l. II, c. 6.
(*h*) Optat. Milev. lib. I.
(*i*) Tertul. de Jejun. et de Pudic.
(*j*) Lib. Pont.
(*k*) S. Cypr. ep. 59.
(*l*) Euseb. Hist. VI, 19.
(*m*) S. Cypr. ep. 55.
(*n*) Apud eumd. ep. 8.
(*o*) Id., ep. 55.
(*p*) Ibid.
(*q*) Euseb. Hist. VI, 35.
(*r*) Cypr. epist 55.
(*s*) Id., ep. 59.

inime ad id advertens, rem scilicet sibi futu- A
m iisdem Romanis, quorum fidem Apostolus
genti laude prædicavit, ad quos item nullus
e datur accessus. Quod sanctus idem Cypria-
stea scribit in ipsis litteris de nequissimo illo
ominum nullibi audiendo post judicium de
m in Africa, longe est ut minimum deroget
sedis auctoritati, quam sanctus doctor evi-
ime agnoscit ac validissimis argumentis tue-
c sanctus præsul quam mirifice sibi constet,
erit in dogmatica nostra Historia (*a*). Lucius,
i successor, ipsius decretum confirmavit de
m reconciliatione quos vere admissorum
m pœniteret (*b*).
anus denato Lucio electus pontifex, æquas
t aures duobus Hispaniarum episcopis e suis
s sedibus, mandavitque ut quæ ipsos provin-
osuerant, iterum restituerent in Ecclesias;
amen sanctæ sedis rescriptum, ubi per
onem innotuit impetratum, nequaquam iis B
. Quod autem suspicionem omnem secludit
us cognita hac in re pontificis summi aucto-
), per idem tempus Gallicanæ Ecclesiæ, ac
ius idem, cujus consilium petitum fuerat in
ispaniensium episcoporum, ad eamdem sum-
ificis auctoritatem Arelatensem quemdam præ-
Novatiani sectatorem, depositionis causa
unt (*d*).
deest qui divum Cyprianum neget asserto-
um ac vindicem maximum, quem ipsi prædi-
fuisse auctoritatis S. sedis (*e*), eo quia de-
a Stephano pontifice editis de validitate ba-
is per hæreticos legitime collati, fuerit adver-
). Equidem non irem inficias tam Cyprianum
ententiæ ipsius fautores, qui omne baptisma
omanam Ecclesiam collatum nullius esse
contendebant, æquo asperioribus pontificem
provocasse (*g*). At revera persuasum iis fuit
ersiam istiusmodi circa disciplinam et œco- C
a Ecclesiæ duntaxat versari ; enimvero aper-
denuntiarunt sentire se ut pace imperturba-
am quisque consuetudinem sequeretur. Ut-
autem se res habuerit, profecto tum Ste-
ajus, tum Victoris causæ ipsum eumdemque,
emper in similis naturæ negotiis, exitum
mt : quod sancta sedes decrevit, vicit, ac
niversalis Ecclesia amplexa est (*h*).
is II Sabellii hæresis denuntiationem acce-
onysio Alexandrino episcopo (*i*). Cum autem
nsectatio ipsum pontificem e vivis abstulis-
quam hæresim illam proscriberet, successor
us id negotii suscepit, qui non modo Sabellii,
ili etiam Samosateni aliorumque hæreses
avit. Causam pariter a Pentapolitanis Ro-
atam in suum ipsorum patriarcham Diony-
exandrinum transegit (*j*). Patres Antiochenæ
contra Paulum Samosatenum celebratæ de
æresiarchæ depositione synodicam epistolam
tum dederunt. Et Aurelianus imperator, D
paganus, decrevit ut depositorum ædes epi-
m illi tribuerentur cui Romanus pontifex
iret (*k*).
papa epistolam conscripsit adversus hære-

ses eorumdem Sabellii et Pauli Samosateni ; cujus auctoritate inhærens œcumenicum utrumque concilium Ephesinum et Chalcedonense sua decreta confirmarunt (*l*). Idem sanxit ut missa celebraretur super memorias et sepulcra martyrum (*m*). Eutychiano duo accepta referuntur decreta, primum de benedicendis frugum primitiis, alterum de Martyrum sepultura (*n*). Caius decreto sanxit ut universa in Ecclesia ex minoribus ordinibus ad majora per gradus ascenderetur (*o*).

ARTICULUS IV.

Traditio quarti sæculi de auctoritate et jurisdictione S. sedis.

Marcellini pontificis lapsum nemo rejicit, præterquam nonnulli e recentiorum temporum criticis, qui excellentibus apostolicæ sedis dotibus adversantes, humanæ malunt infirmitati labem detrahere quam pontificis auctoritatem fateri, qui unus pœnam sibi potest injungere. Quidquid isti autumant contra Sinuessanum concilium, tanti non est, ut celebrationis ejusdem historiam valeat antiquare (*p*).

Marcellus Romæ complures insignivit ecclesias, quæ nostra etiam ætate aliquot cardinalium sunt tituli (*q*). Eusebius decretum Stephani de validitate baptismatis hæreticorum confirmavit, eosdem cum Ecclesia reconcilians per solam manuum impositionem (*r*). Melchiades supremum in Donatistis judicium tulit (*s*), cui judicio quidquid postea fuit additum, vel accessorium vel superfluum, ex divi Augustini sententia, vel non rite factum habendum est. Idem pontifex jejunium servari vetuit diebus Dominicis, ac præcepit ut iisdem diebus (*t*), quibus solus episcopus in urbe episcopali sacrum faciebat, eucharisticus panis ad eos deferretur qui sacrificio adesse non potuerant.

Silvestro pontifice coactum fuit Arelatense concilium, cui præfuere pontificis ejusdem legati (*u*). Patres concilii ad eumdem decreta omnia miserunt, ut confirmarentur indeque instar legum catholicæ proponerentur Ecclesiæ. Ibi pontificiam potestatem cum imperatoria Constantini auctoritate conjunxit (*v*), ut magna Nicæna Synodus ediceretur, cui per suos ipse legatos præsedit. Ibi sanctæ sedis primatus in omnes Ecclesias fuit cognitus (*x*), uti comprobatur ex epistola imperatoris encyclica ad episcopos, ex Patrum synodica ad Alexandrinam Ecclesiam, et sexto ex concilii ejusdem canone, quemadmodum Chalcedonense concilium et pontifices Bonifacius, Gelasius et Nicolaus horum nominum primi testati sunt. Canone item illo sexto patriarchalis auctoritas ejusdem S. sedis in toto Occidente confirmatur

Inanem sane operam luderem, si Rufini (*y*) levitatem expenderem, qui sua in Historia hunc affert canonem adeo depravatum ac mutilum, ut Patriarchalem Romanæ Ecclesiæ jurisdictionem longe aliam exhibeat quam quæ ipso ex concilii textu habetur. Nihilo tamen minus veritati consonum erit quod affert Rufinus (*z*), ubi pro suburbicariis civitatibus, quarum regimen ad Romanam sedem spectare ait, Occidentalium imperii partem accipiamus, quæ vica-

). II, c. 6.
Cypr. ep. 68.
. S. Cypr. ep. 67.
Cypr. ep. 68.
, ep. 74
milian. ap. Cypr, ep. 72.
m conc. Carthag. de baptiz. hæretic.
Vinc. Lir. cont. hæres. c. 3.
seb. l. VII, c. 5.
Athanas. de sent. Dionys., item de synod.,
syn. Nic. decret.
seb. Hist. VII, 14.
Ephes. par. II, act. 1, item Chalced. act. 1.

(*m*) Lib. Pontif.
(*n*) Id.
(*o*) Id.
(*p*) V. lib. II, cap. 11.
(*q*) Lib. Pontif.
(*r*) Idem.
(*s*) Optat. lib. cont. Parm. S. Aug. ep. 68 et 162.
(*t*) Lib. Pontif.
(*u*) Epist. synod. Arel. I.
(*v*) Conc. gen. VI, act. 18.
(*x*) Euseb. ap. Gelas. Cyz.
(*y*) Ruff. Hist. lib. I, cap 6.
(*z*) Vide lib. III, c. 3.

rio Imperatoris Romæ paruerunt (*a*). Nicænam hanc synodum a D. Silvestro esse celebratam, qui multa etiam pro interiori et exteriori Ecclesiæ disciplina constituit, vetustissima monumenta confirmant (*b*).

Pontifex Marcus instituit ut Ostiensis episcopus pallio uteretur, auctoritatem sic illius confirmans Romanum pontificem consecrandi (*c*). Quod sane ornamentum metropolitarum sediumque superiorum præsulum proprium est.

Julio I pontifice homines divo Athanasio infensi, post S. episcopum ab sede Alexandrina ejectum in conciliabulo Tyri habito (*d*), ad S. sedem iter instituunt, ejusdem auctoritate ut firmaretur tam latum per eos judicium quam intrusi electio, quem in sancti præsulis locum suffecerant. Athanasius (*e*) pariter suos legatos Romam misit; a quibus adversarii convicti et elingues facti, petierunt rem differi, ut suas possent rationes exponere, quas nondum præsto esse dictitabant. Pontifex Romæ concilium indicit (*f*) quo vocat partes omnes, S. Athanasius (*g*), judicis sui mandatis obtemperans quantocius advenit, ac perinde præsules Constantinopoleos, Adrianopoleos, Ancyræ, Gazæ aliique præterea plures tam Orientis quam Ægypti, necnon sacerdotes innumeri ab Ecclesiis pulsi. quod Ariana fabe crederentur infecti, Romam veniuut. Ariani vero, suæ ipsis injustitiæ conscientia teste, latitarunt, fraudisque hujus levissimas causas commenti, epistolam temeritatis et audaciæ plenam ad Julium tradiderunt (*h*). Pontifex autem, causa tota diligentissime cognita, in pristinam asseruit dignitatem D. Athanasium ac reliquos episcopus qui ab insectatoribus pulsi fuerant; adversariis interdixit restitutos imposterum perturbare; acta eorum et scripta damnavit; denique latum ad se judicium iisdem per litteras declaravit, ineptias refellens epistolæ ab ipsis traditæ (*i*).

Quod ut pontifex præstaret atque Orientis Ecclesiis tranquillitatem restitueret, imperatoriam appellavit majestatem. Itaque civili cum ecclesiastica potestate conjuncta, coactum habitumque est Sardicense concilium omnium episcoporum utriusque imperii (*j*). Huic Julius per legatos præsedit; ac præ cæteris tres in eo canones jus apostolicæ sedis decernunt (*k*), de appellatione scilicet in causis episcoporum ad eamdem e provinciis deferenda (*l*). Decernitur pontificem Romanum posse accipere hujusmodi appellationnm causas; quæ acta erunt probare, seu causæ partem aliquam novis committere judicibus cognoscendam; eumdem sua ex aula posse judices designare, qui una cum provinciarum cognitoribus sententiam ferant, a quorum sententia posse iterum Romam provocari, Concilii Patres sua ins ynodica ad pontificem legatis aiunt se demandasse ut singillatim rationes referani de iis omnibus quæ acta ac definita in concilio fuerint, ipsi tanquam divi Petri sucessori et Ecclesiæ capiti, cujus est nosse quidquid ad eamdem Ecclesiam pertinet.

Ursacius et Valens episcopi, fautores ambo Arianorum celeberrimi, postquam errorem suum in Medionalensi concilio (*m*), cui præerant legati pontificis, adjurarunt, Romam se conferunt plenam a S. sede indulgentiam consecuturi. Id accidit iisdem ex voto fidei professionem tabulis consignatam Julio præbentibus (*n*), et quidquid in D. Athanasium ausi erant, revocantibus (*o*). Sanctus autem hic doctor antequam suam ad Ecclesiam revertitur, quo ab imperatore Constantio invitabatur, Julium pontificem adit (*p*), consilia ejusdem auditurus ac litteras accepturus commendatitias ad clerum et populum Alexandriæ.

Liberius, Julii successor, statim atque ascendit ad Petri cathedram, communionis litteras divo Athanasio perscripsit (*q*), nequidquam contra sollicitantibus Orientalibus ejusdem insectatoribus. Prævidit quanta Ecclesiæ calamitas futura erat cum solus rerum potiretur Constantius, quam præire meditans œcumenica synodus, enixe imperatorem precatus per litteras, tandem evicit, multam ab eo fore difficultatem quin synodus cogeretur. In quadam ex his epistolis ad imperatorem ostendit quid sæculi potestates præstare debeant ad convocanda concilia. Publicæ, inquit tranquillitati consulere oportet principes, ut celebrari concilia queant, utque suffragia sint libera; deinde suam interponere auctoritatem, ut quæ fuerint definita accipiantur, et quæ sancita serventur. Constantius omnem adhibuit curam ut Mediolani Patres congregarentur; ipse autem adesse voluit præsidendi ac definiendi animo (*r*). Omnia fuerunt Arianis gratiosa; legati pontificis, quique horum partes tuebantur episcopi exsulatum ire jussi. Eadem sane procella etiam Liberio subeunda fuit, quia imperatori obstitit, qui, ut ethnicus tradit historicus, in suas partes pertrahere maxime avebat pontificem ob supremam suæ sedis probantibus (*s*); nullus dubitans (Arianis id probantibus) quin pontificis exemplum tota sequeretur Ecclesia (*t*). Itaque imperator largiri primum est orsus, deinde minari, postremo, cum ea incassum cedere intellexit ad vim se convertit, jubetque ut pontifex suam ad aulam pertrahatur. Quem ut videt imperator, interrogat num suprema dignitas, qua est præditus, tantos ei animos faciat, ut solus præ omnibus stare possit? Ad quæ Liberius: Esto; sim solus pro fide: ipsius causa non modico se tuetur præsidio (*u*). Quamobrem pulsus in exsilium est pontifex.

Relegationis incommoda et intentata mors Liberii constantiam adeo labefactarunt, ut S. Athanasii damnationi subscriberet. Unum hoc Liberio vertitur vitio, nec nisi injuria asseritur, eumdem subscripsisse codici formularum contra fidem. Enim vero hujusmodi codex nequaquam esse potuit (*v*) quem primum Berrhoeæ signavit, neque eorum alter qui Sirmium fuerunt missi, cum sententiæ adversetur episcoporum qui Liberium ad subscribendum induxerunt; multo autem minus tertius, qui nondum prodierat in lucem, cum Romam pontifex est dimissus. Necesse est igitur ut is fuerit primus contra Photinum exaratus, maximeque orthodoxus, Hilario teste (*x*). Quod si Liberius alii subscripserit fidei professioni Sirmii, ubi vox ea *consubtsantialis* desideraretur, non tamen idcirco eam vocem Arianorum instar damnavit (*y*); vetuit autem ut quisbusdam in casibus adhiberetur, quibus Paulus Samosatenus atque alii nonnulli hæretici ad suos firmandos errores abusi fuerant. Cæterum ab omni abhorret fide quod illa in Liberium anathemata D. Hilarii fra-

(*a*) Felix III, ep. 4.
(*b*) Lib. Pontif.
(*c*) Idem.
(*d*) Soz. Hist. lib. III, c. 7.
(*e*) S. Athanas. apol. II.
(*f*) Theodoret. I. II, c. 4.
(*g*) S. Athanas. apol. II; item ad solit; item Soz. I. III, c. 7.
(*h*) S. Athan. apol. II et ad solitar.
(*i*) Apud eumd. apol. II.
(*j*) Socr. lib. I, cap. 10.
(*k*) S. Athan. apol. II,
(*l*) Can. 3, 4 et 7.
(*m*) Epist. conc. Arimin.
(*n*) S. Hilar. in fragm
(*o*) Socr. l. II, c. 18.
(*p*) Soz. l. III, c. 19.
(*q*) Epist. lib. PP. ad Const. Aug.
(*r*) S. Athan. ep. ad solit.
(*s*) Ammian. Marcel. lib. XV, post med.
(*t*) S. Athan. ep. ad solit.
(*u*) Theodoret. l. II Hist. c. 16.
(*v*) V. l. III, c. 12, Hist. nostræ dogm.
(*x*) S. Hilar. in fragm. de syn. adv. Arian.
(*y*) Soz. lib. IV, c. 14.

gmentis inserta, conspicuus hic sanctitate doctor scripserit, qui sua conficiebat atque edebat opera tanquam reversus jam Romam Liberius per summam sui nominis gloriam tuebatur quæ de fide constituerat Nicæna synodus. Hieronymus *(a)* pariter cum hæresi eum ait subscripsisse, rumorem vulgi sequitur : cum nempe Athanasii damnationi subscripsit, quem Ariani specie quidem ob peculiaria crimina deposuerant, re autem ob invidiam ardentis illius studii quo Nicænam fidem tuebatur.

Cum Liberius ecclesiasticæ reipublicæ habenas iterum cepit, quas exsilii sui tempore Felix ipse subrogatus pacifice fuerat moderatus, apostolica simul constantia se iterum muniit, qua cœtus Ariminensis captiosam formulam exsecravit, ita ut excitata denuo Arianorum insectatione coactus fuerit adhuc semel solum vertere *(b)* ac latere quandiu Constantius eorum fautor vitam degeret *(c)*. Ubi tandem Ecclesia pristinam tranquillitatem adepta est, publicam amnestiam edici mandat pontifex pro iis omnibus *(d)*, si qui decepti captiosæ alicui subscripserint formulæ ; mandans præterea summo in eos jure animadverti, qui minime ab errore recesserint *(e)*. Semiariani tres miserunt episcopos ab Oriente, ut suo nomine S. sedis doctrinæ subscriberent ; ubi fidem noverant incorruptam perpetuo servari, auctoritatemque inesse Ecclesiam gubernandi *(f)*. Petierunt utique restitui episcopos nonnullos in suas sedes, unde aliquot in Orientis conciliis ejecti fuerant *(g)*. Pontifex, orthodoxæ fidei professione ab ipsis audita, in communionem recipit, datque in mandatis ut qui expulsi sunt præsules quantocius ad suas Ecclesias reducantur : ut factum fuit *(h)*. Idem pontifex tulit sententiam in hæresim, quæ paracleti Spiritus divinitatem negabat ; constatque ex monimentis veterum Ecclesias omnes huic S. sedis judicio continuo stetisse.

Damaso pontifice Gratianus et Valentinianus II imperatores *(i)* lata lege declararunt pontificis auctoritate in causis episcoporum et appellationibus ad S. sedem, quod ab Ecclesia definitum jam fuerat in synodo Sardicensi *(j)*. Hunc sane fructum excitatæ calamitates ab antipapa Ursicino in legitimum pontificem pepererunt. S. Basilius *(k)* in epistolis ab B. Athanasium et ad pontificem Damasum de schismate Antiochiæ et Ecclesiarum Orientis tumultu traditis, testatur se ad Romanum pontificem confugere, tanquam ad eum penes quem auctoritas est definiendi, mandandi ut crimina cognoscantur, animadvertendi, in reos, ac discrimina eorum faciendi qui in Ecclesiæ communione debeant retineri. De iisdem rebus Hieronymus *(l)* perscribens Damaso profitetur se prorsus ab nullo seu presbyterorum, seu monachorum, seu præsulum, seu principum hujus mundi posse a D. Petri sedis communione avelli ac removeri ; non ignorare se nullum extra eamdem sedem salvum fieri, Antichristo nomen ab iis dari qui Romano non adhærent pontifici, quod perinde est ac nuntium Christo Jesu remittere *(m)* Pontifex id schisma damnavit *(n)* aliaque præterea in Alexandriæ et Constantinopoleos Ecclesiis oborta ; quarum ii tandem veri episcopi fuerunt habiti, quos electos sancta sedes confirmavit.

Post hæc omnem adhibuit curam ut schisma Donatistarum penitus exstingueret, quod multis inde annis Africanas turbavit Ecclesias *(o)*. Profecto præstantius eo testimonium desiderari non potest, quod coævus præsul divus Optatus *(p)* fidem suorum temporum commendans litteris, tradidit de apostoli Petri cathedræ attributis, primatu ac præeminentia, deque communione qua omnes totius orbis Ecclesiæ sedi eidem tenentur adhærere, servandæ unitatis gratia, adeo necessaria, ut earum immunis nulla esse possit. Ne ulli quidem apostolorum, ait S. doctor licitum unquam fuit sedem aliquam stabilire, quæ non a divi Petri cathedra Romæ fundata penderet. Hanc Ecclesiæ Romanæ auctoritatem suis imperatores legibus fassi sunt ; quamque hac de re tulit Gratianus, antiquæ tradunt historiæ *(q)* insigne argumentum pietatis ejus in Deum exstitisse, quippe cui, Valente mortuo, rerum solus potitus, imperii totius quasi primitias obtulit. Theodoseus Magnus celeberrima ea lege, *Cunctos populos*, decrevit ut Christiani, qui eam fidem profiterentur *(r)* cujus depositum D. Petrus suis successoribus custodiendum reliquit, catholici nuncuparentur ; cæteris autem turpissimum hæreticorum nomen ascriberetur.

Ita majorem in dies venerationem S. sedi conciliavit divina providentia, temporalem etiam potestatem splendoremque illius in omnium oculis augendo. Idololatriæ studentes invidiam sane ac sollicitudinem qua afficiuntur non celant *(s)*, perinde ac nostris hisce temporibus hæreseos et schismatis assertores. Fideles æque ac nos divinum summis laudibus consilium efferebant, quo perpetuo stetit hodieque stat Ecclesia, ejus admirantes infinitam sapientiam, quod sine offensione alii non accipiunt. Exigua Ecclesiæ primordia offendebant Judæos, ac risum gentibus commovebant *(t)*. Ejusdem potestas hac tempestate hæreticos malosque Christianos offendit. Quicunque autem studii causas procul habet, divinam cum Paulo potentiam atque sapientiam miratur *(u)*. Ubicunque locorum, aiunt Patres, reperire est prodigos filios qui patrimonia dilapidant, necnon zizania bono admista frumento *(v)*. Ubicunque Luciferos videre est ut fulgura cadentes de cœlo, lignea item vasa atque fictilia, quæ franguntur ac projiciuntur in ignem. Apostolica autem sedes e contrario paternam semper hæreditatem cum fide servavit ; frumentum in ea centuplicato coactum ; sol justitiæ quotidie ibidem oritur ; nec vasa illic præter aurea et argentea visuntur, propter intemeratam doctrinæ puritatem nullo non tempore in ea servatam. Hujusmodi doctrina, PP. prosequuntur, nullis est obnoxiis præstigiis *(x)*. Quamobrem tametsi prudens, tametsi sapiens quis sibi esse videatur, caveat sane, caveat, ne peregrinam suscipiat doctrinam. Tutissimus maximeque fidelis illius custos Romanus est pontifex *(y)*. Idemque est rector domus Dei et pastor universalis Dominici gregis, episcoporum denique et conciliorum magister et doctor. Ita eum appelat Ambrosius. Ecclesiæ fidei confirmandæ, ait D. Athanasius *(z)* pontificum

(*a*) S. Hieron. de Script. Eccl. et in Chron.
(*b*) Apud Theod. l. II, c. 22.
(*c*) Soz. l. IV, c. 18.
(*d*) Ep. Lib. ad PP. ap. Hilar. in fragm.
(*e*) Socr. l. IV, c. 14 ; Soz. l. VI, cap. 10
(*f*) S Basil. ep. 74.
(*g*) Id. ibid.
(*h*) Soz. lib. VI, cap. 21.
(*i*) Rescrip. Grat. et Valent. AA. Aquilino.
(*j*) S. Ambr. ep. 13, ad Valent.
(*k*) S. Basil. epist. 55 et 220.
(*l*) S. Hier. ep. 57 et 58.
(*m*) S. Basil. ep. 272.
(*n*) Soz. VII, 14 ; Socr. IV, 30 ; Theodor. IV, 9.
(*o*) Bonif I. ad Episc. Illyr.
(*p*) Opt. Mil. l. I et II contr. Parm.
(*q*) Theod l. V, c. 2 et 3.
(*r*) Lib. II de Fid. cath. Cod. Theodos.
(*s*) Amm. Marcel. l. XXVII.
(*t*) I Cor. I, 23.
(*u*) Ibid 24.
(*v*) S. Hier. ep. 57.
(*x*) Id. ep. 8, ad Demetr.
(*y*) S. Ambr. in I Tim. c. III ; item epist. l. I, ep 7.
(*z*) S. Athan. ep. ad African.

scripta sufficiunt. Hunc præ aliis omnibus adire oportet, et synodi cujuscunque, tametsi frequentissimæ, consulta, absque pontificis Romani suffragio nullius sunt roboris (*a*). D. Basilius (*b*) ad eum detulit Apollinarii et ejus hæresim; is autem utrumque damnavit. Ecclesiæ viri subscribere renuentes formulæ per Damasum missæ, abdicantur (*c*). Macedonianis divinitatem sancti Spiritus negantibus idem pontifex interdicit; sectasque omnes Arianorum, varias divinarum consubstantialitatem personarum detrectantes, proscribit (*d*). Priscilliani præstigias exitiabilemque doctrinam avellit; Helvidio nequissimo item hæretico obsistit, qui non solum virginitati notam inurebat, sed et in Deiparæ virginitatem, dictu nefas, insurgere ausus erat.

Patres concilii Constantinopolitani primi abunde testantur in synodica ad pontificem (*e*) sese jussu ipsius congregatos esse. Fatentur insuper se debere Romanæ adesse synodo quæ a pontifice habebatur (*f*) quo ab eodem acciti erant (*g*). Tres ad eum legarunt episcopos, qui rationes eorum redderent quæ acta constitutaque in concilio fuerant, ut ab eodem pontifice confirmarentur (*h*), seque apud illum excusarent quod non ipsimet Romam venerint (*i*). Theodosius item imperator suos ad pontificem misit legatos, qui præsulis Constantinopolitani, nuper in concilio electi, confirmationem peterent (*j*). Hanc electionem pontifex ratam fecit, probavitque omnia quæ in concilio decreta fuerant circa fidem et dogma (*k*); eaque propter concilium ipsum œcumenicum appellavit, quod nomen in Ecclesia viget. Electionem vero Flaviani rejecit (*l*), quem Patres iidem Meletio in Antiochena sede subrogaverant, quem ipse semper Antiochenum præsulem detrectaverat Paulini periculo, cui sedem illam adjudicaverat. Consilium utique improbavit (*m*) quod Patres inierant Constantinopolitanam Ecclesiam patriarchalem constituendi, eique potiorem post Romam tribuendi locum, quem semper occupaverat Alexandrina.

In Illyrici Orientalis provinciis apostolicum vicarium creavit, qui pontificis partes agens (*n*), res eo spectantes cognosceret, quæ in patriarchatu Occidentis pro Christi fidem amplectentium, et Ecclesiarum quæ fundabantur, numero, mirum in modum augebantur.

Siricius papa in decretali ad Tarraconensem episcopum alia inter disciplinæ capita mandat ut episcopi, presbyteri et diaconi cælibem vitam agant, et monachos ad clericorum dignitatem admitti concedit. Alia in decretali ad Africanos episcopos vitæ cælibis leges recenset, ordinationi modum constituit, ac de irregularitatibus verba facit. In utraque autem harum prohibet hæreticos baptizare ad Ecclesiæ communionem revertentes; quia scilicet legitima forma fuit adhibita cum iis baptismus conferebatur (*o*). Sanguinarios episcopos, hæreticis ad usque capitis damnationem infensos, exsecratione devinxit; non tamen vetuit civiles magistratus appellari, qui eos truderent in exsilium (*p*). Decretalem insuper dedit ad omnes catholicos, avertendi causa, ut ipse ait, qua est in omnes totius mundi Ecclesias auctoritate, res novas quas aliqui proprio arbitratu moliuntur inducere. Pro Antiocheno etiam schismate componendo summopere laboravit. Et sicuti competitoribus arbitri data fuerant, ad hos perscribens divus Ambrosius (*p*) sententiæ ita consulere hortatus est, ut a S. sede facile comprobaretur, quo res tota posset transigi.

Quanquam huic pontifici ascriberetur epistola ad Thessalonicensem episcopum tradita quoad rem præsulis Bonosi hæresis arcessiti (*r*), nulla tamen illatio inde ducitur contra auctoritatem sanctæ sedis. Quisquis eam scripsit, pro imperio loquitur circa doctrinæ summam; neque a pronuntiando se abstinet, nisi de factis aliquot, quorum nulla institui quæstio potest, præterquam in locis ubi eadem evenere.

Siricius idem Romæ damnavit hæresim Joviniani (*s*) mandavit ut Mediolani eadem damnaretur. De suo judicio perinde is loquitur atque concilium Hierosolymis celebratum apostolorum ævo jam fecerat. *Visum est Spiritui sancto et nobis. Divina sententia et nostro judicio* (*t*). Ad eum Joannes Jerosolymitanus defertur tanquam Origenismi defensor. Maximus, licet tyrannus, Romam fateretur primam religione esse in toto terrarum orbe, prout erat imperio (*u*).

Pontifex Anastasius Origenismum proscripsit, quod judicium Christiani omnes demississime acceperunt (*v*). Rufinus, istiusmodi erroris assertor, suam ad pontificem misit apologiam. Mox vero idem pontifex eum Romam vocatum et latitantem a communione avulsit. Anastasius in epistola ad Joannem Jerosolymitanus declarat ad apostolicam spectare sedem judicium ferre de bonis malisve librorum sententiis, utpote quæ, peculiari Dei O. M. providentia, errores aut admittere aut ferre non potest, seque et catholicam Ecclesiam perpetuo servabit in fide. Antistites Afri Romam se conferunt (*x*) scriptæ legis laxamentum impetraturi, quæ quibus naturæ et doctrinæ præsidiis paratos esse oporteret clero ascribendos præfiniebat.

ARTICULUS V.

Traditio quinti sæculi usque ad D. Leonem Magnum pontificem.

Res gestæ ab Innocentio papa hujus nominis primo, tanquam supremo catholicæ ecclesiæ capite sunt hujusmodi. I. Jus suum reddidit D. Joanni Chrysostomo, e sede Constantinopoleos ejecto per factionem Theophili Alexandrini (*y*). Hujus rei nuntius ab utraque parte Romam venit. Chrysostomus (*z*) per suos legatos pontificem rogabat ut latum in se judicium irritum faceret, se in sedem suam assereret, et iniquos judices pœnis canonicis mulctaret (*aa*) Pontifex, causa cognita, quidquid in Chrysostomum actum erat rescidit, partesque omnes accersivit, rem fusius et latius contestaturus. Interea qui Chrysostomo erant infensi, cum gratia plurimum apud imperatorem valerent, episcopum deportari et ecclesiasticos ab ejus communione stantes extrudi suis ab Ecclesiis impetrarunt. Quicunque insectationi hujusmodi fuerunt obnoxii, confugiunt Romam.

(*a*) Ap. Theod. II, 22, et Soz. VI, 23.
(*b*) S. Basil. ep. 74.
(*c*) Soz. VI, 25.
(*d*) Epist. Dam. ad Paulin.
(*e*) Theodor. V, 11.
(*f*) Sev. Sulp. Hist. l. II.
(*g*) S. August. Retract. l. II, c. 22
(*h*) Ap. Theodor. IV, 9.
(*i*) Soz. VI, 12.
(*j*) Synodic. ap. Theodor. IV, 9.
(*k*) Ep. Bonifacii I ad episc. illyr.
(*l*) Phot. libr. de VII Synod.
(*m*) Vide lib. III, cap. 18, in fine.
(*n*) Innoc. I, epist. ad Anys. et ad Ruf.
(*o*) Concil. Taur., can. 5.
(*p*) Lib. XVIII de hær. Cod. Theod.
(*q*) S. Ambr., Ep. lib. I, ep. 9.
(*r*) Ap. S. Ambr. ep. 79, inter antiq.
(*s*) Ep. Sir. PP. ad Eccl. Mediol.
(*t*) Hier., ep. ad Pam.
(*u*) Ep. Max. ad Valent. Aug.
(*v*) Hier. apol. adv. Ruffin.
(*x*) Concil. vulgo Afric. II, sub Anastas.
(*y*) Pallad. Dial. sub init.
(*z*) S. Chrysost. ep. 1, ad Innoc. I.
(*aa*) Ap. Dial. Pallad.

pontifex tot tantisque turbis compescendis
enicam synodum intelligens opus fore, Hono-
imperatorem ad scribendum induxit impera-
rcadio fratri, ut secum impenderet omnem
n in re quæ ad utrumque spectabat. Legatos
sit cum litteris, qui a Theophili factione in
e aggressi atque rejecti, vanam et irritam lega-
i fecerunt. Inter hæc D. Chrysostomus, exsilii
itatibus oppressus, occubuit. Quam rem In-
tius accipiens, æternæ tam sancti viri memo-
s voluit æquissimum reddi, quod ne vivo eidem
nuc superstiti redderetur augustiæ temporis
nt. Qui eum fuerant insectati, a communione
rejecit (*a*) omnesque venia indignos declara-
quedum sancti episcopi nomen referrent in
diptychas. Citra hanc legem nequidquam
fuerunt nonnulli eorum ad S. sedis communio-
edire. Itaque nomine prorsus excepto eamdem
explerunt.

Deinde Innocentius idem, tanquam Ecclesiæ
Pelagianismum damnavit (*b*). Cœlestius, Pe-
liscipulorum facile princeps, vindexque acer-
istius hæresis, damnatus jam fuerat in Afri-
concilio (*c*), unde provocavit ad S. sedem. Pe-
vero canonicas pœnas declinavit, specie qui-
suos errores diffitendo in synodo Palæstina.
vero tam Cœlestius ab appellatione desci-
quam Pelagius, cujus doli in apricum prolati
duobus in Africæ concilii uterque cum per-
issima, quam profitebantur, doctrina damnati
d) Harum synodorum Patres ad pontificem
nt, qui de rebus a se judicatis rationes red-
t, supplicesque peterent ut quidquid ipsi pro
ciguitate sanxerant, apostolicæ sedis auctori-
onfirmaret. Namque isthæc sedes, inquiunt,
imum sortita est munus docendi alios ; valet
uctoritate, quam sacra Scriptura pluribus in
eidem aperte tribuit, ad rectum tramitem de-
reducere tutius ac melius, quam alii possint
nque consilio aliunde sumpto (*e*). Pontifex
observantiæ significationem erga sanctam se-
gratulatus Patribus unde persuasissimum sibi
iunt certa semper decreta emanare, præcipue
si qua de fidei dogmate contentio est ; simul-
æptum ab iis consilium juxta traditonem et
etudinem omnium temporum, petendi scilicet
um quo sua ipsorum sententia roboretur vi-
ue postea in tota Ecclesia ; ratam fecit senten-
ab iis latam in hæreses earumque artifices fau-
ue ; sic, Augustino teste, causa fuit abso-
).

Denique Innocentius (*g*) tanquam catholicæ
siæ caput suam minitatur auctoritatem Hiero-
orum episcopo, nisi qua idem potestate est
tus hæreticorum audaciam reprimat, qui omni
rii genere Hieronymum et monachos Palæstinæ,
s præerat, lædebant.

remus idem pontifex, tanquam Occidentis
rcha, regulas disciplinæ præscripsit Ecclesiis
rum, Hispaniarum Illyrici, Africæ et Italiæ.
fecit decretales pro Galliis, primam tredecim
es, alteram septem comprehendentes. In po-
ri catalogum exhibet Scripturæ sacræ libro-
Hispaniarum Ecclesiæ prima in Toletana sy-
quædam statuerant, volente apostolica sede,
nnocentius decretali ad synodum data confir-
. Decretales epistolæ ipsius exstant ad Eccle-
llyrici tres ad Africæ primatem, una ac sex ad

A varios Italiæ Præsules, duæque ad privatos homines. In decretali ad Eugubinum episcopum tradita concludit quod cum Ecclesiæ omnes Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Africæ et adjacentium insularum, tum constitutæ fuerint, tum primos acceperint præsules a Romano pontifice perinde æquum erat ut ab eodem disciplinæ regulas acciperent, minime rebus novis citra ipsius auctoritatem studentes. Genuinus hic sensus habendus est decretalis laudatæ, neque aures accommodandæ omnino sunt e recentioribus cuidam per ludibrium sensa ejus exprimenti.

Item patriarchali ex auctoritate Innocentius in Occidentis Ecclesia (*h*) Thessalonicensi metropolitæ Anysio Apostolici vicarii dignitatem in Illyrico, quam superiorum trium pontificum tempore jam gesserat, confirmavit. Anysio postea denato, in Rufum ejus successorem ipsam illam contulit dignitatem ; decem Illyrici provincias ei singillatim demandans, præter propriam sedis suæ suamque in eas-
B dem auctoritatem, delegavit, utpote ab apostolica sede nimium dissitas. Interea plures dedit encyclicas litteras ad earum metropolitas provinciarum, ut ipsorum nemini obscura esset voluntas pontificis hac in re.

Pontifice Zosimo hæreticus Cœlestius appellationem iterum meditatur, qua ab Africano concilio multos ante annos ad apostolicam sedem provocaverat (*i*). Quamobrem Romam se confert, perque libellum supplicem deprecatur pontificem se ut emendet si quem insciens in errorem lapsus esset. Pontifex, eo minime absoluto, causam differt menses
C duos (*j*). Interim Afris edicit ut vigente hac dilatione mittant Romam accusatores, qui fidei, ut asserebant, improbæ ipsum insimulent (*k*). Pelagius item sibi apud S. sedem prospexerat, huc fidei professionem mittens contestata denuntiatione, ut, si quid ineptum proponeret, imprudenti sibi excidisse judicaretur, sibique daretur venia, quod enixe precabatur. ab eo qui non secus fidei divi Petri ac ejus cathedræ erat successor. Hac Pelagii sincera, ut videbatur, significatione accepta, pontifex et clerus Romæ vix cohibere lacrymas potuerunt, deque ea re Afri certiores ut fierent voluerunt (*l*). Hi autem contra quidquid ad detegendam Pelagii ac Cœlestii calliditatem necesse erat, quantocius Romam mittunt. Et quoniam Cœlestius, quem Romæ urgebant ut simpliciter et aperte profiteretur quomodo sentiret de fide, aufugerat, contra ipsum et Pelagium Zosimus rite judicium pronuntiavit, quod encyclica ad totius Ecclesiæ præsules confirmavit (*m*). Qua epi-
D stola, uti testatur D. Prosper (*n*). Petri gladio dexteras omnium armavit antistitum, ad impios eliminandos. Marius Mercator, et Paulinus diaconus (*o*) Mediolanensis, referentes hujus causæ apud S. sedem constitutæ actionem latumque judicium, tanquam axiomata proponunt quibus refragari nemo possit, veram fidem in apostolica sede nullo unquam nævo inspergi ; in ea donum esse sectarios detegendi, ac debita eos pœna mulctandi auctoritatem ; judicia ejus esse definitiva : totiusque orbis episcopos Zosimi sententiæ subscripsisse quod ut præstarent iisdem mandaverat, pœnamque depositionis detrectantibus fuerat minitatus (*p*). Honorius imperator pontificis decretum lata lege roboravit, depositioni exsili pœnam adjungens, quas pœnas duodeviginti ex Italia præsules subiere.

Ecclesias inter Arelatensem et Viennensem contentione excitata de primatu in aliquot Galliarum

Theodor l. 5, cap. 35.
Epist. Syn, Carth. ad Inn. PP.
Item Marius Merc. in Common.
Ep. 90 et 92 inter Augustinian.
Ibid. epist. 91 et 93.
S. August de verb. Apost. serm. 2.
Innoc PP. cap 32 et 33.
Ap. Conc. Rom. III sub Bonif.

(*i*) S. August de pec. orig. c. 6.
(*j*) Ibid. c. 8.
(*k*) Ex vet. cod. Vatic.
(*l*) Zos. PP. ep. 4.
(*m*) S. August. ep. 47 et 157.
(*n*) S. Prosp cont. Collat.
(*o*) Marius Merc. in Common. Paulin. Diac. in libel.
(*p*) Mercat. ibid.

provincias, Zosimus (*a*) pro Arelatensi metropolita tulit sententiam, quem etiam constituit suum vicarium in Galliis ipsis. Harum episcopis perscripsit litteras hac de re, itemque ad episcopos Africæ, Hispaniarum et provinciarum Viennensis et Narbonensis secundæ, ad metropolitam Narbonensis primæ, ad Patroclum Arelatensem, ad clerum populumque Massiliensem, ad alios alias dedit epistolas. In decretali ad Hesichium Salonitanum interstitiorum tempus præfinit, eique potestatem facit sua in provincia se gerendi tanquam delegatum a S. sede, ut sancitas regulas observari curet, si metropolitani auctoritati deesse aliquid crederet. In alia ad Byzacenæ provinciæ in Africa episcopos, eosdem arguit quod laicos secum admittant ad judicium ferendum in causis episcoporum. Divum Augustinum (*b*) aliosque præsules ex Afris delegat ut de ecclesiastica re in Cæsariensi provincia Mauritaniæ decernant.

Apiarius presbyter Siccensis diœcesis ex eadem provincia, a proprio episcopo percussus anathemate, ad S. sedem provocavit. Zosimus eum absolvit, indeque occasionem cepit legatos in Africam mittendi ut exsecutioni mandarentur constitutiones ipsis traditæ (*c*), præsertim quoad appellationes, quas tum consuetudo, tum sacri canones ecclesiasticis permittebant a propriis judicibus. Hæ sanctæ sedis constitutiones cum nationali concilio Africano Carthagine celebrato, Bonifacio, Zosimi successore, pontifice, communicatæ fuerunt, Sardicensis concilii canonum præsidio constitutiones eæ se tuebantur, qui tamen canones Nicænæ tribuuntur synodo, cujus rei causa per eos traditur in nostra Historia dogmatica (*d*). Africani Patres, cum versassent quotquot Nicænæ synodi exemplaria ubi erant (*e*), nec offenderent eos canones, id concilii cepere ut alia sibi pararent exemplaria ex Oriente, interea vero pontificis decreta servarentur ; futurum sperantes ut, nisi quid simile Nicæni canones ferrent, se ipsos apostolica sedes haud aliis legibus obstringeret, quam quibus prudentia et æquitas obligandos esse suaderent.

Inter hæc Antonius Fussaliensis episcopus in Numidia provocat a sententia comprovincialium episcoporum, (*f*) qui e propria ipsum sede rejecerant. Commendatitias habuit litteras sui metropolitæ, fuitque a pontifice restitutus in propriam sedem, ita tamen ut nulla esset subreptio in iis quæ Romæ exposuerat. (*g*) Hoc regnante pontifice imperatores, ut audaciam Pelagianorum comprimerent, qui, sicut hæreticorum in more positum est, declamabant contra S. sedem, ab imperio toto Pelagium et cœlestium omnesque horum administros eliminarunt, constitueruntque ut si qui episcopo contra apostolicæ sedis decreta recusarent damnationi proscriptorum subscribere, easdem pœnas subirent.

Expostulante Valentinæ urbis clero, quod proprius episcopus Maximus multis arcessitus criminibus conspectum semper cognitorum declinaverit, quos S. sedes sæpe sæpius præsentes judices constituerat ut cognoscerent ejus causam ; Bonifacius per decretalem epistolam denuntiat se quanquam ut contumacem damnare posset Maximum, tamen velle ipsius causam ad tempus certum differre, novis constitutis recuperatoribus, quo præfinito tempore exeunte, latitaret reus, necne, sententia in ipsum pronuntiaretur. Alia in decretali ad Narbonensem episcopum, Arelatensi primatis dignitatem aufert, quæ a Zosimo collata in eum fuerat. Corinthiacum metropolitam confirmat, impense id suadente apostolico ipsius vicario in Illyrici provinciis (*h*). Jura sanctæ sedis tuetur strenue quoad Occidentis patriarchatus partes adversus Constantinopoleos episcopi conatus, qui Orientale Illyricum spectare obtendens ad Orientis imperium, jurisdictionem sibi curaverat adjudicari lege per Theodosium imperatorem lata. Qui collegæ sui Honorii commendatione priorem abrogavit legem, tulitque aliam qua Romani pontificis antiqua jura vindicantur.

Bonifacius compluribus in Illyricum perscriptis epistolis pontificis jura ostendit (*i*), cum uti Occidentis patriarchæ, tum uti Romani pontificis. Quoad primum plura existere monimenta in Ecclesiæ Romanæ archivis testatur, comprobantia ipsas easdemque Ecclesias quæ in discrimen adducebantur, possideri ab Occidentis patriarcha. Quoad alterum, cum episcopus Constantinopolitanus Corinthi synodum (ut sibi videbatur) ediceret, scribit pontifex actionem omnem atque deliberationem tolli post Romani pontificis judicium : ad ea usque tempora neminem unquam fuisse ausum provocare apostolicæ sedis auctoritatem summam, a cujus sententia appellare non licet, auctoritatem se Jesu Christo, non conciliis acceptam referre ; Nicæni quoque concilii Patres, quippe quibus persuasissimum erat quidquid a se honoris collatum foret in apostolicam sedem, ne maximo quidem intervallo assecuturum prærogativas quibus a Christo Domino cohonestata fuerat, pro eadem nihil esse ausos constituere : nullum posse ab omnium capite Ecclesiarum deficere, quin a Christiana simul fide desciscat.

Cœlestino pontifice provocationum prosecutio fit ad apostolicam sedem, quas Antonius Fussaliensis episcopus et Apiarius presbyter detulerant. Quod pro Antonio judicium fuit latum, consulti speciem referebat super libello supplici ; et ipsius ex diœcesi populi obstiterunt ne exsecutioni mandaretur. Iisdem Antonius minatur vim, cujus sibi copiam a pontifice aiebat factum iri. Divus Augustinus (*j*), qui Fussaliensium æquitati causæ mirum in modum studebat, quippe qui eodem sollicitante ab Hipponensi ipsius episcopatu divisi fuerant, detulit ad sanctam sedem Antonii litem, novas adjungens rationes ad probandum judicium contra illum in Africa pronunciatum. Divi ejusdem doctoris ad Quodvultdeum epistola nos admonet se munus iterum suscepisse guberdandi Fussalienses (*k*) ; unde conjicitur Africanorum sententiam Romæ fuisse confirmatam.

Apiarius presbyter, anathemate iterum percussus in Africa ob nova crimina, apostolicam ad sedem denuo provocaverat. Pontifex eodem cum legato qui antea dederat operam ut restitueretur, eum remisit, mandavitque ut beneficio absolutionis uteretur quam ipse largiebatur, dummodo res, quemadmodum exposuerat, se haberent. Cum vero is minime valuisset exposita comprobare, legum severitatem subiit.

Nicænæ synodi copia facta erat Afris ab Oriente (*l*); quare iidem ad pontificem tradiderunt epistolam tria enixe petentes : primum, ut ne tam faciles accommodaret aures provocantibus ; deinde, ne Roma mitteret, qui una cum recuperatoribus ab apostolica sede constituendis in qualibet provincia, judicaret : dum id minime sancitum esset ab ulla synodo (canon Sardicensis concilii septimus hos Afros latebat) ; tertio demum, ne sæculares magistratus adhiberentur ad ea quæ ipsi decrevissent exsecutioni mandanda.

In decretali ad episcopos Viennensem et Narbonensem epistola, post aliquot traditas disciplinæ regulas super habitu ecclesiastico, quorumdam rusti-

(*a*) Zosim. PP., ep 5.
(*b*) S. August. ep. 147. ad Optat.
(*c*) Epist. syn. conc. Afric. ad Bonif. PP.
(*d*) Lib. IV, cap. 12.
(*e*) Synod. supradicta.
(*f*) S. Aug., ep. 161.
(*g*) Honor. imperat. rescript. cont. Pelag. ad Aurel. et Aug.
(*h*) Apud conc. Roman. III sub Bonif. II.
(*i*) Ibid.
(*j*) S Augustin., ep. 261, ad Cœlestin. pap.
(*k*) Ejusd. ep. 224.
(*l*) Synodica conc. Afr. ad Cœlest. papam.

citate in pœnitentiæ sacramento administrando, ac negligentia in episcoporum gradusque inferioris ecclesiasticorum electione ; eosdem episcopos Cœlestinus renuntiat cognitores in causa duorum episcoporum. In decretali ad episcopos Calabriæ et Apuliæ sacrorum iis canonum scientiam, utpote omnino necessariam episcopis, commendat : se significans pro summa qua est potestate præcipiendi eorumdem canonum observantiam, in eos animadversum pœnis a jure præfinitis, quos obsequium suæ auctoritati suisque mandatis debitum ad proprium minime officium perduxerit. Alia demum in decretali epistola ad Illyricos præsules declarat munera sui apostolici vicarii esse : definitivam in ea provincia sententiam ferre, consecrare episcopos, convocare synodos, et causas quæ ad apostolicam sedem referendæ forent audire.

Pelagiani, sollicitationibus ac precibus undequaq e adhibitis, conati sunt pontificem ad se audiendos perducere (*a*) : contra vero is negavit nefariis capitibus accommodandas aures, ex juris præscripto damnatis ; unamque iis ait viam esse reliquam ad Ecclesiam redeunti, pœnitentiam (*b*). In majorem Britanniam misit, qui provinciam ab ista hæresi expurgarent. Scotisque dedit præsulem cum evangelici præconis potestate, quo in Hiberniam proficisceretur, tum ut qui Christum ibidem colerent, servaret, tum ut novos ad Evangelium cultores adjungeret.

Idem pontifex Nestorianam hæresim condemnavit ex delatione ad se facta per Cyrillum Alexandrinum (*c*). Hæresiarchæ pariter depositionis pœnam indixit, nisi statum intra tempus suos ex animo se errores ejecisse scriptis confirmaret. Eumdem D. Cyrillum apostolicum suum vicarium instituit, ut exsecutioni curaret mandari sententiam a se latam contra Nestorium ; eaque in eum collata dignitas causa fuit cur œcumenicæ synodo Ephesi celebratæ Cyrillus præsset (*d*). Concilium id omnium partium efflagitatu indictum fuit, cum primis vero flagitante Nestorio, qui Cyrillum delatorem suum et ipsum hæretica labe notatum esse contendebat. Potestates ambæ, pontificia et imperialis, simul, ut moris erat, conjunctæ, fuerunt ob convocandos episcopos interpositæ (*e*). Alexandrinus præsul, tanquam delegatus ab apostolica sede, prima in sessione, habita antequam venerunt legati tres a pontifice missi, præsedit solus ; cæteris vero in sessionibus ad absolutam usque synodam tres ii simul una cum ipso Cyrillo præfuerunt.

Eadem in synodo nulla omnino fuit quæstio earum rerum (*f*) quæ a pontifice constitutæ ac definitæ fuerant de catholicæ Ecclesiæ fide. Id tantum modo agitatum, ut eidem fidei Nestorius adversans, aut palinediam canere compelleretur, aut ex judicio contra ipsum ab apostolica sede pronuntiato deponeretur. Quod sane Patres præstiterunt, ut aperte demonstrat sententia depositionis quam contra illum tulerunt (*g*). Statim atque legati pontificis venerunt, lectæque sunt Patribus pontificiæ litteræ, inter acclamationes gratiarumque actiones Romano pontifici, tanquam fidei depositi custodi optimo, auditum fuit et ipsis litteris (*h*) et legatorum adventu divinitus comprobari sententiam a Patribus latam contra Nestorium, ut exsecutioni alia mandaretur, quam antea sancta sedes contra eumdem pronuntiaverat (*i*).

Jam legati subscripserant atque omnia absoluta esse videbantur, cum sese armarent Patres necesse fuit adversus contumeliosam agendi rationem Joannis Antiocheni, qui, Nestorii doctrina minime probata, tamen curaverat ut D. Cyrilli doctrina in conciliabulo eadem in urbe Epheso coacto damnaretur (*j*). Patres igitur post necessaria monita schismaticos illos optimo jure a communione sejunxerunt, neque tamen deposuerunt, sanctæ sedis judicio ejusmodi pœnam imponendam relinquentes, uti testantur in synodica ad Cœlestinum ; quem item certiorem fecerunt depositionis atque exsilii pœnæ, qua Nestorium damnaverant necnon alterius episcopi eidem suffecti. Theodosius imperator duos pontifici legatos misit gratulatum ob victoriam (*k*), quam Ecclesia retulerat de hæresibus, præclarissimam, apostolicis utens gladiis, quibus ipsam armaverat. Pontifex in encyclica ad episcopos qui synodum celebrarant (*l*) sententiam depositionis confirmat, tum principis hæreticæ illius sectæ, tum sectatorum, quos concilii Patres nominatim appellaverant. Pœna eadem in alios mandat animadverti, qui cum in impios eosdem sensus lapsi essent hæresis atque ejus auctoris damnationi ne subscriberent recusarent. Quoad alios, Antiochenum nempe præsulem ac socios, qui, hæresim condemnantes, indemnatum reliquerant hæresiarcham, fraterne prius voluit admoneri quam inclementius in eosdem ageretur. Clero populoque Constantinopoleos perscripsit de ipsorum præsule recens electo (*m*), ut cujuscunque dubitationis causas procul habentes eum audirent, quippe qui, cum Romanæ in Ecclesiæ sinu alitus nutritusque esset, fieri non poterat ut alia præter antiquam doctrinam imbutus esset ; novis namque rebus Romam aditus est occlusus : cumque ipsius episcopi doctrina fundamentalis angularisque esset Ecclesiæ lapis, ab eadem recedere nefas omnino esse.

De ingenti presbyterorum e Galliis numero, (*n*) deque aliquibus ex urbe Genua delatum fuit ad S. sedem, quod inter se coivissent adversus D. Augustini doctrinam de gratia et libero arbitrio. Itaque pontifex doctorem sanctitate conspicuum vindicaturus, qui paulo ante supremum diem obierat, ad Gallicanos episcopos encyclicam dedit epistolam (*o*), mandans ut eorum audaciam presbyterorum coerceret, iisdemque silentium indiceret ; non enim ecclesiasticorum ejus ordinis esse, aiebat pontifex, vocem episcopis altius in Ecclesia extollere ac de doctrina decernere (*p*). Præterea divi Augustini memoriam exquisitis iis prosequitur laudibus, quæ maxime decent episcopum : ardentis nempe studii erga apostolicam sedem ; singularis ejus æstimationis qua summi ante pontifices illum habuerant ob integritatem doctrinæ magnosque exantlatos labores pro Ecclesia Dei. Ipsemet in hujusce tractatus exitu articulum singularem conjiciam de studio illo ardenti ac veneratione in apostolicam sedem, quorum sanctus hic doctor præclaram adeo testificationem reliquit Ecclesiæ.

In epistolæ quam laudamus calce videre est congeriem constitutorum a pontificibus qui Cœlestinum præcesserunt, de gratia et libero arbitrio. Ibi tanquam axiomata statuuntur : necessariam esse gratiam ad cogitandum de bono, ad illud appetendum, ad amplectendum ; liberum arbitrium minime per gratiam destrui, quin potius perfici : Deum operari in nobis per gratiam velle et agere, ita ut cooperatores ejus ipsi simus, cum ferre nequeat otiosam a

(*a*) S. Prosp. ad ver. Collat. in fin.
(*b*) Id. ibid. et in Chron.
(*c*) Epist. Cœlest. Pp. ad Cyr. ap. conc. Ephes. part. 1, cap 15.
(*d*) Id. ibid. act. 1.
(*e*) Id. ibid. ac in fin. V. l. 4, c. 21.
(*f*) Ibid. act. 2.
(*g*) Id. conc. act. 1.
(*h*) Ibid. Act. 2.
(*i*) Ibid.
(*j*) Ibid. Act. 3.
(*k*) S. Prosp. cont. Collat. prope fin.
(*l*) Apud conc. Ephes. parte 3.
(*m*) Ibid.
(*n*) Apud epist. Cœlest. Pp. ad episc. Galliæ, c. 1.
(*o*) Ibid.
(*p*) Ibid., cap. 2.

nobis reddi atque negligi ; nobis denique, ubi eam sentiamus nostros ob lapsus languescere, oratione ad Deum confugiendum esse, ut necessarias vires impetremus. Postremo ibidem declaratur apostolicam sedem hac de re nihil ultra decrevisse (*a*).

Sixtus III, cum Romanæ Ecclesiæ esset presbyter, præclaram adeo sibi collegit æstimationem stylum distringens in Pelagianos ardore maximo (*b*), ut scripta ejus doctrinæ et sapientiæ plena orbi universo proponenda sanctus Augustinus censuerit. Vix ipse conscendit Ecclesiæ thronum, quibpuid actum erat Ephesi adversus Nestorianos quoad hæresim confirmavit (*c*). Verum quoad schisma ab Joanne Antiocheno et Orientalibus excitatum. noluit præfracte judicari, siquidem sperabat fore ut monitis ad officium perducerentur (*d*). Quamobrem perscribi ad illos voluit, idemque perscripsit tam amice, tam humaniter, ut sibi eos devinxerit, duasque inter sedes præcipuas, Alexandrinam atque Antiochenam, concordiam curaverit, quarum discrepantia universam Orientis turbabat Ecclesiam. Is quorumdam calliditatem Pelagianorum retexit, qui personata conversione ad Ecclesiam redire conabantur, ut in eam venenum inducerent. Qua in re divi Prosperi (*e*) sententia parem hic amplitudine et gloria triumphum de hæreticis reportavit pontificibus, qui de hæreticis antea triumpharant. Patriarchalem in Illyrico jurisdictionem sustinuit, quemadmodum duæ nos docent epistolæ ab eodem traditæ ad Illyrici præsules, aliaque ad Proclum Constantinopolitanum. In earum prima Anastasio Thessalonicensi dignitatem vicarii apostolici confirmat, quam pontifices prædecessores contulerant in ejus diœcesis episcopos. In altera omnibus Illyrici provinciis mandat ut Thessalonicensi episcopo pareant, prout apud eas consuetudo erat, neque ad istiusmodi observantia removerentur ex iis quæ synodus Constantinopolitana contra leges apostolicæ sedis decrevisset, quæ concili ejus constitutionum nullam probaverat præter eas quæ ad fidem pertinebant. In tertia demum epistola ad Constantinopoleos præsulem, cujus gratia res illæ omnes novæ agebantur, eidem ostenditnon ideo sibi esse a sanctionibus canonum, quas penitus noverat, deflectendum.

ARTICULUS VI.

De auctoritate sanctæ sedis sub divo Leone Magno pontifice.

Divus Leo, Magnus jure ac merito nuncupatus, ubi primum ad summum pontificatus fastigium est evectus (*f*), fateri ac prædicare orsus est beatum Petrum perpetuo administrare Ecclesiam Dei per Romanos pontifices ; iisdem apostolorum principis fidem et auctoritatem nunquam defuturam ; Christum Jesum, qui eumdem apostolum Petrum p testatis suæ consortem elegit, per ipsum cum cæteris populi sui principibus potestatem illam communicare (*g*). Eorum vero quæ docuit exemplum exhibuit Leo hic Magnus adversus Manichæos in Italia, Priscillianistas in Hispaniis, Pelagianos in Istria, per mandata quæ ad provinciarum earumdem præsules misit exterminandi causa hos hæreticos. Quare præscripsit formulas quibus ecclesiastici suspectæ doctrinæ subscriberent.

Decretales multas dedit epistolas, alias ad alios præsules (*h*). In ea, quam episcopis Italiæ perscripsit, præ cæteris constitutis, usura vel laicis interdixit, prohibuitque solemnem baptismatis administrationem extra tempora Paschatis et Pentecostes. Publicam item vetuit fieri confessionem, auricularem affirmans satis esse. In decretali ad Siciliæ præsules (*i*) iisdem mandat uti ternos mittere episcopos ex suis per triennia singula nunquam desinant ad Romanam synodum, vetatque ut alienent Ecclesiæ bona absque cleri consensu. In alia epistola, ad Mauritaniæ Cæsariensis episcopos, constituit præsulem (*j*) qui eorum provinciam invisat, deque alio præsule judicium ferri ab iis mandat, qui ad sanctam sedem provocaverat ; quo pariter sententiam vult deferri latam in Africa de causis Ecclesiarum et episcoporum, ut robur ad eamdem accedat. In decretali ad Rusticum Narbonensem publicam vetat pœnitentiam injungi presbyteris (*k*) ac diaconibus, legemque cælibatus ad subdiaconos extendit. Metropolitis Illyrici demonstrat Romano pontifici curam incumbere universi orbis Ecclesiarum ; vicario autem ipsius apostolico earum duntaxat provinciarum quæ illi fuerint demandatæ (*l*) ; curæ siquidem partem, non summam cum eo communicatam per se esse testatur. Episcopos prohibet ab Ecclesia ad Ecclesiam transferri, et ecclesiasticos a diœcesi ad aliam, præsulibus propriis invitis, transire (*m*). Varios indicat gradus jurisdictionis atque appellationis ab episcopo ad metropolitam, ab hoc ad pontificem. Ecclesiæ Alexandrinæ præcipit ut cum Romana parente unam eamdemque rationem tueatur (*n*). Anatolio Constantinopoleos præsuli facultatem facit ut communioni Ecclesiæ Romanæ per illum restituantur quicumque hæresim abjecerint ; eidemque prohibet trium episcoporum nomina pronuntiare ad aram, qui S. Flavianum prædecessorem suum fuerant insectati. In decretali ad Foro-Juliensem episcopum Theodorum pœnitentiæ sacramenti necessitatem (*o*) ac virtutem ostendit, quod etiam iis qui in vitæ fine sunt constituti vocisque officium amiserunt non denegandum affirmat, cum indicio aliquo ipsi absolvi petunt aut eos petiisse jam constat, cum nullum præbere indicium vi morbi et angustiis temporis prohibentur.

Sanctus hic pontifex judicium per se ipse tulit in causa Celidonii (*p*) et Projecti, præsulum Galliæ, a sententia Hilarii Arelatensis provocantium. Propriis in sedibus utrumque sustinuit, ipsumque Hilarium ab unoquoque jurisdictionis actu prohibuit extra suam Arelatis Ecclesiam, quam ipsi ex indulgentia non abstulit. Eidem Leontinum Foro-Juliensem subrogavit (*q*), qui vicarii apostolici munia obiret in Galliis. In epistola ad Viennensis provinciæ præsules de appellationibus ad sanctam sedem loquitur, tanquam de jure quod nulla unquam detrectavit vetustas.

Valentinianus III imperator decretis Leonis Magni paratam conciliavit exsecutionem lege quæ mandat (*r*) ut sedis apostolicæ sanctiones omnes toto in imperio sancte ac religiose serventur ; nullique episcopo licitum sit absque sedis ejusdem auctoritate aliquid contra consuetudinem veterem conari, ut quibuscunque dicta erit dies ad tribunal Romani pontificis, si vadimonium deseruerint, vis a provinciarum rectoribus inferatur : aperte autem lege ista fuit expressum, quod sententia in Hilarium pronun-

(*a*) Vid. meæ Hist. Dogm. I, IV, c. 23.
(*b*) S. Aug., ep. 104.
(*c*) Ep. Six. PP. ad Cyrill. ex coll. Baluz.
(*d*) Ibid.
(*e*) S. Prosp. in Chron. sub an. 440.
(*f*) Serm. de Assumpt. sua.
(*g*) Epist. 2 vet. edit., item 93, item 86.
(*h*) Epist. 1 et 80.
(*i*) Epist. 4 et 16.
(*j*) Epist. 87.
(*k*) Epist. 92, in Collect. Holst.
(*l*) Ep. 84.
(*m*) Ibid.
(*n*) Epist. 84, ep. 46.
(*o*) Ep. 91.
(*p*) Epist. 89.
(*q*) Ibid.
(*r*) Novel. Valent post Cod. Theod. tit. 24, de Ep. ordinand.

tiata ab apostolica sede imperatoriæ auctoritatis minime indigebat, ut vel in Galliis exsecutioni mandaretur, ob supremam potestatem quam habet pontifex in Ecclesia *Et erat ipsa quidem sententia per Gallias, etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti pontificis auctoritati in Ecclesias non liceret?* Nostram historiam videsis (*a*), palamque erit viguisse hanc legem Francorum regum tempore, qui imperatoribus successerunt. Idem pontifex dissidia composuit Ecclesias inter Arelatensem et Viennensem intercedentia (*b*), diœceses constituens quæ metropoleon alterutri suffragarentur.

Eutyches Constantinopoli tanquam hæreticus condemnatus confugit Romam (*c*), supplici libello promittens emendaturum se omnia quibus reprehensione dignis doctrina ejus esset inspersa (*d*). Ad episcopos etiam aliquot Occidentis dedit litteras, suffragia eorum petens, a quibus responsum accepit, Romanum adire pontificem oportere habendi causa fidei dogmata; præsulibus quippe privatis (*e*) Romani pontificis haud accedente consensu, facultatem aiebant deesse hujusmodi de causis pronuntiandi. Flavianus Constantinopoleos præsul acta omnia Romanum ad pontificem detulit adversus Eutychetem, necnon sententiam a se latam in eumdem (*f*); supplex ab eodem flagitans ut eam sententiam roborando, nascentem dignaretur hæresim præcidere, atque impedimento esse quin synodus, de qua pervaserat rumor, celebraretur; istiusmodi enim celebratio nonnisi turbas in Ecclesia concire poterat.

Magnus vero pontifex admirabilem illam singularemque ad Flavianum epistolam dedit, *Epistolæ Dogmaticæ divi Leonis* cognomento celeberrimam, qua Incarnationis mysterii fidem eximie definit atque explicat; volensque Imperatoris Theodosii gratia concilio Ephesi cogendo assensum præbere (*g*) tres, qui præessent, legatos misit, eamdemque epistolam veluti eorum regulam quæ decernenda erant. Id Pontifex memorat omnibus in epistolis hac de re perscriptis, præsertim vero in ea quam tradidit ad Patres concilii, significans iisdem quæcunque ad eliminandos errores, et fidei professionisque ejus unitatem in universo mundo asserendam sunt necessaria, ex epistola ad Flavianum suppetere (*h*). Ea synodus in latrocinium versa est. Pro concili sede præsidia militum collocata sunt; magnique tres duces imperii sacrum in eum conventum sunt ingressi, suffragiis ut libertatem eriperent. Dioscorus Alexandrinus, Eutychetis propugnator, sanctissimis apostolicæ sedis legibus posthabitis, per summam audaciam concilio præsedit. Pontificiæ epistolæ, tam dogmatica ad Flavianum quam alia ad Patres synodi, haudquaquam fuerunt lectæ. Judicatum fuit juxta consilium initum a fautoribus Dioscori: Eutyches fuit absolutus; militesque districto ense irrumpentes minati sunt duas in partes cæsum iri quicunque duas Christum in naturas dividerent. Illatam vim sustinuit nemo, præter pontificios legatos, Eusebium Dorileensem, qui apertus et præcipuus erat Eutychii accusator, ac Flavianum Constantinopolitanum ipsius episcopum ac primum Judicem, qui ad sanctam sedem provocavit ab iis omnibus quæ in eo concilio sancita fuerant.

Vir item sapiens Theodoretus (*i*) Cyri præsul in Antiochiæ patriarchatu a sententia depositionis in se lata ad apostolicam sedem appellans confugit. Uno eodemque tempore superiorem augustæ sedis hujus potestatem testatus est in cæteras universi terrarum orbis Ecclesias, præque aliis præclarissimis ejus dotibus hanc singularem est fassus, quod nempe ab hæretica labe abhorrens nunquam non fuerit, cum summorum nullus pontificum a veritate contrarium aliquid unquam senserit, at contra omnes apostolicum depositum semper integrum, semper omni ex parte purum, custodierint.

Hisce ut mederetur incommodis sanctus pontifex (*j*) falsam eam synodum condemnavit, declaravitque per litteras Theodosio imperatori, quod, quoniam ad sanctam sedem fuerat provocatum, ex constitutis per Nicæni concilii canones, aliud haberi concilium oportebat. Theodosius vero, eunuchi cujusdam, qui Eutycheti valde studebat, arbitrio se gerens, benignas accommodare aures noluit suasionibus divi Leonis, neque Occidentis imperatorum epistolis, per quas eidem significabant, detrectari non posse Romanum pontificem supremum judicem causarum appellationis quoad fidem et judicium episcoporum (*k*). Fidem adhibuit Theodosius falsis conciliabuli actis Dioscori arbitratu constructis, nihil nempe ex Nicæni atque Ephesini primi decretis mutatum in eo fuisse atque episcopos ibidem depositos Nestoriana hæresi affectos esse. Interea pontificem est deprecatus ut Anatolium in Constantinopoleos sedem, Flaviano jam denato, suffectum confirmaret. Imperatorem istum, cum minime hæresim profiteretur (*l*), hæreticos tamen tueri Leo papa intellexit: quamobrem fore confidens ut ab insita menti ejus opinione facile revocaretur, legatis ad eum missis iterum de congreganda synodo efflagitavit; eodemque tempore significavit per litteras, quibus ipse conditionibus Constantinopoleos præsulem recens electum confirmasset. Cæterum optimum sancti pontificis id consilium ineundi gloria Marciano, Theodosii successori, debebatur.

Marcianus igitur potitus rerum quæ prima obiit imperatoris munia (*m*), sui significatio animi fuerunt, se scilicet velle ut pontificia ex auctoritate haberetur concilium, quo proscriberetur error et catholicæ Ecclesiæ tranquillitas instauraretur (*n*). Divum Leonem oravit ut ipse per se adesse dignaretur synodo; sin minus id posset fieri, sibi per litteras potestatem faceret cogendæ ipsius synodi, in qua episcopi per summum pontificem constituta profiterentur.

Chalcedone congregati sunt Patres. Eique uti præessent pontifex legatos mittens imperatori scripsit, futurum se sperare (*o*) ut traditionis fides, cujus dogmata ad eum sancta sedes tradebat, errori sectariorum præcluderet omnem aditum. Ad Patres item concilii perscripsit, significans clam iis esse non posse desiderium suum, quippe cujus religionem ac fidem minime ignorabant (*p*); ut nempe iidem, disceptationibus quibuscunque posthabitis, plenam illam et apertam fidei definitionem amplecterentur, quam ipse in litteris ad Flavianum expresserat. Sese velle ut suas in sedes episcopi restituerentur, si resipiscerent; multo autem magis ii qui, eo quod potiorem tuiti essent partem, e propriis pulsi erant Ecclesiis. Summopere cavendum iis esse, ne quid. Eutychetem damnantes, Nestorio indulgerent.

Legati synodo præsidentes eamdem inchoant, declarantes pontificis mentem esse (*q*) ut concessu ab illo Dioscorus excludatur, usquedum apud Patres tanquam reum se stiterit, rationemque retulerit audaciæ suæ, qua œcumenicam coegit synodum nulla

(*a*) Lib. v, cap. 3.
(*b*) Epist. 109 ad episc. prov. Arelat.
(*c*) Epist. 7, ad Theodos. A.
(*d*) Et 8, ad Flav. ep.
(*e*) S. Petr. Chrysolog. epist. ad Eutych.
(*f*) Epist. Flav ad Leon. PP.
(*g*) Epist. 12 et 13.
(*h*) Epist. 15.
(*i*) Theodoret., epist. 113 et 126.
(*j*) Epist. 25.
(*k*) Apud conc Chalced. par. I, n. 25, 26, 27 et 28.
(*l*) Epist. 33.
(*m*) Apud conc. Chalced. par 2, n. 33.
(*n*) Ibid., n. 34.
(*o*) Epist. 49.
(*p*) Epist. 47.
(*q*) Conc. Chalced., act. 1.

ex apostolicæ sedis auctoritate, rem prorsus inauditam, quæ ante id temporis neque permissa neque facta unquam fuerat. Quamobrem e Patrum consessu expulsus fuit, et e contrario Theodoretus admissus, qui ex sententia pontificis propriam in sedem fuerat restitutus. Convincitur Dioscorus D. Leonis Dogmaticam Ephesi dolo malo suppressisse quam concilii Patres omnes pure ac simpliciter se suscipere profitur *eam omnes prompte suscipimus* (*a*). Altera in actione testantur Patres absque omni formula ac deliberatione eidem se epistolæ subscripsisse. *Epistolæ omnes subscripsimus.* Veram in ea fidem continere affirmarique cognoscunt, perinde ac Nicæno in symobolo sanctorum traditione Patrum qui post eam synodum floruere: cumque ea recitata essent, eidem etiam epistolæ plaudentes clamarunt Patres jam se subscripsisse: *Nos jam subscripsimus.* Tertia in actione pontifex archiepiscopi universalis nomine nuncupatur; damnatur deponiturque Dioscorus, tum variis nominibus, tum eo potissimum quia impedimento fuerat quominus eæ litteræ legerentur Ephesi magno cum catholicæ Ecclesiæ scandalo, quæ jam plura perpessa fuerat. In actione quarta, interrogati Patres ab imperatoriis inquisitoribus utrum divi Leonis epistola conveniret cum fidei expositionibus conciliorum Nicæni et Constantinopolitani, epistolæ iterum acclamavere. Itaque nihil est certius pura simplicique acceptione ista Magni Leonis epistolæ in Chalcedonensi concilio, quidquid autument qui supremæ sanctæ sedis auctoritati adversantur; quorum ipse objectiones dilui mea in Dogmatica Historia (*b*).

Actio quinta propositionem hanc nostram egregie confirmat. Concilii Patres fidei definitionem instruxerant, quam legati, utpote minus omnia exprimentem quæ dogmatica epistola contra hæresim definiebat, rejecerunt. Quare ii, tametsi definitionem illam pertinaci studio defenderent, attamen ubi agnoverunt discrepantiam quæ eam inter et dogmaticam epistolam intererat, quantocius eam ita mutarunt, ut omne discrimen amoveretur. Marcianus imperator, qui concilio adfuit (*c*), provisurum se ait ne quis imposterum de mysterio Incarnationis docere auderet aliud quam quod apostoli, Nicæni Patres et Leo pontifex in epistola ad Flavianum tradiderunt.

Inter Chalcedonensis concilii canones duodetricesimus tertio inhærens, Constantinopolitanæ synodi præsuli urbis hujus alterum in Ecclesia locum concedit, atque una simul patriarchalem jurisdictionem in Ponti, Asiæ Minoris et Thraciæ exarchatus. Legati, qui consessui non aderant cum hujusmodi canon fuit propositus (*d*), acerrime adversati sunt, ubi de rato eodem habendo actum est; at quonia a suffragatio ne procederet frustra contenderunt, decreto intercesserunt, adhibito protestationis ac reclamationis remedio, et ad sedem apostolicam provocarunt.

Synodo absoluta Patres imperatorum rogaverunt (*e*) ut quæ ipsius erat pietas atque potestas, fulciret sedisque apostolicæ auctoritate roboraret fidei professionem quam fecerant; se nempe apud Romanum pontificem interponeret, confirmationis causa impetrandæ. Postea pontifici mittentes acta omnia concilii, per synodicam orant ut eadem confirmare non dedignetur (*f*). Apprime autem urgent canonis duodetricesimi confirmationem, rationes, quascunque firmissimas putant, præseferentes, uti pontifici fidem faciant, commendationesque afferentes quæ maximo sibi usui ad movendum pontificis animum sint futuræ.

Pontifex definitionem summa et certa fide confirmavit per litteras ad Galliarum episcopos (*g*), ad imperatorem Marcianum, ad Pulcheriam imperatricem, ad Anatolium Constantinopolitanum (*h*); multo autem apertius ad episcopos qui synodum celebraverant. Canonem vero duodetricesimum pro Constantinopoleos cathedra penitus rejecit, reique certiores fecit litteris iisdem viros illos præstantissimos, litterisque aliis rem ipsam communicavit cum Alexandrino et Antiocheno patriarchis (*i*), quorum præsertim intererat ea novitas, cumque aliquot episcopis eorumdem suffraganeis.

S. pontificis auctoritas exsecutione prohibuit hunc canonem; quod licet moleste ferret Constantinopoleos præsul (*j*), tamen ab imperatore contentus in officio erga pontificis voluntatem, huic imperatore eodem cogente, per epitolam obsequii plenam satisfecit.

Divo Leoni maxime id cordi erat, ut omnibus in terrarum orbis Ecclesiis fidem incarnationis Verbi per suam dogmaticam epistolam stabiliret. Hanc Ecclesiæ Gallicanæ tanto cum gaudio amplexæ sunt, quantum non facile explicari verbis possit (*k*). Unanimi siquidem consensu omnes fatebantur ac prædicabant apostolicam sedem, unde epistola erat profecta, illum esse additum, ex quo sanctus idem Spiritus qui apostolos replevit scientia, emittebat oracula: doctrinam ejus, Dei esse doctrinam; Salvatorem ipsum incarnationis suæ mysterium hominibus tradere per os Romani pontificis, cui acceptam Gallicanæ Ecclesiæ fidem veræ religionis referebant, et arctissimo atque insolubili conjunctionis vinculo adhærebant. Hispanienses Ecclesias tanti fuisse compotes beneficii sancti ejusdem pontificis litteræ nos docent (*l*). Italas Alpium finitimas tradit Leo ipsius decretis subscripsisse, necnon diligentissime obsecutas fuisse (*m*). Oriens, utpote procellis semper ac tempestatibus agitatus plus quam Occidentis provinciæ, tranquillitatem serius præsetulit. In Palæstina descendere ad vim oportuit ut ad officium monachi reducerentur (*n*), qui pene omnes Eutychetis sectatores facti erant, cogerenturque, relictis ecclesiis quas invaserant, propria ad monasteria reverti. In Ægyptum, ubi dogmaticæ D. Leonis epistolæ nonnulla exempla irrepserant depravata, quæ Nestorianismi errores inducebant (*o*), certa mittenda fuerunt exempla imperiali signo; necnon magistratibus mandari opus fuit ut eadem clero populoque publice legerentur. Post Marciani obitum religiosissimi principis, maximeque adhærentis apostolicæ sedi, emersit iterum erroris factio (*p*); quamobrem oportuit pontificem semel, iterum ac tertio novum ad imperatorem dare litteras, ut ab insidiis totum redderet, quas religioni ejus parabant hæretici, facilitate abutentes quas ipse audiebat damnatos a sancta sede, queis præter pœnitentiam nihil ultra erat reliquum. *Adhuc insuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam* (*q*).

Ita sensit Augustinus cum in causis ejusdem generis apostolica sedes judicium tulit. Qui nostra hac tempestate tanti doctoris discipulos sese jactant, ab hac sententia ordirentur oporteret, quam studio is

(*a*) Ibid.
(*b*) Lib. v, c. 9.
(*c*) Act. 6.
(*d*) Ibid., act. 16, in fin.
(*e*) Idem, par. III, n. 1.
(*f*) Ibid., n. 2.
(*g*) Epist. Imp. ap. Collect. Holsten.
(*h*) Epist. 52, 53, 54, 55 et 61.
(*i*) Epist. 62, 63, 68 et 105.
(*j*) Epist. Anat. Cp. ap. Collect. Holsten.
(*k*) Epist. episc. Gall. post S. Leon. epist. 51 et 98.
(*l*) Ep. 52.
(*m*) Post ep. 52.
(*n*) Vide Ep. 83.
(*o*) Ep. 69.
(*p*) Epist. 75, 78 et 99, ad Leon. Aug.
(*q*) S. Aug. cont. duas epist. Pelag., l. I, in fin.

adeo tuitus est, ut inter cæteros Ecclesiæ ocum facile principem sit assecutus. Illi vero ıbest ut glorientur cum D. Prospero sanctæ ıctoritate uti ad explicandam ac defendendam ıstini doctrinam; quin e contrario gloriantur ;ustini auctoritatem adhibere ad apostolicæ octrinam oppugnandam. Iidem ut videant in errore versantur, certum mihi deliberaest breviter hic tradere quidquid S. doctor it aut gessit aliis temporibus Ecclesiæ tradifirmans quoad præeminentiam et auctoritanctæ sedis.

ARTICULUS VII.

mia ex divo Augustino quoad præeminentiam et auctoritatem sanctæ sedis.

Augustino ter potissimum oblata occasio fuit proferendi sententiam de auctoritate quam sedes exercet atque exercere debet in Eccle- B m de appellationibus Ecclesiarum Africæ ad am disputaretur. Ea ratione sanctus doctor ı suam aperuit circa prærogativas omnes i pontificis et circa præsidia illa firmissima idem pontifex est instructus: centri nempe :uli contra schismata supremi relationum etis adversus hæreses, atque arbitri supremi iversus temeratores legum.

ınatistæ, qui baptismum iterare volebant, iani auctoritatem usurparunt. Quorum coeludat Augustinus. Cyprianum cum principe orum comparat, quem divus Paulus redarihilo tamen minus fatetur veteri se nè comhæc injuria sit divo Petro, eo quod apostoprinceps cum episcopo alio nullo debeat ari. « Magis, inquit, vereri debeo, ne in contumeliosus existam. Quis enim nescit atus principatum cuilibet episcopatui præfe- ı ? » (S. Aug. *de Bapt. cont. Donat.*, lib. II, ı Mox divum Cyprianum pro virili conatur ıre: « Nondum enim aiens, erat diligenter ıtismi quæstio pertractata; sed tamen saluam consuetudinem tenebat Ecclesia.. quam x apostolica traditione venientem... per Agriprædecessorem suum dicit S. Cyprianus œpisse corrigi. Sed sicut diligentius requiritas docuit, quæ post magnos dubitationis ad plenarii concilii confirmationem perducta ius creditur per Agripinum corrumpi cœpisse, rigi. » (*Ibidem*, cap. 7.) Cyprianus quidem :udinem illam videbat; cum « autem (prose- Augustinus) defensiones ipsius consuetudinis les afferrent, quibus illa talis anima moveıoluit nondum assertæ consuetudini cedere.., prædecessorum suorum tanquam inventum ıre. » (*Ibid.*, cap 8.)

ıanus tandem ut Augustinus observat, quæsummam non fidem, sed disciplinam spectare it, de qua alios alia sentire neque schisma, D hæresim gignit. « Neminem judicantes, aut a ımmunionis aliquem, si diversum senserit, ıtes. » (*Ibid* cap. 2). « Toleravit collegas entientes sicut, et ipse toleratus est. » (*Ibid.*, 9). Eam ob rem universalem cogi synodum e censuit, discutiendæ atque examinandæ tudinis gratia, quæ hæreticorum baptisma ebat; atque interim baptisma denuo conferri is qui ab hæreticis fuerant baptizati: « Antelenarii concilii sententia qui in hac re sen- n esset, totius Ecclesiæ consensio confir- , visum est ei cum ferme octoginta coepiıuis Africarum Ecclesiarum, omnem hominem ra Ecclesiæ catholicæ communionem baptifuisset, oportere ad Ecclesiam venientem baptizari. » (*Ibid*, lib. I, cap. 18.) Divus ipse inus declarat quod variis in Ecclesiæ provinıte oportuerit peculiares fieri discussiones, quam œcumenica haberetur synodus, ut cons uetudo illa penitus teneretur, quænam esset, nempe utrum universalis ac proinde apostolicæ foret traditionis· « Quomodo enim potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hinc atque hinc disputationibus et collationibus episcoporum pertractata constaret? » (*Ibid.*, lib. II, cap. 4). Verum enim vero argumentum evidens utrumque horum Patrum arbitratum esse de disciplina quæstionem institui, inde ducitur quod Cyprianus, præter ea quæ diximus, Deum misericordia suppleturum rebatur, si quid baptizato ab hæreticis deesset qui in Ecclesiam receptus fuisset neque iterum sacro fonte ablutus: « Potens est Dominus (ipsa ejus verba sunt) misericordia sua indulgentiam dare; et eos qui ad Ecclesiam suam venientes simpliciter admissi in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiæ suæ muneribus non separare. » (S. Cyprian., *epist. ad Jubai.*, cap. 13.) Divus autem Augustinus ejusmodi rem esse aiebat, circa quam plenaria ipsa concilia invicem poterant emendari. « Ipsa plenaria concilia sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat. » (S. Aug. *de Bapt. cont. Donat.*, l. c. 3.) Quod sane nonnisi de disciplina est accipiendum, fidei enim ac morum leges inviolabiles sunt. Præterea sanctus doctor pro certo habuit Cyprianum ab opinione illa recessisse, deque hac re nihil ideo litteris consignatum exstare, quia studente husjusmodi errori fortasse suppresserint sancti viri scripta contraria, ut ipsius auctoritate fulcirent errorem: « Correxisse autem, inquit, istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, et fortasse suppressum sit ab his qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt. » (S. Aug., *ep.* 45 *ad Vincent.*)

Cæterum, id firmissime comprobat, divo Augustino fuisse supremam Romani pontificis auctoritatem veritatis loco, cui refragari nemo possit in Ecclesia: « Quis enim nescit apostolatus principatum cuilibet episcopatui perferendum; » quod perinde is loquitur de contentione illa unde schisma Donatistarum profectum erat, atque de re jam definita per sententiam latam ab apostolica sede. Sententiam hanc tulit Melchiades papa in contentione Cæciliani et Majorini de Carthaginensi episcopatu. Cæcilianus quidem legitime electus fuerat eaque in sede constitutus; Majorinum vero instigaverat manus factiosorum hominum, qui suas ad partes pertraxerant non paucos ex episcopis Afris. Quare Augustinus luculenter de Cæciliano loquitur dicens: « Posset (Cæcilianus) non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et Romanæ Ecclesiæ, in qua semper apostolicæ cathedræ viguit principatus, et cunctis terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum, ubi paratus esset suam causam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur. » (Idem, *epist.* 162.)

Ita reapse contigit, ipsismet petentibus Donatistis, ut causam transmarini judices, id est eorum temporum sermone, apostolica sedes, judicaret. Apud pontificem steterunt partes ad dictam diem, cognitisque utrinque rationibus Melchiades pro Cæciliano sententiam tulit. Negari certe non potest Donatistas judicio huic stare noluisse, et ad Constantinum imperatorem provocasse. Ac perinde negari nequit hunc principem, cum causæ accessiones ab iis fierent, dedisse novos judices, Patres nempe Arelatensis concilii; si tamen habendi sunt novi judices Patres synodi, quo divus Silvester legatos misit, qui causam sui prædecessoris instar judicarent ac de novis accessionibus definirent. Melius igitur recognitionem litis, ab imperatore concessam, nuncupemus. Istiusmodi autem recognitionem

quomodo concessit imperator? Scilicet eorum perversitatibus cedens, ait Augustinus, utque eorum impudentiam cohiberet ; quid enim convocandum concilium fuit, cum causa cognita et definita esset Romæ? Insolentem eorum agendi rationem detestans, prosequitur sanctus doctor : qui ab Ecclesiæ judicio ad imperatoris tribunal provocare erant ausi. « In Urbe Roma quemadmodum causa dicta atque finita sit, indicat gesta ecclesiastica. » (Id., *ep*, 68.) « Dedit ille aliud Arelatense judicium, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens et omnino cupiens tantam impudentiam cohibere. Neque enim ausus est Christianus imperator sic eorum tumultuosas et fallaces querelas suscipere, ut de judicio episcoporum qui Romæ sederant ipse judicaret .. Qua in re quemadmodum illos detestetur audistis. » (Idem, *ep.* 162.) Ipse imperator dederat litteras ad Melchiadem, ad eum spectare significans ejusmodi causam definire, utque ullum schisma in Ecclesia suscitaretur, peculiaresve alicubi divisiones fierent nullo pacto ferre. « Vestra gravitas, inquit, ponderabit quomodo illa lis tandem absolvatur... Velim vos nullum generale schisma, nullam discordiam in ullo loco omnino relinquere. » (Apud Euseb. lib. x *Hist.*, c, 5.) Itaque considerabat hanc litem jam sententia pontificis definitam. « Cum res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris episcopis terminata. » (*Epist. Const Imp. Ælaphio.)* Cum vero intellexit Donatistas provocasse ; o furorem, inquit, inauditum ; o audaciam prædicandam ! Christiani homines et episcopi imitantur gentes. « Ad quam appellationem Constantinus imperator sic respondit : O rabida furoris audacia ! sicut in causis gentilium fieri solet appellationem interposuerunt. » (Opt. Milev., lib. I *cont. Parm.*)

Per hoc Melchiadis papæ judicium definitivum Cæcilianus omnibus est criminibus absolutus quæ in ipsum conjecerant Donatistæ, proindeque in Ecclesiæ communione perstitit, nullamque juris sui jacturam est passus. Quod ad ejus æmulos præter Donatum, principem auctorem sceleris, qui fuit depositus, alii omnes, mandavit pontifex, ut suas quisque dignitates ac sua munera retinerent, dummodo ab erroris opinione recederent. Quamobrem Augustinus ait hunc pontificem optimum, Christianæ se filium pacis et patrem Christianornm omnium demonstrasse. « Miltiadis sententia judicium clausum est his verbis : Cum Cæcilianum nec a Donata convictum esse in aliqua parte constiterit, suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo. » (Id., *ibid.*) « Miltiadis ultima est prolata sententia... Donato solo, quem totuis mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam fecit, cæteris paratus liberas communicatorias mittere... O virum optimum ! o filium Christianæ pacis, et patrem Christianæ plebis ! » (S. Aug, *ep.* 162.)

Ad hoc apostolicæ sedis judicium Augustinus remisit Donatistas tot ac tantis in disceptationibus quas cum iisdem habuit. Cumque ipsis probare constituit partes suas nihil omnino esse præter factionem schismaticam et ab Jesu Christi Ecclesia sejunctam, id posuit ob oculos, quod nempe in Romanæ Ecclesiæ communione non essent. Argumentum hoc firmum illi adeo videbatur, ut solitus esset dicere quod si e sanctis angelorum choris aliquis per hypotesim asseret ad partes Donati accedendum esse relictis catholicis, ipse angelus esset anathema. Catholicæ quidem partes, ait D. doctor, eæ sunt, ubi perpetuus episcoporum sibi invicem succedentium ordo invenitur post beatum Petrum, cui tanquam Ecclesiæ totius typum gerenti Redemptor ait : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Hac in perpetua successione pontificum impossibile est e Donatistis ullum præsulem invenire ; quibus cum origo non legitima sit in Africa, imitari student catholicam Ecclesiam, eque suis aliquem Romam mittunt, qui exiguum Afrorum numerum regat. En Augustini verba ipsa : « Si enim, inquit, ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, qui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam.* Petro enim successit Linus, Lino Clemens, etc. In hoc ordine successionis nullus Donatista episcopus invenitur. Sed ex transverso ex Africa ordinatum miserunt qui paucis præsidens Afris in urbe Roma Montensium seu Cuzipitarum vocabulum propagavit. » (Id., *ep.* 165).

II. Si occasione præsertim Donatistarum Augustinus demonstravit auctoritatem sanctæ sedis, tanquam centrum unitatis contra schismata, occasione potissimum Pelagianorum agnovit eadem in sede supremum judicem in rebus ad fidem pertinentibus contra hæresim. Constat primum adversus Pelagianam judicium fuisse latum in Africa. Hanc hæresim in Cœlestio damnarunt Patres concilii Carthagine celebrati redemptionis nostræ anno 412, unde insanissimum id caput ad apostolicam sedem provocavit. At quoniam hæreticus provocationem prosecutus haud fuit, aliquot inde annis Africani præsules contra eamdem hæresim pronuntiarunt, eamque iterum suis cum auctoribus damnarunt in concilii Carthaginensi et Milevitano. Utriusque concilii Patres per synodicas litteras a se lati judicii retulerunt rationes pontifici Innocentio primo. Milevitani scilicet, quibus Augustinus accensebatur, ad pontificem tanquam pastorem communem omnium perscripsere, et tanquam ei, cui summa et præcipua est potestas ad novas hæreses eliminandas, ad corrigendos errores eoque præfocandos, antequam coalescant. Potestatem hanc Romanis pontificibus ab Jesu Christo esse traditam, qui consilia eorum regere atque exaudire preces dignatur, iidem Patres fatentur. « Te, inquiunt, Dominus gratiæ suæ præcipuæ munere in sede apostolica collocavit.... Pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris ; nova quippe hæresis, etc. Ut ab eis corrigendis ne latius serpant.... Adjuvante misericordia Dei nostri Jesu Christi, qui te et regere consulentem et orantem exaudire dignatur, auctoritate sanctitatis tuæ, de sanctarum Scripturarum auctoritate depromptæ, » *etc.* (Id. *ep.* 92.)

Alia in epistola quam divus Augustinus et quatuor Africani præsules peculiarem dederunt ad ipsum pontificem, eidem significant muneris sui esse Pelagio, qui errorem deposuisse videbatur, diem dicere apud se, ut vel coram vel per epistolam doctrinæ suæ rationem redderet, hæresiarchæ huic, aientes, futuram majoris ponderis pontificiam auctoritatem quam cæterorum omnium universi rbis episcoporum. Sub finem epistolæ precantur ab eo veniam, si fortasse nimium prolixa ea sibimet videatur, fatentes se minime luci splendorem addere cogitasse, verum ab ipsius definitione cognoscere, utrum quæ ipsi sciremt ab eodem fonte originem ducerent, unde altissima ipsius sapientia emanabat. « A tua, sic loquuntur, veneratione acciendus est Romam, aut cum eo per litteras agendum.... Episcoporum catholicorum auctoritate, et maxime sanctitatis tuæ, quam apud eum esse majoris ponderis minime dubitamus.... Dabit sane nobis veniam suavitas mitissima cordis tui quod prolixiorem epistolam fortassis quam velles tuæ misimus sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus, sed... utrum etiam noster, licet exiguus ex eodem, quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc a te probari volumus. » (Id., *ep.* 95.)

En quæ sancto ex isto doctore suppetunt testimonia quoad rescripta pontificis tam conciliis quam epistolis laudatis.

l enim, ait libro primo contra Julianum. otuit vir ille sanctus Africanis respondere , nisi quod antiquitus apostolica sedes, et cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia? » la 106 : « Ad omnia nobis ille (Innocentius) t eodem modo quo fas erat atque oportebat æ sedis antistitem. » Et infra : « Novellum iosum errorem sic ecclesiastica auctoritate sum, ut multum miremur esse alhuc quos- per quemlibet errorem gratiæ Dei conentur , si tamen hæc gesta didicerunt. » Et alibi : ntes ad nos perducite. Jam enim de hac o concilia missa suntad sedem apostolicam ; m rescripta venerunt. Causa finita est, utiuando finiatur error ! Ergo ut advertant moıt instruantur docemus, ut mutentur ore- ldem *de verb. Apostol.* serm. 2, in fin.)

ıdum œcumenicam ad synodum appellandi ıdo cœpta erat ? Audiamus hac de re Augu- « Quid est quod dicunt ? De simplicibus s sine congregatione synodi in locis suis se- extorta subscriptio est ? Aut vero congregaıodi opus erat, ut aperta pernicies damnare- asi nulla hæresis aliquando nisi synodi conne damnata sit, cum potius rarissimæ tur propter quas damnandas necessitas talis t ; multoque sint atque incomparabiliter uæ ubi exstiterunt, illic improbari damnaeruerunt ; atque inde per cæteras terras æ innotescere potuerunt. Verum istorum hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut illos Orientis et Occidentis synodus congrerbem quippe catholicum quoniam Domino tente pervertere nequeant, saltem commoıantur, cum potius vigilantia et diligentia i post factum illis competens sufficiensque ı, ubicunque isti lupi apparuerint, confent, sive ut sanentur atque mutentur, sive iorum salute atque integritate vitentur. » .2 *epist. Pelag.*, l. 4, in fine.)

ıs idem doctor eadem de re ait Juliano : bi eam partem orbis sufficere debere, in qua apostolorum suorum voluit Dominus gloriomartyrio coronari. Cui Ecclesiæ præsidentum Innocentium si audire voluisses, jam ·iculosam juventutem tuam Pelagianis lauisses. » (Id. lib. I *cont Julian.* cap. 2.)

ıtur nequissimis iis nominibus ex Augustino quum, post latam ab apostolica sede sen- præter detestationem criminum ac pœni- « Et hæc exsecrabilia damnata tenentes ıantes, adhuc insuper flagitant audientiam, mnati debeant agere pœnitentiam. » (Id. *pist. Pelag*, lib. I in fine.)

ırca provocationes ad sanctam sedem quoad ıdos mores, referam quidquid Zosimo, Boıc Cœlestino pontificibus Augustini ævo act in Africa hac de re. Provincia isthæc Occi- Ecclesiæ moleste admodum ferebat se subjici ıde patriarchalis suæ jura detractabat. Di- ·lius : Afri potius de judicii genere atque æ exsecutione disceptabant in causis appel- , quam de jure supremi tribunalis, quod ıedi nunquam in discrimen vocarunt. Per- ı est consultationum congregationumque eonmam fuisse pontificem maximum deprecari os ne imposterum mitteret, ad cognitores nodo in rem præsentem renuntiaret, qui ejusmodi transigerent causas, neque amplius pateretur ut sæcularibus magistratibus exsecutio sententiæ mandaretur.

Id Augustinus impense orat Cœlestinum pontificem, ut sibi permittat in Antonii Fussaliensis causa, qui comprovincialibus ab episcopis propria e sede pulsus decretum ab apostolica sede impetraverat : quod, tametsi conditionale tantum erat, tamen vim minabatur, ut exsecutioni mandaretur adversariorum ingratiis. Præterea longe ut D. doctor jus apostolicæ sedis in controversiam vertat, fatetur potius firmatque exemplis quampluribus judiciorum, quæ seu lata, seu confirmata fuerunt ab eadem sede. Hujus rei testimonia ipse profero ad Cœlestini pontificatum, ex epistola quam hunc ad pontificem dedit, vetustæ editionis 161, recentioris autem 209.

Cæterum S. Augustinus non modo suprema jura sanctæ sedis agnovit, veneratus tuitusque est, verum etiam quotiescunque fuit opus, pontificum ipsorum vindicem gessit acerrimum. Neque tamen rationem habuit nullam discriminis hominem inter atque pontificem. si quid misera eorum vitæ privatæ conditio noxæ alicui fuisset obnoxia. At posteaquam ministerii honorem sanctissimi omnique majoris exceptione vindicavit, famam tuetur ipsius ministri, qui omnium maxime nequam hominum hæreticorumque calumniis est obnoxius. Suo loco dicimus quidquid Donatistis ipse respondit, dum Ecclesiæ objectarent pontificem Marcellinum, Marcellum, Melchiadem ac Sylvestrum persecutionibus succubuisse. Videmus suis in libris adversus Pelagianos quam belle pontificem Zosimum a censoria ea nota vindicat, quam stultissima ea capita eidem inurere conabantur quoad suæ auctoritates exercitium pro asserenda hæresi quam profitebantur. « Sed si (ipsissima S. doctoris verba sunt), quod absit, ita fuisset de Cœlestino vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in illis et cum ipsis papa Innocentius damnaverat, approbanda et tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset prævaricationis nota Romanis clericis inurenda. Nunc vero cum... Zosimus Cœlestium se purgare molientem ad consentiendum supradictis sedis apostolicæ litteris (*quas Africanis Ecclesiis perscripserat Innocetius*) crebra interlocutione constrinxerit, profecto quidquid interea lenius actum est cum Cœlestio servata duntaxat antiquissimæ et robustissimæ fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quod ab eodem sacerdote postea Cœlestius et Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululum intermissæ, jam necessario præferendæ severitatis fuit, non prævaricatio prius cognitæ vel nova cognitio veritatis... Quomodo igitur ab istis fidei desertoribus et oppugnatoribus gratiæ Romani clerici prævaricationis arguuntur sub episcopo Zosimo, quasi aliud senserint in damnatione posteriore Cœlestii et Pelagii quam quod sub Innocentio in priore senserunt ? Quia utique cum in litteris venerabilis Innocentii de parvulis, nisi baptizarentur in Christo, in æterna morte mansuris catholicæ fidei clareret antiquitas, profecto Ecclesiæ Romanæ prævaricator potius esse quicunque ab illa sententia deviasset ; quod, Deo propitio, quoniam factum non est, sed ipsa constanter repetita Cœlestii et Pelagii damnatione, servata est, se intelligant esse unde alios criminantur, et aliquando a fidei prævaricatione sanentur. » (Id. *contra duas epist. Pelagian* lib. II, capp. 3 et 4.)

12 CHARTA CORNUTIANA

Sive donationis quam obtulit ecclesiæ Cornutianæ Fl. Valia Q. Theudovius.

BLANCHINI OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Charta hæc documentum est publicum donationis quam ecclesiæ Cornutianæ confert Fl. Valia Q. Theudovius V. illustris cum enumeratione supellectilis et fundorum eidem ædi sacræ attributorum. Signata est *Consulatu Leonis perp. Augusti quinto, collega Probiano*, nempe anno æræ Christianæ 471, ut editores doctissimi præclari illius documenti observarunt. Si cum illa charta conferas Prænestinam inscriptionem, insculptam anno Christi 930, sub Gregorio PP. quarto, ab eodem Suaresio editam Prænestis antiquæ lib. II, c. 7, pag. 146, et a nobis recusam in præfatione tomi primi hujus editionis, numero 50, videbis per quinque illa sæcula inter utrumque monimentum inclusa solemne fuisse bona tam mobilia quam immobilia ecclesiis donata, eadem ferme consuetudine quam servant in Vitis pontificum huic tempori æqualium Romanæ sedis bibliothecarii. Addit Mabillonius dignam eruditissimo viro observationem, nempe memorari inter cætera dona ecclesiæ Cornutianæ collata *Librum Comitis* ; unde constat ante ann. Christi 471, fuisse hujusmodi librum absolutum et ad usum cleri adhibitum.

Sufficeret hoc unicum et antiquissimum documentum publica auctoritate signatum ad illustrandam et confirmandam historiam, et catalogos bonorum mobilium et immobilium, ecclesiis nostris attributorum sub singulis ferme pontificibus Satis itaque videbatur consultum auctoritati hujusce partis historiæ biographorum sub uno Anastasii nomine hic censitorum, si unum aut alterum documentum ejusmodi donationum et regestorum produceremus. Verum omittenda sine piaculo non foret alterius præclari monumenti memoria. In SS. martyrum cœmeteriis via Salaria sitis an. 1726 detectum fuit a fossoribus eminentissimi cardinalis Marefoschi, cubiculum sacris imaginibus antiquitus depictum ; et compluribus SS. martyrum corporibus refertum, quorum sanguis in vitreis vasculis, de more affixis cæmento ad eorum loculos, admoto lumine conspicuus redditur ; et insuper instructum marmoreis inscriptionibus, quarum una indicat ex nota consulatus qui pertinet ad annum 340 æræ communis, Christi fidelem cujus loculum occludebat ibi depositum fuisse quadriennio post obitum beati Silvestri, per hæc verba.

SEMVESTINO ALOM D. V. ID IAN ACYNDINO ET PROC. CONSS.

Semvestino Alomno (Alumno) *deposito quinto Idus Januarii Acyndino et Proculo consulibus.*

Si quis priorem syllabam SEM disjungendam putet a cognomento Vestini, et interpretetur constaresigli exprimentibus SEm *piternæ* memoriæ, vel etiam SEMno Vestino (voce deflexa ex Græco ΣΕΜΝΟΣ *venerabilis*, ut non raro observantur in Christianis inscriptionibus sæculi quarti et subsequentium Græca vocabula Latinis permista et insita), utatur arbitratu facultate qua maluerit. Poterit etiam SEM intelligi nomen Hebraicum Vestini, sive nomen familiæ SEMpronio VESTINO ; nam et apud Fabrettum ex cœmeterio B. Castuli Inscript. pap. 555. numero 25, legitur CARTORI. VESTINO QUI DECESSIT. IN. PACE. etc.

Quocunque modo exponatur appellatio Vestini, eam nihil moror. Id unice observandam propono hac in epigraphe, depositionem scilicet hujus Christiani viri contigisse quadriennio tantum evoluto post B. Silvestrum in eodem Priscillæ cœmeterio conditum die 31 Decembris, Julio Constantio et Albino coss., nempe desinente anno æræ Christianæ 335, quem Constantius et Albinus signarunt. Inde enim ad Kalendas Januarii anni 340, quas aperuerunt coss. Acyndinus et Proculus juxta omnium fastorum laterculos anni in solidi tantum numerantur.

Præter hanc inscriptionem ibi repertum est alterius fragmentum proximius attingens depositionem B. Silvestri, cum signatum sit nota consulari Feliciani et Titiani, nempe anni 337. Ita autem legitur.

Con | STANTIE CONSTANTIUS S. DEP. XVI. KAL. DEC.
| FELICIANO ET XX. TITIANO CONS.

Complementum tabulæ majoris subsequentis. Vide textum Blanchini, col. 977.





Dispositio igitur partium hujus cubiculi sacris mysteriis ibidem celebrandis parati sub postremis persecutionibus, cum ætatem Silvestri tam proxime attingat, complura nobis insinuat quæ mirifice comprobant et illustrant scripta per Bibliothecarium in Vita Silvestri et successorum; et idcirco inter Prolegomena visum est eamdem proponere. (*Tab* I.)

Concameratio cubiculi adversum aperit ingredientibus fornicem, cujus interior recessus in angusta hujusmodi area imitatur quodammodo basilicarum absides, quemadmodum et fornicis ipsius structura comparari potest arcui basilicarum presbyteriis imposito, quem, ut a majoribus accepimus, appellamus triumphalem. Ætas Constantino suppar hunc præ cæteris ornare consuevit sacris imaginibus, præsertim Christi Domini inter apostolos considentis. Hoc certe diagramma primariæ omnium ecclesiæ, nempe basilicæ Salvatoris, a Magno Constantino fundatæ in Lateranis sub Silvestro papa, nobis exhibet Bibliothecarius num. 36: « Hujus, inquit, temporibus fecit Constantinus Augustus basilicas istas, quas et ornavit. Basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona: Fastigium argenteum battutile, quob habet in fronte Salvatorem sedentem in sella in pedibus 5, pens. libras 102; duodecim apostolos in quinis pedibus, qui pensaverunt singuli libras nonagenas.

Exemplum Silvestri et Constantini subsequentes ætates nunquam oblitæ non modo in abside ejusdem basilicæ Lateranensis, sed etiam in camera triclinii ejusdem patriarchii a S. Leone III constructi, quæ superest, Christum Dominum et apostolos duodecim etiam musivo opere exhibuerunt. In reparationibus autem basilicæ eosdem apostolos musivo expressit sub imagine Salvatoris in concameratione absidis Nicolaus papa quartus anno 1291; et novissime Clemens XI, decessorum vestigiis inhærens, beatos apostolos, fundamenta novæ civitatis Jerusalem in navi ecclesiæ primaria totidem sub ædiculis sive loculamentis ab Innocentio decimo eodem consilio structis solido ex marmore ad colosseam amplitudinem exciso per sculptores ætatis nostræ præcipuos jussit elaborari, certatim conferentibus symbolam piissimis principibus ad decorandam basilicam omnium principem sacris hujusmodi imaginibus juxta morem ævi Constantiniani.

Non secus in Vaticana peractum novimus tum prisca, tum nostra ætate; cum duodecim apostolorum imagines totidem columnis vitineis mpositas ad coronandum presbyterium Gregorius III collocaverit, teste Bibliothecario num. 194, quorum figuris musivo pariter opere compositis ornari voluit Sixtus papa quintus absidem amplissimam a se fundatam; frontem vero basilicæ a se constructam Paulus, ejus nominis pariter quintus, colossis Christum Dominum et duodecim apostolos exprimentibus decoravit.

Par dispositio legitur ac videtur in basilica S. Pauli via Ostensi, quam a terræmotu concussam beatus Leo tertius cum renovaret ex narratione Bibliothecarii num. 380 et 381, servata veteri forma: *In nave*, inquit, *quæ est super altare imagines aureas obtulit Christi Domini et apostolorum Petri et Pauli*, recentius vero Honorius papa III in tribunali seu camera presbyterii, Christi Domini et duodecim apostolorum imagines opere musivo de more compactas restituit.

Verum consuetudinis tam receptæ et confirmatæ plura ne conferamus exempla, satis superque fuerit indicare Altaris pontificii cultum in solemnitatibus anni præcipuis hoc unico ornamento constitui sanctorum sciliet apostolorum statuis sub imagine Domini crucifixi collocatis, non secus ac rogatu beati Xysti ejus nominis tertii, Valentinianus Augustus num. 65, *obtulit imaginem auream cum duodecim portis et apostolos duodecim et Salvatorem in gemmis pretiosissimis ornatam super confessionem beati Petri apostoli*, neque aliter ac in Græcorum Pontificalibus sacris Christi Domini ac duodecim apostolorum A imagines foribus sanctuarii, sive προθύρῳ imponuntur. et accensis cereis facibus redduntur conspicuæ.

Placuit scilicet Ecclesiæ catholicæ in sacris solemnibus muneris pontificii Sacerdotem æternum secundum ordinem Melchisedec regio cultu in throno considentem exhibere, ejusque regni consessores apostolos et quodammodo συνθρόνους; repræsentare, utpote in duodecim sedibus cum eo judicantes duodecim tribus Israel, hoc est universam credentium Ecclesiam, ex quo communicato cum illis jure sui regalis sacerdotii constituit e piscatoribus principes super omnem terram. Imago autem expressior completæ in Christiana Ecclesia hujusmodi prophetiæ tum maxime affulsit, quando in pace ipsi reddita sublatis persecutionibus licuit sub Constantino successoribus in thronis apostolorum episcopis ad œcumenicas synodos convenire, et judicia orbis terrarum publice exercere, ac de divinis humanisque rebus B ita decernere, illo cæteris præsidente, quem vicaria potestate sua fungi præ cæteris voluit, ut ratum esset in cœlis quidquid hujusmodi judicio in terris pronuntiaretur. Tunc inquam oraculi istius promissio completa ac manifestior cum evasisset, utpote oculis Orientalium et Occidentalium regionum exposita, illius quoque imaginem dedicari tum maxime par fuit in sacris ædibus, ubi regium majestatis suæ thronum inter mortales statuere dignabatur Redemptor noster, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra. Thronos igitur apostolicos hinc inde divinum stipantes et coronantes sive cum imaginibus apostolorum a quibus fundati sunt, sive cum mysticis figuris seniorum Apocalypseos Agni thronum ex propriis sedibus ita adorantium solemne fuit appingere ex ætate Constantiniana tam basilicis in pace Ecclesiæ excitatis, quam cubiculis cœmeteriorum, eisdem basilicis de proximo præludentibus in fine persecutionum; uti cognoscimus ex hac memorabili cella viæ Salariæ in cryptis S. Hermetis, seu C Priscillæ cœmeterio affinibus, quam ex sepulcralibus fidelium inscriptionibus liquet quadriennio a depositione Silvestri ad sepulturam Christianorum abhibitam et frequentatam eorumdem sacris mysteriis.

Perspectum est ex Historia Eusebii lib. IX, cap. 2, ipso Constantino imperante una cum consorte dominationis Licino, Maximinum in Oriente non minus utrique eorum quam nostræ fidei infensum tale indixisse bellum sacris Christianorum ac templis ubique dirutis et solo æquatis, ut in cryptas cœmeteriorum confugere ipsis necesse fuerit ad sacra mysteria peragenda. Ita nempe renovanda esse censuit edicta Diocletiani et Maximiani, quibus paulo ante sævitum fuerat contra religionis nostræ cœtus et sacras ædes ad synaxim paratas: *ut persecutio*, inquit, lib. VIII cap. ult. *cum ab ecclesiarum eversione sumpsisset initium, postmodum subsecutis vario tempore rectorum infestationibus, longe ulterius* D *progressa sit.* Quin etiam post initas cum imperii consortibus pacis simulationes tranquillum Ecclesiæ statum ne semestri quidem integro passus est permanere (*lib.* IX, c, 2): *Dumque ad subruendam pacem nihil non molitur, primum quidem nostros e conventibus* (συνόδου) *qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu arcere conatus est.* Fiebant igitur in cœmeteriis constante persecutione Maximini in Oriente, et per illa intervalla pacis, sacri Christianorum conventus in martyrum cœmeteriis, quedmadmodum et Romæ peragebantur tyrannidem exercente Maxentio, ejusdem æquali et prototypo, ut idem Eusebius observat.

Verum divina Christi virtus ubi tyrannos delevit et ad nihilum redegit (quemadmodum in dedicatione ecclesiæ apud Tyrum sublatis persecutionibus memoratum fuisse scribit Eusebius Hist. Eccl. lib. X, cap. 4, pag. 374) *amicos et familiares suos apud omnes non mortales modo, verum etiam cœlestes po-*

s evexit. Ita ut apostolis ab ipso Dominatore
t terræ judiciorum veluti assessoribus desi-
, sedium quoque suarum, quas in terra eo
inte fundaverant, successoribus judicandum
terrarum in synodis œcumenicis traderet;
ante vetabantur a tyrannis vel subter cryptas
occultos cogere, invitabantur jam ab Augustis
nium provinciarum ac nationum synodos
e celebrarent. Jure igitur spectaculum adeo
lum, divinitus reservatum ætati ac pietati
ntini ætatis, ejusdem pietas tum cryptis im-
t, quarum ab ingressu paulo ante arceban-
tum basilicis quas triumphali cultu paulo
ccitavit.

prosequamur sacri hujus cubiculi partes in
ie perlustrare, quæ gestis eorumdem tempo-
fferunt lucem non modicam. Ut igitur cogno-
ius in apostolorum thronis sedes ad iisdem in
undatas et successoribus cum jure episcopa-
iditas significari, subtus fornicem eisdem se-
coronatum visitur imago Pastoris boni oves
itis, hoc est pastorum Principis Christi Do-
cujus ad exemplum pastores populorum ab
nstituti formari debent; atque ita præesse
sibi concreditis, ut subesse tamen debeant
oves et agnos a pastorum Principe vica-
testate regendos suscepit, ut sint unum ovile
s pastor.

ato sub fornicis tegumento deposita visuntur
re fidelium Christi corpora, sed præcipue
rum martyrum, quorum indicationes ex appo-
nguinis vasculo sub ipsa Pastoris boni pictura
xtraxit curator sacrarum reliquiarum, nec-
loculamento inferiori, altaris in morem con-
, cujus supra mensam seu marmoream tabulam
loculum occludentem sacrificium offerri a
ianis consuevisse innumera Ecclesiæ moni-
probant, et cum iis B. Augustinus testatur
o VIII de Civitate Dei, cap. 27: « Nec tamen
iquit, iisdem martyribus templa, sacerdotes,
t sacrificia constituimus, quoniam non ipsi,
us eorum nobis est Deus. Honoramus sane me-
eorum tanquam sanctorum hominum Dei,
que ad mortem suorum corporum pro veri-
rtarunt, innotesceret vera religio, falsis reli-
us fictisque convictis; quod etiam si qui an-
tiebant, timendo reprimebant. Quis autem
t aliquando fidelium stantem sacerdotem ad
ETIAM SUPER SANCTUM CORPUS MARTYRIS AD
MOREM CULTUMQUE CONSTRUCTUM dicere in
us: Offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule,
priane, cum apud eorum memorias offeratur
ui eos et homines et martyres fecit, et sanctis
ngelis cœlesti honore sociavit, » etc. Huic
mæ Augustini expressioni respondet alia
a sub boni Pastoris effigie et supra martyris
m mensamque altaris in pariete colorata, ubi
pueris in fornace Babyloniæ unius Dei
a constanter asserentibus apparet angelus Dei;
icet intelligamus divinitatis testes seu Christi
es honore cum angelis sociari ab Ecclesia
sacris litteris cum Augustino edocta id sen-
profiteri.

i etiam ex epistola B. Cypriani ad S. Lucium
scripta in persecutione Decii et Valeriani
patriarchales Urbis basilicæ legunt in festo
m S. Lucii PP) constat quomodo figura trum
um aptaretur constantiæ confessionis Roma-
pontificum. Quare in Romanis martyrum
frequens occurrit.

ris frontem quam dicimus loculamentum illud
uit, in quo tres figuræ depictæ sunt. Media est
s sarculo suo hujusmodi in clivo loculamenta
itis, in quo cryptæ cœmeterii apertæ sunt.
at autem V. C. dominus Joannes Marango-
sacrorum cæmeteriorum peritissimus, has
crytas pertinere posse ad illam partem cœme-

A terii Priscillæ via Salaria, cui nomen inditum legimus, *Ad clivum Cucumeris*: qua de re consulendi Aringhius, Severanus et Boldettus, diligentissimi duces hujus sacræ topographiæ. Altera figura feminam stolatam exhibet vas vitreum gestantem semiplenum sanguine, collecto scilicet ex corpore martyris, aut spongia ex loco martyrii, quemadmodum Prudentius describit, aliique proximæ ætatis auctores a laudatis sacrorum Cœmeteriorum scriptoribus passim producti. Tertia denique figura refert mulierem talari veste decenter indutam perinde ac secunda; plures coronas ex frondibus floribusque compactas manu gestantem corbe pariter frondibus et floribus pleno propius collocato. In martyrum enim tumulatione ac translatione, præter colobia a beato Eutychiano decreta, substratas fuisse frondes ac flores cognoscimus ex Augustino; a quo etiam accepimus consuetudinis causam a Prudentio quoque indicatam, ut scilicet inspersi rore sanguinis pro
B Christo fusi, aut contactu corporis sacri pro Christo occisi, flores, et frondes, ac brandea excitarent fidelium animos tanquam pignora communis fidei ad martyrum virtutes imitandas, et patrocinia apud Deum conquirenda, opemque divinam impetrandam: cujusmodi expertum narrat episcopum Lucillum in translatione reliquiarum protomartyris Stephani, et piam feminam ab episcopo Projecto receptis floribus in vectatione ejusdem adhibitis a cæcitate liberatam (S. Aug. *de Civit. Dei*, lib. XXII, cap 8).

Observent alii prægrandia ejusmodi vasa vitrea qualia in manibus alterius figuræ sanguinem martyrum deferentis iudicavimus, amplitudinis scilicet sesquipalmaris ac bipalmaris, hoc in cœmeterio non semel occurrere; quorum vestigia et impressiones calci loculos occludenti adhæserunt, crustis vitreis inauratis ibidem adhuc conspicuis. Unum vero præ cæteris observandum in alio cubiculo non longe ab ingressu cryptarum effosso sub
C fornice arcuato, eique simillimo quod descripsimus, cujus diameter tripalmaris indicat vas illud amplissimis lancibus exæquatum: fortasse ad ministrandum in plenis fidelium conventibus, quos in hoc cœmeterio celebratos in postremis persecutionibus comprobat late patens area ædificii, ejusdem cœmeterii ad ingressum constructi et graphice delineati ab Aringhio lib. IV, cap. 37, præfixo nomine S. Silvani cum S. Bonifacio ibi olim depositi. Hæc, inquam, aliis observanda relinquimus, ut ea quæ ad argumentum a nobis assumptum spectant unice perstringamus, scilicet regale Christi sacerdotium ab æterno Pontifice secundum ordinem Melchisedech suis apostolis communicatum eorumque successoribus, liberam pompam suæ dignitatis explicuisse his etiam signis a pacifico Salomone Ecclesiæ sponsæ suæ traditis per cathedras seniorum apostolica fundatione in antris persecutionum erectas, et in pace Ecclesiæ per Constantinum parata sublimius erectas ad regios
D thronos basilicarum. Episcopales vero throni orbi universo magnificentius expositi in synodis œcumenicis, quemadmodum a Christo Domino potestatem obtinuerunt, ita a pietate principum accessione regalium insignium cumulati ejusdem majestatem ubique regnantem, et quasi scabellum pedum suorum orbem terræ subdentem legatis a se constitutis declaraverunt. Consulares igitur sellæ, trabeæ, laticlavia ministris Christi certatim oblata sunt a principibus, uthumili pastorum pallio et piscatorum pannis substernerentur. Sacræ altarium mensæ aurum et argentum potorium ab Augustis tricliniis passim contributum, ut pretiosa quæque supellex humani fastigii dedicaretur in veræ divinitatis cultum sub novo fœdere, non secus ac profana Ægyptiorum spolia in tabernaculi ornamentum sub veteribus tabulis convertebantur. Hinc igitur emanat longa illa series donariorum apud biographos pontificios in singulis ferme Vitis proprium elenchum attexens et enumerans, præter omnis generis vasa in basilicis ac titulis


PRAESES


PRAESES CONSILII


FL·ANASTASIVS·PAVL·PROBVS·
SAVINIANVS·POMP·ANAS^T.
V·INL·COM·DOMEST·EQVIT
ET·CONS·ORD

vestes auro argentoque textas, coronas ac pensiles fibulatoria gemmata, senato-
ios, triumphantium palmatas ac imperan-
puram qua episcoporum, qua sacerdotum,
tarum capiti, pedibus, humeris, pectori,
ppensa, veluti spolia præclarissimorum in
munerum eleganter composita in tropæum
risti, sacerdotum humeris ad hanc arcem
ierusalem importatum.

o locus daretur opportunus enumerandi
a singula levitica, sacerdotalia et pontifi-
ros in usus rite deducta partim ab imita-
inæ institutionis sub Veteri Testamento,
x apostolica traditione sub Novo, aut ex
i successorum pontificum et conciliorum in
esiæ nitidius explicantium mysteria pote-
hristo Domino sibi et Ecclesiæ attributæ,
quam, daretur hic opportunus illa ipsa
idi. Sed modus brevitatis Prolegomenis im-
ire per singula non permittit, præsertim
ide peti possint a liturgicarum rerum scri-
eritioribus, et sacræ antiquitatis exposito-
ræque origines et incrementa rel vestiariæ
hicos Ecclesiæ ordines pertinentis, de qui-
ihil attigimus infra in notis ad S. Zosimum.
im contulit ad hæc illustranda eruditus in
riptor P. Alexander Wilthemius soc. Jesu
in suo *Dypticho Leodiensi ex consulari fa-
ali*. Plura congerenda suppeterent ex no-
brationibus de mitra, pallio, seu Phrygio
i, sacrisque vestibus, olim parata prelo in
ne sacri corporis B. Leonis Magni, nec ta-
. Verum materies cum sit par operi justæ
er opuscula Prolegomenis inserenda locum
. Unicum ex iis seligam adnotatum ad illu-
historiam ac indicium potestatis significatæ
m et Phrygium pontificale : quod primus
cum referat a S. Marco pontifice attribu-
opo Ostiensi, utpote prædito jure conse-
ntificis Romani, aliaque monumenta eccle-
loceant transmissum fuisse beato Cyrillo
a S. Cœlestino papa, ut Ephesinæ synodo
ie præsideret, et ab aliis Cœlestini succes-
ncessum primatibus pallium et metropoli-
iomassinum *Vet. Discipl.* parte I, lib. II. cap.
iam insigne potestatis collatæ supra com-
mi aut provinciæ episcopos : alii vero con-
Alexandrinorum pontificum pallia ita esse
edis illius fundationi, ut mos in illa Eccle-
it ipsum beati Marci pallium singulis suc-
s in ipsa consecratione induendi ; hæc om-
m ac Phrygium episcopale innumeris quæ-
subdunt.

nnes dissolvi posse autumo conspectu
ntiquarum imaginum quas ex Romanorum
picturis Camillus cardinalis de Maximis
git, in lectissimo illius cimeliarchio com-
unum codicem, elegantissime delineatum
ariorum Apelle Petro Sancte Bartoli. Duo
unm Romanorum concilia his in picturis
r (*Tab* III *et* III). Singulis præsidet concilii
adjecto dignitatis titulo PRAESES in uno,
ro PRAESES CONSILII. Hic vero *præses* a
inibus discriminantur ornamento singulari
circa collum, humeros ac pectus, non sel-
lia sacrorum antistitum, præsertim vero
i, quasi, in morem *fasciæ latioris*, quæ
anos *Laticlavii* nomen obtinuit, et in com-
etiam clypeatis imagi ibus Antoninorum
subsequentibus, quandoque pura, quan-
am acu picta seu phrygiata exprimitur :
nsularibus diptychis a Constantini ætate
e exhibetur acu variata et phrygiata, quem-
spectare licet in imagine, quam appono
s ex Wilthemio excusa (*Tab* IV) apud quem
que diptychon Bituricense simili ornatu
epræsentat, quemadmodum et in diptycho
regii cimeliarchii Magni Ducis impresso a senatore Philippo Bonarroti in eruditissima Appendice ad vitreas imagines cœmeteriorum, et in aliis, ab eodem indicatis, nempe ex regum Franciæ Gaza antiquaria a domino du Cange editi in dissert. de inferioris ævi numismatibus, et in Divionensi domini de Mare, a D. de Partival. inserto libro *de Utilitate itinerandi*. Universa hæc monumenta Romanorum sculptura aut pictura efformata nobis insinuant, illas *pectorales fascias* primum fuisse *limbos* seu *clavos purpura contextos* et assutos oræ togarum, unde *prætextæ* togæ magistratibus majoribus datæ dicuntur etiam stante republica et sub Cæsaribus XII, sæculo autem proximo, scilicet Antoninorum, *latioris clavi* togæ attexendi usus invaluit, præsertim qua parte pectori et humeris circumfusa toga decenter in sinus complicabatur. Progressu temporis (puta sub Treboniano Gallo et consecutis imperatoribus) *Phrygiati operis fasciæ*, *limbi*, *clavi*, assuebantur togæ palmatæ consularis processus, uti nummi complures probant cum hujusmodi insignibus Triboniano, Gallo, Aureliano, Probo, Carino Diocletiano, Maximiano ac Licinio cusi, præsertim integerrimi quos asservat Gaza antiquaria eminentissimi cardinalis Alexandri Albani, et ostendunt diptycha superius indicata, quæ a consulibus distribuebantur, et amicis transmittebantur tanquam apophoreta in memoriam gesti magistratus ac munerum editorum.

Rursus perspectum est nostros Christianos antistites, tum in Oriente, tum in Occidente, tam intra Romani imperii fines quem extra, præter civilia corpori indumenta quæ nationum usus communis ferebat et moderatio professionis nostræ approbabat, philosophicis non dissimilia (puta pallia, sive homophoria communia, quæ etiam mafortes ævo sequiori dicta sunt, et birros laneos, et vulgares tunicas), habuisse quædam insignia sacerdotii sacris tantum usibus adhibenda, ex divinis litteris utriusque Testamenti, Pentateucho scilicet et Apocalypsi ut plurimum deducta, quæ munditia et simplicitate et parandi facilitate commendarentur. Quorum aliqua attigimus in notis ad R. Zosimum ; ita Jacobus apostolus usus dicitur ab Eusebio vestibus lineis et frontali lamina seu petalo, quem etiam Joannes in Asia gestasse traditur. Pallia sive homophoria et birri pastorales ac dalmaticæ in Actis Cypriani memorantur et tunicæ trabeatæ sive fasciis quibusdam distinctæ visuntur in vetustissimis sacrorum cœmeteriorum imaginibus ex vitreis laminis ubi apostoli repræsentantur et viri apostolici. Hæc vero monimenta comprobant *palliorum oras et tunicarum capitia* sive insertiones colli, non secus ac *Aaronis humerale* instructum *capitio textili*, *loris ac tæniis sacerdotalibus*, quæ etiam adhibebantur ad frontalem laminam Dei nonine inscriptam *cidari* colligandam, quædam ornamenta constituisse pontificum Christianorum, circa humeros præsertim et pectus, quæ reducto supra caput *capitio birri sacerdotalis* etiam *mitræ* specimen referebant ; quod possem non solum dictis, sed etiam vetustis imaginibus comprobare.

His igitur indicationibus compendiariis munerum pontificiorum deductis ab institutione sacrarum litterarum et a communi nationum cultarum usu non abhorrentibus, insignia Christiani sacerdotii etiam prioribus Ecclesiæ sæculis constituebantur. Quare in musivis imaginibus basilicæ Liberianæ, per Sixtum tertium circa initium quinti sæculi curatis, quarum icones exhibentur in notis ad ejus Vitam, sacerdos Dei summi Melchisedech *pallio* et *capitio purpureis limbis lemniscato, et pectoral fibula gemmata* supra sternum astricto ornatus exhibetur, non secus ac imagines pontificum nostrorum in basilica S. Pauli eodem quinto sæculo procedente sub Leone Magno depictæ, et icon Pii ejus nominis primi in cœmeteriis martyrum multo ante colorata, cujus typum excudimus in ejus Vita, necnon beatorum Damasi et Sixti, e vitris cœmeteriorum delineatæ, quas hic

producimus, *tunicis ejusmodi capitiisque ac pallis clavatis*, sive phylacterio, limbo, clavo seu fascia ornatis et pectori astrictis per *fibulam rationali Mosaico* non dissimilem, et ab ea quæ in Romana Ecclesia ab episcopis cardinalibus necnon a summo pontifice adhiberi etiam hodie consuevit vulgo dicta *Formale*, decoratæ conspiciuntur



Assutæ igitur *institæ* sive *taeniæ*, nec non lamina et bracteæ *birris mundioribus laneis*, sive *palliis apostolicis*, et *capitiis sacerdotalibus*, a fronte in occiput et collum ut plurimum rejectis in ministrando, simplicem illum ac facile parabilem cultum et insigne hierarchiæ episcopalis constituebant prioribus sæculis. Quando vero post pacem Ecclesiæ partam religiosa principum munificentia magnifica insignia regiæ majestatis offerre voluit in obsequium ac testimonium *regalis sacerdotii Christiani*, præsules apostolici ita prospexerunt devotis offerentium studiis in gestatione pretiosorum amictuum filis aureis intextorum, quales etiam Macario Hierosolymitano Magnus Constantinus transmisit, Eusebios teste in ejus Vita ; ut veterum suorum nusquam obliti, quorum præstantiam supra cæteros optime noverant, palmatis consularibus et augustis trabeis semper imminere voluerit *crucis Dominicæ regale signum*, et *vittas* illas suas *laneas* indices pastoralis mysterii ac potestatis a Dea sibi collatæ. Has quoque ipsas ut accommodarent faciliori plebis Christianæ captui, quæ ex imitatione communis consuetudinis magistratum hierarchiæ nostræ ordinem expedite perciperet, curarunt illas ita disponere *circa oras palliorum*, collum, brachia et pectus decenter circumplectentium, ut ratio ipsa gestandi a *laticlavio* præsidem non differret in eo præsule, qui cæteris auctoritate et jurisdictione præcelleret. Hujusmodi igitur *pallii ubique gestandi* facultas soli Romano pontifici competit universa in Ecclesia primatum beati Petri obtinenti. Cæteris autem episcopis patriarchalia jura sive metropolica exercentibus intra certos fines suarum diœceseon, exarchatuum et provinciarum, gestatio illius ornamenti concluditur eodem limite quo jurisdictio singulorum. Quando autem contigit delegatione Romani præsulis extra fines diœceseos, exarchatus aut provinciæ suæ proficisci ad præsidendum mittentis nomine sacris conciliis œcumenicis, quemadmodum contigit Cyrillo, per delegationem Cœlestini papæ profecto ad præsidendum Ephesinæ synodo, tunc nullum congruentius insigne transmitti potuit quam *fascia illa pontificalis pallii*, quæ et *Phrygium* appellata est licet lanea simplicique textura crucibus insignita constet, ex quo contextis auro stolis, per Christianos principes oblatis ad decorationem regalis sacerdotii, ita aptari cœpit, ut oculis populorum assuetis *præsidem concilii, provinciæ, aut regionis* ex simili cultu noscere, statim indicaret eumdem a pontifice dele-

gatum vices præsidendi extra suos fines exercere illius nomine que delegabat et ubique præsidet.

Hæc obiter indicata sufficient ad aliqua delibanda de origine, disciplina et augmento sacrarum vestium, præsertim vero pontificalium Christiani sacerdotii, quantum. satis est attigisse in Prolegomenis. Nam illarum singulas prosequi diligentius et conferre Orientales et Occidentales, præcedentes donaria principum cum subsequentibus, spissi voluminis materiem præstat, nec pauca requirit additamenta iconum vetustarum, quæ sine gravi typographi expensa incidi minime possunt.

A Illi tamen grave non erit, quandoquidem versamur in re vestiaria, ut nostris sumptibus tum alia hic inserta, tum monimentum perrarum ex æneo sigillo proferam, dono mihi datum ab immortalis memoriæ Præsule et eruditæ antiquitatis laude, ac morum suavitate et integritate non minus quam generis nobilitate præstante Leone Strozzio; cujus iconem ad archetypi mensuram diligentissime incidi curaveram, non modo ut rem vestiariam veterum excolerem, sed etiam ut historiam Constantini Magni et Sarmatarum Langobardorumque eisdem affinium illustrarem.



Vetus Sigillium æneum palmaris magnitudinis, effossum in Urbe, exhibens Militem. aut Ducem portarum, tum oris in lineamentis tum corporis cultu. Vestes thoraci et artubus valde adstrictæ morem imitantur Sarmaticum : consutæ vero ex institis (quales videmus hodie geri ab Helvetiis prætorianis) et interula lare manicata, nunc etiam retenta ab Hungaris Illyricis, ac finitimis populis, produnt usum Langobardorum. Paul. Diac. lib IV, *cap.* 23. *Clara in dextera, et manubrium bipennis Amazoniæ in sinistra, tela sunt familiaria nobilibus Polonis, qui eadem appelant Buchecann et Bardis ; olim vero fuerant Langobardorum Principis aut regis Autharit ex eorumdem historia apud Paulum Diaconum lib.* III, *cap.* 31 *Constantini Maximi nummus in pectore vicitur : et indicat fortasse dona militaria, ab eodem data Scythis et Sarmatis imperio additis. aut fœderatis, post eam partam Victoriam auspicio Crucis Dominicæ, quam Eusebius retulit in ejus. vita.* IV, *cap.* 5, 6 *et* 7. *Cujus propterea numisma reddimus, Crucem obtendens in ara, a victoriis coronata.*

Vetus igitur sigillum æneum, palmaris amplitudinis modum implens (si crura non fuissent deperdita), exhibet militem aut ducem barbarum tum oris in lineamentis, tum in corporis cultu. Vestes, thoraci et artubus valde astrictæ, morem imitantur Sarmaticum in columna Marci Antonini expressum. Sed hic consutæ sunt non squammis ut in columna Marci Aurelii, sed *institis* seu *fasciis*, quales videmus hodie gestari ab Helvetiis prætorianis. Interula vero, laxe manicata, nunc etiam retinetur ab Hungaris, Illyricis ac finitimis populis. Secunda hæc ratio indumenti prodit usum Langobardorum a Paulo Diacono descriptum lib. IV, cap. 23, ex pictura quam Theodoricus, Gothorum rex, in palatio Modoetiæ a se constructo efformari jusserat. « In qua pictura, inquit, manifeste ostenditur quomodo Langobardi eo tempore comam capitis tondebant, vel qualis illis vestitus qualisque habitus erat. Siquidem verticem usque ad occipitium radentes nudabant, capillos a facie usque ad os demissos habentes, quos in utramque partem dividebant. Vestimenta vero eis erant laxa, et maxime linea, qualia Angli-Saxones habere solent, ornata institis latioribus vario colore contextis. »

Mistus hac in icuncula recognoscitur usus Sarmatarum in vestibus corpori astrictis, et Langobardorum in tonsura capillorum anterius usque ad os descendentium (qualem etiam in Gothis ex Sidonio Apollinari lib. I, epist. 2, observant Academici Palatini Mediolanenses in editione Pauli Diaconi loco indicato suæ præclaræ collectionis rerum Italicarum tomo primo, pag. 460), necnon in laxe manicatis lineis interculis, sive indusiis et in multiplicibus institis, sive fasciis supra lineas interulas corpori universo actrictis. Arma quoque hoc in sigillo expressa fuerunt a Langobardis ac Sarmatis promiscue usurpata, quin etiam hodieque a mobilibus Polonis Sarmatiam incolentibus adhibentur. Clava in dextera et manubrium bipennis Amazoniæ in sinistra pendens tela sunt familiaria nobilibus inter Polonos, qui eadem appellant lingua vernacula *Buchecann* et *Bardis*. Parvam securim inter arma gestabat Autharis Langobardorum rex, teste Paulo Diacono lib. III, c. 31, de Gestis Langobardorum. Fuerit itaque barbarus iste miles sive dux hoc in sigillo expressus e gente Sarmatis et Langobardis finitima, quam sibi Constantinus Magnus adjunxit et collatis donis locupletavit post victoriam Sarmaticam, et ad nostræ religionis, instituta capessenda sua munificentia ac pietate perduxit, uti legimus apud Eusebium paulo post afferendum. Idcirco etiam alium nummum Constantini Magni ex nostris cimeliis in eadem tabella sculpendum curavi (præter eum quem e collo suspensum tanquam niceterium icuncula ostendit) in quo victoriæ duæ exhibentur, coronam et scutum populi Romani votis inscriptum detinentes supra aram salutari crucis signo insculptam, ut insinuent religiosi principis expeditiones et victorias, necnon populi Romani vota, non spuriis uti antea numinibus suscepta, sed Deo vero et Salvatori nostro in aris ejus cruce insignitis oblata, fuisse directa ad fidei Christianæ cultum efferatis etiam in gentibus propagandum.

Non esset fortasse alienum ab elucidatione historiæ Pontificalis et Christianæ religionis latius extensæ per victorias Constantini Maximi, novam provinciarum ordinationem ab eodem principe institutam in Romano imperio considerare, et expendere num inde suborta sit mutatio aliqua in ecclesiastica partitione diœceseon præsulum Orientis et Occidentis. Verum hæc nos abriperent longius quam par sit ; cum proxime subsecutis gentium barbararum incursibus, civilis partitio regnorum et imperii Occidentalis desitio dominiorum vicissitudines longe diversas intulerit, quibus pariter expendendis peculiares tractatus deberentur. Præstat hanc spartam adornandam relinquere peritioribus, qui peculiari opere illustrare poterunt provincias singulas. Mihi vero hæc obiter indicanti satis fuerit specimen edidisse ad notas Vitæ Eleutherii in provinciis Britanniæ, quibus ætate Constantini nova partitio contigit in civili administratione, adjecta illa, sive illis, quas a nomine principis appellare placuit : *Flaviam Cæsariensem et Maximam Cæsariensem*, subdivisam deinde in *Valentiam*.

Temperandum igitur est ab hujusmodi excursu, et in breviori stadio sistendum, nobis aperto in hujus sigilli consideratione, Constantini victorias, et barbaros imperio associatos, necnon cultum vestium et ornamentorum ejusdem ætatis proprium exhibentis.

Porro Sarmatas fuisse a Magno Constantino devictos circa annum 324 non modo Eusebius aliique historici et chonologi, sed etiam ejus nummi testantur, inscripti SARMATIA DEVICTA. Victoriæ tamen suæ fructum præcipuum communicatum fuisse a magnanimo principe hostibus ipsis a se devictis testatur Eusebius lib. IV, de illius Vita, cap. 6 et 7, quos scilicet et intra fines Romani imperii recepit, et agris donavit, et idoneos militaribus copiis ascripsit : « adeo ut, inquit, feliciter sibi cessisse calamitatem suam ipsi faterentur, quippe qui barbaricam feritatem Romana libertate mutassent. Hac ratione Deus plurimas barbarorum gentes ejus adjunxit imperio. Quippe ex omnibus locis legati continue ad eum accedebant ; quæcunque apud ipsos pretiosissima habentur, dona ei afferentes. Adeo ut nos ipsi pro foribus palatii varias formas atque habitus barbarorum ordine stantium aliquando conspexerimus, quorum et vestitus et ornatus dispar erat, coma item et barba longe dissimilis. Torvus aspectus, et barbarus, ac terrorem incutiens, corporum enormis proceritas, » etc. Conspectus hujus icunculæ commentarius est optimus historiæ Eusebianæ. Sequitur historicus enumerans species a variis nationibus oblatas, coronas scilicet aureas, diademata gemmis conferta, vestes barbaricas auro et floribus intextas, equos, clypeos, hastas longas, sagittas, arcus. » Atque his donis, inquit, significabant obsequium ac societatem armorum offerre se imperatori si vellet. Ille vero a singulis oblata accipiens, ac seponens, tot tantaque eis vicissim donabat, ut momento temporis ditissimos redderet eos qui dona attulissent. Sed et ex eorum numero nobilissimos quosque Romanis dignitatibus ornabat, adeo ut plerique eorum, obliti reditus in patriam, hic apud nos manere voluerint. »

Barbarus iste princeps in æneo sigillo expressus nummum Maximi Constantini vultu ac nomine signatum gestat in pectore, donarium scilicet consecutus, et fortasse inter illos nobilissimos referendus quos Romanis dignitatibus ornabat. Perpendent alii num appensio numismatis et niceterii ejusdem de collo instar torquis, collata cum gemma musei Odescalchii Constantinum ipsum exhibente cum pensili ex collo orbiculo Christi Domini monogrammate inscripto, quam a Petro Sancte Bartholi incisam vulgavit excell. Brachiani dux cum pluribus sui cimeliarchii, olim regi Christinæ Suecorum reginæ, et cum nummis filiorum Cæsarum ejusdem principis Labarum præferentibus, eisdem litteris consignatum, et ad iisdem Cæsaribus custoditum, pertineat ad insignia *quinquaginta illorum*, quos e numero Protectorum delegerat ad salutare illud signum servandum ac præferendum ; quandoquidem et in Ravennati musivo Justiniani, a pluribus edicto, nempe a Cangio, Ciampino aliisque, protectores illi scutum gestant Christi monogrammate insignitum ; num vero designet fœderatum imperio principem, cum consuetudo gestandæ pensilis e collo imaginis Romani imperatoris perducta sit etiam ad Justinum Seniorem, a quo memorat Joannes Malala in sua Chronographia sub Justiniano

ejus filio scripta (*pag.* 435) Laziorum regem Ztathium, Persarum jugo excusso, Constantinopolim profectum et sacro fonte lustratum cum Christianæ religioni nomen dedisset donatum fuisse « diademate regio more Romano, chlamyde alba holoserica, pro purpureo clavum aureum regium habente, cujus in medio sigillum fuit στηδάριον imperatoris Justini expressam referens imaginem. Tunicam quoque albam paragaudiam » παραγαύδιον στιχάριον quam eruditi notarum editores probant, ex Simone Thessalonicensi, esse etiam vestem sacerdotalem, et ex Trebellio Pollione in Claudio, Parthicam, quæ loris aureis succingebatur), « gestabat aureis pro more regio clavis adornatam, et ipsis etiam imperatoris effigiem præseferentibus. » Aureos hujusmodi clavo seu limbos tunicis assutos pro regio more episcopis diaconisque et subdiaconis post oblationes principum ab Ecclesia adjectos regium Christi signum, crux scilicet, *a qua regnavit*, condecorat, jure prælata imaginibus Augustorum, quæ in Laziorum regis tunica Justinus aliique principes in suis donariis ad fœderatos missis impresserant; cum et ipsi Augusti, exemplo Constantini edocti, regiæ stolæ suæ imposuerint divinum Christi monogramma, videndum in pectorali ornamento Justini ac Justiniani numismatibus insculptum. A Vestium istarum consideratio nos facile adduceret ad sacerdotalis hierarchiæ nostræ insignia sigillatim exponenda, et voces plurimas, quæ barbaræ videntur in Anastasio, sed e fontibus indicatis Græco-Romanis deductæ sunt, exponendas, nempe *Paragaudes, de Crysoclavo, Periclysin de Starausi, de Tyrio, aut de blattea Byzantea* (num. 468, 469). *Crucem et Gammadias de Chrysoclavo* (num. 446). *Pallia holovera blatta cum tabulis auro tectis de chlamyde, vel de stola imperiali* (num. 85) et hujusmodi plures. A vestibus deinde procederemus ad vasa sacri ministerii, apud Anastasium pariter occurrentia, *amas argenteas et aureas*, *gabata electrina* (num. 85), *coronam pharan ante altare* (num. 64), *Crucem Diacopton* (num. 366) et similia. Sed contrahenda sunt vela, ne opusculum reddatur observationum appendix, et ex prolegomenis tractatus procudantur.

Chartam itaque donationis proferam additis inter B uncos castigationibus quæ in Bibliotheca Barberina leguntur partim impressæ, et has rotundo charactere typographus exprimet; partim ascriptæ ab erudito aliquo viro, fortassis ab ipso Suaresio, et has obliquo, seu *corsivo*, ut Italice vocant, reddi curabo.

CHARTA CORNUTIANA.

Exemplar authenticæ chartæ, unde colligere eam potuimus, ecclesiæ Cornutianæ, videlicet, ut divino ministerio subjecti, competentem possint et de loco C cui serviunt habere substantiam. Illico quoque decorum putamus ut luminaribus templum quotidie divinæ religionis ornetur, et ingruentibus præ temporum prolixitate, artis (sartum) tectum, reparationique sumptus hoc nostro munere collatus deesse non possit. Quibus rebus congruas procuramus expensas, ut obsequium nostrum possit propitiationem divinitatis mereri. Qua consideratione permotus, largior tenore præsentis paginæ ecclesiæ Cornutanensi massæ juris nostri a me ipso Dei favore et juvamine constitutæ, atque fundatæ, id est fundum paternum, Maranum, fundum montem paternum, fundum casam Martis fundum vegetem, qui est casa Projectici, et fundum Batilianum (excepta sigillosa filia Anastasii, et Pice (*imo picae*) Colono- D rum, quam juri nostro retinuimus atque retinemus). Provincia Picini (*Piceni*) Tiburtino territorio constitutos, puræ ac directæ liberalitatis titulo possidendos cum omnibus ad se pertinentibus, et cum omni jure instructo atque instrumento suo, sicut ipse possideo, cum omni scilicet onere professionis suæ, vel necessitate, quam certum est formesia (*formensia*) prædia sustinere. Donamus etiam eidem ecclesiæ solum in quo constituta est, cum area sua, et a prædicti Prætorii jure separamus, et ad faciendos hortos vel habitacula clericis custodibusque largimur, id est a cava arcus, qui mittitur ad Prætorium, et deinde per parietes, qui contra Prætorium redeuntes aream ecclesiæ claudunt, usque trans apsida, et de parietibus ipsis per sepem, quæ hortos inquilinorum, qui in Prætorio commanent, videtur munire, quæ sepis descendit per regam ante ad viam cavam, sive ad Torum, quæ redit usque ad arcum supra scriptum; ut inter sepem et viam cavam post apsida, supradicti clerici hortos possint habere. Præterea eadem largitate offero fundos, id est fundum Callicianum, casam novam, casam Prati, casam Marturi, casam Crispini, fundum Boaricum, et casam pressam in provincia Picini Tiburtino territorio constitutos. Retineo usum fructum in vita mea, eidem Ecclesiæ catholicæ proprietatem hujus epistolæ largitione transcribens, ea lege et conditione, ut cum etiam fructus post obitum meum capere cœperit, ac sibimet vindicare; non solum solemnem modo agnoscat fiscalium functionem, verum etiam propagationem formarum, quæ ab omnibus dominis hujusmodi prædiorum dependi consuevit. Impendo argentum quoque ad ornatum ejusdem ecclesiæ, vel celebritatem suprascripti mysterii sacrosancti, in his scilicet speciebus, id est patenam argenteam, calicem argenteum majorem I, calices argenteos minores II, urceum argenteum, hamulam oblatoriam, colum, thimiamatorion, pharum, cantharum argenteum cum catenis et delphinis XVIII, coronas argenteas IV, cum catenulis suis et delphinis VIII, cicindelas argenteas V cum catenulis suis. Stantarea (στηδάρια) argentea, et in confessione ostrea argentea II, cum clavi sua: quæ omnes species appensatæ habent ad stateram urbicam argenti pondo quinquaginta quatuor uncias. Septem pharos æreos: duos habentes delphinos octonos et hermo-

rias: cantharos æreos majores sex minores XII, et lilia ærea II, et stantaria (στηδάρια) ærea XIII, nec non et in palliis pallium holosericum agnaphum auroclavum I. Item pallium holosericum tetraphorum I, mafortem tramosericum, rhodomelinum aquilatum. Item mafortem e teleoporphyro tramosericum opus marinum; item alium (*pallium*) holosericum luritatum (*luricatum*); pallium Cassioticum, item pallium lineum Aquitanicum, et alia pallia linea quatuor.

Et pro aræ ora, vela tramoserica alba auroclava II, vela blattea auroclava paragaudata II, vela holoserica alba auroclava orthopluma II, vela tramoserica prasinopurpura II, vela tramoserica leucorhodina II, vela tramoserica leucoporphyra II, vela holoserica coccoprasina II. Item alia paratura holoserica vela blattea auroclava orthopluma II, vela tramoserica aquilata coccoprasina II, vela tramoserica holoblattea II, vela loricata (luricata) melinoporphyra uncinata duo, vela holoserica holoblata II, vela apoplacia (apoblacia sive ad ploblatea); coccoprasina cancellata rosulata duo; item vela aploblattea coccoprasina cantharata V. Item alia paratura, vela linea auroclava clavatura quadra, duo vela linea auroclava paragaudata clavatura rotunda II, vela linea paragaudata Persica clavatura coccomelina prasina II, vela linea paragaudata Persica clavatura leucorhodina II, vela linea blatoserica paragaudata II, vela linea blatoserica orthopluma II. Item vela linea pura XIV. Item ante regias basilicæ, vela linea plumata majora fissa numero tria. Item vela linea pura tria. Ante consistorium velum lineum purum I. In pronao velum lineum purum I, et intra basilicam proporticia (*pro porticibus*) vela linea rosulata VI, et ante secretarium vel curricula vela linea rosulata pensilia habentia arcus II. Item codices, Evangelia IV, Apostolum, Psalterium, et Comitem. Illico ante omnia cautione prospiciens ne me- A cum (quod absit) observatio cultusque ecclesiæ Cornutianensis videatur occidere, ut legem et conditionem ponerem donationi meæ, ne unquam cuilibet antistitum presbyterorum sibimet succedentium, vel clericorum quidquam ex his prædiis, vel hortis, vel speciebus argenteis, seu vestibus a me supra designatis, alienare in aliam quolibet titulo unquam liceat, aut certe sub occasione cultus divini ad alterius ecclesiæ ornatum qualicunque ex hac occasione transferre. Quod etiam in his observari eadem conditione volo, quæ futuro tempore fuerint provocatione nostræ devotionis adjecta, quoniam largitatis nostræ præsentis perpetuam præfatæ Ecclesiæ cupio pertinere substantiam. Quod si quidquam de alienatione a me prohibita fuerit forte tentatum, tunc B ego, vel hæres hæredesque sui, vel successor successoresve mei, vel qui illis deinceps successerint, universa quæ hujus donationis sunt tenore comprehensa, ad suum jus proprietatemque reducant: quoniam quod a nobis cogitatione venerandæ religionis oblatum, secundum legem et conditionem positam, licere non debet cuicunque personæ vel alterius ecclesiæ, vel prædiis cujuslibet deputare. Hanc autem scripturam donationis Feliciano notario meo scribendam dictavi, eique relectæ a me sine dolo malo manu propria subscripsi et gestis allegari propria voluntate mandavi, stipulantibusque venerabili viro presbytero, diaconibus universisque clericis memoratæ ecclesiæ de omnibus supradictis spopondi. Subscripta XV Kal. Maiarum, domno Leone PP. Augusto C quat. PROBIANO V. C. coss. Fl. Valia. Q. Theudovius V. C. et Inl. et comes et magister utriusque militiæ huic donationi a me dictatæ et mihi relectæ prædiorum omnium suprascriptorum argenti et vestium. servata et in perpetuum custodita lege et conditione quam eidem donationi imposui, consensi et subscripsi, salvo scilicet usufructu suprascriptorum agrorum, quem supra eadem mihi scriptura servavi.

NOTÆ.

Hanc chartam, quæ primum a Josepho Maria Suaresio ex archivo Tiburtino publicata est, hic denuo visum est recudere, et in capite omnium veterum instrumentorum apponere, tanquam antiquissimum monumentum, quod *Leone PP.* (id est perpetuo) Aug. quartum et Probiano V. C. coss., id est anno Christi 471 conditum est, ut ex Cassiodoro, Marcellino Comite aliisque fastis constat. In multis observatu dignis non leviter præterire licet id quod legitur de *Libro Comite*; qui Hieronymo ascribitur ante annos octingentos; certe auctorem Hieronymum æqualem, aut supparem habet, ex hac charta. MABILL.

Visum est aliquot voces ex oblatis vasis ac vestibus hujusce donationis interpretari, quæ in Bibliothecario frequentes cum legantur, lexici vices supplere possunt ad Vitas Anastasianas. In textu occurrunt juxta sequentes numeros.

I. *Hamulam oblatoriam. Hamula* sive *amula* diminutivum vocis *Hama* seu *ama*, indicat sequióris ævi scriptoribus *urceolum*, nostris vero ritualibus in libris adhibetur sæpius ad illum exprimendum, in quo aqua ad oblationem sacrificii vino admiscenda ministratur per subdiaconum; licet sumi etiam possit pro utroque urceolo vinum et aquam oblationis servante. Illius figuram ex veteri argenteo sacris imaginibus opere anaglypho exstantibus decorato, dedi in notis ad S. Urbanum, quas vide. Videndi quoque Altaserra et Bencinius in notis ad S. Sylvestrum, necnon Cangius in Glossario Med. et Inf. Latin. Panvinius in interpr. vocum obscurarum ecD clesiasticarum, edita una cum ejusdem supplemento ad Platinam de Vitis Pontificum, observat *amulam* et *amam* eadem significatione adhiberi etiam a vulgato interprete sacrorum Bibliorum in vertenda Græca voce φιάλας tertio Regum cap. VII, vers. 40. Quin etiam a Columella in cultu hortorum *hamulam* legi pro vase ad aquas continendas adhibito.

Aut habilem lymphis hamulam Bacchique lagenam.

Quare non tantum mediæ et infimæ, sed etiam germanæ Latinitatis vocabulum habendum et aquarium vas indicare.

II. *Colum.* « Hoc erat vasculum quoddam (ait Panvinius *loco laudato*) subtilissimis foraminibus ab imo perforatum, quo vinum ex hamulis in calicem refundebatur. » Idcirco ex lamina tenui ducebatur, quemadmodum etiam nunc in officinis aromatoriorum et similibus, ut per illa foramina exigua trajectus liquor omnem deponeret fæcem, ne scilicet ma-

teries liquoris in calice offerendi quidpiam fæculentum contineret. Ordo Romanus probat antiquitus adhibitum, tunc certe necessarium pro disciplina communicandi sub utraque specie, quæ copiosam materiem cum requireret ad consecrandum, cavendum erat ne in tanta affusione liquoris illaberetur in calicem quidpiam extraneum, animalcula, etc. Eadem de causa adhibebantur calices majores ac minores hic etiam memorati. Vide figuram colatorii seu coli in notis nostris ad S. Urbanum, num. 3 et 4, ex antiquo cimelio expressam.

III. *Pharum*, etc. Lampadem cui per catenulas inferne suspensus erat cantharus argenteus latior, ne scilicet ex lampade commota oleum excideret in pavimentum. Catenæ autem cantharum istum adnectentes lampadi per delphinum sigilla affabre elaborata eleganter sustinebantur, quemadmodum etiam catenulæ coronarum lampadis in morem appensarum ita infibulantur : *coronas argenteas* IV *cum catenulis suis et delphinis* VIII. Coronarum suspensio visitur in diptychis consularibus apud Cangium dissert. de inf. ævi numismatibus, et ante thronum episcopi in musivo Ravennati aliisque.

IV. *Cicindelas argenteas*. Species lampadum diversarum Panvinius recognoscit in hisce pharis, cantharis, cerostotis, coronis, etc. Ita enim scribit in lexico memorato sui additamenti ad Platinam : « *Phara* Damasus et Bibliothecarius Romanorum pontificum, et præsertim S. Silvestri Vita, *phara canthara, cerostata, coronas, delphinos, lychnos,* et *lynochos* pro diversi generis lampadibus et lucernis in ecclesiis ardentibus acceperunt. Et multis erudite collatis ad illustrandam voce *pharorum*, addit. « Cur autem pharus cantharus dicatur, haud certo scio, nisi in formam vasis magni factus fuerit in extrema parte. Nam poculum fuit quod Baccho tribuebatur, sicut scyphus Herculi dictus a cantharo, quod erat navigii genus. Plinius lib. XXXIII, cap. 11, refert Marium post victoriam. Cimbricam cantharis potasse Liberi Patris exemplo. Virgilius :

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Ulpianus tradit cantharos esse per quos aquæ saliunt. » Hæc Panvinius. Recte : nam patulis vasis utrobique liquor excipitur.

Cantharos igitur ansatos candelabro impositos constituisse pharacantara ex veteribus anaglyphis arguimus passim occurrentibus in zophoris templorum ad illustrandas ædes non solum ceris, sed etiam odorata mistura aliarum specierum flammam nutrientium, aromatum, balsami stactis, etc.

Pinguiori vero materie et ingrati odoris succo refertis vasis hodie passim collustrantur viæ in festis publicæ lætitiæ, vulgo dictis *padellæ*, quæ loco *pharacanthari* adhibentur sub dio.

Cicindelas quod attinet hic enuntiatas, Cangius ostendit, ex Festo, *cicindelas* appellari insecta illa parvula alata muscarum instar, quæ noctu per æstatem collucent, dicta etiam *noctulicas*. Ex illarum igitur similitudine ellychnia in vtreis lampadibus oleo innatantia cicindela dicta sunt, ac nomen communicarunt ipsis lampadibus et vasculo metallico quibus istæ lampades vitreæ includuntur.

Stantarea. Stantarea a stando denominata juxta eumdem sunt candelabra per se stantia.

In confessione ostrea. Recte idem auctor putat corrigendum esse mendum amanuensis, ac legendum *ostia*, valvas scilicet ad confessionem, sive in ingressu presbyterii appositas, nam sequitur *cum clavi sua*.

Et in palliis. Ab enumeratione vasorum sacri ministerii progreditur ad vestes et primum recenset sacerdotales, *pallia* scilicet et *mafortes*. Deinde *vela* quæ prætenduntur altari, et regiis basilicæ foribus, et consistorio, et in pronao, et ante secretarium. Facile constat legenti illarum vestium differentias ac nomina peti vel ex materia serica, aurea, unde intexuntur, vel ex texturæ forma, sive addito clavo seu limbo purpureo, aureo, sive ex figura ejusdem clavi quadrata aut rotunda, modo ex regionibus unde afferebantur : quare dicuntur pallia Aquatanica, et Cassiotica, et vela Persica ; sive ex coloribus quibus imbuebantur : albo, rosaceo, seu rhodomelino, et leucorhodino, blatteo seu purpureo (nam ϐλαττιον Græcis est conchilii genus, notantibus Cangio et Macro), prasino et coccoprasino, coccomelino, aquilato, ac similibus. Quid sit paragaudis dixi supra *col.* 993 occasione icunculæ æneæ institis seu fasciis præcinctæ, quæ numisma Constantini Maximi præfert pectori affixum, esse scilicet fasciam latiorem seu clavum aureum pro regio more aptatum tunicæ, pallio nec non aliis vestibus ac velis, unde paragaudis nomen illis quandoque obvenit. Nec dissentiunt lexicographi. Macer. *Paragaudis, fascia sive laticlavi species serico et auro contexta, qua vestium extremitates ornabantur : ex Cod.*

Paragaudes purpureas violacei coloris albo pallio et albæ tunicæ rite adjunctas ostendit imago Melchisedech regis et sacerdotis a S. Sixto tertio in musivo Liberianæ basilicæ expressa, cujus typum infra damus in notis ad ejus Vitam. In ejusdem basilicæ musivo arcus triumphalis per eumdem Sixtum pariter efformato scribæ Judæorum et sacerdotes, qui Herodi interroganti de loco ubi Christus nasceretur Scripturas prophetarum ostendunt indicantes Bethlehem, pallia pura præferunt, nullis assutis clavis, sed tantum pectori affibulata, ut in ejus musivi icone per nos ibidem allata spectandum exhibemus.

Pauca hæc indicata occasione chartæ Cornutianæ satis fortasse fuerint ad obsoletas illas voces vasorum ac vestium in hisce Vitis memoratorum intelligendas, aut saltem ad cognoscendum nullum admodum in Bibliothecario occursurum ex hujusmodi vocabulis, cujus significatio in Lexicis Cangii ac Macri non reperiatur.. Quare nec Panvinianum recudere necesse ducimus, nec diutius his immorari. BLANCHINI.



Imago Beati Petri
Principis Apostolorum
Ætate Sancti Silvestri in Ecclesia Romana asservata
ut in Epistola Hadriani I ad Carolum M.
quam ita expressam
in Musivis Basilicæ Liberianæ a Sixto III,
ac in Tit. SS. Praxedis, et Cæciliæ a Paschali I,
et a Pontificibus Successoribus
per vetustas icones, et Bullarum signacula,
diligenter delineavit et incidit
Petrus Rotari Nobilis Veronensis
Romæ anno MDCCXXVIII.



Imaginis S. Pauli Apostoli
Ætate B. Silvestri in Ecclesia Romana custoditæ
ut ex Epistola Hadriani I lecta in Syn. Nicæna II
lineamenta peræque expressa
in Musivis Liberianæ Basilicæ sub Xysto III
ac Titulorum S. Praxedis et S. Cæciliæ sub Paschali I
aliisque vetustissimis iconibus, et Bullis Pontif.
accurate consectatus incidit
Petrus Rotari Nobilis Veronensis
Romæ anno MDCCXXVIII.

ANASTASII

ABBATIS

ET ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTERI ET BIBLIOTHECARII

HISTORIA

DE VITIS ROMANORUM PONTIFICUM.

(Auctor hujus Libri Pontificalis fere omnia sua mutuatur ab auctore secundi Catalogi (Reginæ Suev. et Colb.) *quod indicamus in textu charactere Italico ; illa vero quæ charactere Romano excusa sunt, aliunde auctor desumpsit ; ut quæ habet de martyrio apostolorum anno 38 post Christi mortem et de ordinationibus a Petro et Lino peractis.* (EDIT. PATROL. *ex notis a Schelestr.*)

(In notulis ex margine editionis Fabrotti collectis, * indicat codicem Velseri collatum cum Vaticano ; B, lectiones ex codd. card. Baronii ; B, ex ejusdem cardinalis sententia ; C, ex Conciliis editis per Surium.)

I. SANCTUS PETBUS APOSTOLUS.

ANNO CHRISTI 45, CLAUD. IMPER. 3.

1 Beatus Petrus, apostolus et princeps apostolorum, *Antiochenus* [a], *filius Joannis, provinciæ Galilææ, vico Bethsaidæ, frater Andreæ* [b]. Primus sedit cathedram episcopatus in Antiochia annos septem. *Hic* [c] *Petrus ingressus in urbem Romam sub Nerone Cæsare* [d], *ibique sedit cathedram episcopatus annos viginti quinque,* mensem unum, dies octo [e], *Fuit autem temporibus Tiberii Cæsaris et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis* [f]. [g] *Hic scripsit duas Epistolas quæ* Catholicæ [h] *nominantur, et* [i] *Evangelium Marci, quia Marcus auditor ejus fuit et filius ejus de baptismo* [j]. *Post omnem quatuor Evangeliorum fontem, quæ ad interrogationem* et testimonium ejus, *hoc est Petri, firmata sunt, dum alius Latine, aliusque Græce, et alius Hebraice consonant* [k], tamen [l] ejus testimonio sunt firmata. *Hic martyrio cum Paulo coronatur* post passionem Domini annis triginta octo [m] *qui sepultus est via Aurelia in templo Apollinis, juxta locum ubi crucifixus est, juxta palatium Neronianum in Vaticano,* juxta territorium triumphale, in Kalendas [n] Julias. Hic fecit ordinationes per menses Decembrios : episcopos VI, presbyteros X, diaconos VIII.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Petrus annis vinginti quinque, mense uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris, et Caii, et Tiberii Claudii, et Neronis : a consulatu Vinicii et Longini usque Neronis et Veteris [*Ms. Bucherii habet Nervæ et Veri*]. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julias consulibus SS., imperante Nerone.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *T.* I *Concil deest* Antiochenus. [b] *Vide Baron tom. I Annal., anno* 39. [c] hinc. [d] *C et B,* Claudio. [e] *B,* ann. 24, m. 5, d. 11. [f] *B, Claudii et Neronis.* [g] *Vide Bar an* 45 et 68. [h] C, et canonica. [i] *Vide Baron an.* 41. [j] a bapt. [k] *C,* Hebr. scribentes. [l] *C,* omnia. [m] *Baron ad an.* 69. [n] *C,* III Cal. [o] *C.* epis. 3, diac. 7.

VARLÆ LECTIONES.

es variæ a Fabrotto additæ extra inem ex codicibus Marquardi Fre- 1 primo, B secundo.

. *lin.* 4, *A*, annis 6, *lin. ead.*, B, mens. 2, dies 5, B, quæ canonicæ. *lin.* 7, A, quæ post etc., firmatæ; *B*, formatæ. *lin ead*, *B*, Hic ordinavit duos episcopos, Linum et ui præsentialiter omne ministerium sacer- urbe Roma populo vel supervenientibus nt. Beatus autem Petrus orationi et prædi- populos erudiens, vacabat. Hic cum Simone ltas disputationes habuit, tam ante Nero- m ante populum, et quos B. Petrus ad fidem ggregabat, ille per magicas deceptiones at, et dum diutius altercarentur, Simon itu interemptus est. Hic beatum Clementum m consecravit, eique cathedram et Eccle- nem disponendam commisit, dicens : Sicut ernandi tradita est a Domino meo Jesu otestas ligandi et solvendi, et ego tibi com- ordinans dispositores diversarum causa- quos actus ecclesiasticus profligetur, tu mi- uris sæculi deditus reperiaris, sed solum- tioni et prædicare populo vacare stude. Post ositionem, martyrio cum Paulo coronatur. 1 *et* B, Diaconos 7.

m Fabrotti lectiones ex tribus codici- egio, Mazarino et Thuano excerptæ.

t. B. Hier [a] *deest inscriptio* : qua gesta sunt, *n. ib.* nostra sanctitas r. *in ora* : al. humili- iens. *Et mox*, quis meruerit, *etc. Epist. Da- Hieronymum : temporum sacerdotalium. Ve- n gesta P.*

, *in ora c. Maz.* : Liber iste intitulatur : de Gestis Pontificum. *Sed cum non potuerit ua tempora scribere, quod superadditum est, st auctoris, cujus nomen non teneo. Verum Gelasii papæ II quidam Pandolphus ostiu- mat se ista scripsisse, quod intelligi potest to opere usque ad sua tempora, vel de Vita antum, quod ex Vita Paschalis secundi con- cet.*

in cod. M. : Incipit series Pontificum Ro- n, qui in sede B. Petri apostoli ab ipso us- oc tempus sederunt. *Et in ora* : Dominus sus Christus I. Summus pontifex nascitur o Imperii Aug. annis 33, m. 3, in hoc nu- sit. trigesimo anno baptizatus. reliquum rædicavit. Post ejus passionem anno se- nuit Petrus apostolus in partibus Orientis m annis 4, deinde anno Domini 38 venit am, ubi sedit annis 7, d. 8 : deinde venit ubi sedit annis 25, m. 7, d. 8.

4, *lin.* 1 *deest* et *lin.* 2 : Ap. natione Gali- terra Bethsayda, filius Joannis, frater An- imus sedit in cathedra episcopali apud An- annis 7 ; fuit autem temporibus Tiberii Cæs. aligulæ, et Tib. Cl. et Neronis. *Lin.* 6, qui . et filius in bapt. Post omnium q. ad inter- em ejus testimonio. hoc est P. f. s. dum alius lius Hebraice, alius Latine consonent. *Lin.* rdinavit Romæ duos episcopos, Linum et ui præsentialiter omne ministerium sacer- urbe Roma populo vel supervenientibus nt. B. autem Petrus ad orationem et præ- m populum erudiens vacabat. Hic vero cum lago prius in Judæa, et postea Romæ tam nem imp. quam et ante populum multas ones habuit, et quos Petrus ad fidem Christi at, ille per magicas deceptiones segregabat. diutius altercarentur, Simon divino nutu tus est. Petrus vero sentiens diem mortis A sibi imminere, Clementem episcopum consecravit, eique cathedram vel Ecclesiam omnem disponendam commisit, dicens : Sicut mihi ligandi et solvendi tradita est a Domino meo Jesu Christo potestas, ita et ego tibi committo, ut ordines dispositores diversarum causarum, per quos actus ecclesiasticus dirigetur (*Maz*, profligetur) et tu minime curis sæculi deditus reperiaris, sed solummodo ad orationem et prædicationem populi vacare stude. Post hanc dispositionem, martyrio cum Paulo coapostolo suo coronatus est, post passionem Domini anno 39. Hic sedit in episcopatu Romæ annos 25, m. 2, d. 8. Sepultus est autem via Aurelia in templum Apollinis, juxta locum ubi crucifixus est secus palatium Neron. in Vatic. 1, ter. tri. III Kal. Jul. Hic fecit ordinationes per mensem Decem. episc. 6, pr. 10, diac. 8.

Ejusdem variæ lectiones ex codice Thuano altero.

B Incipit liber episcopalis, in quo continentur acta B. Pontificum urbis Romæ.

In ep. B. Hier. : Incipit ep. B. Hieronymi presbyteri ad beatissimum Damasum episcopum urbis Romæ. *ibid.* nostra humilitas, sentire cog. qui meruit. Rescriptio B. Damasi papæ ad Hier. p.D.e.v. R.II. p. sal. temp. sacerdotalis tamen q. g.

Num. 1. *lin.* 2, Vico Bethsaida. *lin.* 3, an. 7. Hic B. P. *lin.* 4, dies 3. *lin.* 7, filius de baptismo. *lin. ead.*, fontem. ad int. Petri firmatæ sunt. dum alius gr. al. heb. al. lat. consonet, t. e. t. sunt firmatæ. Hic ordinavit. *lin.* 12 III Kal. *lin.* 13, per mensem Decembrem, presbyteros 10. diac. 7, episcopos per diversa loca numero 3. Hic ordinavit.

Lectiones variæ V. C. Lucæ Holstenii studio excerptæ ex codicibus Italiæ præstantissimis, Vaticanis duobus, Florentinis duobus, Cassinensi, Regio et Farnesiano, editæ vero a V. C. Emmanuele a Schelestrate tomo I Antiquitatis Ecclesiæ, pag. 403 *et seqq. a quo etiam ea collata sunt cum vetustioribus Catalogis bibliothecæ Cæsarææ Vindobonensis, reginæ Sueciæ et Colbertinæ.*

C

Num, 1, *linea* 2 *Flor* 2, cathedram. *lin.* 4 *Flor. duo*, menses 2, dies 3. *lin.* 6, *Flor et Vatic.*, canonicæ. *lin.* 10. *Flor.*, 39. *lin.* 12. *Vat. et Flor.* III Kal. *lin.* 14 *Florent duo et Vat.*, diac. VII.

Lectiones variæ codicis Cavensis, excerptæ ab ill. præsule Francisco Penia, Romanæ Rotæ auditore, cujus autographum asservatur in bibliotheca Otthoboniana, ut docet hujus modi testimonium operi præfixum.

D « Prope Salernum in regno Neapolitano sita est » civitas Cavensis, et in ea insigne monasterium » ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinen- » sis, sub invocatione SS. Trinitatis In eo mona- » sterio antiquus liber vetustis characteribus scri- » ptus de Vitis pontificum Romanorum exstabat. » Hunc librum, instante D. Antonio de Aquino, » qui illum in eo monasterio invenerat, et D. Cæ- » sare Baronio petente, D. cardinalis Montaltus, » ejusdem ordinis protector, anno 1593 Romam af- » ferri jussit. Cumque ego Franciscus Penia, Rotæ » auditor, eumdem librum nactus essem, eum, ser- » vatis eisdem characteribus, transcribi mihi cura- » vi, et per me ipsum cum antiquo exemplari, in quo » sunt frequentes solœcismi, ob imperitiam fortassis » scriptoris, contuli, ut apparet in hoc libro. »

Hac præmissa notione, sequitur contextus libri, in quo primum occurrit Catalogus Pontificum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, fortasse assutus codici Anastasiano. Tum leguntur epistolæ duæ, B. Hiero-

epistolem exhibet editis Fabrotti ? deest in editione Romano Vaticana quam sequimur. EDIT.

nymi nomine ad B. Damasum, et Damasi papæ ad Hieronymum inscriptæ. Deinde sequuntur Catalogi infrascripti Pontif. Rom. a S. Petro ad Gregorium VII, unde conjectura suboritur de codicis ætate. In postremo Catalogo, servata codicis lectione, obscura ejus loca et vitia crassiora ex Baronio corrigenda adnotavimus.

INDICULUM *in quo loco unusquisque requiescit pontificum Romanorum.*

IN VATICANO.

I Petrus
II Linus
III Cletus
V Anacletus
*VI Evaristus
VIII Xystus
IX Telesfor
X Yginus
XII Pius
*XIII Eleuther
XV Victor
XLVII Leo
*XLVIII Simplicius
LI Gelasius
LII Anastasius
LIII Symmagus
LIV Hormisda
LV Johannes
LVI Felix
LVII Bonifatius
LVIII Johannes
LIX Agapitus
LXII Pelagius
LXIII Johannes
LXIV Benedictus
LXV Pelagius.
*LXVI Gregorius
*LXVI Savinianus
LVIII Bonifatius
LXIX Bonifatius
LXX Deusdedit
LXXI Bonifatius
LXXII Honorius
LXXIII Severinus
LXXIV Johannes
LXXV Theodorus
*LXXVII Eugenius
LXXVIII Vitalianus
LXXIX Adeodatus
LXXX Donus
LXXXI Agatho
LXXXII Leo
LXXXIII Benedictus
LXXXIV Johannes
LXXXV Conon
LXXXVI Sergius
LXXXVII Johannes
LXXXVIII Johannes
LXXXIX Sisinnius
XC Constantinus
XCI Gregorius
XCII Gregorius
XCIII Zacharias

IN CYMITERIO CALIXTI.

XI Anicitus
*XIII Soter
XVI Zeferinus
*XVIII Antheros
XX Pontianus
XXI Fabianus
XXIII Lucius
XXIV Stephanus

[a] In exempt. Peniæ mendose XLV.

A XXV Syxtus
XXVIII Euthiceanus
XXIX Gaius
XXXII Eusebius
XXXIII Meltiades

IN CYM. PRISCILLE VIA SALARIA

XXX Marcellinus
XXXI Marcellus
XXXIV Silvester
XL Siricius
XLV Celestinus
LXI Vigilius

AD SCM PAVLVM

L Felix

AD SCM LAVR

*XLIII Zosimus
XLVI Systus
B *XLVIII Hilarus

IN CYMITERIO CALOPODI VIA AVRELIA

*XVII Calistus
XXXVI Julius

AD SCAM FELICITATEM VIA SALARIA

XXXVII Liberius
*XLIII Bonifatius

AD VRSY PILEATV PORTVM.

XLI Anastasius
XLII Innocentius

IN PONTV IN MARI.

IV Clemens
*VI Alexander Mil. VI

VIA NVMENTANA.

*XVIII Vrbanus
*XVII Felix
C

VIA AVRELIA.

XXVI Dionisius
XXII Cornelius
XXXV Marcus in cym. suo via Ardeatin.
XXXVIII Felix, in cym. suo via portu
XXXIX Damasus in cym. suo via Arde
LX Silverius, in pontias
*LXXVII Martinus, in acersona

Numeros in codice Peniæ mendose iteratos, a nobis asteriscis notatos, corrigere potest ejusdem sequenti Catalogo

I Dom Petrus sedit annos XXV. mensem I, dies VIII
II Linus sedit annos XI, menses III, dies XII
III Cletus sedit annos IX, mensem I dies XI
IV. Clemens sedit annos IX, menses XI, dies X
V Anacletus sedit annos XI, mensem I, dies VII
D VI Evarestus sedit annos XIII. menses VII, dies II
VII Alexander sedit annos X, menses VI, dies II
VIII Sixtus sedit annos X, menses III, dies XXI
IX Telesphor sedit annos XI, menses II, dies XXII
X Yginus sedit annos IV. menses III, dies VI
XI Anecitus sedit annos IX, menses III, dies III
[a] XII Pius sedit annos XI, menses IV, dies III
XIII Soter sedit annos IX, menses III, dies XX
XIV Eleuther sedit annos XV, menses VI, dies V
XV Victor sedit annos X, mensem I dies X
XVI Zeferinus sedit annos XVII, menses III, dies I
XVII Calixtus sedit annos VII, menses II, dies X
XVIII Urbanus sedit annos VIII, menses XI, dies XII
XIX Antheros sedit annos XII, mensem I dies X
XX Pontianus sedit annos V. menses II, dies II
XXI Favianus sedit annos XIV, menses XI, dies XI
XXII Cornelius sedit annos III, menses II, dies X
XXIII Lucius sedit annos III, menses III, dies IX

V Stephanus sedit annos III, menses II, dies

' Syxtus sedit annos II, menses XI, dies VI.
'I Dionisius sedit annos II, menses III, dies VI.
II Felix sedit annos II, menses X, dies XXV.
'III Euticianus sedit annos VII, menses X, dies

'IIII Gaius sedit annos XI, menses IIII, dies 9.
Marcellinus sedit annos VI, menses II, dies

I Marcellus sedit annos V, menses VI, dies

II Eusebius sedit annos II, menses II, dies

III Meltiades sedit annos III, menses VI, dies

IIII Silvester sedit annos XXIII, menses X,

V Marcus sedit annos II, menses VIII, dies XX.
VI Julius sedit annos XI, menses II, dies V.
VII Liberius sedit annos X, menses III, dies

VIII Felix sedit annum I, menses III, dies II.
VIIII Damassus sedit annos XVIII, menses II,

Siricius sedit annos XV, menses XI, dies

Anastasius sedit annos II, dies XXVI.
Innocentius sedit annos XV, menses II, dies

I Zosimus sedit annum I, menses VIII, dies

IIII Bonifatius sedit annos III, menses V, dies

Celestinus sedit annos VIII, menses X, dies

I Syxtus sedit annos VIII, dies XVIII.
II Leo sedit annos XXI, mensem I, dies

III Hilarus sedit annos VI, menses III, dies X.
IIII Simplicius sedit annos XV, dies VII.
lix sedit annos VIII, menses XI, dies XVII.
elasius sedit annos IIII, menses VIII, dies I.
Anastasius sedit annum I, menses XI, dies

Symmachus sedit annos XV, menses VIII, dies

Hormisda sedit annos VIIII, dies XVII.
ohannes sedit annos II, menses VIII, dies

'elix sedit annos IIII, menses II, dies XIII.
Bonifatius sedit annos II, dies XXVI.
Johannes sedit annos II, menses IIII, dies VI.
I Agapitus sedit menses XI, dies XVIII.
ilverius sedit annum I, menses V, dies XI.
Vigilius sedit annos XVII, menses VI, dies

Pelagius sedit annos IIII, menses X, dies

I Johannes sedit annos XII, menses XI, dies

' Benedictus sedit annos III, mensem I, dies

Pelagius sedit annos X, menses II, dies X.
I GG. sedit annos XIII, menses VI, dies X.
II Savinianus sedit annum I, menses V, dies IX.
III Bonifatius sedit menses VIII, dies XXVIII.
I Bonifatius sedit annos VI, menses VIII, dies

Deusdedit sedit annos III, dies XXIV.
I Bonifatius sedit annos V, dies XIII.
II Honorius sedit annos XII, menses XI, dies

III Severinus sedit menses II, dies IV.
IV Johannes sedit annum I, menses IX, dies

A LXXV Theodorus sedit annos VI, menses V, dies XVIII.
LXXVI Martinus sedit annos VI, mensem I, dies XXVI.
LXXVII Eugenius sedit annos II, menses VIII, dies XXIV.
LXXVIII Vitalianus sedit annos XIV, menses VI.
LXXIX Adeodat. sedit annos IV, mens II, dies V.
LXXX Donus sedit annum I, menses V, dies X.
LXXXI Agath. sedit annos II, menses VI, dies III.
LXXXII Leo sedit menses XI, dies XVII.
LXXXIII Benedict. sedit menses X, dies XII.
LXXXIV Johannes sedit annos VI, dies IX.
LXXXV Conon sedit menses XI, dies XXIII.
LXXXVI Sergius sedit annos XIII, menses VIII.
LXXXVII Johannes sedit annos III, menses II, dies XII.
LXXXVIII Johannes sedit annos II, menses VII,
B dies XVII.
LXXXIX Sisinnius sedit dies XX.
XC Constantinus sedit annos VII, dies XV.
XCI GG. sedit annos XVI, menses VIII, dies XX.
XCII GG. sedit annos X, menses VIII, dies XX.
XCIII Zacharias sedit annos X, menses III, dies XIII.
XCIV Stephanus sedit annos V, dies XXIX.
XCV Paulus sedit annos X, mensem I.
XCVI Stephanus sedit annos III, menses V, dies XXVIII.
XCVII Adrianus sedit annos XXIII, menses X, dies XVII.
XCVIII Leo sedit annos XX, menses V, dies XVII.
XCIX Stephanus sedit annos VII, menses VII.
C. Paschalis sedit annos VII, menses V, dies XVI.
CI Eugenius sedit annos IV, menses II, dies XXIII.
C CII Valentinus sedit menses X, dies XL.
CIII GG. sedit annos XVI.
CIV Sergius sedit annos III.
CV Leo sedit annos IX, menses III, dies V.
CVI Ben. sedit annos II, menses VI, dies X.
CVII Nycolaus sedit annos IX, menses VI, dies XX.
CVIII Adrianus sedit annos V.
Johannes sedit annos X, dies II.
Marinus sedit annum I, menses V.
Adrianus sedit annum I, menses IV.
Stefanus sedit annos III, dies IX.
Formosus sedit annos V, menses VI.
Bonifatius sedit dies XV.
Stephanus sedit annum I, menses III.
Romanus sedit menses III, dies XXII.
Theodorus sedit dies XX.
Johannes sedit annos II, dies XV.
Benedictus sedit annos III, menses VI, dies XV.
Leo sedit dies XL.
D Xpoforus sedit menses VII.
Sergius sedit annos VII, menses III, dies XVI.
Anastasius sedit annos II, menses II.
Lando sedit menses VI, dies XXXVI.
Johannes sedit annos XIV, menses II, dies III.
Leo sedit annos VII, dies XV.
Stefanus sedit annos II, mensem I, dies XII.
Johannes sedit annos IV, menses X.
Leo sedit annos III, menses VI, dies X.
Stefanus sedit annos III, menses IV, dies XV.
Marinus sedit annos III, menses III, dies XIII.
Agapitus sedit annos X, menses VII, dies X.
Johannes sedit annos IX, menses III.
Benedictus sedit menses II, dies V.
Leo sedit annum I, menses II.
Johannes sedit annos VI, menses XI, dies V.
Benedictus sedit annum I, dies VI.
Bonus sedit annum I, menses VI.
Bonifacius sedit mensem I, dies XII.

Benedictus sedit annos IX.
Johannes sedit menses IX.
Johannes sedit menses IV.
Johannes sedit annos X, menses VI, dies X.
Gregorius sedit annum I, menses V.
Johannes sedit menses X et V I.
Silvester sedit annos IV, mensem I, dies IX.
Johannes sedit menses V, dies XXV.
Johannes sedit annum I.
Sergius sedit annos III.
Benedictus sedit annos XI, mensem I, dies XXI.
Johannes sedit annos IX, dies IX.
Benedictus sedit annos XIII.
Silvester sedit dies LVI.
Greg. sedit annos II, menses VI.
Clemens sedit menses IX.
Damasus sedit dies XXIII.
Leo sedit annos V, menses II, dies VII.
Victor sedit annos II, menses III, dies VII.
Stefanus sedit menses VII, dies XXIX.
Benedictus sedit menses IX, dies XX.
Nicholaus sedit annos II, menses VI, dies XXV.
Alexander sedit annos XI, menses VI, dies XXI.
Greg. sedit annos XII, mensem I, dies V.
Victor sedit menses IV, dies VII.
Clemens sedit annos XX, dies C.
Urbanus sedit annos XI, menses IV, dies XV.
Paschalis sedit.

Lando natione Sabinense ex patre Caino sedit annos VI, dies XXXVI.

Johannes nat. Ravenna ex patre Johanne sedit annos XIV, menses II, dies III.

Leo sedit annos III, dies XV.

Stephanus nat. Rom. ex patre Teudemundo sedit annos II, mensem I, dies XII.

Johannes nat. Rom. ex patre Sergio papa sedit annos IV, menses X.

Leo nat. Rom. ex patre sedit annos III, menses VI, dies X.

Stephanus nat. Rom. sedit annos III, menses IV, dies XV.

Marinus nat. Rom. sedit annos III, menses VI, dies XIII.

Agipitus nat. Rom. sedit annos X, menses VI, dies X.

Johannes nat. Rom. ex patre Alberico sedit annos IX, menses III.

Benedictus annum I, menses VI.

Leo natione Romanus protoscrinio ex patre Johanne protoscrinio de regione Clius argentarius; sedit annum I, menses IV; qui consecratus est per mensem Decembrio, [a] vivente prædecessore suo Johanne. Hic fecit ordinatione in eodem menses presbyteros VII, diaconos II, et cessavit episcopatum ejus: quo vivente Romani ordinaverunt diaconum papam unde obsessi sunt anima fame imperatore [b] unde tam famis penuria passi sunt, ut etiam modium furfuris venundaret XXX den.

Johannes episcopus Narniensis natione Romanus ex patre Johanne episcopo sedit annos VII, menses XI, dies V, et cessavit episcopatum qui prius fecit in exilium menses X, dies XXVIII, annuente Deo iterum recepit papatum, ideo dictum est iste XIV.

Benedictus natione Roman. ex patre Ildebrando, sedit annum I, menses VI. [c] Iste comprehensus a quo de Crescentio Theodoræ filius et in Castellum sancti Angeli retrusus, ibique strangulatus est propter Bonifatium diaconum quem miserunt vivente eo pp.

Dommus de Suti, [d] annum I, menses VI.

A Bonifatius [e] natione Romanus ex patre Ferruccio, sedit mensem I, dies XII.

Benedictus natione Romanus episcopus Sutrinus vocatus ex patre dd. sedit annos VII.

Johannes episcopus natus Papiæ, sedit menses VIII, quem iste supranominatus Bonifatius Ferruccii filius reversus a Constantinopoli ubi fuerat comprehendit supradictum Johannem papam ac deposuit et in castellum S. Angeli in custodia misit; et ibi custodire eum fecit, ibique infirmitate et famis inopia per IV menses acriter sustinuit, ac mortuus est, et ut fertur occisus est. Qui ipse Bonifatius post mortem ejus sedit menses XI, qui repentina morte interiit et in tantum eum odio habuerunt sui, ut post mortem eum cederent, et lanceis vulnerarent, atque per pedes traherent, nudato corpore usque in campum, ante caballum Constantini projecerunt atque dimiserunt. Ubi mane venientes clerici et videntes eum ita turpiter et dedecore jaB centem, cæsum et lanceatum, collegerunt et sepelierunt.

Johannes natione Romanus ex patre Leone presbytero de regione Albas Gallinas, sedit annos X, menses VII, dies X. [f] Iste exosos habuit clericos. propter quod et clerici eum odio habuerunt, et merito quia omnia quæ habere et acquirere poterat, parentibus suis distribuebat.

Gregorius natione Sardorum, ex patre Ottone sedit ann. I, mens V.

Johannes natione Græcus, sedit ann. X, τ. ω. f.

Silvester natione Aquitaniorum ex patre Agilberto sedit annos IV, mensem I, dies IX.

Johannes qui vocatur Sico, natione Romanus de regione Biberatica, sedit mens. V, dies XXV.

Johannes qui vocatur Fasanus, de regione secus porta Metrovi, sedit annum I.

Sergius, qui vocatur Os porci, natione Romanus, sedit annos III, dies XV.

C Benedictus natione Tuscalanus, ex patre Gregorio sedit annos XI, menses XI, dies XXI.

Johannes germanus ejus frater Alberici majoris sedit annos IX, menses IX.

Benedictus nepos illorum ex patre Alberico sedit annos XIV, menses IV, et ejectus est de pontificatu. et constitutus est in sede apostolica Johannes Saviniensis episcopus, cui posuerunt nomen Silvester.

Silvester, qui Johannes Saviniensis episcopus injuste tenuit cathedram pontificalem diebus LVI, et ejectus inde restitutus est prædictus Benedictus, et tenuit pontificatum mensem I, et dies XXI.

Et ille ipse eum dedit Johanni archicanonico sancti Johannis ad portam Latinam suo patrino. In die Kal. Mai. cui posuerunt nomen Gregorius. *Vide Baron. ad ann.* 1044.

Gregorius, qui vocatur Gratianus, qui etiam tenD nuit pontificatum annos II, et menses VI, et per imprm legaliter perdidit illum, et ductus extitit ab eo transalpinis partibus. *Hoc est in Synodo. Vide Baron. ad annum* 1046.

Clemens benignus, qui vocatur Sugerius, natione Saxonum, sedit menses IX, dies VII, prænominatusque Benedictus iterum est in pontificatum reversus: et tenuit eum menses VIII, dies IX, id est a festivitate sanctorum quatuor Coronatorum usque in festivitate S. Alexi.

Damasus, qui vocatur Poppo, natione Noricus, quod alio vocabulo Baviarius dicitur, sedit dies XXIII. et cessavit episcopatus menses VI.

[a] De intrusione Leonis vide Baron. ad an. 863, pag. 777, edit Rom.

[b] Legendum *a Nicephoro imperatore.*

[c] Vide Baron. ad ann. 972 et 974.

[d] Fortasse leg. *de Sutri.* Vide Baron. ad ann. 979.

[e] Intrusus ut infra in Joanne. Vide Baron. ad ann. 985. et ad 992, pag. 876, lit. D.

[f] Tempest. in Vit. Rom. Pont., impress. Romæ 1596. Vide Baron. ad ann. 992, an inter calumnias Gerberti sit hoc enumerandum.

natione Teutonicus, qui vocatus est Brunus, annos v, menses II, dies VII, et cessavit episconenses XI.

or, qui vocatur Gebeardus, natione Noricus, nnos II, menses III, dies XIII, et cessavit epiis dies VIII.

hanus, qui vocatur Fredericus, natione Logus, ex patre Gozolene, sedit menses VII, VIII, et cessavit episcopatus dies XI.

dictus, Billitensis episcopus, natione Romapatre Guidone, sedit menses IX, dies XX, qui as est a sede sua.

laus, qui vocatur Girardus, natione Allobros, lio vocabulo Burgundio dicitur, sedit annos II, VI, dies XXVIII ; et cessavit episcopatus mendies VIII.

ander, qui vocatur Anselmus, natione Longo, sedit annos XI, menses VI, dies XXV.

orius, qui vocatur Ildebrandus, natione Tux patre Bunico, sedit annos XII, mensem I, et

Sequitur manu R. P. Q. Peniæ hoc testimonium.

« Iste insignis liber per multos annos deperditus « extra monasterium fuit. Tandem rev. domino Ni« colao Antonio Murensi episcopo procurante, sacro « Cavensi cænobio restitutus fuit, tempore quo pater « dominus Chrysostomus de Neapoli ejusdem sacri « monasterii abbas existebat. regiminis vero sui « anno quinto, videlicet anno salutis 1516 die 18 « Novembris. »

Ex hoc igitur codice damus variantes lectiones.

Lin. 2, vico Betbsaida. *lin.* 5, et Gagi. *lid.* 8. quæ ad interrogationem. et t. e. h. e. P. firmate sunt. dum alius Latine aliusque Grece et alius Ebraice consonent, tamen ejus testimonio sunt firmate. Hic martyrio, ete. *tin.* 11, in templum Apollinis. *lin.* 12, III Kal. Julias. *lin.* 14 ; diaconos VII.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

a 1. — *Beatus.* Vetustiores Romanorum pon- catalogi sive editi, sive inediti, et libri Pons codices duplicem plerumque titulum et *beati, nini* soli Petro tribuunt ; in reliquorum no- designatione, et si primitivæ Ecclesiæ pontifirtyrii dignatione essent illustres, nudo sim- ie nomine eos signant. In titulo *beati* soli Pe- ponendo respexisse videntur ad Redemptoris n, quo post Dei Verbi confessionem *beati* ti- ohonestavit : *Beatus es Simon Bar-Jona* XVI,17). Ad quæ respiciens Basilius scripsit S. Petrus (orat. 3 de Pœnit.) *beatitudinem mpliorem cæteris omnibus adeptus est.* In No- m Testamento duo eo titulo cohonestantur, a, quæ divino afflata Spiritu dixit : *Ex hoc me dicent omnes generationes* (*Luc.* I) : et Redemptoris voce. Hinc vera origo vocis *dinis* et *beatissimi,* quæ pontificibus tribuitur bus et conciliis, sic ut antonomastice eo titulo abatur pontifex Romanus. Sic Mauricius im-, anno 590, Gregorium Magnum (in tomo III pag. 528) : *In quibus omnibus tuam beatitumilites ad illos transmisisse..... ut ad tuam dinem perveniant.* Quo titulo utitur passim s, et Hieronymus in epistolis ad Damasum. etiam Pontificalis infra in Adriano : « In ipso o ordinationis suæ direxit ad ejus beatitudios missos Desiderius Langobardorum rex. » septimo potiori jure et usu inductum, ut tiolius Romani pontificis esset. Unde Constanogonatus in epistola ad Donum, dum scribit reticorum conatu ad exturbandum Vitaliani nomen e sacris diptychis, ita scribit : *ut ejiVitalianus beatissimus de diptychis* (tom. III Harduini, pag 1047) ; et Anastasius in Bene- II, num. 556 : « Cujus beatitudo in tantum ateque refulsit atque præfloruit, ut omnibus imus dictiset opere diceretur. » Domini vero li Petro tribuitur in catalogo exstante tomo pag. 40, successoribus nudo nomine indicatusta est usurpatio. In concilio enim Romano laro Leonis Magni successore inter acclamasæpius repetitum est: *Per dominum Petrum, perpetuum serventur, rogamus* (in synod. Casita a Lupo, c. 218. pag. 473). Et Stephanus II, encyclica in Galliis edita, quam refert Hil- in Areopagiticis, *Dominum Petrum* vocat. a legitur eadem vox Romanis pontificibus a xti sæculi, dum Turon II, cap. 23 (lib. IX c. 45), *dominum Gregorium* vocat, et Gregouron. *dominum Paulum* hujus nominis primum indigitat. Hinc in antiquissimis verbis inscriptionibus *domnus* aut *dominus* præmittitur nominibus pontificum, et in Triclinio Lateranensi Carolus Magnus et Leo III ex æquo eo Domini titulo cohonestantur. Martyribus etiam ævo S. Cypriani tributum *domini* titulum infra adnotabitur.

Petrus. Series Romanorum pontificum, ac varii vetustiores catalogi, sive ordinem pontificum exhibentes : sive obitum signantes, sive indiculi, et alia similia monumenta, nullo discrepante, a solo, et uno Petro ordinem successionis ordiuntur, ac nullus Paulum ut cathedræ Romanæ episcopum sociat cum Petro : ex quo etiam convellitur nuperum de bicipiti capite Petro et Paulo commentum. Imo in primitiva Ecclesia adeo firma erat unius Petri pontificis, et solius origo, et ab eo uno successio deducta, ut socium in cathedra admittere alienum ab institutione evangelica putaretur. Plura congerere non est præsentis instituti, tria tamen in triplici schismate Novatiani, Donatistarum, et Felicis Liberio in exsilium acto, breviter innuenda, ut Ecclesiæ et populorum hæc persuasio illustretur, et horum catalogorum magis pondus elucescat, qui concorditer a Petro solo originem desumunt. Cum enim Novatianus adversus Cornelium sedem apostolicam invadens schisma conflasset, inter alios, qui cathedræ defensionem, et Cornelii adversus schismaticos certamen susceperunt, præcipuus laudatur S. Cyprianus, qui edito ea occasione aureo de unitate libro, ac ad diversos datis epistolis, perpetuus est in eo effato tuendo ex divina nempe institutione cathedram esse unam, Petro uni traditam, in successores derivatam : socium admittere alienum, et sacrilegum : « Super unum, inquit, ædificat Ecclesiam suam..... ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. » Universim in cunctis epistolis datis ad Cornelii pontificatum legitimum tuendum hæc repetit (*epist.* 40) : « Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare construi, et sacerdotem novum fieri præter unum altare, unum sacerdotem non potest... adulterum est, impium est, sacrilegum est. » Et in epistola Antoniano data, in qua effatum pluribus illustrat, cum dixisset Cornelium Fabiano Martyri successisse, « cum locus Petri, et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. mox infert. Et cum post primum secundusesse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est ; non jam secundus ille. sed nullus est. » Et Lucio Cornelii successori scribens, advertit Cornelium suo martyrio effatum comprobasse. » Unde contra Ecclesiam Christi, et episcopum Cornelium beatum

martyrem vosque omnes sæcularis postetas subito proruperit (arte nempe Novatianorum) ; unde ad confundendos hæreticos, et retundendos ostenderet Deus. quæ esset Ecclesia, quis episcopos ejus unus divina ordinatione delectus. » In schismate vero Donatistarum veritas hæc, et catalogorum identitas, et universalis Ecclesiæ persuasio, de cathedra una, soli Petro data, origine necessaria ab uno Petro proveniente, spectatissime probata est ab Optato in libris adversus Parmenianum. Cum catholicis conveniebant Donatistæ in priori veræ Ecclesiæ dote, quam dicebant esse cathedram Petri ; pariter in continuata successione in cathedra, in qua unus episcopus sedeat. Sic enim ex utriusque sensu Optatus, cum de prima veræ Ecclesiæ dote : « Inter quas cathedra est prima, ubi nisi sederit episcopus, conjungi altera dos non poterit. » (Lib. II, pag. 34.) Cathedram vero esse a S. Petro Romæ collocatam, in qua solus sederit, et hanc a Donatistis ignorari non posse, sicuti, et successionem a Petro derivatam ita expressit : « Videndum est, qui et ubi prior cathedra sederit : si ignoras disce : si nosti erubesce... ignorantia tibi ascribi non potest. » Tanta erat et unius cathedræ Petri, et successionis continuata series, ut non dubitaverit ita schismaticum compellare. « Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum Caput Petrus... in qua una cathedræ unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri apostoli sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus, et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. » Deinde ex priori unius cathedræ Romanæ constituta veritate, descendit ad perseverantem successionem ostendendam, quam juxta vetustos catalogos sic recenset. « Ergo cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, » reliquisque pontificibus assignatis usque ad Siricium, quo tempore velitationem cum schismaticis agitabat, concludit : « Cum quo nobis totius orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat. » Donatistæ priores videntes hanc orbis totius communem persuasionem, ne priori dote veræ Ecclesiæ cathedræ Romanæ, et unius episcopi a Petro deducta necessaria origine sedentis orbari viderentur, exinde comminiscuntur phantasticum caput, et Romanum proprium episcopum, quod ita in eis opponit Optatus. « Vestræ cathedræ vos originem reddite, qui vultis sanctam Ecclesiam vindicare. Sed et habere vos in urbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus est vestri erroris protensus de mendacio, non de radice veritatis. Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat, nunquid potest dicere in cathedra Petri ? quam nescio si vel oculis novit, et ad cujus memoriam non accedit quasi schismaticus ? » Romanum hunc Donatistarum primatum, cathedramque Romanam exinde proscindit quia non a Petro, sed a Victore Garbiensi, qui schismate in Africa conflato primus ausus est Romæ pestilentiæ sedem collocare. Infert itaque Optatus : « Ergo restat, ut fateatur socius vester Macrobius se ibi sedere, ubi aliquando sedit Enclopius. Si et ipse Enclopius possit interrogari, diceret se ibi sedere ubi ante sedit Bonifacius Belitanus. Deinde si et ipse interrogari potuisset, diceret ubi sederit Victor Garbiensis a vestris jam dudum de Africa ad paucos erraticos missus. Quid est hoc quod pars vestra in urpe Roma episcopum civem habere non potuit ? Quid est quod toti Afri, et peregrini in illa civitate sibi successisse noscuntur ? non apparet dolus ? non fictio quæ est mater schismatis ? Interea Victor Garbiensis, ut hinc mitteretur, non dico lapis ad fontem, quia nec valuit puritatem catholicæ multitudinis perturbare. » Argumentum idem sæpius illustravit S. Augustinus, qui ex una cathedra, et successione ab uno, et solo Petro deducta, schismaticam Donatistarum Ecclesiam ostendit. Quod fuse epist. 165, ubi catalogo Romanorum pontificum expenso addit : « In hoc ordine successionis nullus Donatista episcopus invenitur ; sed ex transverso ex Africa ordinatum miserant, qui paucis præsidens Afris in urbe Roma Montensium vel Cuzupitarum vocabulum propagavit. » Tanti vero episcopum Donatianum Romanum faciebant populi, ut in collatione Carthaginensi disputationem ineundam detractare obniterentur eo absente, sicut in gestis collationis legitur. Ignorare cathedram unam in Ecclesia, Petrum solum sedentem cum successione pontificum, sicuti Optatus dixerat, ignorantiæ ascribi non poterat. Ita Cornelius apud Euseb. lib. II, cap. 53 pag 244, adversus Novatianum agens in epistola ad Fabium Antiochenum ex eo etiam capite reum schismatis traducit : « Ergo ille Evangelii vindex ignorabat unum episcopum esse oportere in Ecclesia catholica. » Et in altera data Cypriano : « Nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, unum episcopum in catholica Ecclesia esse debere. » Mox ad rem nostram sic in Novatianis sugillat opinionem, auditumque de bicipiti capite commentum. « Dum episcopum sibi constituit, et contra sacramentum semel traditum divinæ dispositionis, et catholicæ unitatis adulterum, et contrarium caput extra Ecclesiam fecit : Ea communi fidelium persuasione enutriti Romani in circo ludentes, etsi in partes divisi, cum edictum imperiale audirent, quo utrique parti aut Liberius, aut Felix daretur, consona voce, simultatibus depositis ex Theodoreto, Hist. Eccl. l. II, c. 17, conclamarunt : *Unus Deus, unus Christus, unus episcopus.* Exinde si alia deessent, hoc unum collectori libri Pontificalis debemus, quod reservaverit Romanorum pontificum seriem, ac in cathedra Petri succedentium episcoporum ordinem, quæ priorem veræ Ecclesiæ dotem exhibent. Si vero quandoque Patres cum Petro societatem Pauli addunt, id intelligendum de societate prædicationis, non cathedræ. Quod adnotarunt Eutherius Thianensis et Helladius Tharsiensis, qui a Joannis Antiocheni sententia depositionis in ipso lata ob contumaciam in schismate adversus sanctum Cyrillum ad Sixtum appellantes, ita scribunt in synodico Cassin., c. 107, pag. 240 : « Imitamini et magnum pietatis præconem, oraculum mundi ; quem nos ut pignus habere familiaritatis nostræ erga vestram credimus sanctitatem. Civis enim noster existens, errore totius orbis exstincto, illius apostolicæ sedis factus est ornamentum, et a beato Petro dextram societatis accepit, ut appareret ab utrisque æquam subtilitatem dogmatum custodiri. » Quo sensu loquitur Gelasius in suo de sacris libris decreto, et alii Patres.

Antiochenus. A priori Antiochiæ sessione, mora, et episcopatu appellationem habuit, sicuti Redemptor Nazarenus dictus a diuturniori mora. Antiocheni exinde patriarchæ episcopalem originem a Petro deducebant ex Fulgentio, lib. I de Trin. : « Illam fidem corde sincerissimæ menti tuæ nos velle notescere, per quam justificati sunt patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres coronati, quam hactenus per totum orbem sancta tenet Ecclesia. Quæ usque hunc per successionum seriem in cathedra Petri apostoli Romæ, vel Antiochiæ, in cathedra Marci evangelistæ.... ab ipsis episcopis prædicatur. » Ex qua sessione civitatis, et cathedræ excellentiam deducunt Chrysostomus et Theodoretus : ille dum in S. Ignatii martyris encomio hæc adnectit : « Quanquam, et præcipua Deo hujusce civitatis cura fuit, id quod, et re ipsa plene declaravit. Siquidem toti orbi terrarum eum quem præfecit Petrum, cui claves regni cœlorum dedit, cujus arbitrio et potestati cuncta permisit, hunc ibi longo tempore jussit commorari. Quamobrem universo orbi ex altera parte respondet civitas nostra. » Theodoretus vero cum Dioscori ambitum videret, quo primatum in Oriente sibi vindicabat, ita Flaviano, epist. 14, primo scribit : « Hic

vero Dioscorus Alexandrinus legibus istis acquiescere non vult, sed rursum, ac deorsum beati Marci sedem ostendit, idque cum liquido intelligat magnam civitatem Antiochenam magni Petri sedem habere, qui beati Marci magister erat, chorique apostolorum princeps et coryphæus. Verum nos sedis sublimitatem novimus, nos ipsos vero et cognoscimus, et metimur. » Quo sensu Innocentius I scripsit Alexandro Antiocheno, qui ad monita pontificia Chrysostomi causam tuendam susceperat : « Antiochena Ecclesia velut Germana Romanæ Ecclesiæ diu ab eadem alienam se esse passa non est. Nam missis legatis ita pacem postulavit et meruit, ut Joannis sanctæ memoriæ vel clericos, vel laicos in unum colligeret atque congregaret. »

Lineæ 3. — *Hic Petrus ingressus in urbem Romam.* Gravis exorta est disceptatio de adventu S. Petri in Urbem, et de anno, sicuti etiam, an unquam in Urbe fuerit. Heterodoxi ante Lactantii vulgatum opusculum de mortibus persecutorum proruebant in opinionem negativam, ac fictitium Petri in Urbem adventum propugnabant. Verum post vulgatum a Balusio Lactantii laudatum opus nonnisi insulse huic veritati refragari possunt, nec audent : cum Lactantius uti de re testatissima loquatur ; cumque et suscepti operis argumentum, et impensus labor id aperte insinuent. Lactantius enim opus illud exarare voluit. Constantino Magno annuente, ad nobiliores agones recensendos ex immanitate persecutorum imperatorum, et horum miserandum exitum, ut inde Christianæ religionis veritatem erueret ex reportatis triumphis et tyrannorum persequentium pœna. Constantini ope publica commentaria invisit et perlustravit, exinde cum de Petri et Pauli in Urbe mora, et Neronis in ipsos persecutione testetur, et quidem Christianæ religionis veritatem ostensurus, si uti de re certissima loquatur de Petri et Pauli martyrio : et multitudine Christianorum per ipsos conversorum, in posterum rem testatissimam in dubium revocare ineptissimum censebitur. Exstitisse hæc martyrum sub Nerone interemptorum commentaria certo supponit Tertullianus c. 5. dum et ipse in Apologetico disputationem suscipit et defensionem religionis, cum sic gentes compellat : « Consulite commentarios vestros. Illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. »

Linea 4. — *Ibique sedit cathedram episcopatus.* Legendum cod. Reg. *cathedra.* Correspondet martyrologium XV Kal. Feb.. *cathedra S. Petri, id est episcopatus.* Cyprianus pariter, qui juxta vetustos codices *de unitate* opusculum inscripserat : *De singularitate cathedræ*, de qua inter cætera habet, « Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur. » Quo sensu etiam scripsit epist. 51 : « Petri cathedram, et Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. » Concinit Optatus : « Bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur : et præferri apostolis omnibus meruit, et claves regni cœlorum communicandas cæteris, solus accepit. »

Linea 6. — *Quæ catholicæ nominantur.* Titulus scripto alicui traditus denotabat dogmaticam auctoritativam institutionem. Hinc sæculo proximiori Themision nova cataphrigarum placita proponens, epistolam edidit, et catholicæ titulo insignivit ex Apollonio hæresis ejusdem celebri oppugnatore, dum hæc scribit apud Euseb. lib. v, c. 18 : « Themision speciosa avaritia obvelatus, qui confessionis signum non pertulit, sed magna pecuniæ vi erogata vincula abjecit : eum ob eam causam modestius deinceps, et submissius agere deberet, tanquam martyr sese efferens, ausus est exemplo Apostoli, conscripta epistola catholica, eos quidem, qui fideliores ipso exstiterant, instituere, novæ autem doctrinæ patrocinari. »

Evangelium Marci. De istius modi confirmatione loquitur Eusebius l. II, c 15, ex auctoritate Clementis Rom. et Alexandrini, et Papiæ, dum de Evangelio Marci. « Quod cum Petrus per revelationem Spiritus sancti cognovisset, delectatus ardenti hominum studio librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesia legeretur. Refertur id a Clemente in VI Institutionum libro. Cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus episcopus. »

Linea 8. — *Testimonium ejus, hoc est Petri, firmata sunt.* Legendum cum aliis codd. *testimonio.* Neque id perperam dictum, dum hujus testimonii exhibiti indubium testem habemus S. Paulum, qui a falsis fratribus accusatus, et quidem ex Spiritus sancti revelatione Hierosolymam adiit, ut Evangelium etiam cum Petro conferret, ut scribit ad Galatas c. II : *Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum ipsis Evangelium.* De qua collatione hæc Leoni Magno scribit Theodoretus epist. 153, post latrocinale Ephesinum Dioscori tyrannide oppressus a pontifice suppetias exigens : « Si Paulus præco veritatis, tuba Spiritus sancti ad Magnum Petrum se contulit, ut iis qui Antiochiæ de legali conversatione ambigebant, explicationem ab illo referret : multo magis nos humiles, et pusilli ad apostolicam sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. » Quæ Paulus a falsis fratribus expertus juxta revelationem egit, perfecitque Petrus, similis occasio ex Judaizantium malitia potuit adesse, Petrum compellens ad declarandum quæ essent Evangelia retinenda, dum illi legitimis exsufflatis novum confinxerant, quod *Evangelium secundum Hebræos* appellabant ; de quo ita Eusebius lib. III, c. 27, dum de Judaizantibus : « Legis observantiam sibi omnino necessariam ducebant... Ibi epistolas quidem Pauli prorsus rejiciendas esse censebant... solum Evangelium illud, quod secundum Hebræos dicitur amplexi, reliqua parvi faciebant. » Ex Judaizantium in Paulum odio profectum reor, ut idem S. Petrus scripserit in sua secunda epistola III, 15 : *Sicut charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

Linea 9. — *Latine.* Cum Libro Pontificali concordant Syriaca et Arabica Evangelii S. Marci versiones, quæ in textu habent in fine Evangelium Latine scriptum a sancto Marco.

Linea 11. — *In templo Apollinis.* Ignorantur locus et occasio templi hujus in Vaticano ab Romanæ antiquitatis scriptoribus. Verum cum circus Neronianus in Vaticano admittatur ; cum ex Suet. in Ner. c. 53 certo constet, quod *destinaverat etiam qui Apollinem cantu solem aurigando æquiparare existimaretur* ; cumque ad circi vicinia Apollini templa dedicarentur, sicut de Flaminio refertur, ut victores vota Deo persolverent ; poterat in Vaticano campo esse Apollinis templum, quod exstitisse et hic, et alibi affirmatur. Deinde certo ibi Neroniani horti exstabant, piaculumque reputabatur hæc exstruere sine sacra ædicula, ut apparet ex Apuleio in Apol. pag. 496, qui sui adversarii mores carpens, inter alia scribit : « Iste vero nec diis rurationis, qui eum pascunt, et vestiunt, segetis ullas aut vitis, aut gregis primitias impertit ; nullum in villa ejus delubrum, nullus locus, aut lucus consecratus. » Insuper liquet ex Censorino de die natali, qui dum de origine templorum agit hæc profert : « Et cum agros atque urbes deorum munere possiderent, partem quamdam templis, sacellisque, ubi eos colerent, dicavere, » Ex his itaque deducendum est, Neronem

in suis hortis ædiculam, sive etiam templum Apollini dedicasse.

Linea 11. — *Juxta palatium Neronianum in Vaticano.* De palatio Neronis in Vaticano altum silentium apud scriptores Neronis gesta narrantes. Horti quidem ibi erant, ubi immanis prior illa Romæ martyrum acta laniena, de qua Tacitus lib. XV Urbis incendium Neronis jussu perpetratum commemorans, hæc addit: « Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quæsitissimis pœnis, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellat. Primo igitur correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et prætereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut inflammandi, atque ubi defuisset dies in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat habitu aurigæ permistus plebi, vel curriculo insistens. » Quare si hortos inibi exstructos, ludorum pompas exceptas, splendidissimas cœnas instructas fuisse compertum est: cum hæc omnia ex usu recepto perfici non possent absque tricliniis, balneis, aliisque officinis, quæ amplam ædificii molem expostulant, hinc est quod potuere rudera exstantia Neroniani palatii nomen promereri, ad quorum vicinia reconduntur apostolorum corpora.

Linea 13. — *Per menses Decembrios.* Cum liber Pontificalis coaluerit ex vetustis apostolicæ sedis catalogis, tum iis, in quibus successio designatur, tum illis, in quibus ordinationes, a quolibet pontifice habitæ recensentur; inde fit quod etiam istæ in gestis cujuslibet adnotentur. Tria vero in hac nota occurrunt animadvertenda. Primum est, quod usque ad Simplicium ordinationes fieri consueverunt in Sabbato jejuniorum X mensis : de qua consuetudine plura habet Leo M. in sermonibus ejusdem diei : post Simplicium vero aliis temporibus ordinatio fuit affixa ut suo loco dicendum. Secundum est, quod formula ista *per menses Decembrios* designat ordinationem quolibet anno in Decembris Sabbato repetitam. Tertium est, quod assignatur, quandoque numerus determinatus ordinationum. An vero cum clericali ordinatione eadem die episcoporum consecrationes fierent, infra disceptandum.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 2. — *Petrus sedit cathedram episcopatus Antiochiæ.* Ecclesiam Antiochenam beatus Petrus instituendam suscepit, eamque septem annis, non tamen completis, administravit. Vide Bar. ann. Christi 37, n. 9 et seqq. ; Bellarm. lib. de Rom. Pont., c. 6.

Linea 4. — *Annos viginti quinque.* B. Petrum in hac cathedra Romana usque ad mortem sedisse, intelligendum est de auctoritate, potestate, ac præfectura gubernandi Ecclesias universas, non de situ locali. Constat enim cum hanc cathedram septem annis administrasset, anno Christi 51 et 9 Claudii, cujus edicto omnes Judæi ac Christiani Roma expellebantur, Petrum etiam expulsum Hierosolymam rediisse, et Hierosolymitano concilio tertio interfuisse : mortuo tamen Claudio Romam rediit, et ibidem vitam finivit.

Linea 10. — *Martyrio cum Paulo coronatur.* Petrus et Paulus anno Christi 68, Neronis 12, in carcerem conjecti : ille quod Simonem Magum per aerem volantem invocatione divini nominis dejecisset ; hic quod pellicem Neronis ad Christianam religionem convertisset, et ex impudica castam reddidisset. Anno sequente ambo virgis cæsi, post osculum sibi mutuo datum occiduntur : Petrus cruci capite in terram demisso affigitur ; Paulus autem gladio gloriosissime occubuit.

(Ex Labb.) Linea 10. — *Annis triginta octo.* Desunt in c. 4.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Servabo hanc methodum meis in notis afferendis, ut chronologicas præmittam, deinde attexam historicas. Chronologiam uniuscujusque pontificis duplici indicatione colligimus, tum ex Bibliothecario, tum ex catalogis : nempe ex consulibus, quæ prima est ; et ex numero annorum, mensium, ac dierum, quæ altera est indicatio. In consulibus assignandis video plerumque id placuisse scriptoribus catalogorum ac Vitarum ; ut eos consules assignarent pontifici, qui magistratum obirent, dum annus sacer iniret, a Passione Domini, sive a Paschate, pro more veteri Romanæ Ecclesiæ computatus. Id perspicuum est in Petri apostoli pontificatu inchoando. Certum est susceptum fuisse maximum sacerdotium a B. Petro Paschali tempore, inter Resurrectionem Dominicam, et Ascensionem, contradente illi Domino claves regni cœlorum, et curam universi gregis Dominici, ut eum pasceret, et confirmaret fratres suos. Contigit itaque duobus Geminis consulibus, ad quos referri Passionis Christi epocham, Resurrectionis, et Ascensionis, ex Patribus passim probavimus supra Opus. IV, cap. 1, anno vulgaris æræ 28. Non his tamen consulibus, sed proxime succedentibus, *Vinicio scilicet ac Longino*, æræ communis 29 tribuitur initium Petri : quibus scilicet consulibus primum Pascha a Christi vicario in terris peragebatur. Hanc epocham anni sacri a mense Nisan apud Hebræos inchoati Ecclesia Christiana retinuit multo lubentius ; cum Reparationis nostræ mysteria inde repetenda, ac tum temporis recolenda cognosceret. Quare testatur Beda, dum Romæ esset in cereis sanctæ Mariæ *annos a Passione Dominica* signari consuevisse. Et cum per eosdem Patres aptetur eidem tempori Paschali epocha Dominicæ Incarnationis VIII Kal. Aprilis ; hinc etiam mos inolevit numerandi annos *a Dominica Incarnatione*: quæ consuetudo nondum antiquata est apud aliquot Italiæ civitates, Venetias præsertim, ac Florentiam; licet universus Christianus orbis æram communem deduxerit a Nativitate. Præmissa hac notatione moris catalogorum in collegio consulum assignando pontificibus, qui Paschale festum, non vero Kalendas Januarii sub eo consulatu celebraverint, expediemus chronologiam consularem. B. Petri hoc primo numero ita disponendam.

Duobus Geminis consulibus, VIII *Kalendas Aprilis. æræ Christi communis* 28, *anno bissextili, feria* V, *primo die Azymorum, Dominus Jesus Christus cœnans cum discipulis suis, postquam sui corporis et sanguinis sacramenta patefecit, ad montem Oliveti, sicut Evangelia sancta testantur, progressus, ibique detentus est a Judæis, tradente discipulo. Dehinc* VI *feria subsequente, id est* VII *Kalend. Aprilis crucifixus est et sepultus. Tertia die, hoc est* V. *Kal, Aprilis, Dominica, surrexit a mortuis.* (Victorius Aquitan. *in can. Pasch.*) A Resurrectione sua cum discipulis versatur per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei ; nempe ex die 28 Martii Dominica ad diem 6 Maii fer. V, qua illis videntibus elevatus ascendit in cœlum : quo tempore numerantur communiter a Patribus et interpretibus decem apparitiones præcipuæ, in sacris litteris recensitæ: quarum in septima apud Capharnaum pontificis maximi munus, seu Ecclesiæ universalis regimen, et episcopatum, antea promissum, Christus Dominus Petro contulit, dicens : *Pasce oves meas* (*Joan* XXI ; ut ex epistola 37, lib. VI magni Gregorii, aliisque Patribus confirmatur. Gesta sunt hæc *duobus Geminis cons.* Ab his proximi consules *Vinicius* et *Longinus* Kalendis Januarii anni 29 magistratum inierunt, dum Petrus nonum mensem sui regiminis inchoaret. Primus igitur annus Petri pontificis completur circa finem mensis Aprilis iisdem coss. æræ Christi communis anno 29. Postremum Pascha ante

martyrium a Petro pontifice maximo celebratum refertur ad consules *Nervam, et Vestinum* in Catalogo Liberii ætate contexto: qui consules signant annum vulgaris æræ Christi 65, et iisdem coss. tertio Kal. Julii Petrus cruci affixus martyrio coronatur. Sunt igitur ex consulari chronologia Petro tribuendi episcopatus anni 37, et menses duo circiter, partim Hierosolymis, partim Antiochena in sede, et partim in Romana ab apostolorum principe exacti; quot etiam S. Hieronymus enumerat in lib. de Script. ecclesiasticis. Duodecim ex his in Oriente impendit illius tractus Ecclesiis ordinandis, antequam Romam veniret. Narrat enim Apollonius, scriptor ecclesiasticus secundi sæculi, apud Eusebium lib. v, Hist. eccl. cap. 18, tanquam ex veterum traditione, Dominum apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent, nempe extra limites Syriæ, cui suberant Hierolosymæ, ne pedem proferrent, ad sedes episcopales alibi constituendas. Nam intra duodecennium, imo et intra quinquennium a Dominica Passione Antiochiæ cathedram episcopalem fuisse constitutam, colligunt Patres ex Actis apostolorum. Ipsi etiam asserunt Petrum septennio præsedisse cathedræ Antiochenæ antequam in Urbem proficisceretur anno duodecimo a Passione Domini ad fundandam sedem Romanam. Ita S. Gregorius ad Eulogium episcopum Alexandrinum lib. VI, ep. 37, de cathedra Antiochena, a Petro fundata. « Ipse firmavit sedem, in qua septem annis quamvis discessurus, sedit. » Clemens quoque Alexandrinus Strom. lib. VI, pag. 637, edit. G. L. Paris. 1629, uti observat Schelestratius, lectionis interpunctionem restituens, Antiquitat. Eccles. diss. 1, cap. 5, art. 3, confirmat traditionem profectionis apostolorum extra Syriam post annos duodecim a Passione Christi, qui jusserat: « Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat: Non audivimus. » Henschenius quoque exercit. 4 ad Chronologiam pontificiam numero 28, postquam ostenderat anno quinto a Passione Christi labente fundatam a Petro fuisse cathedram Antiochenam, hæc subdit: « Elapso septennio cathedræ Antiochenæ, substituto ibidem S. Evodio, primam Ecclesiæ Christianæ cathedram in urbe Romana sede imperatorum, et orbis capite, collocavit anno æræ vulgaris quadragesimo: a quo anno inchoandi in catalogo jam citato sunt anni viginti quinque sedis hujus. Et hi viginti quinque anni habentur in altero mox proferendo catalogo, uti et in Ms. Palatino, sed a nobis omisso: item in Pontificali Romano, et apud Anastasium Bibliothecarium in manu exaratis et prælo cusis codicibus, necnon apud Luitprandum, Abbonem, et alios rerum pontificiarium scriptores. » Deinde numero 35 de anno martyrii SS. Petri et Pauli agens hæc scribit: « Passi ergo recte indicantur SS. Petrus et Paulus, Nerone Romæ præsente, Nerva et Vestino consulibus, anno æræ Christianæ 65, Neronis si spectetur tempus imperii cœptum anno XI, qui XII solet haberi, licet solum proximo Octobri esset inchoatus. Præterea habetur annus post Passionem Domini trigesimus septimus, quem requirit S. Hieronymus de Script. ecclesiasticis in Elogio S. Petri, necnon Honorius, Isidorus, Nicephorus et alii. »

Catalogi omnes, cum picturis vetustissimis basilicæ S. Pauli supra producti fol. 87, annos 25 solidos attribuunt B. Petro in sede Romana: quem XXXVII anno post Christi Passionem, et duodecim Neronis imperii labente passum fuisse cum Paulo, *Vestino et Nerva cons.*, præter indicatos scriptores, luculenter probat Schelestratius in laudata dissert. I Antiq. Eccles. capite 5, art. 5.

Annis viginti quinque Petro ita assertis, ex quo cathedram episcopalem Romæ constituit, menses quoque duo, ac dies tres cur ei tribuantur placet inquirere. Si ex die Martyrii 29 Junii anno Christi 65 retrocedamus per annos 25, menses 2, et dies 3 (quot illi assignat in episcopatu Romano catalogus Felicis IV, et codex II Colbertinus); terminus prior numerationis, et epocha Romani episcopatus cadet in diem 25 Aprilis anni vulgaris æræ 40, ad quem refert etiam Henschenius. Septennio autem ante contigerit fundatio cathedræ Antiochenæ, vulgaris æræ Christi anno 33. Littera Dominicalis D eidem anno assignata Dominicam diem indicat die 22 Februarii, qua festum cathedræ Antiochenæ non modo hac ætate recolimus, verum et in membranis sub Liberio papa conscriptis, et a nobis ex Bucherio editis supra in Prolegomenis, necnon ex S. Augustino compertum est, prioribus etiam sæculis æræ Christianæ celebrari consuevisse. Diem vero Dominicam εὐοδονίσμω episcopali deputari jam tum consuevisse probare facile possem monumentis omnium Ecclesiarum Orientalium et Occidentalium. Quare universa confirmant assumptas epochas. Passionis Dominicæ anno 28 æræ communis die 25, et mortis die 26 Martii; fundationis cathedræ Antiochenæ vergente ad finem quinquennio post Dominicam Passionem die Dominica 22 Februarii anno 33, et septennio post nempe anno æræ vulgaris 40, profectionem apostolorum ex Syria, adventum Petri in Urbem, et fundationem cathedræ Romanæ. Superest ut inquiramus, quid commune habeat cum exordio pontificatus Romani ab apostolorum principe suscepti dies 25 Aprilis anni 40, ex qua die desumitur epocha annorum 25, mensium 2 et dierum 3, eidem assignata usque ad triumphalem martyrii sui diem 29 Junii anni 65, ita numerandum si sequamur catalogum Felicis Quarti ætate conscriptum, vel dies 21 Aprilis ejusdem anni 40, ex qua ad 29 Junii anni 65, Nerone et Vestino coss., intercipiantur anni 25, menses 2 et dies 7, numerati in picturis vetustissimis basilicæ patriarchalis, et in plerisque catalogis probatioribus.

Porro cum videam indictam fuisse die 25 Aprilis *litaniam* quam vocant *majorem* non modo ante Gregorium Magnum, sed etiam pluribus ante ipsum ætatibus, ac ferme ab Ecclesiæ incunabulis: in qua tituli universi, ac diaconiæ, ipsæque basilicæ ex ævo Constantiniano collectam cleri, ac populi in Campo Martio, olim in titulo L. Laurentii in Lucina, nunc in S. Marci, frequentantes, inde procedunt ad S. Petrum; judicavi, per eos dies recoli jam tum consuevisse Romanæ sedis supra cæteras primatum ab ipso apostolorum principe constitutum. Quod enim die 18 Januarii festum cathedræ a Beda aliisque ita consignatum suaserit Paulum IV, ut in constitutione sua anno 1558 restituerit ad XV Kalendas Februarii veterem epocham fundatæ in Urbe cathedræ Petri; id nihil impedit quominus intelligamus ea die fundatum episcopatum; aliquanto vero post, hoc est mense Aprili, sive ejusdem anni, sive consequentium huic episcopali sedi primatum supra cæteras fuisse additum, postquam in proximis civitatibus prædicato Evangelio, fundatis Ecclesiis, et ordinatis episcopis coaluerat systema quoddam Hierarchicum, specie sua satis commodum Petro judicatum, ad dignitatem sedis omnium principis ministerio, et subjectione sua declarandam et confovendam. Nicænæ synodi canon sextus, tot lucubrationibus doctorum virorum illustratus, satis docet, quantum explicet dignitatis patriarchalis mos ille vetus, quo plures episcopi Romano aderant tum ad perficienda mysteria, tum ad repræsentandam totius Ecclesiæ corporis juncturam sub uno capite. Ordinata igitur progressio fuit, ut cathedra pontificali primum erecta, deinde adjunctis gradatim partibus, et præparatis adjutoribus suæ potestatis, maxima auctoritas in ejus episcopum conferretur; ut etiam patriarcharum ablegandorum facultas a Petro exerceretur, derivanda postmodum in successores. Constat certe ab apostolorum principe Christi Evangelium Romæ prius aliquo spatio temporis prædicatum (ex cathedra hic erecta), deinde rogatu fratrum a Marco in litteras redactum et a Petro approbatum;

ut postmodum Marcus hinc ablegaretur ad fundamenta patriarchatus Alexandrini Petri nomine jacienda. Obsecutus est ille, sumpto Evangelio, quod Romana Ecclesia flagitante a se conscriptum Petri auctoritate legendum, et tanquam regulam fidei ubique vulgandum acceperat. Hinc etiam plerique censent dimissum Evodium, ut Antiochenæ Ecclesiæ regimen a Petro jam Romæ episcopo sibi contraditum administraret : persuasi testimonio Eusebii, cujus in Chronico adventus Petri in Urbem, et fundatio Romanæ Ecclesiæ primum recensetur ad annum II Olympiadis 205, Christi 43, his verbis : « Petrus apostolus, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam mittitur, ubi Evangelium prædicans viginti quinque annis ejusdem urbis episcopus perseverat. » Eodem anno subsequitur periocha ad Marcum pertinens, a Petro, cujus erat interpres Romæ, ordinatum episcopum Alexandrinum, quæ ita per B. Hieronymum Latine redditur *Marcus, interpres Petri, in Ægypto, et Alexandria Christum annuntiat.* Deinde succedit annus III ejusdem Olympiadis 205, æræ autem Christianæ 44, juxta Eusebium, in quo hæc de Evodio leguntur : *Primus Antiochiæ episcopus ordinatur Evodius.* Hoc igitur testimonio chronici Eusebiani confirmare posse videor progressum illum, a sapiente architecto Petro servatum, in hac Romana sede primum fundanda, deinde augenda, tum elevanda ad tantam supra cæteras dignitatem, ut duarum sedium ab hac dignitate proximarum primos antistites hic ordinaret et hinc dimitteret : indicium exhibens ejus primatus, quem conventu omnium titulorum clerus Romanæ urbis (Ecclesiam universam referentis) quotannis recolit etiam in litania majori die 25 Aprilis. Cur autem ea dies obtigerit, sic declarandum puto.

Ordo Romanus per anni circulum ita distribuit statas solemnitates, ut quam proxime responderent tempori, a Christo Domino ad ea peragenda delecti, quorum mysteria iis in festis proponit recolenda. Missio igitur apostolorum, Paschali tempore peracta inter Resurrectionem, et Ascensionem, et collata Petro potestas maximi sacerdotii, atque ovium universarum cura concredita, pertinet ad eos dies, qui Paschale feste proxime excipiunt, nec diffunduntur ultra Ascensionem. Licet autem Pascha sit mobile, attamen ultra 25 Aprilis diem non protrahitur. Neque Ascensionis festum, quando citimum fuerit, ante Aprilis diem trigesimam unquam incidit. Postrema igitur hebdomada mensis Aprilis, a 25 die putata, nunquam non erit pars quadragenarii dierum numeri ante Ascensionem, cui institutio pontificatus maximi novæ legis a Christo Domino in cœlum profecturo alligata fuit. Causa igitur subest, cur ascribatur diei 25 Aprilis epocha maximi pontificatus tum instituti a Christo Domino, tum a beato Petro ad Romanam sedem translati, annorumque inde putandorum maximi sacerdoti per principem apostolorum Romana in cathedra gesti ex ea die 25 Aprilis anni 40 ad diem 29 Junii anni 65, qua martyrium complevit ; ut summa sit annorum 25, mensium 2, ac dierum trium quot habet catalogus Felicis IV. Nec valde moror differentiam quatridui qua catalogus Liberianus, necnon plerique supra recensiti pag. 87 cum vetustissimis picturis basilicæ S. Pauli exordium æræ constituunt die 21 Aprilis, inde censentes ad martyrium annos 25, menses 2, et dies 8. Nam et ipsa æra Nativitatis, quæ serius inducta per Dionysium Exiguum consensu deinde publico recepta est, octiduo differtur post festum Dominicæ Nativitatis ex die 25 Decembris ad proximas Kalendas Januarii, ut cum anni civilis exordio apud Romanos constituto paria faciat. Præter epocham anni Juliani ex Kalendis Januarii vigebat apud Romanos æra non minus celebris, et in publicis monumentis consignata, atque alligata diei 21 Aprilis : nempe æra annorum *Urbis conditæ ex Parilibus.* Hanc in fastis Capitolinis marmoreis servatam conA spicimus, non secus ac in fastis sacerdotalibus fratrum Arvalium, marmori pariter insculptis, quorum partem retulimus in præfatione prioris tomi num. 21. Pari ergo jure epocha sacerdotalis beati Petri, a catalogo Liberiano et a plerisque memoratis, necnon a picturis basilicarum ævi Leonis Magni, inchoatur ex die Parilium 21 Aprilis ; licet solemnitas supplicationis publicæ et collectæ ad S. Petrum *in litania majori* quatriduo post referat memoriam ejus maximæ dignitatis : ut proinde tribuantur Petro in cathedra Romana ex Parilibus anni æræ communis quadragesimi, quo Romæ primum sedit, nempe ex 21 Aprilis, ad diem 29 Junii suo martyrio consecratam anno 65 æræ vulgaris. *Nerva et Vestino coss.*, tribuatur, inquam, summa annorum 25, mensium 2, ac dierum 7, qui solidi inter utrumque terminum intercedunt, sive 8, dierum, ut habent Bergomensis codex *c*, ac tres Colbertini *h k m* utrumque terminum fortasse includentes. Suffragatur hujusmodi instituto numerandi annos sacros nascentis Ecclesiæ ab his Paschalibus gestis, sive Passionis, sive Resurrectionis, et Ascensionis Dominicæ mos peræque custoditus apud Orientales et Occidentales Ecclesias ævo apostolico. Nam præter Judæorum gentem, divinæ legis mandato statuentem caput anni sacri in luna Paschali, etiam Christiani, lege Judæorum soluti, æram Paschalem ad gesta Christi Domini accommodarunt. Ecclesiam Romanam a Passione Domini annos signasse supra jam vidimus. *Paschalia,* quæ vocantur *Chronica* ab Antiochenis fidem Christi professis ita ordinantur, ut aliquando a Paschate, non semel etiam ab Ascensione Domini annos computent. In eo, quod perperam vocant *Alexandrinum, et fastos siculos Raderi,* martyrium S. Polycarpi consignatur epocha ducta ab Ascensione Christi, licet martyrium inciderit in Sabbatum profestum Paschæ. Passus et crematus asseritur Polycarpus « in profesto Paschæ ipso sabbato hora 8, anno III duorum Augustorum Marci, et Veri, Æliano et Pastore coss., anno 133 post Christi in cœlum profectionem. » Ita etiam S. Athanasius Alexandrinus in sermone de imagine Berytensi subversionem Hierosolymorum peractam docet *anno 43 post Ascensionem Domini et Salvatoris ad cœlos.* Videmur igitur assecuti causam probabilem putationis mensium ac dierum (præter annos solidos) Petri sessionis in hac Romana sua cathedra. Nam sive fundatam die 18 Januarii auxerit, deinde primatu supra cæteras Ecclesias Paschali mense, quo ipse a Christo Domino curam universi gregis acceperat ; sive eadam qua fundaverunt die tanto ditaverit privilegio ; utrumque componitur cum usu epochæ pontificatus maximi deducendæ a mense Paschali tum in Oriente ubi acceperat, tum in Occidente quo transtulerat ; et propterea causa redditur, cur festo cathedræ Romanæ non remoto a die 18 Januarii, et Antiochenæ a die 22 Februarii, numeratio pontificatus maximi Romana in sede a Petro constituti revocetur ad initium annorum Urbis conditæ 21 Aprilis anno æræ vulgaris 40, atque inde ad exitum ejus vitæ per martyrii consummationem die 29 Junii anno vulgaris æræ Christi 65, signentur in catalogis vetustissimis et in picturis basilicarum anni 25, menses 2, et dies 7.

Claudat hæc nostra observata chronologica, pontificalem epocham Petri Romana in sede illustratura, testimonium scriptoris inter historicos quinti, et sexti sæculi maximo in pretio habiti, unde confirmatur initium pontificatus Romani Petro assignandum anno vulgaris æræ quadragesimo : idque ex numeratione jam tum recepta, et Romæ perinde, ac in Oriente vulgata. Is est Ammianus Marcellinus, qui Constantinopoli agens, adventum Joannis papæ in regiam Urbem ita consignavit in chronico, « Philoxeno et Probo consulibus (hoc est anno Christi 525), Joannes Romanæ Ecclesiæ papa quinquagesimus tertius a Petro apostolorum pontificumque præsule an. 185 sessionis ejus anno Theodorico rege,

etc. Urbe digressus Constantinopolim venit. » Annus æræ Christi communis 40 per nos ex catalogo, et documentis genuinis Romanæ Ecclesiæ tributus sedi pontificali a B. Petro in Urbe erectæ, uti est vigesimus quintus ante Apostoli martyrium, Vestino et Nervæ consulibus recte assignatum, ita est 485 ante consulatum Philoxeni et Probi, in profectione Joannis primi, Romæ et Constantinopoli recte supputatum.

Comprobant itaque veterum Catalogi, et Chronica, perinde ad documenta genuina Romanæ Ecclesiæ, chronologiam, apostolorum principis Romana in sede recte fuisse constitutam, et in picturis basilicarum expressam annorum 25, mensium 2, et dierum 7.

Si placet etiam confirmare ita comprobatam chronologiam ex epocha fundationis cathedræ Antiochenæ, a scriptoribus antiquis ejusdem urbis litteris proditæ, attexam ex Joan. Malalæ Antiocheni chronographia pag. 311 edit. Londinensis hoc testimonium: Μετὰ δὲ ἔτη τέσσαρα, etc. « Eodem autem Tiberio Cæsare quatuor post annis, quam Salvator noster Jesus Christus surrectus a mortuis in cœlum assumptus fuerat (quo etiam tempore Paulus in Ciliciam transmigraverat relicta Antiochia Magna, ubi verbum Dei primus cum Barnaba prædicasset, prope Pantheum in vico Singonio): eo, inquam, tempore Petrus ab Hierosolymis discedens Antiochiam venit: ubi promulgato Evangelio episcopi munus suscepit, etc., uti hæc Clemens et Tatianus sapientissimi chronographi litteris prodiderunt. »

Opportunus est locus hic inserendi observationem viri in primis docti, quæ illustrare poterit chronologiam, et fundationem sedis Antiochenæ non minus, quam Romanæ et Alexandrinæ.

Pervidit reverendissimus P. abb. Bacchinus in erudita dissertatione de Originibus ecclesiasticæ hierarchiæ pag. 194, antiquam illam Apollonii narrationem de duodenario annorum numero interponendo inter Ascensionem Domini, et profectionem apostolorum ab Hierosolymis in provincias, commodius, ac verius esse exponendam, tum ex vi Græcæ dictionis χωρισθῆναι quam adhibuit Eusebius, tum ex comparatione dictorum a Paulo apostolo, in epistola ad Galatas agente de primo adventu suo Hierosolymam. Utrimque enim collegit, præceptum illis non fuisse, ne pedem proferrent extra Jerusalem; sed ne Ecclesias fundarent intra id temporis, ab Hierosolymitana non dependentes. Id enim interpretandum χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλὴμ. ab Hierusalem *segregari, separari, sejungi,* seu alteram Ecclesiam fundare, quæ ab Hierosolymitana minime penderet; quatenus intra duodecim annos et apostolorum collegium, cui Petrus præerat, tanquam novæ legis synedrium majus Hierosolymis tantum sederet, totique Judæorum credentium cœtui jus diceret, etc. Constituere autem principem alteram Ecclesiam ubi apostolorum quispiam sederet, fieri non poterat, quin et alibi apostolici collegii jurisdictio plenissime exerceretur, et quin sola desineret esse Hierosolymitana Ecclesia, quæ cæteris præesset; quod *segregari, sejungi, separarique* ab Hierusalem erat, ubi pro Judæorum more Jurisdictionis plenitudo, et apex. Licet igitur cathedram episcopalem dedisset apostolus Petrus Antiochenis ad fidem Christi conversis ante sexennium completum a Christi Domini Ascensione; potuit nihilominus illius episcopatus jurisdictionem et limites nondum designare, sed reservare ad duodecennium absolutum, quando Romam profectus anno 40 juxta nostram sententiam in Romana sede plenitudinem pastoralis officii contulit, et primatum super universas Ecclesias: eodemque anno, vel proxime insecuto potuit Antiochenæ sedis amplitudinem Orientis attributione metiri, et Alexandrinæ auctoritatem constituere supra meridionales provincias, a quindecim Orientalibus separatas, in illam Evodium, in hanc Marcum ablegans A proxime ab institutione Romanæ cathedræ: quod Eusebiano chronico paulo ante producto mirifice congruit.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1. — *Antiochenus.* Deest in catalogo Liberiano: additur in posterioribus. Aliqui putant metropolim provinciæ Romanæ, sub qua Galilæa censebatur, subrogatam fuisse natali solo, in tetrarchia regis exteri constituto. Alii opinantur, posteriorem ætatem ita appellare voluisse Petrum ex episcopatu ibi per septennium administrato; cum episcopus habeatur primus inter cives. His attamen lubentius præferam tertiam causam, a Josepho ita colligendam. Narrat Judæorum historicus libro XII, cap. 3, inter cæteros honores, suæ nationis hominibus decretos privilegiis Seleucidarum ac Romanorum, numerari etiam jus civitatis Antiochenæ, ita eis tributum, ut pari conditione cum Græcis ac Macedonibus ibi degerent. Præterea refert id privilegium tam sancte a B Romanis principibus confirmatum fuisse et custoditum, ut sub Vespasiano ac Tito Alexandrini, et Antiochenses frustra tentaverint id juris adimi Judæis. Quare non modo vita Petri constante, verum etiam post ejusdem martyrium (Josepho æquali ejus ætati id perscribente) *Antiocheni cives* habebantur Judæi. Quare etiam Petrum apostolum natione Judæum ex vico Bethsaida Antiochenum civem dici, et haberi optimo jure posse ac debere nemo negaverit. Verba Josephi sunt referenda. Caput 2 libri XII, ita claudit: « Hæc sunt in Judæorum honorem a Philadelpho exhibita. » Tum inchoat caput 3 his quæ sequuntur: « Sed et ab Asiæ regibus honorati sunt propter navatam in militia bonam ac fidelem operam. Namque Seleucus cognomento Nicanor in conditis a se per Asiam et inferiorem Syriam urbibus in *ipsa denique metropoli Antiochia jus civitatis eis dedit,* voluitque *pari ibi* eum Macedonibus ac C Græcis *conditione* degere: *quo jure nunc quoque vivunt* inter eos homines. Argumento est, quia Judæis externo oleo nolentibus uti, certa pecunia pro eo a gymnasiarchis penditur: quem morem cum Antiochensis populus proximo bello abrogare vellet, non permisit Mucianus, qui tum Syriæ provinciæ præerat. Deinde imperante Vespasiano, et Tito ejus filio, Alexandrini et Antiochenses rogantes adimi Judæis *jus civium,* impetrare id non potuerunt: manifesto Romanorum æquitatis et magnanimitatis indicio, sed præcipue ipsorum principum qui cum eo bello multos labores pertulissent, et infensi essent pertinaciter rebellantibus, nihil tamen de jure ipsorum diminutum voluerunt: idque nec iræ propriæ, nec duobus populis contra eos licere passi sunt, majorem rationem habentes veterum gentis meritorum, quam præsentis offensionis, aut gratiæ, quam hoc facto apud hos populos inire poterant: dicentes eos, qui contra rem Romanam arma tulerant, satis suppliciorum exsolvisse: eos vero, qui nihil peccassent, D non esse æquum spoliari suis privilegiis et juribus. »

Linea 3. — *Ingressus urbem Romam sub Nerone Cæsare.* Initio scilicet principatus Claudii, Neronis Drusi filii, cujus stirpi tam familiare fuit cognomentum *Neronum,* Sabina lingua *fortem* significans, testibus Suetonio et Gellio; ut Od. 4., lib. IV, Horatius bis vocet *Nerones* ejus agnatos: et filius Domitius ascitus in geniem Claudiam *Nero* sit appellatus, prout hic etiam nominatur lin. 8, vel si de Domitio Nerone intelligit, posteriorem adventum Petri cum priore confundit.

De testimoniis veterum, comprobantibus adventum apostolorum principis in Urbem æræ vulgaris Christi anno 40, satis egimus in notis chronologicis. Occasio, et ratio itineris, atque hospitium apostoli in Urbe videntur hic attingenda. Neque in Urbem modo, sed et in remotiores Occidentis regiones (quandoquidem apud Britannos quoque excurrisse Petrum aliqui putant) an pervenerit, nonnihil erit

delibandum, ut cætera reservemus vitæ Eleutherii. Anno 40 communis æræ Christianæ, qui duodecimus erat a Passione Domini, Petrum Romam venisse, veterum testimonio probavi. Occasio si usquam prompta, hoc certe anno cœlitus oblata et parata fuit. Constat enim ex Actibus apostolorum, divina visione præmonitum Petrum, ut gentes reciperet, inchoasse a Cornelio Centurione cohortis Italicæ, unius scilicet ex quatuor legionibus, quæ tum temporis in Syria erant collocatæ. Ex Tacito, ac Dione easdem numerat Panvinius noster, legionem IIII. Scythicam, legionem VI. Victricem, legionem X. Geminam, Piam, Fidelem, et legionem XII. Fulminatricem. Legionem VI, prope Laodiceam in Syria sub Tiberio hiberna habuisse Tacitus refert Annal. II, n. 79, sextam ferratam in Judæa sitam Dio nominat lib. LV, et in Hispania Galbam imperatorem Panvinius observavit ab eadem legione creatum. Baptismum Cornelii referunt omnes ferme chronologi vel maturius, vel ad annum octavum a Christi Passione, qui fuerit vulgaris æræ 36, quo scilicet Caius Tiberio successit *Proculo et Nigrino coss.* Tertio hujus imperii anno « expeditionis Germanicæ impetus Caium cepit (ut in ejus Vita tradit Suetonius cap. 43) neque distulit, sed legionibus, et auxiliis undique excitis, delectibus ubique acerbissime actis, contracto et omnis generis commeatu quantum nunquam alias, iter aggressus est. » Expeditio hæc subitanea, ad quam *legiones undique accivit Caius*, in Britanniam dirigebatur, unde Adminium Cinobellini Britannorum regis filium a patre pulsum in deditionem recepit; licet ad legenda conchilia in Oceani littore se converterit. Promovit attamen hoc bellum Claudius imperii initio : a quo etiam legiones tum II et XX, ex Germania, tum IIII et VI ac X ex Syria in Occidentem, aliquæ etiam in Britanniam translatæ leguntur, quarum nummi aliquot, et inscriptiones in Britannia repertæ legi possunt apud Thomam Gale Comment. ad iter Britannicum Antonini : prout *Sextam* quoque *Victricem*, quæ erat ex quatuor ab Augusto relictis in Syria, paulo post in Italiam et Germaniam concessisse Panvinius colligit, eamdemque Britanniæ præsidio additam docent inscriptiones a Gale memoratæ. Sive igitur rapido accitu Caii, sive Claudio imperium assumente excita legio fuerit, in qua Cornelius Centurio, et cohors Italica militabat : sive ipse Cornelius confectis justis stipendiis honestam missionem obtinuerit, aut gradum militarem in alia legione occidentales tractus imperii tuente, ut sæpe evenit, et in antiquis inscriptionibus observatur; ostium magnum aperiebatur apostolorum principi, et parata facilitas cum fideli Centurione in Italiam navigandi, et apud ipsius agnatos e Cornelia gente, vel amicos hospitandi. Hæc rursus mire cohærent cum antiqua notione hospitii apostolorum in Urbe *apud Pudentem, circa vicum Corneliorum*, quod suo loco dicturi sumus in Pio : ut vetera monumenta in S. Pudentianæ titulo asservata confirmant : inter quæ inscriptio *Pudentianetis* e gente *Cornelia*, a martyrum cœmeteriis via Appia inter primum et secundum lapidem, ubi sepulcrum Corneliorum fuisse constat ex Cicer. Tusc. I, sect. 12, in eamdem ecclesiam translata, et his verbis signata visitur, necnon figura stolatæ mulieris, nobilium more phrygiato limbo amplitudinem generis indicante.

A

B

CORN. PUDENTIANETI
BENEM. Q. VIXIT. AN. XLVII
D. I. VAL PETRONIUS MAT
DULC. IN PACE

C

Expeditiones vero Claudii, ac Neronis in Britanniam quibus effectum est, ut eædem legiones, quæ militaverant in Syria, transferrentur in Britanniam, æque facilem accessum Evangelii præconibus in eamdem insulam aperiebant, cum semel perducto ad fidem Christi Centurione, vel aliquo ex militibus legionariis præstantiore, sive etiam ad alterius legionis honores gradatim promoto, vel honestam missionem consecuto post legitima stipendia, posset expedite se comitem illi dare tum Petrus, tum quisquis ad apostolicum munus inferendis illuc Evangelium deligebatur. An cohors Italica Cornelii cum sua legione in Britanniam transmittere jussa sit a Caio, vel a Claudio, affirmare non ausim. Scio tamen visum a me Londini fragmentum inscriptionis antiquæ, plures centurias militum, eorumque nomina, ac patriam, uti assolet, indicantis, *in cimeliorchio D. Kemps prope viam Palle Mall*, ubi quotquot expressa sunt nomina civitatum, jura coloniæ iisdem militibus tribuentium, ad stipendia in legione facienda, totidem ostendunt, eosdem milites Italos fuisse. En lapidis fragmentum, in quo coloniæ Italicæ legionariorum patriæ recensentur.

			7	SEMPRON	I
		NEC	A	FVLCINI	S
		MAXIMU	S	MANTV	A
		NIGR	R	FLORENTI	A
	S	IVSTV	S	TICIN	O
	S	FLORV	S	PETAV	I
	S	IVSTV	S	CLVSI	O
	—			CO	S
HYPSIACV	S	FERO	X	ATRI	A
AEBVTIV	S	MAXIMV	S	TICIN	O
VENNONIV	S	SUPE	R	LEPIDRE	G
APRONIV	S	FESTV	S	ATEST	E
RINARIV	S	EXORATV	S	EPODREDI	A
FAIPONIV	S	SABINV	S	PAVSVLI	S
RCIV	S	OPTATV	S	BENEVEN	T N
RIV	S	SVPE	R	CREMO	N
V	S	RESTITVTV	S	IADER	A
V	S	PEREGRINUS	S	VERON	A
		7		SABINI	
	—			COS	
	S	IVSTV	S	AQVIN	O
	S	GAVIANV	S	AERON	A
		VIBIANV	S	BRUN	D
		MARCELLINV	S	VRV	
		FELI	X	PR	
		VERV	S		
		TIMIV	S		

Fulcinium, Mantua, Florentia, Ticinium, Patavium, Clusium, Adria, Lepidi Regium, Ateste, Eporedia, Pausulæ, Beneventum, Cremona, Verona, Aquinum, Brundusium, istorum militum patriæ, Coloniæ Romanæ sunt intra Italiam constitutæ.

Dolendum est, non superesse reliquas partes epigraphis huic lapidi incisæ, unde instruamur, an ad Titum, seu ad Vespasianum referantur, consulatus II et III. hic memorati, quibus honesta missio emeritis hisce militibus fortasse concessa est; et an centurio ille *Sabinus*, commune quippiam habeant cum cognomine per Suetonium indicato in Vita Titi cap. 1. Accederet propius conjectura nostra ad decernendum num sextæ legionis milites habendi forent, aut decimæ: quarum utraque meruit sub Augusto, ac Tiberio in Syria, et in Armenia, ex Tacito Annal. II, 79. et XIII, 40, deinde in Britanniam translata est ex documentis a Gale productis: nec longe distaret a proponendo, num cohorti Italicæ utraque ista centuria, ex nostræ nationis viris collecta, accenseri posset. Verum sistamus in limine, contenti indicasse divinæ providentiæ consilio suaviter universa disponenti, et sexennio ante adventum Petri in Urbem cœlesti visione advocanti Italicæ cohortis centurionem ad baptisma, et apostolorum principem ad salutem gentibus annuntiandam, tam Corneliæ gentis hospitium in Urbe, quam facilem viam ad toto divisos orbe Britannos aperiri potuisse unius per Cornelii conversionem, et per unius cohortis, seu ducis evocationem in Italiam; sive Caius Caligula undique acciret legiones; sive Claudius Britannicæ expeditioni eas destinaret, quæ militabant in Syria, et proximis provinciis, ac testes fuerant mirabilium operum et virtutum nascentis Ecclesiæ Christi.

Neque aliter sentiendum est de expeditione evangelica beati Marci in Ægyptum ad annum alterum Claudii principatus in Eusebii chronico revocata. Legatio Philonis ad Urbem sub extrema Caii tempora, dum Herodis Agrippæ adventus ei ferme supparem, tum apud Claudium aucta benevolentia, nationi Judæorum æquiores reddebat principes, facilitatem conciliabat in urbe ipsa necessitudinis contrahendæ in er Marcum, et Philonem, occasione frequentandæ synagogæ, ac itineris socium se adjungendi, dum Philo rediret Alexandriam, ubi « disertissimus ille Judæorum (ut verbis Hieronymi utar) videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Judaizantem quasi in laudem gentis suæ librum de eorum conversatione scripsit. » Commentarii loco adhibendum est integrum Philonis elogium, a B. Hieronymo ita perscriptum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis.

« Philo Judæus, natione Alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter scriptores Ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci evangelistæ apud Alexandriam scribens ecclesia, in nostrorum laude versatus est, non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse memorans, et habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt; ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper; patrimonia egentibus dividantur; orationi vacetur, et psalmis, doctrinæ quoque, et continentiæ, quales et Lucas refert primum Hierosolymæ fuisse credentes. Aiunt hunc sub Caio Caligula Romæ periclitatum, quod legatus gentis suæ missus fuerat; cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum apostolo Petro, ejusque habuisse amicitias, et ob hanc causam etiam Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus. »

His ita perspectis, cum cognoscamus legiones integras ex Syria in Italiam, Germaniam, Britanniam translatas per eosdem ferme annos quibus ex Palæstina Herodi Antipæ, seu tetrarchæ, et Herodi Agrippæ regi, tum etiam ex Ægypto Philoni Judæorum legato ultro citroque navigandum in Italiam fuit, ac redeundum in patriam; mirari subit quorumdam ingeniorum difficultatem, quæ Petro apostolo nullo apparatu, et commeatu indigenti, sed sine calceis, sine pera, ad impulsum divini Spiritus expedito, verentur Italici itineris repetendi facultatem largiri: quem tamen constat suam primam epistolam dedisse Roma, Marco nondum directo in Ægyptum: quod Eusebius, et Hieronymus, aliique passim ad annum primum, aut alterum referunt imperantis Claudii. Liberalius agant necesse est cum Christi nuntiis, quorum pedibus cum discipuli palam sisterent pretia fundorum, et paternam gazam, ac patrimonia, multo facilius poterant cum Centurionis Cornelii familia transvectionem in Italiam et in Occidentis fines ultimos exhibere. In notis, quas infra dabimus in Clemente, P. Philippus Labbe tomo primo Conciliorum pag. 190 profert ex Vendelino Græcum codicem scriptoris anonymi de certaminibus, peregrinationibus, vita, et morte Petri, et Pauli apostolorum: quem Arundelliæ comitis Sacellanus e Græcia secum advexit in Angliam: unde Patricius Junius illustrem hunc locum Græce produxit, ita Latine redditum a Vendelino: « Moratus Petrus in Britannia dies aliquot, cum multos illuminasset verbo gratiæ, Ecclesiasque constituisset, postquam episcopos quoque, presbyteros, et diaconos ordinasset impositis manibus, duodecimo Neronis anno iterum Romam rediit. » Subdit Vendelinus: « Profectionem hanc Petri in Britanniam aliunde vidit etiam Baronius: et est luculenter astructa non ita pridem, » etc. Cessent itaque mussitare negotiosa illa ingenia contra iteratos adventus Petri in Urbem: nec litem moveant de diffusione evangelicæ lucis ad Britannos, ad quos legiones integræ ex Syria, ubi Passionis Dominicæ et apostolicorum actuum, ac certaminum pars magna fuerant sub Tiberio, a Caio Caligula, a Claudio, a Nerone transvehebantur. Nihil paratius erat ea tempestate, post linteum de cœlo demissum ac ostensum oranti Petro, et Cornelium Centurionem Italicæ cohortis Christianæ militiæ ascriptum, quam facilis hæc via, divinitus aperta præconibus Evangelii ad fines extremos Romani imperii, ex quo, ut ait Leo Magnus, serm. 1, de SS. Apostolis: « Beatissimus Petrus princeps apostolici ordinis ad arcem Romani destinabatur imperii, ut lux veritatis quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. »

Nituntur adversarii ecclesiasticæ hierarchiæ, ac primatus apostolicæ sedis, hanc petram convellere, et fundamento Christiani ædificii subtrahere, sive propemodum negantes cum Calvino Petrum apostolum unquam Romæ fuisse, sive « inveterata tot sæculorum auctoritate consensioneque deterriti (ut verbis Petavii utar Doctr. temp. lib. IX, cap. 13), hoc unum cum eo remittentes, ut illum Romæ mortuum esse concedant: quod autem vel episcopus illius urbis aliquando fuerit, vel diutius in ea manserit, id vero prorsus inficiari se dicentes. » Sequitur Petavius: « In eamdem quæstionem, errorisque patrocinium vehementius nuper Spalatensis incubuit; qui lib. IV, cap. 1, adversus utramque Petri sedem uberrime, ac scrupulosissime disputavit; nodum hunc vix solubilem esse præfatus quem nihilominus soluturum se professus est, atque ex ipsis sacræ Scripturæ fontibus rem ita illustraturum omnem, ut *adversus torrentem Scriptorum* (sic enim loquitur) *regia via procederet*. Sed ubi tam magna et præclara minatus est, ac reconditæ cujusdam, neque vulgaris iis in rebus peritiæ spem lectoribus ostendit, incredibile est dictu, quam se imperite in tota illa temporum controversia jactaverit; adeo sane, ut ne prima quidem elementa artis illius, quam profiteba-

tur, se didicisse fidem fecerit. De quibus cum ante biennium fere reverendiss. D. Nicolai Coeffeteavi Massiliensis episcopi piæ memoriæ rogatu hortatuque Dissertationem scripserim, quam ille loculento et egregio operi illi intexuit, quod contra Spalatensem edidit, quæ illic fusius atque uberius exposuimus, summatin hoc in loco, quæ est propria sedes quæstionis illius, perstringenda putavimus. » Non transcribam Petaviani libri capita 13 et 14, cum præ manibus omnium sint. Summam tantummodo perstringam. Ostendit veritatem atque insciliam Spalatensis, recoquentis Calvini crambem, et Magdeburgensium objecta, toties a catholicis dissoluta. Indicat ex Luca sub inde a nece Stephani per dispersos discipulos Christianam lucem Judæis Antiochensibus illatam fuisse. Petrum triennio post conversionem Pauli profectum Antiochiam fixisse in ea civitate sedem episcopalem. Auctum deinde numerum Ecclesiæ Antiochenæ, quando Chistianæ fidei ibidem amplificatæ nuntius Hierosolymam allatus est. Frequentes excursus Petri visitandorum gratia fidelium: neque omnes distincte in Actibus memoratos, sed contentum fuisse Lucam genus edicere, cum referret, Petrum visitando pertransire universos. Videri poterat satis consultum patrocinio veritatis, per hæc observata Petavii chronologorum facile principis ita vindicatæ, uti explicat initio capitis 14. Quæ ab hæreticis, inquit, ex accurata annorum disputatione et Actorum historia, contra Petri cathedram opponi solent, iis funditus eversis ac convictis, nihil jam obstare potest, quin vetus, et apud catholicos recepta traditio pondus suum et auctoritatem retineat. Verum quia necessitas componendi sacram historiam apostolicam cum rationibus profanæ, in annis regum Judæorum, ac Cæsarum Romanorum præsertim pariandis cum Petri præsentia Hierosolymis, Paulo illuc ascendente, ut Petrum videret, Herode Agrippa eumdem vinculis mancipante, post Jacobum gladio occisum, iterum adeunte Hierosolymam. Paulo post annos quatuordecim a conversione sive a prima collocutione cum Petro et congregatis apostolis in concilio ad respondendum de legalibus, quod referunt communiter ad annum 53 æræ Christi vulgaris, necessitas, inquam, componendi utrasque historias apostolorum, ac Cæsarum cum pariat implicatas quæstiones; inde facile ansam arripiunt hostes Romanæ cathedræ ex uno, vel altero textu historicorum quærendi, ut aiunt, nodum in scirpo. Hinc Petavii rationibus declinatis, acieque argumentorum refusa, Schelestratio illi in pugna succedenti novos ictus intentant, chronologiam in discrimen revocantes. ut nostra historia pontificalis cum ipsa concidat. Neque id præstant sulummodo Doduellus et Pearsonius, semper vehementius contra nos incitati; sed etiam qui moderatius solent nobiscum agere, uti Joannes Millius in præfatione ad Novum Testamentum suæ editionis, et Guillem. Cave in historia Script. eccl. verbo *Petrus*, quasi conclamatam chronologiæ nostræ causam miserantur. Ut constare, sibi, et consentire tum sacris litteris, tum documentis probatæ historiæ etiam profanæ cognoscantur tempora, ac gesta, quæ Petro tribuimus, placet Annalium more Chronicon breve hic attexere ab exordio pontificatus Petri ad tres præcipuas sedes ab ipso fundatas, Antiochiæ quidem ac Romæ suamet præsentia, Alexandriæ vero per Marcum evangelistam. Sed ne interrumpam contextum notarum ad hunc numerum, in fine earumdem poterit collocari.

Linea 6. — *Et Evangelium Marci, quia Marcus auditor ejus fuit, et filius de baptismo.* Tertullianus, lib. IV, contr. Marcionem cap. 5, causam retulit, cur ab aliquibus Evangelium Marci tribueretur Petro: indicante etiam B. Hieronymo in lib. de Script. ecclesiasticis. Hujus verba sunt: « Marcus discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audiverat, rogatus Romæ a fratribus breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, et probavit, A et Ecclesiæ legendum sua auctoritate dedit. Assumpto itaque Evangelio, quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum. Autographum Evangelii B. Marci Venetiis asservari in thesauro ejus ducalis basilicæ fama est, litteris principum id contestantibus: quas edidit R. P. Montfaucon in suo Diario Italico pag 55 et sep. Beneficio excellentissimi D. Foscarini divi Marci procuratoris, cui magistratui cura sacri thesauri demandata est, impetravi, ut evolvere mihi liceret codicis folia, dum anno superiore 1720, die 2 Decembris sacra lipsana venerarer ibidem asservata; et adhibito perspicillo diligenter inquirere, num Græci, an Latini characteris forma in litteris appareret, a Montfauconio depictis: cujus diarium consulto mecum attuleram, una cum lamella tenui, qua possem putrida folia diducere, citra periculum fracturæ. Incassum laboravimus quotquot hoc studio tenebamur; nam licet lumina complura admoveremus, et lentibus crystallinis augeremus visionis angulum, nullum tamen elementi vel Latini, vel B Græci vestigium deprehendere datum fuit: ita detritis ævo, atque erosis (salsedine forsitan æstuariorum) singulis litteris, ut nullius figura superesset. Narratur in documentis a Montfauconio allatis ex Bolland. tom. III. Aprilis, pag. 345, in metropolitana Ecclesia Pragensi asservari duos ultimos quaterniones ejusdem codicis S. Marci Latinis litteris scriptos quos Carolus Quartus imperator obtinuit, et memoratæ Pragensi Ecclesiæ donavit. Hujus Veneti codicis membranaceæ esse folia, non autem ex phylira (ut ille opinatur), nemo ex præsentibus attente considerans dubitavit. Refundenda est in acrimoniam salsi humoris ab australibus ventis excitati, quibus perflantibus marmora ipsa ecclesiæ S. Marci fiunt irrigua, corrosio atramenti, ac litterarum, quæ apparet in recentioribus etiam codicibus Evangeliorum eodem armario custoditis, licet horum scripturæ antiquitas annos 400 non superet. Ea enim se insinuante cum ære ipso intima in penetralia, C quantolibet studio custodita, effectum est, ut quæ lineamenta litterarum R. P. Montfaucon observanti Latinæ scripturæ indicium evidens exhibuerant, jam omnino deperdita intra annos duos et viginti, nullum suæ figuræ vestigium reliquerint.

Linea 7. — *Post omnem quatuor Evangeliorum fontem, quæ ad interrogationem, et testimonium ejus firmata sunt* [codices Holstenii, et Schelestratii habent *formata*], *dum alius Latine, aliusque Græce, et alius Hebraice consonant, tamen ejus testimonio sunt firmata.* Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, non solum firmata testimonio Petri, verum etiam formata ex ejusdem responsione textus exhibet. Evangelium Joannis, post martyrium Petri, annis ferme triginta contextum, ut in Clemente dicemus, auxit canonem Scripturarum, quem clausit Apocalypsis. Editores Maguntini et Parisini hoc loco non otiose observant, apostolorum principis testimonio illa scripta, licet divinitus dictata, non caruisse: sive D Matthæus in re tanti momenti, quanti erat Christi gesta et doctrinam scripto consignare, noluerit uti potestate apostolica, citra conscientiam principis apostolorum; sive testimonium Petri adhibitum fuerit ad versionem Evangelii ex triplici lingua conferendam cum autographo Scripturarum; et signaculum adhibitum ad genuinam exemplaris illius auctoritatem roborandam, quod Ecclesiæ Romanæ contradidit; certum est, pontifices Romanos Petri successores id honoris, ac juris in Ecclesia catholica semper obtinuisse, ut œcumenicorum conciliorum decreta tum de fide, tum de moribus, licet prolata ab Ecclesia universa, ejusdem divini Spiritus afflatu, et auctoritate, qua Evangelia conscribebantur, ipsi confirment, ac subsignent, et rata habeant. Hinc etiam vetustus mos inolevit illius ritus sacri, quem in antiquissima liturgia, sive Ordine Romano contraditum retulerunt illius editores, ut scilicet signaculo episcopi toties communiretur codex Evange-

i, quoties diaconus ab episcopo reseratum et bone lectum, perferri iterum ad episcopum, le ad archivum apostolicum per subdiaconos arios curaret.

:x Mazarinus, ut a Fabrotto discimus, refert tionem Lini et Cleti ad episcopatum, ut pos- officio sacerdotali implendo Petrum juvare:) scilicet episcoporum ordinatio contigeret, m tum per tres episcopos peragi cœpit, uti t ex canone inter apostolicos 1. Unde etiam i est vetus consuetudo Ecclesiæ Romanæ adhi- :piscopos suburbicarios, qui etiamnum con- it sacri cardinalium collegii partem prima- Videtur autem apostolorum Princeps nume- x episcoporum auxisse episcopos suburbica- um in fine hujus primi num. Liber Pontificalis ordinatos a B. Petro episcopos sex, presbyte- diaconos 8 (seu potius 7, uti correctius exhi- odices Surii, Freheri, Mazarini, Florentini Vaticani). Ordinationes enim numeratæ in ontificali in Vitis pontificum referuntur ad am Romanam. Nam satis constat ex docu- totius Occidentis, per tractum continentis et um, patriarchatui Romano subjectum, ordi- fuisse ac transmissos a B. Petro episcopos lures: quos vide in notis Ciaconii, Somier., um.

'unt etiam codices Regius, Mazarinus, et is disputationes a Petro habitas ad Simonis chnas dissolvendas, et mortem divinitus im- Mago, avertere curanti Romanum populum tolica doctrina suscipienda. Hujus rei memi- Justinus in Apolog. 2, sect. 34; Irenæus, ap. 20; Euseb., lib. II, cap. 13. Vide Baron. 44, n. 13, et Sommier. Hist. dogmaticæ S. bro I. pag. 105.

idem codicibus memoratur Clementis ordina- uliari formula ita descripta. « Petrus vero s diem mortis sibi imminere, Clementem epi- consecravit, eique cathedram, vel Eccle- nnem disponendam commisit, dicens: Sicut gandi et solvendi tradita est a Domino meo risto potestas, ita et ego tibi committo, ut dispositores diversarum causarum, per quos cclesiasticus dirigetur, » etc Qua de re op- or erit dicendi locus in notis ad Vitam Cle-

: 10. — *Annis* 38. Exacte. Juxta nostram ogiam anno vulgaris æræ 20 passus Domi- Martii. Anni 37 a Passione complentur 25 nno vulg. æræ 65. Trimestri spatio anni 38 , nempe 28 Junii anni 65 Petrus et Paulus o coronantur.

11. — *Sepultus est in via Aurelia in templo isjuxta locum ubi crucifixus est, juxta palatium num in Vaticano.* Nemo ex antiquis dubi- iod sciam, de loco martyrii B. Petri. Con- omnium ætatum docet, in circo Vaticano ici affixum inter utramque metam ejusdem cir- quem locum Evaristus titulum superstruxit), Constantinus basilicam Vaticanam. Primus i, ut arbitror, Maphæus Veggius argutatus *r utramque metam,* quod in Actis martyrii ita exponi oportere: ut meta una fuerit *oberci Neroniani* ad radices Vaticani collis, aut im moli Adriani proximum, modo disjectum, ipionis Africani, vel Romuli vulgus appella- era vero *pyramis sepulcri Cestiani,* tota Ur- netro dissita a circo Vaticano. (*Torrigius, de Vaticanis, pag.* 195.) Nova plane methodus designandi quam nemo ex metatoribus, aut tis usurparet. Nemo prudens certe diceret, Suecorum Christinam supremum diem biisse in ædibus sitis inter obeliscum Vati- t pyramidem C. Cestii, ut ædes Riariorum t, inter utrumque terminum constitutas; ta Urbe interjacente, hujus innumeris parti- bus illa indicatio aptetur. Ad hæc quis unquam vocaverit metam aut sepulcrum Scipionis, aut pyramidem Cestii? Rideat merito lector tam ineptam designationem, quam aures vix ferre possunt, eorumque stupiditatem, qui utramque metam circi non intelligant esse duo extrema ejusdem spinæ circi Vaticani: inter quæ Petrus cruci affixus tropæum erexit Christianæ religionis, a Tertulliano indicatum, et frequentatum per septemdecim sæcula a Petri martyrio ad nostram ætatem piis peregrinationibus omnium nationum.

Linea 13. — *Hic fecit ordinationes,* etc. Ordinationes hoc in libro memoratæ pertinent, uti diximus, ad Ecclesiam Romanam. Cur autem ordinum illorum collatio, qui Ecclesiæ hierarchiam constituunt, episcopatus, presbyterii et diaconatus, referatur inter præcipua gesta pontificum, causam colliges ex Actis apostolorum. Observarunt viri docti, cum Ciaconio, Petri gesta post Ascensionem Christi Domini ipso novemdiali spatio interposito ante adventum Spiritus sancti cœpisse ab implendo numero sacri senatus. Nihil enim antiquius habuit Christi vicarius in suscipienda administratione totius Ecclesiæ, quam in concione omnium fidelium Christi Domini jussu advocata fratres alloqui, ac decernere, ut communibus suffragiis viri præstantes duo ex cœtu fidelium proponerentur, et communibus precibus impetraretur, ut unum ex illis divina designatio sublegeret, quem in locum proditoris Judæ apostolum numerarent: quod in Matthia perfectum fuisse ibidem legimus cap. I. Exordium igitur gestorum pontificalium Petri, Ecclesiæ universæ regimen suscipientis Hierosolymis, cœpit ab episcopi, sive apostoli electione et consecratione. Ibidem noscimus usum susceptæ potestatis sacerdotii ab apostolis quotidie frequentatum (atque adeo a novo presbytero, episcopo, et apostolo Matthia), tum in verbo Dei interpretando, tum in orationibus offerendis, tum in sacrificio incruento iterando, et pane eucharistico fidelibus distribuendo, ex vers. 42 et 46 capitis secundi: *Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus,* etc. *Quotidie quoque perseverantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem,* etc. Presbyteros etiam constitutos Hierosolymis ab apostolis docemur Actuum cap. XV, quando Antiochena Ecclesia legavit Paulum, et Barnabam, et quosdam alios *ad apostolos et presbyteros in Hierusalem super hac quæstione,* scilicet de circumcisione, aliisque legalibus cæremoniis. Post officia apostolatus, sive episcopatus et presbyterii, electio septem diaconorum, eorumque ordinatio per manuum impositionem ab apostolis peracta (*cap.* VI) complevit hierarchiam nascentis Ecclesiæ Hierosolymis anno primo a Christi Domini Passione; quam formam sibi traditam tum Antiochena imitata est, dum in ea cathedram Petrus erexit, tum Romana suscepit, et constanter retinet, ex quo huc transtulit apostolorum Princeps universalem cathedram et primatum. De Antiochenæ Ecclesiæ hierarchia tribus hisce gradibus constituta testes sunt litteræ illius Ecclesiæ antistitum a Petro proximorum, præsertim Ignatii martyris, qui proximus ab Evodio successit Petro, eosdem gradus diserte memorantes. De Romana vero nulla non ætas testimonium reddit, et præsertim hic liber Pontificalis, in singulis pontificibus memorans presbyteros et diaconos Ecclesiæ Romanæ ab ipsis datos, et episcopos aliquando tantum suburbicarios, quandoque etiam in aliis civitatibus per tractum Occidentalis patriarchatus institutos: quare in iis recensendis plerumque additur *episcopos per diversa loca numero* N. De numero presbyterorum et diaconorum Romanæ Ecclesiæ erit infra dicendi locus in Vita S. Cleti. Hic observo episcopos adjutores tres a Petro institutos circa Urbem, Linum, Cletum, Clementem, ut eorum scilicet ministerio peragi in Urbe posset episcoporum consecratio, quæ ex insti-

tutione ac traditione apostolica tres saltem episcopos requirit. Sive is numerus a Petro duplicatus deinde sit, sive a successoribus (qui explicaverunt pariter numerum presbyterorum et diaconorum cardinalium Romanæ Ecclesiæ, extendentes summam 25 presbyterorum ad 50, et diaconos 7 ad 14), certum est ætate concilii Nicæni sex episcopos recenseri ex veteri consuetudine Romano pontifici præsto fuisse.

ANNALES *pontificatus B. Petri ab Ascensione Domini ad fundationem trium sedium præcipuarum, Romanæ, Alexandrinæ et Antiochenæ, juxta æram Christi communem.*

Anno 28, bissextili. — Duobus Geminis consulibus.

Christus Dominus VIII Kal. April. feria V, Pascha cum discipulis celebrat, et Passionem in horto inchoat: die vero VII Kal. April., feria VI, in cruce pendens moritur. Resurgit die Dominica V Kal. Aprilis (Victorius Aquit. *in Can. Pasch.* et S. Hippolytus *in Tab. paschali*). Mense Aprili ad finem vergente curam universi gregis fidelium Petro demandat, eumdemque summum pontificem creat.

Hinc incipit epocha pontificatus beati Petri in Ecclesia.

Christus Dominus in cœlum ascendit fer. V, die 6 Maii. Ordinatur S. Matthias.
Eliguntur septem diaconi.

Anno 29. — *Vinicio et Longino coss.; Pontif. Petri* I *et* II.

Primo pontificatus anno nondum completo Pascha cum celebret B. Petrus; hi consules primo pontificacatus ipsius anno tribuuntur in catalogis, Orientalium more per annos sacros, seu paschales contextis. Prima Ecclesiæ persecutio, in qua Stephanus coronatur. Actorum VIII. Philippus evangelizat Samariæ. *Ibid.* Petrus et Joannes Hierosolymis mittuntur Samariam.

Anno 30. — *Tiberio Augusto et Sejano coss.; pontif. Petri* II *et* III.

Conversio Pauli (*Act.* IX), qui Damasci in synagogis prædicat Christum. *Ibid., vers.* 22. Abit in Arabiam, unde regressus Damascum triennio post, a Barnaba perducitur ad Petrum et Jacobum apostolos Hierosolymis agentes. Infra ad Gal. I.

Anno 31. — *Cn. Domitio et M. Furio Camillo coss.; Petri* III *et* IV.

Petrus et Joannes redeuntes Hierosolymam evangelizant multis regionibus Samaritanorum (*Act.* VIII, 25).

Anno 32. *biss.* — *Galba et Sulla coss. Petri* IV *et* VI.

Qui dispersi fuerant a tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem, et Cyprum, et Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Judæis (*Act.* XI, 19). Interea Ecclesia per totam Judæam, et Galilæam, et Samariam, habebat pacem (*Act.* IX, 31).

Anno 33. — *Persico et Vitellio coss.; Petri* V *et* VI. *et Antiochenæ sedis.*

Paulus ex insidiis Judæorum Damasci ereptus Hierosolymam venit: ubi (*Act.* IX, 27) a Barnaba perducitur ad apostolos (Petrum et Jacobum): et cum Petro manet diebus 15 (*Gal.* I, 19). *Et erat cum illis intrans et exiens, et fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum Græcis* (*Act* IX, 29). Petrus pariter modo intrans Hierosolymam, modo exiens, et visitans fideles, pertransibat universos (*Ibid., vers.* 32). Eodem anno Petrus dicendus est Antiochiam venisse, et in Ecclesia ibidem collecta ex Judæis (nondum admissis gentibus) sedem fundasse; cum narretur eam septennio tenuisse antequam Romanam constitueret anno 40. Mox Lydæ sanat Æneam, et in Joppe Tabitham a mortuis excitat; ibique moratus diebus multis apud Simonem Coriarium (*Act.* IX, 43,) et de vocatione Gentium admonitus, accersitur Cæsaream, ubi baptizat Cornelium centurionem cohortis Italicæ (*Act.* X). Paulus disputans cum Græcis invidiam incurrit, et ad mortem appetitur. Fratres, ut illum subducant insidiis, deducunt eum Cæsaream, et dimittunt Tarsum (*Act.* IX, 30).

Anno 34. — *Gallo et Noniano coss.; Petri* VI *et* VII, *et Antiochenæ sedis* I *et* II.

Petrus, baptizato Cornelio, ascendens Hierosolymam, mysterium aperit gratiæ, in gentes quoque diffusæ. (*Act.* XI, 2 *seq.*).

Anno 35. — *Papiro et Plautio coss.; Petri* VIII *et* VIII, *et Antioch. sedis* II *et* III.

Ex his qui dispersi fuerant post martyrium Stephani erant viri Cyprii et Cyrenæi; qui cum venissent Antiochiam loquebantur, et ad Græcos annuntiantes Dominum Jesum (*Act.* XI, 20), multusque numerus conversus est ad Dominum (*Ibid.*). Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis, et miserunt Barnabam usque ad Antiochiam (*Ibid., vers.* 22).

Anno 36, *biss.* — *Proculo et Nigrino coss.; Petri* VIII *et* IX, *et Antioch. sedis* III *et* IV.

Tiberius imperator diem obit Kal. Aprilis, uti ex Dione corrigit Usserius. Caius in imperio successor Agrippam Herodis Magni ex Aristobulo filio nepotem, Romæ a Tiberio moriente in vinculis relictum, regem appellat, tetrarchia Philippi, et Lysaniæ eidem attributa. Herodes (Antipas Galilææ tetrarcha) ascendit Hierosolymam ad sacrificium Deo offerendum (*Josephus*, lib. XVIII, cap. 7). Præside Syriæ Vitellio.

Barnabas, ut pervenit Antiochiam, hortabatur omnes, et apposita est multa turba Domino (*Act.* XI, 24).

Anno 37. — *Juliano et Asprenate coss.; Petri* IX *et* X, *et Antioch. sedis* IV *et* V.

Herodes Agrippa a Caio impetrat ejus imperii anno secundo veniam domum redeundi ad regnum ordinandum. Flaccus Ægypti præses Judæos persequitur Alexandriæ. Mox ipse comprehensus jussu Caii multatur exsilio.

Barnabas Antiochia profectus Tarsum quærit Paulum: quem cum invenisset perduxit Antiochiam. Et annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia: et docuerunt turbam multam, ita ut cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani (*Act* XI, 26).

Matthæus circa hunc annum scripto consignat Evangelium. Id factum asserit Eusebius (*Hist. eccl.* lib. III, cap. 24) cum Hebræis primum fidem prædicasset, et antequam ad alias quoque gentes profiscisceretur (hoc est ante annum duodecimum a Passione Domini, cui profectionem apostolorum in provincias attribuit, et adventum Petri Romam in Chronico), et antequam Marcus suum Evangelium scriberet, eoque assumpto in Ægyptum tenderet, quod pariter Eusebius retulit ad annum duodecimum a passione Christi.

Anno 38. — *Caio Cæs et Cæsiano coss.; Petri* X *et* XI, *et Antioch. sedis* V *et* VI.

Herodes tetrarcha in Italiam veniens a Caio postulat regnum Agrippæ. Caius illum defectionis reum suspicatus pellit in exsilium, et multat tetrarchia Galilææ et Peræææ: quam adjicit regno Agrippæ ejus æmuli, licet uxoris fratris. L. Vitellio e Syria accersito successor datur Petronius (*Josephus*, lib. XIX, cap. 6). Prophetæ superveniunt ab Hierosolymis Antiochiam. Inter eos Agabus, qui prædixit famem, quæ futura erat sub Claudio (*Act.* XI).

– *Caio Cæs.* III *solo cos.*; *Petri* XI *et* XII, *et Antioch. sed.* VI *et* VII.

ivinos honores appetens, colossum sibi Hierosolymis decernit. Agrippa Romam cui Caius adjicit tetrarchiam Herodis s patrui, in exsilium pulsi Lugdunum. o exorta seditio Alexandriæ Judæos inter ansam præbet Philoni legationis susci- C. Cæsarem. Caius ad bellum Germani- itannicum, quod meditabatur, legiones xciverat. Legiones aliquot, hactenus in læa, et proximis provinciis degentes, in ı transferuntur; et paulo post sub Claudio ı Britannia. Fortasse etiam cohors Italica nturionis, aut milites Christiani ex præ- reæ, in Italiam migrant cum ea legione. ı opportunitatem itineris, et hospitii Ro- nt beato Petro: cui providenter migran- Romam etiam causa Ecclesiæ Orientalis, atione regum Judæorum ac tetrarcha- B

— *Caio Cæs.* IV *et Saturnino cos.*, *Petri* XII *et* XIII, *et Romanæ sedis* I,

postolus circa initium anni in Urbem ve- anam Ecclesiam fundat. Ex paschali vero o complebatur ejusdem summi pontificatus decimus, aperitur initium epochæ pon- tomana in sede exercendi. Epocha paschæ- ni sacri, more Orientalium et Judæorum, eret in mensem Aprilis, et in diem Apri- urreret epocha annorum Urbis conditæ, ırpata ex Parilibus, et Claudii ætate ita a etiam in fastis sacerdotalibus ethnico- l Gruterum fol. 300; Romani alligarunt mino initium pontificatus maximi a Petro cum sede translati; unde ad martyrium unii anni 65 æræ Christi communis, recte ur anni 25, menses 2, dies 8. Ætate au- C tantini Magni, qua Paschatis Christiani stituta est cum terminus paschalis ultimus ı diem 25 Aprilis, ea die placuit institui majorem, et publicum processum om- inum ad Sanctum Petrum. Quare ad hanc erentes aliqui auctores annum pascha- ontificium, numerant ex ea die ad diem nni 65, annos 25, menses 2 et dies 3.

Caligula urget dedicationem colossi Hiero- Resistunt Judæi. Id exprobrat Caius Herodi apud se agenti. Agrippa deprecatur in- atriis legibus. Caius mitigatus respondet is.

um moram trahit Romæ, cum Petro collo- t amicitiam contrahit: qua etiam de causa Marci; discipuli Petri, apud Alexandriam s ornasse laudibus. (S. Hieronymus, *de cl., in Philone.*)

— *Annus Caianæ cædis* IX, *Kal. Februa-* D *Petri* XIII *et* XIV, *Romanæ sedis* I *et* II.

es cum biduo interregni retulissent in se- publica restituenda, et abrogando imperio, brasi, ut omnis memoria hujusce temporis . Jo. Malala in chronographia tradit Ca- rfectum, et Claudium imperatorem ele- sio *et Solone coss.*, qui nuspiam in Fastis . Supersunt nomina consulum ordinariorum al. Januarii signatorum) in tessera gladia- ud Fabrettum Inscript., cap. 1, num. 191, astis non reperiuntur.

MARTIALIS
MANLII
SP. K. IAN
TI. CATIO. P. CAELER.

se consules ordinarii hujus anni. *Ti. Catius* (ex quo Malala formavit Cassium) *et Publius Cærellius*; nam hæc familia consulares habuit, ex quibus C. Cærellium proconsulem Macedoniæ (*apud Reinesium*, pag. 402), nisi et P. Cæler ex ignobilibus amicis Caii fuerit consul creatus eadem facilitate qua proprium equum collegam sibi destinasse dicitur Caius in eodem magistratu. Horum alterutri suffectus fortasse post dies paucos ille *Pomponius secundus* consul, quem memorat Dio lib. LX sub initium, sive *Q. Pompeius*, ita nominatus a Josepho lib. X, cap. 3. Utut sit, constat Claudium *nihil antiquius duxisse imperio stabilito, quam id biduum, quo de mutando reipublicæ statu hæsitatum erat, memoria eximere* (Sueton. *in Claud.*, cap 11; et Josephus addit loco indicato: *Senatum desertum fuisse a suis propugnatoribus, et consules ferme in privatorum ordinem redactos, mæstitia, stuporeque occupatis omnibus, nec scientibus quidnam agendum post irritatum in se Claudium.* Quare hujus anni consules in Fastis desiderantur, ut alibi fusius demonstratur.

Claudius imperium adeptus non sine prudentibus Herodis Agrippæ consiliis, regnum illi confirmat, et auget ditione Judææ ac Samariæ, ornatque regem honore consulatus: qui subinde revertitur in Palæstinam.

Marcus, interpres Petri, rogatu fratrum scribit Evangelium, quod Petro probandum offert. Ab eodem apostolorum principe Roma mittitur in Ægyptum, ut nomine Petri fundet sedem Alexandrinam, et annuntiet Evangelium quod conscripserat. (S. Hieronymus, *de Script. Eccl., in Marco.*)

Anno 42. — *Claudio Augusto* II *et Largo coss.*; *Petri* XIV *et* XV *Romanæ sedis* II *et* III, *Alexandrinæ vero* I.

Judæi Romæ, cum nimium frequentes fierent, vetiti sunt convenire (*Dio*, pag, 669). Alibi per imperii Romani provincias potestas illis data ut suis moribus uterentur.

Petrus Roma regreditur in Palæstinam, tum ut illi Ecclesiæ consulat, cui sub novo rege Agrippa periculum imminebat: tum ut visitet Ecclesias cæteras Orientales, Ponti, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ, ac reliquas.

Herodes Agrippa ad demerendos sibi Judæos sævire in Ecclesiam cœpit. Ac primum Jacobum occidit, deinde Petrum in carcerem conjecit: unde is ab angelo servatus abit in alium locum (*Act.* XII), nempe Antiochiam, et in provincias Asiæ Minoris paulo ante memoratas.

Claudius, Britannicam expeditionem parans, legionem quartam ex Syria aliasque evocat in Occidentem. Vide notas superiores nostras ad lin. 5 hujus numeri.

Anno 43. — *Claudio Aug.* III *et Vitellio* II *coss.*; *Petri* XV *et* XVI, *et Romanæ sedis* III *et* IV.

Claudius in Britanniam accersitus a Suetonio Paulino, eamdem insulam ejusquem reges nonnullos in deditionem recipit, de qua triumphat Romæ anno proximo. Senatus Claudio decernit arcum triumphalem ob res bene in Britannia gestas: cujus monumenti inscriptio dimidia sui parte, adhuc superstes in ædibus Barberinis edita fuit inter antiquas inscript. (*Fabretti, pag.* 728, et suppleta.)

Perductis Annalibus Petri ad fundationem trium sedium præcipuarum, eoque in Judæam reverso, ubi post concilium apostolorum de legalibus habitum quod interpretes communiter referunt (*ex Epistola ad Galat.* II, 1) ad annum ab Ascensione Domini 48, et inde profecto Antiochiam (*ibi, vers* 11) ut provincias proximas visitaret, ad quas deinde Romam reversus primam dedit Epistolam sub Nerone. Petri gesta per annos distribuere supersedeo, cum documenta singulorum non suppetant. Satis fuerit indicasse illum in Oriente versatum videri usque

ad exitum Claudii, nempe ad coss M. Asinium Marcellum, M. Acilium Aviolam Christi 54, occupatum fundandis et visitandis ecclesiis, in Asia præsertim sitis. Reliquos annos ita disponimus.

Anno 55. — *Nerone et Vetere coss.; B. Petri* XXVII *et* XXVIII, *et Romanæ sedis* XV *et* XVI.

Juxta catalogum Liberianum, B. Petrus Romam iterum venit.

Anno 66. — *Saturnino et Scipione coss.; B. Petri* XXVIII *et* XXIX *et Romanæ sedis* XVI *et* XVII.

B. Petrus ordinat Linum episcopum (ex eodem catalogo Liberiano) ut ministerium sacerdotale per absentiam apostolorum principis in Urbe exerceat, sibique præsenti opituletur, ut infra dicimus num. 2. Circa hunc annum 56 æræ communis Christianæ, vel paulo ante scripsit B. Petrus primam Epistolam; quam constat datam postquam discipuli *Christiani* fuerant, et senioribus, seu presbyteris auctæ, et ante octavum Neronis annum, Marci evangelistæ martyrio insignitum, cum ejus nomine Petrus salutet fidelium Ecclesias, ad quas perscribit. Inde ad annum 65 æræ communis Christianæ partim in Urbe, partim per provincias Occidentis versatus; et occupatus amplificandis Ecclesiæ finibus, eas præcipue sedes episcopis ornavit, quas infra enumerant notæ Somier circa finem.

Anno 58. — *Nerone* III *et Messala coss.; S. Petri* XXX *et* XXXI, *et Romanæ Sedis* XVIII *et* XIX.

Felici succedit Festus in Judæa procuranda. (*Act.* XXIV, 27.)

S. Paulus Cæsarem appellans Romam mittitur (*Act.* XXVII) anno Neronis quarto (S. Hieronymus, *de Script. Eccl., in Luca*).

Anno 60. — *Nerone* IV *et lentulo coss.; S. Petri* XXXII *et* XXXIII, *et Romanæ sedis* XX *et* XXI.

Jo. Malala Antiochenus in sua chronographia his coss. assignat martyrium SS. Petri et Pauli Romæ. Confundit prima vincula Pauli cum secundis. Paulus e sua custodia secundam Epistolam scribit ad Timotheum, eumdem advocans cito in Urbem. Quo adveniente alias epistolas mittit, a Baronio enumeratas ad ann. 59 et 60.

Anno 61. — *Pæto et Turpiliano coss.; S. Petri* XXXIII *et* XXXIV, *et Romanæ sedis* XXI *et* XXII.

S. Paulus e custodia liber dimittitur. S. Petrus Occidentales provincias visitat et docet (Ex S. Innocentio I. *epistola ad Decentium*). S. Lucas Romæ Acta apostolorum conscribit. Vide Baron. ad ann. 61, num. 6.

Anno 62. — *Celso et Gallo coss.; S. Petri* XXXIV *et* XXXV, *et Romanæ sedis* XXII *et* XXIII.

Martyrium S. Marci octavo Neronis anno (S. Hieronymus, *de Script. Eccl., in Marco*). Theophilus chronographus apud Jo. Malalam, pag. 325, eodem anno refert mortem S. Marci Alexandriæ. succedente Aniano, et mortem Evodii Antiochiæ, succedente Ignatio; et reditum. B. Petri Romam, ut Simonis Magi præstigia subvertat.

Anno 63. — *Regulo et Rufo coss.; S. Petri* XXXV *et* XXXVI *et in Romana sede* XXIII, *et* XXIV.

Simon Magus, orante B. Petro, præceps cadit. Vide Baron. et auctores ab eo productos ad ann. 68, et notas Sommier, infra ad hunc numerum.

Anno 64. — *Lecanio Basso et Licinio Crasso coss.; S. Petri* XXXVI *et* XXXVII, *et in Romana sede* XXIV *et* XXV.

Incendium Romæ sub Nerone, et persecutio prima Christianorum (Tacit. *Annal.* XV, sect. 38 et 44). *S. Petrus secundam* Epistolam hinc transmittit.

Anno 65. — *Nerva et Vestino coss. Neronis annus* 12 *ex die* III *Idus Octobris. S. Petri* XXXVII *et mitium* XXXVIII, *et in Romana sede* XXV, *menses* 2, *dies* 7, *ex* 21 *Aprilis ann.* 40.

Martyrium SS. Apostolorum Petri et Pauli die 29 Junii, annis 37 absolutis a Passione Domini. (S. Hieronymus in Petro.) Epiphanus retulit ad annum Neronis XII. Vide Baron. ad ann. 69, num. 2. Succedit in Romana sede et universali totius Ecclesiæ S. Linus, de quo num. sequenti.

CIACONII.

Linea 1. — *Beatus Petrus apostolus, et princeps apostolorum.* A Christo *Cephas*, seu *Petrus* vocatus, non quod aliud *Cephas*, aliud significet *Petrus*, sed quod quam nos Latine et Græce *petram* vocamus, hanc Hebræi et Syri propter linguæ inter se vicinam, *Cepham* nuncupent, ut Hieronymus testatur lib. I in II c. ad Galat. Significat autem Cephas non qualemcunque petram, sed solidissimam, ut rupem, aut cautem, quæ fundamentis subjecta solet esse firmissima. Neque ob affinitatem quam habet cum Græca voce Κεφαλὴ, caput significat, ut Isidoris sensit Orig. VII, c. 9. Aliud enim est Cephas dictio Syriaca, aliud Κεφαλὴ, id est *caput*. Fuit autem hoc nomen Simoni a Christo impositum non citra magnum mysterium, et judicium rerum clarissime gerendarum; sicut in Jacobo et Joanne, Zebedæi filiis, accidit, qui *Boanerges*, hoc est *Tonitrui filii*, fulgura, inquam ab eodem Salvatore nominati, quod alter occiduam, alter orientalem deberet plagam illuminare.

Linea 2. — *Vico Bethsaidæ.* Bethsaida parva, et ignobilis Capharnactani agri civitas, ad littus magni lacus Genesareth, sive maris Tiberiadis sita.

Linea eadem. — *Primus sedit cathedram episcopatus in Antiochia.* Sexto pontificatus sui anno procedente, Antiochiam, Syriæ metropolim, pervenit, ibidemque Christi fidei mysteria docuit, et primus Antiochenam fundavit, rexitque per se ipsum ecclesiam, cathedram ejus episcopatus adeptus VIII Kalendas Martii, hoc est die 22 Februarii, quo ab Ecclesia catholica celebratur, Sabbato, anno a Nativitate Christi 37, diebus viginti tribus ante obitum Tiberii. Hoc autem ex Clemente, Eusebio, Hieronymo et aliis constat, qui id ex antiquioribus ejus Ecclesiæ monumentis collegerunt, eique septennium præfuisse, profitentur, non tamen integrum. Ita habent veterum Patrum sententiæ, ita antiquæ ecclesiasticæ traditiones, omnium stabilitæ consensu: quibus potius standum quam aliorum novitiis commentis, qui Antiochenam cathedram post Romanam a Petro susceptam fuisse scripserunt.

Linea 3. — *Hic Petrus ingressus in urbem Romam sub Nerone Cæsare.* Anno Christi 44, Petri pontif. 12; Claudii imperatoris an. 2, Tiberio Claudio Cæsare Aug. Germanico II, et L. Vitellio Nepote II coss. Cum Petrus populos, qui ex circumcisione erant, præcipue erudisset, Antiochenam Ecclesiam fundasset, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, atque Bithyniam, legibus prædicationis evangelicæ imbuisset, totius mundi principem civitatem, et dominam, et universi orbis primariam arcem, Princeps apostolorum et primarius terrarum dux ingressus XV Kalendas Februarii, hoc est die 18 Januarii, qui incidit tunc in feriam sextam, finito secundo anno imperii Claudii, et sex diebus tertio inchoato, et pontificatus sui duodecimo, tribus mensibus et paucis aliis diebus minus, novis consulibus Kal. Januarii proximis creatis, quinquennio Hierosolymis, et septennio ferme in sede Antiochiæ exacto, perseverante adhuc fame, quæ cœperat secundo Claudii anno. Ab adventu Petri in Urbem pontificatus ejus initium sumpsit in eadem, et dies illecebris in primis est habitus et anniversaria ubique festivitate recolitur: et cathedra, in qua populos do-

insedit adhuc integra in ejus basilica asser- A
t singulari in veneratione habetur. Christi
nno 46, Petri pontificatus Romani 3, Clau-
cipatus anno quinto exacto, M. Vinicio Quar-
et M. Statilio Corvino coss., cum triennium
m jam Romæ Petrus insumpsisset in con-
la et confirmanda ea Ecclesia et prædicatione
ii, assidua sollicitudo aliarum Ecclesiarum
lium eum tenebat, et avocabat ab Occidente
lymam, ubi per id tempus non levis erat se-
circumcisione exorta inter fideles; quapro-
conciliandam Ecclesiæ concordiam, Petrus
lymam reversus est: Romæ vicarium, vel
relinquens, qui, se absente, gregem Domi-
conservare et propagare in dies possent.
ersiis interim Orientalibus in concilio Hie-
itano compositis, totum Claudii imperatoris
Petrus in Oriente se continuit, donec anno
56, Neronis imperatoris I, Nerone Claudio
Augusto, et L. Antistio Vetere coss., Urbem B
st tempore reversus, Ecclesiam in ea revisit,
suis sanctis concionibus confortavit et am-
nam antea non licuit suam sedem repetere,
Claudii edicto, qui Judæos omnes Roma ex-
; quod tamen ipsius obitu spirarat.

5. — *Hic scripsit duas Epistolas, quæ catho-
ninantur.* Scripsit Petrus Romæ existens,
idololatriam et immensa scelera, Babylonem
uas Epistolas: priorem, per Silvanum fide-
rem Ecclesiis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ,
Bithyniæ, secundo Neronis anno, Marco
sta in ejus comitatu manente; posteriorem
sdem 12 Neronis anno, cum a Deo sibi esset
tus, et martyrium proxime subeundum, pa-
. Catholicæ autem eæ Epistolæ dicuntur,
iversales, quod non uni populo aut genti,
is ac diversis fuerint scriptæ, sicut Isidorus
. VI, c. 2, testatur; inter Scripturas autem
t canonicas hæ duæ Epistolæ reponuntur. C
libri sex: *Prædicatio, Evangelium, Actus,
, Doctrina, Judicium,* nomine Petri in-
pocryphi, spurii, et falso apostolorum Prin-
uuntur. Eam, quæ dicitur Petri. *Apocaly-*
subditiam et illegitimam a veteribus indi-
pud Palæstinos tamen in ecclesiis quibusdam
notannis in die Parasceves aliquando legi
invenimus. (*Nicph.* l. XII, c. 34.)

6. — *Et Evangelium Marci, quia Marcus
jus fuit, et filius ejus de baptismo.* Marcus,
cipulus, et sectator, et in baptismo filius,
um, quod ipse apostolorum Princeps præ-
t, Romanorum hortatu et precibus Græce
onscripsit, seu, ut alii volunt, Latine,
a lingua archetypum adversari putant
in Marcianis Thesauris. Syri omnes huic
faciunt; et ratio suadet ut non alia, quam
ingua Evangelium in usum Latinis futurum
eretur. Alterutrum horum sit; ex Papia et
e, lib. VI, recitat Eusebius (*Hist.* lib. II, c. D
etrum Spiritu sancto revelante, ut intellexit
itum a Marco, auctoritate illud sua ratum
. et confirmasse, quod in Ecclesia passim
etur. Quibus clarum efficitur, Petro adhuc
te, Marcum non tam suum, quam Petri
ium Romæ, et conscripsisse, et publicasse:
Lucam, quinto Neronis anno, ibidem, paulo
nnium a Cæsare absolutum, librum *Actus
um* inscriptum edidisse.

10. — *Hic martyrio cum Paulo coronatur.*
ecimo igitur Neronis anno et Christi 68, ali-
te passionem diebus, Petrus carceri cum
t vinculis mancipati, falsis accusationibus
tyranni capitalem toleravere sententiam;
prius, et virgis cæsi, ut mos Romanis inole-
præsertim crimine, quod illis impietatis ob-
ur. Paulus, quod Romanus et nobilis, capite
ur ad aquas Salvias extra Portam Trigemi-
nam, tertio ab Urbe milliario. Petrus, quod plebeius
et vilioris conditionis haberetur, crucis morte dam-
natur eodem 13 Neronis anno, eodam die III, inquam,
Kal. Julii: quæ inciderunt tunc die Mercurii, 29
Junii, C. Fonteio Capitone, et C. Julio Rufo cos.
Quod genus mortis, Christus Petro non solum Urbe
excedenti, sed tunc etiam, cum Ecclesiam illi guber-
nandam tradidit, prædixit. *Cum senueris,* inquiens,
*extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo
tu non vis* (*Joan* XXI, 18). Addit Joannes: *Hoc
autem dixit, significans qua morte esset clarificaturus
Deum* (*Ibid., v.* 19). Rogavit Petrus carnifices ne
similiter atque Dominus cruci affigeretur, sed con-
trario et inverso modo, veritus, ut est verisimile,
ne eadem passio eumdem sibi ab insipientibus hono-
rem conciliaret. Et ideo impetravit ut manus infe-
rius, superius autem pedes affigerentur.

Linea 11. — *Juxta locum ubi crucifixus est.* Sup-
plicii locus, summitas Janiculi, seu Vaticani montis
fuit imminens naumachiæ Neronis inferius juxta
Tiberim sitæ: ubi nunc magnificum templum su-
perstructum, Petri Montis aurei insignitum titulo,
ubi puram et immaculatam suam animam in manus
Dei deposuit. Clemens ejus discipulus, et episcopus,
cum maxime venerandum et sanctum ejus corpus
magnifice composuisset in ima Vaticani parte, in qua
Neronis horti erant, et circus cum obelisco, juxta
Apollonis templum, sepelivit. Ubi nunc etiam
quiescit basilica illustrissima a Constantino Maximo
imperatore in honorem ejusdem ibidem fundata,
totius Christiani orbis cultu et frequentia celeber-
rima.

Linea 13. — *Hic fecit ordinationes per menses De-
cembrios.* Fecit B. Petrus ordinationes plures per
mensem Decembrem, episcoporum per diœceses
quinquaginta trium, et in urbe Roma presbyterorum
decem, diaconorum septem: in his fuere episcopi
Linus, Cletus, Clemens, Apollinaris, Marcus, Her-
magoras, et alii; presbyteri Anacletus, et Evaristus,
postea Romani pontifices.

PAGII.

Linea 6. — *Duas epistolas* (Pagius Junior num. 11
et 12.) Duas sanctus Petrus scripsit Epistolas, quæ
catholicæ nominantur. De priori nulla unquam du-
bitatio fuit; de posteriori propter styli dissonantiam
nonnulla apud aliquos ambiguitas exstitit: sed si
quis prioris Epistolæ stylum penitus inspiciat, non
multum dissidere a stylo posterioris, facile animad-
vertet, atque id etiam Magdeburgenses fatentur.
Utramque certe Epistolam et canonicam, et sancti
Petri esse, Ecclesia docuit in conciliis Laodiceno,
Carthaginensi tertio, Florentino et Tridentino.
Evangelium sancti Marci a quibusdam sancti Petri
dicitur, quia, ut scribit sanctus Hieronymus, Marcus
auditor ejus et interpres, rogatus a fratribus, illud
scripsit, juxta quod Petrum referentem audierat:
quod cum Petrus audisset, probavit, et Ecclesiæ
legendum sua auctoritate dedit: ita Hieronymus in
lib. de Script. ecclesiast. in Marco.

Sanctus doctor ibidem in Petro multos alios libros
sub ejus nomine scriptos fuisse commemorat: nempe
unum, qui Auctarium ejus inscribitur; alium Evan-
gelii; tertium Prædicationis; quartum Apocalypseos;
quintum Judicii; sed eos omnes inter apocryphas
Scripturas reputari ibidem asserit. Præterea in
Auctario bibliothecæ Patrum exstat liturgia, seu
missa apostolica, quam ex codice manuscripto cardi-
nalis Sirleti Petri inscriptione insignitam, Græce et
Latine edidit circa finem sæculi decimi sexti Guil-
lelmus Lindanus Ruremundensis episcopus; sed
eam suppositiam esse ostendit cardinalis Bona
lib. I Rerum liturgicarum, cap. 8, cum in ea re-
periantur quædam orationes ex libro Sacramento-
rum sancti Gregorii Magni, et consarcinata sit ex
missa Latina, et ex liturgiis Jacobi, Basilii et Chry-
sostomi. Quibus, aliisque rationibus vide perpensis,

suspicatur eam scriptam fuisse eodem sæculo decimo sexto a quodam sacerdote Italo Græco, qui ei Petri nomen præfixit, vel quia canon Romanæ Ecclesiæ, cujus Petrus fundator fuit, præcipua ejus pars est, vel utei. tanti nominis interpositione, auctoritatem conciliaret. De translatione corporum SS. Petri et Pauli lege dicenda in Sixto II.

Linea 6. — *Et Evangelium Marci.* (Pag. Num. 6.) Romæ existens sanctus Petrus sanctum Marcum in Ægyptum destinavit, ubi Ecclesiam Alexandrinam fundavit. Sanctus quippe Epiphanius hæresi 51 scribit: Post Mattæum secutus est Marcus, jussus a sancto Petro Romæ Evangelium edere: et ubi scripsisset, mittitur a sancto Petro in Ægyptiorum regionem. Primum Alexandrinum episcopum fuisse Marcum asserit Eusebius lib. II, cap. 24, his verbis: Interea Nerone octavum imperii annum agente, primus post Marcum evangelistam Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepit Anianus. Idem Eusebius laudatus cap. 16 et 17, agit de institutione Alexandrinæ Ecclesiæ a sancto Marco, et de moribus Christianorum, quos ipse formaverat; et cap. 15 ait, sanctum Marcum, fidelium Romæ existentium hortatu, Evangelium scripsisse: quod cum Petrus per revelationem sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur. Ideo autem Ecclesia Alexandrina primum locum post Romanam obtinuit, quia Marcus eamdem, Petri nomine id statuentis, erexit, quod testatur Gelasius papa in decreto de libris apocryphis: secunda autem sedes, inquit, apud Alexandriam, beati Petri nomine, a Marco ejus discipulo et Evangelista consecrata est: ipse enim a Petro apostolo in Ægyptum directus verbum veritatis prædicavit, et martyrium consummavit.

Linea 10. — *Martyrio cum Paulo coronatur.* (Pag. Num. 9 et 10.) Simonem Magum Romæ fuisse, et ob artes magicas summo in honore habitum referunt Justinus martyr Apologia 2, et Irenæus lib. I adversus hæreticos, cap. 20. Hunc, ut prodit Arnobius lib. II adversus Gentiles, pag. 23, Ecclesiam vehementer conturbantem, precibus prostravit sanctus Petrus: Cum enim Simon magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolasset, orationibus apostolorum Petri et Pauli fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo spectante diruptus est. Acta sanctorum Petri et Pauli ex Græcis translata, a Lippomano et Surio ad diem 29 Junii edita, habent sanctos apostolos Christiana fide imbuisse duas feminas, Neronis imperatoris pellices, quæ deinceps pudice vivere statuerunt. Parte alia, cum Nero Romam incendi jussisset, ob idque in odium omnium venisset, abolendo rumori, inquit Tacitus lib. XV Annal., crimen conjecit in Christianos, eosque hac de causa quæsitissimis pœnis affecit.

Qua re (id est miraculis, et conversionibus quæ per Petrum et Paulum fiebant) ad Neronem delata... primus omnium persecutus Dei servos Petrum cruci affixit, et Paulum interfecit, subdit Lactantius laudatus. Martyrium illud contigit Nerva et Vestino consulibus, ut legitur in Catalogo veterum pontificum, ideoque anno Christi sexagesimo quinto. Baronius quidem sanctorum apostolorum martyrium differt in annum Christi sexagesimum septimum, quem ipse vocat sexagesimum, nonum, aitque suam sententiam gravissimos habere assertores, nimirum Caium antiquum Theologum, Zephirinum Romanum pontificem, et Dionysium Corinthiorum episcopum; quos omnes citans Metaphrastes apud Surium die 29 Junii iisdem astipulatur atque concordat, dum, anno trigesimo sexto post Passionem Domini, eos necatos affirmat. Ita Baronius. Sed hinc potius nostra sententia confirmatur. Antiqui enim, ut superius diximus, Christum duobus Geminis consulibus, ideoque anno æræ Christianæ vigesimo nono passum arbitrati sunt; a quo anno ad sexagesimum quintum: triginta sex effluxere. Ab eo computo non dissentiunt Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis, tam in Elogio divi Petri, quam divi Pauli; Pontificale Romanorum, Chrysostomus, Isidorus, Beda, Rabanus, Nicephorus, aliique, tradentes Petrum et Paulum, triginta septem annis post Passionem Christi elapsis, martyrio coronatos esse; nam hi utrumque extremum annum incompletum pro completo numerant, in quo solum a prioribus differunt. Passi sunt autem die vigesima nona Junii, qua in omnibus fere Martyrologiis eorum memoria recolitur, et quidem in prima Ecclesiæ persecutione a Nerone imperatore excitata.

SOMMIER.

Linea 1. — *Apostolus et Princeps apostolorum.* Character iste distinctus in auctoritate pastorali beati Petri complectitur duo attributa, quibus ejusdem natura constat: nempe *extensionem,* quæ nullo limite circumscribitur, et fideles quotquot in orbe universo sunt, Christo Domino ita pronuntiante, colligit sub uno pastore (*Joan.* x, 16), ut fiat unum ovile, et unus pastor. Attributum alterum est *excellentia potestatis* ac directionis in pastore universali, qui ovium in censu cum obtineat ipsos pastores, tali tantaque vigilantia et regendi vi pollere debet, ut omnimoda cum securitate grex illum subsequi valeat. Id ut contingat, necessarium est ut illius vox, ac directio sint *veritas et rectitudo* : quæ si deessent, perperam cura gregis illi concrederetur; et plus periculi immineret gregi ita constituto sub uno pastore, quam relictis ovibus sub ducatu plurium directorum, a se invicem non dependentium. Nam si unus exorbitans auctor gregi fieret erroris, alii possent oves palantes opportune reducere in rectam viam. Attamen certum est, finem a Jesu Christo propositum in sede una constituenda cæteris omnibus præcellente, unoque pontifice summo in Ecclesia declarando, fuisse *unitatem,* et consequenter *veritatem,* sine qua unitas neque esse neque intelligi unquam potest. Multi vero ductores non subordinati diutius sociari invicem nequaquam possunt. Inde vero effectum est ut illa unitas, quæ reperitur in sola Ecclesia catholica, habita semper fuerit medium tutissimum ipsius conservandæ. Quicunque igitur hac in Ecclesia centrum est *unitatis,* sit et *veritatis* necesse est, quod in idem recidit, etc. Character pastoris supremi et universalis est, ut infallibilis sit in grege universo pascendo, cum nullus ipsi superior adeum dirigendum sit constitutus, præter ipsum Christum Jesum, illi dicentem citra facultatem ullam censuræ ac potestatis ab altero supra ipsum exercendæ: *Pasce agnos meos; pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 16, 17); quemadmodum antea illi dixerat: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: et tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI, 18, 19); et: *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 32). Talia sunt fundamenta immobilia, super quæ constat in Ecclesia catholica stabilitum esse primatum, et cæteras dotes Romanæ sedis.

Linea 6. — *Duas Epistolas.* Ex verbis prioris Epistolæ colligit Sommier ordinem Ecclesiarum jam constitutum sub Petro, cum ad eas scriberet pag. 44, hæc adnotans. Ipse S. Petrus denotat ordinem et characterem Ecclesiarum ad quas scribit suam priorem Epistolam, juxta ordinem quem provinciæ ab ipso nominatæ in Romano imperio obtinebant: *Petrus apostolus Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, et Bithyniæ.* Amasia erat metropolis Ponti, Ancyra Galatiæ, Cæsarea Cappadociæ, Ephesus Asiæ, Nicomedia Bithyniæ. Septem Ecclesiæ, ad quas Joannes dirigit suam Apocalypsim, scilicet Ephesus, Smyrna, Pergamus, Thyatira, Sardes, Philadelphia et Laodicea;

ietropoles in Asia minori. Et S. Paulus ad
liscipulum scribens, quem episcopum consti-
n Creta insula, una ex provinciis Macedoniæ
mano imperio, cujus metropolis erat Gorty-
em præcipit ut episcopos constituat per civi-
icut et ego, inquit, *disposui tibi (Tit.* I, 5).
; jam ex S. Scriptura, inter cætera jura su-
im sedium id recognosci etiam ætate aposto-
inferiorum sedium episcopos constituerent.
1 8. — *Ejus testimonio sunt firmata.* Ibidem
s orthodoxi *nempe SS. Patres, aliique au-*
Ecclesiastici, quos supra indicavit) inhærentes
tati Jesu Christi, testantis se non venisse
legem, sed adimplere, nec non verbis ejus
li docentis, omnia quæ sub lege contingebat
1 esse rerum adimplendarum sub Evangelio,
int pariter, a Deo constituente pontificatum
Testamenti adumbratum esse, ac veluti de-
m rudimentum pontificatus erigendi in Novo.
ori fœdere modis pluribus revelationes suas
eriebat : aliquando per organum vocis, cujus
udiebantur, licet ejus qui proferret species
deretur, quemadmodum in monte Sinai, et
m tabernaculi, ac subinde templi nuncupati
sanctorum ; aliquando per ministerium sum-
tificis induti ornamento illius proprio ac sin-
aliquando per prophetas, aliosve viros divi-
ispiratos. Ut autem revelationes, quæ fidem
ctebantur, et mores ab Israelitis observandos,
ntur immunes ab omni labe et corruptione,
apsus temporis, et opinionum humanorum
udo rebus cæteris inferre solet, constituerat
ele sedem, ac tribunal fixum, ac supremum,
rbitrum foret omnium pertinentium ad reli-
, ad verum sensum legum suarum hominі-
eriendum, et ad absolute decidendum de
is controversiis. *Si difficile, et ambiguum*
judicium esse perspexeris, etc. (*Deut.* XVII,
)

1 4. — *Cathedram episcopatus.* In Novo Te-
to veritas rerum perfecte respondet hisce
Antiqui, etc. Quemadmodum sub priori illo
nunquam defuit tribunal certum constantis
ionis ad verum sensum revelationum ape-
n, et ad pronuntiandam sententiam definiti-
causis ad religionem pertinentibus ; ita
hoc tempore novi fœderis suprema sedes
lesia erecta est, cujus a judiciis provocare
t : *Quidquid ligaveris* ; cujus decisiones sunt
abiles : *Confirma fratres tuos* ; cujus directio
alis est, ac secura : *Pasce agnos meos, pasce*
as.

ectiones codicum Freheri A et B, et trium
i, Reg., Maz. et Th. et ad ea verba : « Post
ssionem (Christi anno sequenti tenuit Petrus
us in partibus Orientis cathedram annis 4 ;
anno Domini 38 venit Antiochiam, ubi sedit
, dies 8 ; deinde venit Romam ubi sedit
5, mens. 7, dies 8, » adhiberi possunt ex
er. Historia dogm. S. sedis, pag. 48 et 58,
es notæ.

us appetebat, a divina Providentia consti-
fundationi Ecclesiæ Romanæ. S. Petrus iter
stituit, et visitans Ecclesias eo in itinere
ntes, dedit episcopos Cesareæ in Palæstina,
Beritho, Byblo, Tripoli Syriæ et Laodiceæ,
locis, quæ antiquis a Scriptoribus observata
monumentis vetustissimis consignata. Se-
hæc revisit suam Antiochenam Ecclesiam,
errexit in Cappadociam, Galatiam, Pontum,
niam, ubique constituens episcopos. Funda-
m plerasque Thraciæ Ecclesias, inter quas
nam, quæ subinde inclaruit nomine Con-
opoleos assumpto. Hæc memorata reperimus
tola Agapeti papæ ad Petrum Hierosolymita-
cujus testimonium eo est venerabilius et
s, quod adhibitum invenietur in quinta synodo

A œcumenica Constantinopoli celebrata (Act. II in fine) : « Et hoc dignitati suæ addere credimus, quod a temporibus Petri apostoli nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit episcopum, manibus nostræ sedis ordinatum. Et forsitan, vel ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta pervenit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus ipsius apostolorum primi electio ordinavit. » Et pag. 53, laudati auctoris hæc addam.

Noscere quispiam cupiet Ecclesias, quas Antiocheno patriarchatui beatus Petrus subjecerit. Dicimus generatim, Orientem illi subdidisse, quemadmodum subditurus erat Romano patriarchatui Occidentem, et Aquilonem, et Alexandrino meridionalem terræ partem. Id vero haberi non debet inanis suppositio, sed facti verax historia, cujus evidentiam insecuta tempora eluciderunt. Quæ Nicæno ex concilio desumitur ; cum testetur divisionis
B antiquitatem ; demonstrat ab eo processisse, per quem tres illæ sedes fundatæ sunt. Universos enim criticos provocare licet ad auctorem, seu fundatorem diversum a Petro nobis ostendendum. Nicæno igitur concilio id ratum fuisse habitum, ut Antiocheni patriarchatus ditio esset Oriens, antiquorum nemo dubitavit. S. Hieronymus Joanni Hierosolymitano id exprobrat, quod cum inter episcopos Palæstinæ ipse censeretur, cognitionem causæ ecclesiasticæ deferri curasset ad episcopum Alexandrinum : ad quem judicium illud non pertinebat, cum directo ad Cæsareensem metropolitam spectaret, et inde appellare oporteret ad patriarcham Antiochenum. « Tui qui regulas quæris ecclesiasticas (inquit S. doctor ep. 60) et Nicæni concilii canonibus uteris ; responde mihi, ad Alexandrinum episcopum Palæstina quid pertinet ? Ni fallor hoc ibi decernitur, ut Palæstinæ metropolis Cæsarea
C sit, et totius Orientis Antiochia, Innocentius I scribens ad Alexandrum episcopum Antiochenum declarat, Revolventes itaque auctoritatem Nicenæ synodi, quæ unam omnium per orbem terrarum explicat mentem sacerdotum, quæ censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dicam sacerdotibus esse necessarium custodire quam super diœcesim suam, non super aliquam provinciam recognoscimus constitutam. » Et pag. 54 ait :

Orientis nomine, de quo hic sermo est, intelligitur universitas quindecim provinciarum, quæ postmodum relatæ sunt sub nomenclatura diœceseos Orientis in notitiam imperii Romani, quarum regimen administrabatur per magistratum ab imperatore constitutum, ut resideret Antiochiæ, donatum titulo præfecti prætorio Orientis. Sunt autem hæ provinciæ, Syriæ duæ, totidem Palestinæ, et Phœniciæ, Ciliciæ pariter duæ, Armenia, Cyprus insula, Arabia, Isauria, Euphratensis, Osrhoena, et Mesopotamia. Hæc divisio diœceseos Orientalis peracta est ante Honorii et Arcadii ætatem. Sub ditione patriarchæ
D Antiocheni habebantur etiam nationes Orientales extra fines Romani imperii constitutæ, cujus jurisdictio extendebatur pro modo augmenti Ecclesiarum, quæ subinde ibi fundabantur. Scriptor Orientalis undecimi sæculi refert ejus auctoritati paruisse Parthos, Medos, Persas, usque ad Indos. Est autem Nilus archimandrita apud Allatium in opere de consensu Ecclesiæ Orient. et Occid. Nec desunt qui credant exarchatus Ponti, Asiæ et Thraciæ primis Ecclesiæ temporibus paruisse jurisdictioni sedis Antiochenæ. (Cabassut. *Not. Eccl.*, sæcul. II, dissert. 14, num. 3.) Alii affirmant has diœceses fuisse autocephalas, nulli patriarchatui subjectas, cum singulis metropolita præcipuus sive primas præfectus fuisset independens, et auctus jurisdictione quadam patriarchali. Cappadociæ in Ponto Cæsareensis, Asiæ minori Ephesinus, Thraciæ Heracleensis, antequam Constantinopolis erecta fuisset in patriarchatum. Nempe istæ sunt, inquiunt, metropoles illæ præ cæ-

teris illustres, de quibus Nicæna synodus loquitur canone sexto: ubi, post asserta jura sua vetera tribus patriarchalibus Ecclesiis Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, declarat apud cæteras provincias honorem suum unicuique servandum Ecclesiæ. *Vide Lupum in 6 can. concil. Nicæni, et pag.* 89: de Occidentalibus Ecclesiis in patriarchatu Romano fundatis a D. Petro ita scribit, postquam Marcum ablegasse narravit Alexandriam. Eodem tempore B. Petrus (inquit) alios discipulos transmisit in diversas provincias, meridionales, occidentales, et boreales, ut ibi Ecclesias fundarent, cum sit manifestum, ait Innoc. I epist. 1 ad Decent.: « In omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, insulasque interjacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Petrus apostolus aut ejus successores constituerunt sacerdotes. Aut legant, si in provinciis alius apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. » Distincte attamen haud constat, quænam A fuerint Ecclesiæ certæ a S. Petro constitutæ, aut ætate ipsius ab ejusdem discipulis fundatæ in provinciis occidentalis imperii. Sunt vero quarum de origine ab eo repetenda fama percrebuit verosimilior eæ quæ sequuntur. In Italia: Capua, Neapolis, Anxur, Æqua, Nepete, Fesulæ Luca, Ravenna, Verona, Patavium, Ticinum, Aquileia. In Galliis: Lemovicensis, Tolosana, Burdegalensis, Rhemensis, Arelatensis, Senonensis, Cenomanum, Vienna, Catalaunium, Burdegala, Alvernia, Santones, Tungri, Treviri, Colonia, Moguntia.

Hispanis tribuuntur episcopi Torquatus, Ctesiphon, Secundus, aliique: Germanis Eucherius, Ægistus, et Maricanus. Siculis Pancratius, Marcianus, Beryllus, et Philippus. Fertur etiam in Britannicas insulas sub B. Petro Evangelium penetrasse: quod admodum probabile censeri debet, cum Claudii Cæsaris Britannica acquisitio liberum aditum ad easdem insulas præconibus fidei aperuisset.

II. SANCTUS LINUS.

ANNO CHRISTI 69, NERONIS IMP. 13.

2 *Linus, natione Italus, regionis* Tusciæ, ex patre Herculano, sedit annos *quindecim*, menses tres, dies duodecim. *Fuit autem* [a] *temporibus Neronis, a Consulatu Saturnini et Scipionis et usque ad Capitonem et* Rufum [b] *consules. Martyrio coronatur. Hic ex præcepto beati Petri constituit ut mulier in ecclesiam velato capite introiret.* Hic fecit ordinationes duas; episcopos XV, presbyteros XVIII. *Qui sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano, sub die nono Kalendas Octobrias.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Linus annis duodecim mensibus IV, diebus XII. Fuit temporibus Neronis a consulatu Saturnini et Scipionis, usque Capitone et Rufo.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B* m. 2, d. 23. [b] *B, Galbæ Othonis. Vitellii et Vespas. a Coss. Fonteii et Rufi, usque ad Commodum et Priscum.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codicibus Regio, Mazurino et Thuano.

Num. 2, *lin.* 1, de regione Tusciæ. *lin.* 2, consules. Hic ex pr. *lin.* 5, pr. 18: hic martyrio coronatus est, et sepultus j. c.

Ex alio cod. Thuano.

Lin. 1, sedit ann. 11 menses 3. *lin.* 4, in ecclesiam.

Apud Hosltenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Vatic. et duo Flor.*, ann XI.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 4. — *Hic ex præcepto beati Petri constituit ut mulier in ecclesium velato capite introiret.* A Petro memoratur hic institutum, ut mulieres velato capite sint in ecclesia, quo pudori sexus consulatur. Idem a Paulo præceptum (*I Cor.* XI) ut mulier oret velato capite, quasi monente natura, quæ capillos dedit mulieri ἀντὶ περιβολαίου, *pro velamine*. Apostolicæ institutionis fuit, ut mulieribus locus tabulato distinctus a viris esset in ecclesia. Joan. Chrysostom. in Matth. homil. 74: Ἐγρῆν μὲν οὖν ἔνδον ἔχειν τὸ πεῖγος τὸ διεῖργον ὑμᾶς τῶν γυναικῶν. *Oportebat quidem interiore pariete a mulieribus separari* Augustin. de Civitat. Dei libr. XXII. cap. 8: « Admonetur in somnis appropinquante Pascha, ut in parte feminarum observanti ad baptisterium, quæcunque illi baptizata B primitus occurrisset, signaret ei locum signo crucis Christi. » Anastas. in Sergio: « Hic fecit imaginem beati Petri apostoli, quæ est in parte mulierum. » Idem in Gregorio III: « Hic fecit oratorium intra eamdem basilicam, juxta arcum principalem parte virorum. » Idem in Adriano I: « Et rugas in presbyterio a parte virorum et mulierum ex argento purissimo. » Idem in Leone III: « Simulque ut columnas tornatiles tam in ingressu corporis dextra lævaque ex parte virorum ac mulierum. » Dicatis etiam virginilus proprius locus erat in ecclesia. Ambros. ad Virgin. lapsam cap. 6. « Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in ecclesia stabas, recordari debuisti, ad quem religiosæ matronæ et nobiles certatim currebant tua oscula petentes, quæ sanctiores et meliores te erant? »

BENCINI.

Linea 1. — LINUS. De Petri successore gravis controversia, de qua in opere chronologico plura occurrent animadvertenda. Interim hæc successio mutuanda, nisi evidens in contrarium ratio suadeat, ex libro Pontificali, per quam reservata est vetustissimorum catalogorum memoria. Catalogi vero speciatim qui repræsentabant originem apostolicam, ac fundationem, et perseverantem successionem, cum in primitiva Ecclesia essent veritatis argumentum, sedulo custodiebantur : et si reliquæ Ecclesiæ de istiusmodi censu gloriabantur, multo magis id de Romana Ecclesia asserendum, ubi cathedra episcopatus collata, et origo necessaria, utpote prior veræ Ecclesiæ dos, et in successoribus cathedra perseverans ; cum cathedra nequeat esse ex Optato, in quo etiam Donatistæ conveniebant, *ubi non sederit episcopus*. Ecclesiæ itaque inter reliqua ampliori cura census episcoporum, ut deferrent ad subsidium veritatis, accuratissime custodiebant ; cathedra vero Romana ad originem necessariam ostendendam. Cyprianus inde Cornelio scribens de Africanarum Ecclesiarum constantia, et zelo in rejiciendis schismaticorum conatibus, et litteris Novatiani, et recognitione pontificatus legitime facti, duo conjungit, et recognitionem *ordinationis* legitimæ, et *originem necessariam*. Ordinatio respiciebat successionem cathedræ perseverantem : origo necessaria Petri cathedram, priorem veræ Ecclesiæ dotem tunc ab universis habitam. Scribit itaque epist. 68 : « Sic etiam nunc episcopatus tui, et veritas pariter, et dignitas apertissima luce, et manifestissima, firmissima comprobatione fundata est : ut ex rescriptis collegarum nostrorum, qui ad nos litteras inde fecerunt, et ex relatione, ac testimoniis coepiscoporum Pompeii, et Stephani, et Caldonii, ac Fortunati ordinationis tuæ, et origo necessaria, et ratio justa, et gloriosa quoque innocentia ab omnibus nosceretur. » Et paulo ante de quibusdam episcopis a Novatianis circumventis dixerat. « Scimus nos hortatos esse, ut Ecclesiæ catholicæ radicem, et matricem agnoscerent, et tenerent. » Radix, et origo necessaria in cathedra Petri erat agnoscenda, et retinenda cum successore Cornelio communio. Hinc constat debuisse Romanam Ecclesiam diligentissime retinere episcoporum successionem, ex qua sicuti ex origine vera Ecclesia dignoscebatur. Reliquæ Ecclesiæ, maxime quæ de fundatione apostolica gloriabantur, hos census deferebant ; ac successio non interrupta habebatur veluti veritatis argumentum. Ad hos census remittit Irenæus l. III, c. 3 : « Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest prospicere omnibus qui vera volunt audire : et habemus adnumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt. » Hæreticorum conventicula eo etiam titulo Tertullianus proscindit ex defectu originis et successionis, dum ita eosdem compellat. *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum : evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveravit, habuerit auctorem et antecessorem.* Hinc Hegesippus, apud Euseb. l. VI, c. 22, itinere suscepto nobiliores Ecclesias perlustrans, duo in illis adnotavit, episcoporum successionem ab apostolica institutione descendentem, puritatemque dogmatum ab eisdem Ecclesiis custoditam. Ita enim suam narrationem profert : « In singulis autem Episcoporum successionibus, et per singulas urbes eadem manent, quæ per legem, et prophetas, et a Domino prædicata sunt. » Et de Corinthiorum Ecclesia sic eam commendat. « Et Corinthiorum quidem Ecclesia in recta fide permansit usque ad primum ejusdem loci episcopum. Quo cum familiariter collocutus sum dum Romam navigarem. » Aliquibus aliis recensitis, cum de Hierosolymitana, observat hanc *virginem* compellatam, quia a priori episcopo usque ad ea tempora nullus sederit errore quoque fœdatus. « Et Ecclesiam quidem hactenus virginem vocabant, propterea quod vanis sermonibus nondum corrupta foret. » Episcoporum vero successionem et ordinem deinde numerans, addit : *Series, quæ in archivis illius Ecclesiæ servantur, ostendunt.* Quo loco, et testimonio colligitur, varios fuisse catalogos, qui in Ecclesiæ Hierosolymitanæ archivis custodiebantur, et ad ostendendam successionem proferebantur. Unde lux affertur dictis synodi Mopsuestenæ in causa Theodori olim illius urbis antistitis, quæ expensa est in synodo V in tom. III Concil., pag. 526. Refertur enim in actis, quod *Joannes presbyter et cimiliarcha* a synodi Patribus compellatus ad tradendos catalogos episcoporum, eos ex armario sacrorum vasorum protulit inquiens : « Secundum jussionem vestræ sanctitatis inter sacra vasa, quæ a me servantur, habentes diptycha ista protuli, et ad recitationem porrigo. Habeo et alios duos membranaceos quaterniones vetustiores istis qui nunc sunt, et recitantur. » Diptycha enim ex tabulis erant, et alia in chartis, utraque protulit Joannes. Quid continerent varia illa diptycha sic declarant in sequente interlocutione Patres : « Recitentur sacra diptycha, quæ declarant sanctæ memoriæ commemorationem sacerdotum, istius Mopsuestenæ civitatis, ex quo immaculata et orthodoxa fides prædicatur usque ad hunc sacerdotem, qui in præsenti tertia decima indictione defunctus est. » Successiones itaque, et episcoporum series in qualibet civitate religiose servabantur, et hi varii erant catalogi, forsitan qui ordinationem, et qui obitum notarent, quod ultima laudata synodi Mopsuestenæ verba declarant : et in disceptationibus recursum factum, ut inde probationes desumerentur. Hinc in simili velitatione de ordine, et successione Romanorum pontificum robur addunt, quæ ex antiquis pontificum catalogis adducuntur.

Linea 5. — *Hic fecit ordinationes duas.* Assignatur in Lino numerus ordinationum, dum duas tantum celebrasse dicitur, et quia S. Petrus plures habuit, dictum est *per menses Decembrios.* Cum vero episcoporum consecratio uno contextu conjungatur cum ordinatione presbyterorum et diaconorum, ne confusio oriatur, notandum, diem et mensem respicere presbyteros et diaconos ; episcoporum etenim consecrationon alligabatur. mensi, sed in qualibet anni Dominica celebrabatur. Unde interpunctio subintelligenda, ut constat ex aliis libri Pontificalis locis, in quibus rem sic esse explicandam certissime apparet. Et quidem in Joanne VI interpunctio est expressa : « Hic fecit ordinationem presbyterorum, seu diaconorum, id est presbyteros novem, diaconos duos. Fecit autem per diversa loca episcopos quindecim. » Clarius interpunctio, et varietas in consecrationibus denotatur in Sergio I : « Hic ordinavit per diversas provincias episcopos nonaginta septem. Fecit autem ordinationes duas per mensem Martii. presbyteros decem et octo, diaconos quatuor. » Et ante hos in codice Holsteniano in Sylvestro notantur, pag. 38, consecrationes diversis temporibus factæ, nullius mensis assignato nomine : « Episcopos per diversa loca diversis temporibus in urbe Roma 75. » Quod expressit in Leone II, et distinctius in Constantino, cujus ordinationes sic recenset. In suscepto Constantinopolitano itinere episcoporum consecrationes celebravit, de quibus sic (pag. 161) : « Hic fecit ordinationes episcoporum in eundo, et redeundo per diversa loca episcopos duodecim. » Quæ ordinationes mensi alicui determinato assignari nequeunt. In fine vero pag. 163 : « Hic fecit ordinationem unam, presbyteros decem, diaconos duos : episcopos per diversa loca numero sexaginta quatuor. » Et in Constantino antipapa : « Fe-

cit prædictus Constantinus apostolicæ sedis invasor ordinationem presbyterorum, seu diaconorum : presbyteros octo, diaconos quatuor ; sed et episcopos in ipsius anni circulo, et unius mensis per diversa loca numero octo. » Consecrationes porro episcoporum non in Sabbato, sed in Dominica factas, præter alia obvia monumenta, convincunt ipsiusmet Pontificalis libri verba in Zacharia, ubi Interamnensis antistitis consecrationem celebratam fuisse die Dominico traditur.

Episcopos quindecim. Numerus episcoporum a pontificibus consecratorum probat non una die Sabbati factas ordinationes, sed toto pontificatus tempore. Erat enim in primitiva Ecclesia consuetudo recepta, et servata, ut una die unus episcopus consecraretur. Unde inter alia crimina Chrysostomo imposita pro sententia depositionis ferenda, in synodo ad Quercum recensetur istud, nempe : *Quod una ordinatione quatuor simul episcopos creavit.* Porro multiplicitas episcoporum, quos ordinare consueverunt pontifices, uti in singulorum Vitis recenset liber Pontificalis, provenire poterat, et ex pontificio, et patriarchali jure, quo episcoporum ordinatio, aut consensus ab ipsis penderet. De pontificia auctoritate non est ambigendi locus. Petrus enim, uti Chrysostomus observat, jure primatus potuisset Matthiam apostolico collegio cooptare absque synodo *(Hom. III in acta)* : « Quid an non licebat ipsi Petro eligere ? licebat, et quidem maxime : verum id non fecit, ne cui videretur gratificari. » Hinc pontifici tribuebatur patriarcharum approbatio. Cum enim Nectarius, approbante licet synodo Constantinopolitana, in patriarcham regiæ urbis eligitur, quia pontifex electioni obstitit, eamque infirmari videret Theodosius senior, missis legatis confirmationem a Damaso expostulat ex Bonifacio I in epist. ad episc. Epiri lecta in synodo Romana, in qua scribit (apud Holsten. *in collect. Rom.*) : « Clementissimæ recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem, propterea quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis a latere suo aulicis cum episcopis, formatam huic a sede Romana dirigere regulariter deposcit, quæ ejus sacerdotium roboraret. » Auctoritate pontificia usus Agapetus in urbe Constantinopolitana Anthimum deponit, ac Mennam episcopum Constantinopolitanum ordinat. Jura hæc juxta *canonicum judicium* vindicata ab Agapeto *(tom. II Concil.,* pag. 1194) expendit in libello oblato, probatoque in synodo Constantinopolitana sub Menna Marianus monachus. Et de eodem redibit sermo cum de schismate Acaciano sub Felice III, pontifici vero, uti Occidentis patriarchæ tribuendam auctoritatem consecrandi, aut confirmandi ejusdem tractus episcopos, præter alia Innocentius I probat in epistola ad Alexandrum Antiochenum, cum hæc potestas apostolicæ sedis exemplo tribuitur. etiam ex eo motivo. quod utraque sedes a Petro sit fundata, concluditque : « Itaque arbitramur, frater charissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu, conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas ab his qui nunc eos suo tantum ordinant arbitratu ; vicinos autem si existimas, ad manus impositionem tuæ gratiæ statuas pervenire. Quorum enim te maxime exspectat cura, præcipuum tuum debent mereri judicium. » Aderat etiam in pontifice specialissima pro urbicariis, et suburbicariis ecclesiis sollicitudo : ex quibus constat, quo modo episcoporum plurium ordinationes a singulis prioribus pontificibus celebrarentur etiam in primitiva Ecclesia.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 4. — *Constituit ut mulier velato capite.* Quod ab apostolo Paulo *(Epist. I ad Corinth. c. XI) pie, sancte,* et religiose constitutum est, ut feminæ nonnisi operto ac velato capite, ob angelorum, qui juxta expositionem S. Ambrosii sunt sacerdotes, reverentiam templum ingrediantur; hoc idem a Lino pontifice decreto firmatum esse, vel impie, vel ignoranter Magdeburgenses reprehendunt. Bellarminus lib. IV. de Rom. Pontifice c. 4. *Vide Baron. anno Christi* 57, *n.* 84. *et seqq.* ubi pulchre de velandis mulieribus scribit.

(Ex Lab.) Linea 5. — *Hic fecit ordinationes duas.* Absunt a C. H.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Annos undecim episcopatus, menses tres, dies duodecim attribui B. Lino diximus supra pag. 87, et concordia universorum codicum comprobari. Catalogus Felicis IV, et quatuor illi ex codicibus Italiæ, qui monumentis genuinis Romanæ Ecclesiæ originem debent, totidem consignarunt. Antiquior catalogus sub Liberio exprimit quidem annos 12, sed vitium unitatis adjectæ detegunt consules ibidem recensiti, ex Saturnino et Scipione Christi 56, ad Capitonem et Rufum Christi 67, unde ex octo Colbertinis quatuor concordes cum superioribus ostenduni, ad eos consules, et ad Italicorum numerum cum ipsis consonum, corrigenda esse quatuor exemplaria quæ 15 seu 7 pro 11 numerarunt. Quare ita si corrigantur ad fidem chronologiæ consularis, iisdem in catalogis expressæ, et signatæ etiam in codicibus Oericulentibus, quæ annos undecim recte assignat, menses tres, ac dies duodecim episcopatus beato Lino ; omnium codicum testimonia cum picturis vetustissimis basilicarum consentire observavi.

Dixi annos episcopatus, non autem solius pontificatus maximi hac in summa computari : ut manifestum fit ex annali Chronologia Petri paulo ante ordinata in fine notarum numeri primi : ubi ad annum Christi 56, Saturnino et Scipione consulibus, regressum S. Petri in Urbem sub initium imperii Neroniani (qui biennio ante ex die 13 Octobris patruo suo Claudio successerat, et Eusebio teste lib. II. hist. cap. 22, *circa initia imperii clementius se gerebat* in defensione S. Pauli recipienda) et ordinationem episcopalem S. Lini recensuimus, secuti fidem horum codicum, et catalogorum, necnon gravissimos auctores, videndos apud Schelestratium dissert. II., cap. 1, et Ilenschenium apud Labbæum tomo I Concil. general., exercit. 4, n. 31.

Romæ egisse Linum, dum Paulus secundam epistolam scriberet ad Timotheum, constat ex salutatione ejusdem nomine illi impertita : ubi etiam apostolus recenset Claudiam, quam Lini matrem fuisse complures auctores affirmant. Aliqui etiam colligunt ex epistola Ignatii martyris ad Trallianos, sectione VII, Linum in ordine diaconali ministrasse Apostolo gentium : licet alii dubitent, num illa periocha epistolæ Ignatianæ adjecta sit ætate sequiori, eaque de causa ab editoribus recenseatur cum interpolatis. Consulendus ea de re Cotelarius, tomo II, pag. 66. Si autem diaconi ministerium Paulo exhibuerit Linus, id reputandum est contigisse multo ante ipsius adventum in Urbem sub Nerone, cujus imperii anno secundo Lini promotionem ad episcopatus ordinem catalogus Liberianus consignat, *Saturnino et Scipione* coss. Occasio istius promotionis satis probabilis ab Henschenio statuitur Exercit. IV, num. 31, ut scilicet Petro abeunte in dissitas Occidentis provincias non deesset qui vicariam potestatem Romani episcopi in Urbe administraret : sive etiam, ut Lino et Cleto insignitis charactere episcopali, et Petrum apostolum coadjuvantibus in munere pontificali exercendo, jam tum induceretur moribus apostolicis illa consuetudo, quæ subinde relata fuit inter canones apostolicos, ut trium episcoporum ministerio consecrationes antistitum perficerentur quoties esset novus episcopus alicui Ecclesiæ tribuendus.

Martyrium S. Lini cum antiqua Martyrologia

octingentorum annorum, inter quæ etiam Notkeria- num affligant diei 23 Septembris: sitque annus martyrii æræ Christi communis 67, Capitone et Rufo coss., uti Liberiano cum catalogo liber Pontificalis diserte tradit, anno undecimo, mense tertio, die duodecimo ex quo fuerat ordinatus episcopus ; ejus consecrationi ciderit ex hac putatione in diem 12 Junii anni 55 æræ communis, scilicet Sabbato, appetente Dominica. Sin autem dies undecim legendi sint cum codice 900 ferme annorum bibliothecæ Palatino-Vaticanæ superius relato opusculo v ex Schelestratio, ipsa dies Dominica 13 Junii fuerit dies ordinationis. Sed retinere præstat numerum priorem dierum 12, tot monumentis confirmatum quot indicavimus pag. 87.

Nihil autem impediet quominus intelligatur Linus ordinatus die Dominica 13 Junii, quæ eodem anno fuit octava Pentecostes, cum Pascha inciderit in diem 18 Aprilis. Nam infra videbimus in Callisto, num. 17, jejunia, quæ dicimus *quatuor anni temporum*, per eumdem pontificem confirmata, ad nos pervenire ex apostolica ætate. Ibi autem vocantur *jejunium Sabbati*. Hic constituit jejunium die Sabbati ter in anno fieri, quando scilicet etiam ordinationes habeantur. Unde S. Leo Magnus toties in suis sermonibus post jejunium quartæ et sextæ feriæ, Sabbato vigilandum edicit apud S. Petrum : et quidem veteri more. Ab illis enim vigiliis Sabbati, quæ præmisso jejunio aperiebant mysteria, epocha ordinationum repetebatur. Et cum Christiani cœtus fierent antelucano tempore, uti ex Plinii epistola ad Trajanum constat, licet ordinationes episcoporum ad diem Dominam haberentur inter oblationem sacrificii incruenti ; attamen pertinere quodammodo videbantur ad diem illarum vigiliarum, unde cœperat convocatio fidelium ad eas peragendas. Ita vero celebris fuit secunda hebdomada mensis Junii indictione jejunii quatuor temporum, et ordinationibus cleri, ut apud nonnullas Ecclesias aliquando mos inoleverit nunquam ab illa hebdomada removendi utrumque illud officium : adeo ut post octavam Pentecostes non semel contigerit celebrari, quæ intra octavam fuerant peragenda ex vetustissina, et apostolica disciplina : donec vigilantia pontificum ea disciplina fuit restituta. Id observat eruditus explanator Sacramentarii Gregoriani Menardus, cujus verba mox afferam. Interim colligere possumus, sibi mutuo suffragari chronologiam, et historiam ordinationis, pontificatus, et martyrii B. Lini. Siquidem ex martyrio in vetustissimis tabulis Ecclesiæ congnato ad diem 23 Septembris, quemadmodum et in libro Pontificali signata est ejus depositio eadem die IX Kal. Octob., et ex epocha episcopatus per annos 11, menses 3, dies 12 continuati, colligitur ordinatio ejusdem octava die Pentecostes ; et ex hujusmodi ordinatione confirmatur traditio ab apostolica ætate ad nos descendens habendi stata jejunia quatuor temporum intra hebdomadam Pentecostes, et ordinationes cleri post vigilias Sabbati, ejusdem Octavæ. Audiendus est Menardus in Comment. ad pag. 107, I. XVII Sacramentarii Gregoriani ad ea verba : *Si post hebdomadam Pentecostes advenerit.* « Hæc, inquit, non reperiuntur in editis nec in aliis codicibus Ms. Quæ tamen scripta sunt, juxta morem illorum temporum, in quibus celebrabatur jejunium mensis quarti hebdomade secunda Junii, ex quo sæpe contingebat hoc jejunium peragi post hebdomadem Pentecostes, ut videre est in concilio Moguntino sub Carolo Magno, in quo triginta episcopi, et viginti quinque abbates convenerunt. (*Can.* 34.) Similiter in mense Junio heddomada secunda, feria IV et VI, et Sabbato jejunetur usque ad horam nonam. Quod citatur a Buchardo lib. II, c. 14, sed contractius : et a Micrologo cap. 24 et 25, de Observationibus Ecclesiæ. Sed videtur intelligere aliud concilium Moguntinum, cum ait illud fuisse sub Henrico secundo celebratum, eique interfuisse duodecim episcopos. A Idem statuitur in concilio Rothomag. celebrato, anno 1072 : « Item quatuor temporum observatio compe- « tenti tempore secundum divinam institutionem « communi observantia a nobis servetur, id est « prima hebdomada Martii, secunda Junii, » etc., ut refert Ordericus lib IV. Hist. Eccl. Hæc pro ratione temporum illorum. Fuit sane antiquior usus jejunii hujus celebrandi in ipsa Pentecostes hebdomade, ut clarum est ex S. Isidoro lib. I de Offic. Eccle., c. 37, et S. Leone papa Serm. 1, 2, 3 et 4 de jejunio Pentecostes : qui tandem in Ecclesia revixit auctoritate Gregorii VII, ut docet Micrologus cap. 25, et Urbani II in conc. Claromontano, in quo sic statuitur. *Jejunium secundum semper in hebdomade Pentecostes celebretur*, ut refert Ordericus Vitalis lib. IX Hist. Eccl. Sic olim jejunium primum quatuor temporum peragebatur in hebdomade prima mensis Martii, ut videre est eodem can. concilii Moguntini supra citati : constitutum est, ut quatuor tempora anni ab B omnibus cum jejunio observentur, id est in mense primo, hebdomada prima, etc., et concilio Rothomagensi supra citato : Communi observantia observetur a nobis, id est prima hebdomada Martii. Sed postea idem Gregorius VII transtulit illud in hebdomaden primam Quadragesimæ, ut docet Micrologus cap. 24, et ita statutum est in concilio citato Claromontano omni tempore primum jejunium quatuor temporum prima hebdomada Quadragesimæ celebretur. Ut refert Ordericus Vitalis libro citato.»

Constat igitur ratio chronologiæ episcopatus B. Lini, quæ hujus ordinationem referens ad stata jejuniorum tempora per octavam Pentecostes, anni 56, Saturnino et Scipione coss., perducit per annos 11, menses 3, dies 12 ad diem martyrii 23 Septembris anni 67, Capitone et Rufo coss. Cum vero B. Petrus martyrium compleverit anno 65 sub consulatu Nervæ et Vestini III Kal. Julii, ut in notis ad numerum superiorem ostendimus ; consequens est, C ut ex annis 11. mensibus 3, diebus 12 episcopalis ministerii Lino tributis novem exegerit vicarius, seu coadjutor Principis apostolorum, hujus vita constante ; duos vero postremos, menses totidem, ac dies 25 sederit pontifex maximus, ejusque successor primus in cathedra Romanæ atque universalis Ecclesiæ : quo titulo, et ordine numeratur tum in canone liturgiæ, tum a SS. Patribus, aliisque scriptoribus proximis ætati apostolicæ, nempe Irenæo lib. III, cap. et iis unde accepit Eusebius lib. III Hist. Eccl., cap. 13, nec non Epiphanis, Optato, et S. Augustino, ac cæteris posterioribus.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Hic ex præcepto B. Petri constituit ut mulier velato capite in ecclesiam introiret.* Ad Petrum refertur præceptum istius disciplinæ, ejusdem mandato per Linum in Ecclesia Romana constitutæ : quem propterea vicarium absentis Petri tunc egisse D arguit Luitprandus Ticinensis, dum in Cleto referens constitutionem de numero viginti quinque presbyterorum in Urbe ordinando, similiter a Petro demandatam, addit : *Unde constat eos coadjutores ejus, non successores fuisse.* Addere tamen debuit, *dum hæc decreta vulgarent.* Profecto quod attinet ad capita mulierum velanda, idem constituit apud Corinthios Paulus in priori Epistola ad illam Ecclesiam data ex Asia minori, et quidem eo ferme tempore, quo Petrus paulo ante in Urbem redux ex itinere Asiano, imo etiam ex Corintho, quam in reditu attigerat, Romæ reliquerat Linum vicarium suum, ut ipse occidentales Ecclesias visitaret. Epistolam primam apostoli Pauli ad Corinthios datam fuisse circa annum æræ communis 57 cum Baronio ad eumdem annum, interpretes fere omnes colligunt ex ejusdem contextu, capite præsertim 16, versic. 3, 4 et 5, unde fit evidens scriptam fuisse antequam Paulus ascenderet ex Asia Hierosolymam, et ante-

quam in Macedoniam ex Ephesino littore se conferret A Præcipit vero, capite. 11, *ut viri aperto capite orent, ac prophetent, mulieres vero velato capite*: ejusque ritus mysteria insinuat. Eodem anno 57, quo de velandis mulieribus ita rescripsit Paulus Corinthiorum Ecclesiæ, residebat in Urbe Linus vicaria Petri potestate fungens, ex quo fuerat ab apostolorum Principe ordinatus episcopus anno 56 proxime præcedenti, Saturnino et Scipione coss. (uti ex catalogis Liberiano et Feliciano paulo ante demonstravimus, et in Prolegomenis); et occidentalem imperii tractum Petrus susceperat perlustrandum, dum prima illa Neronis tempora fluerent omnino secunda; cum sublato Claudii edicto de Judæis ab Urbe pellendis, uti Baronius ibidem observat n. 42; imo, et eorumdem rege Agrippa quatuor civitatibus donato, quemadmodum Josephus retulit, Antiq. lib. xx, cap. 5, et belli Jud. lib. II, cap. 12, plena quoque facultas esset apostolis, et Christianis Urbem, ac provincias Romanas pro lubitu frequentandi; atque B adeo cœtus fidelium tum Romæ, tum Corinthi libere congregari, et disciplinam tradi nostrarum synaxeon nemo prohiberet. Quare si unquam alias, hoc certe tempore par fuit Christianæ disciplinæ leges nostris in conventibus per apostolos stabiliri. Quod igitur Paulus Corinthi per litteras præcipiebat, hoc Petrus Romæ sanciebat per decretum a Lino vulgandum, mandans velari mulieres, dum orationis aliorumque sacrorum causa ad fidelium conventus accederent. Nemo autem miretur tanti habitam fuisse in ipso Ecclesiæ primordio hujusmodi disciplinam, ut referenda fuerit inter primas apostolicæ sedis constitutiones. Nam Pauli epistola satis indicat, quanti interesset tum mysterii causa, tum sanctimoniæ, eamdem legem tanta auctoritate firmari.

Antequam id exponam, liceat mihi unum indicare circa decreta, quæ collectores Vitarum enumerant in libro Pontificali, a Petro, et successoribus edita. C Observo illa plerumque referri ad duo summa capita, utrumque proprium curæ et sollicitudinis pontificis maximi: nempe ad catholicæ fidei integritatem tuendam, quod primum est; et ad divini cultus rationem diligentissime procurandum in sacrificio, et gratiæ in illo, ac cæteris sacramentis administrandæ, quod est alterum. Utrumque caput ita elucere ac deprehendi mihi videtur, in decretis hic recensitis, ut nullum ex his alterutro careat: eoque nomine satis commendetur consilium scriptorum, admodum pauca decreta e pluribus eligentium, quæ in hæc breviaria Vitarum referrent, veluti præstantiora, et maximi sacerdotis officio præ cæteris respondentia. Nam ad sacrificium, atque adeo ad maximum Dei cultum pertinent ea quæ de numero presbyterorum Petri jussu Cletus instituit, ac de septem diaconis Evaristus, necnon de cleri gradibus Hyginus, ejusque de cultu Anicetus, ac de ordinatione Zephyrinus, et Caius; tum ea quæ de Passione Domini sacerdotum precationi intermiscenda D curavit Alexander; quæ de aliis missæ precibus edixit Telesphorus; ac de tempore sacrificii offerendi, quæ de loco ejusdem celebrandi sancivit uterque Felix; quæ de ministerii vasis, eorumque contractu Sixtus et Soter; de vestibus Stephanus, et Zosimus; de titulorum divisione Dionysius et Marcellus constituerunt. Ad regulas autem fidei tuendæ, et gratiæ administrandæ referuntur ea quæ Victor de baptismo constituit, de Judæorum conversione Pius, de episcoporum judicio Sixtus, de martyrum actis et sepultura Anterus, Fabianus. Eutychianus: de hæreticorum reconciliatione Eusebius, et Siricius, et cæteri protulerunt, suis locis exponenda.

Iis autem præmissis de universo genere decretorum a Vitarum scriptoribus enuntiato, convertor ad Lini constitutionem de capitibus velandis mulierum ad ecclesiam accedentium. Dixi, ex Epistola Pauli ad Corinthios prima constare posse, cur tantopere commendaretur ab exortu Christianæ fidei regula velandi mulierum capitis in ecclesia, tum castimoniæ et honestatis causa, tum etiam mysterii. Utramque enim causam complectitur, capite 11, Apostolus, et in eo deprehendunt interpretes, præsertim versiculo 10, ubi ait: *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput, propter angelos.* Sive enim angelorum nomine exprimat *beatos spiritus*, nostri ad custodiam missos, uti cum Clemente Alexandrino et nonnullis Patribus aliqui sentiunt; sive *sacerdotes*, angelico ministerio in Ecclesia præditos, eoque nomine in Apocalypsi donatos, uti aliis placet cum Ambrosio; sive utrosque; cum angeli appellatio officiorum sit potius quam naturæ; cur lex ferretur istius consuetudinis nec mysterii causa defuit, neque honestatis. Honestati siquidem consuli sexus infirmioris, eamque tutari securius in conventu omnium ordinum velato capite nulla non ætas intelligit, ut integro libro de velandis Virginibus comprobat Tertullianus. Sed ea præ cæteris tempora nascentis Ecclesiæ curare solertius debuerunt hanc publicæ honestatis disciplinam, tum ad exemplum posteris proponendum, tum ad præcavendas æqualium calumnias contra conventus Christianorum, ab ethnicis nostrorum sacrorum hostibus jam tum excitatas, quasi ad Thyestæas cœnas, et scelerata convivia nostris in synaxibus per summam impudentiam conveniretur. Necesse fuit, ut viduarum, et diaconissarum ministerio in pluribus uterentur fideles, tum in admittendis sororibus, et ad separata a viris loca deducendis, tum honeste circumtegendis feminis ad baptismi fontem accessuris, in agapum quoque frequentia, et adolescentularum cura, aliisque officiis, quæ collegit ex Patribus et conciliis Christianus Lupus in Scholiis ad tertium caput Tertulliani de Præscriptionibus. Universa enim hæc honestius curaturæ ac disposituræ videbantur cum feminis diaconissæ, ac viduæ quam diversi sexus ministri, et præpositi. Cum igitur mulierum ministrantium officia tot essent exercenda, quibus etiam Patres adnumerant nonnulla in consulendo, et in privatis allocutionibus repetendo imperitioribus feminis quidquid illæ a catechistis audissent, exemplo Priscillæ, et Aquilæ (*Act.* XVIII) periculum imminebat, ne quædam opinarentur se quoque participes sacerdotii novæ legis fuisse institutas. Neque enim multo post feminæ Marcionis, et Gnosticorum, necnon asseclæ hæreseos Pepuzianorum, et Collyridianæ, a SS. Irenæo, et Epiphanio, atque a Tertulliano indicatæ, quorum testimonia protulit laudatus Lupus ad caput 11 ejusdem operis de Præscriptionibus, id sibi arrogare ambitiose sunt ausæ: eaque in primis, de qua S. Firmilianus ad S. Cyprianum scripsit: « Inter cætera, inquit, quibus plurimos deceperat, hoc etiam frequenter ausa est, ut invocatione non contemptibili sanctificare se panem, et Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino sine sacramento solitæ precationis offerret. Baptizavit quoque multos, usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab evangelica regula videretur. » Harum audaciam et procacitatem uti renovarunt variis temporibus in hæresi Caiana Quintilla, in Pelagiana Amazones illæ Ponticæ de quibus S. Hieronymus, et posterioribus sæculis Beguinæ a Clemente V damnatæ, recentius vero quotquot Luthero auctore, atque sectariis, quos Tremulos vocant, munus publice in Ecclesia docendi usurpare non dubitant, fretæ istius hæresiarchæ monstrosis placitis, a Cochlæo relatis apud Lupum loco indicato, et affirmantibus, « mulieres quoque Christianas vere sacerdotes esse, atque adeo quidquid e baptismo repserit esse vere papam, episcopum, sacerdotem; » ita etiam apostolico sæculo præmonstravit in rudimento muliebris arrogantiæ non infecundo primogenitus ille Satanæ Simon Magus, Selenem suam circumducens, et ostentans quasi Ennoiam, et primum suæ mentis conceptum,

per quam angelos faceret, et archangelos; imo et angelorum errata emendaret: uti ex Irenæo late exposuit Baronius ad annum 35, numero 20 et sequentibus.

Huic igitur nascenti impudentiæ muliebris superbiæ, ab hæreticorum protagonista Simone jam tum excitatæ ad docendum, et corrigendum, et paulo post a proximis sectariis elatæ ad præsidendum, baptizandum, et offerendum more sacerdotali, eo validius obsistere debuerunt apostoli, quo facilius gliscere in posteros subinde poterat, memoria repetituros, Samaritanum illum Simonem, hujusmodi dogmatum, et impietatum architectum, apostolis ab initio adhæsisse, a quibus postulaverat ut cuicunque manus imponeret Spiritum sanctum largiretur: reprehensum vero a Petro, et ad pœnitentiam cohortatum precibus apostolicis se commendasse (*Act.* VIII). Intererat fidei æqualium, ac posterorum, ut intelligeret feminas universas ita esse a sacerdotio exclusas, ut nulli earum permitteretur « in Ecclesia loqui, nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare· » quemadmodum distincte recensuit Septimius Tertull. de velandis Virg., cap. 9. Ad tuendam legis istius auctoritatem tum in frequentioribus ecclesiis, tum in parciori numero fidelium præditis cœtibus, adhibendam esse censuerunt apostoli compendiosam, paratam, et omnium aspectui expositam admonitionem in capitis integumento, quod foret etiam præsidium modestiæ et castimoniæ. Admonebantur etiam feminæ per velamen capiti impositum, sub aliena potestate se constitutas præclusum aditum perpetuo habituras ad gloriam sacerdotii, cujus jura viris præservata cum honore imaginis suæ Dominus voluisset. Id aperte significavit Paulus in exordio decreti prima ad Cor. cap. 11: *Volo autem vos scire*, inquit, *quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris vir: caput vero Christi Deus. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum.* Et rursum versic. 7 ait: *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago, et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos.* Quare mysticam auctoritatem signi, contestantis in velato capite feminarum, et in aperto virorum illis negatam, his concessam potestatem præferendi in sacerdotio imaginem et gloriam Christi, recte se affirmant deprehendere in decreto et verbis Apostoli tam illi Patres qui per angelos intelligunt beatos spiritus fidelium orationibus præsidentes, quam cæteri qui angelicum ministerium nostrorum sacerdotum interpretantur.

Nam uterque ritus velandæ feminæ, et viri ante Deum sistendi capite intecto dum orat aut prophetat, dirigitur ad eamdem confessionem capitis universi sacerdotii in Christo suapte natura positi (cum radix sit sanctitatis), et a Christo emanantis: non quidem in angelos, quos non apprehendit ad incruentum sacrificium suum iterandum, sed tantum ad ministeria precum offerendarum; neque in feminas, quas tum a sacrificii immolatione, tum ab oblationis ministerio in altari præstando removit, sed unice ad viros, donatos imagine, et gloria capitis sacerdotii et pontificis æterni Christi inter homines præferenda, cum potestate cæteris denegata ministrandi, offerendi, consecrandi, et sacrificandi. Dignitatem itaque divini capitis Christi prædicat ex ævo apostolorum inducta tum in viris ad sacerdotium lectis tonsura, et corona Christi, Petri legibus jure attributa, ut infra videbimus in Aniceto, et sacerdotium illi communicatum significans; tum aperium aliorum virorum caput, facultatem illius percipiendi demonstrans: tum velata feminarum facies, et caput, exclusionem ab eadem potestate percipienda contestans. Quæ non levia cum sint documenta nostræ confessionis, mediatorem unicum Deum inter et homines Christum profitentis, sive cum semel introivit in sancta, sive cum apostolis, et sacerdotibus suis, ut potestate eisdem tradita, et negata cæteris uterentur; non levis etiam momenti, sed magnum operæ pretium fuit tum in Epistolis Pauli, tum in decretis a Petro per Linum editis, ea consignari, quæ de velandis mulieribus in ingressu ecclesiæ scriptores Vitarum commemorant.

Duxi hæc enucleatius explicanda occasione decreti apostolici de velando feminarum capite inter orandum in ecclesia (de quo dubitari nequaquam potest, quin ab apostolis sit prolatum, cum legatur in Epistola Pauli), non modo ut decreti vim causamque illustrarem, sed etiam ut possit unusquisque inde colligere, ritus mysticos ab apostolis institutos fuisse qui a fidelibus servarentur in publicis precibus, et conventibus; neque his mysteriis caruisse etiam velamenta, eorumdem apostolorum mandato quibusdam vetita, quibusdam assignata. Si enim hæc admittant necesse est etiam illi hæretici, qui Epistolas Pauli nobiscum numerant inter Scripturas divinitus inspiratas, consequitur ut negare minime possint rituum sacrorum originem inde profectam fuisse, unde Ecclesia accepit Scripturas. Quare confidentius quam par sit plaudit sibi Doduellus in additamento ad cap. 6 Pearsonii dissert. 11 de annis primorum Romæ episcoporum numero 16 demonstratum a se fuisse putans, quod « Nulla Clementis temporibus virginum per velum ab episcopo induendum fuerit solemnis consecratio. Nullæ primis Christianismi temporibus, quæ virginitatem fuerint vel professæ. Nullæ sub Clemente ad professionem ejus publicam admissæ, etc. Nullæ denique postea cum jam aliud a viduis collegium solæ constituerent, seu velo imponendo, seu aliquo alio solemni ritu ab episcopo consecratæ, ne quidem sesqui sæculo a Clementis obitu elapso, cum scriberet Cyprianus. » Quid de virginum statu professione, et ritu velaminis suscipiendi primis hisce Ecclesiæ temporibus sentiendum sit, contra sectariorum obstinatas inficias opportune videbimus in Sotere. Nunc satis esse duximus observare, mulieribus universis a Petro et Paulo mandatum fuisse, ut capite velato ecclesiam ingrederentur, et orarent: et in ea re non modo prospectum fuisse honestatis præsidio, et sanctimoniæ Christiani cœtus in conventu sexus utriusque fidelium, verum etiam quæsitam fuisse mysticam relationem fidei, ac spei nostræ ad Christi sacerdotium indicandum, illiusque jura asserenda viris tantummodo reservata.

CIACONII

Linea 1. — *Linus, natione Italus, regionis Tusciæ.* Patria Volaterranus, patre Herculano, primus beato Petro in Romano pontificatu successit. Hunc B. Petrus, dum universalis Ecclesiæ sollicitudine, ab Urbe in diversas Christiani orbis provincias evocaretur, ordinavit coadjutorem episcopum una cum Cleto: qui simul loco ipsius Petri absentis, ecclesiasticas functiones, et munia episcopalia obirent, et Linus quidem intra Urbem, Cletus autem extra in suburbiis vicariam interim gererent potestatem. Et licet Petrus Clementem successorem sibi designasset, Clemens tamen modestia usus juri suo cessit: et Linus pontifex Romanus electus fuit.

PAGII.

Linea 1. — *Sedit annos,* etc. S. Petri vicarius, seu coadjutor consecratus est, eique juxta Hieronymum in pontificatu anno 65 successit.

SOMMIER.

Linea 2. — *Temporibus Neronis.* In libro II Historiæ dogmaticæ sanctæ sedis, cap. 1, agens de successione non interrupta pontificum Romanorum hæc habet: Nos exhibemus perpetuitatem istius successionis, tanquam primum documentum potestatis et auctoritatis sanctæ sedis in Ecclesia. Josephus historicus refert, Andronicum perorantem ante Ptolemæum Philometorem Ægypti regem, pro dignitate templi Hierosolymitani supra fanum Samaritanorum victoriam reportasse; propterea quod ostendit auctoritatem, et sanctitatem priori illius templi argumentis ex lege ductis, atque ex successione non interrupta pontificum maximorum, penes quos exercitium sacerdotii servatum fuit. « Orsus, inquit Josephus lib. III, capite 6 Antiquitatum, loquens de Andronico, ex lege approbare ejus (templi Hierosolymitani) sanctitatem, et religionem, ostendit per A continuam pontificum successionem sacerdotii usque ad sua tempore propagationem... persuasit regi ut decerneret Hierosolymitanum esse ex sententia Moysis conditum. »

Antiquiores Patres hac eadem demonstratione sunt usi contra hæreses suorum temporum pro Ecclesia Romana decertantes. « Edant ergo origines Ecclesiarum suarum (ait Tertullianus lib. de Præscript. adv. hæres.); evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolicis perseveraverit, habuerit auctorem, vel antecessorem.... sicut Ecclesia Romanorum habet Clementem a Petro ordinatum. » Idem probat ex Irenæo lib. IV adv. hær., cap. 43, 45 63, 70, et lib. III. cap. 2, 3, 25 40; S. Cyprian. epist. 52 edit. Pamel., 60 Oxon.; S. Aug. lib. contra Manic. epist.

III. SANCTUS CLETUS.

ANNO CHRISTI 81, VESPASIANI IMP. 10.

3 *Cletus, natione Romanus, de regione Vico Patricii, patre Æmiliano, sedit annos duodecim, mensem unum, dies undecim . Fuit autem temporibus Vespasiani et Titi, a consulatu Vespasiani* VII *et Domitiani* V, *usque ad Domitianum* IX *et Rufum* [b] *consules. Martyrio coronatur. Hic ex præcepto beati Petri* XXXV [c] *presbyteros ordinavit* 5 *in urbe Roma, mense decembri; qui etiam sepultus est juxta Corpus B. Petri in Vaticano* VI *Kalend. Majas,* et cessavit episcopatus dies viginti.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Cletus annis VI, mensibus II, diebus X. Fuit temporibus Vespasiani et Titi, initio Domitiani a consulibus Vespasiano VII et Domitiano V, usque Domitiano IX et Rufo.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, m. 7, d. 2. [b] *B*, 9, *et Titi* 7 *usque ad Trajan. et Glabrionem.* [c] *C, B*, 25.

VARIÆ LECTIONES

Apud Fabrottum ex codicibus Regio, Mazarino et Thuano.

Num. 3, *lin* 1, *Maz.*, sedit ann. 15, m. 3, d. 12. *Reg.* s. ann. 12. m. 1, d. 12. *lin.* 4, consules. Hic ex pr. beati Pelri 15, P. ord. in v. R. Hic martyrio coronatus est, et sepultus juxta corpus B. Petri in Vat. V Kal. M.

Ex altero codice Thuano.

Lin. 1, sedit annos 15. *lin.* 4, hic præc. B. P. 25, presb. ord. in v. R. qui etiam s.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Flor. duo,* annos, 11. *lin* 5, *Cassinensis Vat. et Flor. cod.*, 25 presb. *lin.* 6, *Cass. et Florent.*, VII Kal.; *Vat. et Flor. secund.* VI Kal.

NOTÆ VARIORUM.

BENCINI.

Linea 1, — *Natione Romanus.* Patria in quolibet pontifice in vetustioribus etiam catalogis notatur. Indicationem hanc ævo primitivæ Ecclesiæ sedulo animadversam, signatamque uti necessariam supponit Optatus loco supra laudato, ubi observat ad pontificatum assumptos ex qualibet gente, ac natione fuisse, nec ad Romanos cives, aut indigenas coarctatam electionem; quo etiam motivo Donatistarum Romæ retentum, seu usurpatum episcopatum proscindit, quia a Victore Garbiensi ad Macrobium qui Romæ pseudoepiscopatum retinebat ætate Optati, universi erant Africani, et ex Africa directi; cum tamen ex quolibet populo a Petro ad Siricium inve- B nirentur assumpti, uti catalogi extantes ostendebant: et cum Donatistæ ex Africa venientes, et tantum Afri essent, hinc eos sic Optatus interpellat: « Quid est, quod toti Afri, et peregrini in illa civitate sibi successive noscuntur? Non apparet dolus? non factio quæ mater est schismatis? » Eadem objecit S. Augustinus tum loco supra laudato, sicut et adversus Crescenium l. III, c. 34.

De regione vico Patrici. Melius legit Holstenianus cod. *vici.* Vicus autem Patricius sic a Festo describitur: « Patricius vicus Romæ dictus, eo quod ibi patricii habitaverunt jubente Servio Tullio, ut id quod molirentur adversus ipsum ex locis superioribus opprimerentur. » Locus ubi erat olim in Pio infra designatur, dum ita: « Hic ex rogatu beatæ

Praxedis dedicavit ecclesiam Thermas Novati in vico Patricii in honorem sororis suæ S. Putentianæ. » Quæ ecclesia Romæ exstat.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 1. — *Cletus.* S. Ignatii, Irenæi. Tertulliani, Epiphanii, Hieronymi, Martyrologi Romani, et sacratissimi canonis missalis auctoritate, et ratione eadem Cletum Lino in pontificatu successisse probamus. Quod sanctus Irenæus, Ignatius, et Eusebius hunc pontificem Anacletum nominent. Baronius anno Christi 93, n. 1, a solis Græcis scriptorum, et librariorum vitio ac errore factum esse putat, nempe quod pro Cleto Anacletum scripserint. Nominum enim similitudine decepti, sicut Marcellum, et Marcellinum ; Novatum Carthaginensem, et Novatianum patria Romanum : ita etiam Cletum, et Anacletum unum eumdemque putantes confuderunt, Bellarminus vero, lib. II. de Rom. Pont. c. 5, ait duos fuisse Anacletos, alterum Clementis antecessorem, alterum ejusdem successorem : illum binominem fuisse Cleti, et Anacleti nominibus appellatum, ideoque eumdem tertium pontificem Clementis antecessorem a Græcis Ignatio, Irenæo, Eusebio Anacletum, a Latinis vero nempe Tertulliano, Hieronymo, Damaso, etc., Cletum nominatum esse.

(Ex Lab.) Linea 1. — *Æmiliano.* Æmeliano.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ IN PONTIFICATUM S. CLEMENTIS, ET S. CLETI.

1. Cur non disjungam chronologiam utriusque pontificatus, S. Clementis et S. Cleti, duplici sectione separatam pro numero pontificum, facile intelliget quisquis observaverit, in ecclesiastica Historia primi a Christo sæculi, ita complicari tempora memoratorum antistitum, ut quisnam illorum præcesserit, quisnam successerit omnes inquirant, et pauci admodum definire videantur. Sint instar omnium magni nominis viri, qui ætate nostra quæstionem hanc pertractarunt. Christianus Lupus in notis ad librum Tertulliani de Prescriptionibus hæret. cap. 32, ad illa verba, *Clementum a Petro ordinatum*, et Schelestratius Antiquit. Eccles. dissert. 2, cap. 1. « Variæ sunt, ait Schelestratius, circa Clementem, et alios tres primos pontifices, qui Petro successerunt, veterum sententiæ. Alii enim Clementem statuunt ordine secundum : alii autem tertium ponunt cum antiquiore catalogo ; alii quartum a S. Petro collocant cum Hieronymo. Æque magna est veterum dissensio de aliis tribus pontificibus, qui post Petrum sederunt. Optatus enim Milevitanus lib. II, successionem quatuor primorum Romanorum pontificum recensens, primo ponit Petrum, cui, inquit, successit Linus Lino successit Clemens, Clementi Anacletus, » etc. Idem plane habet S. Augustinus, epist. 165 : Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus. Aliter S. Irenæus lib III, cap. 3. Nam hoc modo pontificum ordinem recenset : Petrus, Linus, Anacletus Clemens, Evaristus, etc. Videndus etiam uterque Pagius, ut sistam in recentioribus, complura colligentibus testimonia, præter ea, quæ produxerant Baronius et Bellarminus, in eadem quæstione sæculo superiore versati.

2. Felicior tamen exitus ab hoc labyrintho quæstionum videtur mihi aperiri in ea methodo chronologiæ pontificiæ, quam arripuimus : quæ scilicet. suadet ut consulamus vetustiora, et genuina monumenta Ecclesiæ Romanæ. Catalogus Liberianus, omnium antiquissimus, Petro Linum. Lino Clementem, Clementi Cletum non modo successores assignat, sed etiam enuntiat quibus imperatoribus sederint, et quibus consulibus primum, ac postremum pontificatus annum signaverint. Sunt vero consules ita ordinati, et connexi, ut postremos decessoris excipiant proximi juxta fastorum ordinem, qui recte assignantur initio successoris. Completur pontificatus Lini, Capitone et Rufo consulibus sub Nerone, hoc est anno æræ Christi communis 67, Clemens, in eo catalogo assignatus successor Lini, auspicatur initium sedis a consulibus anni 68, Trachalo et Italico. et sub Galba, et Vespasiano per annos 9, menses 11, dies 12, dicitur sedisse usque ad consulatum Vespasiani VII cum Tito filio V quem subinde expendemus. Subsequitur Clementem Cletus a proximo consulatu Vespasiani VII et Titi VI per annos sex, menses duos, ac dies decem, temporibus Vespasiani, ac Titi, et initio Domitiani. postremos consules suæ sedis præferens Domitianum 9 et Rufum, anno Christi 83. Hunc Anacletus excipit proximis consulibus Domitiano X et Sabino Christi 84, et per annos 12 sui sacerdotii pertingit ad consules Domitianum XVII et Clementem, ad annum Christi 95 pertinentes : donec Evaristus novissimis Domitiani temporibus ei subrogetur, signans annum primum sui pontificatus consulibus Valente et Vetere, anno Christi 96.

3. Ut veritas hujusce chronologiæ comprobetur, quæ tot characteribus imperatorum, et consulum distincta, et ordinata procedit ab anno emortuali Neronis ad annum emortualem Domitiani (qui termini non minus certi sunt, quam certa sit epocha consulum Trachali et Italici), oportet hinc colligere summam annorum, mensium, ac dierum tribus hisce pontificibus assignatorum, inde metiri intervallum resultans ex fastis consulum, ac victis Cæsarum, a consulatu Trachali, et Italici, Neronis emortuali, ad consulatum Valentis et Veteris, annum scilicet emortualem Domitiani. Si enim utraque summa paria faciat, æra pontificia recte signata dicenda est : cum de Cæsarea, et consulari illi adamussim respondente, nulla supersit dubitatio, nummis, lapidibus, historicis abunde comprobantibus. Ejus vero intervalli, ac summæ partes inter eos pontifices distributas consules indicabunt : quorum notæ numerales, si forte amanuensium vitio unitatis additamento, vel detractione vitiatæ fuerit in describendis codicibus. facile corrigentur tum ex collegæ nomine in consulatu, tum ex laterculis præcedentibus, et consequentibus ; cum præsumendum sit facilius peccare potuisse descriptorem libri in unica nota numerali, vel altera varianda, quam hallucinari tot in nominibus imperatorum, et consulum exprimendis, quorum nexus cum summæ partibus, et cum summa ipsa consentiat.

Catalogus igitur assignat Clementi annos 9, menses 11, dies 12 : Cleto annos 6, menses 2, dies 10 ; Anacleto annos 12, menses 10, dies 3 ; colligitur summa ann. 28, mens. 11, dier. 25, seu annorum 29 minus diebus 5.

Sin autem menses Clementis papæ supra annos 9, solidos sint duo tantum ; ut picturæ basilicæ S. Pauli, et universi propemodum catalogi, et codices consignant, præter solas membranas Bucherii, quæ undecim menses exhibent ; erit summa ann. 28, et mensium fere trium tribus hisce pontificibus assignanda.

Tantumdem intervalli resultat ex fastis consularibus, necnon ex historicis ab anno emortuali Neronis, se conficientis IV Idus Julii Trachalo et Italico consulibus (Christi 68) ad annum emortualem Domitiani, confossi XIIII Kalendas Octobris, Valente et Vetere coss. (Christi 96.) Quare cum summa temporis hos inter pontifices dividenda muniatur tot characteribus æræ Cæsareæ, et consularis in utroque extremo, videtur eadem firmiter retinenda. Tum si quid labis in aliquam notam numeralem irrepserit nonnullis in codicibus, quæ in aliis correcte expressa parietur exacte cum summa atque ordine temporum Cæsareorum, et consularium ; vitiati codicum numeri ex integris aliorum codicum, ex

cinne respondentibus summæ universæ, et summæ partibus, erunt restituendi.

4. Successor itaque Lini habendus est Clemens ex ordine, ac testimonio chronologiæ tum consularis, tum Cæsareæ, in catalogis Liberianæ, ac Felicianæ ætatis, perinde ac in libro Pontificali, et in Ritualibus, seu Lectionariis enuntiato : quibus testimoniis consentiunt alia, indicata a Cotelerio in notis ad Const. apost. inter Collectanea SS. PP. pag. 384, et præcipue titulus sepulcralis (ex chronico Casaurinensi ad ann. 1103) affixus tumulo S. Clementis, a Baluzio editus Spicilegii tomo V, pag. 475, ita conceptus. *Hic jacet sanctus Clemens Petri discipulus, et a Petro papa secundus, qui jussu Trajani imperatoris, anchora ad ejus collum ligata, fuit in pelago mersus.* Sedisse legitur Clemens temporibus Galbæ et Vespasiani ; Cletus temporibus Vespasiani, ac Titi ; Anacletus temporibus Domitiani. Rursus Clemens dicitur Ecclesiam rexisse ex consulibus Trachalo et Italico (ipsum est initium Galbæ æra Christi 68), ad consules Vespasianum ac Titum (utique Vesp. VII et Titum V. Christi 77, cum anni novem sedis ei tribuantur, et his eisdem consulibus Vespasiano VII et Tito signentur initia Cleti successoris). Ex die martyrii S. Lini 23 Septembris, Capitone et Rufo consulibus, Christi 67, numeratis annis solidis 9, mensibus 2, diebus 10, quos referunt vetustissimæ picturæ S. Pauli in Clemente ; pontificatus Clementis pertigerit ad diem 3 Decembris anni 76, Vespasiano VII et Tito V consulibus. Proximum Pascha anni 77 subsequentis, et signati Vespasiani VIII et Titi VI consulatu, pertinebit ad Cletum pontificem : cujus initia erunt his coss. inscribenda juxta morem catalogi. Qua die tamen pontificatum susceperit a Clemente dimissum alio ex indicio indagabimus, nempe ex summa temporis Cleto attributa, comparata cum die martyrii. Tabulæ martyrologii Cleti martyrium assignant diei 26 Aprilis. Catalogus Liberianus præter annos solidos 6 illi attribuit pontificiæ sedis menses duos, dies decem, et finem refert ad consules Domitianum IX et Rufum, Christi 83. Iniverit itaque munus Romani pontificis die Dominica 16 Februarii Christi 77, Vespasiano VIII et Tito VI coss. : et vacaverit sedes a dimissione Clementis abdicantis die 3 Decembris anni 76 ad diem 16 Febr. anni 77, mensibus duobus, et diebus 12.

5. Porro Clementem se abdicasse pontificatu maximo, et quidem anno Christi 77, jampridem collegit Godefridus Vendelinus in suo Commentario ad S. Clementis epistolas laudantibus et in eamdem sententiam propendentibus VV. CC. sociis Bollandianis cum Henschenio exercitat. V, in apparatu ad chronologiam pontificiam ita scribente. « Godefridus Vendelinus in suo Commentario ad S. Clementis epistola hanc controversiam ita dirimit : Anno 77, cum Romæ inter fideles orta esset (qualis postea Corinthi) magna dissensio super honore pontificatus ; Clemens, ne quasi ex testamento Petri successisse videretur, ac ne posteris hæc principatus ambitio perniciosi exempli haberetur, ultro se pontificatu abdicavit. Porro videtur illud ipse Clemens innuere in Epistola ad Corinthios, supra a Clemente Alexandrino, et a Hieronymo laudata, ubi in posteriori parte Epistolæ ista habet : *Si propter me seditio, contentio, et schismata orta sunt, emigrabo, abibo, quocunque volueritis.* »

Iis igitur a Vendelino prudenter perpensis assentitur Henschenius n. 41, ita concludens. « Mortuo ergo Lino 23 Septembris anni 67, S. Clemens, jam ante a S. Petro ordinatus episcopus, suscepit administrationem Ecclesiæ, et proximum annum integrum habuit in suo pontificatu consulibus supra designatis C. Silio Italico, et M. Galerito Trachalo Turpiliano, et gubernavit Ecclesiam annos 9, menses 11, dies 12, usque ad annum 77, cujus tamen consules tribuuntur Cleto, qui tunc fuit in pontificem assumptus, et consules supra notantur imperator Vespasianus VII et Titus Cæsar V, qui anno 76 rempublicam administrarunt. »

6. Paulo aliter seniendum mihi esse duco in dimissione Clementis retrahenda ad diem 9 Decembris anni 79, Vespasiano VII et Tito V coss. cum anni 9, ejusdem sedis a die 24 Septembris anni 67 post Lini martyrium inchoatæ menses tantum duos cum picturis S. Pauli, et dies decem (non vero menses 11, et dies 12, cum catalogo Liberiano) attribuam, adeoque terminum figam die 3 Decembris. Cum hac abdicatione in eam diem ex fide monimentorum indicatorum retracta ita connecto successionem Cleti post menses duos, et dies tredecim ab ea dimissione, incidentem in diem Dominicam (aptam episcopali ἐνθρονισμῷ) 16 Februarii anni 77, Vespasiano VIII et Tito VI consulibus.

Uti enim reluctans Clemens suæ primæ designationi, ac declinans onus subire totius Ecclesiæ, serius admisit honorem maximi pontificatus in se recipere, et Lino ante se contradi impetravit, licet destinatione principis apostolorum ad id muneris jam pridem ipse vocatus esset ; ita abdicantis vota ægrius ac serius a Romano clero admissa par est credere, multo autem ægrius, ac serius cooptationi suæ consensisse Cletum, perlatis ultro citroque mutuis precibus ad fatigandam constantiam utriusque recusantis ; donec appetente Quadragesimali jejunio, ne in mysteriis Paschalibus, eo anno 77 celebrandis die 30 Martii, Romana Ecclesia destitueretur pontifice, Cletus flagitantium precibus tandem victus onus subiit die 16 Februarii, quam Dominicam primam Quadragesimæ eodem anno appellaremus, ut pœnitentes ad baptismum, et ad cætera sacra nostræ religionis in Paschate suscipienda disponeret. Ex hac enim die ratione mensium duorum, ac dierum decem Cleto assignatæ supra annos solidos sex in Liberiano catalogo omnium vetustissimo, exacte pariantur cum die annoque martyrii in Ecclesiæ tabulis consignato die 26 Aprilis sub consulatu Domitiani VIII et Rufi, eodem in catalogo, cæterisque elenchis pontificum, et lectionariis libris expresso, uti observandum lectoribus proposui.

7. Colligam ex laudata Henschenii exercitatione V aliud inde cium, confirmans abdicationem Clementis referendam esse ad annum 76 Vespasiano VII et Tito V coss. Petitur vero ab occasione exsilii philosophis indicti a Vespasiano, qui anno 73 juxta Labbæi chronologiam suasu Muciani stoicam disciplinam professos urbe expulerat philosophos, præter Musonium, uti comprobat ex Dionis historia per Xiphilinum contracta. Petavius ad eumdem annum 75 retulit eam expulsionem. « Cum, inquit, Helvidius Priscus Thraseæ gener, secta Stoicus, Romanus prætor, Vespasiano obtrectaret, et ejus exemplo Stoici, Cynicique complures eadem uterentur licentia, Vespasianus philosophos, præter Musonium, Urbe submovit : Hostilium vero, et Demetrium Cynicum in insulas relegavit. » Henschenius putat verisimile, ea occasione jussum fuisse exsulare etiam Cletum, quem autumat tum temporis tenuisse Petri cathedram Romanam ; cum religionis nostræ professores ab ethnicis crederentur asseclæ sectæ alicujus severioris, a Stoica non admodum diversæ. Pace tanti viri hæc lubentius aptarem Clementi quam Cleto ; cum Clemens memoretur libros complures edidisse, religionis nostræ dogmata propugnantes, quod a Cleto factum nemo tradidit ; et idcirco sive philosophi pellerentur, sive sophitæ, Clementi potius quam Cleto id evenisse putandum est, ut pelleretur Urbe sub Vespasiano, tanquam is, qui philosophus, aut sophista haberetur ab idolorum cultoribus, et accusaretur tanquam criminator eorumdem superstitionis, dum apologiam nostræ fidei scripto mandaret. Neque enim in philosophorum exsilio substitit Muciani severitas imperante Vespasiano anno 73. Dio a Xiphilino conctractus nos admonet.

anno Christi 75, Vespasiano VI et Tito IV
ibus, templum Pacis dedicatum fuisse plurimo
idorum apparatu : quo tempore affirmat Be-
m cum Agrippa Romam ingressam ; tum ad-
Eodem tempore molesti quidam sophistæ clam
em ingressi sunt, ex quibus Diogenes cum
n theatrum venisset, refertum magna homi-
ultitudine, ac populum vexasset multis con-
is, virgis cæsus est. Post hunc Eras venit,
tus nihil sibi gravius eventurum, multo ex-
rit insolentius atque impudentius. Quamobrem
it detruncatum est. » Dio Xiphilini ex ver-
Sylburgii hæc peracta recenset in consulatu
iani VI et Titi IV, quo scilicet dedicationem
Pacis tum nummi tum lapides demonstrant
risti vulgaris anno 75. De Clemente affirmat
ontificalis : *Hic dum multos libros zelo fidei*
anæ religionis ascriberet, martyrio coronatur.
ymus in catalogo scriptorum narrat, a ple-
Latinorum haberi secundum post Petrum
lum Clementem, solo intercedente Lino inter
que pontificatum, et Epistolam ad Corinthios
ente scriptam recognoscit cum Eusebio per-
m stylo ac sensibus Epistolæ Pauli ad He-
Stylus ac sensus Clementis, operum jam di-
tur. cum Pauli Epistolam ad Hebræos imitetur.
æternum Christi sacerdotium, ac regnum, et
atus pacis debitis laudibus effertur, Melchise-
egium pontificatum longe superans, in figura
æmissum. Quænam vero dicta, quosnam sen-
oracula nostræ religionis lubentius inclama-
mens Romanus pontifex anno 75, dum Vespa-
imperator Pacis templum dedicaret, ut ea-
cripturarum oracula, quæ de Christi Domini
ac sacerdotio fuerant in Scripturis divinis
i, sibi arroganter aptanda præsumeret ? Eo
consilio testatur Tacitus, et ex eo Ba-
ad annum 77, num. 3 et 4, assentatori-
Judæa, in Ægypto et in Urbe aures præbuisse.
tim Josepho, ad eumdem Cæsarem referenti
prophetæ de Christo Domino *pacis Principe*
us prædixerant : ita ut Pacis templi omnium
simi in Urbe excitandi, ac dedicandi ea po-
um causa fuerit, « quod audisset (ut verbis
i utar) in oraculis esse illum ipsum regem
Principem nominandum, et in immensum ab
propagandum imperium, pacisque inde nul-
turum esse finem, sic dicente Isaia : *Vocabi-*
nen ejus Princeps pacis : multiplicabitur ejus
um, et pacis non erit finis. Eadem, perinde
e dicta essent, a Josepho oblata sibi sumens
sianus) celeberrimum omnium templum eri-
Paci æternæ dicavit : eo enim titulo templi
as faciem fuisse notatam numismata antiqua
ant, sed et vetus inscriptio quæ Romæ in
s Farnesianis lapidi insculpta legitur, in qua
criptæ sunt tribus quæ ad templi structuram
am contulerunt, hæc habet primo loco notata
paci æternæ. Cætera quæ sequuntur prætermit-
quod sit alias eadem inscriptio a nobis supe-
citata. In nummo etiam argenteo in hunc
n : *paci æ* deest *ternæ,* » etc. Nummi a Baronio
ati Pacis templum a Vespasiano dicatum osten-
notantur ejusdem sexto consulatu, aliusque
Mediobarbam argenteus inscribitur consu-
i et hac Epigraphe PACIS EVENTUM COS. VII.
contestes sunt, per hosce annos æræ Christi
6, quibus Vespasianus processit consul VI et
crebuisse in urbe sermones, detorquentes
ia prophetarum de Redemptore ac Deo nostro
a, in laudem profani principis, quorum summa
apud Josephum ejusdem perversi dogmatis
trem, et sectatorem in fine capitis 12, lib. VII
lo Judaico : quos libros ita a se perscriptos
ir, atque a se traditos Vespasiano ac Tito
toribus, ut etiam commemoret in libro de
ua, *Titum imperatorem eosdem libros sua manu*

A *descriptos in bibliotheca publicari jussisse.* Perversæ itaque interpretationes, ac detorsiones legitimi sensus prophetarum percrebuerant in Urbe sub Vespasiano, tam in ore, et libris Judæorum eorumque sacerdotum qualis erat Josephus, quam ethnicorum in sermonibus, et commentariis, uti supersunt apud Tacitum, et Suetonium illius ætatis auctores, hæreticum dogma Herodianorum recoquentes in assentationem Vespasiani, ut scite observat Baronius in apparatu ad Annales num. 5 et 15. His certe hæresibus, ac perversis interpretationibus Vespasianum impie obtrudentibus pro Christo Domino non destiterit Clemens occurrere, demonstrans Judæis atque Gentilibus, ea prophetica dicta ad Jesum verum Christum Domini. Principem pacis, et Regem futuri sæculi, non vero ad Romanum Cæsarem pertinere. His certe occurrere non destiterit Clemens, demonstrans Judæis æque ac Gentilibus, ad Christum Dominum ea prophetica dicta referri. Id enim erat
B officium Romani episcopi, Ecclesiam universam docentis, ut occurreret sectæ, atque errori in Urbe nascenti occasione Judæorum, atque ethnicorum Vespasiano assentantium, et prophetica dicta pervertentium, ad hæreticas opiniones consolidandas, id muneris exigente Petro in epistola. Quare tanquam sophista, aut philosophus maledicus, et obtrectator principis, cui cæteri assentabantur, ab Urbe recedere, ac fortassis jam tum exsulare in Pontum jussus fuerit (non secus ac Helvidius Priscus Urbis prætor, aut Hostilius, et Demetrius Cynicus in insulas fuerant relegati anno 73) ; cum ethnicæ superstitionis patroni criminarentur, et deferrent tanquam obtrectationes in principem, ea, quæ pro nostræ religionis officio ad veram Scripturarum interpretationem a Christi vicario voce et scripto proferebantur. De hujus etiam muneris dignitate, quæ regalis Christi sacerdotii participem reddebat Clementem, si forte quidpiam suboluit ac
C cusatoribus Christianorum novum discrimen tum pontifici, tum universo fidelium cœtui fortasse imminebat, si Clemens diutius in Urbe persisteret : criminaturis ethnicis perinde ac Judæis, non secus, ac Hierosolymis Christum Dominum accusaverant, de regni affectatione apud Pilatum. Quare. ut Clemens ostenderet evidentius se nihil mortale appetere, aut quidpiam contra imperium moliri cum regium Christi sacerdotium prædicaret ejusque vices Romana in Ecclesia gereret, præstare duxit, et Christianæ plebis indemnitati uberius consultum iri pervidit, si tanto munere sese abdicaret, et si apostolicæ potestatis plenitudo in alterum conferretur, qui minus fortasse notus, aut expositus invidiæ ethnicorum, successor sibi a clero deligeretur. Hæc omnia ita cohærere videntur cum rebus gestis a Vespasiano ex anno 73 ad 76, et cum consulibus, et annis per catalogos attributis Clementi, et Cleto, necnon cum dictis a SS. Patribus de ejusdem Clementis operibus stylo, sensibus et historia ; ut hisce
D conjecturis sperare possim commendationem plane similem accessuram ei, quam Baronius paulo ante allatis proventuram non diffidebat, cum scriberet ad finem anni 77 : « Hæc vero, licet sint a nobis (ut superius diximus) ex conjectura deducta ; nihilominus haud facile ab aliis, omnia simul exacte considerantibus, contemnenda fore putamus. »

8. Objecta duo mihi dissolvenda fortasse proponentur : quod me præstiturum haud difficulter confido. Primum est, cur in canone missæ, tantæ vetustatis atque auctoritatis autographo, præponatur Clementi Cletus, quem abdicanti datum successorem asserui ? Velim, ut quicunque hoc dubium excitant, memoria repetant, Cletum ex nostra sententia, et ex catalogorum chronologia consulari, et Cæsarea, serius quidem admissum ad maximi pontificis munus gerendum in Ecclesia, quam Clementem, sed ad martyrii gloriam in cœlis consequendam maturius pervenisse : et propterea in diptychas

martyrum relatum annis pluribus ante Clementem, qui post abdicationem diuturno exsilio probatus a Domino usque ad annum Trajani tertium vitæ est reservatus, teste Hieronymo de Script. ecclesiasticis. Videmus in canone missæ ordinem temporis, quo quisque abiit e vita in martyrum classibus retineri, tum in precibus ante consecrationem, ubi nomina recensentur Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli; tum peracta consecratione ubi sociari poscimus cum Joanne (præcursore, seu Baptista), Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, licet apostolatus munere Matthias, et sacerdotii gradu tum ipse, tum cæteri qui consequuntur, Stephano diacono sint præmittendi. Par igitur ratio est præponendi Cletum Clementi; cum Cletus anno Christi 83, Domitiano VIII et Rufo consulibus, sanguinem pro Christo fuderit: Clementi vero eadem corona serius contigerit circa annum Christi 100, qui pontificalem prætulerat ex 68 ad 77.

Aliam quoque causam præponendi Cletum Clementi ostendunt codices Anastasii, a Fabrotto impressi ex bibliothecis Regia, Mazarina et Thuana, quorum verba dedimus. Vides Linum et Cletum multo maturius a B. Petro consecratos episcopos ad ministerium ordinum in Urbe secum exhibendum, quam fuerit episcopali ordinatione insignitus Clemens, quem serius, hoc est paulo ante suum martyrium ab apostolorum Principe consecratum episcopum diserte refert. Epocham igitur ordinationis retinet series in canone expressa, *Linum, Cletum, Clementem* memorans. prætermissa serie successionis, juxta quam aliter essent enumerandi. Sed priori causæ fido lubentius.

9. Alterum mihi objiciendum petetur ex numero annorum 12, quem plerique codices tribuunt pontifici Cleto, licet Belgicus Papebrochii septennium cum nobis assignet. et quartus Colbertinus protrahat ad octennium, Liberianus vero catalogus sexennium tantummodo numeret.

Hanc difficultatem nullo negotio dissolverem, si numeri annorum, mensium, ac dierum sub Cleto superessent in serie pontificia basilicæ S. Pauli toties laudata. Licet vera tota epigraphe S. Cleti cum ejus nomine, ac numeris sub imagine ejusdem omnino consumpta sit; ex codice tamen antiquissimo catalogi Liberiani per sæculum integrum præcedentis picturas basilicæ S. Pauli istæ supplentur, ac res tota conficitur. Ibi leguntur distincte numeri quos recensui annorum 6, mensium 2, ac dierum 10, Cleto attributi, quemadmodum distincte cernitur successio Cleti post Clementem. At, inquiunt, catalogus Felicis IV et codices Italiæ vetusti eadem pag. 88 producti duodennium Cleto contribuunt.

Ita objicientibus hæc repono. Nonne idem catalogus Felicis Quarti consules exprimit, et ex iis consulibus colligitur spatium septenni Cleto assignandum? quod in Codice Papebrochii *g* aperte enuntiatur, et in quarto Colbertino *l* ad octennium extenditur, in quinto vero *m* ad novennium. Alterutrum igitur mendose descriptum fuit in catalogo Felicis IV aliisque codicibus indicatis: et alterutrum emendandum; vel scilicet consulum nomina ex numero annorum; vel numeri annorum ex consulum nominibus. Peto, uter lapsus librariorum sit præsumendus et existimandus facilior? certe in numeris; cum 12 signari pro 7 unius elementi mutatione contingat. Nomina vero tot consulum una cum præcedentibus, ac subsequentibus proximorum pontificum variare ne oscitans quidem, ac dormitans scriptor valuerit, si constiterit sibi, ut præferar, et vigilaverit in annorum numeris attente ac fideliter transcribendis. Signare autem nomina consulum ea ratione, ut decessoris postremos excipiant proximi in successore. id vero constantiam indicat recte describentis exemplar, non oscitantiam, aut evagationem dormitantis in transcribendo. Si lapsus itaque in numeris tanto est proclivior quam in nominibus; erit quoque emendatio, et castigatio notarum numeralium ex nominibus (præsertim ex fide codicum vetustiorum, ubi rationes nominum et numerorum pariantur), alteri præferenda.

10. Consentiant itaque critices recte institutæ sanctiores regulæ, ut ex consulibus recte assignatis, et constanter se consequentibus juxta omnes codices præferamus eorum codicum numeros (præsertim antiquiorum, uti est catalogus Liberianus) qui nominibus consulum exacte respondent.

Scio clarissimum virum Henschenium in Anatasi de Cleto et Anacleto, tomo V Maii, pag. 247, maluisse recedere a consulibus Cleto et Clementi assignatis, quam a numeris assumptis, dum scriberet: « Neque enim hoc loco me puto obligari ad eos consules tenendos, quos Cleto Clementique assignarunt pontificum catalogi, quorum primum auctorem, sæculo III ineunte, credibile est consules pro primo sæculo non invenisse antiquius cuique ætati ascriptos, sed ex annorum cuique attributorum calculo. et eo quem proposuerat ordine pontificum ipsos aptasse. » Pace tam præclari scriptoris dixerim, divinationem hanc suam de arbitraria consulum aptatione antiquitus adhibita satis refelli tum ex Actis martyrum genuinis, tum ex cœmeteriorum inscriptionibus consulatu signatis, quæ martyrum ex cryptis prope Urbem quotidie effodiuntur. Reminisci poterat S. Clementem, de cujus epocha consulari in catalogis apposita dubitat, ipsum fuisse, qui septem notarios instituit ad illa martyrum Acta scribenda, quæ exordium sumunt, uti actorum publicorum mos est, ex nota temporis per consulatus aut annos principum indicata. Ne pluribus utar argumenti sui hac assumptione refellenda, lectori auctor sim, ut ea dignetur repetere, quæ in præfatione primi tomi edita sunt numero præsertim 18 et consequenti 19.

11. Methodus ergo veracioris criterii postulat, ut his in codicibus exigantur potius, et corrigantur notæ numerales annorum ad nomina et collegia consulum, quam consulum nomina et collegia transformentur, et permutentur juxta notas numerales annorum.

Fateor quidem errari posse, atque erratum non semel fuisse ab amanuensibus et librariis in describendis nominibus. et collegiis consulum, præsertim vero ubi consulatus sub Augustis iteratus cum eodem collega in magistratu notis numeralibus secernendus est a proximis lateculis: quemadmodum hic evenit in Vespasiano ac Tito, annos complures simul auspicantibus per communes fasces in quarto, quinto aliisque Vespasiano patris consulatibus, usque ad nonum, semper jugatis cum II et subsequentibus Titi usque ad septimum. Concedam, librarii negligentiæ perinde fuisse proclivem lapsum in reddendo consulatu Vespasiani VIII cum Tito VI, pro Vespasiani VI cum Tito IV consule, ac facile fuit 8 annos ascribere solidos Cleto, qui fuerant 6 exprimendi. Erroris enim facilitas in describendo ac transformando utrobique versatur in numeris. Quare uti facile descriptor errare poterat in exprimendo, ita necessario criticus hæsitare deberet in emendando, nisi præcedentes et consequentes in proximis pontificibus consules, uti veram annorum summam, ita respondentes consulatuum iteratorum numeros indicarent. Hæc autem præsidia emendationis et criterii parata habemus his in pontificibus Clemente et Cleto, de quibus agitur: uti mox ostendo.

Trachalus et Italicus primum est par consulum tributum Clementi: *Domitianus* IX *et Rufus* postremus est consulatus ex numeratis in Cleto apud omnes catalogos, et codices collegia consulum signantes. A coss. *Trachalo et Italico,* Christi anno 68, ad coss. *Domitianum* IX *et Rufum,* Christi anno 83. sunt anni 16 solidi, inclusoutroqueextremo. Extremi autem termini ejusdem summæ reddunturiterum certi ex nominibus consulum proxime præcedentium in fine sedis Lini, nempe *Capitone et*

hristi 67. et ex primis consequentibus in
i pontificatu, exordium ejus signantibus *Do-*
x *et Sabino*. Christi 84. Cum igitur tot
bus certa sit summa annorum 16 duos inter
es dividenda, Clementem et Cletum. Cle-
dabo collegia consulum novem ; cum anni
solidi, menses duo, ac dies 11 illi assignentur
ıimis in picturis basilicæ S. Pauli, et in
ıs antiquis codicibus supra recensitis pag. 88,
ınicum *a*, qui decem mensibus hanc summam
ɔi hanc summam annorum 9, mensium 2. ac
11, numerare incipias ex consulibus Tra-
ɔt Italico tributis exordio Clementis, sive
ex die 24 Septembris proxime præcedentis,
ie 23, anno 67, Capitone et Rufo coss., Linus
r martyrium fecerat : videbis postremos con-
lementis novennio tribuendos esse illos, qui
æræ Christi communis 76 signarunt, nempe
anum VII *et Titum* V. Idcirco his non per-
ıttribuitur initium Cleti ab omnibus codi-
ıdem pagina memoratis. Oportet itaque finem
lis consignare, vel his eisdem consulibus, vel
e præcedentibus *Vespasiano* VI *et Tito* IV,
ɔcundum universis codicibus et picturis re-
ɜt, cum summam non impleat novennii solidi,
em codicum, et picturarum consensu Cle-
ıttribuitam. Nunquam vero diffundi potest
lementis ad consulatum Vespasiani IX et
. Christi 79, cum Vespasiani VIII et Titi VI
ır Cleto successori. Perspicue igitur apparet,
onem numeralis notæ adhibendam esse co-
fine Clementis, ubi consulatus *Vespasiani* IX
Tito ostenditur ex epocha consulari succes-
ɪprimendus *Vespasiani* VII, *collega Tito* V,
76.

atum itaque sit ex consensu documentorum.
te atque auctoritate præstantium, et omnino
lantium picturis antiquissimis basilicæ S.
earumque superstitibus numeris, Clementis
chronologiam ita esse disponendam.

ens sedit annis 9, mensibus 2, diebus 10, ex
rachalo et Italico, æræ Christi 68, ad coss.
anum VII et Titum V, æræ, Chr. 76 : nempe
o affecto Lino 23 Septemb. anni 67, ex
eptembris ejusdem anni 67 ad diem 3 De-
hr. epochæ 76, annis 9, mens. 2, dieb. 10.
vero 4 Decembris anni 76, cum Clemens
bdicasset, cessavit sedes usque ad diem 15
ii proxime succedentis anni 77. Postridie
i, scilicet die 16 Febr, quæ incidit in Domi-
Quadragesimæ in capite jejunii, Cletus ponti-
Romanum assumpsit.

s sedit annis 6, mensibus 2, diebus 10, ex
inica 16 Febr., Vespas. VIII et Tito VI coss.,
77, ad diem 26 April., Domitiano IX et Rufo
hristi 83, qua martyrium consummavit annis
obitum Clementis decessoris sui : qui cum
set, et in exsilium deportatus in pontum se-
t, ad tertium Trajani annum Christi 100
s Eusebio et Hieronymo, aliisque) reserva-
rtyrii coronam accepit : et idcirco in libro Pon-
non secus ac in diptychis et in canone mis-
to successori in sede Romana, sed præcursori
a martyrii postponitur ; licet in catalogo Libe-
natim exhibente hos pontifices, præponatur.
ta constitutis de chronologia pontificia Cle-
et Cleti, notas historicas ad utriusque vitam
rdinem Libri Pontificalis attexam.

USDEM NOTÆ HISTORICÆ IN VITAM S. CLETI.

1. — *De regione vico Patricii.* Vicum Patri-
ıisse constat non regionis nomen ex quatuor-
ab Augusti partitione in Urbe designatis, sed
regionis quintæ Exquilinæ uti ex Festo ac
s tum historicis, tum antiquariis colligitur.
phus more suo, quem supra indicavi, ita nun-
partem regionis, ubi locum natalem obtinuit

A pontifex ille Romæ in lucem editus, cujus vitam describit. Quænam autem pars quintæ regionis Augustæ fuerit *vicus Patricius*, dubitari minime potest quemadmodum observat Nardinus libro IV, cap. 3. Satis enim perspicuum reddiderunt Festus et indicati scriptores vicum, ejusque situm, et appellationem. Est vero tractus humilior, vallis in morem protensus inter colles Exquilinum, et Quirinalem : ubi S. Pudentianæ titulus (de quo supra Opusculo XV, et in notis ad sect. III ejusdem Opusculi litteris *c* et *g*) dictus *in vico Patricii*, seu *in vico Patricio*, secundo Christi sæculo erectus, et a S. Pio papa dedicatus, ut infra in ipsius Pii sectione ostendetur, adhuc superest : ubi etiam S. Euphemiæ vetus ecclesia perstitit : isque ad ætatem S. Pii V, quæ ab eodem vico nomen acceperat ; isque tractus extenditur per declivem Exquiliarum partem ad S. Laurentii in fonte, donec pertingat ad *Suburram* sub clivo S. Petri ad Vincula. Festus asseverat *vicum Patricium* hunc
B ipsum esse sub Exquiliis, ita dictum, « quod ibi Patricii habitarent, jubente rege Servio Tullio, ut si quid novi molirentur, e locis superioribus opprimerentur. »

Adnotare præstat Cletum et Clementem, qui primi leguntur ex Romæ natis ordinati episcopi ab ipso Principe apostolorum, hæc loca incoluisse, ubi Petrus hospitio exceptus traditur. Cletus e *vico Patricio* prope titulum S. Pudentianæ, sive etiam S. Pudentis ejusdem patris quem e gente Cornelia fuisse, et fortasse cognatione junctum Cornelio centurioni cohortis Italicæ, a Petro baptizato in Syria, supra indicabam, in notis ad S. Petrum, videri posse satis probabili ex conjectura. Ab altera Exquiliarum parte superato clivo S. Petri ad Vincula Clementis primi paterna domus traditur in eum titulum conversa, quem inter antiquissimos Urbis comprobant documenta musivi, structuræ, et scriptorum, illustrata a Ciampino in veteribus Monumentis Ecclesiæ Romanæ, et a canonicis Piazza, et Rondinino in descriptione, et hi-
C storia ejusdem tituli, præservata vero diligenti cura a sanctæ memoriæ pontifice Clemente XI, illius reparatore magnifico. Inter utramque vero sedem Cleti et Clementis natalibus illustratam; medio ferme loco assurgit titulus S. Petri ad Vincula, sive Eudoxiæ, quo loco apud milites Neronianæ domus hospitari consuevisse utrumque apostolum Petrum. et Paulum collegit Florentinius suo in Martyrologio veteri in notis ad Kal. Augusti. Hæc omnia firmant conjecturas superius productas de prima Petri receptione in regione Exquilina : ubi antiquiores ac præstantiores discipulos ita formavit suis moribus, et domestica hospitii consuetudine, ut præ cæteris digni sint habiti, qui eidem apostolorum Principi maximo in pontificatu succederunt.

Linea eadem. — *Patre Æmiliano.* Æmiliani cognomentum indicat patrem Cleti e gente Æmilia ortum in aliam familiam adoptione transisse : non secus ac ducentis circiter ante ipsum annis Cornelius Scipio Africanus minor *Æmilianus* dictus est, quod e gente
D Æmilia ortus, nempe ex celebri Æmilio Paulo, qui de Macedonia ac rege Perseo triumphaverat, a P. Scipione prætorio Africani majoris filio adoptatus, in Corneliam gentem relatus fuit : uti Vallanius erudite observat ad nummum 138 gentis Corneliæ. An ejusdem gentis Corneliæ stirpe *Æmiliana* pater Cleti habendus sit, divinare non ausim. Vicus Patricius ipsi natalis, et Æmiliæ gentis origo, ex eo cognomine in patre indicata suadent, ut præsumamus generis nobilitatem : præsertim cum fasti consulares ostendant cognomentum Æmiliani in Fabiis, Fulviis et Corneliis inveniri.

Linea eadem. — *Annos duodecim, mensem unum, dies undecim.* Tempora Cleti satis constabilita sunt in notis chronologicis, ubi ostendi ex consulibus assignatis præferendum numerum annorum 6 expressum in vetustissimo catalogo ætatis Liberii ; cum hanc eamdem epocham ostendat consensus codicum consules eosdem ferentium.

Linea 3. — *A consulatu Vespasiani* VII *et Domitiani* V. In septimo consulatu Vespasiani patris collega ordinarius annum aperuit filius natu major Titus. Spartiano teste in Vita Adriani, qui hoc anno natus est, uti Panvinus observat, fastis Græcis id comprobantibus. Anonymus tamen quarti sæculi ex bibliotheca Cæsarea, legendus apud Norisium post epochas Syromacedonum, in catalogo consulum ordinariorum Domitianum assignat collegam patri septimo in consulatu : cujus auctoritatem sequitur liber Pontificalis. Suffectum Tito post Kalendas Julii fratrem Domitianum Panvinius credit, et inde ansam arreptam substituendi fratrem suffectum ordinario. Catalogus Liberianus, et altero proximus Felicis Quarti, necnon cæteri codices indicati pag. 88 in Prolegomenis, cum Spartiano, collegam tribuunt Titum, quem et in sexto et in octavo Kalendis Januarii pariter processisse cum patre, historici et inscriptiones veteres manifestant.

Linea 5. — *Triginta quinque presbyteros ordinavit in urbe Roma.* Codices C et B habent 25, quemadmodum et Casinensis, Vaticanus Florentin., Thuanus alter, primus Ociculensis tertius, ac ferme omnes impressi lectionarii tam ante, quam post editiones S. Pii V. Hunc numerum 25 presbyterorum Romanæ urbis, qui postea cardinales dicti sunt ex præcepto B. Petri fuisse a Cleto institutum, antiqua traditio est, per tria priora sæcula plurium successorum exemplis comprobata. Nam presbyteris 25 a Cleto ordinatis totidem titulos ab Evaristo divisos faisse, in ejus Vita legemus infra num. 6. Eumdem numerum titularium ac titulorum restitui curarunt alii pontifices, statim ac persecutionum vis aliquot disjecisset ; quod præstitum a sancto Dionysio papa sub Gallieno principe post immanem Decii et Valeriani persecutionem ostendet num. 26, et rursum a sancto Marcello post atrocissimam Diocletiani et Maximiani peractum docebit num. 31. Fusius pertractatum hoc argumentum lector inveniet in scripto quod Romæ edideram ante annos 15, cum tuerer causam fontis baptismalis pro venerabili basilica Sancti Laurentii in Damaso, cujus inter canonicos numerabar.

Probatum ibi fuit compluribus testimoniis, presbyteros illos 25 ex præcepto Principis apostolorum Romæ institutos, ac titulos totidem eisdem assignatos prætulisse imaginem quamdam, ac specimen universalis Ecclesiæ, et omnium principis, quale specimen obtinuerat ante Christum natum Judæorum Ecclesia in templo Hierosolymitano. Institutæ fuerant ad Dei cultum eodem in templo exercendum 24 vices sacerdotales, juxta numerum *principum Sanctuarii*, et *principum Dei*, uti Scriptura nominat (*I Par.* XXIV), quibus cum adderetur sub sacerdote summo, cæteros principes sanctuarii, ac Levitas omnes sua potestate complexo, alter ab eo proximus, veluti vicarius (qui et *Sagan* Hebræis audit) reliquis præstans ; is vigesimam quintam vicem quodammodo implebat. Ecclesia igitur Romana, ad Dei cultum educatura fideles omnes, genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, ita congrue compacta viginti quinque principibus sanctuarii, ad exemplum prioris sacerdotii constitutis ac distributis per totidem titulos (nempe domos sacerdotales ad baptismum solemniter conferendum, quo genus hoc electum in Christo nascitur ac propagatur), mirifice respondebat imagini totidem vicium sacerdotalium in Veteri Testamento eam adumbrantium, cum sacro suo principatu. Hinc legimus apud Anastasium, a Marcello papa, dum eosdem titulos Petri designatione ab Evaristo erectos, et a persecutoribus labefactatos restitueret, haberi voluisse *tanquam diœceses quasdam propter baptisma, pœnitentiam eorum, qui convertebantur ex paganis.* Tanta vero fuit vis primæ hujus designationis numeri, a Principe apostolorum traditi, ut nostris etiam temporibus in fontium baptismalium summa integre custodiatur, etiam post auctum numerum titulorum : ita sanciente Pio Quinto post annos millequingentos, ubi Dionysius et Marcellus censuerant, ac restituerant secundo, ac tertio sæculo labente a prima Petri designatione. Hæc ibi inter plura protuleram, unice pertinentia ad causam fontium 25 in Urbe retinendorum, de qua tunc agebatur. Locus nunc postulat, ut de aucto numero titulorum et cardinalium nonnulla attingamus, quæ ostendant, hujusmodi argumenta eodem consilio a Petri successoribus instituta, quo apostolorum Principes priorem illam Ecclesiæ universalis imaginem, apertis 25 titulis, ac domibus sacerdotalibus designaverat in Romana, cæterarum primatu ac magisterio donata.

Lectio ipsa suggerit in varietate codicum, successionem incrementi cardinalium in titulis, ac summa presbyterorum, constanter directam fuisse a pontificibus Romanis ad exprimendum principatum Romanæ sedis et Ecclesiæ supra cæteras, earumque omnium inarticulationem, ac junctura, quasi Christi corporis mystici sub uno capite. Legunt itaque codices indicati *viginti quinque presbyteros ordinatos in urbe Roma* : alii vero exprimunt *Presbyteros triginta quinque.* Constat utrique lectioni sua auctoritas, si tempora distinguantur. *Vide etiam infra notas ad S. Caium.* Exponam.

Quin Petri institutio, et lectura germana ejus mandati, a Cleto atque Evaristo perfecti, prætulerit 25 presbyteros et titulos, dubitare nos minime sinunt subsequentes restitutiones per Dionysium et Marcellum peractæ, ad eamdem summam exigentes titulares domos, baptismo fidelium, et pœnitentiæ administrandæ, cæterisque Christianis sacris obeundis tanquam diœceses attributas presbyteris earumdem principibus, qui postea dicti sunt cardinales. Constante discrimine persecutionem satis fuit istarum vicium sacerdotalium summam teneri, ad imaginem sacri principatus conservandam : non secus ac Judæorum in captivitatibus satis consultum fuerat eorumdem Ecclesiæ dignitati, cum stirpes sacerdotales diligenter custodirentur cum propriis vicibus, uti custoditas fuisse cognoscimus ex Evangelio, testante Zachariam patrem Joannis fuisse ministerio functum de Vice Abia. Verumtamen gloria domus Dei magnificentius erat explicanda in basilicis patriarchalibus, post lapsum trium sæculorum erectis a Constantino, dedicatis a Silvestro, et a successoribus : quibus placuit per principes sanctuarii a Petro constitutos in titulis hebdomadaria partitione ministerii, potioribus in basilicis exercendi, junctura, et imaginem Ecclesiæ universalis, ac hierarchiæ Christiani sacerdotii apud Romanam sedem lucentius exhiberi. Quemadmodum igitur in titulis 25 collecta erat summa, et adumbrata imago veteris sacerdotii Judæorum finibus inclusi ; ita in basilicis patriarchalibus explicata erat amplitudo Christianæ hierarchiæ per orbem universum diffusæ, ac certis sub sedibus a Romana dirigendis collectæ. Donec ternario numero censebantur hi throni patriarchales, in Romana, Alexandrina, et Antiochena Ecclesia Petri auctoritate fundati, Romanus episcopus cum duobus episcopis adjutoribus (quales Petro adhibitos fuisse Linum et Cletum jam vidimus), hanc imaginem satis exprimebat. Quare jam tum præter urbanos presbyteros 25, adhibere consueverunt exemplo apostoli electi successores suburbanis ex episcopis adjutores, puta Ostiensem, Albanensem, aut episcopum ordinare apostolico vicariatu functurum in Urbe sacerdotem, vicinis oppidis subinde destinatum præsulem, quando opportunitas, et securitas adeundi foret inter procellas persecutionum. Chronologicis in notis observavimus per consulum indicia ea de re constare : cum sæpe contigerit eos subinde electos fuisse successores post illorum martyrium, qui eosdem vicarios suos constituerant : uti Linus, Cletus et Clemens Petro, Evaristus Anacleto, Evaristo

inder, et complures alii deligebantur vicarii, et utores, qui postmodum successerunt in Roma- ntificatu, cujus tyrocinium præclaro in minis- exercuerant. Credibile est hos adjutores apo- .us constante persecutione non semper adhibi- c episcopis ejusdem civitatis, sed providenter aptos modo ab hac, modo ab illa ex vicinioribus i, et alterum, quorum præsentia morulis inter- i pateretur, ut apud pontificem maximum de- t nullo suæ plebis detrimento, aut periculo, vis persecutionis remissis ageret apud Ostien- oloniam, aut Albanensem civitatem, aut Syl- Candidam, seu Prænestinis in oppidis, sive in is. Persecutoribus tandem sublatis, cognosci- certos episcopos ex suburbicariis delectos ad teria frequentanda apud summum pontificem : nomine Marcus a Silvestro proximus, et a fine cutionum, ita delegit Ostiensem antistitem ad ida certa munera in Romanæ sedis obsequium, llii quoque gestandi jure eum donaverit, et au- privilegio Romani pontificis consecrandi, et crationis ab Romano pontifice percipiendæ. vero cum pax Ecclesiæ permitteret libere com- proximos Urbi episcopos, frequentius pote- Romæ versari citra ullam plebis suæ jacturam uot ex his Romanus episcopus adhibere vellet utores gravioribus in causis suo cum presby- tractandis, ne dum consecrandis præsulibus, e pontificalis ministerii muneribus exercendis. demum facilitas in Urbe permanendi quibus- uit, ut ferme æqualis copia assidendi Romano fici episcopis illis daretur, ac presbyterio, ur- Quare in unum collegium coalescere cœpit hujusmodi episcoporum et presbyterorum : ad quotidiana munera hebdomadarii obeunda ecus allecti sint episcopi in basilica Latera- s patriarchii, apud quam pontifex maximus ebat, ac in cæteris basilicis destinati sint presby- rdinales, ut eodem hebdomadario circulo sa- eragerent.

Concilio Constantinopolitano sub Damaso, antiquis patriarchis, Romano, Alexandrino, cheno additus fuerat quartus, honoris prærо- ita decoratus, ut proximus a Romano habere- ui numero paulo post Hierosolymitanæ Eccle- ntistitem admovendum esse censuit synodus edonensis, ut quintum locum inter patriarchas um obtinuerit. Totidem vero basilicæ ex Ro- s eodem patriarchatus exprimere censebantur, esertim, tres illos antiquiores a Petro constitu- ribus igitur in basilicis die Dominica totidem opos sacrum offerre consuevisse nos docet Pan- de septem Urbis ecclesiis cap. I quam consue- em sæculo quarto inchoatam proxime a funda- earumdem basilicarum suadet psalmodiæ ritus, stributio per eamdem ætatem a Damaso ordinata ntentia Hieronymi per circulum hebdomadæ. e ita multo post ad locum patriarcharum erec- er Constantinopolitanum concilium ejusdem epicopo, et quaternario basilicarum Romæ ituto per amplificationem Liberianæ a Sixto III ificenter peractam; 25 titulorum presbyteri nales per singulas hebdomadæ ferias quari- am divisi diebus singulis in unaquaque earum peragere singillatim poterant : æquante nume- ium piscoporum Romano assistentium cum resbyteris cardinalibus summam quadrupli- eptenarii, totidem vicibus basilicarum quatuor ebdomadæ circulo respondentem. Quinto de- patriarchatu orbis Christiani declarato in se- ierosolymitana circa medium sæculi quinti per ilium Chalcedonense, quinta similiter basilica urentii extra muros ejusdem sedis imaginem ens in Romana, universalis Ecclesiæ specimen miter habitura, similem cultum btinere cœpit; legamus in Vita Simplicii papæ, qui sedere t anno 467, non secus ac in basilicis SS. Pe-

A tri et Pauli, etiam in Laurentiana constitutam fuisse *hebdomadam* ministerii presbyterorum, *ut presbyteri manerent ibi propter pœnitentes et baptismum*. Tum vero necesse fuit summæ viginti octo vicium sacerdotalium addere septem novos, ut essent 35. Qua ratione id perfectum fuerit, cognoscimus ex hoc eodem libro Pontificali : non ea tantum de causa, quod codices aliquot hunc numerum ordinatorum 35 serius completum attribuant Cleto ex Petri sententia, confundentes amplificationem collegii cum prima designatione ; sed etiam ex nova partitione hebdomadaria episcoporum septem et presbyterorum viginti octo idem collegium constituentium, quam refert liber Pontificalis in Vita Stephani Quarti : ubi narrat attributos fuisse episcopos septem ex finitimis et suburbicariis basilicæ Lateranensi, ad singillatim administrandum in illa intra hebdomadæ circulum officium hebdomadarii per dies singulos. Quod ego crediderim ita esse intelligendum, ut vices
B sacerdotales 35 quæ per hebdomadam in quinque Romanis basilicis multo ante peragebantur partim ab episcopis 7 finitimis in collegium Romani presbyterii allectis, partim a 23 presbyteris cardinalibus totidem titulorum urbis: ita ut Dominicis diebus episcopi, cæteris autem feriis per hebdomadam presbyteri sacrum offerrent : post decretum Stephani, septem episcopi in Lateranensi, presbyteri vero 28 in reliquis quatuor basilicis patriarchalibus per singulos dies hebdomadæ sacris operarentur.

Certe cum numerentur in concilio Romano sub Symmacho papa in fine sæculi quinti ex presbyterorum subscriptionibus tituli Urbis 28, eaque summa appareat exacte custodita pluribus sæculis consequentibus, necessario affirmandum est, quarto, vel quinto sæculo titulos tres urbanos additos fuisse antiquioribus illis 25, quos a Petro designatos Evaristus instituit, Dionysius restituit, et Marcellus quarto ineunte sæculo iterum instauravit. Quin
C etiam definire licet exactius, additamentum trium titulorum, quo summa 28 completa fuit, esse opus sæculi quarti : qua scilicet ætate cum Marcellus post initium pontificatum anno 306, primigenios illo 25 instaurasset, Silvester ante annum 335 quo carne solutus est, Equitii titulum veteribus addidit ; Marcus ab eo proximus suam ecclesiam *in Palacinis* dictam fundavit, quæ inter Romanos titulos in concilio quinti sæculi sub Symmacho censebatur ; et Damasus tertium ex memoratis titulis, S. Laurentii nomine, et suo adhuc celebrem, ad theatrum Pompeii construxit, atque ditavit. En igitur summam 28 titulorum Urbi quarto sæculo completam sub Damaso. Hoc eodem pontifice sedente concilium Constantinopolitanum adnumerandum esse censuit illius regiæ urbis episcopum tribus antiquioribus patriarchis, imo honoris gradu proximum haberi voluit a Romano, et cæteris duobus Alexandrino et Antiocheno præponendum duxit. Opportune con-
D struxerat decessor Damasi, Liberius, basilicam, quæ haberi subinde cœpit quarta patriarchalis, ut in Ecclesia Romana. Christiani orbis imaginem integram redditura quartum illum patriarchatum referret. Erat igitur causa cur Damasus compleret quartum septenarium Romani presbyterii, ac titulorum 28, ut diebus singulis unaquæque basilica patriarchalis unum ex presbyteris cardinalibus obtineret suo in altari sacris operantem, si forte episcopum ex finitimis sibi destinatum avocasset cura sui gregis. Hac itaque lege quatuor septenariorum vices 28 presbyteros per quatuor basilicas distributæ hebdomadariis muneribus occupabant universos presbyteros cardinales. Deberi autem Damaso hanc partitionem episcoporum, et presbyterorum sacris operantium per hebdomadæ circulum in basilicis, arguere possumus ex enuntiatis in ejus Vita per Anastasium, ubi ait (*num.* 54): « Hic constituit ut psalmi diu noctuque canerentur per omnes ecclesias, qui hoc præcepit presbyteris et episcopis, vel monasteriis.

Ut quintum septenarium sublegerent ætate proxima Romani pontifices suasit quinta sedes patriarchalis quatuor superioribus addita per concilium Chalcedonense ; cui quinta basilica Romæ ut assignaretur priora exempla deposcere videbantur. Recte cum processisset universitatis symbolum in septenario numero demonstrari, tam in presbyteris, ac titulis urbanis, quam in diaconis regionariis, visum est congrue adhibendum septenarium etiam in delectu episcoporum finitimis ex oppidis, et coloniis, quos præsules jam pridem vidimus astare consuevisse, ac præsto esse Romano pontifici : id etiam indicante sexto canone concilii Nicæni. Hunc vero numerum episcoporum maxime commendari complures colligunt ex Asianis septem a Joanne numeratis Apocalypseos capite primo. Illorum aliquot etiam quarto sæculo diebus Dominicis consuevisse præcipuis in basilicis Romanis sacrum facere, et eulogias transmittere, seu fermentum ad presbyteros hebdomadarios, colligimus ex Anastasio in Vita Siricii (*num.* 55) : « Hic constituit, ut nullus presbyter missas celebraret per omnem hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum quod nominatur fermentum : » quo scilicet indicio nexus ille communioni presbyterorum cum episcopo diligentius et evidentius custodiretur, quem eodem quarto sæculo Siricii præceperat observari Melchiades, paulo antequam basilicæ construerentur a successore Silvestro, ita scribente Anastasio in ejusdem Vita (num. 33) : « Hic fecit, ut oblationes consecratæ per ecclesias, ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum : » quæ verba ita exponit Altaserra : « A Melchiade decretum, ut fermentum, id est panis fermentatus benedictus ab episcopo vice eulogiæ mitteretur per ecclesias in symbolum communionis : » et illustrantur nitidius ex litteris Innocentii primi ad Decentium suo loco afferendis cum ejusdem Altaserræ notis in Vitam Siricii. Tradit enim ibidem Innocentius, die Dominica in Ecclesia Romana per titulos Urbanos mitti consuevisse fermentum ab episcopo benedictum, quia presbyteri propter plebem sibi commissam convenire secum ipsa die minime poterant : mitti autem per parochias (hoc est vicinas diœceses) non oportere, quia nec longe portanda sunt sacramenta. Unde satis colligimus, cur in basilicis patriarchalibus episcoporum finitimorum ministerio diebus Dominicis utendum esse censuerint Romani pontifices Innocentii decessores : atque ita coaluerint vices hebdomadariæ eorumdem episcoporum in memoratis basilicis cum vicibus presbyterorum per reliquas hebdomadæ ferias ibidem exercendis : et cur aucto post Innocentium I numero basilicarum partriarchalium quintæ adjectione, vices hebdomadariæ 35 per septenarium episcoporum numerum cum 28 presbyteris complerentur. Unde in codicibus aliquot Anastasianis irrepsit in ordinationes Cleti numerus presbyterorum 35, assumptus loco summæ paris posterius constitutæ ex 7 episcopis, et 28 presbyteris cardinalibus.

Quæ hactenus adnotavi de numero, et incrementis Romani presbyterii, ac de imagine hierarchiæ per universam Christi Ecclesiam florentis, apud Romanam conspicienda, audire præstat magna ex parte collecta a cardinali Raspono libro I de basilica et patriarchio Lateranensi cap. 3. non minus docte quam eleganter. et comprobata tum ab ipso, tum a Panvinio scriptis atque auctoritate majorum.

Ostendit igitur (indicante id libro Provinciali Romanæ Ecclesiæ ex apostolicæ Cameræ scriniis producto) veteres Romanos pontifices constituisse quinque majores, ac præstantiores in urbe Roma ecclesias, quæ patriarchalium nomine censerentur : nempe basilicam Salvatoris ; ad Lateranos ; Sancti Petri apostoli in Vaticano ; Sancti Pauli via Ostiensi extra Urbis mœnia ; Liberianam, seu Xisti papæ in Exquiliis, quæ Sanctæ Mariæ ad Præsepe ac Majoris *nomen obtinuit* ; et basilicam SS. Stephani et Laurentii extra muros via Tiburtina ; tum ita prosequitur :

« Cur autem hoc ita constituerint veteres Romani pontifices cum multæ traduntur causæ, tum illa potissimum, quod hæ quinque sedes patriarchales pro quinque præcipuis orbis Christiani patriarchis honoris causa antiquitus designatæ dicuntur, et Lateranensis quidem utpote cæterarum omnium primaria pro pontifice Romano, Sancti Petri pro Constantinopolitano, Sancti Pauli pro Alexandrino, Sanctæ Mariæ Majoris pro Antiocheno, et Sancti Laurentii extra Muros pro Hierosolymitano. Ita fiebat, ut quoties eos, vel ad generalia concilia, vel ad alia Christianæ religionis, seu propriarum Ecclesiarum negotia obeunda ad Urbem se conferre, in eaque morari contingeret, suas quisque ædes, suamque Ecclesiam quasi propriam sedem, ac in sua quodammodo provincia positam haberet ; qua ex re incredibile dictu est quantum dignitatis atque ornamenti ad Romanam Ecclesiam perveniret, quæ speciem ea ratione vere gubernantis omnia, et orbi Christiano universo præsidentis pulcherrimam referebat. Quandoquidem omnes quatuor mundi plagæ, in quatuor hujusmodi basilicis eleganter expressæ, Ortus videlicet et Occasus, Meridies atque Septentrio illius auctoritati ac potestati sese subjicere videbantur. Quod quidem ex antiqua pictura, quæ olim in Lateranensi patriarchio his expressa simulacris visebatur, luculenter apparebat. Cæterum omnino constat inter has patriarchales basilicas obtineri principem locum a basilica Lateranensi, quæ Romanæ Ecclesiæ typum gerit ; ipsa est enim Romanorum pontificum sedes, qui in patriarchio juxta eam exstructo per annos mille et viginti quinque, plus minus, perseveranter resederunt, hoc est a sancto Sylvestro papa usque ad Clementem Quintum, qui Romanam curiam in Gallias Avenionem transtulit. Ad hæc cum basilicæ Lateranensis tanta sit dignitas et majestas, septem Episcopi finitimarum Urbi civitatum fuerant constituti, ut singulis hebdomadæ diebus cum præsente, tum etiam absente pontifice super aram ejus maximam divina mysteria per vices singuli celebrarent, aut certe pontifici celebranti ad constitutos solemniores anni dies assisterent. Ut autem septem sunt hebdomadæ dies, qui ea evoluta denuo recurrunt ; ita septem episcopi electi fuerant, qui hebdomadam celebrando explerent, et ministerium de integro ea circumacta rite obirent, atque inde potissimum factum est, ut ii septem episcopi cardinales sint appellati. Horum porro institutio antiquissima est, etenim apud Bibliothecarium in Vita Stephani papæ IV, qui et Tertius dictus est, creatusque pontifex anno salutis septingentesimo sexagesimo octavo, hæc leguntur : *Hic constituit, ut omni die Dominico a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis qui in ecclesia Sancti Salvatoris observant missarum solemnia, super altare divi Petri celebraretur et Gloria in excelsis Deo cantaretur.* »

« Accedit auctoritas cardinalis Damiani, qui ad episcopos cardinales de basilica Lateranensi scribens hæc habet : *Hinc est, quod ipsa ecclesia excellentioribus præ cæteris totius Urbis ecclesiis nititur privilegiis, sed et mysticis etium instituta, atque disposita non ambigitur sacramentis. Nam ut de pluribus pauca perstringam, Lateranensis ecclesia sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum ; ita mater, et quidam apex, ac vertex est omnium per orbem ecclesiarum. Hæc septem cardinales habet episcopos, quibus solis post apostolicum, sacros sanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare,* » etc.

« Inter hos autem septem episcopos per vices hujusmodi officium ita partitum erat, ut Ostiensi diei Dominicus, sequentis feriæ episcopo Silvæ Candidæ, qui urbi Leoninæ, tanquam propriæ diœcesi præsidebat, mox Portuensi, qui Transtyberinam Urbis regionem episcopali auctoritate administrabat. ac cæteri deinceps, Sabinus videlicet, Prænestinusque

ac Tusculanus, ac denique Albanus, qui omnes etiam exstant hodieque, præter episcopatum Silvæ Candidæ, qui ob ejus oppidi infrequentiam cum Ecclesia Portuensi auctoritate Callisti Secundi coaluit, eademque de causa Ostiensi deinde Ecclesiæ subventum est unitis eidem ab Eugenio Tertio Velitris. In hac eadem Lateranensi basilica, qui rem divinam facerent, officia divina, horasque canonicas persolverent, ii olim erant prior et canonici Sancti Augustini. Dein hæc munia obiverunt archipresbyter et sæculares canonici cum beneficiatis, capellanis, clericis, cantoribus, et aliis ministris quos Bonifacius papa Octavus canonicis regularibus ejectis suffecit, ut infra dicemus. Exstat in archivio Lateranensi autographum litterarum Anastasii Quarti datum de anno 1154, ubi multa habentur de ratione inserviendi Lateranensi Ecclesiæ, quæ referenda necessario sunt ad ea quæ dicimus de cardinalium episcoporum celebratione, quæ libet hic subjicere: *Ad suggestionem auctoritate fratrum nostrorum cardinalium episcoporum sancimus, ut eadem ecclesia tanquam principalis mater et domina, omnino libera sit et nulli penitus nisi soli Romano pontifici sit subjecta, atque iidem episcopi salubri providentia, veluti cooperatores, et vicarii nostri ipsius venerabilis basilicæ utilitati et honestati provideant.* Et paulo inferius. *Porro celebrantibus ibidem episcopis sacra missarum solemnia, cum clericalibus tunicis præsentes sitis, cantum imponatis, atque ex vobis presbyterum, diaconum, subdiaconum, atque acolytum semper providere curetis. Dein unumquemque prædictorum cardinalium episcoporum, qui sunt in principalis altaris servitium deputati, semel in hebdomada de observantia regulæ,* etc. *per ipsos vice nostra emendari statuimus,* etc.

« At cæteris patriarchalibus templis ministri septem erant assignati, non episcopi tamen, sed presbyteri cardinales, qui universi erant octo supra viginti; hunc siquidem numerum conficiunt quatuor septenaria, cum enim hæ basilicæ essent minoris dignitatis, quam basilica Lateranensis, cui deserviebant episcopi cardinales, ideo habebant cardinales presbyteros, ad quos viginti octo Romanæ urbis tituli pertinebant, de quibus titulis, ac de cardinalium origine Honuphrius Panvinus accurate atque erudite scripsit. »

Licet hæc sufficere videantur ad illustrandum textum Bibliothecarii et utrumque numerum 25 et 35 in diversis codicibus consignatum; attamen intempestiva fore non judico pauca, quæ addenda sunt de postremis incrementis numeri presbyterorum, ac diaconorum cardinalium Romanæ Ecclesiæ, ut evidentius constet, in hac designatione principum sanctuarii perinde ac in alia qualiter vetustiori, eo semper consilio usos Petri successores, ut imaginem totius ecclesiasticæ hierarchiæ spectandam exhiberent fidelibus in Romano pontifice, una cum suo urbano presbyterio, sive sacro collegio, ex iisdem sanctuarii principibus, episcopis, presbyteris, diaconis cardinalibus constituto. Id vero perspicuum fit ex pontificiis constitutionibus, præsertim Eugenii Quarti quindecima, et Sixti Quinti quinquagesima, quæ universam Sacri Collegii summam septuagenario numero capitum definivit, quorum sex episcopi cardinales. Quinquaginta presbyteri, diaconi vero quatuordecim crearentur. Tam Eugeniana, nihil de numero definiens, quam Sixtina sic eum determinans, diserte docent, in quacunque numeri varietate pro temporis opportunitate a decessoribus ordinata, sacerdotale hoc synedrium principis omnium Ecclesiæ specimen exhibere tam præstantissimi virorum cœtus in populo verum Dei cultum professo apud Synagogam, quando sub Moyse ejusque legitimis successoribus apostolicæ Ecclesiæ Christi figuram prætulit, quam cœlestium ordinum hierarchiæ, cui altera ex parte respondet. In ea constitutione Sixtus duplicavit numerum presbyterorum ac diaconorum, a Petro et Cleto institutum; cum presbyteros quinquaginta, diaconos quatuordecim legi mandaverit. Numerum quoque trium episcoporum, quem in Petro exhibet Bibliothecarius, duplo majorem reddidit: referens summam 70 totius Collegii ad parem seniorum numerum a Moyse allectum divino jussu ad onera principatus secum ferenda; ut illustri figuræ universalis Ecclesiæ jam tum præmissæ in Judæorum gente catholicæ nostræ veritas perpetuo responderet. Manet igitur Petri consilium in multiplici disciplina a successoribus nunquam dimissum, tum ostendendæ Christianæ hierarchiæ summo ejusdem antistiti, et capiti hac in Romana Ecclesia trium ordinum per collegium connexæ et indicatæ; tum declarandi symboli universitatis, mystico in numero semper significatæ, sive per vices sacerdotales 25 modo in presbyteris iteratas, sive per septenaria in hebdomadariis partitionibus servata tam in presbyteris 28 quam in episcopis 7, eo quo diximus modo (quæ vigere censenda est etiam in contracto ad senarium numero, adhuc cum ipso pontifice maximo omnium capite septenarium constituente): non discrepantibus ab hoc symbolo etiam diaconis cardinalibus, duplicis septenarii summam, tum diu ante, uti Sixtus narrat, tum ab illius Constitutione complentibus.

CIACONII.

Linea 4. — *Hic ex præcepto B. Petr. triginta quinque presbyteros ordinavit.* Cletus, præcipiente B. Petro, cum coepiscopus et coadjutor ejus esset, viginti quinque presbyteros ordinavit in urbe Roma, et sub ejus pontificatu secunda a Domitiano imperatore in Christianos persecutio suscitata, in qua Nereus et Achilleus relegati, martyrium passi fuere. Et demum sanctissimus pontifex cum sedisset in pontificatu annos 12, menses 7, dies 2, ab eodem Domitiano martyrio coronatus est VI Kal. Maii.

PAGII.

Linea 4. — *Ex præcepto B. Petri* 35 *presbyteros ordinavit.* Ex præcepto S. Petri viginti quinque presbyteros ordinasse in urbe Roma dicitur in libro Pontificali, id est Urbem in totidem parochias distinxisse.

IV. SANCTUS CLEMENS.

ANNO CHRISTI 93, DOMITIANI IMP. 10.

4 Clemens, natione Romanus, de regione Cœliomonte [a] *ex patre Faustino. sedit annos* IX, *menses* II, *dies* X [b]. *Fuit autem temporibus Galbæ et Vespasiani* [c], *a consulatu Trajani et Italici usque Vespasianum* IX *et Titum* [d]. Hic

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B.* Cælii montis. [b] *B*, m. 6, d. 6. [c] *B, Domitiani, Nervæ et Trajani.* [d] *B. et Glabrionis usque ad Trajani* III *et Frontonis* III.

dum multos libros zelo fidei Christianæ religionis ascriberet, martyrio coronatur. [a] *Hic fecit septem regiones dividi notariis fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent.* Hic fecit duas epistolas, quæ Catholicæ [b] nominantur. Hic ex præcepto beati Petri suscepit Ecclesiam et pontificatum gubernandum [c] sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra tradita vel commissa. Tamen in epistola quæ ad Jacobum scripta est, qualiter ei a beato Petro commissa est Ecclesia, reperies [d]. Ideo Linus et Cletus ante eum conscribuntur, eo quod ab ipso Principe apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sunt episcopi ordinati. *Hic fecit ordinationes* duas per mensem Decembrem : *presbyteros* X, *diaconos* II, *episcopos per diversa loca* IX. *Obiit martyr anno Trajani* III, *qui* etiam *sepultus est in Græcia,* [e] VIII *Kalendas* [f] *Decembris, et cessavit episcopatus dies* XXII [g].

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Clemens annis 9, mensib. 11, diebus 12. Fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a consulatu Trachali et Italici, usque Vespasiano VII et Tito.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Vide Baron. ad ann.* 98. [b] *C,* canonicæ. *Vide Bar. ann.* 95. [c] Ecclesiæ gubernandæ pontificatum. [d] Quod in epistola, etc. reperietur. *Vide Baron ad ann.* 69 [e] *Vide Baron. Martyrol. d.* 23 *Novemb.* [f] *C,* IX *Kal.* [g] *B., plures menses et dies.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 4, *lin.* 3, *B,* Tragali et Italici. *lin.* 4. *B,* et Christianæ relig. *lin.* 13, *B,* hic fecit duas, etc.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 3, a cons. Tragali. *Reg. et M. ibid.,* usque ad Vespas. IX et Titum. Hic fecit VII regiones, *lin.* 8. s. Ecclesiæ pontificatum gub. *lin.* 9. com. quod epistola, quæ ab eodem Clemente ad Jacobum episcopum Hierosolymorum scripta est. *lin.* 10, comm. sit Eccl. plenius reperitur. Ideo autem Linus. *lin.* 13, diac. 2 *lin.* 14, loca 15. Qui dum multos libros zelo Christianæ fidei religionis ascriberet, martyrio coronatus est sub Trajano, et sepultus in Græcia XIX Kal. Dec. et cess. ep.

Ex altero codice Thuano.

Lin. 3, usque Vespasiani IX et Titi. *lin.* 5, hic fecit VII regiones, et divisit not. *lin.* 6, perquireret. *lin.* 8, suscepit Ecclesiæ pontificatum gubernandæ. *lin.* 11, ideo propterea L. *lin* 13, diaconos 2. *lin.* 14. Trajano 3, q. etiam s. est in Gr. VIII K. D. Tunc cessavit ep. d. 21.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 3, *Vatic., Flor. duo et Coss.,* Tragali. *lin.* 5, *Cassin.,* et divisit. *Lin. cad. Flor.,* Ecclesiæ pontificatum. *Lin.* 14, Trajani III. *Intelligitur tertius consulatus.*

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Plura in Clemente narrat auctor Libri Pontificalis, quæ aliunde quam ex secundo catalogo desumpta sunt, neque id ipsum occultat : nam quæ de Clementis pontificatu refert, ex epistola Clementis ad Jacobum se desumpsisse affirmat. Quamvis autem epistola illa supposititia sit, antiquissima tamen est, et Rufini ætatem superat, jamque a tertii sæculi fine, aut initio quarti sub Clementis nomine circumferebatur. Quæ autem in Clemente traduntur in editione Anastasii, in Petro exhibentur a duobus codicibus Florentinis, Cassiniensi, uti et Mazarino, Thuano et altero Marquardi Freheri.

NOTÆ IN CATALOGUM LIBERIANUM.

Clemens tertio, Cletus quarto loco ponuntur ; qua vero ratione, ignoratur : cum canon missæ traditionem Ecclesiæ Romanæ his verbis exhibeat : *Lini, Cleti, Clementis.* — VV. CC. Henschenius et Papebrochius in editione catalogi Felicis IV Clementem ante Cletum exhibuerunt, cum tamen in ms. codice reginæ Sueciæ, quem pluribus mensibus penes me habui, et ex quo prima hujus catalogi editio facta est a præfatis viris, Cletus ordine tertius, et Clemens ordine quartus exhibeantur. Eodem autem modo exhibetur Cletus in ms. in codice Colbertino, ex quo Ba- B

A luzius in notis ad me missis : *Cletus ponitur ante Clementem.*

ALTASERRA.

Linea 5. — *Hic fecit septem regiones dividi notariis fidelibus Ecclesiæ qui gesta martyrum sollicite et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent.* A Clemente pontifice notarii per septem regiones Urbis dispositi, qui gesta martyrum scriberent, et in acta Ecclesiæ referrent. Notarii erant scriptores qui celerrime per notas scribebant. De quibus Martialis libr. XIV, epigr. 208 :

Currant verba licet, manus est velocior illis :
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Inde dicti notarii, quod per notas quæ σιγλὰ dicuntur, celeritatis causa scriberent. Augustin., de Doctrin. Christiana libr. II, cap. 26 : « Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerunt, proprie jam notarii appellantur. » Hoc genere scriptorum passim usi sunt veteres. Hieronym. in Isaiam cap. XIII in Prolog : « Dictamus hæc, non scribimus, currente notariorum manu currit oratio. » Idem ad Alipium et Augustin : « Si autem Dominus vitam tribuerit, et notariorum habuerimus copiam, paucis lucubrationibus respondebimus. » Idem ad Augustin. : « Grandem Latini sermonis in ista provincia notariorum patimur penuriam. » Idem genus scriptorum majori

sumptu conducebatur. Idem advers. Vigilantium : « Parce saltem nummis tuis, quibus notarios librariosque conducens, eisdem et scriptoribus uteris, et fautoribus. » Ecclesia Romana suos habuit notarios, qui gesta martyrum exciperent. Præter hunc locum Anastasius in Antero : « Hic gesta martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in Ecclesia recondidit. » Eorumdem munus fuit notitiam Ecclesiæ, id est omnia gesta Ecclesiæ conficere, puta donationes, permutationes rerum Ecclesiæ, manumissiones servorum Ecclesiæ, et cætera. Anast. in Julio : « Hic constitutum fecit, ut notitia, quæ omnibus pro fide ecclesiastica est, per notarios colligeretur, et omnia monumenta in Ecclesiam per primicerium notariorum confecta celebrarentur, » etc. Erant quatuor decim regiones Urbis, quæ a Clemente in septem contractæ, et singulis impositi notarii, qui martyrum gesta exciperent. Inde dicti sunt notarii regionarii. Anastas. in Adriano : « Domnus Paulus papa eum clericari jussit, quem notarium regionarium in Ecclesio constituens, postmodum eum subdiaconum fecit. »

Linea 15. — *Sepultus est in Græcia.* Clemens Romanus pontifex in Græcia sepultus, hac occasione, quod in persecutione Trajani in Chersonesum relegatus, anchora collo illigata, in mare præceps missus, inde corpus ejus Romam translatum Nicolao I pontifice, de quo Martyrolog. Rom. Nov. 23 ; Gregore. Tur., de Glor. martyr., cap. 35, 36.

BENCINI.

Linea 4. — *Dum multos libros.* Consarcinator hujus Vitæ plura inseruit desumpta ex pseudepigraphis S. Clementis, uti est de ejus electione facta a S. Petro ex epistola sub Clementis npmine vulgata ; ita, et de libris, quos plurimos scripsisse adnotavit, dum uti Clementis forsitan recognoscit recognitionum libros decem, in quibus personatus Clemens alios libros edidisse commemorat. dum in libro priori scribit se librum edidisse *de vero Propheta* in libro III, *de Præfinitione Dei* : in quinto alios *decem recognitionum libros.* Vide *Cotelerium de Patribus apostolicis.*

Linea eadem. — *Martyrio coronatur.* In Domitiani persecutione, de qua hæc Brutus scriptor vetustissimus laudatus in chronico Alexandrino. « Brutus narrat magnam Christianorum copiam ad 14 Domitiani anno sublatam et martyrio affectam. » In utraque itaque priori persecutione, quam moverunt Nero et Domitianus, *magna multitudo*, et magna copia martyrum coronatur, ut de priori dixerat Tacitus, et Brutus de posteriori. Hinc etiam convellitur nuperum de paucitate martyrum primitivæ Ecclesiæ commentum, dum utrique imperatores post motam persecutionem non diu viventes, magnam tamen Christianorum lanienam fecere ; majorem, qui diuturniori tempore, ac undique Christiana religione propagata, viventes in Christianos exarserunt. De qua etiam Lactantius de mortibus Persec. c. 3, pag. 50 : « Post hunc (Neronem nempe) interjectis aliquot annis alter non minus tyrannus ortus est, qui cum exerceret invisam dominationem, subjectorum tamen cervicibus incubavit, quam diutissime tutusque regnavit, donec impias manus adversus Deum tenderet. Postquam vero ad persequendum justum populum instinctu dæmonum incitatus est, tunc traditus est in manus inimicorum, luit pœnas » Brevi intervallo durasse observavit Tertullianus in Apolog. c. 5 : « Tentaverat et Domitianus portio Neronis de crudelitate ; sed quia et homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat. » Clemens in persecutionis fervore relegatus, nequit tamen uti principis indulgentia, cum ante promulgationem martyr obierit.

Linea 5. — *Notariis.* Prior ecclesiasticorum notariorum mentio, qui deinde in conciliorum actis excipiendis, aliisque chartis ecclesiasticis conficiendis, celebres evaserunt. Romæ præcipue, ubi eorumdem pondus exinde eruitur, quod eorum præsidens, primicerius notariorum dictus, summæ erat dignitatis, ac sede vacante ipsi concredita cura Ecclesiæ una cum archipresbytero et archidiacono. Septem delegit Clemens, ut acta et gesta martyrum conscriberent, notantes nomen, tormenta, dicta, ac tandem sententiam judicum. Huic sollicitudini motivum dederesacerdotum, aliorumque pravorum hominum in Christianos conflctæ criminationes, quibus Christianam institutionem, uti *superstitionem exitiabilem* disseminabant, aliæque calumniæ, quas recenset et diluit in Apologetico Tertullianus. Recensere porro martyrum gesta, opportunum erat remedium ad retundendam calumniantium proterviam ; ex dictis etenim factis, et mirabili in perferendis tormentis patientia, ac fortitudine innocua Christianorum vita, et religionis perfectio relucedat. Institutio optime cessit religioni, dum acta ubique perlata et recitata splendorem Christianitatis auxerunt, adeo ut Christiani de recensitis triumphis veluti de censu gloriarentur. Unde Tertullianus de Cor. mil. ad hos inspiciendos fideles hortatur : « Habes tuos census, tuos fastus, nihil tibi cum gaudiis sæculi, imo contrarium debes. » De horum fastorum lucubrationibus luquitur Pontius S. Cypriani diaconus, dum causam scriptionis expendit, qua acta S. martyris conscribere voluit, et initio operum S. Cypriani ita loquitur : « Cum majores nostri plebeis et catechumenis martyrium consecutis tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione dederint, ut de passionibus eorum multa, aut ut prope dixerim, pene cuncta conscripserint, ut ad nostram notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenerint. » Unde omnium indiscriminatim martyrum gesta, etsi de plebe, etsi tantum essent catechumeni, describebantur. Hæc porro avide a fidelibus legebantur, qui de nobilioribus agonibus per mutuas epistolas fiebant certiores, et acta ab una Ecclesia excepta, ab eadem viciniori transmittebantur, et ab ista aliis. Circa hanc consuetudinem hæc leguntur in epistola encyclica Smyrnensis Ecclesiæ de martyrio S. Polycarpi : « Quæ vos postquam acceperitis, rogamus ut ad fratres ulterius positos epistolam transmittatis, quod illi Dominum benedicant. » His vero gestis suam ecclesiasticam Historiam illustravit Eusebius, ut ipse non semel testatur.

Linea eadem. — *Fidelibus.* In electione notariorum commendat et exigit Clemens fidelitatem ac sinceritatem, quæ erant necessariæ, et ad fidelium fidem roborandam, et ad retundendas in Christianos conflatas criminationes. Fidelitatis requisitum specialiter in notariis animadversum docet Cypriani epist. 37, epistola data Clero Carthaginensi, dum laudat Tertullum diaconum notarium, quem *fidelissimum* appellat. Loquens enim de officiis præstandis martyribus sive in carcere, sive gloriosis ob consummatum martyrium, sic de Tertullo : « Denique ut dies eorum, quibus excedunt adnotare, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus : quanquam Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster pro cætera sollicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit (qui nec illic circa curam corporum deest) scripserit, et scribat, et significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt. et celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ cito vobiscum, Domino protegente, celebrabimus. » Quo loco explicat actuale et juge exercitium in martyrum gestis notandis, expressum illis verbis, *scripserit, scribat, et significet*. Erat diaconis olim hocce munus optime commissum, concreditumque, dum frequens diaconorum ad carceres commeatus pro martyrum necessitatibus sublevandis, erat eis opportuna occasio, qua cuncta

rimarent, ac certius gesta eorum describerent. De quo antiquo diaconorum munere in Ecclesia Carthaginensi servata hæc Cyprianus ep. 51 : « Semper ab antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carceres commeantes martyrum desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent.» Et auctor Martyrii SS. Felicitatis et Perpetuæ ex editione Holstenii laudat *Tertium et Pomponium benedictos martyres,* eis in carceribus ministrantes, qui inter alia ab ipsis sanctis feminis commendantur: « Qui nobis ministrabant, constituerunt præmio, ut paucis horis emissi in meliorem locum carceris refrigeraremur, » etc. Moribus iisdem imbutam Ecclesiam Carthaginensem archidiacono Ecclesiæ sollicitudinem hanc commisisse, eamque Tertullo a S. Cypriano datam usque ad finem sæculi tertii declarant. Acta SS. Damasi et sociorum, quæ etsi a Donatistis fœdata et interlopata, nihilominus vetustissima censentur. Hæc Donatistæ protulerunt ad calumnias in Mensurium primatem Carthaginensem, ac ejus tunc archidiaconum Cæcilianum conflandas ac probandas, et una ex criminationibus erat, post Optatum pag. 103 : « Postremo cum nec Mensurius, nec minister ejus Cæcilianus ab hac immani crudelitate cessare vellent; Anulino proconsule, aliisque persecutoribus circa alia negotia occupatis, beati martyres isti corporeis alimentis destituti paulatim, et per intervalla dierum naturali conditioni, famis atrocitate cogente, cesserunt, ad siderea regna cum palma martyrii migraverunt. » Officium enim quod perurgente persecutione Diocletianea martyribus illi præstare non poterant, calumniatores in crimen vertere non dubitarunt. Interim si persecutio sæva diaconis interdicebat ad carceres commeatum, clerici ibi existentes per epistolas martyrum gesta exarantes, Ecclesiis denuntiabant. Horum aliquot exempla affert Eusebius, inter quæ fragmentum epistolæ Phileæ Thumitarum episcopi, qui nedum Ecclesiis acta deferenda curavit ; verum et martyribus in proximo agone positis ad calcar addendum pro fidei defensione impigre aliorum exemplo suscipiendam epistolam dedit Thumitanis martyribus, in quas suas et sociorum calamitates exponit, et alios hortatur ad fidei confessionem ; additque Eusebius l. VIII, c. 10 : « Hæc sunt veri philosophi non minus Dei quam sapientiæ amatoris martyris verba, quæ ante extremam judicis sententiam adhuc in custodia constitutus ad fratres Ecclesiæ suæ scripsit, partim eos adhortans, ut pietatem in Christum etiam post obitum suum jamjam imminentem mordicus retinerent. » Eadem egit Dionysius Alexandrinus infra laudandus similiter, et alii. Ex hisce Actis Ecclesiis denuntiatis antiquissima Martyrologia conficiuntur et Lectionaria. Si vera est quorumdam opinio, quod Clemens scripserit epistolam Corinthiis datam priorem immediate post obitum et martyrium S. Pauli, exinde deduci posset Clementem primo suo exemplo ideam notariis præmonstrasse, ac reliquis in denuntiando Ecclesiis martyrum illustres agones : etenim dum cap. 5 laudat *Athetas qui proxime fuerunt,* alii intelligi nequeunt, nisi SS apostoli Petrus et Paulus, et signanter quædam feminæ dignatione martyrii illustriores inibi recensentur : « Viris istis (nempe Petro et Paulo) sanctæ vitam instituentibus magna electorum multitudo aggregata est, qui supplicia multa et tormenta propter æmulationem passi, exemplar optimum inter nos exstiterunt. Propter æmulationem mulieres persecutionem passæ Danaides, et Dirce postquam gravia et nefanda supplicia sustinuissent, constantem fidei cursum consummarunt, et debiles corpore nobile tolerantiæ præmium acceperunt » Forsitan in speciali tractatu acta digessit, quæ deinde impostori cuidam occasione præbuisse confingendi itinerarium Petri et acta Pauli, quæ sub Clementis nomine vulgata fuere. *Vide Ittigium de Pseudegipruphis, pag.* 95.

Linea 7. — Duas epistolas, quæ catholicæ nominantur. Duæ istiusmodi epistolæ, quæ lucem habuere, postquam diutius in bibliothecis incognitæ jacuerant post initia sæculi elapsi, catholicæ dicuntur a collectore Gestorum Clementis, ea nempe sensu, quo vox illa sumebatur pro auctoritativa institutione. Prioris pondus desumitur ex Patribus primi ævi, cum Dionysius Corinthiorum episcopus in die Dominico in Ecclesiæ conventu legi consuetum asseverat, sic Romanis scribens, a quibus alteram acceperat, apud Euseb. l. v, c. 23: « Hodie sacrum diem Dominicum transegimus. In quo epistolam vestram, quam quidem perpetuo deinde legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam optimis præceptis ac documentis abundabimus. » Nedum a Corinthiorum Ecclesia, verum a reliquis in eodem censu habebatur, Eusebio l. III. c. 16, teste : « Hujus Clementis epistola ab omnibus uno consensu recepta, eximia prorsus atque mirabilis, quam nomine Ecclesiæ Romanæ ad Corinthiorum Ecclesiam scripsit.... Hanc in plerisque ecclesiis, et nostra, et superiori memoria palam recitari consuevisse comperimus. » Quod repetit cap. 38. De secunda non erat hæc æstimatio, et pondus auctoritatis. Verba porro hæc in libro Pontificali inserta longe post Gelasianum decretum videntur, in quo nulla harum epistolarum mentio occurrit. De his adeundus tractatus de apostolicis Patribus, qui variorum notis illustratus prodiit Amstelodami anno 1698, in quo uberrime de his Clementis epistolis. Viris autem apostolicis in primitiva Ecclesia honos servatus, ut diligentiori custodia reciperentur et inquirerentur epistolæ. Exstat apud Eusebium l. III, c. 16, insigne servatæ consuetudinis testimonium, dum ad Philippensium petitiones S. Polycarpus misit cum suis Ignatianas epistolas, commendatque lectionem. Quod his verbis explicat : « Epistolas omnes Ignatii, quas ad me scripsit, et quascunque denum apud nos reperire potuimus, quemadmodum nobis mandastis, ad vos misimus. Ex his magnam utilitatem percipere nobis licebit. Continent enim fidem, patientiam, et cætera, quæ ad augendum Domini nostri cultum pertinent. » Has vero epistolas cum eo nomine vocentur hic, et ambæ catholicæ dicantur, quamvis secunda potius sit homiliæ fragmentum, unde id desumpserit liber Pontificalis, præcipue cum in Gelasiano decreto de his altum silentium, omnino ignoro. *Vide Morinum in exercit. biblicis ex g. c.* VIII, *et Doduvel. in disser. ad Iren. pag.* 53.

Linea eadem. *Hic ex præcepto beati Petri suscepit Ecclesiam et pontificatum gubernandum.* Ex epistola ad S. Jacobum ab ipso Clemente scripta duo deducit scriptor Vitæ S. Clementis, et hanc ab ipso Clemente esse exaratam, et revera S. Petrum successorem in pontificatu Clementem designasse. Verum cum falsa et supposititia sit epistola, quæ olim exstabat præfixa actis spuriis S. Petri, corruit quæ hic inseruntur de successoris electione. Duo tamen hic animadvertenda, antiquam fuisse opinionem, Petrum Clementem in successorem designasse. Quod ævo Tertullianeo vulgatum erat, dum refert Clementem a Petro ordinatum, de quo in nota sequenti. De istiusmodi vetustissima traditione non desunt conjecturæ, quod ita evenerit: et hæc probabilior evadere posset, si vera est quorumdam recentiorum opinio, qui volunt Clementem scripsisse epistolam priorem ad Corinthios immediate ab obitu S. Pauli. Fundant opinionem in latore hujus epistolæ quem Fortunatum nominat, eumdemque esse volunt de quo hæc scribit Paulus in priori ad Corinthios c. 19, v. 17 : « Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati, et Achaici, quoniam id quod verbis deerat suppleverunt ; refecerunt enim et meum spiritum, et vestrum, cognoscite ergo qui hujusmodi sunt. » Supponunt enim æmulationes, ad quas retardandas Apostolus epistolam dedit, etiam post apostolicas monitiones perdurasse, ad quas sopiendas Fortunatum delectum ob Pauli testimonium commendabi-

lem, et ob propria merita, et Corintho Romam missu n, ut universa Paulo renuntiaret : sed cum Romam pervenit, jam martyr obierat Paulus, et Clementi epistolam dedit, qui pro suscepto munere epistolam Fortunato dedit, additis Ephebo et Valerio, quos legationis socios Clemens vocat in fine epistolæ. Doduvellus, qui huic opinioni accedit, putat epistolam scriptam ultimis imperii Neroniani annis. Neque aliter intelligi posse a Clemente susceptam provinciam ut loco Pauli scriberet, responderet, et admoneret, et quidem suo et Ecclesiæ Romanæ nomine, ut eo titulo scriptam dicit Irenæus lib. III, adv hær., c. 30, nisi quia pontifex esset. Ad pontificem enim spectasse ex persuasione ævi decurrentis ad exteros orbis provincias scribere, et vera denuntiare supponit antiquissimus scriptor Clementi, ut putatur coævus, Hermas l. II, vis. 11, 3, cui in visione hæc denuntiantur : « Scribes duos libellos, et mittes unum Clementi, et unum Grapte : mittet Clemens in exteras civitates, illi enim permissum est. Grapte autem commonebit viduas et orphanos. Tu autem leges in hac civitate (de Romana loquitur, ut visio aiebat) cum senioribus, qui præsunt Ecclesiæ. » Verum cum Isaacius Vossius in responsione ad ea quæ Blondellus sugillat in notis ad epistolas Ignatii, ubi probat epistolam a Clemente scriptam uno, aut altero anno ante eversam Hierosolymam ; Wendelinus vero fervente Domitiani persecutione circa annum 95, exinde nihil certi ex ea conjectura deduci potest. Secundum quod animadvertendum occurrit, et quidem sedulo, id est librum hunc Pontificalem ex antiquis catalogis, qui olim in archiviis Romanæ Ecclesiæ exstabant, esse conflatum, quorum aliqui electionem, alii obitum, alii ordinationes factas, alii donationes, sive principum, sive pontificum, sive fidelium designabant : ex his conflatus secundus vulgo dictus Romanorum pontificum catalogus vetustus ac indubiæ fidei, cujus verba exscripsit liber Pontificalis, ac deinde sive unus, sive plures factis additionibus in eam formam molemque digesserunt, quæ modo retinetur. Additiones plerasque factas reor, sive in schedulis, verius in margine libri Pontificalis, quæ cum deinde aptandæ forent suis locis, incuria, aut amanuensium ignorantia, evenit ut fœda quandoque interveniat transpositio, sive sæpe nutet historiæ fides, quod in Felice III notabimus, ubi factæ additiones, suis locis restitutæ, gesta illustrant. De factis additionibus vario tempore, et a diversis non est ambigendi locus, et quidem post editum librum Pontificalem. Etenim sero factæ sunt additiones de donationibus factis a Romanis pontificibus in nostro libro Pontificali, cujus exemplar sit Vita S. Damasi, cujus prior pars totidem verbis legitur exscripta ex cod. archivii basilicæ Vaticanæ, unde eam excepit editio operum S. Damasi Romæ publicata anno 1638, quæ tamen donationum catalogum non exhibet, uti in nostro legitur. Sic donatio integra Constantini inseritur in quibusdam codd. Anastasianis, quæ in aliis omittitur. Pariter præsens perioche de Clementis electione per Petrum facta, quæ in secundo catalogo omittitur in aliquibus assuitur gestis S. Petri, in aliis vero, uti in nostro inter acta Clementis ponitur. Prior enim liber Pontificalis, qui eo titulo exstabat anno 650, plerasque has additiones non habebat insertas, quod evinci posset ex pluribus, satisque erit commemorare, quod in Anacleto habetur, dum in quibusdam codicibus hæc verba leguntur : « duas etiam decretales epistolas omni sapientia plenas conscripsit : » quæ tamen nec in nostro, aut in aliis codicibus leguntur, nec inseri poterant, quando vulgata est prior libri Pontificalis editio, sed post annum 800, quando hæc decretalium pontificum prioris ævi merces a mercatore invecta, publicari cœpit. Tandem in quibusdam codd. aliqua addita habentur, quæ potius nationum quarumdam sunt ornamenta : et additio facta deprehenditur ex diversitate styli. In codd. Reg., Maz. et Thuano pag. 133, in Vitaliano sequentia verba habentur : « Eodem tempore missi sunt a Vitaliano papa in Britaniam Theodorus archiepiscopus, et Adrianus abbas, utrique doctissimi, qui plurimas ecclesias Anglorum doctrinæ ecclesiasticæ fruge fecundarunt. Theodorus archiepiscopus peccantium judicia, quantos scilicet annos pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili, ac discreta consideratione descripsit. » Similiter in Gregorio III iidem codices habent pag. 180 : « Hujus temporibus concussa est provincia Romanorum ditioni subjecta nefandorum Longobardorum, seu regi eorum Leuprando. Veniensque Romam in campo Neronis tentoria tetendit, deprædataque Campania multos nobiles de Romanis more Longobardorum totondit atque vestivit. Pro quo vir Dei undique dolore constrictus sacras claves ex confessione beati Petri apostoli accipiens partibus Franciæ Carolo sagacissimo viro, qui tunc regnum regebat Francorum, navali itinere per missos suos direxit. Idem per Anastasium sanctissimum virum episcopum necnon et Sergium presbyterum postulantes a præfato excellentissimo Carolo, ut eos a tanto oppressione Longobardorum liberaret. » Quæ excerpta videntur ex Annalista Metensi, et continuatore Fredegarii. Posterioribus, ac ultimis ante Anastasium temporibus præsentem periochem additam, assutamque secundo Rom. pontificum catalogo, puto, quando monachi Græci occasione Monothelismi, et Iconomachismi ad sedem apostolicam confugientes, plurima opuscula, quæ tantum Græce exstabant ad Urbem advexerunt ; unde ex epistola supposititia Clementis ad Jacobum, quæ hic referentur, deprompsit, et gestis, aut Petri, aut Clementis assuere non dubitavit.

Linea 8. — *Sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra tradita, vel commissa.* Consarcinatori gestorum placuit periochen ex epistola Clementis supposititia inserere ad demonstrandam a Petro successionem, et apostolicum censum, de quo gloriabantur, veluti de veritatis tessera Ecclesiæ, et cathedræ origine apostolica constitutæ prærogativam ; forsitan etiam, ut tunc occurreret ex eo etiam motivo placitis Constantinopolitani episcopi, qui eo tempore, quo advecta ex Græcia farrago pseudepigraphorum, primatum sibi vindicabat ex prærogativa regiæ urbis. Quisquis, vel primis labiis antiquas primitivæ Ecclesiæ consuetudines degustaverit, certo novit, Ecclesias primo tempore gloriari assuetas de origine apostolica, qua vel apostoli cathedram, vel episcopum ab ipsis delectum constituerint, ab his suos census et catalogos deduceret. Quod sic expressit Tertullianus de Præscript. c. 32 : « Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt. Sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum a sancto Joanne consecratum refert : sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique, et cæteræ exhibent, quas ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. Consignent tale aliquid hæretici. » Apostolicam designationem habitam, uti grande privilegium explicat S. Joannes Chrysostomus hom. 42, t. V, pag 687, dum Ignatium martyrum eo etiam titulo commendat, quia Antiochenæ Ecclesiæ S. Petrus *tradidit præfecturam*, seu *episcopatum*, et addit : « quoniam illi in episcopatus Antiochensis dignitate successit. Nam ut si quis a fundamento magnum lapidem eruat, alterum omnino parem in ejus loco conatur constituere, alioquin totum ædificium labescet et corruet : ita cum Petrus Antiochia esset dicessurus, alterum Petro parem præceptorem gratia spiritus substituit, ne inchoata jam ædificatio successoris contemptu debilior fieret. » Successionis istiusmodi gradus, quo ad originem apostolicam ascendebatur, uti veritatis tesseram agnoscit Irenæus lib. IV advers. hæres., cap. 44, ac sequendam commendat pro tutiori inveniendæ modo, dum ita hor-

tatur fides, ut in dubiis decurrant, « his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt, reliquos vero, qui absistunt a principali successione, et quocunque loco colligantur suspectos, vel quasi hæreticos, et malæ sententiæ. » Quo argumento, et tessera Donatistarum schismaticos sugillat conatus, et phantasticum Romanum episcopatum a Donatistis in Urbe constitutum Optatus l. 1 dum sic : « Video te adhuc ignorare schisma apud Carthaginem a vestris principibus factum. Quære harum originem rerum, et invenies hanc sic in vos dixisse sententiam, cum schismaticis hæreticos sociastis. Non enim Cæcilianus recessit a cathedra Petri, vel Cypriani, sed Majorinus, cujus tu cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat. » Et Luciferianis alteram communionem extra catholicam Ecclesiam propugnantibus, ut ostenderent puriorem esse eorum societatem hæc Hieronymus adv. Lucif. c. 9, opponit : « Brevem tibi, apertamque animi mei sententiam proferam. In illa Ecclesia esse permanendum, quæ ab apostolis fundata usque ad diem hunc durat. » Ex qua communi primitivæ Ecclesiæ persuasione motus, qui in secundo catalogo præsentem additionem interposuit, verum putavit, quod in Clementis ad Jacobum supposititia epistola invenit de successoris Clementis electione per S. Petrum facta. Ex ea vero tantum permotum epistola ad id addendum docent duo, primo quod hanc commemoret, et insuper quod in reliquis additionibus consarcinator nuspiam nisi hic laudet monumentum unde desumpsit additionem, inquiens lin. 9 et 10 : « Tamen in epistola, quæ ad Jacobum scripta est, qualiter ei a beato Petro commissa sit Ecclesia reperies. » Unde liquet posteriori manu, et sero hanc additionem assutam actis S Petri, cum nempe ex Græcia istiusmodi pseudepigraphorum merces per Urbem et per Italiam disseminata est.

Linea 11. — *Ideo Linus et Cletus ante eum conscribuntur.* Conciliare sic conatur consarcinator libri Pontificalis dissidium de ordine successionis pontificiæ : electum nempe successorem Clementem, veræ pacis studio reliquisse sedem, quousque electus Clemens a Cleto sedem accepit. Celebris erat Epiphanii ævo controversia de immediato Petri successore, dum plerique Linum et Cletum non Petri successores, nec ordinarios pontifices, sed chorepiscopos exstitisse putabant, ab eoque vice sua, quo præsertim tempore abesset, Romæ præfectos. Alii legitimos et ordinarios faciunt. Onuphrius sequens librum Pontificalem scribit a Petro adhuc superstite chorepiscopos duos constitutos Linum atque Cletum, et quidem pontificatus sui anno 14. Deinde paulo ante mortem successorem ordinasse Clementem. De qua opinione sic Epiphanius hær. 27, pag. 107 : « Quanquam vel hac quidem ratione poterant viventibus adhuc apostolis, Petro scilicet ac Paulo, episcopi alii subrogari, quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia, in alias urbes regionesque profectionem susciperent, carere autem episcopo Roma non posset. Siquidem Paulus in Hispaniam pervenit. Petrus vero Pontum et Bithyniam sæpe numero peragravit. Ac fieri sane potuit, ut primum Clemente constituto, cum is disfugeret (si ita tamen contingit, quod ego opinando potius quam asseverando dixerim), postea Lino Cletoque mortuis, annorum 12 spatio singulatim episcopatum obtinuerunt post apostolorum Petri Paulique necem, qui in annum Neronis 12 incurrit, tum demum pontificatum capessere sit coactus. » Epiphanius itaque affirmat hanc suo ævo controversiam agitatam, de qua tamen ipse judicium efferre non audet. An ex Clementis supposititia epistola, aut altero certiori monumento id deprehenderint opinionis auctores. Epiphanius non judicat ; id tamen indubium esse asserit (quod magis *nostram hanc* successionem pontificiam commendat, et primitivæ Ecclesiæ diligentiam in retinendis speciali custodia successorum S. Petri catalogis) quod ex ea successione veritas ostendatur. Assignata enim pontificum serie, et velitationibus de ordine succedentium ita rem concludit : « Ac neminisane mirum videatur, cur singula tanta cum diligentia percurrerim. Per hæc enim perpetuo certa, accurataque veritas ostenditur. » Decepit forsitan hujus opinionis auctores vetustos, unde ab impostore conflata est epistola ad Jacobum, institutum apostolicum, quo plures simul episcopos ordinatos ad easdem regiones transmittebat, ut præsto essent ad ordinationes sive clericorum, sive episcoporum agendas. Ita concilium Hierosolymitanum, Paulum, et Barnabam episcopos direxit ad intimanda apostolica præcepta. Petrus itidem Linum, Cletum, et Clementem ad eadem munera ordinandos censuit, sicut egerat Antiochiæ, ubi Evodium et Ignatium constituit. Inde conflata historia de successore designato a Petro, itidem electo. Ordinatum quidem asserit Tertullianus a Petro Clementem, sed non successorem constitutum : quo modo Antiochiæ, ubi S. Ignatius etsi ordinatus dicatur a Chrysostomo, constans tamen est opinio Evodium Petro Antiochiæ successisse, non Ignatium. Impostori utique dedit occasionem confingendi epistolam talemque sese prodere observat Photius, dum de epistola Clementis ad Jacobum hocce judicium firmat (Cod. 112, 113) : « Hæc neque eadem, neque ab eodem profecto, sed in libris nonnullis velut a Petro apostolo ad Jacobum missa, in aliis rursus tanquam a Clemente ad Jacobum alia, atque alia. » An vero Petrus sive Romæ, sive Antiochiæ duos constituerit episcopos, unus qui præesset conversis ex Gentibus, alter qui ex Judæis juxta id quod Petro et Paulo evenerat, ut ille Judæis, hic Gentibus evangelizaret, non est disserendi locus. Interim ordinatum ab aliis apostolis episcopum in eadem cathedra successisse, probat patriarcharum Alexandrinorum series, quæ Ananiam a Marco consecratum episcopum eidem Marco successorem fuisse refert.

BINII.

Linea 4. — *Multos libros.* Præter epistolas scripsit constitutiones apostolorum. Canones apostolorum non quidem condidit, sed traditos ab apostolis Græce conscripsit. Circuitus Petri 10 libris descripti inter apocrypha a Gelasio rejiciuntur.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGIÆ.

Notas chronologicas, utrique pontifici communes, Clementi et Cleto superius retuli num. 3, ut ostenderem B. Clementem Romano pontificatu functum fuisse ante B. Cletum : hunc vero nonnisi ex illius abdicatione vacante cathedra Petri ad eamdem evectum cleri Romani suffragiis, illamque tenuisse donec martyr occumberet sub Domitiano, pluribus annis ante martyrium Clementis, reservatum ad annum Trajani tertium : et idcirco Cletum maturius Clemente relatum in diptychas martyrum, et in canonem missæ utroque in loco præponi Clementi : cui tamen in serie pontificum Romanorum vetustissima (Catalogo scilicet Liberiano) jure postponitur, cum Clemens sederit Petri et Lini successor, atque sedem dimiserit ante Cleti pontificatum. Exempla non desunt voluntariæ istius dimissionis, et successionis plurium episcoporum gradatim ante obitum dimittentis, etiam in aliis sedibus præcipuis qualem in Hierosolymitana recenset Eusebius Hist. Eccl. lib. VI. cap. 10, ubi Narcisso, qui fuga se subtraxerat, Dius primum, deinde Germanio, tum Gordius sublecti sunt successores : et cum redux ex solitudine Narcissus rogatu fratrum ad resumendam Ecclesiæ dimissæ curam pertraheretur, extrema senectute ferme confectus (annum quippe agebat sextum decimum supra centesimum) obtinuit levamen, non sine cœ-

lestis visionis suffragio, ipsi substitutum episcopum Alexandrum.

Præter illas vero notas chronologicas Clementi et Cleto communes, proprias hic attexam solius Clementis, quæ illustrare etiam poterunt verba Bibliothecarii num. 4 ita dispositas:

Linea 2. — *Sedit annos* 9, *menses* 2, *dies* 10, et lin. eadem, et seq. — *Fuit autem temporibus Galbæ et Vespasiani a consulatu Trachali et Italici* (ita enim corrigenda *Trajani et Italici* mendosam lectionem ex correctiori textu codicum Vaticani, Casinensis, et duorum Florentinorum monuimus cum Schelestratio, suffragante etiam catalogo vetustissimo Liberiano supra opusc. 1 in Prolegomenis edito. et huic numero subnexo) *usque Vespasianum* VIII *et Titum* VI.

Summam annorum 9, mensium 2, ac dierum 10, esse computandam ex proxime superiori consulatu Capitonis et Rufi, in quem desinit Linus decessor Clementis, ad consulatum Vespasiani septimum, quo signatur in laudato catalogo Liberiani sæculi finis Clementis, cum supra ostenderim; confirmo nunc, ac demonstro evidentius ex antiquo lapide Fastorum municipalium in agro Casinensi reperto: ubi rationes novennalis hujusce spatii utrisque magistratibus consignantur. scilicet indicio consulum Romanorum et recensione magistratum quatuor Virum, et quinquennalium ejus oppidi vel coloniæ, ad quam lapis pertinuit, per annos singulos eidem summæ temporis respondente. Inde autem perspicuum fiet, quot genuinis documentis adjuvaretur in hac præsertim Italicæ parte Urbi proxima consularis chronologia per ætatem Liberii, dum vetustissimus ille catalogus Romanorum pontificum ederetur, antequam exteræ nationes, ad perdendam et vastandam Italiam advocatæ, hæc monimenta disjicerent ac dissiparent.

Marmoream hanc tabulam, fragmentum insigne amplioris lapidis, effossam in agro Casinati, dono olim dederat reverendissimus Pater abbas D. Eras mus Gattola. tunc prior celeberrimi illius monasterii, et Bibliothecarius. pro eximia sua eruditione, et rei antiquariæ studio sæpe celebratus a VV. CC. Mabillonio et Montfauconio suis in diariis Italicis, dono, inquam, dederat illustrissimo ac reverendissimo præsuli Joanni Ciampino, dum ad monasterii Casinensis sacrarium utrumque nostrum deduceret hospitem, et liberaliter admodum haberet, sedente Innocentio XII. Pretiosi hujus fragmenti memoria ita mihi non exciderat, ut hoc præ cæteris diligenter quæsitum inter antiquitates post obitum ejusdem præsulis distractas redemerim ac reservaverim, addendum reliquis lectioribus marmoribus, ad chronologiam illustrandam studiose collectis ab eminentissimo ac reverendissimo Alexandro card. Albano. Ex consulum serie similiter ordinata in Epigraphe apd Gruterum fol. 299, et ex alia serie consulum magistratum Romæ ineuntium una cum annuis ludorum curatoribus apud Antium, reperta simul cum fragmento Kalendarii Juliani cura solerti. et liberalitate munifica ejusdem principis eminentissimi ante annos sex, suo tempore edenda, intelligimus partem esse Fastorum municipalium. per annos singulos, ordinariis consulibus distinctos, complectentium nomina *Quatuor Virum Juridicundo, et Quinquennalium,* sub principibus Nerone, Galba, Othone, Vitellio, ac Vespasiano, in eodem oppido seu colonia, magistratu functorum. Primum par consulum ex superstitibus in laudato fragmento indicat nomina Capitonis et Rufi, seu annum æræ Christi communis 67, Neroniani autem imperii tertium decimum completum III Idus Octobris, et ex die proxima quartum decimum ineuntem, cum die 22 Septembris Linus martyrium complevisset, uti ex iisdem consulibus, termino pontificatus Lini assignatis in catalogo Liberiano, perspicuum fit. En ipsum lapidem. in quo claritatis gratia consulatibus apposui per cifras Arabicas numerum annorum æræ Christi communis quibus respondent.

67 c. Fonteio CapitoNE C. IVLIO RVFO	COS	C. AVILIVS OCTA.
.... IVS PRISCVS		M. CLODIVS....
.... RVFVS IIII VIR. I. D.		72 IMP. VESPASIANO IIII.
68. Ti. Catio Silio Italico VALERIO TRACHALO	COS	K. APR. C. AVARIVS
.... TIVS TIRO QVINQ		AVEDIVS IVS..
.... PAVLVS		73 DOMITIANO II CAES
69 Imp. SER gALBA II. T. VINIO	COS	K. APR. TITVS ET DOM.
.... ALVIVS VERVS IIII VIR. I. D		CN. MVMM. PIVS...
.... SRVLLVS IIII VIR. P. L.P.		M. BARRONIVS....
.... AIVS NIGER IIII VIR. P. L. P.		74 IMP. VESPASIANO V..
70 Imp. VespianO II. TITO FILIO	COS	K. APR. C. TITEDIVS.
.... IVS MACRO IIII P. L. P.		P. CORNELIVS...
.... FIVS LONGVS		75 IMP. VESPASIANO VI.
.... S. MARCELLVS IIII VIR. P. L. P.		C. VIBIVS TIRO....
.... MARITIMVS		C. SAFINIVS. CE..
71 Imp. VespasiaNO III M. COCCEIO NERVA	COS	

Post consules anni 67 C. Fonteium Capitonem C. Julium Rufum, sequuntur coss. anni 68, Silius Italicus et C. Valerius Trachalus, legendi apud Gruterum pag. 300, et recte attributi in catalogis initio Clementis papæ; cum primum Pascha sub his coss. celebraverit Clemens ex quo Lino successerat post diem illius martyrii 23 Septembris anni 67. His eisdem coss Nero se sua manu interfecit die 9 Junii; Galba vero, qui in Hispaniis imperium invaserat, imperator a senatu dictus est. Anno insequenti 69 imp. Servius Sulpitius Galba II. T. Vinius consules hoc in marmore signati procedunt Kal. Januarii, qui etiam leguntur alio in marmore apud Gruterum fol. CLXXXIX, 4 et apud Panvinium in Fastis, et apud Tacitum Hist. lib. I, aliosque historicos. Hic annus (ait card. Norisius epistolæ consularis pag. 47) quatuor imperatores habuit: Galbam, qui M. Salvii Othonis insidiis die 15 Januarii interemptus est; Othonem, qui pugna Bebriacensi victus, semet tertium imperii mensem emensus interfecit; Vespasianum, qui Kal. Julii imperator ab exercitu salutatus fuit; ac denique Vitellium, qui exeunte anno necatus principatum uni Vespasiano reliquit. Hic imperavit annos decem, quorum octo Tito illo septies collega suis consulatibus in Fastis signavit (teste Suetonio in Vespasiano cap. 8 et cap. 6 de Vita Titi). Porro eosdem consulatus in Cassiodoro aliisque turbatos, ac confusos Panvinius anonymo apud Cuspinianum lampadem præferente omnium primus accuratissime digessit, ac nummorum lapidumque inscriptionibus abunde confirmavit. » Anonymus Cuspiniani, de quo hic loquitur, editus fuit ab eodem Norisio post epochas Syromacedonum. dissert. 1 ad Fastos consulares: ubi decennium Vespasiani principis cum ordinariis consulibus ita exhibetur.

Æræ Christi.

69	Galba II et Vinio	Sol. XV.
70	Vespasiano II et Tito	Lun XXVII.
71	Vespasiano III et Nerva	Mar. VIII.

Æræ Christi.

72 Biss.	Vespasiano IIII et Tito II.	Merc. XXIX.
73	Domitiano et Messalino	Ven. XXX.
74	Vespasiano V et Tito III.	Sat XI.
75	Vespasiano VI et Tito IIII.	Sol. XXII.
76 Biss.	Vespasiano VII Domitiano V.	Lun. III.
77	Vespasiano VIII et Tito V.	Merc. XIIII.
78	Commodo et Prisco	Jov. XXV.
79	Vespasiano IX et Tito VI	Ven. VI.

Quod Panvinius assecutus est operosa inspectione plurium lapidum et nummorum, unicus apectus lapidis Casinatis plenissime demonstrat usque ad consulatum sextum Vespasiani (æræ Christi 75) in quo completur ejusdem imperii annus sextus pridie Kal. Julii, et inchoatur ipsis Kalendis Julii septimus tribunicæ potestatis et imperii. Cum eodem enim consulatu sexto in nummis utraque tribunitia potestas componitur, sexta usque ad diem 30 Junii, septima vero ex die 1 Julii. Proximis Kal. Januarii anni 76. Tribunitia potestate VII adhuc labente Vespasianus septimum consul procedit, testibus nummis et inscriptionibus, et anonymo quarti sæculi, notam quoque bissextilis huic anno recte apponente: licet in collega Domitiano loco Titi assignato Kal. Januarii jure culpetur, et corrigendus esse ostendatur suffecto Domitiano consule ex Kal. Julii, testimonio lapidum et nummorum. Consequitur annus 77, signatus consulatu Vespasiani octavo, et collega Tito VI suffecto pariter ex Kal. Julii Domitiano fratre VI, quo anno diximus post abdicationem Clementis jam peractam Decembri anni 76, susceptum fuisse Romanorum pontificatum a Cleto ante Paschalia festa: et idcirco jure tribui initio Cleti consulatum Vespasiani VIII in catalogo Liberiano, morem secuto chronicorum Paschalium, et epocham annorum pontificalium. Errat tamen, ut prius, in morem secuto chronicorum Paschalium, et epocham annorum pontificalium. Errat tamen, ut prius, in collega Domitiano assignando, nisi suffectum intelligat ex Kal. Julii: quemadmodum et anonymus iste Cuspiniani, qui Domitianum suffectum loco Titi ordinarii consulis obtrudit. Indulgentius tamen excusandus est error catalogi in collega Domitiano exhibendo; cum dimissio Clementis circa finem anni 76, quo processerant consules ordinarii Vespasianus pater VII et Titus filius V, ex Kal. Julii suffecto Domitiano hunc deinceps cum patre collegam inveniret.

Demonstrat igitur lapis iste Cassinensis eum pontificem, qui sedere cœperit post diem 28 Septembris S. Lini martyrio celebratam, Capitone et Rufo consulibus anno Christi 67; et compleverit pontificatus annos 9, menses 2, dies 10, antequam abdicaret; Petri sedem tenuisse usque ad diem 4 Decembris Vespasiano VII et Tito V consulibus ordinariis, et huic suffecto ex Kal. Julii Domitiano V anno Christi 76. Ostendit pariter successorem post ejus abdicationem, sui pontificatus exordia in proximis festis Paschalibus signare debuisse anno Christi 77, consulatu Vespasiani octavo, quem antiquissimus catalogus Liberianus Cleto ineunti assignat. Pari quoque certitudine confirmat illius novennii tempora numerari sub principibus Galba et Vespasiano, et successoris Cleti regimen recte enuntiari sub Vespasiano ac Tito in libro Pontificali, extendique ad Domitiani imperantis triennium, nempe ad diem 26 Aprilis ejus martyrio consignatam Domitiano IX et Rufo consulibus, æræ Christi 83, quemadmodum collegimus supra pag. 35. Quare non dubito lectionem germanam codicis Pontificalis ex catalogo Liberii aliisque documentis allatis ita restitui debere in Clemente: « Fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a consulatu Trachali et Italici usque ad Vespasianum VII et Titum « quæ in exemplaribus Anastasianis corrupte legitur » *fuit temporibus Galbæ et Vespasiani, a consulatu Trajani et Italici usque ad Vespasianum* IX *et Titum;* » et in Cleto pariter reddendam esse: « Fuit autem temporibus Vespasiani et Titi Domitiani, a consulatu Vespasiani VIII et Titi usque ad Domitianum IX et Rufum consules, » licet corrupte legatur: « Fuit autem temporibus Vespasiani et Titi, a consulatu Vespasiani VII et Domitiani V usque ad Domitianum IX et Rufum consules. » Ipso enim ex contextu patet, fuisse temporibus, non tantum *Vespasiani et Titi,* sed etiam *Domitiani* eum pontificem, qui ad consulatum Domitiani nonum, et Rufi pervenerit.

Hæc habui, quæ in Clementis Chronologia superadderem prioribus notis in Cleti numero præmissis ad ea confirmanda, quæ ibidem constituta sunt de utriusque pontificis epocha et successione.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 7. — *Hic fecit duas epistolas, quæ catholicæ* [al. *canonicæ nominantur.* Et infra lin. 9 et 10. *Tamen in epistola, quæ ad Jacobum scripta est, qualiter ei a B. Petro commissa est Ecclesia, reperies.*

Joannes Baptista Cotelerius socius Sorbonicus, et in Parisina academia regius professor linguæ Græcæ, qui celebri commentario illustravit Opera SS. Patrum temporibus apostolicis florentium, recte admodum observavit, vera hic enuntiari de duplici Clementis epistola, et ambas nominari *catholicas* (aliis legentibus *canonicas*); ab utraque tamen distingui epistolam, quæ circumfertur Clementis nomine ad Jacobum fratrem Domini: de qua Liber Pontificalis nullum judicium profert, sed tantum indicat in ea contineri, *qualiter ei* (Clementi) *a beato Petro commissa est Ecclesia.* Contra vero in alio biographo pontificum Romanorum (Luitprandum Ticinensem diaconum esse opinatur ejusdem editor Antuerpiensi anni 1642), observat jure Cotelerius, gravi nimis errore perperam accipi ea, quæ recte scripta reperiuntur hoc in libro Pontificali de duabus epistolis Clementis I ad Corinthios, tanquam prolata essent de commentitiis, seu apocryphis, epistolis ejusdem Clementis nomen præferentibus, quasi datæ sint ad Jacobum fratrem Domini. Duas illas Clementis epistolas ad Corinthios, utpote genuinas; tanto studio suscepit, et veneratione prosecutus est orbis Christianus etiam temporibus apostolicis, ut pleræque Ecclesiæ diebus Dominicis eam publice legere consueverint in cœtu fidelium, quæ prior est Romanæ Ecclesiæ nomine data ad Corinthios, ut Eusebius in historia affirmat non uno in loco, nempe libro III, cap. 16. « Hujus Clementis epistola habetur ad Corinthios scripta, præcipua plane et valde mirabilis: quam velut ex persona Romanæ Ecclesiæ dictavit, cum dissensio apud Corinthios esset exorta. Quam epistolam in plurimis ecclesiis publice legi, et veterum et nostris etiam temporibus constat. » Deinde lib IV, cap. 23, producens litterrs a Dionysio Corinthiorum episcopo datas ad Soterem tum temporis in Petri cathedra Clementis successorem, addit Eusebius « In hac ipsa etiam epistola meminit Clementis epistolæ ad Corinthios scriptæ, quam ex prisca consuetudine in ecclesia legi solitam esse testatur his verbis. Hodie, inquit, sacrum diem Dominicum transegimus, in quo epistolam vestram legimus: quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam, optimis præceptis, ac documentis abundabimus. » Ea nempe fuit disciplina nascentis Ecclesiæ, ut Petri successorum epistolas proximo loco a divinis litteris haberent sancti illi antistites plebium Dei, et perpetuo legendas esse constituerint Clementis perinde ac Soteris diebus Dominicis in publico fidelium conventu. Ad hæc respiciens Cotelerius, dum nostri libri Pontificalis receptam historiæ fidem astruit, et Luitprandi exscriptoris supinitatem redarguit, hasce notas in hunc locum ministrat, quas dabo ejusdem verbis.

« In libro Pontificali, ubi de Clementis Vita, necnon in ejus operis exscriptoribus, memorantur duæ Clementis epistolæ, eæque canonicæ et catholicæ.

Quod ita acceptum ab auctore libri de Gestis Romanorum pontificum, credito Luitprando, quasi ageretur de duabus primis Clementis decretalibus ad Jacobum. Gravi, ut equidem sentio, errore. Nam si decretales in animo habuisset scriptor Pontificalis libri, non solum duas dixisset, verum quinque, Quemadmodum Διόγραφος ille, qui mira supinitate. postquam de duabus epistolis catholicis a Clemente ad Jacobum datis retulit, subjungit, quænam contineantur in illis duabus, et in reliquis tribus. Adde quod in Pontificali opere sejungi videtur epistola ad Jacobum a duabus canonicis epistolis. *Hic fecit duas epistolas, quæ canonicæ nominantur* ; et infra : *Tamen in epistola quæ ad Jacobum scripta est.* » Hactenus Cotelerius.

Catholicas dictas fuisse primam, et alteram ad Corinthios epistolam Clementis, a quibusdam etiam canonicas reputatas non est quod miremur. Tanta fuit earumdem existimatio, ut inveniantur ambæ descriptæ proxime post libros canonicos in vetustissimo exemplari Alexandrino sacrorum Bibliorum quod Theclæ vocant : cujus scriptura ad quartum Christi sæculum pertinet, ut ostendit V. C. Laurentius Zaccagnius, consentientibus eruditis. Codex ad Ecclesiam Alexandrinam cum pertineret, fuit a Cyrillo Lucari ab illa sede ad Constantinopolitanam translato tanquam insigne donarium transmissum ad Angliæ regem Carolum primum, cujus in bibliotheca Londini custoditur. Specimen characteris simillimum vetustissimo codici Vaticano, ex quo Sixtus V editionem Græcam Septuaginta Interpretum vulgavit typis Zannetti Romæ 1587. Cur apponantur libris canonicis utriusque Testamenti Clementis papæ epistolæ ad Corinthios paulo infra indagare conabimur. Demus ante ex Prolegomenis Cotelerii ad priorem epistolam nonnulla selectiora.

« Cum, inquit, quæcunque de epistola a B. Clemente Romanæ Ecclesiæ nomine ad Corinthiorum Ecclesiam scripta proferri potuissent, fere omnia partim ab antiquis tradita, partim a recentioribus occupata fuerint ; vice præfationis, pauco duntaxat adnotabimus ad ea veterum Testimonia, quæ nonnihil scrupuli legentibus forte injicerent, nisi exponerentur, » etc. Post quam nonnulla promovit dubia, præsertim ex dictis Eusebii, et Clementis Alexandrini, quæ pugnare inter se nonnullis videri possent, illa ita dissipat. « Eam repugnantiam tolles, si dixeris, cunctos quidem opus (epistolam Clementis I ad Cor.) agnovisse pro genuino, sed non omnes habuisse pro scripto canonico : de primo nullam motam antiquitus controversiam ; de secundo motam, aliis extra canonem ponentibus, quæ sententia obtinuit, aliis intra, ut auctor canonum apostolorum canone ultimo, proindeque forsan, et qui eos canones in numero sacrarum Scripturarum collocat Joannes Damascenus, quique eosdem admittunt Trullani episcopi. Atque hujus postremæ opinionis documentum præbet antiquissimus codex Bibliorum manu Theclæ exaratus, ex quo duæ istæ epistolæ prodierunt ; quandoquidem eas cum libris Novi Testamenti conjunctas exibet. »

S. Irenæus episcopus Lugdunensis, et martyr multo ante Eusebium, utpote æqualis Dionysio Corinthiorum episcopo, non modo laudat Clementis litteras ad Corinthios, sed easdem vocat, *potentissimas litteras.* Causam adjuncti adeo præstantis retulit in commentariis ad eum locum P. Feuardentius, sacræ Facultatis Parisiensis doctor theologus pag. 240, n. 12 editionis Parisinæ 1639, hisce verbis : « *Potentissimas litteras.* Hinc observa Romanam Ecclesiam etiam ab initio auctoritatem suam interposuisse in moderandis quoque Græcorum Ecclesiis quod adeo gratum fuit illarum episcopis, ut hic commemoratam epistolam non tam Clementis, quam Romanæ Ecclesiæ nomine, sua ipsius memoria, plurimis in Ecclesiis publice lectam scribat Eusebius lib. II, cap. 12 hist. Porro fragmenta non contemnenda hujus epistolæ reperies apud Justinum martyrem quæst. 87 ad Orth. Clementem Alex. lib. I. Strom., et lib. IV et lib. VI. Basilium Magnum libro de Spiritu sancto cap. 29. Athanasium in disput. contra Arium in synodo Nicæna. Epiphanium contra Hær. 27, Eusebium lib. 3. Hist. cap 16 et 17 ; Hieronymum, lib. I. contra Jovin. et Comment. in 1 et 4 cap. ad Ephesios. »

Est alius Irenæi locus lib. III, cap. 3. unde lux major affulget adjuncto *potentiæ,* litteris apostolicis Clementis papæ attributo : ubi scilicet *potentiorem principalitatem* memorat Romanæ Ecclesiæ : cujus gratia necesse est reliquas ad hanc convenire. « Maxima, inquit, et antiquissima, et omnibus cognita, a gloriosissimis duobus apostolis Petro, et paulo Romæ fundata est, et constituta Ecclesia. Ad hanc enim propter *potentiorem principalitatem* necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui undique sunt fideles. » Quæ verba Irenæi dum perpendit P. Christianus Lupus Iprensis, et in Lovaniensi academia doctor, et professor, in notis ad Tertullianum de Præscriptionibus contra hæreticos capit. 36, pag. 565, hæc censuit esse animadvertenda. « Adjungit, inquit ipsam (Ecclesiam Romanam) esse in in dogmate infallibilem, custodemque ac judicem omnium dogmaticarum controversiarum. Adeo firmis, atque antiquis testimoniorum anchoris fulcitur Romanæ Ecclesiæ primatus, atque infallibilitas Irenæo siquidem, et Dionysio contestis accedit Tertullianus laudato loco ita scribens : Si autem Italiæ adjaces, habes Romanam (Ecclesiam) unde nobis quoque auctoritas præsto est statuta. Felix Ecclesia, cui *totam doctrinam* apostoli cum sanguine suo profuderunt : ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatus, ubi Paulus Joannis exitu coronatus, ubi apostolus Joannes posteaquam in oleum ignitum demersus nihil passus est, in insulam relegatur ! »

Totam Christi doctrinam ab apostolis Petro, Paulo, et Joanne cum sanguine profusam in sinum Romanæ Ecclesiæ Petri successores tanquam sequestres, et promicondi dum proferunt, ad instar Clementis Primi *potentissimis litteris* traditionum paternarum contestibus, exercent *potentiorem illam* hujus Ecclesiæ *principalitatem,* ab Irenæo toties agnitam, *ad quam necesse est convenire totam Ecclesiam, hoc est omnes qui undique sunt fideles.* Pluribus id exponunt laudati doctores sacræ facultatis theologicæ Parisiensis Feuardentius et de la Barre. Non transcribam hic integras paginas Feuardentii, quibus illustrat Romanæ Ecclesiæ privilegium ab Irenæo celebratum iis verbis lib. III, cap. 3 : « Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ a gloriossimis duobus apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundemus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conserva a est ea, quæ est ab apostolis traditio. » Ad hæc, inquam, verba Irenæi non transcribam paginas intregras Feuardentii, quibus luculenter ostendit undique terrarum conquisitus exemplis Ecclesiarum, Patrum, et conciliorum per Orientem, Occidentem, ad primatum, et ad doctrinam sedentium in Romana Petri cathedra omnes fideles Christi necessario convenire. In compendium redigit, ea quæ fusius ille prosequitur, alter Parisiensis theologus de la Barre, ita scribens ad indicatum locum Pertulliani de Præscript. adv. hæret. num. 36, editionis Parisinæ pagina 82 : *Unde nobis auctoritas præsto est.* « In causis, inquit, fidei

Patres Ecclesiæ Romanæ pontificii supremum judicium detulisse semper testes habeo quotquot ea verba interpretati sunt : *Tibi dabo claves regni cœlorum*, et *Quodcunque ligaveris*, etc, *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* » Augustinus in Psalmo contra partem Donati tomo VI (seu potius initio tomi VII) : « Item enarrat in psalm. LXIX Chrysostom. homil. 26, ex variis locis in Matth. Cyprianus lib. VI, cap. 12 in Joann. Præter hos Theodoretus epist. ad Monachos, Cyprianus epist. 42 creberrime. D. Hieronym. epist. ad Eustochium occidentalium Ecclesiarum dissensiones, vel etiam Ecclesias ipsas Romam contractas, et evocatas scribit, ut Basilius epist. 52. Divus Athanasius Hieronymo antiquior, et cum eo totius Ægypti episcopi, Marcum sanctæ sedis apostolicæ atque universalis Ecclesiæ papam nominant epist. ad Marcum papam, sanctamque ejus sedem matrem, et caput omnium Ecclesiarum agnoscunt, cui cum omnibus sibi commissis perpetuo futuros obedientes pollicentur. D. Augustinus, contra Julianum Pelagianum disputans, sufficere ei debere docet solam Romanæ Ecclesiæ sententiam, et serm. 2 de verbis Apostoli contra Cresconiun lib. III, cap. 34, ad Carthaginis episcopum Romano prætermisso, nunquam orientalis catholica scriberet. Optatus lib. I in Parmenianum in causa Donatistarum. Judicium inquit, Miltiadis papæ sententia clausum est. Imperatores quoque cathedræ Romanæ principatum venerantur. Valentinianus 3 epistola ad Teodosium juniorem ; Martianus imp. ad Leonem papam ; Justinanus imp. const. novell. 131, summi pontificatus apicem apud Romanum pontificem esse nemo est qui dubitet. In concilio Chalcedonensi omnium episcoporum vox est, omnem primatum. et honorem præcipuum Romano episcopo deberi. Irenæus lib. III, cap. 3, apostolis docentibus illud viva voce acceptum prodidit : omnes, inquit, Ecclesiarum successores enumerare longum est. Romanæ Ecclesiæ fidem indicantes confundimus eos qui seorsum colligunt : atque statim, ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, id est eos qui sunt undique fideles. Ad ea verba doctus Feuardentius texuit catalogum Ecclesiarum Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, Anglicæ, Scoticæ, Hibernicæ, Germanicæ, Gothicæ, Sarmaticæ, earumque orientalium, tum Australium Carthaginensis, Numidicæ, Mauritanicæ, Hipponicæ, Asianæ, Arabicæ, Orientalium demum Cesareæ, Cappadociæ, Phœniciæ, Syriæ, Armeniæ, Ponti, Galatiæ, Lydiæ, Phrygiæ, Pisidiæ. Pamphyliæ, Isauriæ, quæ omnes. ut verbo finiam, controversias fidei remisisse ad Petri successores ostendit, cui cum Sacramento fidelitatis præstitere obedientiam. Reliqua petet diligens lector ex hierarch. Ecclesiæ Alberti Pighii lib. IV, cap. 8, et Alphons. Script. in dict. papa 11. et Stapletonii controvers, cap. 17, lib. VI. Idem Pighius controversiarum Ratisbonensium controv. 16, Melchior Canus lib. VI locorum communium. » etc.

Hæc esse memoranda censui ex de la Barre breviatore fusioris scripti Feuardentii in laudatum locum S. Irenæi, ut vim verbi *potentioris principalitatis* exponerem Romanæ Ecclesiæ, et *potentissimarum litterarum* S. Clementis primi ad Corinthios, hic necessario attendendam, ut facilius assequeremur, cur duæ illæ ad Corinthios a Clemente datæ nomine Ecclesiæ Romanæ dicantur catholicæ, et ab aliquibus putatæ sint inter canonicas scripturas, et cur in antiquissimo exemplari sacrorum bibliorum libris canonicis Novi Testamenti solæ subdantur : adeo ut liber iste Pontificalis, qui in Petro recensuit libros canonicos Novi Testamenti ipsius auctoritate contextos, et probatos, in Clemente seligat nominatim ex pluribus ipsius operibus indicatis duas epistolas, de quibus est nobis sermo claudendus.

Ut breviter enuntiem quod sentio, cum videam epistolam primam Clementis ad Corinthios ita servatam, et lectam apud complures Ecclesias, et in antiquissimo illo codice bibliorum appositam post libros canonicos una cum secunda ; suspicor esse signaculum, quo traditio apostolica firmaretur de numero librorum divinæ Scripturæ eorumque lectione approbata : non secus ac sæculo quarto desinente Damasi papæ litteræ sacris bibliis apponi cœperunt cum prologo B. Hieronymi, apostolicis Damasi jussionibus obsecuti in restitutione germanæ lectionis divini textus : neque aliter ac hodie fit post S. Pium V et Clementem VIII pontifices maximos, cum approbatæ lectionis editioni eorumdem litteræ præfiguntur. ostendentes catholicæ Ecclesiæ summum sacerdotem tradere fidelibus universis eos libros eamdemque lectionem, quam ipse a suis decessoribus, istique ab apostolis acceperunt.

Observari potest in priore illa Clementis epistola produci testimonia et documenta ex singulis ferme libris Veteris Testamenti, necnon ex novi Testamenti partibus: quæ illa ætate prodierant. cum nondum scripsisset Evangelium Joannes apostolus, neque Apocalypsim. Colligunt enim illius epistolæ editores datam fuisse, vel paulo antequam Hierosolymæ a Tito expugnarentur, stante adhuc templo, vel non ita multo post ; Evangelium vero et Apocalypsim serius edidisse Joannem testantur cum Hieronymo interpretes universi : illud scilicet post natam Cerinthi hæresim, hanc vero post annum quartum decimum Domitiani. Quare ex hisce postremis partibus Novi Fœderis nondum editis testimonia proferre non poterat illa epistola maturius perscripta. Ex cæteris vero libris canonicis fere universis loca indicari comperio in numeris juxta Cotaleril editionem ita distinctis.

Ex libris Veteris Testamenti :

Geneseos liber occurrit num. 4, 6, 9, 10, 17, 20, 32, etc.
Exodus num. 4, 17, 51.
Leviticus indicatur num. 32.
Numeri 4, 17, 29, 43, 51.
Deuteronomium 3, 29, 34, 53.
Josue 12.
Judicum et Ruth.
Regum I et II, num. 4 ;
III et IV, num. 31.
Paralipomenon.
Esdræ I et II.
Tobiæ.
Judith 55.
Esther 55.
Job 18, 20, 26, 39, 49, 56.
Psalmi 14, 15, 26, 28, 35, 36, 46, 48, 50, 52, 56.
Proverbia 14, 21, 57.
Ecclesiastes 30.
Cantica
Sapientiæ 3, 27.
Ecclesiastici 9.
Isaiæ 3, 8, 13, 14, 16, 34, 50.
Jeremiæ 8, 13.
Baruch.
Ezechielis 8, 29.
Dianielis 45.
XII Proph. min. 7, 23.
Machabæorum 2.

Ex libris Novi Testamenti.

Matthæi 27, 46.
Marci 46.
Lucæ 46.
Act. apostol. 18.
Pauli epistola ad Rom. 30, 35.
Ad Corinth. prima 13, 24, 34, 47, 40.
Ad Cor. secunda 30, 35.
Ad Ephesios 46.

Galatas.
Philippenses 21.
Colossenses
Thessalonicenses prima 42.
Thessal. secunda.
Timotheum prima 29, 47, 50.
Tim. II.
Titum.
Philemonem.
Hebræos 2, 16, 17, 36.
i prima 2. 30, 38, 49, 57.
i secunda 11, 23.
bi 10, 17, 23, 30.
e.
calypsis.

cuum igitur est, in hac una Clementis universos propemodum libros canonicos . Nam illi perpauci, quorum verba produ- umentum epistolæ non requirebat, veluti icum, Paralipomenon, Tobiæ, Canticorum, et Epistolæ ad Galatas, ad Colossenses, ad t ad Philemonem, et Judæ apostoli, vel in- ur jugati, et approbati cum proximis, qua- clesia etiam Judaica Baruch cum Jeremia, cum reliquis Sapientialibus, Paralipomena ris Regum, Judices cum Heptateucho, et in na Epistolæ indicatæ cum cæteris Apostoli- fortasse, et illi producebantur in partibus Clementis, quæ hodie desiderantur, uti in- acunæ circa finem adhuc hiantes; vel op- m minime fuit eo loco produci testimonia n partibus bibliorum; cum satis confirmata gnosceret ex allegatis B. Clemens, dum Ro- cclesiæ nomine eas litteras daret. Quantum menti jam tum afferret Romanæ Ecclesiæ as in stabiliendo canone Scripturarum intel- satis ex Patribus, præcipue vero ex B. Au- in libro contra epistolam Manichæi cap. 4 et rogantibus enim cur crederet Evangelio , Marci, Lucæ, Joannis; non crederet vero Evangelio Manichæi, aliorumque sectario- spondet se idcirco primum illud recipere, Ecclesia catholica traditum sibi fuerit; autem postremum hoc Manichæi, quod ab catholica id non acceperit. Quæ autem es- esia catholica, cui sincerissimam hanc sa- tradenti fidem adhibere cogatur, et adhæ- tis aperte monebat cum hæc præmitteret « Tenet ab ipsa sede Petri apostoli, cui as oves suas post resurrectionem suam Do- ommendavit, usque ad præsentem episcopa- cessio sacerdotum. » His etiam respondent protulit lib. II de Doctr. Christ. cap. 8, ante- r concilia generalia canon integre perficere- Bellarminus monet Controvers. lib. I, cap. 10: nicis autem Scripturis Ecclesiarum plurium arum auctoritatem sequamur: inter quas e sunt, quæ apostolicas sedes habere, et epi- cipere meruerunt. Tenebit igitur hunc mo- Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus tur Ecclesiis catholicis, præponat eis quas non accipiunt. In eis vero quæ non acci- ab omnibus, præponat eas quas plures gra- accipiunt eis quas pauciores minorisve atis Ecclesiæ tenent. » Tutissime igitur pete- uxta regulam Augustini ab hac Ecclesia Ro- uæ eodem teste supra cæteras ita præstat ate ac primatu, quæ et apostolicam sedem meruit et apostolicas litteras, ut proinde foret auc oramentum omnium validissimum accedere, quos illa divinæ auctoritatis esse, concreditos affirmaret: præsertim cum me- it historiæ Ecclesiasticæ conditores, hac in datas Petri apostolorum principis litteras, linas epistolas cum reliquis divinis Scriptu- sendas esse nos doceant, hic Acta apostolo- ca perscripta, hic Evangelium Marci, Petro

A approbante, conditum, hic omnium Evangeliorum fontem ejus testimonio ac responsis indicatum, quibus in scriptis Veteris quoque Instrumenti sacra oracula librique aperiuntur. Quare mirandum non est, si hanc præ cæteris epistolam Ecclesiæ Romanæ nomine a Clemente ad Corinthios datam providus ille descriptor utriusque Testamenti in eo codice vetustissimo quarti sæculi apponendam curaverit, eamque tot in Ecclesiis publice recitari studuerint illarum episcopi statim ac edebatur. Neque enim poterat exhiberi documentum illustrius recepti census Scripturarum canonicarum, quam illud quod petebatur ab assertionibus et usu Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ, omnium præstantissima auctoritate pollentis ac principis universarum, ita scribentis ævo illo apostolico, quo Joannes evangelista superstes erat. Hunc ipsum divino consilio sub extrema Domitiani tempora Romam fuisse perductum cognovimus (uti perhibet Tertullianus): ne scilicet quippiam deesset B huic Romanæ Ecclesiæ, jam tum custodi et promicondæ sacri eloquii a Petro et Paulo suscepti, ad complementum sacri canonis Scripturarum, proxime claudendi cum libris hujus apostoli dilecti, qui Evangelii fluenta de Dominici pectoris fonte potaverat. Vix enim ab Urbe relegatus in insulam Pathmos tum Evangelium suum, tum Apocalypsim mandavit litteris. Has vero partes novi Fœderis supremas Romanæ Ecclesiæ fuisse statim concreditas cum cæteris divinis litteris colligere possumus ex martyre Justino: « Hic (ait Hieronymus de Script. ecclesiasticis) cum in urbe Roma haberet τὰς διατριβάς, et Crescentem Cynicum, qui multa adversus Christianos blasphemabat, redargueret, gulosum, et mortis timidum, luxuriæque et libidinum sectatorem, ad extremum studio ejus, et insidiis accusatus quod Christianus esset, pro Christo sanguinem fudit. » Inter cætera vero scripta Justini martyris, Romæ τὰς διατριβὰς habentis, Hieronymus recenset interC pretationem Apocalypseos: *Quam*, inquit, *interpretantur Justinus martyr et Irenæus*, alter scilicet a Justino interpres ejusdem sæculi, qui legatus Lugdunensis Ecclesiæ ad pontificem Eleutherum litteras Romam pertulit. Sunt et qui colligant multo maturius memoratum codicem epistolarum canonicarum nomine *Apostoli* in epistola Ignatii martyris ad Philadelphios num. 5, ejus scilicet apostolici viri, qui non modo Romæ versatus est, sed in Urbe martyrium subiit, juxta Hieronymum anno Trajani undecimo. Quare non modo ante annos 20 ab obitu Joannis evangelistæ ut illi colligunt, Pandectes ille apostolicus Novi Testamenti Romana in Ecclesia fuerit, sed etiam intra decennium a dormitione Joannis, si Hieronymi chronologiam sequamur in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, ubi eam retulit ad initia Trajani. Verum de codice apostolicarum litterarum apud Ignatium memorato, uti Millius ex Grabio (Prolegomen. censet (nec fortasse immerito) sit penes alios judicium. Nobis abunde sufficiet ex D Justino martyre et Irenæo censum utriusque Testamenti librorum in Romanæ Ecclesiæ scriniis colligere. Cum enim duo illi scriptores adeo illustres, et interpretes Apocalypseos Romæ versati, et hunc postremum Novi Testamenti librum haberent ita perspectum, ut præter corticem litteræ etiam medullam spiritus sibi traditam cæteris aperirent, manifestum est collectionem integram Scripturarum utriusque fœderis, statim ac edebatur, huic præstantissimæ omnium Ecclesiæ fuisse concreditam. Quare hoc etiam nomine ejusdem auctoramentum divinis libris internoscendis expetebatur; cum jam tum Tertulliano teste (de Præscript. contr. hær., cap. 36) talis haberetur Romana Ecclesia, *cui* TOTAM DOCTRINAM *apostoli cum sanguine suo profuderunt*, et idcirco, ut ibidem sequitur, *legem prophetas cum evangelicis et propheticis litteris miscet, et inde putat fidem*. Axioma enim est ratum habitum etiam Ambrosio serm. 22 in psalm. CXVIII, exponenti illud

Canticorum VII : *Nova et vetera dilecte mi, servavi tibi*. « Teneo, inquit, mandata omnia Novi et Veteris Testamenti. Sola hoc dicere Ecclesia potest. Non dicit alia congregatio : non dicit Synagoga, nec secundum litteram nova tenens, nec secundum spiritum vetera. Non dicit hæresis Manichæa, *Vetera servavi tibi*, quæ prophetas non suscipit. Merito dealbata cernitur, quæ utriusque fulget gratia Testamenti. » Ratum fuisse novimus ducentis ante Ambrosium annis etiam viro apostolico Dionysio, Corinthiorum episcopo, ita scribenti ad Soterem pontificem Romanum, uti Eusebius retulit Hist. eccl. lib. IV, cap. 22 : « Hodie, inquit, sacrum diem Dominicum transegimus : in quo epistolam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam epistolam (de qua scilicet paulo ante narraverat Eusebius ex prisca consuetudine ejus lectionem pariter frequentatam in solemni conventu Ecclesiæ) optimis præceptis ac doctrinis abundabimus. » Tum subdit, « se rogatum a fratribus epistolas scripsisse. Sed illas ministri quidam diaboli zizaniis compleverunt : quædam ex illis expungentes, quædam adjicientes. Quos certe manet feralis illa sententia, Væ vobis. Non mirum igitur videri debet, si sacrosancta Domini scripta quidam adulterare aggressi sunt, quandoquidem in longe inferioribus scriptis fuisse ausi idem deprehenduntur. » Hæc omnia comprobant, contra corruptores insidiosos et falsarios divinorum librorum quærendum fuisse præsidium ab auctoritate apostolicæ Ecclesiæ Romanæ, cui totam Christi doctrinam una cum sanguine apostoli profuderant : atque adeo Clementis et Soteris epistolas recitandas suscepisse Ecclesias Corinthi et complures ad quas pervenerant, diebus Dominicis in cœtu fidelium, tum aliis de causis, tum etiam ut adhiberentur tanquam signacula et auctoramenta librorum qui, cum habendi sint canonici, propterea adhibebantur in prædictis Romanorum pontificum litteris ad confirmationem doctrinæ catholicæ.

Linea 7. — *Ex præcepto beati Petri suscepit Ecclesiam, et pontificatum gubernandum.* Notæ docti præsulis Schelestratii in hunc numerum monent, auctorem libri Pontificalis multa fuisse mutuatum aliunde quam ex secundo catalogo. Quod autem de pontificatu Clementis hic refert, videtur illi affirmasse a se desumptum ex epistola Clementis ad Jacobum. « Quamvis autem, ait Schelestratius, epistola illa supposititia sit, antiquissima tamen est, et Rufini ætatem superat, jamque a tertii sæculi fine, aut initio quarti sub Clementis nomine circumferebatur. » Hanc supposititiam epistolam exstare utique scribit auctor libri Pontificalis. Verum se illi satis fidere, potius quam superioribus documentis, ac veracioribus, aut hæc ignorasse, mihi non apparet. Erant autem vetustiora et veraciora documenta, quæ recenserent, ordinatum fuisse Clementem a Petro apostolo, cui in episcopatu Romano inde successit. Exstant adhuc in libro Tertulliani de Præscript. hæret. supra relata cum notis Sommier pag. 30, col. 2. « Edant ergo origines Ecclesiarum suarum, » etc., ubi post illa verba : « Primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris habuerit auctorem, vel antecessorem, » ita prosequitur Tertullianus : « Hoc enim modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt, » sicut Smyrnæorum Ecclesia « Polycarpum a Joanne consecratum refert : sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum. » Sub initium igitur sæculi tertii, quo Tertullianus scripsit, exstabant ea documenta vetustiora, unde Septimius hausit, antequam prodiret epistola supposititia Clementis nomine ad Jacobum : quam elaboratam serius, et vulgatam circa finem sæculi tertii, aut initium quarti recognoscit Schelestratius. Illis vero firmamentis antiquioribus nitebatur Septimius, et nixa est notitia in Ecclesia vigens de ordinatione Clementis in episcopum, ejusque designatione ad successionem Romanæ sedis : licet hanc sinceram notitiam, et vetustiorem, infarciverit ineptis, et mendacibus additionibus fabularum male feriatus ille auctor, qui compegit, et obtrusit spuria S. Petri acta nomine præfixo epistolæ Clementis Romani ad Jacobum, et disputationem cum Apione, et Itinerarium, rejecta cum apocryphis, et reprobata non solum a S. Gelasio papa, verum et multo ante ab Athanasio in Synopsi, et a B. Hieronymo in lib. de Script. eccl. ut omnes noverunt. Exceptionis potius vim habere videtur particula subjunctionis *tamen* in textu Anastasii, separans affirmationem superiorem ordinationis beati Clementis, et præcepti a S. Petro adjecti, de acceptando munere successionis etiam in Ecclesiæ universæ regimine (si aliquando se mortuo deligeretur) separans, inquam, hanc ordinationem episcopalem, et hoc præceptum a modo et historia admissionis perperam expressæ in supposititia epistola Clementis. Quare in textu Anastasii, pro barbaræ ætatis vitioso stylo a scriptore Vitæ obscurius indicatos animi sensus ita explicandos esse opinor : « Hic ex præcepto beati Petri suscepit Ecclesiam, et pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra tradita vel commissa ; » nempe præcepit Petrus Clementi a se ordinato pontifici, ut non modo alacriter ferret onus episcopi ad annuntiandum Evangelium in aliqua Ecclesia, quæ sibi committeretur, sed etiam non detractaret in Romana sede multo laboriosius regimen universalis Ecclesiæ administrandum recipere, eadem amplitudine potestatis, quam sibi collatam noverat a Christo Domino, si quando post mortem Petri ad ejus cathedram implendam eligeretur. « Attamen, inquit, quasi excipiens, in epistola Clementis ad Jacobum reperies, qualiter ei a beato Petro commissa est Ecclesia. » Modus iste contradendi propriam cathedram, mendaciter expressus in damnata illa epistola, cum aliis supposititiis rejecta a Cotelerio in calce secundi tomi sect. 145, 146, 147, quasi Petrus adhuc vivens alium episcopum Romanum Clementem præsidere jam tum fecerit toti Ecclesiæ, non admittitur a Bibliothecario, sed nobiscum reprobatur. Ne autem facilitas admittendi hujus erroris subrepat ex præcedenti veraci notitia per Tertullianum asserta de ordinatione episcopatus suscepta a Clemente per impositionem manuum Petri apostoli, cum præcepto recipiendi etiam regiminis totius Ecclesiæ, si e vivis excedente Petro ad illud quoque vocaretur ; dividenda censuit scriptor Vitæ falsa asserta supposititiæ epistolæ Clementis ad Jacobum per particulam *tamen* a superioribus veris, et plane enuntiatis ex fidelibus scriptis, ac traditionibus de ordinatione Clementis ad episcopatum a Petro celebrata, et de præcepto successionis aliquando non detrectandæ etiam in sede Romana : in cujus partem se superstite neque Clementem, neque ullum quempiam secum admisit Petrus, nolens Ecclesiam Christi esse bicipitem, qualem exhibet spuria illa epistola Clementis ad Jacobum sectionibus indicatis.

Redeo ad intermissimam declarationem temporis, quo S. Clemens a B. Petro fuit ordinatus episcopus : in unum indicare non prætermittens, legendum esse P. Christianum Lupum in doctis Scholiis ad laudatum caput 32 Tertulliani de Præscriptionibus : ubi post varias auctoritates expensas veterum scriptorum, ac recentium, ita concludit : « Certum est, inquit, Clementem fuisse consecratum a Petro, et quidem in successionem. Diserte id asserit noster Septimius, cujus auctoritas non potest facile refutari. » Quæstiones etiam complures ibidem excitat de tempore, et causa ordinationis Clementis, et an sacratus fuerit episcopus simul cum Lino, et Cleto, juxta Onuphrium anno 56, ex sua vero sententia anno 51 æræ communis Christi ad episcopalem ordinem promotos. Aliorum sententiis indicatis, quæ mihi præferenda esse videatur aperiam.

Linus et Cletus a Petro ordinabantur episcopi

res, et vicarii circa annum Christi 56 A
ipse constituerat Occidentales imperii pro-
peragrare ad inferendam in eas lucem Evan-
i supra retuli et confirmavi documentis in
S. Petrum Lino. Clemens vero adjutor Pauli
ninetur in epistola ad Philippenses data
num 60, et paulo ante una cum Anacleto
tur inter diaconos Petro ministrantes (nisi
.t ea periocha epistolæ Ignatii ad Trallianos,
. 7 id refert, uti supra expendi in notis ad
iis verbis apud Cotelerium in Interpolatis,
*Quid vero diaconi quam imitatione Angeli-
irtutum ? parum et sanctum ministerium illi
es, ut sanctus Stephanus beato Jacobo, Ti-
et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Pe-*
tur eodem anno 60, nundum consecratus
is. Ab anno igitur 60 ad 65, quærenda est
inatio episcopalis.
linus apud laudatum Cotelerium tomo I, pag.
anonymo scriptore Græco de certaminibus, B
ationibus, vita et morte Petri et Pauli sta-
iscum tempus, et causam ordinationis Lini,
et profectionis Petri ex Urbe in provincias
ales imperii, ita ut etiam perducat in Bri-
. In reditu vero ex Britannia contigisse nar-
nationem Clementis. Verba Vendelini sunt:
io sublato a. d. III. Idus Octobris, anno no-
successit Nero, primo imperii sui quin-
clementissimus princeps. Sub quo Petrus
Romam, non illic sedentariam vitam trans-
graviter atque impigre alias quoque orbis
provincias circumiit, ac denique in Britan-
ietravit. Dum vero abest, ne Roma sine ca-
rim ageret, Linum illi constituit episcopum,
tu Neronis et Veteris, anno nostro 55. Is
lit annos duodecim (inchoatos interpretor),
undecim exactos cum mensibus quatuor,
luodecim, quotidem menses ac dies habent
næ Bucherianæ. Desiit ergo vivere anno C
56 omnino, vivente adhuc Petro, quod lu-
confirmat scriptor anonymus de certamini-
egrinationibus, vita et morte Petri et Pauli ;
rundellæ comitis sacellanus (Pertæus) e Græ-
m advexit in Angliam, ex quo Patricius ju-
strem hunc locum citat, Græce quidem, sed
go sic Latine repræsento : *Moratus Petrus in
ia dies aliquot, cum multos illuminasset verbo
Ecclesiasque constituisset ; postquam episco-
que et presbyteros ac diaconos ordinasset, im-
nanibus duodecimo Neronis anno* (is fuit no-
jam indicatus) *iterum Romam rediit ; ubi
am mortuum inveniens, Clementem loco illius
it invitum, dignitatemque istam recusantem.
loneis rationibus persuasum, ac confidere ad-
n, in cathedram divinorum eloquiorum* (*quam
inuerat*) *sublimavit.* Profectionem hanc in
iam aliunde vidit etiam Baronius, et est lu-
r astructa, non ita pridem, » etc.
igitur 56 ita promotis ad ordinem episco- D
Lino et Cleto, Petrus modo ad orientales,
d occidentales imperii provincias fide im-
s Roma profectus, fundamenta Ecclesiarum
t, et episcopos in compluribus statuebat, præ-
eos in Occidentalis, quos in notis Sommier
1. 1 supra retulimus, ex illarum Ecclesiarum
entis ac traditionibus recensitos. Ad Britan-
am penetrasse (quod *luculenter astructum
non ita pridem* Vendelinus affirmat) per hos
annos qui in æra Christi communi subse-
r ex 60 et 63, admodum probabile mihi red-
x occasione constituendi status illius provin-
genda apud Tacitum Annalium lib. 14 et 15.
a vidimus in notis ad num. 1, quantum fa-
s addiderit Petro ex Syria Romam advenien-
ospitandi in Urbe, tum etiam ejus discipulis,
gatis in perferendo Evangelio ad gentes per
itales imperii provincias, convocatio illa le-
gionum, indicta a Caio *accitis undique copiis* ad
Britannicam expeditionem : cui altera proxime ac-
cessit sub Claudio, eaque feliciter absoluta. Utraque
potuit cum Cornelio centurione, ac cæteris commi-
litonibus suæ præsertim cohortis Italicæ aut alia-
rum secum degentium in Palæstina, et domesticis
secum baptizatis, ac testibus oculatis gestorum
Christi Domini, et apostolorum, tot præcones no-
stræ fidei eo transferre, quot milites ; aut militum
socios, conturbernales, amicos Novi Testamenti
ministros diaconos, presbyteros qui ordinati essent,
secum habere. Exploremus modo an parata esset
eadem occasio transmissionis usque in Britanniam
sub Nerone post annum Christi 60, qui erat a com-
pleto ejusdem mitioris imperii primo quinquennio
proximus, ipso Nerone III, et Cornelio Cosso con-
sulibus.

Tacitus Annalium lib. XIV, sequentis anni (Chri-
sti 61) consules subdit Cæsonium Pætum, et Petro-
nium Turpilianum : quo anno narrat, Suetonium
Paulinum obtinentem Britannos, et concertatorem
Corbulonis, anno superiori gloriam adepti singula-
rem ob receptam Armeniam, contendisse æquare,
aut supergredi æmuli sui decora egregio aliquo gesto
contra rebelles insulæ Britannicæ : a quibus tamen
hoc anno talem tantamque cladem sustinuit, ut in
colonia Camaloduno, recenter ducta sub Claudio,
Londini, et in municipio Verulamio septuaginta mil-
lia civium et sociorum occisa fuisse compererit.
Tanta amplitudo numeri deductorum civium et
sociorum sub Claudio in Britanniam satis super-
que declarat, quot legionariis Romanis, aut sociis
auxiliaribus tum ab Urbe missis, tum ex Syria ac-
citis, se adjungere potuerint Petrus aliique præco-
nes Evangelii, et novis legatis, procuratoribus, præ-
fectis legionum, centurionibus, eorumve familiaribus
se comites dare. In colonia Camaloduno templum
divo Claudio jam constitutum, delectosque sacer-
dotes memorat Tacitus. Quidni, et Christiani veræ
religionis cultum tentaverint propagare ? At consi-
deremus copias militares ac legiones Suetonio tra-
ditas, et alias subinde missas post cladem indicatam.
Pætus Cerialis legatus legionis nonæ hanc ducebat.
Suetonius quartam decimam cum vexillariis vicesi-
mæ : et ex proximis auxiliares, decem fere millia
armatorum. Pœnius Postumius præfectus castro-
rum secundæ aderat cum sua legione. « Auxitque
copias Cæsar (ait Tacitus sect. 38) missis e Ger-
mania duobus legionariorum millibus, octo auxilia-
riorum cohortibus, ac mille equitibus. » Tandem ad
dirimendam Suetonii legati discordiam cum Julio
Cassitio procuratore, « et ad spectandum Britanniæ
statum missus est ex libertis Polycletus magna Ne-
ronis spe, posse auctoritate ejus non modo inter le-
gatum procuratoremque ejus concordiam gigni ; sed
et rebelles barbarorum animos pace componi. Non
defuit Polycletus, quo minus ingenti agmine Italiæ
Galliæque gravis, postquam Oceanum transmisisset,
militibus quoque nostris terribilis incederet. » Justo
igitur exercitui sub Suetonio militanti *ingens agmen
Italiæ Galliæque grave* superaddidit hoc anno liber-
tus Neronis, futurus terribilis etiam militibus Roma-
nis : licet *hostibus irrisus fuerit, quod dux, et exerci-
tus belli confector servitiis obedirent.* Dum Roma di-
greditur Polycletus libertus Cæsaris anno 61 cum
eodem *ingenti agmine*, nonne versabantur Romæ
Christiani complures *de domo Cæsaris ?* q iorum no-
mine, vel hoc eodem anno, vel proxime consequenti
Paulus ab Urbe scribens salutat Philippenses in fine
epistolæ : *Salutant vos omnes sancti, maxime autem
qui de Cæsaris domo sunt.* Hanc enim Epistolam
plerique Patres, interpretes et historici ecclesiæ hoc
ipso anno 61, vel proximo 62, scriptam fuisse sta-
tuunt, necnon alias ad Ephesios, ad Colossenses, et
ad Timotheum secundam : in qua cum salutet no-
mine Eubuli, Pudentis, Lini, et Claudiæ secum ver-
santium, possem in medium proferre sententiam

complurium, præsertim Anglorum referentium inter Britannas feminas hanc eamdem Claudiam, quam Pudentis uxorem judicant a Martiali laudatum lib. IV, epigr. 13, inscripto de Nuptiis Pudentis et Claudiæ, necnon lib. II, ep. 54, ubi et formæ et morum commendatione illam ac maritum ita prosequitur :

Claudia cæruleis cum sit Ruffina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?
Quale decus formæ? Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.
Di bene, quod sancto peperit fecunda marito
Quot sperat generos, quotque puella nurus,
Sic placeat superis, ut conjuge gaudeat uno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

Ex eo autem Pudente marito Linum edidisse putant, qui pontificum Romanorum primus successit Petro. Huic tamen Claudiæ Britannæ valde non immoror : quam diversam puto a Claudia matre Lini. Siquidem in hoc Libro Pontificali is dicitur Herculano patre natus, non autem Pudente. Afferri tantummodo hæc possunt ad ostendendum tantum societatis studium Romanos inter et insulares Britannos jam tum intercessisse, post additam imperio Britanniam sub Claudio ; ut connubia et affinitates inter utrosque contraherentur : quæ nova facilitas addebatur Romanis Christum professis transvehendi ad insulam presbyteros et fideles, a quibus posset Christiana religio propagari, ipsumque apostolorum principem, aut ab eo transmissos ad annuntiandum Evangelium hospitio excipere.

Ad eosdem annos 61 et 62 post vincula secunda Pauli apostoli referunt illius iter ab Urbe in Hispaniam Patres Græci et Latini, videndi apud Baronium ad annum 61, n. 2, quos inter Hieronymus in Isaiæ caput XI scribit *portatum navibus alienigenarum*. Alii vero cum S. Innocentio I, in epistola ad Decentium, paulo ante producta inter notas C. V. abb. Sommier ad S. Petrum iter illud uni Petro susceptum affirmant, quos tamen cum præcedentibus conciliare studet Annalium parens laudato loco. Sive igitur per Christianos de domo Cæsaris Petrus adjunctus sit in comitatu *ingentis agminis* quod Polycletus libertus Neronis in Britanniam hoc anno duxit ex Italia et Gallia ; sive cum Paulo navibus alienigenarum delatus in Hispanias, inde trajecturus ad Britannos, sive cum legionibus, cohortibus, centuriis, quæ prius collocatæ in Syria et Palæstina, deinde traductæ sub Caio, Claudio et Nerone in Occidentem, hoc anno tum ex Germania tum ex Urbe jussu principis dirigebantur ad insulas in auxilium Britannici præsidii Romanorum, suis cum veteranis et centurionibus, testibus oculatis in Palæstina gestorum Domini et apostolorum (uti ante expenderam) parata erat multiplici hac occasione facultas adeundi eos insulares, tractumque imperii occidentalem, æque oc orientalem, et sitas in eo regiones Asiæ minores, et Ponti : quas a Petro non semel peragratas nemo inficiatur, id affirmantibus Chrysostomo aliisque Patribus a Baronio citatis ubi supra : et ad quas hoc etiam anno profectos et a se directos discipulos suos Paulus enumerat in Epistola secunda ad Timotheum cap. IV dicens, Crescentem in Galatiam concessisse, Tychicum vero a se missum Ephesum.

Cum igitur Britannici itineris suscipiendi, ac totius Occidentis perlustrandi copia tanta fuerit apostolorum Principi ex anno 61 ad 64, et cum hujusce tractus Ecclesiæ earumque monimenta nos doceant primos earumdem episcopos fuisse sibi a Petro consecratos aut datos ; facile admittam illuc profectum Petrum, et subinde huc reversum in Urbem circa annum 64 præcepisse Clementi, ut ad episcopalem gradum promoveri pateretur se consecrante, ac destinari aliquando successorem etiam in cathedra Romana, quod ille deprecabatur. Nec tamen concessorum ordinationem Clementis a Petro reduce ex Occidentali itinere peractam fuisse post mortem Lini ; cum ex documentis supra expensis in notis chronologicis ad ejus sectionem constare intelligam, Linum superstitem fuisse Petri martyrio. Eusebius hoc diserte testatur lib. III, 2, Hist. Eccl., quemadmodum alii observarunt cum Cotelerio in notis ad pseudo-Clementis Constitutiones lib. VII, cap. 46.

Causam Clementis promovendi ad episcopalem gradum repeti posse credo a proxima consummatione martyrii Petro divinitus revelata, ut ipse testatur in epistola secunda illis verbis : *Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei secundum quod et Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.* Neque id modo prænoscebat, sed etiam subingressuros post obitum suum *magistros mendaces, qui introducent sectas perditionis.* Apostolos autem Christi præ cæteris quærendos ad necem, et veraces episcopos, ac fideles doctores ab apostolis constitutos, didicerat a predictione divini Magistri, et confirmatum viderat experimento Herodianæ persecutionis, excitatæ Hierosolymis, in qua Jacobus apostolus frater Joannis occisus gladio fuerat, et ipse apostolorum Princeps morti destinatus post Pascha producendus populo, nisi eum angelus liberasset. Anno igitur 64 cum Neronianæ persecutionis fax e ferali Urbis incendio emicuisset post diem XIV Kalendas Sextiles (unde initium conflagrationis arcessit Tacitus hist. XV, sect. 41) *et abolendo rumori, quod jussum crederetur incendium, Nero subderet reos ;* et obtenta flagitii, a nostris moribus adeo remoti, ad necem quærerentur *Christiani, quorum multitudo ingens haud perinde crimine incendii quam odio humani generis* atrocissimæ morti addicebatur ; intelligens beatus Petrus providendum fore Christi Ecclesiæ, ejusque regimini per idoneos successores, a quibus in ea desolatione, et orbitate imminente post suam Paulique necem arcerentur vigili cura *magistri mendaces, et auctores sectarum perditionis,* Nerone ipso crudelius in animas sævituri ; consilium cepit præmonstrandi Ecclesiæ Romanæ virum, quem inter discipulos idoneum præ cæteris ad docendum expertus fuerat, ac tenacem apostolicæ doctrinæ, Clementem. Licet vero Linum et Cletum episcopos creasset, et adjutores adhibuisset in primis utiles ; ea tamen de causa expositos præ cæteris persecutorum ictibus, ac delatorum insidiis fore sentiebat. Quare ut prærogativa judicii sui Clemens quoque commendaretur Ecclesiæ, et electorum suffragiis, qui in parem aut ampliorem spem Christiani nominis cum Lino et Cleto jam adoleverat, et si episcopatus honorem deprecaretur ; consecrandum esse duxit pontificem, eique præcipiendum, ne successionem apostolicam declinaret etiam in cathedra Romana, si fratrum sententiis ad eam vacantem implendam sublegeretur. Ita enim interpretor verba textus Anastasiani lin. 7 : « Hic ex præcepto beati Petri suscepit Ecclesiam, et pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra tradita, vel commissa, » relata ad sensus expressos linea 11. « Ideo Linus et Cletus ante eum conscribuntur, eo quod ab ipso principe apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sint episcopi ordinati. » Dum hos ordinaret Petrus, non imminebat periculum Ecclesiæ universalis Petro viduandæ, Pastore scilicet universi fidelium gregis a Domino constituto. Quare facilius suaderi poterant ad onus episcopale subeundum gratia exhibendi ministerii sacerdotalis, et vicario tantum munere Petrum adjuvandi ; cum vivente, et in vivis superfuturo diu Petro, totius Ecclesiæ regendæ discrimen iis non impenderet. Verum ordinari ad episcopale officium capessendum in proxime secutura Petri morte, ei divinitus revelata, et apertis testata litteris, arbitror deprecaturos ita fuisse Linum et Cletum perinde ac Clemens deprecabatur : cui propterea judicavit Apostolus præceptum esse adjiciendum suscipiendi episcopalis officii non modo ad ministerium sacerdotii

sua vice peragendum, sed etiam ad regimen e Ecclesiæ cum maximo pontificatu in se re- ım, quando per eos, ad quos pertineret ele- ıtro decedenti successor cooptaretur. Vix a ratione exponi posse video delectus duo- ni et Cleti) ad ministerium, ac tertii (Cle- designatio, et præceptum ad successionem nitudine potestatis, et cathedræ traditione : rtum est ex catalogis, et asserto Patrum, , tum hunc gradatim obtinuisse, et admini- ingillatim post mortem sui decessoris. Re- autem hujusmodi explicatio apostolicæ vir- m illorum sanctissimorum pontificum : qui te sentirent tum de amplitudine dignitatis humanum supergressa, tum de onore gra- maximi sacerdotis, vadis a Deo constituti. judicio responsuri de salute universi gregis, ıimarum omnium concreditarum rationem ıuri ; formidabant tum illam sublimitatem, pria humilitate componere, tum illud discri-) propria infirmitate. Quare gradatim ani- t confortandi fuerant ad pondus non decli- : illi quidem duo longa consuetudine vica- inistrationis exercendæ sub præcipua pote- ncipis apostolorum, Romanæ Ecclesiæ epi- n unice gerentis quoad viveret ; hic vero) urgendo ipsum præceptis etiam ad suc- m, si in tanto Ecclesiæ discrimine, et proxi- ıitate divinitus evocaretur ad Petri cathe- cet nulla exercitatione prævia ejusdem vi- , quem Linus et Cletus tot jam annis admi- rant, ipse se judicaret minus idoneum præ illo, ac tanto fastigio longe imparem, nec s admovendum. Rerum gestarum memoria ıt allatam expositionem. Constat enim, Li- n Clementem fuisse Petri proximum suc- ı, ex omnium Patrum, ac documentorum . Constat eorumdem Patrum affirmatione, na Clementis epistola ad Corinthios com- hunc se abdicasse suscepto post Linum pon- Nec minus evidens est ex canone missæ, ous, et catalogis, Cletum quoque pontificem m seriem successionis continuasse. Quare debet de singulorum studio humilitatis in gnitate deprecanda, et obedientiæ in admit- juam in hujus libri Pontificalis contextu et ıibus satis elucere arbitror ; si nativa signifi- erborum ita retenta plane exponatur.

ro servata sententia et chronologia succes- ium illorum pontificum, Lini, Clementis, rspicuum fit cur ordinatio Clementis recte tur cum reditu Petri in Urbem paulo ante ım suum ex occidentali itinere. asserta etiam illo anonymo Vendelini : cujus gratia hasce iones contexui.

14. — *Obiit martyr anno Trajani tertio.* Quis itet, in Libro Pontificali epocham pontifica- ani a Clemente gesti distingui ab epocha abdicationem summi sacerdotii diu produ- martyrio tandem consummatæ ? Linea 2 meri affirmat sedisse Clementem in cathedra annos 9, menses 12, dies 10, sub Galba et no. Linea vero 14, addit *obiisse martyrem ano* : quod etiam cum Eusebio testatur Hie- . Scriptor Vitæ optime noverat, inter Ve- principatum et Trajani intercedere duos res, Titum biennio, Domitianum tribus fere erum potitos. Cum itaque scribit, Clemen- nnio rexisse Ecclesiam *sub Galba et Vespa-* post novennium illud superfuisse annis sal- decim, quot fluunt a fine Vespasiani ad ertium ; necesse est ut admittat, illum se licasse pontificatu maximo, eoque tempore res habuisse in dimisso a se episcopatu Ro- etum *sub Vespasiano ac Tito*, donec is *sub* o martyrium subiret (quod asserit in Cleto) : nacletum sub eodem *Domitiano* per annos A 9, postmodum Evaristum in fine Domitiani, et per consequentes principes *Nervam et Trajanum* : quæ omnia sibi constantia distincte retulit Bibliothecarius et ante illum auctor catalogi Liberiani quarto Christi sæculo, eosdem Cæsares attribuens singulis pontificibus memoratis, necnon consulum paria iisdem temporibus respondentia. Quare mirari satis non possum, contra hujusmodi chronologiam, et historiam, sibi undique cohærentem, et firmatam documentis Patrum, ac monimentorum ætate proximis, et loco, advocari ex Ægypto Eutychium, decimi sæculi infelicis imum scriptorem, qui nec sua satis noverat, in nostris vero hospes omnino fuit, ac destitutus quocunque firmamento ; quasi Ægyptius iste Batricides anilium fabularum consutor, ut apud eruditos audit, idoneus medicus futurus sit languentis (quod ejus patroni putant) apud nostrates chronologiæ.

Linea 15. — *Sepultus est in Græcia.* De loco ubi B exsulaverit, martyrium subierit, atque sepultus fuerit B. Clemens, complures erudite scripserunt. Collegit eorum sententias Phili pus Rondininus, Faventinæ Ecclesiæ canonicus, in opere Romæ impresso anno 1706 *de S. Clemente papa et martyre, ejusque basilica in urbe Roma.* Libro I, cap. 1, n. 11, Baronii notas indicat in Martyrol. ad diem 23 Novembris, statuentes Chersonam oppidum Tauricæ Chersonesi ad Bosphorum Cimmerium, dictam quoque *Heraclium,* eo quod fuerit Heracliensium colonia, et notiorem factam exsilio Justiniani Junioris, esse locum exsilio et martyrio sancti pontificis celebratum. Inde enim translatum fuisse Romam corpus ejusdem martyris, opera SS. Methodii et Cyrilli, qui Slavorum et Moravorum apostoli dicti sunt sub Adriano II, probat ex Actis apud Petrum de Natalibus idem Baronius etiam in notis ad diem 9 Martii. Quod autem *in Græcia* sepultus dicatur ab auctore Libri Pontificalis, sive *in Lycia,* mendum putat amanuensis, et red- C dendum *Bycia,* palude a Byco fluvio ibidem recensito per Ptolemæum in tabula Europæ octava : « At Heribertus Rosweidus (sequitur Rondinin. n. 12) in notis ad libellum Adonis archiepiscopi Viennensis *de Festivitatibus sanctorum apostolorum, et reliquorum qui discipuli, aut vicini successoresque apostolorum fuerunt* ad diem 23 Novembris, locum Adonis adnotationibus exornans : *Trans mare Pontum, in eremo quod adjacet civitati Chersonæ, relegatur,* erudito admodum examine quærit et disputat ubinam reipsa sanctus Clemens papa exsulaverit. Animadvertit siquidem Breviarium Romanum ante postremam correctionem hæc olim exhibuisse : *A Trajano imperatore relegatus est in insulam Lyciæ,* ubi deinde pro *in insulam Lyciæ* substitutum fuit *trans mare Pontum.* In Actis apud Mombritium de insula Lyciæ, hæc leguntur : *Passus est autem sanctus Clemens episcopus urbis Romæ sub Trajano imperatore, et Aufidiano duce in Cersona civitate Lyciæ sub nona die Kalendarum Decembrium,* quam lectionem D confirmat insignis membranaceus codex bibliothecæ Barberinæ a Rondinino conspectus. Rosweidi sententiam luculentius astruit n. 12, ejusdem verba ita producens : *Venia spero mihi dabitur, si certum exsilii locum, in quem Clemens papa relegatus fuit, coner producere, idque non tam conjecturis, quam certo indicio. Existimo igitur eum in Leucam insulam (quæ et Achillea dicitur) Chersonæ proximam relegatum. Quod si quis Leucæ nomen post in Lyciæ migrasse velit, non magnopere refragabor, In Leucam autem insulam ablegatum Clementem papam astruo.* Ita Rosweidus. Leuca hodie insula parva est Sarmatiæ Europeæ in Ponto Euxino, ostio Borysthenis fluvii objecta cum oppidulo cognomine, quæ et Achillea dicta fuit a Pomponio Mela. Id etiam veteri Anastasii codici de Romanis pontificibus in Vita Clementis consentaneum esse probat Rosweidus, ubi legitur. *Qui etiam sepultus est in Græcia ;* quem locum Baronius, ut præmisimus, tanquam mendosum expunxit.

at sanum esse Rosweidus defendit, qui vel inde patet, quod Marius Niger geographiæ peritissimus asserit, adhuc hodierna tempestate Leucam insulam vulgo vocari *Græciariam*, quod parum abit ab Anastasii *Græcia* : apud quem forte etiam *Græciaria* legendum quis divinaverit : ideo Græcia, vel Græciaria fortassis dicta, quia Taurica Chersonesus, ubi sita est, teste Ammiano Marcellino libro 22, plena sit coloniarum Græcarum. Præterea hanc insulam Leucam fuisse ex eo itidem arguit quia exsiliis aptissima atque deserta ; unde Arrianus in Periplo Ponti Euxini : *Insula hæc*, inquit, *deserta est ab hominibus.* Necnon Ammianus Marcellinus loco citato : *In hac Tauricia* (scilicet Chersoneso) *insula Leuce sine habitatoribus ullis Achilli est dedicata.* Et demum hanc putat, quia tota saxosa est, et rupibus ardua, ut præter Acta notat Festus Avienus in orbis terræ descriptione :

> ..... ubi concava saxa.
> Cedit in antra sinu rupes, ubi saxa dehiscunt
> Molibus extensis, et curvo fornice pendent.

Atque hæc Rosweidus de loco exsilii Clementis papæ, tum ad lucem veteris Breviarii cum ad Anastasii lectionem stabiliendam et explicandam. »

Hactenus Rondininus : qui merito observat, ex his vindicari a Rosweido utramque lectionem, Anastasii scilicet et Breviarii. Ad hanc Rosweidi vindicationem confirmandam, et extendendam ad contextum Actorum apud Mombritium, ac veteris Breviarii, ubi insulam *Lyciæ* nominant, quæ aliis ab auctoribus *Leuce* dicitur, nonnulla conferam documenta, quæ comprobant, eumdem ferme locum indicari per tres illas circumscriptiones paulo ante memoratas : « Sepultus est in Græcia : relegatus est in eremum adjacentem civitati Chersonæ ; et passus est in Cersona civitatæ Lyciæ. » Tres hæc circumscribendi formulæ significant eamdem insulam inhospitam *Leuce* Achilli sacram, et proximam civitati Chersonæ coloniæ Heracleensium, a qua non longe aberat fluvius *Leuces* dictus Valerio Flacco, Ptolemæo autem *Lycus*, de nomine alterius *Lyci* fluminis allabentis Heracleæ Ponti, matri ejusdem Celoniæ Chersonæ : cujus proinde tractus littoralis potuit *Lyciæ* vocabulum apud indigenas obtinere, non secus ac prope Trojam *Lyciensis* ager plane diversus invenitur a *Lycia* provincia.

Celebratur ab antiquariis nummus insignis *Heracleæ Ponti*, a Vaillantio aliisque memoratus inter Græcos imperatoris Gordiani Pii, doctissimis vero expositionibus illustratus ab ill. senatore Florentino Philippo Bonarrota inter selectiora numismata musei eminentissimi card. Gasparis de Carpineo. Antica nummi pars refert laurea coronatum caput Gordiani cum epigraphe consueta M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC ΑΥΓ. M. Antonius Gordianus Augustus. Aversa in parte spectatur circus, templum exastylum, simulacrum Herculis, et imago athletæ victoriam consecuti ; leguntur autem litteræ, ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ ΜΑΤΡΟC ΑΠΟΙΚΩΝ ΠΟΛΕΩΝ, dialectum Doricam indicantes, et Latine reddendæ, Heracleotarum matris coloniarum civitatum. Heracleam Ponti hoc in nummo expressam demonstrat eruditissimus interpres conditam ad Sangarii ripas, et *Lyco* fluvio ita proximam, ut Eustachius asserat duobus tantum lateribus jugeri ab illo distare. A Bœotis et Megarensibus fundatam fuisse circa olympiadem 55, quando Cyrus obtinuit Medos, confirmat pluribus ex auctoribus, præsertim ex Justino, Pausania, Apollonio et Scymno Chio. Ab Hercule quoque dictam *Heracleam* refert pluribus de causis : ejusdem vices prosperas, et adversas perstingit : et colonia, a suis civibus ea florente deductas, et in nummo indicatas, Aristoteli quoque memoratas, enumerat, nominatim recensitas a Strabone. Sunt vero *Chersonesus* ista, seu *Chersona*, de qua loquimur, et Calatis, sive Callatia. In his autem coloniis a se deductis Heracleenses complura reliquerunt vestigia locorum, et nominum patriæ originis. Nam et ipsa colonia Chersona, seu Chersonesus nomen obtinuit suæ metropoleos *Heraclium*, ita appellante etiam Ptolemæo, uti card. Baronius observat in notis ad Martyrologium ad diem 23 Novembris, et Baudrand in Lexico geographico. Patrii quoque fluminis Lyci cognomentum a sua metropoli acceptum indidit fluvio proximum littus alluenti, et memorato apud Valerium Flaccum simul cum Tanai, et Hypani, quemadmodum observat idem Baudrandus. « *Lyces*, inquit, fluvius Scythiæ Enropeæ a Valerio Flacco cum Tanai, et Hypani memoratus, qui *Lycus* dicitur Ptolemæo. » Et paulo post de alio Lyco Heracleæ Ponti allabente ita scribit. « Lycus fluvius Paphlagoniæ Plinio, in Pontum Euxinum apud Heracleam Ponti per mediterraneos fluens, et cujus meminit Ovidius lib. IV de Ponto, elegia 10. » Repetit subinde sub cognomine appellatione *Lycum* illum Sarmatiæ Europeæ, antea indicatum sub verbo *Lyces*, ejusque situm et influxum describit in Mæotidem paludem, satis proximum tractui littorali Achillis memoriæ sacro cum insula inhospita eidem dicata prope Chersonam, uti videre est in Tabula geographia imperii veterum Romanorum, edita Romæ, Parisiis, et Londini. Baudrandi verba sunt : « *Lycus* fluvius Scythiæ Europæ Ptolemæo, in paludem Mæoticam influens inter Cnemam et Hygrim urbes, qui *Lyces* a Flacco appellatur. »

Quare sive insula *Lyci* dicta fuerit *Leuca*, utpote ab ostiis fluvii non valde remota, sive *Lycia* nominaretur a Colonis Heracleensibus pars agri Chersonesii, et Leuce insulæ objecti. et fluvio *Lyco* (quemadmodum etiam tractus Troadi adjacens, *Lyciæ* appellatione censetur, licet ingenti terrarum spatio distet a *Lycia* provincia Asiæ minoris) ; sive ut Achillis de nomine littoralis portio Chersonesi, et insula vocata est ab eisdem colonis, ita etiam de *Lyci* regis memoria celebris fuerit tum *Lycus* ille fluvius, qui et *Leuces* promiscue dictus invenitur a deductis coloniis, non secus ac insula *Leuce*, et *Lycia* appellata ; satis perspicuum fit ex origine, ac deductione istarum coloniarum in Tauricam Chersonesum ab Heracleensibus Ponti, tum apud geographos privato studio, tum etiam in nummis publico testimonio signata, non adversari sibi, neque invicem pugnare lectiones libri Pontificalis, quæ in *Græcia* sepultum perhibent sanctum Clementem, eum lectionibus Breviarii, et actorum, quæ in *Lycia Chersonæ insula*, sive tractu littorali, *Lyci* fluminis ostia aperiente inter Tanaim et Hypanim, memorant ejusdem martyrium et sepulcrum : cum diversa ejusdem loci nomina habenda sint *Græcia* et *Græciaria*, *Lycia* et *Leuce*, *Lyco* seu *Leuci* fluvio proximi, et *Chersoneso* sive *Chersonæ*, coloniæ Heracleensium trans Pontum Euxinum ductæ, subjecti, aut vicini.

Censoriam itaque virgam cohibeant necesse est critici rigidiores, qui non verentur fabulis accensere ea, quæ recitantur ex Actis, et documentis veteribus, ac genuinis de exsilio Clementis trans mare Ponticum, quæ de martyrio Chersonæ consummato sub Trajano, quæ de mortis genere eidem illatæ per submersionem : quasi petita sint ex interpolatis, aut conflictis narratiunculis, et somniis apocryphorum. Concedunt Joannem apostolum in Pathmos insulam Asiæ minori adversam in Ægæo relegatum a Domitiano, postquam a Tertulliano acceperint, eum Romæ in ferventis olei dolium fidei Christianæ asserendæ causa immersum fuisse, unde divinitus abiit illæsus. Concedunt philosophos, præsertim Stoicos, Urbe pulsos sub Vespasiano Domitiani patre, et in insulas relegatos, quosdam etiam truncatos capite, ita affirmante Dione. Verentur tantummodo admittere unum Clementem actum in exsilium fuisse sub Vespasiano, vel Domitiano, paulo ultra Ægæum et Pathmos, quo relegabatur Joannes sub eodem Domitiano. De sub-

ne solius Clementis dubitant sub Trajano, A
æc non fuerint exempla mitiorum temporum:
nen genuinas fatentur epistolas *optimi princi-*
inio rescribentis, e Christianis delatis in By-
quod sacrificare diis nollent, quosdam esse
io afficiendos : et veracem putant historiam
Suetonii, ac Dionis, sub æque miti principe
o addicentem morti, ac naufragio integram
n reorum, undeviginti hominum millia jugu-
aut mergenda, aut incendio absumenda, si
n detrectarent, spectaculi causa in dedicatione
i operis ad lacum Fucinum. Nos vetera Ec-
monumenta honestius habentes, cum Eusebio
onymo, Clementem superstitem fuisse asse-
ad initia Trajani ; cum libro Pontificali, et
is, abiisse pontificatu Romano credimus sub
iano, pulsumque in exsilium Chersonam
ibi martyrio affectum : et sacrum ejus corpus
jacuisse tandiu sepultum, donec SS. Metho-
t Cyrillus episcopi Slavorum, ac Moravorum B
i dicti, Romam transferri curarunt nono
sæculo, Ecclesiam regente Nicolao I.
cunda translatione, qua in Piscariam insulam
tum fuisse corpus, sive corporis partes non-
ontendunt, nihil attinet hic disserere ; licet
b iis, qui astruunt, referatur ad tempora
i II ; attamen in libro Pontificali nec vola,
tigium illius invenitur. Quare notarum no-
n curam non exigit. Hanc assertam transla-
maturo examini subdidit laudatus Rondini-
pud quem videri possunt argumenta, quibus
ur. Unum moneo, scilicet, in notis R. P. Pa-
ioris ad hunc numerum mox producendis
m videri novum errorem de Piscariensi hac
tione sub Ludovico II, dum *Piscariam insulam*
Benacensi ditionis Venetæ Pagius obtrudit,
onterraneis ignotam, pro Piscaria insula Ca-
si ad Aternum fluvium in Aprutio citeriore
ia regni Neapolitani, cum qua de translatis C
s S. Clementis papæ et martyris lis est in-
tores expensos a Rondininio.

CIACONII.

1 5. — *Hic fecit septem regiones dividi notariis.*
s S. Clemens ordinavit numero septem, qui-
bis Regiones XIV divisit, ut singuli res gestas
um sollicite et diligenter per regiones suas
sitas describerent. Quorum umbram Roma-
is protonotarii, qui participantes vocantur,
II, nunc autem XII, tenent.
1 7. — *Hic fecit duas epistolas, quæ catholicæ*
ntur, Scripsit sanctissimus et doctissimus
x potentissimam et gravissimam nomine Ro-
Ecclesiæ epistolam, qua schisma Corinthiorum
cuit, et nutantem eorum fidem confirmavit :
nen injuria temporum intercidit. Quibus ob-
r Romanam Ecclesiam etiam ab initio au-
tem suam interposuisse in moderandis quoque
um ecclesiis. Eusebius characterem in ea D
ipsissimum, et stylum expressisse scribit lib.
. Eccl. quem Paulus in sua ad Hebræos.
nta non contemnenda hujus epistolæ repe-
apud Justin. Mart. 47 ad Orthod. Clem.
trom. lib. I, IV et VI, Basil. Mag. lib. de Spi-
ncto c. 29, Athanasium disp. contra Arium
Nic., Epiphanium contr. hæres. 27, Euseb.
Hist. cap. 16 et 37, Hieron. lib I. contra Jo-
Comment. min. et 4. c. ad Ephes. et Ire-
Fertur, et secunda ejus nomine epistola, quam
ibus reprobari dicit Hieronymus. Exstant
inque Clementis epistolæ de vera fide, et recte
uenda regendaque Ecclesia ad Jacobum fra-
mini Hierosolymorum episcopum ; quem ad-
80 canones apostolorum collecti, et libri
nstitutionum apostolicarum.
1 11. — *Ideo Linus et Cletus ante eum con-*
tur. Paulo ante mortem Petrus Clementem
Romanum pontificem, et successorem suum, summa
cum auctoritate, quam a Christo acceperat, desi-
gnavit. Verum Petro ex hac vita sublato, divino
consilio cessit, et subire illud munus, et onus Cle-
mens recusavit, ne suprema dignitas Ecclesiæ, et
potestas hæreditaria fieret, et arbitrio unius, non
totius multitudinis electione administranda crede-
retur ; proinde Lino et Cleto, qui coadjutores B. Pe-
tri antea fuerant, prælatis, quartus ipse pontificatum
inivit.

Linea 14. — *Obiit martyr anno Trajani tertio.* Anchora scilicet ad collum ligata, in mare, prope civitatem Chersonesum, submersus, anno Christi 100, Trajani III, nono Kalendas Decembris. Sub hujus pontificis tempore Joannes apostolus, Evangelium, Epistolas et Apocalypsim scripsit.

PAGII.

Linea 4. *Multos libros.* Illas duas epistolas ge-
nuinas et germanas esse probatur ex Veterum te-
stimoniis, qui illas citant. Priorem quidem S. Irenæus
lib. I adversus Hæreses, cap. 3. memorat ut tradi-
tionis promptuarium. Eam itidem laudant Origenes
lib. II de Principiis cap. 3, S. Clemens Alexandrinus
lib. I Stromatum, Eusebius lib. 3. Hist. Ecclesiast.
cap. 38, S. Hieronymus in catalogo scriptorum Ec-
clesiast., in Clemente, Photius in Biblioth. cod. 113
aliique. Posterioris meminere idem Photius cod.
126, et S. Epiphanius hæresi 30, num. 15. Quantum
autem ex his fragmentis colligitur, hæc posterior
epistola salutaria documenta, *admonitionemque vitæ*
melioris continebat, ut scribit ibidem Photius. Quæ
adversus illas adducuntur argumenta refellit Nata-
lis Alexander sæculo primo.

Præter has duas epistolas, quinque aliæ sub
S. Clementis nomine circumferuntur, quarum duæ
priores sunt ad Jacobum fratrem Domini ; tertia ad
omnes episcopos, presbyteros, et fideles ; quarta ad
Julium et Julianum ; quinta ad Jerosolymitanos :
sed cum illæ omnes tanquam supposititiæ ab eruditis
rejiciantur, sicuti et decem libri Recognitionum,
Itinerarium S. Petri, Disputatio ejusdem apostoli
cum Appione, et Liturgia, quæ eidem Clementi ascri-
buntur, de iis, utpote jam ab omnibus rejectis, et
damnatis agere superfluum, et inutile judicamus ; de
quibus legendus idem Natalis Alexander laudatus.
Porro omnia Clementis opera, tum genuina, tum
spuria, in unum collecta, et annotationibus illustrata
Græce et Latine edidit idem Cotelerius in Patribus
apostolicis. Parisiis, 1672, fol.

Sed hic paucis agendum de *Constitutionibus et*
canonibus apostolorum nomine inscriptis, quarum
duarum collectionum auctorem multi faciunt san-
ctum Clementem ; quia licet ambæ inter apocrypha
recenseantur, *Canones* tamen *apostolorum* vulgo
dicti, singulari quadam Ecclesiæ primitivæ doctrina
referti sunt, Constitutiones quidem octo libris com-
prehensas Carolus Bovius Ostunensis episcopus
anno 1573, in lucem emisit, et e Græco in Latinum
sermonem transtulit : eas postea Franciscus Tur-
rianus Latine interpretatus est, et commentariis
illustravit. Verum harum constitutionum auctor
non est Clemens Romanus, quia Eusebius lib. III,
cap. 15, et Hieronymus de Script. ecclesiast. cum
de scriptis S. Clementis agunt, unam duntaxat
illius ad Corinthios epistolam recensent. Præterea
Humbertus cardinalis episcopus Sylvæ candidæ,
Leonis IX apud Constantinopolim legatus, Nicetæ
Pectorato Constitutionum apostolicarum loca quæ-
dam contra Sabbati jejunium objicienti, his verbis
respondet : « Hoc asserere conaris ex apocryphis
libris, et canonibus pari sententia SS. Patrum repu-
diatis. » Et paulo post : « Unde nos quoque omne
apocryphum abjicientes dedignamur audire eorum
fabulosas traditiones, quia non sunt ut lex Domini. »
Citaverat autem Nicetas quintum, et septimum
librum Ordinationum, seu Constitutionum apostoli-

carum. Ex qua Humberti responsione Christianus Lupus in parte II ad canonem 2 Trullanum colligit, Constitutiones illas apocryphas esse, fuisse sententiam sedis apostolicæ, cujus legationem Humbertus gerebat. Præter Lupum legendi etiam Schelestratius in parte II Antiquit. illustr. dissert. II, cap. 2, Natalis Alexander sæculo primo, aliique qui plura de his Constitutionibus habent.

Quod attinet ad Collectionem, quæ sub ejusdem Clementis nomine circumfertur, qui apostolorum canones numero 85 in unum corpus collectos fidelibus proposuisse perhibetur, eam Marca lib. III, cap. 2, num. 5, anteriorem synodo Nicæna, sed posteriorem anno 258 videri scribit. Ratio prioris est, quia Constantinus imperator in epistola II ad Eusebium et Antiochenos citat canonem decimum tertium, ex quo eruitur eos canones ante Nicænam synodum cognitos fuisse. Eos vero fuisse posteriores anno ducentesimo quinquagesimo octavo ex eo deducit, quod Firmilianus Cæsareæ episcopus iis usus non est ad probandam consuetudinem quæ vigebat in Oriente repudiandi hæreticorum baptismi: cum tamen ipsi aperte faverent: canon enim 45 sic conceptus est: « Episcopum, vel presbyterum, qui hæreticorum baptismum, vel sacrificium admiserit, deponi jubemus. Quæ enim est conventio Christi cum Belial? vel quæ pars est fideli cum infideli? » Et canon 46: « Episcopum, vel presbyter eum, qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem et crucem Domini, et non discernat sacerdotes a falsis sacerdotibus. » Cum itaque Firmilianus in epistola ad Cyprianum contra hæreticorum baptisma militans, consuetudinem a Stephano papa laudatam, stylo acriori quam oportebat catholicum episcopum, excipiens, anno 256 aut 257, quo eam scripsit, canones prædictos non allegarit, ex ejus silentio colligere est, incognitos ea ætate fuisse canones apostolicos.

Eos canones post concilii Nicæni tempora tam in Oriente, quam in Occidente apud quosdam catholicos prævaluisse (varia tamen de eorum numero fortuna) licet colligere ex antiquissima canonum collectione, quæ primum in Oriente a Græcis fuit confecta, et ante tempora Dionysii Exigui exstitit. Unde quod Gelasius papa in Romana septuaginta episcoporum synodo posuit: *Liber canonum apostolorum apocryphus,* commodo sensu venit intelligendum. Præterquam enim quod hæc verba non habentur in codice Justelli, dici potest, id a papa Gelasio dictum, quia hi canones non sunt ab apostolis, sed ab aliis collecti: unde recte Marca laudatus n. 7: « Variæ sunt classes apocryphorum in notitia Gelasii, ut observarunt viri eruditi, cum non tantum figmenta hæreticorum veniant in hunc sensum, sed etiam Opuscula tractatorum, in quibus sunt nævi quidam. » Nec alio exemplo indigemus, quam Eusebii Historia, quam apocryphis accenset Gelasius, cum tamen parum antea illam recipiendam statuisset, quod nimirum velit hos Historiarum libros nævis quibusdam permistos, licet, inquit, « propter rerum notitiam singularem, quæ ad instructionem pertinent, usquequaque non dicimus renuendos. » Idem, inquit Schelestratius laudatus cap. 1, dicendum de Canonibus apostolorum, singulari quadam Ecclesiæ primitivæ doctrina refertis, licet aliunde ob certos nævos inter apocrypha a Gelasio recensitis.

Neque ab antiquis, tam Græcis, quam Latinis Scriptoribus, subdit idem Schelestratius, hi canones fuere rejecti, ut patet ex quinquaginta canonibus ubique olim receptis, et confirmat post Gelasium collectio Dionysii Exigui. Post Dionysium Crescónius, nescio cujus civitatis in Africa episcopus, qui in sua collectione usque ad quinquaginta canones apostolorum enumerat, et ad titulos suos comprobandos adducit. Meminit et Anastasius Bibliothecarius Stephani papæ IV seu potius III, qui in synodo A Lateranensi anno 769 statuit actione IV: « Non amplius suscipiantur apostolorum canonum prolata per S. Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscepit sancta Dei catholica Romana Ecclesia. » Publicavit hoc concilium Holstenius, et laudatam ex eo decisionem confirmat Humbertus Leonis IX legatus in responsione ad libellum Nicætæ presbyteri, et monachi contra Latinos editum: « Clementis librum, id est, Petri apostoli Itinerarium, et apostolorum Canones numerant Patres inter apocrypha exceptis quinquaginta capitulis, quæ decreverunt orthodoxæ fidei adjungenda. » Et hæc quidem de Ecclesia Occidentali, quinquaginta apostolorum canones non improbante, sed demum per pontifices, et synodos approbante, et ubique fere recipiente.

Ut latius sese extendit Orientis Ecclesia in recipiendis apostolorum canonibus, quos octoginta quinque omnium primus suæ quinquaginta titulorum collectioni inseruit Joannes Scholasticus, ut notat B Justellus in præfatione ad tomum II bibliothecæ Juris Canonici, et idem Joannes Antiochenæ Ecclesiæ presbyter ex ordine Scholasticorum, qui in præfatione ait: « Sancti Domini discipuli, et apostoli octoginta quinque canones Clementis operi ediderunt. » Eos, post hanc Joannis collectionem, recipit et probavit synodus Trullana canones 2 et post eam synodus generalis VII quæ actione I consensit ex bibliotheca patriarchii Constantinopoleos, tam canonum SS. apostolorum, quam SS. synodorum libros in medium afferri: « Et notarius venerabilis patriarchii legit: Canon SS. apostolorum quinquagesimus tertius (nunc quinquagesimus secundus): Si quis presbyter eum, qui convertitur a peccato, non susceperit, sed adjecerit, deponatur, » etc. Usque ad 77, recenset Alexius Aristinus Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconus in Synopsi canonum, quæ nunc primum publicata est in tomo II bibliothecæ Juris Canonici, ubi post Aristinum subnectitur epitome canonum C Symeonis magistri et Lagothetæ, in qua exhibentur canones apostolorum octoginta duo. Subnectitur et Synopsis canonum Arseni monachi, qui ad cap. I subdit; *SS. apostolorum canones octoginta quinque,* et alios apostolorum canones passim exhibet, ut octoginta quinque canones admisisse constet, quos et diu ante illos collectores admisit Photius in Nomocanone, ad quem edita præfatione scribit: « *Canones qui SS. apostolorum dicuntur, Clementis opera collecti octoginta quinque.* » Ex quibus videre licet Orientales passim omnes octoginta quinque canones admisisse, qui de facto post decretum Gratiani jussu Gregorii XIII, editum, inveniuntur, utiet passim in omnibus conciliorum editionibus. Plura Schelestratius laudatus, et Natalis Alexander, dissert. sæculi primi Ecclesiæ. Videndus etiam Cotelerius in notis ad canones apostolicos, quæ habentur in parte secunda Operum SS. Patrum qui temporibus apostolicis floruerunt.

D Linea 15. — *Sepultus est in Græcia,* etc. Ejus corpus sedente Adriano II Romam translatum est, et deinde, petente Ludovico Augusto hujus nominis II, ad monasterium Casæ-aureæ ab ipso fundatum in insula Piscaria, ad Benacum lacum, hodie in ditione Venetorum, asportatum eodem Adriano II annuente, ut legere est tom. III Criticæ Baronianæ.

SOMMIER.

(Tom. I Hist. dogm., pag. 122.)

Linea 7. — *Hic fecit duas epistolas.* Una nobis superest ex ejus epistolis, scripta ad Corinthios, quæ cum intercepta fuisset, ac deperdita pluribus sæculis, ante annos circiter octoginta feliciter reperta est in fine codicis Bibliorum, cujus ætas fertur ad Nicæni concilii tempora pertinere. Codicem hunc allatum fuisse constat ex Turcarum ditione ad Carolum I Magnæ Britanniæ regem (narrante Patritio Junio in Præfat. ad eamdem epistolam a se editam)

Antiqui Patres magnis laudibus efferunt memoratam Clementis epistolam, quam recognoscunt tanquam validissimum testimonium auctoritatis Romanæ Ecclesiæ, ad pacem et unionem inter fideles conservandam, ad eos firmius in fide stabiliendos qui nutarent, et ad annuntiandam et altius imprimendam animis apostolicam traditionem. His enim iisdem vocibus utitur Irenæus : « Sub hoc igitur Clemente (inquit lib. III adv. Hæres. cap. 3) dissensione non modica inter eos, qui Corinthi erant fratres, facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians quam in recenti ab apostolis acceperant traditionem. » Eusebius Cæsareensis, qui eadem ferme sententia de Clementina epistola loquitur, addit ætate sua consuetudinem viguisse pluribus in Ecclesiis ut publice legeretur. (*Hist. Eccl.* lib. III, cap. 12.) « Hujus vero Clementis una fertur esse epistola, omnium judicio approbata, illustris illa quidem, et digna plane admiratione, quam tanquam ex Romanæ Ecclesiæ persona ad Corinthiorum Ecclesiam tunc quidem exaravit, cum jam Corinthi gravis esset inflata seditio. Hanc sane cum veterum, tum nostra ipsorum memoria plurimis in Ecclesiis publice lectam usurpatamque cognovimus. »

Ejusdem epistolæ summam proponit, eaque in primis, quæ de humilitatis custodia, de fuga æmulationis, de obedientiæ regulis, et reverentiæ erga eos qui divina auctoritate nobis præsunt, ibidem enuntiantur, quemadmodum ex versione Patrici Junii leguntur, uti pag. 126 : « Servetur itaque corpus nostrum in Christo Jesu, et unusquisque proximo suo subjiciatur juxta ordinem, et dignitatem, in quo gratia. et dignatione ejus, positus est ..... Summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt ; sacerdotibus locus proprius assignatur, et levitis sua ministeria incumbunt: laicus præceptis laicis constringitur. Unusquisque vestrum, fratres, in suo ordine, statione manens, Deo in bona conscientia gratias agat, et cum decore intra præscripti ministerii sui canonem se contineat. Contra presbyteros seditionem movere, et hic quidem rumor non tantum ad nos, sed ad eos etiam, qui a nobis, et a fide animo sunt alieniore manavit. Tollite igitur hoc de medio quam celerrime. Melius est enim in ovili Christi parvos, et in æstimatione bona reperiri, quam sibi videri aliis eminentiores, et extra ejus cancellos foras ejici. » His ex epistola Clementina productis, ita prosequitur Sommier pag. 126.

Utinam hodie complures Occidentis Ecclesiæ ita frequenter lectitarent epistolam Clementis, uti olim Orientales in ejusdem lectione detinebantur! Utinam eodem successu lectio nunc procederet, qua antiquitus apud Corinthios ! Similes plane sensus venerationis perciperent erga Clementem XI ac versus Clementem I, cujus successor ille est : et inde colligerent, non secus ac Irenæi ætate compertum fuit, a quo testimonium tenemus adeo illustre, ab Ecclesia catholica remedium præstantissimum semper habitum, et adhibitum ad morum corruptionem avertendam, ac reserandam, necnon ad perversa et falsa dogmata confundenda atque expugnenda : ut nempe ad illam traditionem, ac fidem provocatio, et recursus fiat, quam Ecclesia Romana ab apostolis accepit : ut teneamus ad Ecclesiam hanc, ubique gentium ab universa antiquitate recognitam tanquam principem omnium Ecclesiarum, et auctoritate præcipua præstantem, cujus in sinu Christianæ religionis puritas, et integritas semper enituit per successionem episcoporum non interruptam, necessario convenire debere omnem eeclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles. « Maximæ (ait Irenæus *adv. Hæres.* lib. III, cap. 3) et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus apostolis Petro, et Paulo fundatæ, et constitutæ Ecclesiæ. eam quam habet ab apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successionem episcoporum venientem usque ad nos indicantes ; confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem. et malam sententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles : in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab apostolis, traditio. »

S. Clemens ad eosdem Corinthios secundam quoque dederat epistolam, cujus nonnulla tantum supersunt fragmenta, quæ nobis indicant salutaria monita ad vitam recte instituendam in ea fuisse complexum. Phot. Biblioth. cod. 126 : « Altera quoque epistola, et ipsa institutionem vitæ continet melioris. » Videndus etiam Euseb. hist. Eccl. lib. III, cap. 32, et Hieronym. de Script. Eccl. in Clemente. Hujus secundæ epistolæ auctoritas non adeo certa est ac superioris.

Prioribus Ecclesiæ sæculis attributa invenimus Clementi papæ alia quoque opera, veluti libros Recognitionum, seu acta S. Petri, quorum testimonio usus est Origenes tom. III Commentar. in Genesim, a Rufino Latine reddita : Constitutiones apostolicas, a S. Epiphanio productas hæresi 25, 45, 70 et 80, quarum plures editiones hodie tenemus : Clementinas, nempe collectionem epistolarum aliorumque operum præfixo hujus Clementis nomine. Verum cum ex his aliqua sint evidenter suppositita, alia mutilata, et erroribus interspersa, a nobis non producentur, ut eorumdem testimonio comprobem ea quæ de S. sede mihi dicenda sunt.

Linea 14. — *Episcopos per diversa loca quinque.* Martyrologium Romanum die XI Augusti meminit S. Taurini episcopi a Clemente ordinati. Yvo Carnutensis et Baronius alios quoque sanctos episcopos memorant ejusdem pontificis jussu in Galliam profectos. « Iste (Clemens) destinavit Lugdunensibus Fotinum, Narbonæ Paulum, Turonis Gratianum, Cenomanis Julianum, » etc. Yvo Carnot. in Chron. Mss. citato a Junio Patricio. Vide Baronium ad annum 95, n. 7.

V. SANCTUS ANACLETUS.

ANNO CHRISTI 103, TRAJANI IMP. 4.

5 *Anacletus, natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho,* sedit annos novem, menses duos [a], dies decem. *Fuit autem temporibus Domitiani* [b], *a consulatu*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *CB,* m. 3. [b] *B, Trajani.*

Domitiani decimo, et Savini usque ad Domitianum XVII et Clementem consules [b]. *Hic memoriam beati Petri construxit et composuit, dum presbyter factus fuisset a beato Petro,* seu alia loca, *ubi episcopi reconderentur* sepulturæ. Ubi *autem et ipse sepultus est* [c] juxta corpus beati Petri, III Idus Julii. *Hic fecit ordinationes duas* per mensem Decembrem, presbyteros quinque, diaconos tres, episcopos per diversa loca numero sex ; *et cessavit episcopatus dies* XIII.

CATALOGUS SUR LIBERIO.

Anacletus annis XII, mensibus X, diebus III. Fuit temporibus Domitiani a consulibus Domitiano X et Sabino, usque Domitiano XVII et Clemente.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] Sabini *C.* [b] *B, Trajani IV et Articulœi usque ad Pisonem et Hastam.* [c] *CB,* in pace.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 5. *lin. ead.* 2. *A,* dies 23, *B,* 21, *lin,* 2, *A,* ann. 12, m, 10. d. 7, *B,* ann. 11, m. 1, d. 7. *lin.* 3, *AB,* Sabini.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 2, tempore Do. *lin.* 3, Sabini. *lin.* 4, et posuit dum presbyter ordinatus fuisset a B. Petro ubi alia episcoporum corpora in sepultura reconderentur. Hic constituit ut clericus comam non nutriat : duas etiam decretales epistolas omni sapientia plenas conscripsit. Hic sub Domitiano principe martyrii gloriam capitis obtruncatione suscepit, sepultus qui est j. c. B. P. III (*Maz,* IV) IV Id.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Cassin.,* annos 12. *lin.* 3, *Flor. prim.,* Sabini. *lin.* 8, episcopos per diversa loca XV, *Flor.,* septem.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, sedit annos IX, mens II, dies X, *sed alia lectio superposita,* ann. XI, mens. II, dies VII, *lin.* 3, Domitiano decimo et Savino, *lin.* 4. Hic memoria B. Petri. *lin.* 6, III Idus Julias.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

Linea 4. — *Hic memoriam beati Petri construxit, et composuit.* Anacletus furente ipsa persecutione memoriam, id est, ædem sacram dicavit B. Petro. Memoriæ apostolorum et martyrum dictæ ædiculæ sacræ, quæ tempore persecutionis ædificatæ sunt in ipsorum memoriam, quod eorum memoria ibi celebraretur. Optatus Milevit. lib. II : « Denique si Macrobio dicatur, ubi illic sedeat, nunquid potest dicere : In cathedra Petri, quam nescio si vel oculis novit, et ad cujus memoriam non accedit quasi schismaticus ? » Et mox : « Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ apostolorum. » Et infra : « Si nefas tibi videtur, aut reatum putas, memoriis apostolorum, et sanctorum omnium communicasse. » August. in psal. XLIV : « Ostendatur mihi Romæ in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostendo memoriam Petri. » Idem in psal. LXV : « Melius est ut Romam cum venerit imperator, deposito diademate ploret ad memoriam piscatoris, quam ut piscator ploret ad memoriam imperatoris. » Idem in psal. CXL : « Imperator venit Romam : quo festinat ? ad templum imperatoris, an ad memoriam piscatoris ? » Idem de Civit. Dei lib. XXII, cap, 10 : « Nos autem martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. »

BENCINI.

Linea 4. — *Hic memoriam beati Petri construxit, et composuit, dum presbyter factus fuisset a beato Petro.* Ultima verba exstantia etiam in secundo Romanorum pontificum catalogo, originem, et vetustam *Presbyteri martyrum* institutionem insinuant, quam jejune ab aliis attactam, in præsenti observatione enucleandam susciplmus, dum plura ex ea observatione illustrantur, quæ in sequentibus occurrunt. Duos ab ecclesiis, et episcopis leguntur ad ministeria martyribus præstanda delectos in primitiva Ecclesia, diaconos ad corporalia martyrum officia obeunda, presbyteros vero pro animarum cura, et spirituali earumdem salute. De diaconorum officio martyribus exhibito, et sollicitudine in ministerio obeundo insignia sunt loca apud veteres, et quia de his a scriptoribus plura notantur, ad martyrum presbyterorum notitiam, de quibus hic liber Pontificalis agit, tradendam subsistere paulisper cogimur. Episcopalis sollicitudinis fuisse hanc provinciam, et in officio promovendo specialem curam docent laudata verba. Liber enim Pontificalis ait, Anacletum memoriam, seu sepulcrum construxisse, et constructionis causam assignat, quia presbyter factus erat a Petro. Presbyteralis porro hæc cura ordini annexa non est ex sua institutione, sed ex superaddita deputatione, quæ alia non est censenda, nisi ministerium assignatum, et officium presbytero demandatum specialissimum pro martyrum necessitatibus in Spiritu sublevandis, et pro universo salutis, et propositi in fide exercitio eis exhibendo. Hanc sollicitudinem in eligendo, aptandoque presbytero pro martyrum cultura in iis, quæ speciatim ad animarum salutem respiciebant, proprie episcopalem fuisse ostendit Cyprianus, qui eo fine opusculum edidit de *Exhortatione martyrii,* ad preces Fortunati, forsitan martyrum presbyteri elaboratum. Enucleatum eo flue, ut propriam episcopalem sollicitudinem, et presbyteri martyrum officium repræsentaret ipso in libri limine aperit : « Desiderasti, Fortunate charissime, ut quoniam persecutionum et pressurarum pondus incumbit..... ad præparandas et corroborandas fratrum mentes de divinis Scripturis hortamenta componerem, quibus milites Christi ad cœleste et spirituale certamen animarem. Optemperandum fuit desiderio tuo tum necessario, ut quantum sufficit mediocritas nostra auxilio, divinæ inspirationis instructa, quasi arma, et munimenta quædam pugnaturis fratribus de præceptis Dominicis promerentur. » Necessarium dixit Cyprianus sive ex onere episcopali, sive ex officii Fortunato demandati obligatione, *arma, et munimenta pugnaturis* præbere ; ad hoc, ut in angustia agonis milites ad dimicandum alacri, constantique animo in acie starent : quod ita exponere prosequitur : « Parum est, quod Dei plebem classico nostræ

vocis erigimus, nisi credentium fidem, et dicatam Deo, devotamque virtutem divina lectione firmemus. Quid autem potius, aut majus curæ et sollicitudini congruit, quam in commissum nobis divinitus populum, et exercitum in castris cœlestibus constitutum, adversus diaboli tela, et jacula exercitationibus assiduis præparemus? Neque enim idoneus potest esse miles ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit..... Aut qui agonisticam coronam quærit adipisci, in stadio coronabitur, nisi usum, et peritiam virium ante meditetur. » Presbyterum Fortunatum instituere, ac instruere voluisse ad munera condigne obeunda, directio ipsa opusculi ostendit, et probat, dum non ad martyres (et si eorumdem sit exhortatio ad viriliter dimicandum), sed ad Fortunatum dirigitur, quia ipsi nempe concreditum fuerat officium presbyteri martyrum, cujus speciale erat ministerium martyribus, in carcere constitutis, ac pro fide pugnaturis arma spiritualia aptare, eosdemque virtutum exercitio consolidare. De fine assignato laudati opusculi ulterior probatio desumitur *ex tribus testimoniorum libris ad Quirinum,* quos eodem plane scopo Cyprianus enucleavit, colligens ex Scripturis loca præcipua pro virtutum exercitio. Argumentum operis transmissi sic describit: « Pro fide, et dilectione tua quam Domino Deo tuo exhibes, fili charissime, petisti, ut ad instruendum te excerperem de Scripturis sanctis quædam capitula ad religiosam sectæ nostræ disciplinam pertinentia: lectionis divinæ succinctam diligentiam quærens, ut animus Deo deditus non longis, aut multis librorum voluminibus fatigetur, sed eruditus breviario præceptorum cœlestium, habeat ad fovendam memoriam suam salubre et grande compendium, et quia tibi plenum dilectionis obsequium debeo, feci quod petisti; ut laborarem semel, ne tu semper laborares. » Quirinum vero eo fine a S. Cypriano instructiones expostulasse, ut ad martyrum presbyteri officium obeundum aptiores traderet; imo juxta habitas instructiones impigre munus exsecutum fuisse declarant ipsi martyres, Cypriano scribentes, Quirinumque laudantes, quo et episcopalem hanc curam, et designati martyrum presbyteri munus commendant (*epist.* 78): « Agunt ergo tibi nobiscum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectissime, quod litteris tuis laborantia pectora recreasti..... Fecit autem, et prosecutum ministerium tuum, et Quirini dilectissimi nostri. » Quatuor itidem episcopi in sequenti epistola eidem Cypriano rescribentes, edicunt: « Accepimus itaque, frater desideratissime, id quod a Quirino, et a te ipso misisti, sacrificium ex omni opere mundo. » Rogatianus alter martyrum erat presbyter, quem ex officio, quod inter martyres exsequebatur, ad eosdem confessores scribens *Vestrum presbyterum* indigitat Cyprianus, illumque in epistola 5 ad martyres commendat, et ut sequantur monita hortatur: « Ut sequamini in omnibus Rogatianum presbyterum gloriosum senem, viam vobis ad gloriam temporis nostri religiosa virtute, et divina dignatione facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper, et sobrio, excipiens ferocieutis popnli impetum, primum hospitium vobis in carcere præparavit, quemadmodum Vester, nunc quoque vos antecedit; quod ut consummetur in vobis, assiduis orationibus Dominum deprecemur, ut initiis ad summa pergentibus, quos confiteri facit, faciat coronari. » Qua expressione clare ostendit munus, et muneris prærogativam, dum ait: *quemadmodum Vester nunc quoque vos antecedit,* nempe extra corcerem presbyterali munere eos serviens, in carcere positus antecedebat, et munere commissi ministerii, et opere, dum proprio exemplo ad fortiter martyrium consummandum gloriosa confessione hortator astabat. Quo sensu Celerinum presbyterum eodem munere donatum, dum etiam carceribus inclusus impigre in officio perseveraret obeundo, antistitem Dei appellat, quia nedum presbyterali eo munere fungebatur, verum et carcerum, et pœnarum socius erat (*in seq.*): *Et nunc super ipsos factus antistes Dei.* Tantæ necessitatis, dignitatisque putabatur hocce munus a Cypriano epistol. 37 ut scripserit Carthaginensi clero, dum ad diligendos aptos ministros pro sublevandis martyrum necessitatibus clerum hortatur, exoptare se officium exercere, ac proprio ministerio confessoribus adesse. « Quanquam sciam, fratres charissimi, litteris meis frequenter admonitos esse, ut gloriosa voce Dominum confessis, et in carcere constitutis omnis diligentia præbeatur; tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit iis, quibus ad gloriam nihil deest. Atque utinam loci, et gradus mei conditio permitteret, ut ipse nunc præsens esse possem: promptus, et libens solemni ministerio cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complerem: sed officium meum vestro diligentia repræsentet, et faciat omnia, quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei et virtutis illustravit divina dignatio. » Optabat sanctus antistes *solemni ministerio cuncta circa fortissimos martyres complere.* Itaque specialis horum presbyterorum cura, quam in tota epistola urget, et prosequitur S. Cyprianus erat adesse spiritualibus martyrum necessitatibus. Munera porro presbyteri martyrum, quæ ex Cypriano collegimus, cui hanc integram observationem ecclesiasticam debemus sequentia erant: primo prospicere martyrum saluti, et hortamentis. et sacrificiis. De priori sollicitudine supradictum est. De secundo solemni ministerio, ut caute ageretur advertit, ne invidia excitaretur persecutorum. Hanc porro adhibendam cautionem scribit clero: « Consulite ergo, et providete, ut cum temperamento hoc agi tutius possit: ita ut presbyteri quoque, qui illic apud confessores offerunt singuli cum singulis diaconis, per vices alternent: quia mutatio personarum, et vicissitudo convenientium minuit invidiam. » Secundo ut ministeria sciant provide præbere, dum discriminandi confessores, et qui coronandi, quique signo in corpore excepto evaserant gloriosi, et singulis hortamenta submistranda. Sic presbyteros martyrum admonendos clero Carthaginensi mandat (*epist.* 6): « Confessoribus etiam gloriosis impertiatur cura propensior; et quanquam sciam plurimos ex his fratrum voto et dilectione susceptos; tamen si qui sunt, qui vel vestitu, vel sumptu indigeant, sicut etiam pridem vobis scripseram, cum adhuc essent in carcere constituti, submistrarentur eis quæcunque sunt necessaria; modo ut scient ex vobis, ut instruantur, et discant, quid secundum Scripturarum magisterium ecclesiastica disciplina disposuit: humiles, et modestos, et quietos esse debere, ut honorem sui nominis servent, et qui gloriosi voce fuerint, sint et moribus gloriosi. » Præcepta, et distincta hortamenta præbenda a presbyteris martyrum confessoribus observat inquiens: *Gloriosis* (quo nomine veniebant confessores, qui signo, seu cicatrice ostentabant confessionis factæ indicia, quique ob stigmata, quæ circumferebant, propensiori sollicitudine honorandos decernat: quo nomine Cornelium pontificem, qui carcere stigmata hæc receperat, *gloriosum confessorem* sæpius indigitat S. Cyprianus, Novatianum vero suggillat. qui se gloriosum confessorem dictitabat *absque signo,* ut legere est in epistola Cornelii ad Cyprianum) *Gloriosis,* inquam, *confessoribus* ministranda præcepta, ut in incœptis perseverent: qui vero absque stigmate. sed sola confessione Christi carceres evaserunt et juxta Evangelium, et ecclesiasticam disciplinam presbyteris præcipit, eo monita dirigere, ne inflentur, sed in timore persistent, ostenditque *Scripturarum magisterio humiles, quietos, et modestos* eos esse oportere. Quorum præceptum in libris testimoniorum occurrunt saluberrima dicta a Cypriano collecta Monitum vocat ecclesiasticam disciplinam, contra quam Themistonem egisse

observavit Apollonius supra laudatus apud Euseb. l. v, c. 18: « Themsion speciosa avaritia obvelatus, qui confessionis signum non pertulit, sed magna pecuniæ vi erogata vincula abjecit, cum ob eam causam modestius deinceps, et submissius agere deberet, tanquam martyr sese offerens, » etc. Hinc tertium presbyteri martyrum occurrit officium ex spirituali cura descendens, quam martyribus præstabant, ut scriberent qui essent consummati martyres, qui gloriosi confessores, qui sola voce Christum confessi carcerem evaserant, ut singulis vel honores, vel reliqua hortamenta præberent. De quibus plures existunt epistolæ Cyprianicæ, et aliorum Patrum observationes. Talis erat Tertullus, de quo supra, qui a Cypriano electus universa martyrum gesta enucleabat. Quarto si persecutorum immanitas commeatum ad confessores interdicebat (de qua conqueritur Dionysius Alexandrinus scribens apud Euseb. l. vii, c. 11, pag. 261: « In hunc usque diem non cessat præfectus nostros, qui præsentiæ ipsius exhibentur, partim interficere crudelissime, partim tormentis dilaniare, partim squalore carceris, et vinculis macerare, interdicens, ne quis ad eos accedat, et perscrutans num quis videatur accedere »), tunc ne in carceribus detenti eo presbyterali ministerio destituerentur, ac necessario exhortationis subsidio, per epistolas clam immissas presbyteri martyrum eadem officia supplebant. Talis censenda est Tertulliani hortatio, seu liber ad martyres inscriptus, qui in ea circumstantia editus, videtur, ut in ipso opusculi limine satis intelligitur, dum sic rem aggreditur (*Lib.* ii, *ad Martyres*) : « Inter carnis alimenta benedicti martyres designati, quæ vobis, et domina mater Ecclesia de uberibus suis et singuli fratres de opibus suis propriis in carcerem subministrant, capite aliquid a nobis, quod faciat ad spiritum quoque educandum. » Quo loco exprimitur Ecclesiæ sollicitudo utraque, et subministrandi confessoribus alimenta, et acuendi spiritum, eorum præcipue qui proximiores erant certamini, quos consueto titulo Tertullianus designat : *Benedicti martyres designati.* Utriusque vero curam sic prosequitur expendere : *Carnem enim saginari, et spiritum esurire non prodest : imo si quid infirmum est, curetur ; æque quod infirmius est, negligi non debet. Non tantus ego sum, ut vos alloquar... Verumtamen ut gladiatores perfectissimos non tantum magistri, et præpositi sui, sed etiam idiotæ, et supervacue quisque adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint.* Tertullianus forsitan, ut presbyter Carthaginensis huic muneri incumbens, dum sæva persecutio in carcerem commeatum interdiceret, ne proximi ad pugnam necessario hortamento destituerentur, voluit a longinquo veluti gladiatoribus pugnantibus dictata suggesta dirigere. Quo zelo percitus Cyprianus, dum audiret Rogatianum martyrum presbyterum carceribus cum reliquis recludi, etsi commendatissimum illum haberet, cunctosque post primum certamen proxime ad martyrium consummandum ex judicis sententia coractari, voluit nihilominus per plures epistolas hortatorias, et Rogatianum, et reliquos hortari ad fortitudinem, et patientiam. Sic enim de epistolis conscriptis loquitur ad eosdem martyres (epist. 7) : « Et in primis vobis, fratres charissimi et fortissimi, litteras miseram, quibus fidei, et virtuti vestræ verbis exsultantibus gratularer... Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris nostri veram circa vos, et simplicem charitatem, ut qui adversarium prima hac congressione vicistis, gloriam vestram forti et perseveranti virtute teneatis... Danda opera, ut post hæc initia ad incrementa quoque veniant, et consummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus esse cœpistis. » Arctiorem custodiam, qua omnis cum martyribus commeatus erat interdictus, indigitatam invenimus, in actis martyrum forsitan ab ipsis presbyteris conscriptis; ibi namque legimus, vel *delicatam custodiam* sicuti in Vita S. Cypriani inquit Pontius, vel *diligentem custodiam*, ut Heraldus in Tertulliani apologeticum pag. 97, et Cujacius observant l. xiv, c. 16. Hinc si quandocunque parum remissum ab ea arctitudine, illico confluebant sacri ministri ad spiritualem ineundam collationem. Quo spectare videntur acta pag. 16. laudata SS. Perpetuæ et Felicitatis, cum Pudens carcerum præpositus ob virtutem earumdem paululum remisit ab angustia priori : « Post dies paucos Pudens miles optio præpositus carceris, qui nos magni faciebat, cœpit intelligere magnam virtutem esse in nobis, qui multos nos admittebat, ut et nos et illi refrigeraremur. » Equidem sollicitiorem curam incumbere debuisse presbyteris commeandi ad carceres docet S. Cyprianus (*epist.* 5), qui temperaturus zelum quorumdam, designatis martyribus suppetias ferre contendentium, ita clerum Carthaginensem admodum duxit : « Peto quoque ad procurandam quietem solertia et sollicitudo vestra non desinat. Et si fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum, et visitandos confessores bonos, quos illustravit jam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute hoc et non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum : ne ex hoc ipso invidia concitetur, et introeundi aditus denegetur, ut dum insatiabiles multum volumus, totum perdamus. » Quo benedictos martyres designatos vocavit Tertullianus *bonos confessores, quos illustravit jam gloriosis initiis divina dignatio.* His opponuntur qui falsi erant martyres, de quibus idem Tertullianus ad Scapul, c. 4 : *Viderint qui sectam mentiuntur, quos et ipsi recusamus.* Tandem presbyteri martyrum si in obeundo ministerio bene sese gerebant, ad altiorem gradum promovebantur. Numidicus presbyter, qui strenuam operam exhibuit, ad primum ordinem inter presbyteros Carthaginensis Ecclesiæ evehitur, jussu Cypriani, dum epist. 35 clero Carthaginensi scribit : « Admonitos vos, et instructos sciatis dignatione divina, ut Numidicus presbyter ascribatur presbyterorum Carthaginensium numero, et nobiscum sedeat in clero luce clarissima confessionis illustris, et virtutis, ac fidei honore sublimis, qui hortatu suo copiosum martyrum numerum lapidibus et flammis necatum ante se misit.... et promovebitur, cum Deus permiserit ad ampliorem locum. » Alius locus non restabat, nisi ut in episcopum promoveretur. Tanta a Cypriano habita hæc presbyteri martyrum sollicitudo. Anacleto itaque a Petro tribuitur primo hæc provincia, quam in humandis corporum sacris exuviis, et memoria erigenda adimplevit. Erat enim, et istiusmodi sollicitudo propria martyrum presbyteri, ut vel ipse, vel ipsius mandato, industria, aut cura martyrum corpore, ac dilaniata membra reconderentur in apto loco. De qua presbyteri sollicitudine hæc scribit Dionysius in epistola ad Domitium, et Didymum, cum de Ecclesiæ ministris agit, qui martyrum ministerio ab Ecclesia erant deputati, laudatque inter alios Eusebium ubi supra huic operi invigilantem. « Eusebius quem Deus jam inde ab initio roboravit, impulitque, ut confessoribus in custodia positiis (utique arcta, et cui accessus denegabatur) ministeria strenue exhiberet ; utque consummatorum ad beatorum martyrum cadavera non sine capitis sui periculo sepeliret. » Clerus Romanus sede vacante dum Ecclesiæ Carthaginensi scribit, apud S. Cypr. epist. 3, et recenset martyrum clericos ministros, hanc curam specialiter commendat his verbis : » Et quod maximum est corpora martyrum, aut cæterorum si non sepeliantur, grande periculum imminet eis, quibus incumbit hoc opus. Cujuscumque ergo vestrum quacunque occasione effectum fuerit hoc opus, certi sumus eum bonum servum æstimari. » Et S. Cyprianus (*epist.* 37) genera martyrum, quibus ea cura impendenda proponit : « Ut corporibus omnium, qui etsi torti non sunt, in carcere ta-

men glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur, et vigilantia, et cura propensior. » Et hæc de martyrum presbytero occasione Anacleti, quem antiqui catalogi proponunt, et commendant etiam ex eo quod presbyter a S. Petro constitutus, memoriam supra ejus sacras reliquias exstruxerit.

Linea 5.— *Seu alia loca, ubi episcopi reconderentur sepulturæ.* In secundo catalogo hæc perioche sic legitur: *Hic memoriam beati Petri construxit, et composuit, dum presbyter factus fuisset a beato Petro, ubi episcopi reconderentur.* Liber vero Pontificalis addidit illa verba, *seu alia loca*, ut designaret initia celeberrimi Vaticani cœmeterii, ubi exusta, et lacera priorum martyrum in Neroniana laniena corpora recondita fuere, ac simul pontificum. Loca vero hæc nedum ad corpora reservanda destinabantur, verum etiam ad sacros tempore persecutionis ineundos ecclesiasticos cœtus. Consuetudinis hujus meminit Tertullianus c. 3 ad Scapulam dum refert ferocientis populi clamores, qui obnitebatur omne jus sepulturæ Christianis adimere, prout ademit, et in pœnam sterilitate vexata fuit Africæ regio. « Doleamus necesse est, quod nulla civitas impune latura sit sanguinis nostri effusionem, cum de areis sepultarum nostrarum acclamassent: Areæ non sint: areæ ipsorum non fuerunt, messes enim suas non egerunt. » Hinc manavit mos apud alias principes sedes, ut ad apostoli reconditi vicinia episcopi successores reconderentur, quod testantur acta S. Petri Alexandrini ex editione Cambefisiana, dum de ejus obitu sic: « Peractis autem vir beatus precibus, osculatusque evangelistæ Marci sepulcrum, et illic cum illo positorum antistitum, reversus est ad tribunos: » Et mox: « Tollentes eum ad evangelistæ Marci sacræ ædis partem australem, ducunt in vallem in qua sita monumenta erant. » In his vero locis sacros cœtus congregari consuevisse docent laudata acta, dum referunt contentionem de loco sepulturæ corporis D. Petri, volentibus nonnullis ut cum aliis episcopis ad vicinia S. Marci reconderetur, aliis alibi. Priores volebant recondendum *ad apostoli Marci vicinia, ubi etiam conversatus fuerat.* Conversatio ista denotat locum ubi sanctus martyr sacrum agebat conventum. Perduravit usque ad Gregorii III tempora istiusmodi usus, ac inter clericos Romanos erat presbyter electus, ut incumberet pontificum sepulturæ. Talis erat Gregorius III, de quo liber Pontificalis, cum dixisset, quod per gradus « pervenit ad sacrum ordinem presbyteratus, » mox addit *(pag. 173)*: « Quem viri Romani, seu omnes populi a magno usque ad parvum.... subito eum, dum ejus decessor de hoc sæculo migrasset, dum ante feretrum in obsequio sui antecessori esset intentus, vi abstollentes in pontificatus ordinem elegerunt. »

BINII ET LABBEI.

Ex Bin. Linea 4. — *Hic memoriam beati Petri construxit, atque composuit.* Per memoriam beati Petri intellige quamdam ædificii structuram ab Anacleto, dum adhuc presbyter esset, in Vaticano exstructam, quam olim antiquitas usitatius ecclesiam nominare consuevit. Nam et Augustinus de Civit. Dei lib. xxii, c. 10: « Nos, inquit, martyribus nostris non templa, sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus. » Has merito Caius antiquus theologus, qui tempore Zephyrini pontificis claruit, teste Eusebio lib. iii Histor., c. 24, *Trophæa* appelat.

Ex Lab. Linea 7. — *Ordinationes duas.* Juxta Platinam, unam.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Anacletum a Cleto decessore distinguendum esse, quos confuderant aliquot antiqui scriptores etiam ex Patribus, nominis affinitate permoti (non secus ac Eusebius ex Marcellino, et Marcello unicum conflavit pontificem) pervicit, Schelestratius Antiquit. illustr. dissert. ii, cap. 2, ostendens id valide comprobari ex Romanæ Ecclesiæ documentis; cum patria, parentes, epochæ utriusque sedis, et martyrii sint admodum diversæ: uti constare potest ex consulibus utrique assignatis apud omnes catalogos, et libros Lectionarios, mirifice in iis consentientes, etiamsi codices illi differant in numero annorum, mensium ac dierum, iisdem pontifibus attributo. Cum itaque omnium codicum tanta concordia sit in primo, ac postremo consulatu sedis Anacleti, nempe ex decimo Domitiani collega Sabino (Christi 84) ad Domitiani decimum septimum collega Clemente (Christi 95); et cum Cleti martyrium consignetur die 26 Aprilis Domitiano IX et Rufo coss. (Christi 83), Anacleti vero die 13 Julii Domitiano xvii et Clemente coss. (Christi 95); consequitur, ut hisce ex testimoniis numeri annorum, vitiati a descriptoribus, et variantes, redigantur ad veram lectionem, assignatis consulibus respondentem. Erat annus martyrii S. Cleti signatus coss. Domitiano IX et Rufo (Christi 83): dies vero 26 Aprilis. Inde ad diem 26 Aprilis Christi epochæ 95, Domitiano et Clemente coss. numerantur anni solidi 12: et ad proximos consules Valentem et Veterem, æræ Christi 96 attributos, et primos ex Evaristo assignatis, prædicta die 26 Aprilis claudit annos solidos 13. Tum a die 26 Aprilis ad diem 13 Julii martyrio Anacleti notatum consequuntur menses duo, et dies 17. Ex ea summa annorum 13, mensium 2, ac dierum 17, demptis annis 12, mensibus 10, diebus 7, qui sedi Anacleti assignantur tum in picturis basilicæ S. Pauli, tum in vetustissimis catalogis, ætate Liberii ac Felicis quarti collectis quatriduo tantum ab ea summa discrepantibus; reliqui sunt menses 4, et dies 10, tribuendi vacationi sedis inter martyrium Cleti et pontificalem ordinationem Anacleti, incidentem juxta hujusmodi computationem in diem Dominicam 7 Septembris anni 83. Nam inde si cœperis numerare summam annorum 12, mensium 10, et dierum 7, quos exhibent in Anacleto picturæ S. Pauli, martyrium Anacleti pariabitur cum die 13 Julii, qua colitur, et cum anno Christi 96, Valente et Vetere coss., Evaristi primo in Catalogis constituto.

Causa vacationis tam diuturnæ, ad quadrimestre spatium extensæ, satis probabilis reddi potest, si Ecclesiæ Romanæ constitutio perpendatur per ea tempora, quæ martyrem effecerant Cletum, et præcipuorum virorum Cleto superstitum conditio, ac gesta animo repetantur. Martyrium subeunte Cleto, in vivis agebat B. Clemens, quem supra vidimus se abdicasse pontificatu Romano, per novennium a se gesto post decessum Lini, et ex Hieronymo aliisque Patribus constat, ad tertium annum Trajani vitam produxisse. Tam Græci, quam Latini tradunt Clementis exsilium trans mare Ponticum circa Chersonam. Inde autem suppetias tulisse laboribus et discriminibus Ecclesiæ, ejusdem opem, et consilia implorantis, etiamsi regimen universarum cum pontificatu Romano jam dimisisset, comprobat epistola Clementis ad Corinthios scripta Ecclesiæ Romanæ nomine: quam Vendelinus (edit. Cotelerii tomo I, fol. 139, col. 2) datam judicat fervente persecutione Domitiani, anno Christi 95, octodecim annis post dimissionem maximi pontificatus, sponte depositi, ne concepta ethnicorum odia in pastorem, eorumdem rabiem ac sævitiam accenderent in gregis universi perniciem. Cum igitur decedente Cleto tanta esset existimatio Clementis in Ecclesia Romana, pastore viduata, quæ duos a Petro apostolo

consecratos episcopos Linum et Cletum martyrio absumptos videbat, tertiumque superstitem Clementem ab eodem apostolorum Principe pariter initiatum, imo et successorem sibi destinatum, ab experto per novennium regimine se abdicasse ægre ferebat; credibile est nullius successoris ad electionem procedere voluisse, nisi tentaret prius num flecti Clemens pateretur ad hujus Ecclesiæ cathedram iterum conscendendam. Multo autem ægrius consensurus fuisset quisquis eligeretur constante Clementis vita, ejusdem animo non explorato, aut certe non exspectato consilio, et adhortatione ipsius Clementis (quando is in abdicatione persisteret), quibus confirmaretur novus electus ad subeundum onus maximi sacerdotii. His vero nuntiis ultro citroque perferendis, sive trans mare Ponticum jam tum Clemens ageret, sivealiis peregrinationibus apostolici muneris distineretur (certe ab Urbe dissitis, constante causa se subtrahendi a vicinia sedis Romanæ, quam supra attigimus), quadrimestre spatium videri non debet mora diuturnior quam necessitas ferat.

Ab hac vero constantia in recusando removeri non debuit Clemens in morte Cleti (anno 83) cum eædem causæ sub Domitiano tunc imperante vigerent, quæ sub imperio Vespasiani patris illum adegerant ad exsulandum anno æræ Christi 76, atque ad abdicandum se ab honore summi pontificatus. Dixeram in notis chronologicis ad Vitam S. Clementis, num. 7, propugnationem nostrorum dogmatum et vaticiniorum Christo Domino prænuntiantium principatum pacis, quem assentatio servilis Judæorum atque ethnicorum Vespasiano aptare studuerat, cum pacis templum dedicaret anno 76 æræ Christianæ, dedisse ansam Clementi non solum voce, sed etiam scriptis vindicandi oracula fidei Christianæ: eoque nomine odium incurrisse assentatorum, atriensium ejusdem principis, quasi maledicta conscriberet in imperatorem, quem divinis honoribus non prosequebatur, sed longe diversum affirmabat a pacis principe per Isaiam indicato. Id vero in secunda quam vulgo dicunt Clementis epistola, quam priorem esse habendam Vendelinus probavit (editus a Cotelerio tomo I, pag. 140, col. 2, cum utraque Epistola G L.) et memoratam a Dionysio Corinthiorum episcopo apud Eusebium lib. IV, cap. 23, reperit laudatus Vendelinus, ita nos admonens de attenta Clementis cura in advertendis fidelibus a fœda assentatione Cæsaris, et confirmandis in confessione fidei, principatum pacis cum Isaia tribuentis non mortali cuipiam nihil supra hominem gestanti, sed homini Deo Christo Domino, divinam humanamque naturam in se uno admirabiliter complexo. De tempore enim conscriptæ epistolæ agens ita pronuntiat. « Tempus quoque insinuat pacatissimum, nullis in Ecclesiam periculis turbidum, tantoque magis ad charitatem mutuam, fovendamque pacem hortatoriam. Ad quam (pacem) obtinendam non oporteat inveniri hominem, qui eam largiatur, sed Deum scilicet. Quibus verbis, vel ego fallor, vel innuitur Vespasianus imperator, qui anno nostro 75 festo suo consulatu templum pacis, æternæ, omnium toto orbe pulcherrimum dedicavit; semet existimans illum principem pacis, patrem futuri sæculi, prænuntiati apud Isaiam, cujus imperii non foret finis. Non hunc ergo mortalem hominem, sed Deum inveniri debere monet Clemens, qui æternam pacem suis largitus sit. Tanto ergo epistola hæc prior illa, quæ post 20 demum annos missa fuit Corinthum. » Hæc Vendelinus, referens hanc epistolam vulgo dictam secundam, re autem vera priorem Clementis ad Corinthios ad annum 75, alteram vero a Clemente scriptam ad eosdem Corinthios non suo, sed Ecclesiæ Romanæ nomine, ad annum 95 æræ Christi communis.

Pacatissimam quod dixit tempus, nullisque in Ecclesiam periculis turbidum prius illud sub Vespa*siano principe anno 75 epochæ Christianæ quo epi*stola memorata conscripta fuit, paulo post turbulentum evasit tum Christianis, tum philosophis et sophistis, uti explicavi superius in notis chronologicis ad Vitam Clementis numero 7. Christianis quidem ob principatum pacis Christo Deo assertum, uti Vendelinus in epistola Clementis deprehendit; philosophis vero ac sophistis ob maledicta in principem jactata a nonnullis, quorum causa, omnes tum sontes tum insontes ex Urbe excedere jussi sunt, pertinacium vero ex numero Hostillus ac Demetrius in insulas relegari, Diogenes virgis cæsus, Eras capite plexus, uti ex historicis Græcis ac Latinis ibidem retuli.

Illæ igitur causæ asserti principatus pacis Christo Domino, quæ suspicionem novarum rerum excitare poterant sub Vespasiano principe in supremo hierarcha Ecclesiæ Clemente, si in urbe perstitisset, eumque providenter impulisse credimus ad exsulandum, et ad abdicandum a se primatum cathedræ quem gerebat, non segnius urgebant sub Domitiano, ut oblatum honorem successionis post mortem Cleti constanter recusaret. Quis enim dubitat perinde excitatum iri rumorem, aut opinionem affectati imperii a tanto religionis nostræ duce, et antesignano Clemente, si primus inter episcopos, et participes regalis sacerdotii Christi iterum haberetur, dum Flaviæ gentis liberi superessent, quibus æternitas imperii, et principatus pacis in Urbe cæterarum domina publica assentatione deferebatur? præsertim cum Domitiani ambitio supra paternam adeo excrevisset, ut Deus ac Dominus inscribi passim et haberi vellet: fortasse ne quidpiam sibi deesse vulgus crederet, quo minus hæres paternæ conditionis, et principatus pacis Quiritibus appareret.

Ne igitur odia intempestiva in universum fidelium cœtum urbanum præsentia Clementis revocaret sub Domitiano, quæ declinaverat, ac suppresserat lege exsilii suscepta, ac dimissione voluntaria maximi sacerdotii sub Vespasiano, satius duxerit abstinere a regressu in Urbem, et a cathedra jam relicta: atque satius ducens apostolici episcopi munere fungi ultra solitudines Ponti, auctor Romanis clericis fuerit, ut ad liberam electionem procederent successoris Cleti, quemadmodum hi præstiterunt, evecto ad sedem Petri Anacleto. Notarunt pridem indicia hujusmodi providentiæ, ac dilectionis in Clementis epistola ad Corinthios data Ecclesiæ Romanæ nomine viri eruditi: quæ detegunt animi sensus præferentes voluntarium exsilium, quando immineret periculum turbarum, unius præsentiæ causa excitandarum. *Si propter me,* inquit, *seditio, contentio, et schismata orta sunt, emigrabo, abibo, quocunque volueritis:* sive ut Epiphanius refert in hæresi Carpocratianorum 27, cap. 6, quando memorat abdicationem Clementis, *Secedo, abeo, bene stabiliatur populus Dei:* quæ verba in commentariis quibusdam a se reperta asserit, adnotante Vendelino pag. 139, col. 2 edit. Cotolerii, et habentur etiam in Græca editione anni 1544, fol. 51, Ἀναχωρῶ, ἄπειμι, εὐσταθήτω ὁ λαὸς τοῦ Θεοῦ· et aptius respondent occasioni supra indicatæ abstinendi a pontificatu maximo, et abcedendi ab urbe Roma, ne toti Ecclesiæ discrimen, et persecutio immineret ex unius præsulis dignitate resumpta, qua volens lubensque paucos ante annos se exemerat, *ut bene stabiliretur populus Dei.*

Cætera reservamus notis historicis. Hæc autem ut delibaremus in chronologicis suasit necessitas definiendi tempora istorum pontificum: quæ in Anacleto ita videntur assignanda.

Martyrii coronam adepto Cleto die 26 Aprilis anno 83, Domitiano IX et Rufo coss. sedes vacavit mensibus quatuor, ac diebus decem (qui ex summa duplici in principio notarum hic collata resultant): scilicet usque ad diem 6 Septembris, dum Clementis exsulis sententia exploratur, an iterato velit cum pontificatu Romano totius Ecclesiæ clavum capessere, licet antea abdicasset. Clemente constanter recusante ab Urbem reverti, et Petri cathedram

iterato conscendere, ne scilicet occasio daretur ethnicis Christianum populum persequendi tanquam factiosum, si contra legem exsilii ab imperatoribus prolatam in Clementem fama notum, et scriptis suis celebrem, eumdem revocarent in patriam, ac principem sacerdotii denuo constituerent. Romanus itaque pontifex eligitur Anacletus die 6 Septembris Sabbato : et die proxima 7 Septembris Dominica consecratur episcopus eodem anno 83. Primum vero Pascha sui pontificatus celebrat anno 84. Domitiano X et Sabino coss. Sedet ex die Dominica 7 Septembris anni 83 ad diem 13 Julii anni 96, Valente et Vetere consulibus, successoris initio tributis ex causa ad initium illius notarum afferenda. Ita enim fit, ut ejusdem pontificatus constet per annos 12 menses 10 ac dies 7. Anacleto attributos tum in picturis basilicæ S. Pauli, tum in vetustissimis catalogis ætatis Liberii ac Felicis quarti, tum in pluribus Colbertinis supra editis inter Prolegomena. Qua autem de causa postremi consules assignati sint Anacleto *Domitianus* XVII *et Sabinus,* respondentes æræ Christi 95, et cum his consonet annorum 11 numerus, in quatuor catalogis ex codicibus Italiæ *Bergomensi, Cavensi, Farfensi, et Lucensi* ejusdem sedi attributus, exponam loco indicato, scilicet sub initium notarum afferendarum in Evaristo.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Temporibus Domitiani, a consulatu Domitiani decimo,* etc. In notis chronologicis plura delibavi ex historia tum Clementis, tum Anacleti. Inter fabulas fortasse rejicient ii, qui Pearsonium ac Doduellium sequuntur : derogantes fidem tum Græcis, tum Latinis scriptoribus Historiæ pontificalis : et asserentes se propius sequi vestigia veritatis, quæ offendisse autumant apud auctorem prorsus incognitum : ex quo hausta fuisse non dubitant ea quæ Eutychius scriptor Alexandrinus decimi sæculi suis in Annalibus digessit de Romanorum pontificum epochis et successione. Hac autem ratione permoveri profitentur, quod videant Eutychiana asserta « maxime conspirare suis cum observationibus, ex historiæ monumentis magno labore, ac diligentia deductis, sine duce, sine comite, » ut ingenue fatetur Pearsonius dissert. 1, *de successione primorum Romæ episcoporum in genere ;* licet in judicio ferendo de Annalibus Eutychii affirmet se non valde dissentire a sententia Labbæi, et eruditorum, eosdem putant *vix unius assis habendos* ubi dissentiunt a probatis auctoribus Græcis ac Latinis.

Quæ ita affecta sunt ingenia, ut a scriptore decimi sæculi, quem *supponunt ab auctore antiquo, sibi nobisque prorsus incognito,* descripsisse illa quæ ediderit, affirment tuto repeti posse, ac debere rationes temporum, et gestorum, a Græcis ac Latinis omnibus historiæ, et Chronologiæ ecclesiasticæ scriptoribus dissentientes, ea, inquam, ingenia, quæ ita affecta sunt, valde non moror, si velint fabulis accensere universa hæc, quæ ducibus et comitibus Græcis ac Latinis colligere nos sategimus. Pearsonio ipso judice adduci deberent ad diffidendum de Eutychii laboribus, ac de suis. Neque enim tanti hos habuit Cestriensis, ut suas dissertationes constante vita in publicum produxerit, imo nec perfecerit quidem. *Imperfectum* enim opus editores fatentur in epistola nuncupatoria: qui tamen subdunt *suis tandem numeris absolutum* ab amico decedentis Doduello, dum posthumum ederetur. Habeant igitur sibi editores integram laudem quam nemo illis invideat (fortasse nec ipse Doduellus) ; si laus est jactare. se veritatis vestigia premere in Historia et chronologia sine comite, sine duce, facem præferente tum Ægyptio scriptori Eutychio, tum sectatoribus, ad res Romanæ Ecclesiæ pervadendas, supposito auctore, nullique cognito, vel de nomine. Arbitror cordatos quosque lectores libentius secuturos vestigia Eutychii et Pearsonii, vel ipsius editorum, ut *nota per monumenta Romana,* et certis auctoribus ducatum atque comitatum præstantibus, atque indicantibus *non minus vetusta quam genuina documenta, eaque proximis ætate, loco, officio scriptoribus insignita, et communita,* veritatem historicam et chronologicam consectentur. Satis infirmantur Pearsonii ac Doduelli cogitata ex eorumdem testimoniis, ita claudentibus indicatam dissertationem primam cap. 14, numeris 3 et 4. Pearsonii verba integra recitabo : ut prudentia lectoris judicet, num ea quæ de Chronotaxi pontificia per nostram methodum colliguntur, subverti possint ab incertis documentis et auctoribus, unde Eutychius *scriptor nihili habendus* omnium eruditorum suffragio supponitur sua consarcinasse ex alterius centonibus, quem nemo indicat, neque ubi aut quando præcesserit.

« *Cum autem* (inquit Pearsonius pag. 140 editionis Londini 1688) ego vulgarem Romanorum pontificum præcipue priorum Chronologiam valde suspectam haberem, eamque ad veritatem Historiæ ecclesiasticæ reformandam esse censerem, idque aliquo modo propria industria præstitisse me putarem : vidi Annales Eutychii aliam priorum pontificum Chronotaxim, et tum a Latinis, tum a Græcis insigniter discrepantem exhibuisse : et quod mihi mirum videbatur ; cum observationibus meis, ex historiæ monumentis, magno labore et diligentia, sine duce, sine comite deductis, maxime conspirantem. Unde sua hauserit Eutychius sane nescio : ab antiquiore aliquo nobis prorsus incognito ea sine dubio habuit, qui annos pontificum cum annis imperatorum ad modum Chronici Eusebiani contexuerat, sed cum maximo ab ipso discrimine, tum in initio pontificatus Lini, tum in annis Anacleti, ex quibus male dispositis reliqui errores apud Eusebium præcipui dimanasse videantur.

« Haud equidem ignoro, quid hactenus viri docti de Annalibus Eutychianus senserint, eorumque judicium video ex Labbæo recte percipi posse, qui ad calcem concilii Antiocheni hæc liberrime, ut solet, adnotat. « Tam crassi porro tamque frequentes in rebus præsertim chronologicis errores Eutychianorum Annalium hoc apud eruditos lectores effecerunt, ut vix unius assis æstimentur, cum ab Socrate, Sozomeno, Evagrio, aliisque probatis Græcis Latinisque scriptoribus dissentiunt. » Neque ego ab hac sententia multum dissentio. Ut enim in vindiciis Ignatianis late ostendi, erat hic Batricides veteris historiæ valde ignarus, neque cum priorum sæculorum scriptoribus ipse decimi sæculi scriptor conferendus. Sed non dubito quin auctorem vetustiorem aliquem in chronologicis habuerit, quem secutus est. Hujus itaque vestigia eruenda, et in iis temporibus tantummodo premenda esse censui ; quorum neque Græcorum veterum, neque Latinorum quisquam satis certam notitiam habuisse deprehenditur. In summa, hujus Eutychii auctoritate haud leviter confirmatus, sed observationibus nostris ex historia veteri ecclesiastica petitis præcipue fretus, prioribus Romæ episcopis annos suos, eo qui sequitur modo, in posteriori dissertatione tribuendos esse putavi. »

Paucis, ut spero, lectoribus suadebunt editores posthumi operis Pearsoniani. per divinationes hujusmodi, ex fonte supposito in Arabum libros, et ad Eutychium derivatas, subverti posse documenta Ecclesiæ Romanæ, ab exordio suo consignantis non tantum in Actis martyrum, et commentariis notariorum, sed frequenter etiam in lapidibus cœmeteriorum diem, et consulatum depositionis martyrum ac fidelium : quæ documenta inde transcripta et relata in diptycha catalogos et in series pontificum depictas a quarto Christi sæculo ad subsequentia tuentur in præcipuis basilicis Chronotaxim pontificiam, per nos sub certis ducibus, certisque comitibus uniuscujusque ætatis collectam. Ubi vero constiterit, non hariolari Hieronymum quando Clemen-

tis vitam producit ad annum tertium Trajani, neque Epiphanium nobis illudere, quando indicat abdicationem Clementis in antiquis codicibus a se repertam, neque canonem missæ, aut martyrologia confingere Cletum et Anacletum pontifices distinctos, sed desipere Joanem Thane, editorem præcipuum operis posthumi Pearsoniani ac Doduelliani, quando in nuncupatoria epistola suis assentatus, et jactans *veritatem a Petri cathedra jam diu depulsam confugere ad sedem Cantuariencem,* imperfecta Pearsonii suis numeris absoluta deprædicat a Doduello, et cum his rejiciens inter fabulas documenta veterum, consignantia distinctis consulibus initia ac terminos Cleti et Anacleti, totum vicennium eorumdem regiminis coarctat intra biennium, ex auctore, ipsis perinde ac cæteris ignoto ac supposito Eutychii præcentore ; causa quoque cadent recentes hi defensores Arabicæ ac Eutychianæ chronologiæ, doctis quibusque viris cum Labbæo nihili habendæ : qui ad dissipanda tempora memoratorum pontificum ita animantur, et ad Clementis annos minuendos procedunt, ejusque exsilium, gesta, martyrium cum fabellis exsufflandum putant ; ut disciplinam et instituta nascentis Ecclesiæ de sacris præsertim virginibus convellant. Suo se jaculo satis conficiunt, cum fundamenta ita infirma proferunt propriæ sententiæ. Ad oblitterandas enim notas, et obelos suopte ingenio ita infixos annis, et consulatibus, spongiam ipsimet ministrant in postrema parte dissertationis primæ, quam recitavi.

At inquiunt in catalago Bucheriano quatuor ex primis pontificibus hoc ordine recensentur : *Linus, Clemens, Cletus, Anacletus.* In catalogo posteriore, et in libro Pontificali, *Linus, Cletus, Clemens, Anacletus..* Apud Pseudo-Tertullianum, *Linus, Cletus, Anacletus, Clemens.*

Quando hæc objiciunt, primum gratulor nostræ Chronologiæ, quod hæc documenta longe vetustiora Eutychianis, non secus ac picturæ S. Pauli, Cletum ab Anacleto distinctum recognoscant, a Pearsoniana et Doduelliana confusos in uno Anacleto. Deinde lætor, quod ordinent diversimode hanc primam tetradem pontificum Romanorum. Causa enim diversitatis si requiratur, illa manifestabit satis perspicue duplex testimonium antiquitatis, unde catalogi confirmantur ; unum scilicet sacrorum diptychorum, seu canonis missæ, in quo nomina apponebantur juxta epocham martyrii morte consummati ; alterum vero seriei et successionis pontificum, dispositæ in annalibus libris, sive in Elenchis pontificalibus juxta ordinem electionis et initiationis. Catalogus Bucherianus hanc posteriorem manifestat, uti perspicuum fit ex consulibus per universos catalogos attributis : unde colligitur electum fuisse Clementem post mortem Lini. Canon missæ et posterior catalogus (qui videtur respexisse ad eumdem canonem, et ad indiculos seu diptycha martyrum) Lino et Cleto pro Christo occisis ante Clementem, serius martyrio coronatum, hunc ipsum postposuit. Pseudo Tertullianus etiam Anacletum, Clementi præmisit, eadem, ut reor, ex causa : licet catalogus secundus postponat et plerique omnes non satis certi de triennio inter utriusque martyrium computando. Canon vero missæ non memorat Anacletum, sed a Clemente unum tantummodo. et alterum per singula sæcula enuntiat ex successoribus, eo consilio, quod mox aperiam. Summis pontificibus constitutum non fuit, dum canonem ordinarent, universa nomina decessorum percensere, qui martyrium fecissent, ut justæ brevitati consulerent : quam consuetudinem nostra etiam ætate retinendam censent tum in canone missæ tum in publicis precibus, quas litanias appellamus, ubi non universa nomina sanctorum, sed in singulis classibus pauca tantummodo recitantur. Contenti igitur fuerunt in canonis ordinatione tam in precibus *infra actionem* dictis (alii malunt *intra actionem*) quam in proximis a consecratione, post illos tres a Petro apostolo initiatos, unicum e singulis duobus consequentibus sæculis nominatim recensere. Ita Xystus e secundo, Cornelius e tertio Christi sæculo seliguntur ante consecrationem. Post consecrattonem vero Alexander e secundo, Marcellinus e tertio exprimendi assumuntur : neque alius apponitur, neque ille Telesphorus, quem tamen Doduellus ita non dubitat martyrem fuisse ; ut affirmet *hunc ipsum esse, quem primum inter episcopos Romanos legerit apud veteres scriptores gloriosum martyrium subiisse.* Par est credere, nostros antistites imitari voluisse exempla sacrorum codicum, præsertim libri Ecclesiastici : cujus auctori cum propositum fuisset cap. 44 laudare viros gloriosos parentes suos, licet posset quamplures sanctitate et gestis illustres enumerare, selegit e singulis classibus, vel paucos, vel singulos, nempe e patriarchis antediluvianis Henoch, ex Abrahamitidis Isaac, e judicibus Josue, atque ita e classibus cæteris prophetarum, pontificum, regum. Hoc itaque exemplum imitati nostri Canonis conditores ; delibatis per singula sæcula paucis nominibus, maluerunt complecti reliquos martyres, et sanctorum universitatem generis vocabulo, *omnium* scilicet *sanctorum* appellatione communi : satis consultum fore arbitrati successioni pontificum et martyrum in Ecclesia perstringendæ per illa priora a Christo sæcula quibus canon adornabatur ; si ab unoquoque sæculo post apostolicum singuli nominatim efferendi ex prædictis classibus legerentur. Litem itaque nobis intentare desinant super diverso numero et ordine nominum, qui in catalogis et in canone deprehenditur, cum ambo illa ita respondeant instituto diverso utriusque libri, prout e gestis pontificalibus petebantur epochæ electionis et consecrationis, aut e diptychis martyrum ordo, et æra mortis ac depositionis : observante etiam card. Bellarmino lib. II de Missa, cap. 26, martyres in canone recenseri juxta ordinem passionis, non dignitatis ; cum Stephanus diaconus præponatur apostolo Matthiæ.

Obiter hic adnotabo, ut removeam objecta, in opere posthumo Pearsonii promota contra epochas et gesta Clementis, aliorumque pontificum proximorum, quando illa apud scriptores, Irenæo et Cypriano æquales, vel Eusebianæ saltem ætatis, non reperiuntur. menimerint velim subtiles isti indagatores historiæ et chronologiæ, in censu veterum documentorum Historiæ ecclesiasticæ, præsertim Romanæ complura haberi oportere, quæ nec Eusebius vidit, neque Ignatio, Irenæo, Clementi Alexandrino, Tertulliano, aliisve scriptoribus eorumdem ætatis, aut Eusebianæ attingere necesse fuit ; cum non scriberent historiam Romanæ sedis antistitum, sed libros didacticos et apologeticos. Documenta historica Ecclesiæ Romanæ martyrum sanguine consignata spectantur adhuc in tabulis marmoreis occludentibus eorumdem loculos et non semel declarantibus per consules annum, et per reliquas notas mensem, ac diem depositionis plurimorum etiam fidelium cum martyribus quiescentium, in titulis urbanis, et suburbanis cryptis : ubi non tantum recitabantur acta, et passiones Martyrum exceptæ a septem notariis per Clementem institutis, sed etiam quotannis cum sacrificio et precibus, a cœtu fidelium frequentabantur in memoriam eorumdem martyrum, eadem die coronatorum, eodemque loco depositorum. *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus :* scripsit Tertullianus in libro de Corona militis : et clarius etiam Cyprianus lib. III epist. 6, ad presbyteros et diaconos suos data, quæ est 37 editionis Pamelii. « Dies eorum (pro Christo coronatorum martyrio) quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus : quanquam Tertullus fidelissimus, et devotissimus frater noster pro cætera sollicitudine, et cura sua, quam fratribus in omni

o operationis impendit (qui nec illi circa cu- A
porum deest) scripserit, et scribat, ac signi-
ini dies, quibus in carcere beati fratres
id immortalitatem gloriosæ mortis exitu
it, et celebrentur hic a nobis oblationes, et
a ad commemorationes eorum, quæ cito vo-
Domino protegente, celebrabimus. » Indicavi
m numero 18 præfationis in primum tomum
ii; quam præfationem si lector adire velit,
numero, tum consequentibus ad 32, perci-
am injuste rejiciant critici severiores, Do-
ac Pearsonius, chronologiam, martyria et
omplura priorum pontificum Romanorum,
i catalogos quarti sæculi ex documentis in-
Romanæ Ecclesiæ, licet ea non memorentur
isebium, vel apud Scriptores Eusebio anti-
; cum ipsemet Episcopus Cæsariensis optime
non fuisse universa perscripta ab Hegesippo,
æo, a Clemente Alexandrino, aliisque : et
lectorem moneat, a Romanis titulis, ac cœ- B
i complura, a scriptoribus, vel districta levi-
prætermissa, colligi et comprobari ita scri-
. II hist. Eccl. cap. 25: « Ac Paulus quidem
apite truncatus, Petrus vero crucifixus fuisse
Nerone) regnante traduntur. Quam quidam
inem abunde confirmant Petri Paulique no-
isignita monumenta, quæ in urbis Romæ
riis etiamnum visuntur. » Ostendit quoque
obandi methodum placuisse Caio, viro catho-
versus Proculum Cataphrygarum patronum
ti sub pontifice Zephyrino; cum diceret:
'ero apostolorum tropæa possum ostendere.
ve in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam
libet, occurrent tibi tropæa eorum qui ec-
illam fundaverunt. »

re itaque nostro utimur, si Romanorum
um tempora, gesta, martyria, a notariis Ec-
nandata litteris, incisa marmoribus et locula- C
martyrum affixa una cum sanguine quem
int, ut testis locuples est Prudentius, malu-
petere a nostris tabulariis, diptychis, eorto-
catalogis, basilicis, titulis, ætate proxima ab
æ gerebantur fundatis, ornatis, depictis pu-
ra; quam expiscari ab Eutychio Alexandrino,
sæculi scriptore, secuto nescio quem vetu-
, suppositum a Pearsonio, ac Doduello,
ique rationibus contra Græcorum ac Latino-
nnium calculos respondentem. Neque aliter,
facturum fuisse constat Hegesippum, Clemen-
exandrinum, atque Eusebium: quorum in
s cum tradantur facta complura unici viri
nio comprobata quem apostolicæ ætati proxi-
udivissent, aut legerent (qualia de Joanne
o habet Eusebius Hist. Eccl. lib. III, cap. 23
necnon de aliis apostolis eodem libro cap. 30,
eone cap. 32, hisque similibus) multo lu-
s admississet illa, quæ testimonio cœtus
æ in publicis ejusdem tabulis describe- D

inquiunt, recitantur publica auctoritate le-
variatæ postremis curis sæculo superiori,
Trajani, aut Adriani nomina, ac tempora
pontificibus apposita in superioris ætatis
ous, expuncta et permutata sunt in recentio-
Hoc ipsum vero comprobat, curam in Romana
a nunquam dimissam castigandi posteriora
la codicum ad fidem autographi, aut vetustio-
ejusdem archivis custoditi et comparandi
criptis, ac traditionibus ævi apostolici, ac
iorum documentorum. Nam errores amanuen-
ac descriptorum prævertere, aut impedire
i datum est: recognoscere vero, atque emen-
ic restituere germanæ lectioni ad ejus diligen-
pertinet: quam nos consectamur, labore non
o vetustiora hujus Ecclesiæ monumenta con-
es, et publica auctoritate proposita, juxta

regulas supra constitutas in opusculo 11 capite 2.

8. Discussis opinionibus præjudicatis Pearsonii, Doduelli, eorumque editoris, convertor ad Anacleti tempora, et historiam comprobandam ex ipso Eusebio, qui libro III, cap. 15, scribit : « Anno ejusdem imperii (Domitiani) duodecimo, Anencletus, exactis in Episcopatu annis duodecim, successorem reliquit Clementem. » Duo affirmat : primum est, duodennalem episcopatum Anacleti pariari cum duodecennio Domitiani ; alterum est, Anacleto successisse Clementem in episcopatu Romano, anno 12 Domitiani. Secundum hoc negamus : primum illud admittimus, sed paulo aliter ac statuat Eusebius. Nam cum catalogis, et cum picturis basilicæ Paulinæ tribuimus Anacleto sedis Romanæ annos 12, et præterea menses decem, et quidem sub imperio Domitiani in quo consentientem habemus Eusebium. Hic tamen pariat primum imperii Domitiani, qui fuit æræ Christianæ 82, cum primo episcopatus Anacleti; nos vero initium Anacleti componimus cum tertio imperii Domitiani, qui fuit annus æræ Christi 84, a qua parte assertionis nostræ dissentit Eusebius. Hujus tamen historici lapsum ex consulum nominibus perperam ab eo intellectis, sed recte consignatis apud nostrorum Latinorum catalogos, ita detegendum putamus. Uterque annus 82 et 84 Domitiani primus, ac tertius signatur consulibus ordinariis *Domitiano et Sabino* ; nam anno 82 aperuerunt Kalendas Januarii *Domitianus VIII et Titus Flavius Sabinus* : qui consules leguntur in lapidibus vetustis apud Panvinium, in Fastis, et apud Gruterum fol. 68 n. 1, et anno 84 Kalendis Januarii processerunt *Domitianus X et T. Aurelius Sabinus*, in antiqua inscriptione legendi apud Almeloveen in sua præfatione ad Fastos num. 14. Exegit quidem juxta Eusebium ac nostros Latinos Anacletus pontifex annuos duodecim (et quidem solidos) sub imperio Domitiani ; quorum primus incidit in consules Domitianum et Sabinum. Sed consulatus ab Eusebio assumptus fuit Domitiani VIII cum priori Sabino ex gente Flavia Christi 82 ; in nostris vero catalogis consulatus Domitiani X cum altero Sabino ex gente Aurelia Christi 84 is est qui attribuitur primo Paschati sub Anacleto : biennii differentia intercedente, eaque suborta ex similitudine nominum utriusque consulis, ita indicati in Fastis anonymi Bucheriani apud Norisium, videndis post epochas Syromacedonum.

Anni Urbis	Anni Cycli	Kal. Jan. Feria	Ætas Lunæ	Anni Chr.
835	37 *Domitiano VI et Sabino*	Mart.	IX.	82
836	38 Domitiano IX et Rufo	Merc.	XXI	83
837	39 B *Domitiano X et Sabino*	Jov.	II.	84

Imposuisse autem Eusebio homonymiam consulum per anachronismum biennii colligimus ex documentis Romanis, tribuentibus in catalogo Liberiano consules postremos Cleto papæ Domitianum IX et Rufum Christi 83 imperii Domitiani secundum : quos proxime excipiunt Domitianus X et Sabinus, nostris in catalogis assignati exordio Anacleti, anno tertio labente imperii Domitiani : cujus consulatus VIII cum Sabino cum sit primus imperii, subsequi nunquam potest tertium imperii signatum coss. eodem *imperatore Domitiano* X *et Sabino*.

9. Asserto igitur exordio Anacleti die VII Septembris anni 83 (uti supra explicatum fuit in notis Chronologicis num. 1) anni 12, menses 10, et dies 7 sedi ejusdem tributi in picturis Paulinis, et in Catalogis, pertingunt ad diem 13, Julii Christi 96, consulibus Valente et Vetere, quibus iidem catalogi assignant exordium Evaristi, et Eusebium corrigunt, qui loco Evaristi successorem Anacleto tribuit Clementem.

Error Eusebii in hac secunda assertione demonstratur ex ipsius libris. Nam libro III, cap. 2 scribit : *Post Pauli Petrique martyrium primus* Ecclesiæ

Romanæ episcopatum suscepit Linus. Capite vero 12 refert anno imperantis Titi secundo a Lino traditum Anacleto Romanæ Ecclesiæ episcopatum, quem duodecim annis Linus administraverat : utique a Petri martyrio computandis. Petri martyrium III Kal. Julii signatum in universis Ecclesiæ Fastis cum Eusebius recenseat sub Nerone, uti omnes admittunt: necessario prævertere debet anno ferme solido Neronis mortem : quam sibi cum ipse conciverit III Idus Junii, æræ Christi 69, C. Silio Italico, L. Valerio Trachalo coss., fatendum est, non serius affectos morte Petrum et Paulum quam die 29 Junii anno Christi 67. Inde autem ad secundum Titi labentem, quando juxta Eusebium Anacletus a Lino accepit Romanum episcopatum Christi æræ 82, juxta eumdem historicum (licet biennio prævertentem exordia ejusdem Anacleti ex errore consulatus Sabini) sunt anni 15. Non igitur potest duodennium Lini implere quindecim ordinarios consulatus. Alius itaque successor inter Linum et Anacletum quærendus Eusebio fuit, etiam si toto duodennii spatio Lini pontificatum extenderet a morte apostolorum : quem tamen contrahere debuerat intra limites biennii; cum Linus habeatur coadjutor Petri per novennium, et per biennium circiter a Petri martyrio successor, uti perspicuum fuit ex consulibus, eidem recte assignatis per catalogos antea expensos et comprobatos in notis chronologicis ad Vitam Lini num 2.

10. Eusebii anachronismo ita detecto, ejusque occasioni subortæ ex consulatibus Domitiani cum duplici Sabino gestis (sive prior ipse arripuerit, sive Chronologus antiquior secum in lapsum traxerit) novus error accessit ex notitia vitæ Clementis protractæ ad annum Trajani tertium, æræ Christi centesimum. Celebre nomen tanti pontificis relegati per annos plures intra solitudines Ponti, non reliquit Asianos incertos de producta ejusdem vita et corona martyrii dilata ad eadem Trajani tempora : quæ ostendebant Clementem diu superstitem post annos duodecim priores Domitiani, quibus placuit Eusebio claudere pontificatum Anacleti. Quare successorem opinatus est fuisse Clementem ; cum constaret tandiu fuisse superstitem. Accessit ad confirmandum errorem imperitia amanuensium : quæ Clementis exordium perperam signavit consulatu *Trajani,* ab aliis recte expresso veris nominibus *Trachali et Italici.* Primus consulatus Trajano gestus anno 91, præcessit novennio tertium annum ejusdem imperii, æræ Christianæ centesimum, ad quem refertur martyrium Clementis. Videbat Eusebius ex documentis Ecclesiæ per annos novem sedisse Clementem in Romana sede pontificem ; et in Fastis viderat annum nonum ante ipsius mortem (ad tertium Trajani relatam) præferre consulem *Trajanum,* quem amanuenses mendose descripserant loco *Trachali,* ejusdem initia signantis cum collega Italico, uti in exemplis aliquot Anastasii contingit, quorum variantes lectiones dedimus ad S. Clementem. Arbitratus est hoc novennium ex Christi epochæ 91 ad 100, respondens utrique termino consulatus inchoantis sedem Clementis, ac signantis ipsius vitæ finem, pertinere ad ejusdem pontificatum. Quare Anacleto successorem dedit ex primo consulatu *Trajani* eum, quem ex consulatu *Trachali* enuntiare debuerat decessorem Cleti et Anacleti per annos novem, a Trachalo, et Italico coss. Christi 68, quibus Clemens inivit, ad coss. Vespasianum IX et Titum VII, quibus deposuit pontificatum, uti ex genuinis catalogis supra exposuimus.

11. Hæc omnia diligenter considerata et invicem collata cum satis detegant originem erroris et anachronismi in annis permiscendis trium pontificum Clementis, Cleti, et Anacleti, necnon ostendant, in catalogis non vitiatis vera consulum nomina, veramque Chronotaxim, et ordinem successionis eorumdem pontificum, respondentem picturis, et numeris vetustissimis seriei pontificiæ in Basilica S. Pauli, aliisque Romanis, et inde translatam in catalogos Italiæ codicum fidelius quam in exoticos: confirmant nos in tradita ratione temporum, ac gestorum constanter retinenda : et destruunt objecta Pearsonii ac Doduelli contra historiam memoratorum pontificum ; cum eadem objecta petantur a Chronologiæ perturbatione, ac discordia, quæ nostris in rationibus et monumentis non invenitur.

12. Ad lineam 4. — *Hic memoriam B. Petri construxit et composuit, dum presbyter factus fuisset a beato Petro, seu alia loca ubi episcopi reconderentur sepulturæ.* Panvinius exponit in libro de septem Ecclesiis cap. 4, ut intelligamus, ab Anacleto, quem B. Petrus presbyterum ordinaverat, dum adhuc in eo gradu consisteret, constitutam fuisse ædiculam, seu conditorium, in memoriam Principis apostolorum ad radices Vaticani collis, « juxta viam triumphalem, Caiique ac Neronis circum, quo loco idem apostolus Neronis jussu pedibus in sublime elatis cruci affixus fuerat, etc. Idem vero Anacletus postea pontifex factus instituit, ut reliqui episcopi Romani eo loci sepulturæ traderentur. Hinc Linus, Cletus, ipse Anacletus, Xystus, Telesphorus, Hyginus, Pius, Eleutherus, Victor, sancti benedictique pontifices, eodem loco sepulti traduntur a Damaso, » id est a scriptoribus Vitarum quas illustramus. Mortuos fraudare sepultura ita refugiebant Romani, ut etiam publice supplicio affectis supremum illud officium sepulturæ persolvi a pia necessariorum cura plerumque permiserint. Ita Pilatus Romanus præses Josepho ab Arimathia occulto Christi discipulo permisit ut divino magistri corpori e cruce deposito sepulcrum novum in petra excisum tribueret conditorium, de quo Isaias vaticinatus fuerat: *Et erit sepulcrum ejus gloriosum.* Petrus apostolus in secunda Epistola prædicens proximam depositionem tabernaculi sui juxta revelata sibi a Christo Domino ita promiserat: *Dabo autem operam, et frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis (II Petr.* I, 15). Stetit promissis. Eodem loco, ubi tabernaculum corporis deposuerat, colligi curavit Christianum populum, undique gentium ad apostolica hæc limina confluentem, excitata per Anacletum ædicula (pro recepta apud Romanos consuetudine construendi juxta vias consulares hujusmodi monumenta) ; quæ in basilicam omnium maximam subinde excrevit, ut frequenter haberet nos post obitum suum, ac memores redderet mysteriorum ejus Fidei, quam nobis attulerat pignus salutis et gloriæ. Anacleto presbytero hæc officia pietatis divinitus inspirata fuisse rei probavit eventus. Pontifex enim renuntiatus inter Petri successores quartus collegit cum apostolorum Principe duos ab illo proximos, qui Romæ passi fuerant ac necati ; nam Clemens in Ponti regionibus pro Christo occisus ac sepultus, Romam serius perlatus est. Additus ipse quartus in designatione conditorii, ad se pertraxit cæteros subsequentes, paulo ante a Panvinio relatos. Caius Christianus scriptor in fine secundi sæculi hunc locum indicans, *in via Triumphali, quæ ad Vaticanum ducit,* non secus ac via Ostiensi ostendebat *tropæa apostolorum,* sepulcrum scilicet, ædiculam, et cœmeterium Petri in Vaticano, et proximorum ab illo pontificum : quorum memoria in canone missæ Romanæ nominatim cum referatur et inveniatur, ut infra dicemus, tam in antiquis vasis ad sacrificium pertinentibus, quam in diptychis, seu tabulis, et indiculis, complexis nomina in sacrificio missæ post oblationem recitanda iisdem in cœmeteriis ubi quiescebant, satis commendat antiquitatem sacri ritus, et consuetudinis supparem constructioni ejusmodi ædiculæ, ac memoriæ, B. Petro excitatæ per Anacletum presbyterum, et amplificatæ per Anacletum ex presbytero pontificem Maximum, ut attribueret eamdem com-

Lino, Cleto et Clementi decessoribus uos idcirco nominatim recitari tum tem- ortasse instituit in precibus ante conse- em, et consuetudinem ostendit, a sequenti- tibus constanter custoditam, et ad nos de- , non sine auctoritate atque insinuatione ne Apostoli hujus Romanæ Ecclesiæ institu- etri scilicet ac Pauli : cum ille in secunda cap. III, versiculo secundo, nostram excitet nonitione sinceram mentem, *ut memores si- ostolorum nostrorum* ; hic vero in cap. XIII ad Hebr., quam Hieronymus affirmat re- plerisque dictante Apostolo a Clemente conscriptam, nos moneat, vers. 7 : « Me- præpositorum vestrorum, qui vobis locuti bum Dei : quorum intuentes exitum conver- , imitamini fidem. » His enim *communi-* quod est intuentes exitum conversationis mitari) *et memoriam eorum venerantes* no- citamus. Verum de nominibus apostolorum, um et martyrum in missæ actione recitan- opportunior dicendi locus. Hic sistimus in tione et constructione memoriæ beati Petri ano per Anacletum.

Stravoltius Polonus, primicerius Tarnovien- Vitis pontificum Romanorum. quas edidit ciliorum Epitome, de Anacleto ita scribit : emoriam beati Petri construxit, hoc est mædificii structuram, quæ postea in Eccle- t consecrata : ubi et ipse sepultus est in pace rpus beati Petri III Idus Julii. » Addit vero, pontificem suo decreto sanxisse, *quo loco, testibus sit sacrificandum.* Hausit, credo, ius hoc secundum ex prima epistola decre- cleto attributa : cujus in notis Binius sapien- uit, id potius esse repetendum ex canone 9 postolico. Licet autem nobis non constet, b apostolis priores illi canones conditi fue- ab apostolicæ sedis præsulibus, qui aposto- etatem proxime attigerint, et ab ipso Ana- ttamen constat, priores quinquaginta esse ssimos. Quod autem attinet ad reputandum am auctorem structuræ Vaticanæ, et Petri æ, ac designationis loci ad sacrificium Deo um cum recensione tum ipsius nominis, tum rum præsulum ac martyrum ibidem cum eo ntium. tam proximum habendum est histo- rtitudini quam maxime. Nam, ut infra num. 6 et 7, proximus ab Anacleto pontifex is *divisit titulos presbyteris in urbe Roma*, et ccessor Alexander *Passionem Domini miscuit ionibus sacerdotum quando missæ celebrantur.* aque *tituli*, seu loca certa ecclesiæ conven- tinata, atque mysteriis perficiendis ; si hosce varistus divisit. Erant *precationes sacerdotum sæ celebrantur*, id est *ordo precum et rituum* canoni missæ respondens, cum memoria rum, unde illas accepimus ; si Alexander Passionem Dominicam iisdem precibus. autem forent ? cum Justinus martyr eodem sæculo quo vixit Evaristus, et paucis nferior Tertullianus (hic in libro *de Co- itis*, num. 6, et in *Apologetico advers.* p. 3, ille in *Apologia* 1, num. 87) eum- ne ordinem nostrarum synaxeon ad sacra- charistica peragenda et percipienda recen- em hodie servamus : ubi etiam preces me- r tam ante quam post oblationem panis et rursus aliæ ante consecrationem ab eo qui præest, aliæ post consecrationem ab eodem ecitandæ, populo universo acclamante Amen. itur universa hæc, eratque locus ante alios nctissimus semper habitus, id est confessio tri, tropæum ac limen apostolorum : ubi m vigiliæ, psalmodia, conventus antelucani, sacrificium celebraretur ; sed etiam ordi- sacerdotum haberentur ac ministrorum, quæ sine sacrificio præstari non consueverunt ex traditione continenter servata, et luculenter asserta in sermonibus Leonis Magni, fideles convocantis per quatuor jejuniorum tempora, ut Sabbato de more vigilarent ad S. Petrum.

His igitur observatis, comprobantur ea quæ traduntur hic de Anacleto, primo constructore Vaticanæ memoriæ beati Petri, et designatore certi loci ad sacra Christiana celebranda juxta morem ab apostolis acceptum, et ad nos derivatum : cujus protulit documenta magnus Annalium conditor ad annum Christi 57, n. 19 et sequentibus.

CIACONII.

Linea 1. — *Anacletus natione Græcus.* Quidam vel vitio scriptoris, vel nominum affinitate, vel alia occasione, perperam Anacletum cum Cleto confundunt ; cum tamen alter ab altero nomine, parente, patria, rebus gestis, mortis anno, et die, multum dissideant.

Linea 4. — *Hic memoriam beati Petri construxit, et composuit.* Hoc est, locum sepulcri ejus exornavit, et seorsim a plebe loca in cœmeteriis et cryptis, ubi martyres sepeliuntur, distinxit.

PAGII.

In additionem Fabrotti ex codicibus Regio, Mazarino et Thuano, apud nos inter varias lectiones.

Duas etiam decretales epistolas, etc. Tres circumferuntur Anacleti papæ decretales epistolæ, quas eruditi suppositicias judicant. Prima est ad ommes episcopos et fideles, sed consuta est tam ex locis Scripturæ secundum Vulgatam versionem, quam ex Clementis ad Jacobum Epistolis, uti ex Rufini, Damasi, aliorumque auctoritatibus ; secunda est ad episcopos Italiæ, in qua sunt testimonia ex Augustino, Idacio, Gregorio Magno deprompta ; tertia ad omnes episcopos, agitque de patriarchis, quorum nomen hoc et sequenti sæculo ignotum. Denique habet testimonium ex concilio Romano sub Gelasio, et ex aliis posterioribus Patribus.

Quod attinet ad alias Romanorum pontificum decretales epistolas usque ad Siricium, quas ex Isidori Mercatoris collectione, conciliorum editores in suas editiones transtulerunt, licet eæ magna consensione receptæ fuerint etiam ante medium sæculum undecimum, quo publice in scholis cœperunt recitari ; a quo tempore non solum posteriorum Romanorum pontificum epistolæ illarum testimoniis abundarunt, sed etiam omnium doctorum scripta ubique personarunt : eas tamen non genuinas, sed suppositicias esse omnes fere eruditi ingenue faientur, inter quos Petrus de Marca lib. III de Concordia sacerdotii et imperii, et Schelestratius in parte II Antiquitatis illustratæ dissert. 3.

Rationes arguendi has epistolas suppositionis attigit idem Marca laudatus cap. 5, § 1. Primo, ob verborum sordes, a secundi sæculi, quo datæ dicuntur, elegantia et nitore alienas. Secundo, ob styli dissimilitudinem, et eumdem scribendi characterem, qui in omnibus epistolis occurrit ; ita ut ab uno auctore, non a diversis pontificibus conscriptæ esse videantur. Tertio ex usu frequentissimo Vulgatæ Scripturarum versionis ; unde fit, ut post Hieronymi ætatem effictas esse necesse sit. Quarto, quod et Hieronymo, qui scriptorum ecclesiasticorum catalogum texuit, et Innocentio et Leoni, cæterisque pontificibus, quarum germanæ epistolæ ad nos pervenerunt, omnino fuerunt incognitæ, uti Dionysio Exiguo, qui dum Romæ magno studio et diligentia præteritorum apostolicæ sedis præsulum constituta colligebat, tempore Justiniani imperatoris, a Siricio initium sumpsit. Quinto, ex observatione Antonii Augustini Tarraconensis archiepiscopi, qui in notis ad capitula Adriani papæ omnium primus annotavit : « Ipsa legum imperatoriarum verba, et quæ sub

Aniani nomine exstant ad codicem Theodosianum scholia, in illis epistolis usurpata fuisse: quamvis pontifices, quibus epistolæ tribuuntur. duobus et tribus sæculi codicis Theodosiani editionem præcesserint. » Videri potest Antonius Augustinus in laudatis notis capp. 7, 8. 16 et seqq. Sexto, quia Blondelli industria ab aliquot annis eo processerit, ut sententias et verba ipsa, ex quibus epistolæ contextæ sunt, et a quibus auctoribus petita, accuratissime demonstraverit in libro, qui inscribitur *Pseudo-Isidorus, et Turrianus vapulantes.* Franciscus enim Turrianus eas antea ut genuinas publicaverat sub Isidori Mercatoris nomine. Septimo, quia usque ad Adriani primi tempora nullus catholicorum scriptorum, nullus Romanorum pontificum, synodorum nullæ, testimonium aliquod ex hisce litteris adduxerint ; quinimo Photius tempore Nicolai primi, eas sese in Oriente nusquam vidisse testatus sit ; cui, licet earum auctoritatem admiserit, favere videtur Hincmarus, metropolita Rhemensis, qui et ideo frequentius a litteris Siricii papæ initium duxit, et in testimoniis subsequentium Siricio pontificum hæsit. Octavo, ex Leone papa IV, qui ante Nicolaum I in epistola ad episcopos Angliæ de his decretalibus consultus, reposuit, Sedem apostolicam admittere regulas. « Præsulum Romanorum Silvestri, Siricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilari, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii et Gregorii Junioris, qui omnino sunt, et per quos judicant episcopi, et per quos episcopi simul judicantur. » Hæc circa annum 840 Leo IV scripsit, ubi non epistolas decretales a Clemente aut Anacleto, sed post statuta Silvestri papæ, a Siric. inchoat. Nono, ex codice Vigilano, quem a Vigila monacho anno 876 compilatum tradit Garzias Loaisa in præfatione Conciliorum Hispaniæ, aitque continere epistolas decretales centum et unam, sed incipere a Damaso, et finire ad Gregorium primum. Decimo, denique, ex veteri codice canonum Ecclesiæ Romanæ iterum edito Moguntiæ anno 1525, ut adversus Lutherum Ecclesia eo se tueretur. Habet titulus hunc codicem ex tribus vetustissimis exemplaribus transcriptum, et tamen solas epistolas decretales exhibet a Siricio usque ad Gregorium Magnum. Quæ a Turriano, aliisque, qui eas epistolas ut genuinas agnoscunt, in medium afferuntur, levia sunt, et a viris eruditis soluta.

Quis præfatas decretales epistolas sub ementito Isidori Mercatoris nomine fabricaverit, ac priscis pontificibus supposuerit, incertum ; illum solum constat Riculphum Moguntinum episcopum, qui circa finem sæculi Ecclesiæ octavi, et initium noni floruit, Pseudo-Isidori librum ex Hispania in Gallias allatum, primum Gallorum accepisse ac publicasse, ut scribit Hincmarus Rhemensis metropolita opusculo contra nepotem, cap. 54, a quo tempore fidelium non minus quam episcoporum erga decretales illas epistolas nata veneratio ; licet enim supposititicæ sint, et laudandum sit Blondelli criterium, quo illas priscis pontificibus adjudicavit, immerito tamen ab eo, aliisque hæreticis, *atrocioribus verbis* dilacerantur, *cum e sententiis, et verbis legum, canonum antiquorum, et SS. Patrum, qui quarto sæculo floruerunt, si pauca demas,* concinnatæ sint, ut inquit Marca laudatus. Porro omnium epistolarum pseudigrapharum inscriptiones in uno quoque pontifice afferemus, ne imperitus lector existimet omnes omnino Romanorum pontificum epistolas genuinas non esse : cum certum sit epistolas S. Cornelii, quæ exstant inter opera S. Cypriani ; epistolas Julii primi, quæ referuntur a S. Athanasio, apologia 2 ; epistolas Liberii, quæ a S. Hilario in Fragmentis recensentur ; epistolam Damasi ad Illyrici episcopos, quam Theodoretus lib. II Hist. ecclesiast. cap. 22 exscripsit, aliasque ejusdem pontificis epistolas apud S. Hieronymum exstantes, omnes denique veterum pontificum epistolas, quæ a sanctis Patribus, aut priscis Historiæ ecclesiasticæ scriptoribus referuntur, genuinum eorumdem pontificum fœtum esse.

Hic sub Domitiano, etc. Secundam in Christianos persecutionem excitavit Domitianus Augustus, et quidem anno Christi nonagesimo tertio. Ea gravissima fuit ; in Chronico enim Alexandrino ad annum 944 legitur : *Brutus* (legendum Brutius, ut apud Eusebium) « narrat magnam Christianorum copiam ab XIV Domitiani anno sublatam, et martyrio affectam. » Diu etiam duravit, ut legere est in Critica Baronii. Ea sæviente sanctus Joannes apostolus in insulam Patmos relegatus est, postquam Romæ in ferventis olei dolium immissus esset. Qua in insula scripsit divinam Apocalypsim. Periit etiam in ea persecutione Flavius Clemens vix deposito ordinario consulatu, anno 94 eum ipso Domitiano gesto. Flavia Domitilla ejusdem Flavii Clementis neptis in insulam Pontiam deportata. De hac persecutione legendus Eusebius lib. III, cap. 17 et seqq.

VI. SANCTUS EVARISTUS.

ANNO CHRISTI 112, TRAJANI IMP. 13.

6 *Evaristus, natione Græcus, ex patre* Judæo nomine *Juda, de civitate Bethlehem*, sedit annos tredecim, menses sex [a] dies duos. *Fuit autem temporibus Domitiani et Nervæ Trajani* [b], *a consulatu Valentis et Veteris usque ad Gallum et Braduam consules* [c]. *Martyrio coronatur.* [d] *Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris, et septem diaconos* constituit, *qui custodirent episcopum prædicantem propter stylum veritatis. Hic fecit ordinationes* tres per mensem Decembris, presbyteros sex, diaconos duos, episcopos per diversa loca quinque [e]. *Qui*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B, an. 9, m.* [b] *B, Trajani et Hadriani.* [c] *B, Pisonis et Hastæ usque ad Aviolam et Pansam* [d] *Vide Bar. ad ann. 112.* [e] *B. 4, presb. 17, episc. 15.*

tiam *sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticanum* [a], VI *Kal. Novembris, et essavit episcopatus dies* XIX [b]

CATALOGUS SUB LIBERIO.

stus annis XII, mensibus VII, diebus II, fuit temporibus novissimis Domitiani, et et Trajani, a consulatu Valentis et Veri usque Gallo et Bradua.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

ano *C.* [b] *CB* 18,

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

, lin. 4, *A et B,* tamen. *lin.* 6 *A,* duas.

codice Regio, Mazarino et Thuano.

ann. 9, m. 10, d. 2. *lin.* 4, consules. s. *lin.* 5, diaconos ordinavit, qui cust. pter stimulum veritatis. *Maz.*, per stylum 18 numero 5, qui etiam martyrio coronatus pultus j. c. beati P. in Vaticano.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2. *Cassin. et Flor. duo,* an. IX. *Florent. sec.,* ann. X. *lin.* 4, hic titulos, *etc. Deusdedit lib.* II *cap.* 76, *in m. s. collectione citat hunc locum usque ad veritatis. lin.* 6, *Cass.*, ordin. duas. *lin.* 7, presb. 6. *Flor. sec. et Cass.*, presb. XVII. *lin. ead, Cass. et Flor. sec.*, loca 15. *lin.* 8, *Flor.*, Vaticano. *lin.* 9, *Vat.* XVI Kal.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA.

. — *Hic titulos in urbe Roma divisit pre-* Evaristus in urbe titulos divisit presbyte- t, singulis ecclesiis imposuit presbyteros, inatos sub earum titulo. Ecclesiæ diceban- quia cum presbyteri ordinabantur, ordi- it sub earum titulo. Ordinatio non fiebat , id est ascriptione certæ Ecclesiæ, in qua titulatus dicebatur, can. *Neminem,* can. , 70 dist. Augustin. de Bon. conjugal., emadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem idam, etiam si plebis congregatio non sub- manet tamen in illis ordinandis sacramen- ationis. » Hinc ordinandus in episcopum, resbyter, prius ordinabatur in presbyterum certæ Ecclesiæ. Regin. 2. Chronic. « Porro gripinæ rex Hilduinum abbatem præpo- vit in pontificali cathedra, fecitque a Fran- opo Tungrensis Diœcesis in Aquis-Pala- terum ordinari ad titulum sancti Petri metropolis. » Tituli, quos Evaristus insti- tituli cardinales, id est Ecclesiæ ascriptæ s cardinalibus, quarum numerus per tem- ctus est. Anastas. in Marcello : « Et viginti tulos in urbe Roma constituit quasi diœce- er baptismum et pœnitentiam multorum, rtebantur ex paganis, et propter sepultu- um. »

— *Et septem diaconos constituit, qui cu- piscopum prædicantem, propter stylum ve-* constitutione Evaristi septem diaconi de- episcopo prædicanti, ut custodes habeat nsidiantes, et testes veritatis prædicatæ ad- ractores can., *Diaconi,* 93 dist. Ex synodo- abita sub Gregorio episcopus debet habere privato famulatu, ut testes habeat con- , can. *Cura pastoris* 2, qu. 7. Imo ex con- Lucii episcopus in omni loco circa se de- et os presbyteros, et tres diaconos propter m ecclesiasticum, can. *Jubemus, de con-* . 1, de quo et Anastas. in Lucio.

BENCINI.

— *Septem diaconos constituit.* Numerum ionem ordinavit pontifex, ut tot essent, li sollicitudine adessent pontificis ministe- us respicit institutionem septem diacono- olicam ; ministerium vero specialem sol- n in diaconis, episcopo servitium exhi- De numero diaconorum Ecclesiæ Romanæ ornelius in epistola ad Fabium Antioche- Euseb. l. VI, c. 43, pag. 244, in qua re- censens clerum scribit esse *septem diaconos, totidem- que subdiaconos.* Episcopis vero aliis speciales mi- nistros, et comites diaconos datos docet epistola Dionysii Alexandrini, in qua de exsilio et comiti- bus agit : « Veni ad Æmilianum non solus, sed comi- tantibus me Maximo compresbytero, et Fausto, Eusebio, et Chremone diacono. » Quæ eadem socie- tas legitur infra in Alexandro martyrium consum- mante. *Martyrio coronatur, et cum eo Eventius pre- sbyter et Theodorus diaconus.* Et de Pontio S. Cy- priani diacono de Scrip. Eccl. 5, Hieronymus : *Pon- tius diaconus Cypriani usque ad diem passionis ejus cum ipso exsilium sustinens, egregium volumen vitæ et passionis Cypriani reliquit.* Novatus episcopatum invadens Felicissimum diaconum et comitem eleg- it ex Cypriano ep. 47, ubi de Novato: *Ipse est qui Felicissimum satellitem suum diaconum nec permit- tente me, nec sciente, sua factione et ambitione con- stituit.* Hinc in libro Pontificali additur, septem Romæ diaconos constitutos : *ut custodirent episcopum.* De istiusmodi comitatu diaconali apud episcopum Roma- num loquitur Hegesippus, dum refert suam ad apo- stolicas inspiciendas Ecclesias peregrinationem. *Ro- mam cum venissem, mansi ibi apud Anicetum, cujus tunc diaconus erat Eleutherus. Post obitum deinde Aniceti successor Soter, quem excepit Eleutherus.* Ex diaconorum istiusmodi comitatu deligebantur ab episcopis, qui ecclesiasticas chartas deferrent, aut constituta denuntiarent. Hinc sæpius in epistolis de- cretalibus commemorantur *diaconi de latere,* seu qui pontificio famulatui deserviebant. Designatio hæc putabatur necessaria. Unde Eunomius hæresiarcha ad negotia dissolvenda primo diaconatum assumens, legationem perfecit ex Philostorgio. l. IV, c. 8, pag. 68 : « Cum Eunomius fama accepisset ea quæ a Basilio facta fuerunt, Antiochiam profectus ordinationem diaconi suscepit, legatusque ad Constantium missus quo decreta solveret. »

Propter stylum veritatis. In Lucio infra clarius ex- primitur diaconale hocce ministerium : *Hic præce- pit ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent propter testimonium ecclesia- sticum.* Olim enim diaconis concredita erat solli- citudo, non solum chartas ecclesiasticas custodiendi, verum etiam dirigendi acta in synodis, et epistolas, ne ulla falsitas aut interpolatio interveniret. Quare, et custodiendo, et firmando præerant, atque ab iis- dem germana compilatio et indubia postulabatur, actaque ab iis subscripta auctoritate pollebant. Op- tatus acta Citrensis synodi probaturus, eorumdem veritatem, identitatemque petit ex Diaconi subscri- ptionibus (l. I, pag. 46) : Hi, et cæteri, quos prin-

cipes suos fuisse paulo post docebimus, post persecutionem apud Citram civitatem (quia basilicæ nondum fuerant restitutæ) in domum Urbani Carisi consederunt die III iduum Maiarum, sicut scripta Nundinarii tunc diaconi testantur, et vetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. » Ita Meletio Antiocheno concionanti astitit Antiochenæ Ecclesiæ archidiaconus, dum electus primam concionem populo recitavit: et cum præter spem Arianorum, qui ejus ordinationem promoverant, de consubstantialitate Verbi dissereret, archidiaconus os obturare conatus fuit, ex Sozomeno l. IV, c. 27. Pariter cum de identitate concilii Constantinopolitani primi sub Flaviano ab Eutychete dubium moveretur, Aetius archidiaconus fuit expostulatus, ut videre est in actione 1 Chalcedonensi. In conciliis primis si chartæ, libri, et alia essent commemoranda, a diaconis hæc expostulata et prolata leguntur. Unde cum Bardas tyrannus monothelismi instaurator acta 6 synodi incendisset, Agatho diaconus, qui acta exceperat, jacturam reparavit, uti testatur in epilogo addito actis ejusdem synodi his verbis : « Ego peccator, et omnium minimus Agatho, indignus diaconus et bibliothecarius sanctissimæ hujus magnæ Ecclesiæ, et venerandi secreti patriarchalis protonotarius et cancellarius secundus, triginta duobus plus minus annis eum essem adhuc ætate juvenis in lectoris gradum connumeratus, et inutilis notarius, fui administer huic sanctæ et œcumenicæ sextæ synodo, omnia quæ in ea acta sunt ordine perscrutatus, simul cum Paulo, qui fuit sanctæ hujus civitatis archiepiscopus et patriarcha, cum esset adhuc laicus, et a secretis imperatoris, et quibusdam aliis. Omnes autem Actorum tomos litteris ecclesiasticis pure et nitide propria manu scripsi : qui etiam in palatio imperatoris obsignati, tuto fuerant repositi cum fidei decreto, quod in scriptis fuit editum ab ipsa sancta synodo. Quin etiam quinque patriarchalibus sedibus tradita exempla hujus decreti scripsi similiter, sic jussus a piæ memoriæ Constantino : qui hoc imperavit sic fieri, ut puritas et sinceritas orthodoxæ fidei nullis appeteretur insidiis. » Diaconi itaque pontifici astantes erant ex officio veluti testes agendorum, et in ecclesiasticis expediendis negotiis pontifici præsto aderant. Quare ipsis cura archivorum commissa, ferendarum epistolarum sollicitudo demandata, utque in conciliis actorum exceptoribus præessent injunctum, ne falsitas obreperet. Quod si quæ adversus canones, interdum actitari contingeret, eorum munus erat prolatis canonibus jura tueri. Hilarius S. Leonis act. 1 Chal. diaconus in latrocinali Ephesino Dioscori tyrannidi, impigre et audacter contradixit : et Aetius actione 4 Chalcedonensi invicte refragatus est quibusdam monachis refractariis, ut ibi legitur (16, act. 4) singulis contra canones postulatis opponens codicem canonum, et adducens ac concilio commemorans regulas, quas pervicaces monachi infregerant, ut ad normam canonum contumacia reprimeretur.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 1. — *Evaristus.* Hujus Evaristi pontificis Irenæus, lib. II, c. 3 ; Optat., contra Parm. lib. II ; Epiphan., hæresi 26 ; August., epist. 165, meminerunt.

Linea 4. — *Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris.* — Per titulos intellige domos divino cultui mancipatas, in quibus Christiani synaxes agere consueverant. Vide epistolas Pii Pont. ad Justum Vienn.

(Ex Labb.) Linea 1. — *Natione Græcus.* Antiochenus.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

In chronologia pontificum singillatim elucidanda, ne cogamur sæpius repetere easdem regulas eadem-que observata, quæ compluribus eorum adhibita ita conveniunt, ut constantis normæ specimen ostendant ; semel hic indicare sufficiat nonnulla capita, unde commensus temporum illustratur, et veritas documentorum.

In præfatione prioris tomi, numero 17 et sequentibus usque ad 23, ostendi annum ac diem consecrationis pontificum in Ecclesia præsertim Romana diligenter annotari consuevisse pluribus de causis : tum scilicet exemplo sacerdotum Veteris Testamenti, cujus specimen dedi ex sacris litteris in Aarone et Eleazaro ejus filio ; tum documento novi fœderis, nobis consignante in electione apostoli Matthiæ (Act. I) tempus inter Ascensionem Domini et Pentecostem, quando is cooptabatur in collegium apostolorum : quam consuetudinem in cæteris gradibus studiose retinendam posteri receperunt, postquam legibus canonum cautum fuit, ut vocati in sortem Domini certo annorum numero exercerentur in ministeriis inferiorum sacerdotii graduum, antequam ad superiores promoverentur. His accedebat apud Romanos receptus mos, ac derivatus a summo pretio, in quo sacra ministeria habebantur etiam apud ethnicos in superstitionis patriæ cultu, ut pontificatus eorum maximi perinde ac minorum collegiorum acta et cooptationes inciderentur marmoreis tabulis, referentibus epochas singulorum, insignitas die mensis, et indictione anni per nomina consulum, quandoque etiam ab Urbe condita, uti videmus in tabulis fratrum Arvalium, non secus ac in Fastis triumphalibus Capitolinis dies, menses, et annos uniuscujusque triumphi videmus incisos. Quare apud Christianos, religionis veræ professores, et conscios divini sacerdotii, a Christo Domino instituti, et communicati ministris qui legerentur, ut comprobaretur vigere longe impensior cura sacrorum, Romanæ Ecclesiæ notarii regionarii (a Clemente paulo ante instituti, ut in ejus num. 4, lin. 5) in tabulas referre satagebant sacerdotalium actorum epochas pontificales, non segnius quam acta martyrum. Inde autem collecti sunt catalogi pontificales, a SS. Patribus indicati, qui sub Liberio aliisque successoribus ad sua tempora producti inveniuntur. Confirmat usum Romanæ Ecclesiæ cæterarum magistræ par ferme ratio observata in reliquis occidentalibus, et in Africanis : cujus luculentum testimonium dedi ex Actibus Hipponensis Ecclesiæ, quando ab Augustino Eradius presbyter designabatur illi coadjutor episcopus, et successor, relatis inter sancti doctoris epistolas, n. 110, atque ita exordientibus ab epochæ consignatione. *Gloriosissimo Theodosio duodecies, et Valentiniano Augusto iterum consule, sexto Kal. Octobris cum Augustinus episcopus una cum Regiliano, et Martiniano coepiscopis suis consedisset in Ecclesia pacis Hipponensium regionum,* etc. Demum ostendit sedulam curam episcopalis æræ singulorum præsulum, eorumque successionis in ecclesiæ tabulas referendæ, natalis dies eorumdem cathedræ quotannis celebratus cum statis precibus, in sacrificio recitandis eorumdem constante vita ; post mortem vero consecrationis illorum dies in Heortologiis et Martyrologiis signatus, tum apud Latinos, quemadmodum in Ambrosio, tum apud Græcos, ut in Basilio, aliisque in ecclesiastica Historia passim occurrentibus. Unde inferre debemus, non esse levibus de causis variandas epochas pontificum ita consignatas per consulatus, aut per numeros annorum, mensium, ac dierum in publicis monumentis apud eas ecclesias antiquitus constitutis, quas ipsi sede illustrarunt sua, etsi æra illorum duplex inveniatur ; sed indagandum esse num conciliari possit una ex his cum electione, altera cum ordinatione, aut successione, pluribus de causis non semel protracta, uti in Gregorio Magno omnes norunt.

Caput alterum, quod generatim observandum proponimus, versatur circa necessitatem sublegendi non semel episcopi adjutoris, quæ successionis epo-

cham turbare posset, nisi provide distingueretur. Apud omnes in confesso est, ab apostolorum ætate inductum fuisse hujus providentiæ modum, ut ubi necessitas Christiani populi posceret subsidium coadjutoris, sublegeretur episcopus, qui munia pontificalia exerceret tanquam vicarius in ecclesia suo pastore nondum viduata. Linum et Cletum a principe apostolorum ita ordinatos fuisse fere universi consentiunt, ut in notis chronologicis ad Lini Vitam supra observavi : id asserente etiam auctore libri Pontificalis tum in 4 num. Clementis, tum in præcedentibus ex codicibus Regio, Mazarino, ac Thuano editis tomo I fol. 2, et ante illum Rufino presbytero, sive eo qui sub Rufini nomine latet juxta Schelestratium (pag. 136 Antiquit. Eccles., dissert. 2, cap. 1, n. 4) ad libros Recognitionum : cujus testimonium relatum quoque a P. Christiano Lupo in cap. 32 Tertulliani de Præscript. hæret. pag. 526, tale est : « Accepimus (inquit) quod Linus et Clemens in urbe Roma fuerint quidem ante Clementem episcopi in urbe Roma, sed superstite Petro, ut illi episcopatus curam gererent, ipse vero apostolatus impleret officium. » S. Ephiphanius ad hæresim 27, cap. 6, licet hæsitando potius quam affirmando enuntiet Clementem a Petro apostolo consecratum fuisse episcopum ; attamen certo definit, causam legitimam fuisse, unde possent viventibus apostolis alii subrogari ad hujus episcopatus Romani curam gerendam, quod scilicet *carere episcopo Roma non posset, quando diuturnior mora erat apostolis protrahenda extra Urbem. Quanquam* (ait) *vel hac ratione poterant viventibus adhuc apostolis, Petro scilicet et Paulo, alii subrogari, quod iidem illi prædicandi Evangelii gratia in alias urbes ac regiones profectionem susciperent ; carere autem episcopo Roma non posset. Siquidem Paulus in Hispaniam pervenit. Petrus vero Pontum, et Bithyniam sæpenumero peragravit.* Card. Baronius ad annum 69, num. 43, affirmat hanc esse communem Latinorum sententiam, Linum scilicet et Cletum tum tempore Petri sedis, per hujus absentiam munere pontificio functos fuisse, ut coadjutores, tum post martyrium Petri alterum post alterum usque ad obitum tenuisse maximum pontificatum ; Clementem vero, etsi a vivente Petro fuerit episcopus Romanæ Ecclesiæ prælectus et ordinatus, hoc tamen munere sponte cessisse : uti ad singulorum Vitas paulo ante meminimus. Quæ dum hic recolo, nolim referri ad comprobandam seriem successionis trium istorum pontificum in sede Romana, sed eo consilio hic memoranda duxi, ut ostenderem, consuetudinem hanc receptam fuisse ab apostolica ætate, ut censeretur gravissima causa ad episcopum adjutorem assumendum in Ecclesia suo pastore nondum viduata, præsertim vero in ea quæ ex præcipuis haberetur, et nominatim in Romana omnium principe, ac magistra, si proprius ejusdem episcopus prævideret se impeditum iri necessitate ineluctabili ad totius Christiani populi bonum directa, a sui præsentia præstanda, ita ut diutius arceretur a cura Urbani episcopatus per seipsum gerenda. Id vero in persecutionibus non semel contigit : sive cogeretur episcopus ab Urbe exsulare, quemadmodum sub Claudio principe dum pellerentur Judæi, remigrandum fuit etiam Petro in Asiam ; sive arctioribus vinculis ita constringeretur, ut adesse minime posset maximo in discrimine fidelibus confirmandis, aut ministrorum sacrorum supplere numerum, quem pluribus cædibus imminuisset persecutorum sævitia. In Romana vero sede, universi Domini gregis curam complexa, si apostolici muneris officium hujus pastorem alio avocaret ad corporis totius unitatem tuendam, aut connectendum ordinem cum novis regionibus fide illustratis, sive illustrandis, hanc etiam causam Epiphanius duxit idoneam ad vicarium episcopum Romano tribuendum, exemplo Petri fundatoris : qui Linum et Cletum adjutores adhibuit per sui absentiam ab Urbe, quando avocabatur ad fundatas in Asia ecclesias visitandas et confirmandas, sive etiam ad novas erigendas per Occidentem, uti comprobatur singularum ex originibus et monimentis.

Tertium vero caput ex utroque præcedenti descendens erit ; ut in sede Romana aliquando cum eveniret, præsertim fervente persecutione, ut is qui vicarius et coadjutor adhibebatur pontifici in vinculis detento, sive in longum exsilium acto, post hujus mortem cleri Romani suffragiis ipse successor eligeretur, duplex epocha episcopalis signanda fuerit, ordinationis una, successionis altera : quemadmodum in Eradii cooptatione. Hipponensis ecclesia signavit per consules epocham prioris exordii, nempe designationis ratæ habitæ adjutoris in episcopatu, paulo post adjectura æram alteram episcopatus Hipponensis adepti ab Eradio in successione. Quæ cum ita sint, consequitur ut admittamus non esse statim rejiciendos consulatus, qui vetustis in catalogis Romanæ Ecclesiæ attributi leguntur initio uniuscujusque pontificis ; nisi constiterit eosdem consules componi minime posse, aut cum epocha ordinationis, quando is consecrabatur episcopus ad vicarii munus exercendum sub vivente pontifice per eum adjuvando ; aut cum æra *successionis,* quando idem ordinatus, qui vicarius fuerat constante vita pontificis cooptantis, post hujus mortem cleri suffragiis Romanus pontifex demortui successor eligebatur.

Temperandum itaque sentiant ab acrimonia culpandi quicunque succensent scriptoribus Historiæ pontificiæ, vicariorum æram distinguentibus a successione, quasi fulcrum labantis Chronologiæ subiesto ingenio conquirant. Vicarios non semel adhibitos perspicuum est ex ipsa Petri institutione. Usum illorum non antiquatum evincit disciplina ad nos usque perducta : licet episcopi suburbicarii sex inter cardinales tum antiquitus, tum hodie numerentur. Epochas ordinationis, et sedis adeptæ signari consuevisse jam demonstravi. Quis itaque recuset in veteribus monumentis ea recognoscere, quæ pro consuetudine illorum temporum inseri debuisse nemo negaverit ? Præsertim cum nihil adversans apostolicis legibus inferant cooptationes episcoporum in vicarios citra conditionem futuræ successionis : quam studiose vitavit Ecclesia Romana ; etiamsi facilitas, et abusus designandi episcopos non adjutores modo, sed successores ita obrepsisset in Africanas ecclesias ætate Augustini, ut memorata Hipponensium gesta inter sancti doctoris epistolas manifestant.

Tribus hisce capitibus constitutis, expeditior erit progressus ad sequentium pontificum tempora stabilienda ex genuinis documentis Romanæ Ecclesiæ. Experiamur in Evaristo, cujus martyrii diem referunt Tabularia Ecclesiæ Romanæ, et veterum Martyrologia inde sumpta ad diem 26 Octobris, annum vero catalogi Liberii et Felicis IV ad consules Gallum et Braduam, seu annum Christi 108. Terminus confirmatur ex initio Alexandri successoris, signato coss. Tullo et Palma, pertinentibus ad annum Christi 109. Iidem catalogi, picturæ S. Pauli, et cætera documenta collecta in Prolegomenis hujus tomi, fol. 89, attribuunt Evaristo sedis episcopalis annos tredecim, menses septem, dies duos. Incidet itaque exordium Evaristi in annum Christi 95, et in Martii diem 25 signatam et sacratam etiam antiquitus *Incarnatione et Passione Domini,* quemadmodum spectatur incisa in marmorea cathedra S. Hippolyti episcopi et martyris anno primo Severi Alexandri, e cœmeterio S. Laurentii extra muros effossa, et a pluribus edita atque illustrata, cujus typum afferemus in notis ad Vitam S. Victoris. Consules signantes annum æræ Christi communis 95 sunt *Domitianus* XVII *et Clemens :* qui tribuuntur postremi Anacleto proximo decessori : quemadmodum Evaristi successoris exordio assignantur proximi Valens

et Vetus Christi 96. Ab his tamen consulibus ad coss. Gallum et Braduam non anni 13, sed 12 tantummodo numerantur. Ut igitur summa annorum 13 integra sit, necessario asserendum fuerit, Evaristum ordinatum fuisse episcopum ab Anacleto anno 95, quo Pascha celebraverat die Dominica 29 Martii, Domitiano XVII et Clemente consulibus, quadrimestri fere spatio antequam ipse martyrio afficeretur. Ex eo anno si ordinatus fuerit episcopus die 25 Martii, anniversario Incarnationis et Passionis Dominicæ (apud Christianos celebri etiam ætate S. Hippolyti ac Tertulliani; cum in marmore et cyclo Paschali illius, hujus vero in scriptis sub Severo utroque facto illustris habeatur) ad diem 26 Octobris anni 108, constat summa annorum 13, mensium 7, dierum 2, Evaristo attributa in documentis genuinis ac vetustissimis Romanæ Ecclesiæ, supra indicatis. Anacletus, paulo post quæsitus ad necem, martyrio coronatur Julii die 7, iisdem consulibus *Domitiano* XVII *et Clemente*, qui ejusdem sedi jure assignantur postremi. Sederit itaque Evaristus Anacleti vicarius ad eam diem: qui deinde a clero Romano post Evaristi martyrium electus successor, pontificatum Romanum suo nomine gesserit, et primum Pascha celebraverit anno proximo (Christi 96), *Valente et Vetere* coss. Hi vero consules ejusdem sedi merito tribuuntur primi in catalogis; cum annorum pontificalium epocha referatur ad tempus Paschale, uti supra ostendi in notis chronologicis ad S. Petrum. Et in prologo antiquissimi catalogi ætatis Liberianæ auctor distincte moneat, se inde numerare, scilicet ab Ascensione Domini in successione pontificum *quot annis quis præfuit.* Repetatur ex iisdem notis chronologicis supra, ubi ait: *Imperante Tiberio Cæsare passus est Dominus noster* JESUS CHRISTUS *duobus Geminis consulibus,* VIII *Kal. Aprilis; et post ascensum ejus beatissimus Petrus episcopatum suscepit. Ex quo tempore per successionem dispositum, quis episcopus, et quot annis præfuit, vel quo imperante.*

Causa si requiratur cooptandi episcopum in adjutorem, seu vicarium fervente persecutione Domitiani, similis assignabitur illi quæ Petrum impulerat ad Linum ita ordinandum et præficiendum quando ipse cum Judæis Urbe expellebatur sub Claudio; aut etiam alteri quæ Nerone in Christianos sæviente, et Petrum morti proxime addicente, eumdem apostolum suasit ut Clementem ordinaret episcopum et successorem eligendum commendaret Ecclesiæ, etiamsi Linus et Cletus, vicariatu jam perfuncti, essent adhuc superstites. Prima illa ætas Ecclesiæ Romanæ fovenda erat institutis virorum apostolicorum, qui plurimum consuevissent cum Petro sedis istius fundatore. Ostendendi erant, et quasi candidati successionis in publicum deducendi a principe sacri senatus, ejusque suffragio commendandi, ne schismata facile suborirentur, quale Corinthi contigit, ubi præsertim convocatio cœtus Ecclesiæ in æstu persecutionis difficilis et periculi plena reddebatur. Beatum vitæ cursum claudente Evaristo anno Christi 108, Trajani 12, nemo jam supererat ex ordinatis a Petro in Ecclesia Romana episcopis adjutoribus, cum trium illorum novissimus Clemens tertio Trajani anno jam decessisset. Anacletus a Petro quidem presbyter ordinatus (et ea fortasse de causa post Linum, Clementem, et Cletum sedis Romanæ episcopus a clero electus, ac cæteris prælatus) episcopum ordinavit Evaristum, et vicaria potestate augere voluit, ut quodam pastorali tyrocinio jam exercitum ad pascendum totius Ecclesiæ gregem ostenderet Romano clero expedite eligendum, ac cæteris præferendum difficillimis temporibus illarum priorum persecutionum. Plures igitur suberant causæ cur episcopus ordinatus habeatur, et vicarius adhibitus Anacleto Evaristus per annum 95, antequam succederet coadjuto suo decedenti, affirmetur ex catalogis, miro consensu ei tribuentibus annos tredecim solidos, licet æram annalium pontificatus Romani ab eodem suscepit referant de more ad tempus Paschale anni 96 rite consignatum *consulibus Vetere et Valente* in iisdem catalogis.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris.* Quos, inquies, titulos? Domesticas scilicet ecclesias hospitum ac discipulorum Petri et Pauli: quas ad conventus fidelium et synaxes peragendas concedebant. Puta domesticam ecclesiam Priscæ et Aquilæ, quam S. Paulus memorat in Epistola ad Rom. cap. XVI, vers. 3, Romanum titulum inter antiquissimos etiam nunc celebrem in Aventino; Lucinæ senioris, apostolorum pariter hospitæ, hodie titulum primi presbyteri cardinalis; Pudentis in vico Patricio, ubi Paulum baptizasse vetera monimenta testantur; Clementis ad radices Cœlii in paterna illius pontificis domo (ut ferunt) qui Lino successit: Claudiæ quoque ædes, et illorum qui de domo Cæsaris erant, ab Apostolo indicati dum ex Urbe ad Philippenses scriberet. His adde domos militum Romanorum, sive eorum qui in Palæstina ad fidem conversi cum centurione evangelico, vel cum Cornelio centurione cohortis Italicæ baptizati fuerant a Petro apostolo, et subinde revocati in Italiam sua cum legione sub principibus Caio et Claudio; sive etiam Romæ, Antiochiæ, in Asia minori, in Græcia, apostolorum Petri, Pauli, Barnabæ prædicatione Christum professi, et in Urbem reversi suis cum doctoribus hic morabantur. Adde quos indicat Florentinius in notis ad suum Martyrologium antiquum Kal. Augusti ex testimonio gravissmorum auctorum Ambrosii, Theodoreti, Theophylacti, Œcumenii, Primasii. Recense Judæos Romæ a Paulo fidem edoctos per biennium in suo conducto (Actorum XXVIII, 24, 29) ubi diaconiam S. Mariæ in via Lata postmodum erectam scriptorum consensus tradit: necnon reliquos, qui post Hierosolymorum excidium a Tito Romam perducti, vel sub Nerva principe revocati domesticas ecclesias in Transtiberina regione fidelibus aperiebant. Denique addenda nobilium Romanorum domicilia, qui equestri loco nati, aut etiam ex ordine senatorio ad Christum vocati (quandoquidem, et Clemens inter consulares sub Domitiano Christi martyr effectus est) inter fratres recensebantur sub consecutis principibus Nerva et Trajano: cujus anno 14 etiam in provinciis tantus Christianorum numerus florebat, quantum demonstrant litteræ celebres ejusdem principis, et Plinii proconsulis in Bithynia epist. 93 et seqq. libri decimi. Præfulgebant vero inter primos, ac præcipuos nobiles, ac cives Romanos in Urbe Christum colentes, equites illi Cæsariani, qui verbum Dei Petro annuntiante palam susceperant ex sen entia Clementis Alexandrini, et alterius gravis auctoris (ut Florentinius supra laudatus indicat) impressi tomo I Bibl. Patrum ad calcem commentarii in primam Epistolam B. Petri: « Ibi enim, inquit, non modo illius prædicationis meminit, sed Petrum a Cæsarianis rogatum eisdem Evangelium a D. Marco scriptum dedisse ita testatur. Marcus Petri sectator palam prædicante D. Petro Evangelium Romæ coram quibusdam Cæsareis equitibus, et multa Christi testimonia ferentem, penitus ab eis ut possent quæ dicebantur memoriæ commendari, scripsit ex his Evangelium, quod secundum Marcum vocatur. » Tum subdit Florentinius: « Hos autem Cæsarianos equites in quorum gratiam Petrus apostolus Evangelium dictavit, cum jam fideles et perfecti valde essent, probabile etiam valde est, propriam ac non longe a Palatinis ædibus domum et ecclesiam habuisse. »

Cum igitur Ecclesia Romana, mirum in modum aucta sub pontificatu Evaristi, satis abundaret domibus civium, positis in unaquaque Urbis regione: et cum numerus 25 presbyterorum, Petro mandante a Cleto impletus, probatus esset sub Anacleto per

ministeria plurium annorum ; successor Evaristus putavit, tuto concredi posse singulis presbyteris *domos* seu *titulos*, singulis in regionibus Urbanis sitos, quo facilior esset fidelium conventus ad synaxes peragendas, et ad reliqua Christiana sacra frequentanda, eodem plane ritu, atque exemplo, quo Hierosolymis apostoli post apposita die una *animarum tria millia* (*Act* II *vers.* 41 *et* 46) *quotidie perdurantes unanimiter in templo, et frangentes* CIRCA DOMOS *panem, sumebant cibum cum exsultatione* : et Actorum V. 42 : *Omni die non cessabant in templo, et* CIRCA DOMOS *docentes, et Evangelizantes Christum Jesum* : et Actor. IV plerisque ad Christum conversi non solum offerebant domos ad peragendas synaxes, et conventus fratrum ; sed etiam (ibi vers. 34) studiosi Evangelicæ perfectionis *quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebantur, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Hæc intra annum a Christi Domini morte, et ab adventu divini Spiritus gesta Hierosolymis satis evincunt, quantum *domorum*, et incrementi *titulorum* potuerit in Urbe addi Christiano cœtui, ejusdem Spiritus sancti gratia aspirante, eodemque Petro annuntiante magnalia Dei per annos 25 quibus cathedram Romanam vivens tenuit, et per totidem consequentes, et quod excurrit usque ad Evaristum, quibus per successores hanc ipsam Ecclesiam rexit et propagavit.

Linea 3. — *Et septem diaconos constituit, qui custodirent episcopum prædicantem propter stylum veritatis.* Hic numerus diaconorum Romanæ Ecclesiæ assignatus a Petro fundatore (supra num. 1) qui etiam in Hierosolymitana constitutus fuerat ab universo cœtu apostolico (Actorum VI), quemadmodum et summa 25 presbyterorum totidem vicibus sacerdotalibus (adnumerata cum 24 reliquis etiam vice illius, qui vicarius legebatur summi pontificis), uti supra dictum fuit in notis historicis ad Vitam S. Cleti, ministerii levitarum in templo Domini, dum Judæorum populus Dei Ecclesiam constituebat, et Christianam figurabat. Duplicari tamen placuit in hac primaria Novi Fœderis Ecclesia, quando novis accessionibus, et quidem maximis aucta est, tam presbyteros cardinales, ac titulos Romanos, ex 25 qui prius fuerant amplificatos ad quinquaginta ; quam diaconos cardinales, septenario eorum numero ab his septem adaucto, qui Ecclesiæ Romanæ sacrum collegium constituit una cum sex episcopis suburbicariis. Addit Biographus decretum fuisse ab Evaristo, ut episcopum prædicantem septem diaconi custodirent *propter stylum veritatis*. Præter causas decreti, expositas ab Altaserra, hanc videtur contextus indicare, ut episcopo prædicanti adesse teneantur diaconi septem, id est quotquot in Ecclesia tunc temporis numerabantur : et quidem *propter stylum veritatis* (interpretor *addiscendum in ministerio prædicationis)* : in quo scilicet ministerio etiam diaconos exerceri ex officio non semel oportebat, quos in ordinatione ita monet Ecclesia Latina : *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare et prædicare.* Ex primis septem Stephanus protomartyr, et Philippus viventibus etiam apostolis, quanta cum laude, quantoque animarum fructu prædicaverint, Acta apostolica satis demonstrant. Docente igitur plebem pontifice, nemo e septenario diaconorum numero abesse debuerat. Universi adstare jussi sunt, tanquam discipuli a doctore formandi ad magisterium veritatis, ejusque stylum, ut pari cum fide, simplicitate, ac dignitate Verbum Dei populis annuntiarent : quando mandante episcopo, aut Spiritu sancto jubente per suos præpositos, et ipsi ad prædicandum mitterentur. Quomodo enim audient sine prædicante ? aut quomodo prædicabunt, nisi mittantur ? Quare et Apostolus Timotheum, quem primo diaconum suum, deinde presbyterum, et episcopum ordinavit adjutorem, ita monuit Epistola II capite I, versic. 13, dum ait : *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, et in dilectione in Christo Jesu.*

CIACONII.

Linea 4. — *Hic titulos in urbe Roma divisit presbyteris ;* ut unusquisque suæ parœciæ terminis, cæterisque limitibus distingueretur.

Linea 5. — *Et septem diaconos constituit, qui custodirent episcopum prædicantem propter stylum veritatis,* quasi veræ doctrinæ testes ; ne ab æmulis episcopo prædicanti imponerentur errores, qui ei ascriberentur, quos tamen ipse non commisisset.

PAGII.

Linea 4. — *Hic titulos in urbe Roma,* etc. Sunt qui Evaristo originem consecrationis templorum ascribunt, sed multo certius est apostolicum institutum esse, quod e Veteri Testamento ad Novum, ab apostolis ad successores emanavit, quem ritum servavit Ecclesia, totius Orientis et Occidentis consensu, nisi dicamus cum cardinali Bona lib. I Rer. Liturg., cap. 30, n. 3, ab hoc Pontifice scripto promulgatum, quod sola traditione ab antecessoribus acceperat. Aut forte addit ad veteres cæremonias, ut sine missæ sacrificio basilicæ non consecrarentur, ut ex illo referunt canonum collectores. Nam quod aliqui scribunt ante imperium Constantini Magni nullas fuisse Ecclesiarum dedicationes propter metum persecutionis, id de publicis, et solemnibus, non vero de privatis et clam peractis intelligendum existimat Bona laudatus, apud quem hac de re plura. De benedictione ac dedicatione Ecclesiarum legendus etiam Edmundus Martene lib. II de Antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 13, ubi plura singularia habet.

VII. SANCTUS ALEXANDER.

ANNO CHRISTI 121, ADRIANI IMP. 2.

7 *Alexander, natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput Tauri,* sedit annos octo, menses quinque, dies duos [a]. *Fuit autem temporibus Trajani usque ad Helianum* [b] *et Veterem* [c]. [d] *Hic passionem Domini miscuit in precatio-*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B, an.* 10, m. 5, d. 20. [b] *B, a Coss. Aviola et Pansa ad Catullinum et Aprum.* [c] *C,* et Vet. consules. [d] *Vide Bar. ann.* 132.

nem sacerdotum, quando missæ celebrantur. *Martyrio coronatur, et cum eo Eventius presbyter et Theodorus diaconus* [a]. [b] *Hic constituit aquam* aspersionis *cum sale benedici in habitaculis hominum, Hic fecit ordinationes tres* per mensem Decembrem ; *presbyteros sex, diaconos duos, episcopos per diversa loca numero* v. *Qui* etiam *sepultus est via Numentana, ubi decollatus est, ab urbe Roma* non longe, *milliario* VII, *quinto Nonas Maii, et cessavit episcopatus dies* XXXV [c]

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Alexander annis septem, mensibus duobus, die uno. Fuit temporibus Trajani a consulatu Palmæ et Tulli, usque Æliano et Vetere.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B,* Evenius et Theodulus presbyteri. [b] *Vide Bar. loco cit.* [c] *CB.* 25.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 7, *lin.* 2. *B,* 16.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num. 7, *lin.* 2, an. 10, m. 7, d. 11 (*Maz.*, d. 2). Fuit autem tempore Tr. II. a. II. et V. consules. Hic misc. pass. Dom. in prædicatione sac. q. m. cel. Hic constituit aquam sparsionis. *lin.* 8, loca 5. Hic martyrio coronatus est, et cum eo Eu. pr. et cum eo Theodotus diac. sepultusque est in via Numentana. *lin.* 10, d. 25.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 2, ann. 10, m. 7, d. 26, in prædicationem sacerdotum q. missa celebratur. *lin.* 5, Theodolus.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Vat. Cass. et duo Flor.* an. X, men. VII. *lin.* 3, *Flor. Vat. et Cass.*, prædicatione. *lin.* 4, *Flor. duo, Vat. et Cass.*, Theodotus. *lin.* 9, *deest in Flor.* 2, non longe.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 2, sedit ann. VIII, M. VII, dies II. *lin.* 5, et Theodorus diac. etc. ibi aquam sparsionis. *lin.* 8, sepultus est in via Numentana.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

NOTÆ IN TEXTUM ANASTASII.

De Eventio et Theodulo, qui cum S. Alexandro martyrii palmam adepti sunt, ita referunt Alexandri Acta : « Vadens autem (S. Severina) in septimo milliario de urbe Roma via Numentana in prædio suo, S. Alexandrum et S. Eventium uno posuit monumento. S. Vero Theodulum in alio loco sepelivit. » Ex quibus patet, non Theodorum, vel Theodotum, sed Theodolum, ut habet secundus Catalogus, esse legendum. — Ælianus et Vetus, sub quibus Alexander obiisse dicitur, consules fuerunt anno 116, et juxta morem hujus Catalogi (Felicis IV), anno duntaxat sequenti obiit Alexander, quo etiam obiit Trajanus, prout testantur Acta Alexandri his verbis : « Nutu Dei eodem anno defunctus est Trajanus. »

ALTASERRA

Linea 3. — *Hic Passionem Domini miscuit in precationem sacerdotum, quando missæ celebrantur.* Constitutum de memoria Passionis Christi in missæ sacrificio celebranda, non est proprium Alexandri, sed potius ipsius Christi, cum præcepit apostolis ut quotiescunque facerent, hoc est sacrificarent, in ejus memoriam agerent : *Hoc facite in meam commemorationem (Luc* XXII). Quæ verba secutus Paulus (*II Cor.* I) : *Quotiescunque,* inquit, *manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Memoria Passionis Christi fiebat semel in anno. Augustinus de Tempore serm. 144 : « Passio autem, quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando, ut per singulos annos secundum omnes evangelistas etiam Passio legeretur. Factum est ; non audierunt homines quæ consueverunt, et perturbati *sunt.* »

A Linea 5. — *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum.* Ex constitutione Alexandri aqua sale benedicta non modo in Ecclesia, sed et in ædibus privatorum haberi debet can. *Aquam, de Consecrat.*, dist. 8. Usum aquæ lustralis, seu benedictæ in Ecclesia, apostolicæ institutionis esse tradit Auctor Constit. apostolic. lib. VII, cap. 44. Eamdem etiam in ædibus singulorum haberi statuit Alexander, non abs causa, quia sparsio aquæ benedictæ valet ad arcendos dæmones, avertendas calamitates frugum et segetum, et vitandos nocturnos terrores. Marcellus episcopus Apamæensis in Syria sparsa aqua benedicta fugavit dæmonem, qui fani Jovis eversionem impediebat. Theodorit. lib. V, cap. 21 : Ἀπέδραμεν ὁ δαίμων οὐκ ἐνεγκὼν τὴν τοῦ ὕδατος προσβολήν. *Aufugit dæmon, non ferens vim aquæ aspersæ.* Dæmones qui ægro insultabant, sparsione aquæ benedictæ pulsos narrat Petrus Cluniacensis de Miracul. lib. I, cap. 7 : « Unde alta voce socium B Olivum, ut surgeret, inclamans, vas quod forte cum aqua benedicta in proximo dependebat, fide plenus arripit, et santificatum elementum huc illucque confidenter aspergens, omnia illius habitaculi loca infundit. » Et infra : « Quibus penitus ægro qui hoc solus cernebat testificante exclusis, et ille a dæmonum infestatione liberatus est, et quantum ad similia valeat salutaris aquæ cum fide aspersio, demonstratum est. » Cladem locustarum vastantium segetes aqua benedicta per agros sparsa avertit Stephanus VI pontifex. Anastas. in ejus Vit. : « Surrexit, et aquam propriis manibus benedicens, mansionariis præcepit dicens : Tollite, et singulis distribuite, monentes ut in nomine Domini agros suos circumeant, et hanc aquam spargant per sata et vineas, petentes divinum sibi suffragium et subsidium. » Quin Anselmus abbas in Cantuariensem archiepiscopum electus, et ad Ecclesiam raptus, electionis impatientia pene exanimis, aqua benedicta aspersa, et pota statim ad animum rediit. Testis ipse lib. III, epist. 1 ad fratres.

Beccenses : « De longe audientes accurrerunt, et videntes me aut animam, aut sensum amissurum, timuerunt, et hoc timore aqua benedicta me aspergentes, eam mihi potandam porrexerunt. » Aqua benedicta etiam prodest ad curandas febres et alios morbos. Gregor. Turon. de Glor. Confess. cap. 24 : « Quartanariis quoque et gulam dolentibus data benedicta aqua sæpius medebatur. »

BENCINI.

Linea 1. — *De regione Caput Tauri.* Indeclinabiliter nomen etiam in Anastasio II, ubi sic : *Anastasius natione Romanus.... de regione quinta Theuma, caput Tauri.* Exstabat hæc regio in Palatino colle, ubi et Taurus æneus, de quo Plutarchus in Mario : « Induciis postulantibus concessis, sub ænei Tauri juramento dimiserunt. Hunc captum post pugnam tropæi loco in domum Catuli delatum ferunt. » In regione vero quinta Palatina erat Catuli domus ex Plinio l. XVII, c. 1 : « Crassus orator fuit in primis nominis Romani : domus ei magnifica, sed aliquantulo præstantior in eodem Palatio Quinti Catuli, qui Cimbros cum C. Mario fudit. » In tropæi itaque signum taurus æneus in Catuli ædibus positus, a capite nomen dedit regioni quam quidam volunt appellatum etiam *Capita Bubula.*

Linea 3. — *Hic Passionem Domini miscuit in precationem sacerdotum.* Alii codices legunt in prædicatione sacerdotum. Duplicem sensum ea verba facere videntur, primum quod voluerit pontifex, ut specialis mentio Christi passionis in celebratione fieret, juxta datum Petri præceptum in priori Epistola c. IV, v. 1 : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini.* In solemni sacrificio excitare fidelium fortitudinem inter ingruentes persecutionum procellas conabatur Alexander exemplo Redemptoris pro omnium salute in carne passi. Secundo, quod versimilius puto, ad occurrendum quorumdam hæreticorum pravitati, delirantium Christum in carne apparenter passionem sustinuisse. De qua hæresi ejusdem sæculi scriptores Irenæus et Tertullianus loquuntur, ille quidem dum scribit : « Secundum nullam sententiam hæreticorum Verbum Dei caro factum est. Si enim quis regulas omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne, et impassibilis ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, et qui est in superioribus Christus. » Et Tertullianus c. 51, sive auctor appendicis ad librum de præscriptionibus, cum de Cerdone, ac erroribus ejusdem circa Christum, inter alia hæc de Christo delirasse scribit *hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solum fuisse pronuntiat, nec omnino passum, sed quasi passum.* In prædicatione itaque sacerdotum in celebratione divinorum officiorum decrevit Alexander, ut specialis mentio fieret, et continuata memoria Passionis, quam Christus vere in carne propria sustinuerat.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 1. — *De regione Caput Tauri.* Cum nulla apud antiquos e quatuordecim regionibus eo nomine dicta habeatur, Baron. anno 121, n. 2, existimat locum illum circumscriptum esse juxta palatium, quem Suetonius in Octavio, cap. 5, nominat *Capita bubula.* Ubi Octavium natum fuisse tradit.

Linea 3. — *Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum.* Hæc ab Alexandro potius scriptis mandata, ac decreto roborata, quam recens statuta dici debent.

(Ex Lab.) Linea 4. — *Quando missæ celebrantur.* Absunt a C. A.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Epocha martyrii S. Alexandri papæ stabilitur ex Actis ejusdem, a Schelestratio vindicatis dissertatione 2, cap. 3 Antiquit. Ecclesiæ : in quibus nihil reperiri ostendit, quod ea conscripta fuisse demonstret post Honorii et Arcadii ætatem. « Unde, inquit n. 12, semper manebit Actis illis auctoritas, quam apud æquos rerum æstimatores obtinere debent ea quæ ante mille et ducentos ferme annos (nunc vero dicemus mille trecentos) ex antiquioribus descripta sunt. » Iis igitur Actis docemur mortem pro Christo illatam fuisse Alexandro papæ jussu Aureliani judicis in urbe Roma die 3 Maii eodem anno, quo Trajanus obiit Selinunte in provincia Ciliciæ ex Dione, vel apud Seleuciam Isauriæ, uti se alibi scriptum legisse refert in Chronico Eusebius, die 10 Augusti. Mors Trajani, et adoptio Adriani contigit, Nigro et Aproniano coss., anno Christi 117. Quare mirum videri non debet, si in Catalogo Romanorum pontificum *Caroli Magni ætate exarato, alia quidem manu antiqua tamen adjuncta fuit* (observante laudato Schelestratio) *in pontificatu Alexandri* illa perioche *sub Trajano imperatore, et sub Ælio Adriano imperatore* : unde Baronius occasionem desumpsit variandi veterum lectionem Martyrologii, quæ Martyrium SS. Alexandri papæ et sociorum referebat cum actis laudatis ad imperium Trajani, putans eam esse differendam ad imperium Adriani : qui eodem quidem anno imperator renuntiatus est, sed bimestri saltem spatio post mortem S. Alexandri. Verum Beda, Notkerus, Ado antiquam et genuinam lectionem retinent eorumdem Actorum, uti monet Schelestratius quam pariter exhibent libri lectionarii tam scripti, quam impressi ante Breviarium S. Pii quinti.

Certus itaque cum reddatur his documentis terminus mortalis vitæ et pontificatus S. Alexandri ad diem 3 Maii æræ Christi anno 117, Nigro, et Aproniano coss., qui primi tribuuntur Sixto successori Alexandri ; superest ut ejusdem sedis initium statuamus. Indicato tamen prius, in catalogis assignari S. Alexandro postremos consules *Ælianum et Veterem* (seu verius exprimendos ex adnotatis in epistola consulari card. Norisii *Ælium Lamiam, et Ælianum Veterum*) qui pertinent ad annum Christi 116, et eos, qui annum signabant 117, quo ille martyrium subiit, attribui Sixto successori. Facile assequimur causam istius attributionis ex methodo Chronotaxeos pontificalis, et consularis cum paschali tempore his in catalogis colligandæ, quam supra exposui in exordio notarum chronologicarum ad sanctum Petrum, et circa finem not. chronol. ad sanctum Evaristum. Utroque in loco adnotavi, annos pontificales caput æræ suæ fixisse in diebus paschalibus, et cum anno Romano civili, et sacerdotalium collegiorum consuetudini accommodato, exordium in Urbe habuisse ex natali in Palilibus, seu die 21 Aprilis. Quare consules ordinarii qui signabant progressum illius anni Juliani ex ea die, vel ex Paschali tempore, tribuuntur in catalogis pontifici tunc sedenti : et consules proximæ superioris anni tribuuntur postremi decessori ejusdem, qui ante Paschale tempus diem claudisset extremum. Cum igitur electio Sixti post mortem Alexandro papæ illatam die 3 Maii vix decem diebus consequatur Palilia, et anno 117, quo Pascha contigit die 5 Aprilis cadat intra tempus Paschale ; Consules anni 117 Niger et Apronianus tribuuntur initio Sixti ; et præcedentes consules Ælius Lamia, et Ælianus Vetus anni 116, claudunt epocham pontificalem sancti Alexandri.

Paulo difficilior videri potest determinatio exordii pontificatus suscepti ab Alexandro. Sed per regulas, chronologica in methodo ante constitutas, ita collectum iri confido. Alexandri decessor Evaristus martyrio coronatus est die 26 Octobris anno 108. Gallo et Bradua consulibus, ut per documenta producta in Prolegomenis fol. LXXXIX, et in Notis ad ejus num. pag. 76, probari jam vidimus. Ex ea die ad diem martyrii, seu natalem S. Alexandri 3 Maii anni 117, numerantur anni 8, menses 6, dies 7. Liber Pontificalis, et catalogus Colbertinus septimus

hanc summam tribuit, ut infra expendam, computata vacatione sedis. Verum cum catalogi universi, et lectiones antiquæ, ac picturæ S. Pauli annos Alexandri numerent decem (præter unicum catalogum Liberii, qui septem assignat), videtur epocha ista decem annorum repeti debere ex ordinatione Alexandri ad episcopatum : quæ propterea incidet in autumnum anni 106. Is erat Trajani decimus, quando persecutio tertia vexare cœperat Christianos, ut ex litteris Plinii ad Trajanum constare jam diximus. Non deerat itaque causa, cur Evaristus, exemplum secutus sui decessoris Anacleti, vicarium episcopum sibi Romæ sublegentis in persecutione Domitiani et Principis apostolorum in Neronia na consecrantis Clementem, manus et ipse imponeret Alexandro, ut ex presbytero ordinaret episcopum adjutorem suum, et vicarium in Urbe : cujus ad cathedram et successionem Cleri suffragiis deinde vocatus diebus proximis a martyrio Evaristi, novam epocham sedis adeptæ inchoavit, recte signatam in catalogo Liberiano Palma et Tullo consulibus (Christi 109) quando primum Paschale tempus sui pontificatus ipsi numerabatur.

Cur autem catalogus Liberianus signet annos septem, ac menses duos, cæteris omnibus catalogis, et codicibus decennium tribuentibus, et Pontificali nostro octennium decernente, ita statuendum censeo. Picturæ basilicæ S. Pauli, catalogi veteres, et Lectionarii codices universi concordi numero referebant annos X, menses VII, et dies II, vel III. Suspicor membranas Bucherio memoratas (quæ unicæ olim spectatæ sunt Leunclavio exhibentes catalogum Liberii, et hodie tantum in exemplis præservantur) eosdem numeros exhibuisse. Sed vitio vetustatis fortasse detritæ in eo versu. Alexandri epocham indicante, minus evidentes litteras annorum indices retinebant. Quare numerus mensium VII in locum annorum, et numerus dierum III in locum mensium II a descriptore transponebatur, reservata unitate postrema perinde ac si ea sola ad dies pertineret. Nulla certe facilior est occasio promovendi notas numerales in classem proximam : præsertim cum sæpe contingat, ut in catalogis scriptor exprimat solummodo numerales notas X, VII, III, quibus initio catalogi indicationes appositæ annos, menses, ac dies distinguendos significarent. Vitiata igitur præ vetustate membrana, ita ut evanesceret littera X index annorum sequentes siglæ VII, quæ menses indicabant, a descriptore inter annales numeros sunt relatæ ; et consequentes unitates III, quæ dierum indices esse debuerant, fuerunt mensibus attributæ : sive etiam divisæ (si forte postrema unitas a duabus præcedentibus, paulo distantior apparebat II I) ut duæ priores pro mensibus, postrema pro die acciperetur. Cum igitur scriptum fuisset *Alexander X, VII, III,* in membranis autographis, evanescente sigla X, a descriptore redditum est *Alexander VII, II, I.* Verum picturæ superstites in basilica S. Pauli, quæ notam evidentem denarii ostendunt in sede annorum, et ternarium III manifestum exprimunt in dierum serie, retinentibus mensium numerum VII inter utramque summam codicibus tribus Italicis vetustissimis, catalogo Felicis IV et compluribus aliis supra relatis inter Prolegomena, ostendunt genuinam lectionem tribuere Alexandro annos X, menses VII, dies III, ex quo ad ordinem episcopalem promotus fuit.

Octennium vero sedis Romanæ ab Anastasii codicibus assignatum Alexandro cum mensibus quinque, et diebus duobus post vacationem sedis dierum 19 a morte Evaristi expressam in hac sectione, recte pariatur cum epocha utriusque martyrii. Si enim Evaristus pro Christo necatus est anno 108, die 26 Octobris qua colitur, et inde vacatio sedis dierum 19 perducta fuit ad diem 14 Novembris assignandam electioni Alexandri in Romanum pontificem ; potuit istius ἐνθρόνισμος perfici Dominica prima Adventus ; *quæ eodem anno incidit* in diem 3 Decembris. Inde vero ad diem 3 Maii anni 117, martyrio Alexandri celebrem, fluunt anni VIII, menses V, et dies duo, si computentur extremi hujusmet summæ.

Quare constat ratio utriusque epochæ in S. Alexandro, ordinationis scilicet ad episcopatum, et enthronismi ad Romanam sedem, ex fide, testimonio et concordia codicum, ac monimentorum, si statuatur B. Alexander ordinatus episcopus coadjutor S. Evaristi sub initium persecutionis Trajani anno Christi 107, die Dominica 29 Septembris : et post obitum Evaristi martyrio coronati die 26 Octobris anno 108 dicatur electus successor die 14 Novembris, et in pontificia sede collocatus die 3 Decembris ejusdem anni 108. Nam a die ordinationis si numerentur anni decem solidi, menses septem, ac dies tres, quot legimus in picturis basilicæ S. Pauli ; erit terminus summæ dies 2 Maii anni 117 æræ Christi, et dies proxima 3 Maii fuerit dies depositionis. Alterius autem epochæ a collocatione in pontificia sede Romana die 3 Decembris anni 108 (post mortem decessoris, et suam electionem), quæ in libro Anastasii, et in catalogo 7 Colbertino sinatur annorum VIII, mensium V, dierum II, rationes pariantur cum hoc intervallo temporis, et consulibus assignatis hoc in libro Pontificali, quam in Catalogis, et libris Lectionem.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 3. — *Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum quando missæ celebrantur.* Præcipuum religionis cultum, nempe sacrificium respiciunt prima Romanorum pontificum decreta. Ministerium sacerdotale attendit Petrus in promotione Lini et Cleti ad ordinem episcopatus (supra, num. 4). Numerum presbyterorum viginti quinque ex præcepto ejusdem Cletus instituit (num. 30). Diaconos septem episcopo solemni ritu sacra peragenti, et verbum Dei administranti apostolorum exemplo attribuit Evaristus (num. 6). Gradibus sacerdotii ita procuratis, loca sacrificiis apta, et synaxibus fidelium destinavit Anacletus in Vaticano (num. 5). Evaristus in titulis (num. 6) : decessorum vestigia relegens, et apostolorum, qui *publice et per domos* panem frangebant, ut fideles *perseverantes* essent *unanimiter in fractione panis, et doctrina apostolorum.* Ministris, et locis ita constitutis et enumeratis, precum quoque certarum ratio per summos pontifices ordinata est ad sacrificium adhibenda. Dominicam precationem apostolos jam docuerat sacerdos in æternum Christus Dominus. Ad hæc in sui memoriam ea facienda præceperat, quæ ipsi in cœna præstitisset. Paulus apostolus eadem recensuit in prima ad Corinthios cap. II : *Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem.* etc., quæ totidem ferme verbis recensentur in canone, non ætate modo nostra, sed etiam Ambrosii, lib. IV de Sacramentis, uti adnotavit card. Bona rerum Liturg. lib. II, cap. 13, memorans, in vetustis quoque Liturgiis Jacobi, et Clementis nomine donatis, eadem reperiri. Tenebant ex eodem Apostolo *(Philipp.* IV) oportere in omni oratione, et obsecratione, *ut cum gratiarum actione petitiones nostræ innotescant apud Deum* Quare *præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati,* una cum petitionibus orationis, formulas quoque *gratiarum actionis* in hymnis, ac præfatione, *obsecrationum* pariter per Sanctum sanctorum, qui offertur, una cum memoria eorum, in quos idem sanctificatur omnium gratiam, et gloriam suam contulerat, complectebantur. His autem omnibus miscenda erat Dominica Passio tum verbis, ac sententiis ex Evangelio petitis, tum crucis signaculo, passionis scilicet compendiario signo sæpius adhibito pro more nascentis Ecclesiæ, traditionem hanc derivantis ad posteros (Tertulliano teste in libro de *Corona militis,* ut *ad omnem progressum, atque promotum, aditum, exitum, vestitum, calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, crucis Signaculo frontem teramus).* Et hæc quidem memorat

Tertullianus statim, ac meminit *calicis, et panis nostri, cujus aliquid in terram decuti auxie patimur.* Connexæ enim erant disciplinæ *quarum traditio auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix.* Miscuit Alexander Dominicam Passionem precibus sacerdotum in missæ oblatione. Utique ad omnem progressum, atque promotum : utique ex traditione, ex consuetudine, ex fide apostolorum, et apostolicorum virorum, quos in canone recensemus. Miscuit, ex Evangelio Joannis, edito paucos ante annos quam Alexander pontificatum iniret. Inde enim elevatio oculorum (*Joan* XVII, 1) oratio pro præsentibus cum ipso in veritate, et pro universis per illorum verbum in se credituris. Nemo non videt, in precibus tam ante, quam post actionem ita misceri in canone memoriam, gesta, ac mysteria *Passionis* : quorum plurima cum Tertulliani ex indicatione teneamus consuetudine ac traditione ita firmata in fine secundi sæculi, ut Christianæ fidei coæva fuisse jam tum intelligantur ; Alexandri cura, ac decreto ex lege non scripta consuetudinis in scriptam canonis transierunt. Quare in sac. conc. Tridentino sess. XXII, cap. 4, merito asseritur, canonem missæ constare ex ipsis Domini verbis, ex apostolorum traditionibus, ac sanctorum pontificum institutionibus.

Linea 4. — *Martyrio coronatur, et cum eo Eventius presbyter,* etc. Acta S. Alexandri, et sociorum martyrum genuina ab interpolatis distinxit, et vindicavit sæpe laudatus præsul a Schelestratio tomo I Antiq. Eccl dissert. II cap. 30, quorum summa capita hic delibanda mirifice illustrant tum ipsius vitam, tum historiam Christianæ fidei, accessione nobilium virorum, ac feminarum, in Urbe plurimum amplificatæ. Antiquitatem Actorum commendant Martyrologia Bedæ, et Rabani, et Adonis, quorum primum sæculo octavo, alterum nono ab iisdem mutuantur quidquid referunt de Alexandri papæ martyrio, et sociis in agone presbyteris, Eventio, ac Theodulo. Commendat disciplina arcani, in iis observata. Commendat consensus cum chronologia, et Historia Cæsarea, ac tertiæ persecutionis sub Trajano, dum memorant Acta missum a Trajano, Seleuciæ agente (quando expeditionem susceperat in Parthos ante consulatum Pedonis, incidentem in annum Christi 115) judicem Aurelianum, qui tum Hermeti præfecto Urbis, et sorori ejus Theodoræ, tum Alexandro pontifici Romano, et Eventio, ac Theodulo presbyteris, tum Quirino tribuno, atque ejus filiæ Balbinæ martyrum intulit, et compluribus viris ab Alexandro papa in carcere baptizatis : quos naviculæ fatiscenti impositos altius in mare provectos demergi jussit. Istorum martyrum corpora, cœmeteria, tituli, et in eis inscriptiones pervetustæ adhuc superstites historiam tuentur. Hermetis præfecti Urbis, cœmeterium via Salaria ad secundum ab Urbe lapidem, cum ædicula subterranea, spectatur. Legis apud Aringhium lib. IV, cap. 37, n. 37. Inscriptiones vetustas, reliquiarum indices Hermetis præfecti Urbis, servat titulus S. Pudentianæ in lapide inciso sub Gregorio Septimo : Balbinæ, ac Theodoræ nomina refert antiquior epigraphe superstes in pavimento presbyterii diaconiæ S. Mariæ in Domnica, nono circiter sæculo insculpta : quo etiam loco ætate nostra beatæ Balbinæ ossa complura reperta sunt cum plumbea lamina inscripta : CORPUS S. BALBINÆ VIRG. inclusa marmoreo loculamento sub ara maxima constituto, et quidem in publicis tabulis actu relato. cum demandante sanctissimo Patre Clemente XI præfecti sacris reliquiis recognoscendis et curandis viri clarissimi Alexander canonicus Bonaventura paulo post creatus episcopus Nazianzenus, et Marcus abb. Boldetti nunc S. Mariæ Transtiberim canonicus, eo convenerunt, uti latius explicui in opusculo ea de re contexto. Corpus B. Quirini tribuni, Balbinæ Patris, Roma transmissum a Leone IX Gepæ abbatissæ circa annum 1050 publicis ex documentis docent Bollandiani socii ad diem 30 Martii fol. 813. Corpus denique S. Alexandri papæ cum sociis martyrii presbyteris Eventio ac Theodulo *translatum ex ipsius cœmeterio via Nomentana milliario* VII, *in Urbem, ac titulum S. Sabinæ* sub Eugenio. II vetus inscriptio ejusdem corporis custodi capsulæ insculpta comprobat, docente Aringhio lib. III, cap. 22. Cum igitur constet, inter antiquissima cœmeteria martyrum agri suburbani referri ea, quæ nobilitarunt Alexander, ac socii ejusdem in Actis memorati, suis corporibus eo illatis secundo sæculo, inde vero translatis sæculo IX, X, et XI mirum præsidium Ecclesiæ ab iis mutuatum, ipsorum Acta, et Ecclesiæ Romanæ historia in Actis hujusmodi præservat. Neque enim tantummodo evincitur. nobilitatis Romanæ partem non exiguam sub eo pontifice ad fidem fuisse conversam, quæ scilicet post consularem virum Clementem jam inter alumnos numerabat in Hermete præfectum. cum sorore, in Quirino tribunum cum filia. Sed etiam intelligitur, qui factum sit, ut catenæ, quæ Principem apostolorum pro Christo arctaverant, et in Actis leguntur a filia tribuni Balbina donatæ sorori præfecti Theodoræ, ita asservatæ sint a Christianis, ut tribus ab illa sæculis quando Eudoxiæ titulus erigebatur novum ab his cognomentum receperit. Nihil dissimile præstaret posita præ foribus diaconiæ S. Mariæ in Domnica, marmorea figura naviculæ, et ad exemplum veteris ibi renovata sub Leone X, si referretur hoc signum ad instrumentum martyrii tot fortium Christianorum, quibus cum nobilis virgo Balbina pergebat, dum ad mare submergendi deducerentur. « Eodem tempore (Acta referunt de Aureliano judice) jussit omnes Christianos, qui erant in carcere baptizati (ab Alexandro papa), duci ad mare, et in naviculam vetustam imponi, et in altum deduci, et illico omnibus manu ad manum ligatis, saxis in collo suspensis, ita ipsam naviculam vetustam, quassatam, et perforatam mergi in profundum : cum quibus et virgo Christi (Balbina) perrexit glorificans Deum, » etc. Hæc fusius prosequebar in memorato opusculo de reliquiis S. Balbinæ. Attingenda tamen obiter hic fuerunt, ut ostenderem, Bibliothecarii historiam, in Vita Alexandri muniri documentis æqualibus ætati ejusdem pontificis, aut proximæ, et per consecuta sæcula asservatis, ac lectis intra sacra cœmeteria, ac titulos Romanos, ubi deposita, et custodita quiescebant corpora SS. Alexandri, Quirini, Hermetis, Balbinæ, et Theodoræ, et annuis sacris Deo super illa oblatis publica fidelium veneratione eorumdem memoriæ recolebantur.

Non negat Schelestratius, in exemplaria nonnulla Actorum S. Alexandri sequiori ætate descripta irrepsisse aliquot menda ; imo admonuit esse distinguenda interpolata a genuinis (diss. II, cap. 3, n, 1). Indicat cum Baronio. ex Aureliano judice sub imperio Trajani ab amanuensibus mendose redditum Aurelianum imperatorem. Fortasse etiam ex Comite Trajani in Parthica expeditione perperam procusus est *comes utriusque militiæ.* Titulum enim hunc serius auditum, quam fuerant Trajani tempora, non negarim. *Comites* tamen *expeditionum* Romanis principibus adfuisse, eoque nomine honestatos legi in publicis inscriptionibus annis plusquam sexagenis ante imperium Trajani, probat celebre monumentum Ti. Plautii Silvani, in agro Tiburtino ad pontem Lucanum adhuc superstes, ita incisum, et in Grut. teri Thesauro excusum pag. 453.

TI. PLAVTIO. M. F. .. AN. (SILVANO AELIAN.). etc.
PR. VRB. LEGAT. ET COMIT I. CLAVDI I.
CAESARIS. IN. BRITANNIA. CONSUL I.
PROCOS ASIAE. LEGAT. PROPRAET. MOESIAE.

Hunc igitur *comitem Claudii imperatoris in expeditione Britannica* per varios dignitatum gradus ad præfecturam Urbis promotum, et legatum (in Hispa-

niam subinde missum, et *ad præfecturam Urbis remissum.*

SENATVS. IN. PRAEFECTVRA. TRIVMPHALIBVS.
ORNAMENTIS. HONORAVIT. AVCTORE. IMP.
CAESARE. AVGVSTO VESPASIANO, etc.
HVNC. IN. EADEM. PRAEFECTVRA. VRBIS IMP. CAESAR.
AVG. VESPASIANVS. ITERVM. COS. FECIT.

Hæc autem attigisse non piget, ut intelligamus primo, Schelestratium hæc jure præservasse a severiore censura Pearsonii, contra fidem gestorum Alexandri exercita pag. 227 operis posthumi, de serie et successione pont. Rom. occasione comitatus utriusque militiæ Aureliano attributi, et præfecturæ Urbis Hermeti assignatæ; si Acta genuina ab interpolatis secernantur. Displicet etiam Blondello ætas immatura, tam Eventio presbytero, quam Alexandro pontifici in Actis efficta, non tam *mendosis*, inquit, quam *mendacibus* : quo etiam nomine culpantur a Blondello in delegatione Aureliani ad internecionem Christianorum omnium : quasi non exstarent apud Plinium Trajani litteræ, ac rescripta mitiora ad relationem Tiberiani. Verum de ætate initiandorum ad presbyterium, vel ad pontificatum ævo illo apostolicorum virorum, ægre pronuntiaverit quisquis meminerit, adolescentem vocari Saulum in Actis apostolorum (XII, 57) dum lapidaretur Stephanus : quem tamen adolescentem ex persecutore redditum apostolum decennio post cum Barnaba ordinatum impositione manuum in suis annalibus Paulinis recognoscit in eodem posthumo libro Pearsonius ex cap. Act. XIII. Adolescentiam Timothei, episcopi ab se ordinati exprimit Paulus in prima ad eumdem Epistola cap. IV, vers. 12, cum aureo illo sæculo nascentis Ecclesiæ ætas senectutis esset vita immaculata : et nondum disciplinæ necessitas se obtulisset, quæ consecutis temporibus reservabatur, de provectiori ætate in sacerdotibus requirenda ; imo dum Alexander eligeretur pontifex, in ferventis olei dolium immissus Romæ paulo ante fuerat apostolus ille Joannes quem pene puerum electum fuisse a Domino Hieronymus affirmavit lib. I contra Jovinianum. Verum ea de re legendus Baronius ad annum Christi 101, n. 8 et 9. De 30 autem ætatis anno in Actis Alexandri signato, ejusque numeri correctione videndus Schelestratius diss. II. cap. 3, n. 12.

Quod vero attinet ad moderationem Trajani in Christianorum sanguine parcius fundendo, nemo negaverit plurimum interesse inter efferatas persecutiones Neronis et Domitiani, ac mitiorem Trajani. Sed nemo non agnoscet ex ipsis Trajani responsis ad Plinii epistolas, tertiam Ecclesiæ persecutionem ita sub eo principe exercitam, ut ii qui nostræ religionis titulo deferrentur, arguendi, et puniendi extremo supplicio forent. Quare cum Acta producantur *omnium Christianorum cædem* jubentia : vel de omnibus qui deferrentur et arguerentur, ea cædes et sententia intelligenda est ; vel *omnium* dictio abundat in actis interpolatis.

Linea 5. — *Hic constituit aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum.* Cardinales Baronius et Bona, ille ad annum Christi 132, ex num. 3 ad 5, hic rerum Liturg. lib. I, cap. 20, n. 5. probant ex SS. Patribus, ab apostolica institutione ad nos derivasse ritum æquæ benedicendæ non ad baptismum tantummodo ministrandum, sed ad quemcunque usum purgandi per invocationem divini nominis, et per sacerdotalem benedictionem, ac preces sanctificandi aquæ elementum. Quare Alexandri decreto vetustam consuetudinem stabilitam docent. Cur autem salis admistio, benedictioni sit copulanda, et cur in habitaculis hominum collocanda hæc aqua aspersionis, non ita difficulter assequimur ; si ritum ablutionum attendimus veteri lege a Domino constitutum, et ab apostolis in novo *fœdere non rejectum*, sed providenter aptatum implemento Scripturarum, et figurarum, quæ præmittebantur fidei Christianæ.

Ita enim illi temperarunt disciplinam, ut per frugalem aspersionis usum excitarent animum ad purgandos dedicatione Christiana mentis affectus, et longe arcerent superstitiosam, et quotidianam totius corporis ablutionem, ab hemerobaptistis excogitatam, uti providenter admonuerat Tertullianus, ejusque interpres de la Barre in lib. de Oratione cap. 12. Baronius an ann. 57, n. 106 et seqq. ostendit, in more positum apud Hebræos, ut non solum pontifex, et sacerdotes ante ingressum sanctuarii manus ac pedes lavarent in labro æneo, de quo Exodi cap. 30, verum etiam Judæi omnes nonnisi manibus lotis adorarent, Aristæa id affirmante. Inde autem putat descendisse ad Christianos ætatis apostolicæ, et ad consequentes eam consuetudinem : « Fluxisse, inquit, hæc consuetudo videture Judæorum ritibus. Nam non tantum (ut dictum est) ipsorum sacerdotes, sed et cæteros Judæorum nonnisi manibus lotis adorare consuevisse tradit Aristæus de Septuaginta duobus Interpretibus hæc scribens : *Rege consalutato. ad consueta loca divertunt ; atque (ut mos est Judæis omnibus) manibus prius in mari lotis Deo preces effundunt.* Et paulo post : *Interrogavi equidem et illud quoque, cujus gratia cum vota facerent, manus prius lavarent? Quærenti talia, demonstrarunt; illud testimonium esse, ne quid perperam agant, sed pie sancteque perficiant, quandoquidem universa opera manibus exercentur : recte singula ad veritatem et justitiam referentes.* » Subdit vero ad num. 106 Baronius : « Sed quod ad Christianos pertinet. consuevisse eos ante precationem manus abluere, secundum quod monet Apostolus *(1 Tim.* II) : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus,* non tantum, quæ diximus docent, sed et antiqua ecclesiasticorum scriptorum testimonia confirmant. Nam et apud Clementem legitur *(Const. Ap.* lib. VIII, cap. 58), ut Christianus lotus oret : sed et Tertullianus hoc ipsum demonstrat, dum ait [*de Orat.* c. 11]). Cæterum quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente, orationem obire. » His addit complura in eamdem sententiam ex S. Joanne Chrysost. aliisque Patribus. Meminit quoque ad annum 101. num. 6 sæpe a se probatum fuisse, tum Dominum, tum etiam apostolos multa esse mutuatos ex legali instituto.

Mihi placet in Tertulliani testimonio paulisper procedere : in quo videtur origo, et causa apostolicæ consuetudinis, et decreti per Alexandrum firmati, ut admisto sale benedictio aquæ perficeretur, et fidelium in habitaculis custodiretur. Sequitur itaque Tertullianus percontari, et reddere causam ablutionis manuum ante orationem. « Id cum scrupulose percontarer (inquit) et rationem requirerem, comperi commemorationem esse in Domini dedicationem. » Et paulo post subdit : « Nos vero (Christiani) non attollimus tantum, sed etiam expandimus (manus) et Dominica passione modulantes, et orantes confitemur Christo. » Ex quibus verbis apparet, a presbytero secundi ac tertii sæculi causam perquisitam, ac redditam fuisse tum ablutionis manuum, tum expansionis apud Christianos pridem receptæ in precibus ad Deum fundendis. Commemoratio est in dedicationem Domini, ejusdem passionis significatione, ac fide peracta. Hujus rei gratia cum orare nos velit Apostolus, in omni loco levantes puras manus, utique in dedicationem Domini hostiam laudis oblaturis, præsto esse conveniebat ritum a Deo institutum in veteri fœdere abluendi manus offerentium, sed altius provectum invocatione divini nominis per Verbum Deum nobis revelati, et passionis ejusdem fide, ac merito sanctificatum in ea aqua aspersionis; quæ non cinere vitulæ commisto, ut in legalibus sacrificiis ad emundationem carnis divino jussu paratis, sed Christi Domini cruce, et sanguine, ad spiritum purgandum profuso, nos docent sperare, ac petere.

Cum autem nulla oblatio rite Deo fieret nisi adjecto sale, quod præceperat Dominus Levitici II, vers. 13: *Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione tua auferes sal,* apostoli, et pontifices, ut insinuarent Christianis oraturis, sive in ecclesia, sive domi, precum suarum ubique offerendarum dedicationem a Dominica passione vim percipere, quæ universas eminenter continet, ac superat oblationes, sal admiscere congruum duxerunt in aqua dissolvendum, quæ invocatione divini nominis, ac producto super eam signaculo crucis Christi exprimeret veteres oblationes in novo fœdere dissolutas: et altius provectam ad spiritum expiandum novam hanc aspersionem sanguinis, et aquæ, e Christi latere profluentis: multoque præclarius conscientias nostras inde mundatum iri, ut ait Apostolus; quam Aaron et Levitæ legalium victimarum sanguine, ac cinere aqua permisto mundarentur. Huc vero pertinet adnotatio adm. R. P. Calmet ad caput Levitici octavum vers. 13: *In omni oblatione tua offeres sal,* et ad Numerorum cap. VIII, v. 7, et ad cap. XIX, vers. 17, ubi ritus aquæ lustrationis præcipitur. Ibi ex Philonis lib. III, de vita Mosis (cui addi potest aliud ejusdem Philonis opusculum de Victimas offerentibus) nonnulla protulit ad significationem ejusmodi rituum pertinentia apud Hebræos: et plura indicata ex Augustino, ac Theodoreti quæstionibus in Numeros, quæ in figura aspersionum legalium, Christi mortem prænuntiante, purgationis nostræ auctorem, ac fontem ut contemplaremur nos admonent: hoc ipsum curante Ecclesia in benedictione aquæ, ac salis, qua ut conspergeremur instituit. Quemadmodum igitur ex Tertulliani testimonio patet, ritum expansionis manuum inter orandum, apud Christianos ab ætate apostolica profectum, significare passionem Dominicam, quam confitemur, et ex qua vim impetrandi precibus a Deo tribui speramus per Dominum nostrum Jesum Christum, cujus invocatione preces concludimus: ita enim initium orandi facimus a fide passionis Christi, ea nos aqua aspergentes, in cujus ritu appareat, fateri nos, et credere, omnem oblationem veterem longe superari a commemoratione Dominicæ dedicationis, seu Passionis et sacrificii, quod cruce producta, et sacerdotum precibus super aquam fusis Ecclesia rite recolendum accepit ex ætate apostolica, ejusque indicium perenne asservari tum in publicis Christianorum conventibus, tum in privatis domibus: uti Alexander papa mandavit, auctoritatem secutus hujus instituti ad superiora tempora referendi, quemadmodum ex Tertulliano colligitur, aliisque scriptoribus a Baronio productis.

Æquum vero fuit, ut Alexandri ætate hujusmodi decretum stabilius sanciretur. Cum enim illius proximus decessor Evaristus titulos Romanis presbyteris divisisset, qui conventus erant fidelium ad synaxes, et preces publicas; curandum fuit, ut ritus inchoandæ orationis a majoribus traditus in titulis diligentius observaretur. Crescente autem fidelium numero per accessionem Romanæ nobilitatis ad Christum sub Alexandro pontifice, nova in dies oratoria fundabantur, et cœmeteria aperiebantur, ubi fierent collectæ. Neque his deesse debuit eadem tessera purgationis ante orationem. Quo enim accuratius abstergerentur maculæ præcedentes a fidelium animis ad orandum se comparantibus, excitanda fuit fides, spes, charitas, in hac aspersione, quam Tertullianus appellat *memoriam dedicationis Christi.* Et quo caveretur efficacius, ne alias imposterum contraherent labes, quæ preces vitiarent; invocandum fuit contra malignos spiritus, felicitati nostræ invidentes, et insidias parantes, nostri Redemptoris præsidium, sacerdotis voce jussuque rite præeunte in aquæ hujus dedicatione, ac exorcismis, ad impetus rebellium Deo spirituum virtute Christi frangendos, et coercendos. Hæc omnia cum satis explicet antiquissimus ritus, et usus aquæ benedicendæ, et asservandæ, tum ad baptismum in fonte, tum ad aspersionem in atriis ecclesiarum, a prima ætate illarum fundationis, quæ originem ostendit Christianæ religionis exordio supparem; non est cur diutius immoremur in Alexandri decreto, aut opportunitate ejusdem comprobanda; eo potissimum tempore, quo titulorum divisio peragebatur, et Christianarum ædium frequentia quotidianis augmentis majorem orandi copiam præbebat sive in conventu universi cœtus fidelium, sive in privatis recessibus singulorum.

Linea 8. — *Qui etiam sepultus est via Nomentana ubi decollatus est, ab urbe Roma non longe milliario* VII. Cœmeterium ibi a fidelibus constructum: ex quo etiam ætate nostra extracta fuisse aliquot corpora sanctorum martyrum memorat V. C. Boldettus lib. II, cap. 18, pag. 569, Observationum ad Cœmeteria.

CIACONII

Linea 3. — *Hic passionem Domini miscuit in precationem sacerdotum, quando missæ celebrantur.* S. Alexander in memoriam passionis Christi, primus in sacrificio missæ addidit, *Qui pridie quam pateretur,* usque ad verba: *Hoc est corpus meum.*

Linea 5. — *Hic constituit, aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum;* ad horum scilicet purificationem, dæmonesque fugandos.

PAGII.

Linea 3. — *Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando missæ celebrantur.* Ad quæ verba Petrus Urbevetanus in Scholiis ineditis notat, *ibi videlicet tam beatæ passionis.* Alii etiam passim scribunt hanc orationem, *Unde et memores, Domine,* quæ post consecrationem a sacerdote dicitur, ab Alexandro institutam. Sed si precise de memoria passionis sermo sit, sive istis, sive aliis verbis fiat, ea certe non fuit, inquit cardinalis Bona lib. II rer. Liturgic. cap. 13, n. 3, ab hoc sancto pontifice instituta, ut præclare observat Baronius anno 132, num. 3, habemus enim hac de re expressum in Evangeliis præceptum Domini, et Paulus in I ad Corinth. cap. 11, luculentum ejusdem rei testimonium præbet dicens: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Idem libri Pontificalis auctor ait, Alexandrum decrevisse ut aqua benedicta in habitaculis hominum asservaretur: quem usum aquæ benedictæ ab apostolis traditione emanatum, et Alexandri decreto stabilitum probat Baronius loco citato. Sacerdos ad consecrationem accedens præmittit hanc orationem: *Quem oblationem,* etc. Tum ait sacerdos: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem,* etc. Quam clausulam, *qui pridie,* etc. idem auctor libri Pontificalis, Valfridus, et alii, ab Alexandro additam opinati sunt. Sed rectius sentit Alcuinus etiam apostolis in usu fuisse, de quo, sicuti et de consecratione, ejusque forma et ritu, lege Bonam loco laudato; qui et cap. 9, n. 3, observat, aquam in calice vino misceri ex Christi institutione, non vero, ut quidam perperam scribunt, ex decreto Alexandri: qui ideo dicitur hujus mistionis auctor, quia adversus hæreticorum errores, quod ex Domini, et apostolorum traditione acceperat, scripto firmavit. Prolixam de hoc argumento scripsit epistolam S. Cyprianus ad Cæcilium ordine 63, quam laudat S. Augustinus lib. IV de Doctr. Christ., cap. 21.

Linea 4 — *Martyrio coronatur.* Tertiam Ecclesiæ persecutionem ab anno Christi centesimo septimo, Trajani imperatoris decimo orditur Eusebius in chronico, quia scilicet eo anno plurimum aucta, usque ad Trajani obitum est continuata. Anno 111, cum Plinius Secundus Bithyniæ proconsul habita quæstione de Christianis, eos falsis criminibus accusari deprehendisset, ad Trajanum scripsit epistolam XCVII, libri X, retulitque eos nullius impietatis, aut violationis legum esse reos: se solum animadver-

tisse, quod primo diluculo a somno excitati, Christo tanquam Deo hymnos canerent : cæterum adulteria, homicidia, et reliqua hujusmodi crimina illos etiam aversari, cunctaque ex præscripto legum agere Rescripsit Trajanus in hæc verba : *Conquirendi non sunt : si deferantur et arguantur, puniendi sunt.* In illa persecutione Simeon Cleophæ filius Hierosolymorum episcopus annos natus 120 cruci affixus est, cujus martyrium ex Hegesippo describit Eusebius lib. III. cap. 32. Martyrium pariter subiit sanctus A Ignatius episcopus Antiochenus ex eodem Eusebii libro cap. 36, uterque anno 116, ut legere est criticæ Baronianæ anno 107. Hæc persecutio duravit usque ad annum Adriani imperatoris decimum, Christi 126, qui ejus æstum mitigavit, suorum decennalium occasione, de quo legendus Eusebius lib. IV, cap. 8, ubi ista refert ex S. Justino in Apologia ad imperatores, et cap. 9 Adriani epistolam exhibet, ne quis Christianorum indicta causa puniatur. Legenda itidem Baronii critica.

VIII. SANCTUS SIXTUS

ANNO CHRISTI 132 ADRIANI IMP. 13.

8 *Sixtus, natione Romanus, ex patre Pastore, de regione Via lata, sedit annos decem, menses tres, dies viginti unum* [a]. *Fuit autem temporibus Adriani* [b] *usque ad Verum et* Anniculum [c]. *Martyrio coronatur. Hic constituit ut ministeria* [d] *sacrata non tangerentur nisi a ministris* [e]. *Hic constituit ut quicunque episcoporum evocatus fuisset ad sedem apostolicam* [f], *et rediens ad parochiam suam, non susciperetur nisi cum litteris* patriarchæ salutationis plebi [g] quæ est formata. *Hic fecit ordinationes tres* per mensem Decembris : *presbyteros undecim, diaconos quatuor* [h], *episcopos per diversa loca numero quatuor. Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticanum* III Nonas Aprilis [i], *et cessavit episcopatus dies duos.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Adriani a consulatu Nigri et Aproniani usque Vero III et Ambibulo.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *B* an. 10, mense 1 et d. 22. [b] et Antonini Pii. [c] *B*, usque ad Ant. Aug. et M. Aurel. Anton. cos. [d] vasa. [e] *C*, m. sacratis. [f] *CB*, Romanam apost. [g] *CB*, nisi cum formatis salut. ad plebem a sede apost. *Vide Bar. ad an.* 142. [h] *CB* tres. [i] *CB* VIII Id. April.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Frehcri.

Num. 8, *lin.* 6, *B* cum litteris apostolicæ salutationis. *lin. cad.*, quod.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 2, tempore Adr. *lin* 3, ann. consules. Hic constituit ut m. s. *lin.* 6, lit. sedis apostolicæ salut. p. *Maz. ut edit. Ibid.* quod est f. *lin.* 7, pr. 11. *Maz*, pr. 5. diac. 11. *lin.* 8. loca 4 ; hic martyrio coronatus est, et sepultus j. c. *lin.* 9, in Vaticano.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 2, menses 2, diem 1. *lin.* 5, apostolicam rediens. *lin.* 6, salutationis plebi, quod est formatam. Hic constituit ut intra actionem sacerdos incipiens populo hymnum decantaret, *Sanctus s. s. Dominus Deus Sabaoth*, etc. Hic fecit, etc, *lin.* 9, in Vaticano.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin 2, *Cassin. et Flor. duo,* menses duos, diem unum. *lin.* 2, *Flor. prim* , Ambiguus Bibulus. *lin* 5, et rediens, *Deest in Vatic. et Flor.* et. *lin.* 6, *Cassin.*, apostolicæ. *Vatic. et Flor.* duo sedis apostolicæ, *lin.* 9, *Flor.*, Vaticano.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, Xystus. *lin* 9, BP, in Baticanum III Nonas April. et cessavit episcopatum dies II.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRA

Linea 3. — *Hic constituit ut ministeria sacra non tangerentur, nisi a ministris* Decretum Sixti est, ne vasa sacra ab aliis quam a sacris ministris contrectentur can. *In sancta de consecr.* dist 1. Ex conc. Laodicensi, can. 21, non licet subdiaconis, quorum nondum sacer erat ordo, sacra vasa contrectare. Ex conc. Bracar. I. can. 28, idem interdictum est lectoribus. Can. *Non oportet*, *Non licet*, 23 dist. ministeria sunt vasa sacra. Anastas. in Gregor II : « Ambonem etiam marmoreum in eadem ecclesia fecit, eamque diversis ditavit linteis, atque ministeriis. » Idem in Urbano : « Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea. »

Linea 4. — *Hic constituit ut quicunque episcoporum evocatus fuisset ad sedem apostolicam, et rediens ad parochiam suam, non susciperetur, nisi cum litteris patriarchæ salutationis plebi, quæ est formata.* Sixti alterum decretum est, ne episcopus evocatus ad sedem apostolicam, inde rediens in sua ecclesia admittatur sine formatis, ut liqueat, an habeat

ionem sedis apostolicæ. Formatæ erant lit- A
bus significabatur, portitores litterarum ha-
mmunionem sedis apostolicæ. Optat. lib. II
tam seriem Romanorum pontificum a Petro
d Siricium : « Cum quo nobis totus orbis
cio formatarum, in una communionis socie-
ıcordat. » Et Augustin. epist. 163 : « Hic
sserere conatus est, ubique terrarum esse
ionem suam. Quærebam utrum epistolas
ıicatorias, quas Formatas dicimus, posset
em dare. »

BENCINI.

4. — *Hic constituit, ut quicunque evocatus
l sedem apostolicam.* Secundo Christiano sæ-
ualem fuisse persuasionem obsequii hujus
pponit Irenæus eodem tempore vivens, qui
ter asserit : « Ad Romanam Ecclesiam pro-
entiorem principalitatem necesse est om-
venire Ecclesiam. » Necessitas conveniendi
ıtiorem principatum exigit etiam evocatio-
currisse vero in gravioribus causis Ecclesias B
n apostolicam probat missio ejusdem Irenæi
ficem facta ab episcopo, et Ecclesia Lugdu-
ım epistola, in qua sic apud Euseb. lib. IV :
tteras ut ad te perferret, fratrem et colle-
strum Irenæum hortati sumus. Quem qui-
t commendatum habeas rogamus utpote
ɔrem testamenti Christi. » Et in fine ejusdem
'ertullianus de istiusmodi evocatione Eccle-
Africanarum ad sedem apostolicam non
loquitur, cum scribit de Ecclesiis aposto-
ɔundis pro veritatis examine (*de Præscript.*.
*Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas
est.* Particula vero illa *quoque* designat,
Africana Ecclesia, sic a reliquis expostulata
auctoritativa. Quod exemplo probat Asiana-
clesiarum quarumdam in causa discernendæ
iæ, quæ ad Anicetum recursum fecerant, et
emanatis (*auctoritates* vocat Tertullianus lib.
Praxeam) deinde utebantur. Ita enim ille : C
dem tunc episcopum Romanum agnoscentem
phetias Montani, Priscæ, et Maximillæ, et
gnitiones pacem Ecclesiis Asiæ et Phrygiæ
em, falsa de ipsis et Ecclesiis eorum asse-
, et Præcessorum ejus auctoritates defen-
ɔoegit, et litteras pacis revocare jam emissas,
ıposito revocandorum charismatum conces-
Ejusdem sæculi Dionysius Corinthiorum
ıs testis accedit, qui fratres commemorat
ntes ad sedem apostolicam, et sermonibus
ice firmatos in epistola Romanis data, dum
beneficentiam laudat. « Atque hunc morem
us vester Soter non servavit solum, verum
dauxit, tum munera sanctis destinata sub-
ans, tum fratres peregre advenientes tan-
beros suos pater amantissimus beatis sermo-
ɔonsolando. » Commercia litterarum cum
ab Urbe provinciis a sede apostolica eodem
frequentata, et sequenti docet alter Dionysius
Irinus, cum de profusa sedis apostolicæ lar-
ı subveniendo Ecclesiis hæc Stephano ponti-
ɔripsit apud Euseb. lib. VII, c. 5 : « Syria-
ıoque provinciæ omnes cum Arabia, quibus
ɔm necessaria suppeditatis, et quibus litteras
ripsistis. » Erat litterarum a Stephano dire-
argumentum de non rebaptizandis hæreticis,
istolas dedit cunctis Ecclesiis (Lirinensi teste
o commonitorio) ne hæresis rebaptizantium
erperet, neve eo errore, in oriente dissemi-
eteræ coinquinarentur Ecclesiæ. De hac sedis
cæ sollicitudine in dirigendis encyclicis ad
præcavenda loquitur clerus Romanus, sede
, in epistola data clero Carthaginensi, apud
ɔist. 3 : « Nec enim hoc solum verbis vos
ır, sed discere poteritis a pluribus e nobis
venientibus, quoniam ea omnia nos Deo
te fecimus, et faciemus cum omni sollicitu-
dine, et periculo sæculari, ante oculos plus habentes
timorem Dei, et pœnas perpetuas, quam timorem
hominum, et brevem injuriam, non deserentes fra-
ternitatem, et hortantes eos stare in fide. » Hæc
epistolarum, et missorum directio certo supponit
frequentes et assiduos commeatus utriusque partis.
Ad quod facit, quæ observantur in epistola Cypriani
ad Antonianum, dum scribit aliquos Africæ episco-
pos, inter quos Pompeius et Stephanus, præsentes
fuisse electioni Cornelii, etsi tunc sævissima Daciana
persecutio vigeret (*epist.* 52) : *Factus est episcopus
a plurimis collegis nostris, qui tunc in Roma aderant* ;
legatur et epistola 41, ubi de episcoporum accessu
ad Cornelium pontificem loquitur, et eorumdem in
Africam regressu, ad schismaticorum causam jam
prostratam denuntiandam per Caldonium, Fortuna-
tum, Pompeium, et Stephanum episcopos, qui in
pleno totius Africæ concilio rem exposuere, uti
Cyprianus rescripsit. « Nam et ego, et collegæ plu-
rimi qui ad me convenerant, exspectavimus adven-
tum collegarum nostrorum Caldonii et Fortunati,
quos ad te nuper, et coepiscopos nostros, qui ordi-
nationi tuæ adfuerant legatos miseramus, uteis adve-
nientibus, et rei gestæ veritatem reportantibus partis
adversæ improbitas frangeretur. Supervenerunt vero
Pompeius et Stephanus, collegæ nostri, qui et ipsi
quoque ad instruendos istic nos, manifesta secundum
gravitatem, et fidem suam indicia, et testimonia pro-
tulerunt, ut nec necesse fuerit audiri ultra eos, qui a
Novatiano venerunt missi. » Frequens episcoporum
ac fidelium commeatus, et epistolæ responsivæ ad
Ecclesias directæ ob Romanorum pontificum disci-
plinam ecclesiasticam instaurandam ostendunt, li-
brum Pontificalem potuisse adnotare admissam evo-
cationem ad sedem apostolicam, et certiori forma
ab Alexandro constabilitam esse, quæ ex usu re-
cepto et consuetudine priori observabatur.

Linea 6. — *Nisi cum litteris patriarchæ.* Hæc est
una de additionibus secundo catalogo Rom. pontifi-
cum insertis, et quidem posteriori manu, cum in
præsenti Alexandri sæculo *patriarchæ* nomenclatio
inter ecclesiasticas Christianorum voces frequentata
non legatur (etsi inter Ægyptiorum sacros gentilitatis
ritus usurparetur hoc tempore, ut constat ex Adriani
imperatoris epistola), et aliena censeatur ab usu
ecclesiasticarum epistolarum trium priorum sæculo-
rum- imo interpolatorem secundi catalogi non scri-
psisse *patriarchæ*, sed solam litteram P. nempe Petri
nomen exprimentem putamus, qua littera veluti
tessera episcopi, et fideles dignoscebant, discrimi-
nabantque epistolas canonicas a reliquis, et per
eamdem innotescebat communionis catholicæ eum
esse, qui eadem a sede apostolica dignabatur. Nec
aliter intelligi debere additionem ex eo colligitur,
quod hisce prioribus temporibus sicut patriarchæ
nomen inauditum, sic nullum exstat vestigium, aut
testimonium formatas epistolas eo patriarchæ no-
mine insigniri : cum tamen frequentissimum es-
set in epistolis pro tessera nomen Petri apponi,
uti advertit Atticus Constantinopolitanus, qui de
epistolis canonicis agit, quique asserit notam præ-
dictam appositam epistolis formatis de Petri no-
mine, fuisse a Concilio Nicæno approbatam. Cum
itaque nullibi legatur, in epistolis canonicis ap-
positam primis temporibus notam nominis pa-
triarchæ, bene tamen S. Petri, et apponi illis tem-
poribus testatum reliquerit Atticus ; affirmandum
inde, consarcinatorem horum actorum addidisse
tantum litteram P., intelligendo nempe Petri, sed
amanuensium licentia, potius ignorantia litteram
explanatam per patriarchæ vocem. Hæ porro notæ
nominum additæ, ut epistolæ symbola, plerumque
litteris solis initialibus indicabantur, uti Ferrarius
late observat in opusculo de litteris ecclesiasticis,
et alii post ipsum. Credibile igitur videtur Sixtum
suo decreto statuisse, ut imposterum propria episto
larum formatarum nota esset S. Petri nomen con-

tractum, et per has episcopis directas probatam unius cathedræ Petri societatem, et communionem, uti aiebat Optatus supra, quam ostentabant Episcopi per epistolas hasce communicatorias, ut probarent unitatem Ecclesiæ et unius communionis. Imo si quæ synodicæ, aut encyclicæ epistolæ a conciliis edebantur, præmittebatur pontificis nomen ante alios episcopos, ut hæc societas, et una cathedræ Petri communio denotaretur. Observationem S. Augustino debemus, qui lacessens Cresconium Donatistam, inter alia argumenta adducentem communionem totius Orientis cum Donato recognitam a Sardicensi concilio, advertit synodum scribentem Donato esse cœtum Arianorum, qui ut sese opponerent Sardicensi conventui catholicorum, alium conventum eo loci habuerunt : insuper ex eo etiam esse pseudosynodum deducit, quia si universalem consuetudinem servasset, debuisset synodus, aut præmittere nomen veri pontificis aut saltem episcopi Donatistarum nomen, quem uti Petri cathedræ successorem gregalibus venditabant Donatistæ, cum esset hæc recepta consuetudo. Proponit argumentum Cresconii contendentis ecclesiam Orientalem in Sardicensi concilio cum Donato communicasse (l. III, c. 34, pag. 186): « Sed Orientales, quos modo nostros esse concedis, non latuisse hoc facinus dicis. Atque ut hoc probes, inseris principium epistolæ concilii Sardicensis, ubi Donati Carthaginis episcopi vestri nomen invenitur ascriptum. Quod ideo factum putas et affirmas, quod videlicet Orientalibus, qui de concilio suo hæc scripta miserunt, disciplicuerit traditorum, et ab eorum se communione retraxerunt, et propterea Donato vestro communicabant. » Cui Cresconiano dicto hæc Augustinus : « Disce ergo, quæ nescis : Sardicense concilium Arianorum fuit, quod notum jamdiu est, ut habemus in manibus; contractum maxime contra Athanasium episcopum Alexandrinum catholicum, qui eorum errorem ex ipsa civitate ortum, præ cæteris acriter arguebat et refellebat. Non igitur mirum si illi hæretici Donatum sibi asciscere tentaverunt, quos per totum orbem catholica damnabat Ecclesia ; quanquam nos sine civitatum nominibus episcopos, ad quos hæ litteræ datæ sunt habeamus. Aut ergo aliquis Donatus fuit non in Africa episcopus, cui nomini Carthago a vestris est addita, aut, ut dixi, Africanam Orientalis hæresis tentavit adjungere. Quod hinc maxime credibile est quod ad Carthaginis episcopum, Romano prætermisso, nunquam Orientalis catholica scriberet : ubi saltem vester scribi debuit, quem soletis Romam paucis vestris mittere ex Africa. » Interim tamen per epistolas a pontifice directas veram communionem indicatam, ut certum ex recepta consuetudine supponit Hieronymus, in schismate Antiocheno a Damaso expostulans, « cui apud Antiochiam debeam communicare, » et mox : « Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt..... Obtestor beatitudinem tuam... ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes. » Qua persuasione imbutus Gratianus, constitutum anno 378 edidit, ut illi catholici conserentur qui cum Damaso communicabant, et Ruffinus cum a Siricio formatam obtinuisset, dum Romæ esset, et deinde ab Anastasio papa ob dogma Origenianum reprehenderetur, protulit veluti communionis catholicæ tesseram Siricii formatam. Unde illud S. Hieronymi Apolog. II adversus Rufinum : « Siricii jam in Domino dormientis profers epistolam, et viventis Anastasii dicta contemnis. »

Salutationis plebis. Alii codices legunt. *Nisi cum formatis salutationis ad plebem a sede apostolica.* Altera formatarum, quas tradebant pontifices, erat nota salutationis apostolicæ sedis ad plebes directa, merito S. Petri, cujus nomen uti tessera erat appositum in formata. Formata namque erat communionis index, et societatis tessera cum Petri cathedra, *de qua gloriabantur* universi fideles, uti Donatistis ea communione destitutis Optatus exprobrat : *Nunquid poteris approbare mendacium esse cathedram Petri, ubi est nostra societas ?* Et Augustinus catholicos a Donatistis discriminat ex societate cum cathedra Petri (*adv. Petil.* l. II, c. 41) : *Qua nos in catholica communione connectimur*, ut Petiliano Donatistæ opposuit, ut eorum schisma exprobraret. Inde episcopi a sede apostolica regredientes cum formatam haberent, et hanc plebibus ostenderent, pontifex nomine Petri plebes benedicebat et salutabat juxta Pauli consuetudinem. Consuevisse episcopos catholicos, multo magis pontifices, plebes in publicis cœtibus salutare docuit Optatus l. III, p. 84, dum ita Parmenianum, et Donatistas, et Macrobii schismaticum ambitum convellit : « Episcopalis tractatus probatur ab omnibus sanctitate vestitus, salutatione scilicet geminata. Non enim aliquid incipit episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine Dei salutaverit. Similes sunt exitus initiis. Omnis tractatus in Ecclesia a nomine Dei incipitur, et ejusdem Dei nomine terminatur. Quis vestrum audet dicere, Episcoporum more Macarium populum salutare? igitur cum nec salutaverit antequam aliquid loqueretur, nec salutare ausus sit postquam locutus est... quid est quod dicitis, pollui potuisse episcopale collegium, cum ab omni episcoporum officio Macarium videtis alienum ? » Cum igitur fideles uti communionis tesseram haberent formatam ab apostolica sede obtentam ab episcopis in regressu, et hanc iidem populis intimarent, ut probarent societatem cum cathedra Petri, non erat inutile, si plebibus pontifex salutationem pronuntiaret, cum salutatio index esset episcopalis, et multo magis pontificalis officii. Quomodo intelligenda veniunt verba postrema S. Gregorii l. VII, ep. 29, pag. 226, ad Eulogium patriarcham Alexandrinum scribentis : « Benedictionem S. Marci evangelistæ, imo quod est verius sancti Petri apostoli, in ea dulcedine, qua est transmissa suscepimus, et salutationis alloquium persolventes. » etc. Hinc elucet, quomodo salutatoriæ epistolæ primis sæculis essent, et in summo pretio haberentur, ac custodirentur singulari diligentia, ut docent acta Felicis. Legitur vero in Actis, quod Alfius Cæcilianus, cui tempore Diocletianeæ persecutionis onus impositum incendendi sacros codices, hæc deposuit in Actis (post Optat. pag. 96) : « Tunc mittunt in domum episcopi Felicis ; ut tolleret inde Scripturas, ut exuri possent secundum sacrum præceptum. Sic Galatius nobiscum perrexit ad locum, ubi orationes celebrare consueti fuerunt. Inde cathedram tulimus, et epistolas salutatorias, et omnia ostia combusta sunt secundum sacrum præceptum. » Addit Alfius, se hæc Felici denuntiasse per epistolam, in qua hæc legebantur. » Cum Galatius unus ex lege vestra publice epistolas salutatorias de basilica protulerit. » Veluti reum traditionis sacrorum codicum Felix Cæciliani ordinator traducitur, quia *epistolas salutatorias* permiserit ex cathedra, ubi reservabantur extrahi a pagano satellite. Porro epistolas salutatorias inter sacros codices recensere, in cathedra epicopali reservare, in crimen traditionis vertere earumdem raptum, supponunt pondus earumdem : hæc autem æstimatio aliunde oriri non poterat, nisi quia hæc a pontificibus exarata indices essent communionis et societatis cum cathedra Petri, et veluti quoddam sacrum pignus unius fidei et communionis cum catholica Ecclesia certa tessera.

Quæ est formata. Formatarum epistolarum varium est discrimen. Qui addidit hanc periochen, voluit designare notas apponi consuetas in epistolis datis episcopis ex Urbe regredientibus, ut haberent litteram P., et simul denuntiatam haberent a pontifice *salutationem ad plebem* factam a pontifice ; et epistolam sic conceptam genus esse epistolæ formatæ edicit, Per has tempore persecutionis retentas, ac ad invicem missas Ecclesiæ deprehendebantur

clesia per orbem diffusa ; et ubi harum
m commercia non deprehendebantur,
etatem esse hujus corporis populum, seu
intelligebatur : harum autem subsidio
bique locorum, ubi vigebat catholica Ec-
ınia communis, societatis, et hospita-
:ia experiebantur. Hujus generis epistolæ
sseram quamdam habebant, per quam pro-
esse in societate cathedræ Petri. Quod in-
Optati verba de Damaso dicentis : « Cum quo
s orbis commercio formatarum in una com-
societate concordat ; » seu, ut Barthius
m quo nobis totius orbis commercio forma-
ına communionis sacietate concordat. » Ita-
ıta erat index communionis et societatis
dra Petri, et exinde cum toto orbe. Indicem
ıse communionis hanc formatam, adeo ut
nt destituti, cum Ecclesiis orbis commu-
n censerentur, ostendunt verba S. An-
ui ex usu formatæ catholicæ Ecclesiæ, qua
)onatistæ, Fortunium, et Donatistas extra
)nem esse probat (*epist.* 153) : « Quærebam
istolas communicatorias, quas formatas
posset quo vellem dare, et affirmabam,
nifestissimum erat omnibus, hoc modo
illam terminari posse quæstionem. Para-
ı, si consentiret, ad illas Ecclesias a vobis
tterentur, quas in apostolicis auctoritatibus
;eremus jam illo tempore fuisse fundatas. »
: reor, quas salutatorias appellatas supra
quasque episcopi in propria cathedra in
ɛservabant. Sedula vero hæc Sixti animad-
) identitate hujus formatæ, et pro neces-
is apponendis occasionem habere potuit ex
ım impositorum perversitate, qui ut bonis
, quorum uberem proventum experiebantur
n hospitalitate, Christianos sese jactabant,
ude personati fidelium domos et ecclesias
t. Inter quos memorabilis est ille, de quo
iani Dialogos peregrino inscripto, refe-
uæ ea arte a Christianis obtinuerat. Nar-
n ibi, quod « suscepta peregrinatione egre-
ıturus, satis sibi viatici in Christianis re-
esse existimans, a quibus quaquaversum
, stipatus agebat in omni rerum abundan-
ısurius primas Carthaginensis in epistola
um Tigilitanum inter alia ex S. Augustino
ılo hæc habebat : « Quidam etiam in eadem
ıcinorosi arguebantur, et fisci debitores, qui
: persecutionis, vel carere vellent onerosa
bitis vita, vel purgare se putarent, et qu si
ıcinora sun, vel certo acquirere pecuniam,
odia deliciis perfrui de obsequio Christia-
Ad has itaque imposterum eludendas ar-
ı has notas epistolis formatis inserere, et
re aditum hujus farinæ hominibus per no-
: tesseram adjiciendam in formatis.

BINII ET LABBEI.

ı.). Linea 5 *et* 6. — *Non susciperetur nisi*
xtis. Statuitur, ut episcopi ad Romanam
cati a suis non recipiantur, ni«i formatas
ıis litteras exhibuerint.
).). Linea 3. — *Anniculum* Angulum.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

onenda chronologia S. Sixti tanta est con-
ıcumentorum, quæ colliguntur ex catalo-
ue monumentis supra editis inter Prologo-
o XC, ut nemo non videat, annos X, men-
es XXI, ab ordinatione episcopali ad marty-
ı illi tribuendos. Annorum decadem omnes
talogi perinde legunt. Exteri quoque con-
præter Colbertinum quartum, in quo v
denarii X assumi facile potuit, detrita for-
exemplari ex quo excipiebatur inferiori.

A parte litteræ X : quemadmodum in Colbertino sexto ductus fortuitus I ante eamdem decadis notam X variare potuit numerum X in IX : et in septimo codice Colbertino ductus, seu distinctio similis I post eamdem denarii siglam X reddere potuit XI. Non secus in mensium numero Belgicus codex Papebrochii ostendit, ab amanuensis incuria iteratam notam annorum X extendisse trium mensium summam ad XIII ; cum nequaquam credendum sit de auctore catalogi, post annos decem X recensere voluisse menses tredecim XIII separatim : nam enuntiasset potius annos XI et mensem unum. Pari observatione unum, aut alterum scripturæ vitium in catalogis Italiæ deprehenditur et emendatur ; ut in Bergomensi menses VII et III intelligantur formati solo inflexu styli in exaranda nota primæ unitatis VII : qua expuncta alii codices numerant menses II ; sive accepta pro duplicis binarii sigla aliud exemplum exprimit IIII. Tanti non est immorari in leviusculis
B hisce mendis amanuensium : quæ facile cognoscuntur et in concordiam revocantur cum cæteris codicibus et monimentis tribuentibus Sixto annos X, menses III, dies XXI.

Indicare potius præstat, qua ratione consules *Niger et Apronianus* æquentur initio Sixti, ejusque termino *Verus, et Ambibulus* ; cum primi pertineant ad annum Christi 117, secundi vero ad annum 126, novennio tantum ab illis dissitum ; et catalogi toto decennio solido, et mensibus ferme quaternis extendant sedem Sixti.

Nodum resolvimus cum Henschenio, distinguentes ordinationem Sixti in episcopum, Alexandri Vicarium futurum dum is carceri manciparetur per Aurelianum judicem, ab electione ejusdem Sixti ad Romanam sedem promoti, et ad successionem Alexandri postquam hic martyrio coronatus in cœlum migravit die 3 Maii anno Christi 117, Nigro et Aproniano consulibus. Æra itaque decennalis, Sixto
C assignata in catalogis ostendit illum annis X, mensibus III, diebus XXI, antequam subiret martyrium anno Christi 127, die 3 *Nonas Aprilis* (qua étiam in hoc libro Pontificali narratur *depositus in Vaticano juxta corpus beati Petri)* ordinatum fuisse episcopum adjutorem, seu vicarium ab Alexandro. Fuerit igitur dies illius ordinationis Dominica 14 Decembris anni æræ Christi communis 116. Consularis autem epocha, ex qua supra vidimus figendum Alexandri martyrium die 3 Maii anno 117, Nigro et Aproniano coss., producta ad annum solidum 126 ejusque consules Verum et Ambibulum (postremos ex assignatis Sixto) imo et ad diem 3 Aprilis anni sequentis 127, ejusque consules ordinarios Titianum et Gallicanum tributos initio Telesphori, ex methodo catalogi referentis annos pontificales ad Paschale tempus circa Palilia, seu natalem Urbis, dabit Sixto annos novem, et aliquot menses, ac dies. Hos etiam definiemus, ei admittere voluerimus, tempus *interpontificii*, seu vacationis romanæ sedis post mortem
D Alexandri fuisse dierum 35, quot scilicet assignant liber Pontificalis et auctor catalogi ab annis sexcentis descripti, quem supra exgibuimus in Prolegomenis opusculo VII, fol. 19. Nam Sixti electio, sive evectio ad sedem apostolicam, et ἐνθρονίσμος ex hac supputatione indicet in diem Dominicam 7 Junii memorati anni 117, et inde ad martyrium subsecutum die 3 Aprilis anni 127. Pontificatum maximum administraverat Sixtus annis 9, diebus 9, diebus 26, qui ab ordinatione episcopatus egerit annos X, menses III, dies XXI, et ex his vicarius egerit menses V, dies XXV, antequam successor eligeretur et collocaretur in cathedra Petri Romana.

Scio contra hunc vicariatum Sixti opponi a Pearsonio, pag. 232 *Operis posthumi,* Acta S. Alexandri ; si velimus cum Henschenio hæc haberi tanquam genuina. In his enim, cum asseratur, Severinam matronam, postquam in suo prædio sepulturæ tradiderat corpora SS. Alexandri papæ, et sociorum, « ve-

stivisse se cilicio, et tandiu jacuisse ante limina sanctorum, quos illa sepeliverat, donec veniret ex Oriente Sixtus episcopus ; » consequi videtur vicario munere non fuisse perfunctum Sixtum utpote absentem. Verum ex die 14 Decembris anni 115, qua ordinatum opinamur Sixtus episcopum vicarium Alexandri, ad diem 3 Maii 117, qua martyr occubuit, ac depositus fuit Alexander, cum sex menses effluxerint, et quod excurrit, plura contingere potuerunt, quæ postularent, ut Sixtus licet vicarius Alexandri in orientem se conferret, unde exspectandus fuerit a Severina, postquam electus esset a clero Urbis ad maximum pontificatum. Quare nempe Acta refragantur chronologiæ ita distributæ inter vicariatum et pontificatum Sixti ; neque Actorum fides nitinuitur admissa Sixti absentia ab Urbe, dum successor eligeretur Alexandri, cujus fuerat vicarius.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ

Linea 1. — *Ex patre Pastore.* Cognomentum *Pastoris* secundo Christi sæculo frequens, reperitur in aliquibus monumentis, et apud scriptores, familiæ nomine non expresso : et quidem hac ipsa ætate. S. Pius dicitur frater *Pastoris* ex civitate Aquileia, infra num. 11, qui *et Hermes* dicitur appellatus. Vide Baronium ad annum 159, n. 4. Lapis e Christianorum cœmeteriis paulo ante effossus est ita inscriptus : PASTORI IN PACE. Familiæ nomina his in *Pastoribus* ignoramus, non secus ac in *Pastore*, qui consulatum gessit una cum L. Papirio Æliano Christi anno 103, licet Panvinius eum judicet ad gentem Juniam pertinere ; alii vero ad Aureliam ex inscriptione veteri, in epistola Cuperi præfixa Fastis Almelovenii, num. 4.

Linea ead. *De regione via lata.* Regio septima inter Augustæas dicitur *via lata* ; quo etiam nomine nunc audit regionis portio, ad radices collis Quirinalis extensa ex Varrone ac Rufo. a Nardino diligenter descripta (unde etiam diaconia S. *Mariæ in via Lata* nuncupatur), et ad septimam ex ecclesiasticis referenda. *Vide supra in Prolegomenis.*

Linea 2. — *Temporibus Adriani usque ad Verum et Ambibulum.* Recte, ut in notis chronologicis jam expendimus, consentientibus Eusebio, Martyrologis omnibus, et auctore vetustissimi catalogi ; licet ab his recedere non vereatur Pearsonius pag. 232, ita scribens : » Sedit igitur Xystus ab anno Domini 101. Trajano IV, et Pæto coss. usque ad annum Domini 111, Pisone et Rustico coss. Hunc obiisse volunt Baronius, Petavius et Labbæus sub Antonio Pio anno Domini 139, immani metachronismo. Quem Eusebius, et martyrologia omnia obiisse tradunt sub Adriano, et quidem secundum vetustissimi catalogi auctorem, Vero et Ambiguo coss., anno Domini 126. » Cum hoc igitur auctore vetustissimi catalogi, cum Eusebio, et cum omnibus Martyrologiis nos retinentes martyrium Xysti sub Adriano et sub consulibus Vero et Ambibulo, Pearsonii Chronotaxim, perinde ac cæteras ab ipso accusatas, esse corrigendam asserimus tum in Xysto, tum in Telesphoro et Hygino : quod etiam infra ostendam luculentius numero 10, ubi de Hygino sermo erit, et de Cerdonis hæresi, eo sedente suborta.

Linea 3. — *Hic constituit, ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a ministris.* Erant igitur sacrata ministeria, jam tum segregata ab aliis usibus, quæ adhiberentur tantummodo ad sacrificium. Quinui ? cum et *Petalum*, frontalem laminam adhibitam a SS. apostolis Jacobo, primo Hierosolymorum episcopo, et Joanne evangelista testentur S. Epiphanius ad hæresim 78, et Polycrates episcopus Asiæ octavus » Joanne, tum apud Eusebium Hist. eccl. libro V, cap. 24. tum apud Hieronymum de Script. eccl., de Marco autem evangelista item scribi ab historico ejusdem passionis observat Valesius in notis ad laudatum locum Eusebii. Præterea in Zephyrino ad finem hujus *secundi sæculi*, de quo agimus, legemus, infra num. 16, constitutum ab eo pontifice, ut ministri patenas vitreas in ecclesiam deferrent ante sacerdotes, donec episcopus missas celebraret : quarum nonnullas in cœmeteriis martyrum effossas ediderunt Aringhius et Severanus cum Bosio, et lectissima eruditione nuper illustravit V. C. Philippus Bonarroti senator Florentinus. Ex Aringhio duas proferam, quæ Sixti nomen et imaginem continent. Retulit ille, libro IV Romæ subterraneæ, cap. 47, pag. 405. Primam ex illis hic reddam, duæ præter Xystum (seu Sustum) exhibet etiam Timotheum, in sella considentes, et a Christo Domino corona donatos. Fortasse Timotheus ille est presbyter ac germanus frater Novati, Pudentianæ, atque Praxedis, cujus et pastoris compresbyteri datas ultro citroque epistolas recitat Baronius ad annum 162, occasione dedicationis tituli *Pastoris*, seu S. Pudentianæ, a Pio I pontifice peracta in Thermis Novati. Alteram vero imaginem reservabo ad illustrandas notas in vitam S. Damasi ; cum hunc exhibeat cum Xysto II eodem ferme ornatu, quo uterque illorum expressus conspicitur in antiquissimis picturis basilicæ S. Pauli. Prior itaque hæc patera vitrea, (seu *patena*, ut aliquibus postmodum dicta est) ita exhibet imaginem Sixti, a quo Bibliothecarius affirmat decretum fuisse, ne sacra eadem ministeria ab aliis tangerentur, quam a ministris. *Sustus* hic legitur substituta v latina littera pro Y Græca, ut legitur in basi Obelisci ad portam Flaminiam inscriptio Augusti AIGVPTO pro AIGYPTO, et alibi *Sylla et Sulla*, *Syria* et *Suria* perinde scripta nomina videmus, ut plures notarunt. Quod alii non attendentes *Justus*, loco *Sustus*, legebant.



Vitrum ex sacr. Coemet. apud Aringhium Tom. I.

Ex Epitaphio Sergii Pp. II. in Basil. Vatic. apud Baronium ad annum Christi 847.

rinus de sacris Ordinationibus parte III, exer- A
ione XII, cap. 3, n. 8. considerans contactum
um sacrorum laicis fuisse interdictum per eam
m, qua urgente persecutionum discrimine per-
batur fidelibus corpus ipsum Dominicum tum
ere a sacerdote, tum secum deferre, tum domi
ere, et propriis manibus ori admovere (ut lucu-
r constat ex epistola Magni Basilii ad Cæsariam
ciam) dubium excitat opportunum ad illu-
dum decretum, de quo loquimur. Quærit enim,
x æquo non fuerit permissum vasa sacra iisdem
bus contrectare, quibus Dominicum corpus
sacratius licebat recipere et retinere ? Et qui-
Basilii epistola perspicue docet eam consuetu-
diu ante fuisse receptam. « *Sacerdos*, inquit
ius, *particulum tradit : detinet autem eam cum libertate is qui accipit, et sic ori admovet propria* . » His vero præmittit in eadem epistola hæc : « Hoc autem persecutionis temporibus cogi
em, absente sacerdote, aut ministro, commu- B
m propria manu accipere, minime esse grave.
vacaneum est demonstrare : propterea quod
consuetudo id reipsa confirmavit. Omnes
, qui in eremis solitariam vitam agunt, ubi sa-
s nullus est, communionem domi servantes per
s participant. In Alexandria verò et Ægypto
uisque etiam ex laicis, ut plurimum habet
suæ communionem, et cum vult per se ipsum
unicat. » Postquam universa hæc ex Basilii
la recitavit Morinus, et confirmavit ex aliis
bus, tum Græcis, tum Latinis, merito quærit
ro 17 : « Cum igitur illa consuetudo tangendi
ris Christi tam antiqua, vulgata, et constans
, quidni, et vasa sacra, calicem et patenam ? »
ationem solvit per ea, quæ sequuntur. « Re-
leo, inquit, longe disparem esse utriusque
em. Nam corpus Christi res est sacrificata,
lo, per quam panis fit corpus Christi, est sa-
um. Sed de ratione sacrificiorum est, si C
holocaustum, ut sacrificio assidentes illius
participes, ut docetur Deuteronomii XII, et
XVIII initio. Et Numerorum XVIII, vers. 9 et
tque alibi. Ergo Christi corpus, quod est
m antiquorum sacrificiorum veritas, et per-
, ab omnibus participari debet, et ideo con-
. Deinde Christi corpus, sive Eucharistiæ
mentum est veritas, cujus figura erat apud
s agnus Paschalis, quem unaquæque familia
lere tenebatur. Denique jubet Christus in in-
ione missæ *omnes accipere*, consequenter et
gere. Corpus igitur Christi a fidelibus contingi
tæ est necessitatis : imo ideo fit panis corpus
i maximo cum miraculo, ut contingatur a
, et contractu suo nos sanctificet, atque ad
talitatem nos disponat. Eadem erit conse-
æ vis, si Christi corpus in sacramento consi-
r quatenus scilicet animarum nostrarum me-
t ἀλεξιφάρμακον. Prorsus etiam hoc modo D
tus est necessarius, et ejus participatio. Sed
m longe dispar ratio. Nulla est laicis impo-
ecessitas ea contrectandi ; nihil est illis cum
commune ; nulla cum iis participationis et
is realis utilitas ; nulla figurarum cum veri-
elatio. Quapropter potuit illis ejusmodi con-
prohiberi. Populus carnibus sacrificiorum
ipabat, vasa tamen sacra tangere prohibe-
. Vasorum ministerio deputati erant Levitæ :
i ministerio nihil erat opus. Sunt igitur ratio-
identes, propter quas vasorum sacrorum, non
corporis Christi contactus fuit prohibitus
. Verum concesso parem esse utrobique ratio-
uod esse non potest ; in iis, quæ sunt institutio-
clesiasticæ alterum colligi non potest esse pro-
m ex alterius prohibitione. Potissima enim ra-
smodi prohibitionum est penes voluntatem et
tum instituentis. Sufficere debet, legem de uno
esse, de altero nullam esse. » Hactenus Morinus.

Libenter addam, ab Ecclesia præcepti Dominici conscia de perceptione corporis Christi, ac de comestione oris et gutturis contactu, atque deglutitione perficienda citra necessitatem contactus manuum ministris reservata, perinde constitutum fuisse post illa persecutionum discrimina. et sacerdotum absentiam ab eremis, quam Basilius indicabat, ne imposterum domi a privatis custodiretur, aut propriis manibus ori admoveretur corpus Dominicum : quemadmodum eidem Ecclesiæ placuit sub Sixto manus laicorum removeri a contactu sacrorum vasorum, decreto interposito, quod ante Sixtum non memoratur editum. Abusus quorumdam fidelium, irreverenter contrectantium sancta, quæ acceperant. pluribus in conciliis perpensus, quæ a Morino ibidem indicantur numero XV, jure commovit pontifices, ut plebem Christi contentam esse juberent necessario tantum contactu oris et gutturis in deglutiendis et comedendis speciebus eucharisticis. Serius attamen ille abusus obrepsit ; cum secundo Christi sæculo, de quo nunc agimus, ac tertio, vigeret disciplina, de qua testantur Justinus martyr in Apologia, Tertullianus de Corona militis, et Origenes homilia XIII in Exodum : « Nostis, *ait*, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quod cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. » Quousque constitit apud plebem Christianam vigor disciplinæ et cautelæ, ab Origene commendatus, nihil obstitit quominus contraderetur Eucharistia manibus reverenter accipientium et caute servantium. Poterant enim fideles singuli diligentissime curare partem oblationis sibi concreditam, ne parum quid ex illa decideret. Vasorum autem sacrorum, in quibus oblata munera frangebantur. et sanguis Christi asservabatur omnibus erogandus, si cura et custodia uniuscujusque e plebe Christiana, omniumque manibus concrederetur, res periculi plena futura erat. Nam fragmenta decidua, et guttulæ inter paterarum toreumata, et calicum anaglypha spargi ac dissipari sæpe contingeret, si temere ac passim per manus omnium accedentium ea vasa porrigerentur. Quin etiam timendum foret, ne frequenter accideret, ut calices vitrei (quales tunc fuisse infra videbimus in Zephyrino) confringerentur, et sanguis Domini effunderetur, si promiscuus vasorum contactus populo esset permissus. Solis itaque ministris fuit reservandus, non tantum vasorum gratia, sed potius Eucharistiæ causa accuratissime procurandæ, ne quid minimum hærens vasculis imperitia, aut negligentia populi dilaberetur : quod a ministris timendum non erat, ad hæc munera rite obeunda formatis experimento diuturno, ac monitis episcopi et presbyterorum. Hanc autem haberi oportere sententiam decreti Sixtini colligo ex alio decreto postmodum edito sub Sotere, *ne ulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia*. Colligitur etiam ex Vita Urbani : ubi cum legamus, *fecit ministeria sacrata omnia argentea, et patenas argenteas viginti quinque posuit*, perspicuum fit sacrata ministeria auctori Vitarum non esse altaris vela, aut thuris capsulas, sed *calices* et *patenas*, ad continendum corpus Dominicum elaboratas. Cur autem, et pallæ sacratæ contactus (cujus par est ratio cum calicibus et patenis) et præterea thuris adolendi usus interdictus sit sanctimonialibus, suo loco dicere conabor in notis historicis ad Vitam Soteris.

Linea 6. — *Nisi cum litteris patriarchæ salutationis plebi, quæ est formata*. Deest in codicibus Vaticano et Florentino periocha illa : *Patriarchæ salutationis plebi, quæ est formata*, annotantibus Holstenio et Schelestratio. *Patriarchæ* nomen serius attributum episcopis Christianis, et primum Leoni Magno in concilio Chalcedonensi monuit Thomassinus de Benef. par. I lib. I, cap. 3, num. 13, qui negat [illegible]

dæorum *Patriarchis* id nominis esse profectum, multo autem minus a Montanistis, quorum *Patriarchas* memorat Hieronymus epistola 54. *Formatæ* quoque appellatio serius usurpata est, quam ætas Sixti ferat. Quare vel inserta est periocha ad exponenda ea verba *cum litteris*, post ætatem Leonis Magni, dum ex catalogis aliisve documentis auctor Vitæ ea decreta describeret; vel in aliquot codicibus libri Pontificalis veluti glossema a posteris est apposita. Verum excluso etiam adjectitio commate (*Patriarchæ salutationis plebi, quæ est formata*) vis decreti Sixtini percipitur jubere, ut litteras apostolicæ Sedis signaculo munitas perferat episcopus ad Romanam sedem evocatus, quando hinc ad suam parœciam est reversurus. Luitprandus ita exponit sententiam hujus decreti. « Hic constituit, ut quisque episcopus aliqua adversitate pulsatus licenter appellet Romanam, et apostolicam sedem, et illuc vocatus venire non renuat: nec inde absque apostolicis litteris ad propriam redeat; ut vicini sui ex hoc intelligant, qualiter ibi suam aliorumque causam finiverit. »

Usus *formatæ*, sive commendatitiæ epistolæ, inductus fuit exemplo apostolorum: quibus in concilio Hierosolymitano ita placuit munire legationem Pauli, Barnabæ, Judæ ac Silæ ad Ecclesiam Antiochenam (*Act.* xv) ut hæc secernere posset missos apostolorum ab aliis absque legitima jussione ad eam profectis, quibus apostoli non mandaverant. In Paulinis quoque litteris non semel includitur commendatio eorum qui easdem perferrent. In calce epistolæ ad Ephesios commendatur Tychicus: et in ea, quæ data est ad Colossenses Tychicus et Onesimus. Sed etiam signi appositio (unde *formatas* a *forma*, seu typo qui apponebatur dictas voluit ætas posterior testante apud Cangium in Lexico mediæ Latinitatis Sirmondo, aliisque scriptoribus eruditis suffragantibus) videri debet profecta ab exemplo Pauli: qui omnes epistolas suas certo salutationis signo ab se apposito muniri consuevisse testatur in epistola ad Thessalonicenses secunda: *Salutatio mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola. Ita scribo. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.* Romani pontifices morem hunc apostolicum imitati signare consueverunt simile quippiam in suis epistolis, graviori præsertim de causa scriptis, quas bullas dicimus consistoriales. Nam crucis signaculo (quod salutis, et gratiæ a Christo fidelibus adprecandæ indicium est quotidianum) late expanso includunt monogramma sui nominis, sive nomen extensum, et præterea inscribunt circulo, eidem monogrammati, et crucis figuræ circumducto, aliquem versiculum e sacris litteris desumptum: olim post siglam, quæ redditur *Bene valete*: nunc post clausulam supremam epistolæ, respondentem indicatæ salutationi. Horum exempla vides frequentia apud bullarum collectores, tum apud Ughellium in Italia sacra, tum apud Mabillonium de re Diplomatica, libro quinto: quibus addi possunt adnotata a Cotelerio in can. 12 apostolicum tomo II, pag. 462, ad Opera SS. PP. sæculi apostolici.

Verum his opportuniori loco servatis, pauca tantummodo hic subdam de causa decreti a Sixto vulgati, *ne ullus episcopus a Romana sede evocatus reciperetur a propria parœcia, si rediret absque litteris apostolicis.* Ita consulendum putavit unitati Ecclesiæ servandæ sub uno capite, unaque doctrina catholica, avertens periculum quod imminebat post mortem apostolorum et aliorum e præcipuis viris, qui Christum Dominum in carne viderant. Imminebat autem id, quod Eusebius retulit ex libris Hegesippi, celebris Christianorum historici, hisque temporibus æqualis, ejusdem verbis ita conceptum lib. III, cap. 32: « Ecclesiam ad hæc usque tempora instar cujusdam virginis integram, atque incorruptam permansisse: adhuc in obscuro recessu delitescentibus quicunque A rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare niterentur. Sed postquam sacer Apostolorum chorus vario mortis genere exstinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum qui divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant: tunc demum exorta est impii erroris conspiratio fraude et malitia falsorum doctorum. Qui utpote nullo amplius ex apostolis superstite, post hæc nudo, quod aiunt, capite adversus prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt. » Hæc Hegesippus.

Devixerat sub Trajano Joannes evangelista, apostolorum superstes ultimus. Sub eodem principe, constante persecutione a Plinio descripta, necnon ab Eusebio, atque idcirco referenda ad finem Evaristi, et ad hunc ipsum de quo agimus Sixti Pontificatum, Symeon filius Cleophæ, Hierosolymorum secundus episcopus, Redemptoris nostri consobrinus, martyrio dedicaverat ætatem centum et viginti B annorum. Tum vero hæreticorum licentia ex occultis latebris in apertum proruens palam aggressa est adulterinam doctrinam obtrudere et in agro Evangelico zizania disseminare: quasi dormientibus in Christo iis, qui eumdem in carne viderant, nemo vigilum reperiretur, qui posset a tritico lolium secernere. Quid igitur consilii caperent, aut quænam præsidia opponerent custodes agri Dominici, isque inprimis Sixtus, qui Petro successerat in magisterio cathedræ cæterarum principis ad confirmandos fratres suos? Idem plane remedium opposuit suborienti morbo, quod Actorum xv apostoli, et seniores adhibuerant contra descendentes ex Judæa ad seditionem, et turbas, et falsa dogmata introducenda in Ecclesiam Antiochenam. Opposuerant illi judicia concilii ac presbyterii, decreta collegii apostolici, legatos, et litteras, quibus testatam facerent auctoritatem ablegatorum, et commendarent veritatem doctrinæ, ab apostolis eisdem viris traditæ, dum C remittebantur. Hoc ipsum præsidium, et firmamentum, ac tesseram doctrinæ atque unitatis catholicæ Sixtus paravit contra hæresum violentias ac insidias ex æquo adhibendum. Constituit enim, ut episcopi arciti ad Romanam sedem, utpote in Ecclesia universa obtinentem Christiani synedrii principatum per jura Petro ac successoribus tradita, ita se sisterent, ut causa cognita remittendi cum forent, recipi minime possent absque litteris apostolicis: per quas in majoribus hisce causis opportune declararetur, num recta et consentanea fidei regulis reperta esset ipsorum doctrina. Litteris quoque encyclicis usum fuisse Clementem, Petri discipulum et successorem, contra hæresim Ebionis, testatus est Epiphanius iis verbis, quæ a card. Baronio referuntur ad annum 74, num. 10: « Idem Clemens ipsos (Ebionem ejusque sectarios) per omnia redarguit in epistolis quas scripsit encyclicis, quæ in sanctis Ecclesiis leguntur, quod alium habeat characterem fides ejus et sermo ab his quæ sub nomine ipsius in D circuitionibus corrupta sunt. » Hæc nimirum vestigia signabat illi per eamdem ætatem apostolus Joannes suis in epistolis contra Menandrum, Ebionem, aliosque ab eadem schola profectos hæreticos et profecturos, ita conscribens, in I quidem Epistola, cap. II, vers. 18. 19: *Et nunc antichristi multi facti sunt: unde scimus quia novissima hora est. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Et in II, vers. 7-11: *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne: hic est seductor et antichristus. Videte igitur ne perdatis quæ operati estis, sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis qui recedit et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis.* Cum igitur disciplina

apostolica ostenderet, per encyclicas litteras demonstrari oportere communionem cum Ecclesia catholica eorum qui essent legitima missione ab eadem Ecclesia ablegati ad annuntiandum Christi Evangelium, neque sufficere si quondam fuissent ex cœtu cum apostolis congregato, nisi constaret cum eodem cœtu ipsos permanere et perseverare in doctrina eidem cœtui concredita, aliter *nec recipiendos in domum, nec Ave eis dicendum*; multo diligentius id exigendum esse intellexerunt Ecclesiæ præsules, præsertim Sixtus cæteris præstans in Romana sede, quando sub ejusdem pontificatu id monstro simile primum auditum fuit, hæreses disseminari ab iis qui episcopatum obtinuissent, vel episcopatum appeterent: quorum antesignanus uti apostolorum ætate fuit Simon, ita post mortem apostolorum fuit e schola sectariorum Simonis (Menandri, Ebionis, Basilidis) Valentinus. Menander enim et Basilides magos et philosophos sese jactabant. Valentinus vero probe cum nosset, non satis auctoritatis ex iis nominibus apud Christianos sese habiturum, episcopale fastigium ambiebat: quemadmodum Tertullianus capite 4, contra eumdem asseverat. Providus igitur pontifex Sixtus vidit majus periculum seducendæ Christianæ plebis ab iis imminere, qui jure episcopatus cum haberentur successores apostolorum, docendi quoque potestatem inter potiora sui officii munera obtinuissent; si post adeptum episcopatum dignitatis suæ juribus abuterentur. Edixit itaque episcopos ad tribunal Petri evocatos ita se sistere oportere, ut, causa discussa, recipi a suis plebibus minime possent sine litteris encyclicis primariæ sedis. Provide id factum, ea potissimum tempestate, qua persecutiones frequentes non ita facilem redderent conventum episcoporum, qualis fuerat apostolorum ad concilium super dissidiis apud Antiochenos subortis in causa legalium observationum. Quare dictatoria veluti auctoritate in Petri sede a Christo Domino jam constituta, utendum fuit ad consulendum unitati Ecclesiæ atque indemnitati fidei, ubi maximum immineret discrimen ab episcopis ad falsa dogmata declinantibus, nec ratio temporis sineret concilia præsulum cogi sub oculis persecutorum, aut pastores removeri ab ovibus sibi concreditis in illa temporum difficultate, qua plebibus in periculo constitutis præsentia fidelium vigilum erat maxime necessaria.

Rursus Clemens Alexandrinus Stromatum libro VII docet, Basilidis, Valentini, et Marcionis hæreses cœpisse sub Adriano. Ait enim pag. 769: « Inferius autem circa tempora Adriani imperatoris fuerunt qui hæreses excogitaverunt, et pervenerunt usque ad ætatem Antonini natu majoris. Sicut Basilides, etsi Glauciam sibi ascribat magistrum, ut ipsi gloriantur, qui fuit Petri interpres. Similiter autem Valentinum dicunt audisse Theodadem. Is autem fuit Pauli familiaris. Marcion enim cum natus esset eadem qua ipsi ætate, versabatur ut senex cum junioribus. » Hæc a Clemente scripta recitans Lupus in scholiis ad cap. 30 Tertulliani de Præscript., subdit: « S. Clemens secundo dicit, quod Basilides, et Valentinus, et Marcion, fuerint coævi, et omnes cœperint sub imperio Adriani. Quæstio est, quid cœperint? An vitam, an hæreticam prædicationem? Respondeo, quod hæreticam prædicationem. Etenim Basilidem sub imperio Adriani prædicasse diserte scribit S. Hieronymus in encomio illustris viri, Agrippæ Castoris. » Idem Lupus observaverat paulo ante, scilicet pag. 479, ex S. Epiphanio, et ex appendice libri Tertulliani de Præscript. Marcionem fuisse episcopi, et quidem sanctissimi viri, degenerem filium. Addit, ab Optato Milevitano affirmari, et ipsum Marcionem fuisse episcopum. « Sunt, inquit, qui existimant, Marcionem sub patre Amaseno episcopo ac totius provinciæ metropolita fuisse Sinopensem episcopum, et ab illius synodali, qua degradatus fuerat, sententia Romam appellasse. Fundant se in referendis infra ex S. Epiphanio. » Hujus textum producit pag. 484, et cum illo varias opiniones de episcopatu Marcionis. Sed sive Marcion fuerit tantummodo filius episcopi, sive et ipse episcopus; cum hæresim suam disseminare cœperit sub Adriano; et cum Valentinus episcopatum ambiverit in insula Cypro, uti ex S. Philastrio admonet P. Lupus pag 480, ubi etiam probat sub pontificatu B. Telesphori, qui huic Sixto successit proxime, delirasse palam, ac prædicasse Valentinum (ex Justini Apologia) et Marcionem Cerdonis discipulum sub eodem Telesphoro corruptum et seductum; Cerdonemque ipsum memoret ex S. Irenæo lib. III. cap. 4, modo exomologesim fecisse et pœnitentiam simulasse, modo ad vomitum rediisse; universa ista probant, providentia Sixti, jam perspicientis hæresum afflatu siderari viros sacratissimo ordini episcopatus, vel initiatos, vel proxime initiandos, cautum fuisse per saluberrimam illius decreti sanctionem, ne quispiam episcoporum postulatus ad judicium Romanæ sedis, ab eaque redux reciperetur sine litteris encyclicis, certum testimonium proferentibus de veritate et confessione doctrinæ apostolicis dogmatibus consonæ.

Satis ergo intelligitur ex Ecclesiæ constitutione sub Sixto I, imperante Adriano, nempe ex historia hæreseos, tum primum ansæ inter episcoporum cathedras se audacter intrudere, postquam mortali huic vitæ erepti fuerant apostoli, ac discipuli, qui Christum Dominum in carne viderant, intelligitur, inquam, occasio et vis decreti Sixtini, providenter prospicientis Ecclesiæ unitati ac fidei integritati servandæ per encyclicas hujusmodi litteras, quæ postmodum *formatæ* dictæ sunt, certa documenta proferentes, ac tesseram communionis omnium episcoporum cum Petri sede primaria ut in reditu ad proprias plebes tuto reciperentur a fidelibus eorumdem curæ concreditis.

CIACONII.

Linea 5. — *Rediens ad parochiam suam non susciperetur, nisi cum litteris patriarchæ.* Censuit sanctus pontifex Sixtus, ne episcopi, ad sedem apostolicam quacunque ex causa vocati, redeuntes, a suis plebibus reciperentur, nisi secum deferrent litteras Romani pontificis, populum salutantes, eosque purgatos, vel instructos, causamque eorum discussam fuisse cognoscerent.

PAGII.

Linea 3. — *Hic constituit, ut ministeria,* etc. Constituit etiam ex eodem libro Pontificali, ut sacra vasa ab aliis quam a sacris ministris non tangerentur. Ideo autem id vetuit Sixtus, quia tam calix, quam patena erant vasa consecrata; exstat enim in ordine Romano utriusque consecratio, unctione Chrismatis, cerisque precibus adhibitis. Idem decrevit postea concilium Laodicenum anno circiter 363 celebratum, in quo canone 21 sancitum est, non oportere subdiaconum vasa sacrata contingere; et concilium Agathense anno 506, sub Symmacho, canone 66, statuit non oportere insacratos ministros contingere vasa Dominica. Subdiaconis tamen data facultas ista est in concilio Bracarensi sub Joanne III, anno 563, canone 10. « Placuit ut non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his qui ab episcopo subdiaconi fuerunt ordinati. » Acolythis etiam eamdem licentiam concessam ex ordine Romano manifestum est.

Plerique scribunt, *Sanctus, sanctus, sanctus,* etc., a Sixto sacrificio missæ additum esse, sed auctius Chronicon veterum pontificum id solum a Sixto constitutum ait, ut, sacerdote hymnum illum incipiente, etiam populus eumdem cantaret. Quia vero progressu temporis quidam abusus irrepserant, ut nonnisi in solemnibus missis diceretur, eo tollendo

hic canon a concilio Vasensi anno 529 editus est : « Ut in omnibus missis, seu in matutinis, seu in quadragesimalibus. sive in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper *Sanctus, sanctus, sanctus,* eo ordine quo modo ad missas publicas dicitur dici debeat; quia tam sancta et tam dulcis, et desiderabilis vox, etiamsi diu noctuque possit dici, fastidium non poterit generare. » Altera pars hymni, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis,* Christo Domino a turbis in solemni Hierosolymæ ingressu ante passionem decantata fuit. De hujus hymni ritu et origine legendus cardinalis Bona lib. II rer. Liturgic., cap. 10.

Linea 4. — *Hic constituit, ut quicunque episcoporum.* Decrevit ex libro Pontificali, ut quicunque episcopus evocatus fuerit ad sedem Romanam apostolicam, rediens ad parochiam suam non susciperetur, nisi cum formatis salutationis ad plebem per sedem apostolicam. Litteras enim formatas, seu communicatorias dabat episcopis sedes apostolica, et commercio earum totus orbis in una communionis societate concordabat, ut affirmat sanctus Optatus Milevitanus Ad hunc porro locum, tam auctioris Chronici veterum pontificum quam libri Pontificalis, epistolarum decretalium auctor secundam Sixti epistolam composuit, quæ est de vasis sacris a solis ministris tangendis, et de non redeundo sine formatis epistolis, inquit Schelestratius in nota ad Sixtum.

IX. SANCTUS TELESPHORUS.

ANNO CHRISTI 142, ANTONINI PII IMP. 3.

9 *Telesphorus, natione Græcus, ex anachorita, sedit annos undecim, menses tres, dies viginti duos* [a]. *Fuit autem temporibus Antonini et Marci* [b]. [c] *Hic constituit ut septem hebdomadas* ante Pascha *jejunium celebraretur, et Natali Domini noctu missæ celebrarentur,* cum omni [d] tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missam celebrare, qua hora Dominus noster ascendit crucem, et ante sacrificium *hymnus diceretur angelicus, hoc est,* GLORIA IN EXCELSIS DEO. Martyrio coronatus est. *Qui sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano* IV *Nonas* [e] *Januarii. Hic fecit ordinationes* quatuor *per mensem Decembrem :* [f] *presbyteros duodecim, diaconos octo* [g]*; et cessavit episcopatus dies* quatuor.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Telesphorus anni undecim, mensibus tribus, diebus tribus. Fuit temporibus Antonini Macrini a consulatu Titiani et Gallicani usque Cæsare et Albino.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, m. 9, minus d. 3. [b] *B*, Antonini Pii tantum usque ad coss. Glabrionem et Verianum. [c] *Vide Bar. ann.* 554, *CB*, omni alio. [e] *CB*, Nonis. [f] *CB*, episc. per d. loca 132. [g] Septem *CB*.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 9, *lin.* 10, *B*, duos. *Ad not. marg.*, d. episcopos per diversa loca 13.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 4, ex patre Anach. *lin.* 3, ut per septem h. a. P. j. c. et ut in natale Domini n. m. c. et ut omni t. *lin.* 5, qua scilicet D. n. a. c. et ut ante s. *lin.* 7, Deo. Hic fecit ordin, *lin.* 9, *diac.* 8, episcopos per diversa loca 13. Hic martyrio coronatus est et sep. j. c. B. P. in Vat. IV Non. J. et cess. ep. d. 7.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, annos XI, m. III, d. XXI. *lin.* 4, nam omni tempore. *lin.* 5, missas cel. *lin.* 6, in crucem. *lin.* 8 III Non. J. *lin.* 10, dies 7.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 4, *Vatic. et Flor.*, missa celebraretur, nam constituit ut. *lin.* 7, *Flor et Cass.*, coronatur. *lin.* 9. *Vat. et Florent. addunt,* episcopos per diversa loca tredecim.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, Telesphorus. *lin.* 10, dies VII.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

NOTÆ IN TEXTUM ANASTASII.

In Telesphoro incipit auctor Libri Pontificalis adjungere nonnulla quæ aliunde desumpsit, quam ex

B secundo catalogo. ut rationem, quam addit de non incipienda missa ante horam diei tertiam, id est juxta computum horarum in Palæstina fieri assuetum, ubi dies hora sexta ante meridiem incipiebat, et in meridie sexta finiebat. Cæterum ex eo non

auctor libri Pontificalis non numeret consules, qui desunt in secundo catalogo, et reperinnturin primo, colligitur, non quidem primo, sed secundo usum fuisse.

Linea 4. — *Cum omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missam celebrare, qua Dominus noster ascendit crucem.* Hora diei tertia juxta modum computandi horas diei in Palæstina usu receptum, ut supra adnotavimus. Præclarum est autem hoc Telesphori decretum, quod in primitiva Ecclesia locum habere potuit, dum unum altare in singulis Ecclesiis, et non plusquam una missa per diem in illis celebrabatur.

NOTÆ IN CATALOGUM FELICIS IV [a].

Tantum noctu natalis Domini. Undenam auctor catalogi desumpserit, Hymnum angelicum, *Gloria in excelsis Deo*, tantum noctu natalis Domini cantari debuisse juxta Telesphori decretum, fateor me ignorare: initio tamen Ecclesiæ non adeo frequenter recitatum fuisse, ut nunc fit in omnibus festis, vel ex antiquo Sacramentario Gregorii M. patet, quod tempore Caroli M. scriptum asservatur in Bibliotheca Palatino Vatic., ubi initio legitur: « Item dicitur *Gloria in excelsis Deo*, si episcopus fuerit tantummodo die Dominico sive diebus festis: a presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in Pascha. »

NOTÆ IN CATALOGUM LIBERIANUM.

Linea 1. — Loco *Antonini Macrini* legunt Henschen. et Papebrochius *Adriani*, cum tamen in ms. codice habeatur ut nos hic edimus.

ALTASERRA.

Linea 2. — *Hic constituit, nt septem hebdomadas ante Pascha jejunium celebraretur.* Jejunium Quadragesimæ non est primitus institutum a Telesphoro: id enim institutionis apostolicæ esse jam observatum ex can. 69 apostolorum; sed pontificia lege sancitum, can. *Statuimus*, dist. 4. Jejunium enim Quadragesimæ a Domino institutum agnovere Patres. Hinc illud fidei nostræ opus vocitat Ambros., serm. 33; « Diximus superiore Dominica hoc esse fidei nostræ opus primum ut horum quadraginta dierum curriculo devotissime jejunemus. » Et illud jejunium a quibusdam infringi contra præceptum Domini conqueritur idem serm. 35: « Qualis autem Christianus es, cum, Domino jejunante, tu prandes? Dicite enim mihi, interrogo vos, qui in Quadragesima prandetis, si non in conscientiis vestris rei estis, quod, abstinente toto populo, vos soli, contra præceptum Domini, devoratis. » Jejunium Quadragesimæ ad exemplum jejunii Christi institutum. Hieronym. in Jonam cap. 3: « Ipse quoque Dominus verus Jona, missus ad prædicationem mundi, jejunavit quadraginta dies, et hæreditatem nobis jejunii derelinquens. ad esum corporis sui sub hoc numero nostras animas præparat. » Jejunium Quadragesimæ constituitur septem hebdomadis. Hinc Gregorius homil. 16 in Evangel. in Dominica I Quadragesim.: « A præsenti etenim die usque ad Paschalis solemnitatis gaudia, sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo fiunt, ex quibus dum sex Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam triginta et sex dies remanent. »

Linea 3. — *Et natali Domini noctu missæ celebrarentur, cum omni tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missam celebrare qua hora Dominus noster ascendit crucem.* Telesphori constitutum est, ut in nocte nativitatis Dominicæ missæ celebrentur, cum extra hunc diem missæ non celebrarentur ante horam tertiam, qua Christas crucifixus est, can. *Nocte sancta de consecr.* dist. 1. In natali Domini missa celebratur de nocte in galli cantu. Abbas Urspergens.: « Centius quidam civis Romanus, ex fautoribus Henrici IV in nativitate Domini Gregorium papam (is est Gregor. VII) in galli cantu missam celebrantem, de altari graviter vulneratum rapuit, et in turre sua in custodiam misit. » In die natali Domini in missa, quæ celebratur in galli cantu, Evangelium alta voce legit Carolus IV imp. de quo Albert. Argentinens. in Chronic.: « In die quoque sancto nativitatis Domini rex communicatus fuit, legitque in missa galli cantu alta voce, habens in manu evaginatum gladium, Evangelium: *Exiit edictum a Cæsare Augusto.* » Mediam noctem signat galli cantus, quo Christiani surgebant ad orandum. Augustin. in psalm. CXVIII: « Post galli cantum consuevit esse tempus orandi. » In honorem nativitatis Domini multa singularia introducta sunt. Primum, quod missa celebratur de nocte Secundum, quod eodem die tres missæ celebrantur: prior media nocte, qua hora natus est Christus; secunda diliculo, id est sub lucem; tertia, hora tertia qua solent celebrari missæ publicæ. Gloss. in d. can. *Nocte*, cap. *Consuluisti, de celebrat. missar.* Tertium, quod si natalis Domini incidat in feriam sextam, licet vesci carne ex consuetudine generali; cap. ult. de observ. jejun. de quo Matth. Paris ad ann. 1255: « Erat autem illo anno dies natalis Domini feria sexta, et comederunt aliqui carnes, ob reverentiam Christi, quia Verbum caro factum, ea die prodiit in lucem sæculi, unde quidam admirative ait: O carni concessus honor! » Missæ publicæ celebrantur hora tertia, can. *Et hoc de consecr.* dist. 1, conc. Emeritens. can. 19, Aurelianens. III, can. 14, de quo dixi Dissert. lib. VI, cap. 2.

Linea 6. — *Et ante sacrificium hymnus diceretur angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo* Postrema pars decreti Telesphori est, ut initio sacrificii missæ caneretur hymnus angelicus, hoc est. *Gloria in excelsis Deo.* Primum hoc institutum a Telesphoro, ut hymnus angelicus caneretur in missa in natali Domini, d. can. *Nocte sancta.* Deinde usu receptum ut idem hymnus decantetur semper in missis solemnibus, etiam in Cœna Domini. can. *Porro, de consecr.* dist. 1. Symmacho hoc tribuit Anastas. in ejus Vit.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 3. — *Hic constituit ut septem hebdomadas.* Quadragesimale jejunium ab apostolis Domini institutum atque universæ Ecclesiæ traditum est, ut ex can. apostol. 68 constat; nam diu ante Telesphorum hujus jejunii quadragesimalis Ignatius in Epistola sua ad Philippenses meminit hisce verbis: « Quadragesimale jejunium ne spernatis; continent enim exemplum conversationis Dominicæ. »

(Ex Lab.) Linea 4. — *Cum omni tempore.* Absunt a C. H.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

In hoc pontifice picturæ basilicæ S. Pauli, tum in vetusta serie colorata musivo cum opere Leonis Magni, et Gallæ Placidiæ, tum in recentiori iteratione ejusdem epochæ, per Nicolaum III inferius delineata, uti dixeram in Prolegomenis opusc. XI, cap. 3, num. 3 et 4, nitide ostendunt, numerum annorum undecim, mensium trium dierum viginti unius beato Telesphoro esse tribuendum. Par consensus in annis est omnium catalogorum et codicum, memoratorum eodem folio XCI, solo Colbertino sexto vitium ostendente in nota numerali VI quam loco XI substituit scriptor illius codicis: consueto vetustatis damno fortasse deceptus; dum evanescentibus inferne ductibus decussatis sigla denarii X notam quinarii V arbitratus est se videre in dimidiata illa littera X, quam integram picturæ, et codices manifestant. Cætera errata leviora adjectæ, vel detractæ unitatis in mensibus intelliges ex iis, quæ supra dixeram in Alexandro. Quare ad calcem columnæ S. Telesphori in Prolegomenis collegi, sedis II-

[a] Vid. Prolegomena.

lius annos 11, menses 3, dies 21 ex omnibus monumentis deduci.

Dies martyrii 5 Januarii, qua colitur, spectabit ad consules anni 138 Camerinum et Nigrum ; cum præcedens consulatus Cæsaris II et Balbini postremum tempus Paschale demonstret celebratum constante Vita Telesphori : et Pascha primum assignatum successori Hygino per catalogum Felicis IV (nam lacuna prohibet id cognoscere in Liberiano), præferat consules indicatos anni 138 Nigrum et Camerinum. Ex die igitur 5 Januarii anni 138 retrocedentes per annos undecim solidos, menses tres, dies viginti et unum episcopatus Telesphori, cognoscimus illius ordinationem fuisse peractam die Dominica 16 Septembris anni 126, Vero et Ambibulo coss. semestri ferme spatio antequam Sixtus martyrio coronaretur. Quare illud semestre spatium exegerit Sixti vicarius et coadjutor, more satis frequenter usurpato in persecutionibus a pontificibus Romanis, ut episcopalem ordinem suo Vicario conferrent, ob causas jam indicatas in adnotationibus chronologicis ad Vitam S. Evaristi, numero 2.

A morte Sixti sedem apostolicam vacasse refert codex Anastasianus biduo tantum. Hæc igitur chronotaxis assignanda erit Telesphoro.

Anno Christi 126, die Dominica 16 Septembris, Vero et Ambibulo coss., ordinatur episcopus.

Anno proximo 127, die 5 Aprilis, eligitur successor Sixti, biduo ante martyrio coronati.

Anno 138, die 5 Januarii, Camerino et Nigro coss. (*Nigrum* consulem aliqui appellant *Magnum*), pro Christo occiditur, post annos 11, menses 3, dies 21 impensos administrando episcopatui Romano, per primum quidem semestre vicaria potestate illi a Sixto collata, reliquo vero tempore a Sixti morte, et ab electione ad pontificatum maximum, uti successor Petri, et Sixti in cathedra Romana.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1. — *Ex Anachorita.* Fuisse anachoretas ætate Telesphori nemo negaverit, qui attendat ex Evangelio, ante prædicationem Christi Domini, Joannem illius præcursorem deserti accolam, zona pellicea succinctum lumbos, et locustis ac melle silvestri famem sedantem, antra deserti subisse teneris sub annis. Ejusdem certe exemplo Patres attribuunt, et cum his catholici omnes, originem vitæ monasticæ apud Christianos : quem propterea monachorum principem dixerunt SS. Joannes Chrysostomus et Hieronymus : aliique simili elogio commendant, videndi apud Baronium ad annum Christi 31, n. 14 et 15. Quin etiam divinus ipse præceptor noster Christus Dominus, uti virtutum omnium exemplar et norma, ita enim in deserto agens per dies quadraginta videtur insinuasse vitæ solitariæ institutum, antequam activæ præcepta daret. Quare Basilius agens de laudibus eremi, ubi eam commendavit ab exemplis Moysis, Eliæ, Elisei, et Joannis præcursoris, aliorumque prophetarum, altius orationem extollens ait : « Et quid amplius memorem ? Quandoquidem ipse Salvator omnium in exordio suæ manifestationis inviserit, ac propria dignatus est se habitatione consecrare. Postquam enim baptismatis aquam, qua lotus est, lavit, ut evangelista testatur, statim Spiritus expulit eum in desertum.... Debitorem se tibi mundus agnoscat, unde prædicaturum, ac mirabilia facturum suscepisse Deum non ignorat. » Merito itaque referunt scriptores nostri cum Hieronymo et Cassiano, aliisque ad Marci evangelistæ discipulos Alexandrinos rationem illius instituti, quam in Essenis, hoc est in prima illa Ecclesia Christiana tantopere commendavit Philo, ejusdem formam describens plane anachoreticam, neque admodum diversa a consuetudine primorum fidelium per apostolos conversorum post adventum divini Spiritus : quos iisdem Essenis in Christum credentibus *per Marci prædicationem* in Ægypto peræquat Hieronymus in elogio Philonis. « Ex quo apparet, inquit, talem primum in Christo credentium fuisse Ecclesiam quales nunc monachi esse visuntur, et cupiunt, ut nihil cujusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur, et psalmis, doctrinæ quoque et continentiæ ; quales et Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes. » Viguisse quoque in Judæa eadem ætate apostolica Essenorum ascetarum copiam luculenter ostendit Caronius ad annum 64, invictis argumentis comprobans contra Novatorum commenta, plerosque illorum, qui a Josepho laudantur, fuisse Christianos, ex Judæorum Essenis quidem conversos, neque habendos illius antiquitatis, quam Plinius et Solinus iisdem affingunt, sed circa ætatem Christi Domini, et Herodis Magni a scriptoribus tantummodo memoratos : qui cum cæteras Judæorum sectas superioribus ætatibus describere non omiserint, de his ne verbum quidem proferunt. Cum vero de Essenis fateatur Solinus, interiora Judææ illos colere præditos morali disciplina, recessisse a ritu gentium universarum, venere se penitus abdicare, pecuniam nescire, palmis victitare, et plurimos undique gentium ad eos properare : neque tamen ullum admitti, nisi quem castitatis fides et innocentiæ meritum prosequatur ; jure Annalium parens in eis recognovit Christianos, ad fidem facilius perductos ex Essenorum secta, quam ex cæteris apud Judæos tunc vigentibus. Sive igitur Telesphorus anachoreta Christianus fuerit ex prioribus illis consilia Evangelica professis in Judæa, aut Alexandriæ sub apostolis, et Marco, sive anachoreta primum inter Judæorum Essenos, ad quos undique gentium convolabatur, adeoque et ipse adveniens illuc e Græcia perfectioris vitæ studio se illis adjunxerit, mox certior factus nostræ professionis in schola Christi eam adinvenerit relictis Judæorum Essenis ; potuit utroque modo dici *ex anachoreta* ad maximum sacerdotium evectus in hac Romana sede ab auctore libri Pontificalis.

Linea 2. — *Hic constituit ut septem hebdomadas ante Pascha jejunium,* etc. *et Natali Domini noctu missæ celebrarentur,* etc. Tam cardinalis Baronius ad annum 154, num. 2, quam Altaserra ad hanc sectionem Anastasiani textus observant, jejunium Quadragesimæ manasse ex apostolica institutione, id attestantibus præter Eusebium etiam pluribus episcopis secundi sæculi ex Asia scribentibus, se id traditione præcepisse, apud eumdem Eusebium lib. v, Hist., cap. 24, ubi non solum quæstio erat de Paschali die, verum etiam de jejunii varietate singulis Ecclesiis se tueri affirmantibus proprios ritus, ab apostolis acceptos. Quod autem attinet ad nocturnas horas missæ sacrificio celebrando primum destinatas a Telesphoro, idque tantummodo in Dominico natali, quasi antea nemini liceret horam diei tertiam prævertere in missæ celebratione, opponit merito cardinalis Baronius morem antelucani cœtus, a Christianis passim frequentatum diu ante Telesphorum, et in Plinii litteris evidentem. Quare monet, ita esse intelligenda ea quæ hic affirmantur de jejunio Quadragesimæ, ut dicamus id a Telesphoro primum esse confirmatum scripta lege, quod traditione antea non scripta laudabiliter tenebatur ab Ecclesiis, rituum apostolicorum observantiam professis.

Receptæ interpretationi ac sententiæ Baronii, aliorumque auctorum de scripto confirmata per Telesphorum lege consuetudinis apostolicæ ita respondent indicia gestorum istius ætatis ; ut nos manuducant ad perspicienda incrementa sacrorum rituum, celebritati mysteriorum potiorum adhibita per summos pontifices pro temporum ac locorum opportunitate, ac providenter digesta in eos commentarios sacerdotales, ex arcani disciplina tum temporis concreditos ministris sacrorum, unde in pace Ecclesiæ postea collectus est codex Ordinis Romani per anni

circulum. Telesphori enim ætate plurimum perfectionis accepisse ritus eodem in potioribus mysteriis religionis nostræ anniversaria celebritate recolendis probe intelligimus ; si complexum attendimus trium decretorum quæ hic memorantur a Telesphoro prescripta, eaque comparamus cum testimoniis Patrum istius ætatis, mores, ac ritus Christianorum attingentibus, quantum illis permisit cautela sanctioris disciplinæ nostræ, neque infidelibus neque catechumenis tum temporis apertius propalandæ. Tria igitur hæc decreta Telesphori manifestant celebritatem ritus potius quam rei institutionem esse illi tribuendam : ut scilicet lex a Telesphoro perscripta non invexerit in Ecclesiam morem jejunii Quadragesimæ, jam ab apostolis inductum ex imitatione Christi Domini, cujus exemplum ipsis, ac nobis norma vivendi propositum semper fuit ; sed ut in septem hebdomadibus Quadragesimam constituentibus certus delectus precum stabiliretur, apte disponens ad mysteria Paschalia clero et populo devote celebranda, et adbaptismum novis Ecclesiæ fetibus administrandum prævia dispositione catecheseon, et scrutiniorum, quæ cum geniculationibus, et pervigiliis, et orationibus crebris jam tum oportere observari ab ingressuris ad baptismum Tertullianus presbyter proximus Telesphori ætati commemorat in libro quem de eodem sacramento perscribit. Stata vero tempora solemnioris baptismi administrandi per eam ætatem cum haberentur non tantum paschalia Resurrectionis Dominicæ, et Pentecostes, sed etiam Natalitia, et Epiphaniæ, quæ ita juncta Nativitati sunt, ut apud Ægyptios dicatur eadem die utraque solemnitas celebrata (quemadmodum Ecclesia Latina manifestationem Domini, Baptismum, et miraculum nuptiale in Epiphania recolia se testatur) ; consequens erat, ut Nativitatis etiam Dominicæ, et Epiphaniorum ritus peculiares hisce mysteriis convenienter administrandis aptarentur a Telesphoro in titulis Romanis, quos paucis ante ipsum annis diviserat 25 presbyteris Evaristus. Proximus Evaristi successor Alexander statim ac titulis singillatim præfectos vidit a decessore presbyteros, legem scriptam canonis quotidiani sacrificii contradendam illis curavit, et passionis Dominicæ memoriam, a Christi prima institutione et ab apostolorum traditione continenter alligatam ; licet tum eam, tum formulam certorum verborum ad sacramenti integritatem pertinentium sartam tectamque semper custoditam sciret, prævia tamen precibus, ac ritibus ad ejusdem passionis tremenda mysteria attentius recolenda sacerdotem, ministros, et populum excitantibus instruxit, ut abunde notavi. Hoc etiam instituto providit, ut nihil diversum in titulis presbyteri inducerent ab eo quod servari per episcopum viderent in quotidianis sacris exemplo apostolorum. Pari igitur cura ac sollicitudine Telesphorus, postquam curatam vidit providenter legem quotidiani sacrificii, ejusque rituum in titulis per Alexandrum, censuit sibi esse consulendum, ut in iisdem titulis annua sacra potiorum celebritatum Paschalis et Nativitatis (sive Epiphaniæ Domini) occasione baptismi solemnis tunc administrandi frequentiores cœtus fidelium habitura (quandoquidem ad baptismum, et pœnitentiam administrandam tituli præcipue fuerant instituti, ut diserte legimus num. 11 et 31) certam legem rituum obtinerent, qua pietas confluentium aptius disponeretur per easdem celebritates ad gloriam Deo exhibendam, et uno spiritu unaque voce honorificandum Deum, ut apostoli nos monuerant. Procurationi Alexandri fuit adjumento complementum canonis librorum Novi Testamenti, in Joannis apostoli morte peractum : ut posset a receptis perse, ac decessores, et ab universa cui præerat Ecclesia libris eosdem ritus, et preces non minus, quam a traditionibus derivare. Eorumdem vero librorum sacratus census paulo jam vulgatior sub Telesphoro, non in Romana modo, sed etiam in recentius fundatis in Ecclesiis, auxit ipsius fiduciam ad impetrandum a Deo spiritum consilii, ut certis lectionibus utriusque Testamenti præscriptis per septem jejunii hebdomadas in Quadragesima pararet Domino plebem perfectam. Ut vero id feliciter cedere animadvertit, conversus etiam ad Nativitatis Dominicæ mysteria cultu celebriori disponenda, iterandum ea nocte divinum sacrificium præcepit : fortasse ut consuleret affluentiæ fidelium, plurimum auctæ sub Alexandro ex conversione Romanæ nobilitatis ad Christum, quo scilicet copiam sacris assistendi parationem præberet in tanta solemnitate. Hymnum quoque angelicum, ea nocte concinendum statuisse fertur, ad beneficia præterita recolenda partæ pacis Deum inter et homines, atque in Nativitate Christi annuntiatæ. His igitur incrementis pro temporum opportunitate aptedispositis, ad celebritatem jejuniorum et Paschatis æque ac Nativitatis Dominicæ recolendam Telesphori decreta instruxerunt Romanæ Ecclesiæ Rituales libros : quorum indicia satis manifesta nobis præservant Apologia Justini martyris, et scripta Tertulliani. Quod enim pertinet ad ritum jejuniorum solemnium per Quadragesimam, manifestum est comparanti ritus memoratos a Tertulliano, indicatosque a Justino, atque adeo usurpatos secundo sæculo de quo loquimur, cum descriptis ab Augustino per quartum sæculum, a Gelasio vero, et a Gregorio Magno in ordinem Romanum, et in Sacramentaria reductis quinto, sexto, et consecutis sæculis, nihil esse similius. « Ingressuros ad baptismum (ait Tertullianus loquens de solemni Paschæ) orationibus crebris, jejuniis et geniculationibus, et pervigiliis orare oportet, etc. » Hæc nempe sunt scrutinia, quæ vocantur in Ritualibus Romanæ Ecclesiæ, ex mediana præsertim hebdomade illarum septem, quæ Quadragesimam constituunt, et jam tum constituebant juxta hoc decretum Telesphori ipso administrante pontificatum, et unde majora jejunia a Patribus appellata solent veteres auctores arcessere, vivendi apud R. P. D. Martene de antiquis Ecclesiæ ritibus tomo, et lib. I, artic. II. Ex illa hebdomade, ac Dominica mediana in sacris quotidianis Evangelii lectionem ex Joanne ferme dietim Ecclesia Romana mutuatur : inicium plane manifestum hujus delectus non habiti ante initium secundi sæculi ; cum dilectus Christi apostolus Evangelium suum serius mandaverit litteris, quam ut antea legi potuerit. Ritus vero scrutiniorum per has hebdomadas coævos habendos esse cum plerisque illorum consequentium, quos usurpamus in ipsa majori hebdomada ; sacrisque solemnibus feria VI in Parasceve, et Sabbato sancto, et Paschali die ad nostram ætatem ex hisce fontibus derivatos, perspicue comtemplari possumus in Apologia prima Justini, sect. 35. ubi recens baptizatos deducens e sacro fonte ad synaxim cum cæteris fidelibus celebrandam, describit seriem rituum, et precum, ætate Telesphori, ac sua servatorum. ita conceptam, ut videri potuerit compendiariam imaginem ex officio majoris hebdomadæ Ordinis Romani, Gelasiani, Gregoriani, ac nostri fideliter transcripsisse, nisi ante ipse edidisset, quam Gelasius, ei Gregorius, et nostri Rituales libri Ordinem missæ, expendissent ad memoratum sabbatum, et Dominicam Resurrectionis post ordinem solemnis baptismi. Ita enim scribit Ἡμεῖς δὲ, etc. Vertit R. P. Joachimus Perionius Benedictinus : « Nos autem, postquam ita abluimus, expiavimusque eum qui credidit, et assensus est, eum ad eos qui fratres dicuntur ducimus eum in locum quo convenerunt comprecandi causa contentis animis, et pro se, et pro eo qui illustratus est, omnibusque aliis qui ubique sunt, ut et veritatis discipuli, et reipsa bonæ sanctæque vitæ cultores, et præceptorum custodes possimus inveniri, ut æternam salutem adipiscamur. » Hæc vero omnino respondent statis precibus Paschalis octavæ, per quas a Deo comprecamur. ut renati in Christo *sacramentum vivendo teneant*, quod fide per-

ceperunt : quemadmodum series precum pro se, pro neophytis, pro cæteris omnibus qui ubique sunt, collectas referunt, feriæ sextæ, et Sabbato majoris hebdomadæ singillatim addictas ab Ordine Romano, ut pro Ecclesia universa ejusque partibus, omnibusque aliis qui ubique sunt, et ad eamdem vocari, aut revocari possunt, divinæ gratiæ munera Christus largiatur. Tum vero a precibus proceditur ad oblationem. « Sub finem, inquit, precum inter nos osculo salutamus : deinde ei, qui præpositus est fratribus, panis offertur, et poculum, aqua, et vino temperatum, » etc. Et paulo post sect. 87, eadem diligentius prosequitur de solemni celebrandi ritu diebus festis. « Die qui solis dicitur omnes qui in oppidis, ait, vel in agris morantur, unum in locum conveniunt, commentariaque apostolorum, et prophetarum scripta legunt quandiu hora patitur : deinde ubi is qui legit desistit, is qui præest admonet, et hortatur, ut ea quæ lecta sunt, bona imitemur. Tum surgimus omnes, ac comprecamur, conclusisque nostris precibus, panis, jam ut dixi, vinumque, et aqua offeruntur : tum is qui primum locum tenet, » etc.

Si quis perpendat mature utrumque Justini testimonium ac Tertulliani, secumque reputet, per eam ætatem, qua disciplina arcani parcius ut dissereret de his coram infidelibus Christianos monebat, tam multa nihilominus Justinum retulisse de ritibus Telesphori, ætate, ac sua constitutus in celebrando jejunio Quadragesimæ, quod baptismati solemni præmittebatur, necnon pervigiliis, ac festis hactenus indicatis, facile intelligit optimo jure assignari huic pontifici decreta superius recensita, licet jejunium Quadragesimæ, et sacra antelucana diu ante sacerdotium Telesphori apostolica ex institutione vigerent.

Hanc etiam opinari possumus fuisse causam, cur Irenæus ad Victorem scribens (apud Eusebium lib. v, Hist. cap. 23) de constantia Romanorum pontificum Victoris decessorum in die Paschali nunquam separando a die Dominica, neque aliis permittendo, ut aliter observarent, non ascendit enumerando ultra Sixtum, Telesphori proximum decessorem : a quo inchoata fortasse, vel meditata rituum celebritas fuit, quam subinde Telesphorus vel perfecit, vel decreto firmavit. Ita enim scribit : « Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui tu jam præes, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licet neque ipsi hoc festum ea die qua episcopi Asiæ observarent, neque aliis post se ita observari permitterent, » etc.

Aliud hinc acute intulit Pearsonius, collatis Anatolii verbis ex ejus canone Paschali, ubi de Asianis episcopis, Pascha celebrantibus statim a luna XIV, post æquinoctium vernum, non exspectata Dominica die, ita scribit : « Non acquiescens auctoritati quorumdam, id est Petri et Pauli successorum : qui omnes Ecclesias, in quibus spiritualia Evangelii semina jeceruntsolemnitatem Resurrectionis Christi Domini die tantum Dominica posse celebrari docuerunt. » Ipsi videbatur, ex his testimoniis inferri posse morem Paschalis celebrandi die Dominico non esse tribuendum apostolis Petro et Paulo, sed quibusdam Petri successoribus, quos nominatim percenset Irenæus, dum ordine retrogrado memorat decessores Soteris Anicetum, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum. « Xystus igitur primus, intulit Pearsonius, post sancti Joannis obitum Romæ episcopus constitutus Romanæ Ecclesiæ morem stabilivit : quod ante sancti Joannis mortem nemo facere ausus est : eaque de causa putat, » Anicetum Polycarpo suadenti, ut eadem die celebraret, qua Joannis discipuli, respondisse, « se morem prædecessorum debere retinere : » ut legitur in Epistola Irenæi ad Victorem apud Eusebium : « Nullam (subdit Pearsonius) ab apostolis in ea re traditionem asserebat Anicetus ; sed tantummodo morem apud prædecessores *suos obtinentem*, » Romanos scilicet pontifices *Xystum, Telesphorum,* et successores. Verum si Anatolius et scriptor iste recentior respicere voluissent ad omnes Ecclesias, prædicatione Petri successorum in tribus patriarchalibus sedibus fundatas, in quibus dies Dominica Resurrectionis festo perinde addicta fuit, ac quinquagesimus ab illa dies, qui pariter in Dominicam incidit. Pentecostes celebritati deputatus, ut omnia orientalium et occidentalium heortologia testantur, concilia, Patres, et auctor apostolicarum Constitutionum quem constat scripsisse ante Nicæni concilii tempora, vidissent profecto istorum concordi suffragio diem Dominicam idcirco delectam fuisse episcoporum consecrationi, quia Spiritum sanctum fidelibus illapsum noverant in cœnaculo simili die ; et inferre debuisset, ante Sixtum, ac Telesphorum ab ætate apostolica invaluisse una cum jejunio Quadragesimæ morem Paschatis Christiani celebrandi Dominica die, tum apud Ecclesias occidentales, tum apud cæteras per Africam, Ægyptum, Libyas, per Asianam et Ponticam diœcesim, et per Ciciliam, indicatas in epistola Constantini apud Eusebium de ejus Vita lib. III, cap. 19, et Hist. Eccl. lib. V, cap. 23, ubi Synodi plures ea de re testimonium adjiciunt. Hunc vero morem constantissime præ cæteris observatum in Ecclesia Romana si celebrioris officii ritu decorandum censuit Telesphorus, uti ex ejus decreto colligi potest ; sive etiam Sixtus, uti ex Irenæi recensione quispiam deduxit ; non ad hos tantum respexit Anicetus, sed ad cæteros quoque pontifices superiores, quorum consuetudinem inconcussam sibi cæterisque proposuit ex æquo servandam, ac Sixti atque Telesphori decreta, quando respondit, *se morem prædecessorum debere retinere.*

Linea 6. — *Hymnus angelicus : Gloria in excelsis Deo.* De antiquitate hujus hymni sacra Evangelia testantur, cum primam illius periodum referant totidem verbis a cœlestibus spiritibus prolatam. Reliquas etiam partes ab Ecclesia additas vetustate excellere ex eo intelligimus, quod idem hymnus ita completus reperiatur, et Græce scriptus in antiquissimo bibliorum codice, quem Theclæ dicunt, et V. C. Laurentius Zaccagnius scriptum fuisse ostendit labente quarto Christi sæculo aliisque in exemplaribus pervetustis Psalmorum et Canticorum. Quin etiam Græce cantari consuevisse in Ecclesia Turonensi observat R. P. Martene de antiqua Eccl. disciplina in divinis celebrandis officiis tomo IV, cap. 12. n 20, pag. 89. Verum de illius antiquitate, et de auctore consule cardin. Bona rerum Liturgicarum lib. II, cap. 4.

Cum in hoc libro Pontificali recenseantur nonnulla decreta pontificum Romanorum, quibus adnotationes atteximus pro munere suscepto, obscura istius libri loca pro viribus illustrandi, semel hic præmittenda esse duco, ea quæ pertinent generatim ad decreta pontificum, qui sederunt ante Siricium ne in singulis eadem repetere sit necesse, quando in illis se quippiam offeret observandum.

Hujusmodi decretorum origo compluribus videretur obscura, si eorumdem documenta repeterentur, aut firmamenta ex litteris decretalibus, quas sub confícto Isidori nomine primum vulgavit Riculfus episcopus Moguntinus octavo Christi sæculo. Ex his addiscenda non proponam decreti priorum pontificum ; probe cum noverim de collectione hujusmodi pseudo-Isidori quid sentiant eruditi, atque inter hos duo clarissima lumina Ecclesiasticæ antiquitatis, cardinales scilicet Baronius et Bona. Satis est hujus posterioris sententiam (quæ alterius collegæ sui testimonium includit) describere ex libro I, cap. 3 rerum Liturgicarum, ita conceptam : « Dudum ab eruditis observatum est, inquit, illorum epistolas decretales usque ad Siricium supposititias esse a quodam Hispano sub nomine Isidori (quicunque ille fuerit) sub finem septimi sæculi pia fraude confictas, et ex sententiis veterum canonum, legum

etiam civilium, et sanctorum Patrum, qui et quarto et quinto sæculo floruerunt, turpi anachronismo, eodemque fere stylo, ac dicendi charactere magna ex parte contextas : quas primum ex Hispania in Galliam detulit labente octavo sæculo Riculfus episcopus Moguntinus ; et inde in alias regiones disseminatæ, ac communiter receptæ sunt. Sed tandem impostura detecta est, et Baronius de his epistolis disserens, anno 865, earum falsitatem agnoscit, et aperte fatetur, ne quis, inquit, calumniari possit, ab Ecclesia Romana aliquid hujusmodi commentum esse. Earum igitur testimoniis tanquam falsis, et inutilibus, rejectis, certiora ex veris et legitimis pontificum et Patrum scriptis proferenda sunt. »

Hanc regulam Baronii et Bonæ cardinalium tenendam proposui in his seligendis, quæ illustrare possent decreta pontificum ante Siricium. Ut enim Bona laudato loco exemplum Baronii secutus, sepositoque falso Isidoro, et epistolis conflictis, abstinendum esse judicat ab iis quæ originis incertæ sunt, nec proximis ætatibus notæ, solasque adhibendas ad historiæ firmamentum, quæ petuntur a genuinis fontibus probatorum scriptorum, historica fide præstantium, aut ex operibus Patrum in quibus recitantur ; ita mihi præstandum sentio in exponenda eorumdem decretorum notitia, origine, occasione, sententia, praxi, prout in singulis visum fuerit opportunum.

NOTÆ IN CATALOGUM LIBERIANUM.

Linea 1, 2. — *Antonini Macrini.* Mendum manifestum amanuensis in primo catalogo. Legendum est, ut in secundo, *Antonini et Marci,* hoc est Pii et M. Aurelii : quorum tempora indicant consules in primo catalogo recensiti.

Linea 2 — *Cæsare et Albino.* Corrige *Cæsare* II *et Balbino* ex inscriptionibus editis a Grutero XXIII, 12. et 445, 10; necnon a Fabretto pag. 513. Inscript. n. 180, aliisque figlinis similibus Romæ spectatis, et omnibus fastis.

CIACONII.

Linea 1. — *Telesphorus natione Græcus.* Sanctus Telesphorus Græcus, patria Thuriensis, in Calabria, quæ olim Magna Græcia dicta fuit, hodie *Terranova* in Sybaris reliquis ædificata.

Linea ead. — *Ex anachorita.* Quoniam Telesphorus fuit anachoretæ filius, apparet in prima Ecclesia aliquos hujus sancti instituti fuisse sectatores.

Linea 2. — *Hiç constituit ut septem hebdomades ante Pascha jejunium celebraretur.* Quadragesimæ jejunium jam ab apostolis traditum can. 6 Apost. et apud Clem. lib. v. et VII. Const. Ignat. epist. 4 ad Philipp., sed a multis fortassis propter persecutiones neglectum, nova edicto restauravit.

PAGII.

Linea 2. — *Hic constituit.* Institutio jejunii Quadragesimalis Telesphoro a quibusdam tribuitur apud Eusebium in Chronico, ad annum Christi 141, ubi ita legitur : « Quadragesimale jejunium a Telesphoro per hoc tempus institutum, ac præceptum quidam scribunt. » Verum hæc verba in Mss. codicibus desiderari, ideoque Chronico Eusebii inserta esse, jam animadverterunt Arnaldus Pontacus, et Josephus Scaliger in notis ad illud Chronicon Rabanus quidem Maurus lib. II de Institut clericor. cap. 34, et Rupertus Tuitiensis abbas lib. IV de divinis Officiis, cap. 9, idem scribunt ac Eusebius ; sed dicendum Rabanum et Rupertum deceptos fuisse, sive testimonio libri Pontificalis, sive interpolato jam Eusebii Chronico, et recentiores esse auctores quibus præ sanctis Hieronymo et Leone fides sit adhibenda, ut habet Natalis Alexander sæculo II, dissert. 4, art. 3, ubi probat antipaschale jejunium ex apostolorum traditione acceptum probabilius asseri.

Linea 3. — *Et natali Domini.* Denique Anastasius, sive libri Pontificalis auctor, scribit Telesphorum constituisse ne quis præsumeret ante cursum horæ tertiæ missas celebrare : quod decretum referunt Amalarius lib. III, cap. 42, et Strabo cap. 25. Sed hos decepit pseudo-Isidorus, qui primorum pontificum epistolas decretales ausu temerario finxit, totique Ecclesiæ tanquam legitimas merces obtrusit. Quid enim, inquit cardinalis Bona lib. I, rer. Liturgic. cap. 21, n. 5, magis alienum a conditione illius sæculi, quo Christiani, furentium imperatorum gladios declinantes, summo studio latitabant, quam hujus legis editio, quæ nullo modo poterat observari ? Noctu et in occultissimis locis convenisse fideles ad synaxim Tertullianus in libro de Fuga in persecutione, et alibi nos docet, qui aliquot annis post Telesphorum scribere cœpit, imperante Severo ; nec aliter sane poterant, ut et dignitati sacrificii et propriæ vitæ securitati prospicerent. Probabilis igitur sententia est, magisque congrua, quam refert Baronius anno 382, hanc tertiæ horæ præfixionem a sancto Damaso sancitam fuisse, ex præscripto, ut aiunt, canonis Nicæni, qui tamen non exstat. Qui plura de his cupit legat Bonam card. laudatum.

X. SANCTUS HYGINUS.

ANNO CHRISTI 154, ANTONINI PII IMP. 15.

10 *Hyginus, natione Græcus, ex philosopho de Athenis,* cujus genealogia non invenitur, *sedit annos quatuor,* menses tres, dies octo [a] *Fuit autem temporibus Veri et Marci, a consulatu Magni et Camerini usque Orfidum* et Priscum [b]. *Hic clerum composuit, et* [c] *distribuit gradus.* Hic *fecit ordinationes tres per mensem Decembrem : presbyteros quindecim, diaconos quinque, episcopos per diversa loca septem* [d]. *Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano, tertio* Idus *Januarii, et cessavit episcopatus dies tres.*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] A. an. 4, minus d. 2. [b] *Ant. Pii a cos. Glabr. et Veriano ad Silvanum et Augurinum. C,* ad Orphitum. [c] *Vide Bar. an.* 158. [d] *CB,* sex,

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Ex editione Bucherii.

Hyginus annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus Veri, a consulatu Gallicani et Veteris usque Præsente et Rufino.

Idem ex editione Schelestratii, exacta ad ms. Cæsareum, etc.

Hyginus annis duodecim, mensibus tribus, diebus sex. Fuit temporibus.....

Notæ Schelestratii in Catalogum Liberianum.

Lacunæ in Hygino et Aniceto reperiuntur in ms. Cæsareo, quæ tamen ex secundo catalogo suppleri possunt, utpote cujus auctoris temporibus in ms. codice exstabant, ex quo imperatorum et consulatuum notas colligere licet.

Blanchini monitum ad eumdem Catalogum Liberianum et lacunas in illo indicatas.

Observant eruditi editores catalogi Liberiani, Bucherius et Schelestratius, lacunas frequentes deprehendi eodem in catalogo ex Hygino ad Callistum ; easdemque suppleri posse Schelestratius advertit ex catalogo secundo quem apposuit in sua editione, pertinente ad ætatem Felicis IV et Justiniani. Supplentur autem, ni fallor, multo felicius tum his ex monumentis, tum ex pluribus supra relatis inter Prolegomena. Lacunarum indicia tantum in margine indicavit Bucherius. Plura Schelestratius etiam in textu. Ne priora repetam inutiliter, quæ impressa jam sunt, ad fidem exempli Bucheriani, supra in Prolegomenis, dabo lacunarum sedem in contextu, earumque supplementum ex nostra sententia. Hujus autem supplementi probationes habebit lector infra in nostris chronologicis notis ad Anicetum sectione XII. Quod hic subdam de supplendis lacunis catalogi Liberiani in Hygino, præstabo etiam in pontificibus subsequentibus usque ad Callistum : ubi lacunæ cum desinant, occasio nulla erit supplendi textum catalogi Liberiani.

Lectio Catalogi supplentis Liberianum ejusque lacunas ex infra relatis probationibus in notis chronologicis Blanchini ad Anicetum.

Hyginus annis IIII, mensibus III, diebus VIII. Fuit temporibus Antonini a consulatu Magni et Camerini usque Severo et Priscino.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri et ex Regio, Mazarino et Thuano.

Num. 10. *lin.* 1, c. genealogiam non inveni s. a. 4, m. 3, d. 4. *lin.* 3, usque ad Orphitianum et P. consules. *Maz.*, Orphitum, *et in ora*, al. Orphitianum. *lin.* 5, diac. 3, *Maz.*, diac. 5. *lin.* 6, loca 6. *lin.* 7, dies 4.

Ex Thuano altero.

Lin. 1, cujus genealogiam non inveni. s, a. 1, m. 3, d. 4. *lin.* 6, loca numero 6.

A

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Vat.*, cujus genealogiam non invenimus. *lin.* 3, *Vat.*, usque ad Orfidum, *lin.* 6. *Florent. Cass et Vat.*, sex.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1. cujus genealogiam non inveni. sedit ann. X. *(supra manu Peniæ script.* IV), m. III, dies VIII. *lin.* 6, per diversa loca VI. *lin.* 6 *et* 7, in Baticano III Idus Januariarum, etc.

NOTÆ VARIORUM.

EX SCHELESTRATIO.

Notæ pertinentes ad Hyginum, Pium, Anicetum, Soterem et Eleutherium ; seu caput 4 *Dissertationis* 2 *Schelestratii, tomo I Antiquitatis Ecclesiæ, pag.* 1·5, *quod inscribitur :* DE PIO, ANICETO, SOTERE ET ELEUTHERIO : QUO ORDINE ET QUIBUS TEMPORIBUS SEDERINT.

1. Duplex est difficultas circa Pii, Aniceti, Soteris et Eleutherii pontificatum : quarum altera ad ordinem quo Anicetus, et Pius ; altera ad tempus quo Soter et Eleutherius sederunt, pertinent. Prima quæstio orta est ex nonnullis antiquorum catalogorum et Patrum testimoniis, quibus Anicetus Pio præponitur : sic enim in antiquissimo catalogo tempore Liberii papæ concinnato post Hyginum ponitur Anicetus, et post Anicetum Pius. Idipsum ex hoc, aliove catalogo desumpsisse videntur S. Optatus Milevitanus lib. II contra Parmenianum, et D. Augustinus epist. 165, ubi successionem Romanorum pontificum exhibent his verbis : *Yginio Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherus.* Auctor secundi catalogi tempore Justini imperatoris, antiquiorem catalogum secutus, Anicetum Pio præponit. Idem ordo servatur in membranis Antuerpiæ apud V. Cl. Danielem Papebrochium exstantibus, et in catalogo Vaticano, sæculo nono exarato. Concinit auctor libri Pontificalis juxta editionem Moguntinam ex bibliotheca Velseri Duumviri Augustani, et juxta editionem Annibalis Fabrotti in corpore Byzantinæ Historiæ : quibus concordant complures codices manuscripti, inter quos unus est Vaticanus sub numero 5269, ante quingentos facile annos ex alio antiquiori codice descriptus, alter Thuanus, tertius Cassinensis.

B

2. Cæterum non omnes Ms. Anastasiani operis codices hac de re conveniunt, sed magna inter illos diversitas reperitur, pluribus quoad ordinem Aniceti et Pii cum supra allatis pugnantibus. Notavit enim Annibal Fabrottus, quod in duobus Ms. codicibus Gallicis Regio et Mazarino ponatur Pius ante Anicetum. Et Lucas Holstenius in notis Ms. ad Anastasium Bibliothecarium refert post pontificatum Hygini : *Hic in Ms. Florentinis ponitur Pius, cui subjicitur deinde Anicetus ; et sic Regius,* nimirum codex nunc bibliothecæ Alexandrinæ Vaticanæ. Ex quibus apparet, inter Anastasianos codices reperiri, in quibus Pius Aniceto præponitur, et quidem rectissime, si consules ab auctore libri Pontificalis adductos sequamur. Habet enim, Pium sedisse a consulatu Clari et Severi, qui in annum 146 incidit ; Anicetum vero cœpisse a consulatu Gallicani, et Veteris, qui cum æra 150 concurrit : adeo ut ex ipsa temporis nota constet, Pium Aniceto præponendum esse. Desumpsit autem Anastasius illam consulum notam ex auctore libri Pontificalis ; auctor vero ille ex duobus antiquioribus catalogis, in quos primum insignis error irrepsit, dum in illis

Anicetus Pio præpositus fuit. Hunc errorem agnovit post obitum Henschenii Papebrochius, qui in conatu Chronico-Historico fatetur, quod se diu multumque in omnem partem verterit, ut antiquioris catalogi chronotaxis ex consulibus desumpta vero calculo responderet. « In tanta perplexitate, inquit pag. 22, ambiguus hæsi, fateor, diu multumque, et me in omnem partem torsi. Tandem tamen incidit ancipitis consilii divinatio, quæ nodum non solvere, sed scindere videatur; bis gemino consulum pari inter duos pontifices aliter digesto, sic tamen, ut eorumdem nomina serventur intacta. et Pius præponatur Aniceto, levi facta mutatione in antiquissimo omnium catalogo, unde confusio in cæteros omnes velut ex fonte profluxisse potuit. » Mutationem illam proponit in divinatione sua pag. 23, ubi pro consulibus, qui nunc ita in catalogo exhibentur: *Anicetus.... a consulatu Gallicani et Veteris usque Præsente et Rufino. — Pius... a consulatu Clari et Severi usque Duobus Augustis;* petit sibi licere hæc verba ita invertere. — *Pius... a consulatu Clari et Severi usque Præsente et Rufino. — Anicetus... a consulatu Gallicani et Veteris usque Duobus Augustis.*

« Hac enim mutatione permissa, » inquit consequenter Papebrochius, « videor mihi sic ordinare omnia, ut continuata successione pontificum, vicariorumque, etiam in his duobus, et consequenti Sotere, eo loco, ubi alias requireretur interpontificium plusquam semestre, pauci dies sufficiant, quibus sedes vacaverit. »

3. Hactenus Papebrochius, qui ut antiquioris catalogi auctoritatem tueatur, duos in primis errores corrigendos esse putat. Verum cum catalogus ille opus habeat istis correctionibus, memo non videt, eumdem ab eo concinnatum fuisse, qui accuratiori Romanorum pontificum notitia indigebat. Et si ita liceret mutare in Actis, prout sibi circa hunc catalogum licere petiit vir eruditus, vix ullum monumentum supposititium reperiretur quod verisimile reddi non posset. Agnovit hoc Papebrochius ipse in Anamnesi de Cleto et Anacleto pag. 217, ubi ingenue fatetur, primum antiquissimumque catalogum in hisce principiis non ita certum esse, *ut possit fidem facere indubitatam post animadversam in Aniceto, et Pio difficultatem.* Relictis itaque iis, quæ ad antiquioris catalogi auctoritatem spectant, veniamus ad primum errorem, quem Papebrochius corrigendum duxit, et monstremus Pium Aniceto præponendum esse, prout præponunt complures catalogi ante, et post tempora Anastasii Bibliothecarii, inter quos reperitur unus Vaticanus sæculi undecimi, alter Bibliothecæ quondam sapientissimæ reginæ Sueciæ sæculi noni, tertius Palatino Vaticanus sæculi octavi, alii Corbeienses duo, quorum alter initio sæculi octavi, alter sæculo sexto sub Vigilio papa, concinnati sunt. Catalogorum vero auctores hac in re secuti sunt testimonium sancti Prosperi, qui in Chronico post Hyginum Pium, post Pium Anicetum retulit; sicut Epiphanius hæresi 27 eos exhibet his verbis: *Anicetus, qui Pio, aliisque pontificibus successit.* Desumptus est autem hic ordo ex Eusebii Pamphili Chronico, et Historia ecclesiastica: libro namque 4, cap. 11, diserte affirmat: « Hygino post quartum episcopatus annum mortuo, Romanæ Ecclesiæ sacerdotium suscepit Pius. » Et ibidem: « Cum Pius anno episcopatus sui XV vitam cum morte commutasset, Anicetus Ecclesiæ illius antistes factus est. » Porro hanc Romanorum pontificum successionem Eusebius ab iis didicit, qui Anicetum, et Pium per ætatem videre potuerunt, et sub Aniceto, et Eleutherio Aniceti successore Romæ fuerunt. Primum inter nos locum obtinet D. Irenæus, qui sub Eleutherio ad Urbem missus est a martyribus Lugbunensibus; secundum Hegesippus, qui Romæ usque ad tempora Aniceti permansit. Irenæi testimonium exstat lib. III, cap. 3, ubi in catalogi Romanorum pontificum ita scribit: *Hyginus, post Pius, post quem Anicetus.* Hegesippi testimonium reperitur apud Eusebium, lib. IV, cap. 21, ubi Hegesippus affirmat: « Cum essem Romæ, mansi ibi usque ad pontificis Aniceti tempora, cujus tum quidem Eleutherius diaconus erat. Huic successit Soter, quo morte exstincto, Eleutherius munus episcopale capessit. » Quo testimonio nullum manifestius desiderari potest, cum omni exceptione majus sit, et clare ex eo appareat, Aniceto successisse Soterem, adeoque Pium Aniceto præponendum esse.

4. Cum itaque ex dictis constet quid statuendum sit de prima difficultate circa ordinem quo Pius et Anicetus in serie Romanorum pontificum collocari debent; agendum nunc est de secunda difficultate, quæ movetur circa tempus quo Soter et Eleutherius, Aniceti successores, sedem apostolicam obtinuerunt. Ac de annis quidem Soteris papæ consentiunt fere omnes catalogi Ms. et typis editi, in quibus Soteri novem anni, et aliquot menses, ac dies tribuuntur. Antiquissimus catalogus tempore Liberii papæ conscriptus refert, Soterem sedisse annis novem, mensibus tribus, diebus duobus: cui concinit catalogus Vaticanus sæculo nono exaratus. Corbeiensis tempore Vigilii papæ concinnatus habet totidem annos, menses duos, et dies viginti unum. Membranæ Antuerpienses sæculi sexti habent annos novem, menses tres, dies viginti. Catalogus Palatino-Vaticanus sæculi octavi affirmat sedisse annos novem, menses sex, dies duodecim quot annos et menses ei tribuunt alii catalogi antiqui, in hoc solum diversi, quod dies duodecim in viginti unum commutent. Quibus consentit auctor libri Pontificalis in tribus Mss. codicibus, Florentino nimirum, Regio et Vaticano: nam, juxta illorum lectionem, *sedit annos novem, menses sex, dies viginti unum.* Series pontificum in ecclesia S. Pauli ante quingentos annos depicta habet *annos novem, menses tres, dies viginti unum:* a quibus alii catalogi non dissentiunt: ita ut juxta communem horum catalogorum consensum Soter sederit annos novem. Differt ab hac traditione catalogus tempore Justini imperatoris conscriptus, in quo Soteri tribuuntur *annis octo, menses sex, dies viginti unus,* ejusque auctor hac in re secutus est Chronicon S. Prosperi. in quo legitur: *Romanæ Ecclesiæ episcopatum* XI *suscepit Soter annis octo.* Desumpsit autem S. Prosper, tempus Soteris ex Chonico Eusebii, in quo eadem omnino verba habentur. Confirmat hæc omnia Eusebius in historia lib. V, ubi persecutionem in Galliis sub Antonini filio motam descripturus, his verbis prœmium dicti libri incipit: « Igitur Sotere Romanæ urbis episcopo post octavum episcopatus annum vita functo, duodecimus ab apostolis Eleutherus in ejus locum successit. Annus tunc agebatur decimus septimus imperii Antonini Veri. Quo tempore cum in nonnullis terrarum partibus violentior adversus nostros persecutio commota esset ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum orbem enituisse, ex iis, quæ in unica provincia contigerunt, conjicere est. » Et cap. 1: « Porro Regio ipsa.... Gallia vocatur. In hac duæ præ cæteris insignes præstantesque urbium matres celebrantur, Lugdunum, et Vienna. » Atque hæc est illa persecutio, cujus meminit Severus Sulpitius lib. II Historiæ sacræ, his verbis: « Sub Aurelio Antonini filio persecutio quinta agitata: ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes Dei religione suscepta. »

5. Persecutio itaque in Galliis mota fuit tempore Eleutherii papæ, cum M. Aurelius decimum septimum imperii annum ageret, in qua persecutione passi sunt S. Pothinus episcopus, et alii quamplurimi, de quorum martyrio cæteri confessores carceribus inclusi ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ retulerunt. Exstat ea de re martyrum Lugdunensium epistola apud Eusebium lib. V, cap. 2, in qua Pothinum prope nonagenarium diris cruciatibus enecatum

fuisse perhibent; et addit Eusebius cap. 5: « Igitur cum Pothinus (Photinum alii male legunt) anno ætatis nonagesimo una cum Gallicanis martyribus cæsus esset, episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ post illum suscepit Irenæus. » Idem habet divus Hieronymus libro de Scriptoribus in Irenæo: affirmat enim, quod « Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substitutus sit. » Ex quibus omnino sequitur, Irenæum in persecutione M. Aurelii Antonini, quæ anno imperii ejus XVII seu æra 177 cœpit, et cum morte ejus anno 180 finem accepit, Pothino in sede Lugdunensi successisse, cum jam antea a martyribus Lugdunensibus Romam missus fuisset ad Eleutherium papam, ut patet ex eorumdem martyrum litteris, quas refert Eusebius libro V, cap. 4, ubi testatur Irenæum nondum episcopum fuisse, sed solum presbyterum, dum a martyribus Eleutherio commendatus fuit. Verba Eusebii sunt: « Sed iidem martyres Irenæum, qui tunc temporis adhuc presbyter Lugdunensis Ecclesiæ erat, supradicto Eleuthero per litteras commendarunt. » Et presbyteri confessores in ipsis litteris: « Te per omnia, ac perpetuo optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has litteras, ut ad te perferret, fratrem, et collegam nostrum Irenæum hortati sumus. »

6. His positis sequitur, durante M. Aurelii persecutione Eleutherium Romæ sedisse: quod ut eminentissimus cardinalis Baronius suo calculo accommodaret, a Sotere annos aliquot auferendos esse censuit, et cui omnes antiqui scriptores ac catalogi tam Mss. quam typis editi ad minimum octo, vel novem annos pontificatus tribuunt, ipse solum quatuor, minus diebus duodecim, reliquit. Posuerat Baronius Soteris initium anno 175, cui sui cum Eusebio et S. Prospero octo annos, vel cum catalogis, ac libro Pontificali annos novem tribuisset, Eleutherius nonnisi anno 183 vel 184, sedere cœpisset. Hoc autem cum martyrium Lugdunensium testimonio repugnare videret, Soteri tantum tres annos, undecim menses et octodecim dies tribuit, ad hoc ut mors illius anno 179 collocari, et ante obitum M. Aurelii Irenæus ad Eleutherium Soteris successorem legatione fungi potuisset. Notat tamen ad annum 179, n. 51: « Si quis autem certiorem de annis Soteris invenerit chronographiam, qua tamen non rejiciatur Cletus e numero Romanorum pontificum, nec litterarum martyrum Lugdunensium sincerum testimonium contemnatur; haud inviti assentiemur. » Hæc cum annotaverit ipse Baronius, debitam ipsi reverentiam servantes, recessimus ab ejus sententia, certiorem chronotaxim statuendo circa nonnullos pontifices, de quibus, aut ex antiquis monimentis, aut ex veterum testimoniis, adeo clare constat, ut de tempore quo pontificatum gesserunt ambigere minime liceat. Statuimus id de Petri apostolorum Principis, Clementis, et Alexandri temporibus, quibus martyrio coronati sunt. Idem de Soteris pontificatu ostendere cœpimus, de quo certum est decimum septimum M. Aurelii imperatoris annum, quo persecutio cœpit, excedere non potuisse. Tempore enim illius persecutionis martyres Lugdunenses sæpius ad Eleutherium papam scripserunt, ut testatur Eusebius in historia lib. V, cap. 4, ubi epistolam illorum exhibet, quam D. Irenæo ad Eleutherium deferendam tradiderunt.

7. Porro circa tempus Soteris papæ, quo martyrium subivit, et Eleutherio cathedram Romanam reliquit, eminentissimus cardinalis Baronius a nobis dissentit tantum in duobus annis, quibus a vera chronotaxi primorum pontificum perpetuo deflectit. Quare omnia gesta ecclesiastica duobus annis postposuit; qua ratione etiam factum est, quod M. Aurelii imperatoris annum decimum septimum, qui cum æra 177 concurrit, ad annum 179 retulit. Si autem annus 17 Marci Aurelii æræ suæ 177 restituatur, nobiscum sentiet Baronius circa tempus persecutionis, quo Soter martyrii palmam adeptus est, et Eleutherius Romanam cathedram obtinuit. Audienda sunt Baronii verba ad annum 179, ubi agens de persecutione in qua martyres Lugdunenses occubuerunt, ita scribit num. 59: « Hac item persecutione sublatum fuisse Soterem papam, litteræ martyrum Lugdunensium, quæ hoc eodem persecutionis tempore scriptæ sunt ad Eleutherium ejus successorem, necessario nos affirmare compellunt; licet alii annos novem eidem tribuerint. Sed quod tres tantum ordinationes fecisse reperiatur, haud longiori tempore sedisse, possumus opinari. Eusebius autem in Chronico, anno superiori, nempe decimo sexto Marci imperatoris, ponit Eleutherium suffectum in locum Soteris, sed in historia hoc ipso anno decimo septimo: cui, quoniam credimus id accepisse ex litteris martyrum Lugdunensium, haud inviti astipulamur; cum alioqui in reliquis præteritis Romanis pontificibus, quod prætermiserit Cletum, haud possumus eidem assentiri. Sic igitur in re ambigua, non tam ex ipso Eusebio quam ex litteris sanctorum Lugdunensium martyrum, hoc tempore ad Eleutherium scribentium, Soteris obitum, atque Eleutherii ingressum, consulto ponendum esse existimamus. » Atque hæc Baronius, cujus regulam de temporibus prædictorum pontificum ex litteris martyrum Lugdunensium secuti, veram eorumdem chronologiam tradidimus.

ALTASERRA.

Linea 4. — *Hic clerum composuit, et distribuit gradus.* Ordines ecclesiastici distincti erant jam a tempore apostolorum, et gradus cujusque compositus: verum aliquid additum priori distinctioni, et gradui ordinum ab Hygino credendum est.

BENCINI.

Linea 4. — *Hic clerum composuit, et distribuit gradus.* Persecutio prior ante Antoninum perverterat clerum, adversus quem ferociori impetu exarserat. Sub Antonino Pio et Marco imperatoribus pax Ecclesiæ redditur, uti constat ex rescripto dato communi Asiæ (apud Euseb. l. IV, c. 13). « Multi ad me de illis retulerunt: quibus ego patris mei constitutionem secutus respondi: Quod si quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere, ex eo quod Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum reipsa Christianum esse: delator autem ipse pœnas luet. » Pontifex itaque perturbato ordini suppetias daturus, clerum composuit et ad pristinos gradus restituit. Componere enim importat rem ad ordinem reducere, reformare, in melius distribuere. Quo sensu Cyprianus scripserat, cum Novatianum schisma Ecclesias perturbasset (*epist.* 42): « Ad catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent. » Gradus distribuere est ordinem inducere cujusdam prærogativæ. Quo sensu scripsit Michaeli imperatori Nicolaus I (*ep.* 8): « Hinc enim confessor Christi Sylvester fecit gradus in gremio synodi, ut non presbyter ad episcopum, non diaconus adversus presbyterum... det accusationem aliquam. » Quandoque dignitatem, ut cum simplex sacerdos ad presbyteratum, seu ad præposituram in Ecclesia evehitur, quo sensu Cornelius in epistola ad Fabium dixit (apud Eused. l. IV, c. 13): Presbyterum gradum consequi, et Cyprianus Numidicum presbyterum martyrum elevavit ad dignitatem presbyteratus Carthaginensis Ecclesiæ, insuper quod (*epist.* 33): « Promovebitur ad ampliorem locum, » et alibi: « Merebatur talis clericæ ordinationis ulteriores gradus, et incrementa majora, non de annis suis, sed de meritis æstimandis: sed interim placuit, ut ab officio lectoris incipiat. » Presbyteratum vero gradum honoris putatum esse supra sacerdotium declarat Pontius in Vita sancti Cypriani: « Presbyterium et sacerdotium statim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali menti credenti? » Varios vero fuisse etiam

a Ecclesia gradus et ministeria distincta
. SS. Eusebii et Procopii, quæ censentur
ne Actorum martyrum Eusebii, ubi de
sebio (apud Valesium in notis ad Euse-
ia Ecclesiæ ministeria præbebat: unum
officio; alterum in Syri interpretatione
et tertium adversus dæmones manus im-
. »

BINII ET LABBEI.

Linea 4. — *Hic clerum composuit. et ribuit.* Quod hierarchicus catholicæ Ec-
, quo presbyteris, et diaconis subditus
ino compositus esse hic dicitur, non ali-
i potest, quam quod Hyginus hierarchiæ
æ jam tempore apostolorum a Christo
stitutæ, et a sanctis Patribus ipso anti-
comprobatæ, quædam duntaxat injuria
et scriptorum deperdita addiderit, vel
æ divino jure instituta, et a Patribus
i sunt, hac constitutione sua illustra-

Linea 1. — *Cujus genealogiam.* Absunt

— *Veri.* Lege *Severi.*

BLANCHINI

OLOGICÆ AD VITAS SS. PONTIFICUM HYGINI, PII, ANICETI ET SOTERIS.

e chronologiæ studiosis crucem figit
quentium pontificum successionis ordo,
regiminis in sede Romana. Origo difficul-
que statuendo manavit ex lacunis, jamdiu
vetustissimo in catalogo Liberiano ab
itore Bucherio, ut ipsius verba declarant,
in margine opusculi primi inter Prole-
jus tomi folio VII. *Deest hic Anicetus.*
um Eleutherius. Deest item Zephirinus.
onsules implexi, et permutati, non secus,
annorum, mensium ac dierum in Pio
ut indicatum fuit eisdem in Prolego-
. ulla vestigia temporum nobis relin-
e sibi invicem non adversentur. Hinc
s, cur tot in sententias, tamque diversas
m veteres scriptores post Optatum Mile-
um recentes historici post Baronium:
erat Schelestratius Antiquit. Eccl. tomo I,
cap. 4, quod integrum ut ederetur cu-
jusdem breves notas ad sect. 10. S. Hy-
epetam ea quæ *de Nodo historico inter*
os Hygini successores P. Papebrochius
ulit in conatu Chronhistorico pag. 22 et
quæ opposuit partim Blondello, partim
nostri Anastasii Pearsonius in posthu-
s objectis in nostram Chronologiam, si
erunt, faciam satis. In hac igitur difficul-
ndi certis vestigiis num feliciter procedat
Chronotaxeos a nobis proprosita in Pro-
et cui nos insistere profitemur, lector
abit ex his quæ nobis hic erunt consti-

cum sit series, et chronologia pontificum
n, consensu catalog. Vetustioris, aliorum-
entorum, ad finem Telesphori, consulibus
e II, et Balbino, anno Christi 137, quæ-
era proximior inter successores, in qua
t eadem documenta, et catalogi. Erit au-
la initium Soteris: cui anni novem tri-
m a catalogo vetustiori, tum a picturis S.
a reliquis catalogis, et codicibus recensi-
pontificum Romanorum inter Prolego-
i, inquam, novem ante consulatum Severi
niani (Christi 171), unde iidem catalogi
erianum mutilum) et codices ordiuntur
ium pontificatus Eleutherii, claudendum
Materno et Bradua, Christi 185. Quare
testimonia Soteris initium cadit in an-

num Christi 162, Rustico et Aquilino coss., quos etiam consules catalogus Felicis Quarti, liber Pontificalis, et Ocricvlenses codices assignant ex ordio Soteris. Sunt igitur ex anno postremo Telesphori, Christi 137, ad annum primum Soteris Christi 162, anni intermedii 25, dividendi tres in pontifices, Hyginum, Pium, Anicetum: quos enumerant inter Telesphorum et Soterem non modo catalogi, et liber Pontificalis, sed etiam scriptores gravissimi eisdem pontificibus æquales, nempe Hegesippus et Irenæus: uterque Romæ degens circa eorumdem ætatem, adeoque istorum Chronologiæ testes omni exceptione majores. Irenæus lib. III, cap. 3 : Ἔπειτα Ὑγῖνος, εἶτα Πῖος, μεθ' ὃν Ἀνίκητος, διαδεξαμένου τὸν Ἀνίκητον Σωτῆρος. *Deinde Hyginus, postmodum Pius, post quem Anicetus : cum successisset Aniceto Soter.* Et in epistola ad Victorem eosdem enumerat ordine retrogrado. Hegesippus quoque apud Eusebium lib. IV, cap. 22, ita scribit: Γενόμενος δε ἐν Ῥώμῃ, διαδοχὴν ἐποιησάμην μέχρις Ἀνικήτου, οὗν διάκονος ἦν Ἐλεύθερος· καὶ παρὰ Ἀνικήτου διαδέχεται Σωτήρ, μεθ' ὃν Ἐλεύθερος· *Romam vero cum venissem, mansi ibi apud Anicetum, cujus tum diaconus erat Eleutherus; post obitum deinde Aniceti successit Soter, quem excepit Eleutherus.*

Dividendi sunt igitur anni 25, quorum primus sit æræ Christi 138, Camerino et Nigro consulibus, et postremus sit Christi 161, duobus Augustis coss. inter Hyginum, Pium, et Anicetum. Hygino quadriennium Romanæ sedis assignant universa documenta, pari consensu tres etiam menses addentia, ut in serie Romanorum pontificum inter Prolegomena edidi. Hujus etiam quadriennii primos consules Camerinum et Nigrum recenset tam catalogus Felicis IV, quam Liber Pontificalis; qui pertinent ad annum 138. Diffunditur ergo sedes Hygini ad annum solidum 141, ejusque coss. Severum et Priscinum. *Priscum* nominat Liber Pontificalis ioco *Priscini*, collega *Orfito*: et successori Pio tribuit *Severum*, collega *Claro*. Sed germana lectio consulatuum huic tempori respondentium facile restituitur ex annorum numero constanter definito per quadriennium utrobique assignatum: et cum primi consules Hygini sint Camerinus et Niger (Christi 138) ex catalogo Felicis quarti, perinde ac ex Libro Pontificali; quartus consulatus definiens terminum illius sedis necessario pariari debet cum Severo et Priscino, qui signant annum Christi 141. Quadriennio Hygini sic assignato, supersunt ex 25 annorum summa anni 21 dividendi inter Pium et Anicetum ex consulibus memoratis anni 141 ad consules anni 162 Rusticum et Aquilinum: qui cum Soteris initium constituant, tam in catalogo Felicis IV, quam in Libro Pontificali, et in libris Lectionariis, uti supra recensitum fuit inter Prolegomena; relinquunt paria consulum unum et viginti, seu vicennium, et annum solidum partiendum inter Pium et Anicetum: duos pontifices intermedios inter Hyginum et Soterem, quos enumerat Irenæus, sub iisdem Romæ agens, ut ab ipso perscriptum legimus, conteste Hegesippo. Catalogi Italiæ vetustiores, inter Prolegomena relati, vicennium ipsum ita dividunt inter Pium et Anicetum; ut uni istorum annos 8 vel 9 et menses 3, alteri vero annos 11 et menses 4 constanter assignent. Pariantur itaque rationes vicennii recte distributi hac in chronologia: quæ a genuinis fontibus Romanis proxime derivata nativam retinet puritatem. Superest ut ostendamus cuinam ex duobus pontificibus, Pio et Aniceto, hoc vicennium implentibus, conveniant anni 8 et menses 3; ut alteri supersint reliqui 11 et menses 4 iis in catalogis Italiæ constanter asserti. Picturæ basilicæ S. Pauli cum Irenæo et Hegesippo litem definient. Licet enim circa imagines utriusque pontificis nomina exciderint; attamen superstites numeri mensium 3 in priori imagine, et annorum 11 in secunda satis indicant sedem et epocham, inde petitam, ac translatam in eos antiquissimos Italiæ catalogos, Bergomensem, Parien-

sem, Cavensem, et Lucensem : atque ostendunt Pium priore loco vindicare sibi annos 8, menses 3, dies totidem ; Anicetum vero posteriori in sede obtinere annos 11, menses 4 dies 21, cum de ordine successionis testentur Irenæus et Hegesippus utrique æquales et Romæ versati. Quare acceptum feramus Leonis Magni providentiæ, quod ita præservatæ sint decessorum suorum epochæ in basilica, ejusdem pio studio decorata musivo, picturis et imaginibus : quorum monimentorum ope atque indicio difficillimum hunc nodum chronologiæ solvere feliciter contigit.

Superest postremo loco, ut consulatus utrique pontifici respondentes stabiliantur. Sunt vero in catalogis expressi ; licet lacunæ adhuc hiantes in vetustiori Liberiano occasionem præbuerint imperitiæ et audaciæ descriptorum commiscendi fragmenta versuum detriti exemplaris, et susdeque movendi atque vertendi nomina consulum. Quatuor paria consulum in his memorantur : *Gallicani et Veteris*, qui coss. pertinent ad annum Christi 150, *duorum Augustorum* (Marci Antonini et Lucii Veri) quibus consignatur annus 161. En annos 11 debitos Aniceto : cui recte succedit Soter, juxta Hegesippum et Irenæum, *Rustico et Aquilino consulibus* anni 152, rite tributis ejusdem Soteris initio a catalogis et a Bibliothecario.

Residui anni fluentes ex 141 ad 149, qui Pio decessori convenient, ostendunt consules Rufinum et Quadratum anno 142, signantes exordium Pii, post terminum Hygini signatum *Priscino et Severo coss.* anno 141, eruntque postremi consules qui claudant octennium Pii anno 149, *Orfitus et Priscus* : priorem secundus catalogus, et Bibliothecarius utrosque transtulit in Periochen Hygini, fortasse quia eodem anno, vel Hœnius Severus, vel Orfitus consul suffectus est collega Priscini. Gruter. CLXXXII, 4. Erunt itaque ita ordinanda tempora horum quatnor pontificum.

Hyginus post martyrium Telesphori die 5 Januarii ex Camerino et Nigro coss. anno Christi 138, usque ad consules Severum et Priscinum (seu Orfitum et Priscinum) anno 141, obtinet sedis annos 4.

Pius ex initio sequentis consulatus *Rufini et Quadrati* (pro quibus *Rufinus et Præsens* ex anno 153 male petiti sunt a librariis ad implendam lacunam catalogi Liberiani) primum Pascha celebrat anno Christi 142, et sedem perducit ad consules *Orfitum et Priscum* (male translatos ad periocham Hygini) anno 149, sibi vindicans annos 8.

Anicetus ex coss. *Gallicano et Vetere*, recte ipsi tributis in catalogo vetustiori exempli Cæsarei apud Schelestrat. pag. 414, ex anno 150, pertingit ad consules duos Augustos æræ Christi 161, perperam transpositos ab Amanuensibus ad signandum terminum Pii, dum audacter implere student lacunam catalogi Liberiani, et suppresso Aniceto, vicennium integrum assignant Pio.

Ita recipit Anicetus suos annos 11.

Soter ex consulibus *Rustico et Aquilino*, eidem recte attributis tum in catalogis, tum apud Bibliothecarium, et reliquos codices anno 162, sedet usque ad consules Cethegum et Clarum eidem recte assignatos, anno solido 170. Ita implet sui regiminis annos 8 tam in picturis, quam in catalogis et codicibus ipsi constanter attributos.

Annis ita ordinatis et comprobatis consensu documentorum, genuinis ex fontibus Romanis ad nos perducto, illustrare satagam Hygini epocham integram, suisque mensibus ac diebus expressam per notas sequentes, illius proprias hoc in numero : idem præstiturus in consequentibus ad singulos successores.

Hygini sive martyrium et obitum, sive depositionem in sepulcro post martyrium pridie completum produnt Tabularia Ecclesiæ Romanæ die 11 Januarii (*anno 142, uti* probavimus ex catalogis) cum episcopatus sui numerasset annos 4, menses 3, dies 8 ; ordinatus itaque fuerat episcopus circa initium Octobris anni 137.

Dies 30 Septembris eo anno incidit in diem Dominicam. Quare si Telesphorus excitatæ persecutionis causa martyrio proximus (quo coronatus fuit die 5 Januarii proxime consecuti) vicarium sibi deligendum esse censuit exemplo decessorum, et ea die ad episcopatum promoverit Hyginum ; jure numerantur hujus episcopatus anni 4, menses 3, dies 8, tam in picturis S. Pauli, quam in catalogis, aliisque codicibus antiquis Romanæ Ecclesiæ, editis supra inter Prolegomena quod temporis spatium exegerit partim vicarius Telesphori per menses 3, dies 5, partim successor post brevem vacationem sedis (diebus quatuor aut septem in Libro Pontificali, definitam) per annos solidos quatuor, die una, vel altera imminutos.

Referenda igitur est ordinatio episcopalis Hygini ad diem Dominicam pridie Kalen. Octobris anno 137. Electio ad pontificatum Romanum die 10 vel 13 Januarii 138. Collocatio in throno apostolico die Dominica 14 Januarii ejusdem anni 138. Mors, vel sepultura die 11 Januarii anno 142, Rufino et Quadrato consulibus : (non Rufino et Præsente, ut mendose transcripserunt librarii ex lacunis catal. Liber., et inde in Bibliothecarii librum ad Anicetum) qui consules jure assignabuntur successori Pio, post obitum Hygini electo ; cum ejusdem anni Paschæ sui pontificatus primum iisdem coss. ipse celebraverit die 24 Aprilis, uti collegimus ex documentis hactenus explicatis.

Ex iisdem documentis hucusque adductis haberi posse autumo satis constabilita Hygini tempora, ac trium successorum. Respondendum attamen est argumentis eorum, qui cum diversa a nobis sentiant, et noverint plurimum difficultatis expertos fuisse scriptores non paucos in iis constituendis expendi a nobis postulant ea testimonia et momenta, quorum vi se pertrahi in Chronotaxim longe dissimilem asseverant.

Epocham igitur Hygini, a chronologis et historicis magni nominis varie vexatam, restituere professi sunt ex Tertulliano Pearsonius ac Doduellus cap. 8 dissert. *de annis priorum Romæ episcoporum*. Verum auctores hi, licet rei chronologicæ adjumenta non exiguum aliis in operibus attulerint, hic tamen non satis inter se concordes, nec Tertullianum, ut arbitror, feliciter exponentes, novis erroribus implicant Chronologiam, quam liberare ab aliorum erratis conantur ; præcipue cum sequuntur Eutychium illum Alexandrinum, scriptorem nihili habendum a viris doctissimis judicatum. Inter errores superioribus additos profecto referam assertionem Pearsonii, ita scribentis numero 11 indicatæ dissertationis : « Vidimus Telesphorum martyrio coronatum anno Domini 122. Alii 152. Ingens discrimen! Nostram sententiam dicimus esse veram, aliorum falsissimam. » Erroribus pariter accensendum puto alterum ejusdem assertum initio capitis 12, ubi ex suo Eutychio ita ordinat Hygini tempora. « Anno imperii Adriani sexto constitutus est Eugenius (sive Hyginus) patriarcha Romanus, qui cum quatuor annos sedisset, mortuus est, inquit Eutychius. Sedit igitur ab anno Domini 122, Agricola et Pansa coss., usque ad annum Domini 126, Vero et Ambiguo coss. Hæc mihi videntur veritati maxime consentanea, et ad veterem Ecclesiæ historiam recte intelligendam optime comparata. » Ita Pearsonius. Eutychii, quem sequitur, calculos et assertionem non valde moror, cujus auctoritas, vel minima, vel nulla est, ut supra retuli Tertulliani, Irenæi, Cypriani, Hieronymi, Epiphanii testimonia, in Pearsonii dissertatione producta, plurimi facio : quæ tamen Pearsonii sententiam ita non juvare demonstrandum mihi est, ut nostram potius confirment suæ adversantem ; et

n congruant cum rationibus Chronotaxeos oductæ ex documentis genuinis Romanæ

ertulliani, quem in patrocinium Euty- ronologiæ ac suæ Pearsonius profert, at- retatur, paulo aliter ac exponat, ac tem- Doduellus, petitur ex origine sectarum Cerdonis et Marcionis, diligenter adnotata os Patres, quibus cordi erat ut novitatis m hæreseon proprium ex epocha earum- redderent manifestum. Hunc igitur serum æreseos Marcionis contra evangelica do- perstringit Tertullianus libro I adversus cap. 19 : « Anno 15 Tiberii Cæsaris Jesus nare dignatus est, spiritus salutaris : Mar- itis, qui ita voluit, quoto quidem anno An- oris de Ponto suo exhalaverit aura canicu- curavi investigare. De quo tamen constat, nus hæreticus est, sub Pio impius. A Tibe- usque ad Antoninum anni fere 115 et dimi- cum dimidio mensis : tantumdem temporis ter Christum et Marcionem. » Tertulliani misit testimonia Irenæi, aliorumque Pa- erius indicatorum, quæ Valentini et Cer- ses, unde suas hausit Marcio, recensent o. Irenæus lib. III, cap. 3 adv. hæres. ad- iam Eusebio, ait : « Valentinus enim Ro- sub Hygino. Cerdon autem, qui ante Mar- hic sub Hygino. » Epiphanius in Anace- de Cerdone : « Qui e Syria Romam pro- ma suum Hygini temporibus exposuit. » ymus : « Sub Hygino Romanæ urbis alentinus hæresiarches, et Cerdo magister Romam venerunt. » S. Cyprianus : « Cu- ionis) magister Cerdon sub Hygino tunc qui in Urbe nonus fuit, Romam venit. » is hæresi 42, de Marcione. « Fugit ex ea- (Sinope) et ipsam Romam profectus est m Hygini episcopi Romani. » Et hæresi 41, e : « Hic igitur (Cerdon) exstitit tempore iscopi, qui nonum locum a successione Ja- tri, et Pauli apostolorum tenuit. » Rursus Epiphanio hæres. 42, n. 1. Doduellus illa sedis Romanæ vacatione, quæ mortem nsecuta est, non *communionem* duntaxat *Romanæ*, sed ipsum etiam *pontificatum* a expetitum (τὴν προεδρίαν). Spe autem illa jectum intentasse minas schismatis æterni endi, cum Pius papa Hygini successor eli-

gitur testimoniis, quæ illi pro suo produ- nologiam nostram stabiliri affirmo, Pear- everti.

tio annorum 115 ab anno Tiberii 15 ad ntonini Pii adhibebatur a Tertulliano ad am seram originem pseudoevangelii Mar- halantis de Ponto suam auram canicularem s totidem, ex quo de cœlo manaverat spi- salutaris, qui in baptismate Christi Do- averat initium ejusdem prædicationis et tionis anno 15 Tiberii, teste Luca evange- c annum pariari cum 25 æræ Christi com- nostra chronologia manifestum est ; cum n in Prolegomenis Opusculo 4 annum Pas- inicæ duobus Geminis consulibus, triennio teriorem baptismo Christi, incidisse in eum, garis æræ numeramus 28 ætatis vero Re- nostri 33 ; cum quinquennio ante commu- utum ejus natalis sit collocandus, uti ex is ibidem productis consentiunt hodie eru- o præsertim eminentissimus card. Norisius nummum Herodis tetrarchæ, in Musæo o asservatum Massiliæ, et proconsu- rium Tiberii numerandum esse demon- iennio ante quam Augusto decedenti t : quod supra in Prolegomenis, solari ex Dione relata, ac tabulis astronomicis

respondente, vidimus convenire cum anno æræ Christianæ communis tertio decimo. Imperium igitur proconsulare Tiberii ex decimo æræ vulgaris anno inchoandum triennio antequam Augustus vita excederet decimum quintum pariabit cum æræ Christianæ 25. Inde autem si numerentur anni 115 a Tertulliano recensiti ex 15 Tiberii ad Antoninum Pium, inclusis extremis, provenit annus æræ communis 139, quo inchoante Kalendis Januarii numerabat Antoninus cognomento Pius imperii sui annum primum nondum completum ; cum ab Adriano adoptatus V Kal. Martii anni 138, Camerino et Nigro consulibus, eidem decedenti post menses quatuor ac semis ab illa adoptione, nempe VI Idus Julii, successisse iisdem coss. Quare nec integros 116 annos Tertullianus computabat ab illo Tiberii termino ad Antoninum, *sed fere 115 ac dimidium anni cum dimidio mensis*. Tantumdem vero temporis cum affirmet ex omnium æqualium sententia inter Christum et Marcionem, quem Epiphanius tradit Romam advenisse post mortem Hygini, dum sedes adhuc vacaret, et cathedram apostolicam appetiisse (Doduello interprete) ; pariatur omnino tempus cum nostra Chronologia pontificia, referente mortem Hygini ad initium anni 142, Rufino et Quadrato coss. qui annus inchoans est 116 completus post 25 æræ communis, nempe a baptismo, prædicatione et manifestatione Christi Domini, cujus crucifixionem, pariandam cum 28 æræ communis, et duobus Geminis consulibus, triennio, ut par est, præcedit.

In rationibus vero Pearsonianæ chronologiæ, retrahentis mortem Hygini ad annum 122, Tertulliani summa non constat ; sed vicennio solido decurtatur ; nisi violenter detorqueantur verba Septimii, indicantia terminum numerationis Christi ab anno 15 Tiberii (qui constituit epocham Evangelii) ad annum decimum ætatis Christi Domini, æræ communis quintum, quem eodem in libro Tertulliani ne nominari quidem constat, nec habere quidpiam commune cum primo, aut cum decimo quinto Tiberii.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ AD VITAM S. HYGINI.

Linea 4. — *Hic clerum composuit, et distribuit gradus*. In hoc Bibliothecarii textu exponendo, qui brevitate sua nonnihil obscuritatis involvit, plerique auctores generatim monere contenti sunt, ordines ecclesiasticos fuisse distinctos etiam ætate apostolorum, et gradum cujusque compositum ; verum ab Hygino aliquid additum ad illustrandam priorem distinctionem, et gradus ordinum. Sed attendentibus nobis vim verborum, quæ usurpantur a Bibliothecario, dum memorat distributos tum hic tum alibi *gradus, clerumque compositum*, facem præferet S. Basilius in epistola ad Amphilochium canone 51, diligenter observatus a Morino de sacris ordinationibus parte III, exe. cit. 14, cap. 2, n. 4, ut inde internoscamus, clericis jam ordinatis ex consueta institutione Sacramenti per Christum Dominum apostolis tradita, fuisse collata ab Hygino, ac distributa certa officia, quæ aptius concrederentur clericis, quam cæteris fidelibus : eaque hic significari nomine *Graduum*. Sanctus Basilius (ait Morinus loco indicato) can. 51 epistolæ ad Amphilochium statuit tria genera clericorum. Primum eorum, qui erant in gradu ; deinde duo eorum qui sunt in ministerio, eo quod sit ministerium duplex. Prius quod datur per manus impositionem, posterius quod datur sine manus impositione. Talis est canon : *Quod adversus clericos statutum est, canones indefinite ediderunt, unum in iis qui lapsi sunt supplicium decerni jubentes, a ministerio scilicet motionem, sive sit in gradu, sive etiam in ministerio, quod non impositis manibus datur, perseverent* : Εἴτε ἐν βαθμῷ τυγχάνοιεν, εἴτε καὶ ἀχειροτονήτῳ ὑπερεσίᾳ προσκαρτεροῖεν. Idem, et quid amplius colligitur ex canone 2 concilii Chacedonensis : *Si quis episcopus*, etc. Vides iterum duo ex usu illius temporis distincta : *ordinare*, χειροτονεῖν, ordinatio,

χειροτονια ; et *promovere*, προβάλλεσθαι, *promotio*, προβολι. Episcopum, presbyterum, et alios χειροτονέθαι, *ordinari* ; defensorem vero, et œconomum, et paramonarium distingui. Iterum eodem canone utrosque distingui, licet utrique χειροτονουμένοι, *ordinati* dicantur, ordinati scilicet ἐκ τῆς χειροτονίας ἢ προβολῆς, *ex ordinatione vel promotione*. Denique utrosque esse canoni, sive matriculæ Ecclesiæ inscriptos : hoc enim est esse in clero, aut ex clero, ut videre est can. Nicæno 17 : *Multi qui in canone recensentur*, etc., hoc est qui in clero ; et paulo post *e clero deponatur, et sit alienus a canone*, quod de clericis tantum dici potest. Cum igitur concilium Chalcedonense dicit defensorem, œconomum, etc., esse in canone, eo ipso clericis eos ascribit ; sed « iis qui, sicut dicit S. Basilius, ministerium nanciscuntur quod sine manuum impositione datur. »

Integrum locum Morini exscribendum esse duxi, quo clarius constaret, præter ordinum majorum et minorum facultates, cum sacramento institutas initio Ecclesiæ a Christo Domino, et collatas certis signis conferentibus gratiam ad eas partes sacerdotalis officii sancte peragendas, quæ clerum proprie constituunt vocatum in sortem Domini, et characteris impressione ordinatum a cæteris secernunt, agnosci a SS. Patribus et a conciliis alia officia, quæ congruentius clericis quam laicis contraduntur, eaque non conferenda per sacramentum, seu per eam ordinationem, quæ Græcis χειροτονία dicitur, adeoque nec gratiam ex se conferentia, sed tantummodo addicentia alicui peculiari ministerio, mandante episcopo, aut illo ad quem pertinet, instituto ad utilitatem Ecclesiæ, eum virum, qui matriculæ Ecclesiæ ascribitur ex adeptione illius officii, et in Clero late sumpto censetur ; cum cæteroqui rectius ac decentius illud officium, ac ministerium conferatur viro, per sacramentum ordinis jam assecuto gratiam, et characterem animæ impressum. Hæc inter officia et ministeria deputationis humanæ, diversa a ministeriis divino jure connexis cum charactere, ac signaculo ordinis per sacramentum clericis collato, recenset Morinus ex concilio Chalcedonensi *defensores Ecclesiæ, œconomum, et paramonarium*. Addi possunt alia complura officia, ac ministeria, numerata ab eodem Morino *in Notitia dignitatum, officiorum et ministeriorum Ecclesiæ magnæ Constantinopolitanæ*, eodem tomo pag. 208 et sequentibus : ubi leguntur referendarius, logotheta, commentariensis, primus defensor, Jeromnemon, monitor, doctor, visitator, præfecti cæremoniarum et inspectores : et rursus exercit. 16, cap. 4 et 5, memorantur præcipui officiales sex dicti *exocatacœli*, nempe magnus œconomus, magnus sacellarius, magnus vasorum custos, chartophylax, præfectus sacelli, primus defensor. Ne autem putentur hæc omnia serius instituta, quam ut possint eorum nonnulla ad Hygini ætatem referri, legendæ sunt apud Thomassinum de Benef. part. I, lib. II, cap. 30 et 34 auctoritates SS. Patrum Hygini sæculo proximorum, ex his officiis nonnulla indicantes. Memorat enim S. Cyprianus lib. III, epistola 22, *doctores audientium* ; Epiphanius, *linguarum interpretes* tam in lectionibus, quam in concionibus ; et *cantores*, et *architectores*, et *laborantes*, et *custodes sacrorum vestibulorum*, et *notarii*, et *martyriorum custodes* passim leguntur in Actis martyrum et conciliorum. His accensenda officia majora, plerumque concredita initiatis ad presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum, quemadmodum *vicarii*, seu *primi defensoris*, aut archidiaconi ministerium, non tantum ad sacrificium offerendum, aut sacrificanti ministrandum, quod ad ordinem pertinet, sed etiam ad continendos in officio cæteros, aut ad custodiam thesauri ecclesiæ, et ad pias erogationes, necnon ad curam supellectilis sacræ, et sacri patrimonii ; quam curam necessario commendatam fuisse circa hanc ætatem primi ac secundi a Christo sæculi lectis a *pontifice viris*, fide, ac diligentia præstantibus, et ordine diaconali insignitis probant largitiones illæ a Romana Ecclesia transmissæ (et quidem ab illius exordio) ad quam plures ecclesias in singulis urbibus constitutas, et ad indigentes fideles etiam exteros, et ad longe dissitos, atque ad metalla damnatos : quas memorat Dionysius Corinthiorum episcopus ad Soterem pontificem, et Romanos scribens apud Eusebium lib. IV, cap. 23 : « Hæc enim, inquit, vobis consuetudo est jam ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis, et ecclesiis quamplurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia transmittatis. Et hac ratione tum egentium inopiam sublevatis, tum fratribus, qui in metallis opus faciunt, necessaria suppeditatis : per hæc quæ ab initio transmittere consuevistis munera, morem institutum que Romanorum, a majoribus vestris acceptum Romani retinentes. Atque hunc morem beatus episcopus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit : tum munera sanctis destinata copiose *subministrans, tum fratres peregre advenientes tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando.* » Has autem omnes impensas, ac largitiones, tot ecclesiis, tot civitatibus, tot diversis operibus destinatas procurare, asservare, dispertire, transmittere sine rationariis, custodibus, thesauriis, commentariensibus accurate minime posse nemo non intelligit : quibus dirigendis, et in officio continendis diaconi plerumque ita addicebantur, ut aliquis ex illis præses deligeretur, qui ad episcopum deinde referret præstita a se atque a cæteris pensa, et rationes. Addictos vidimus per unamquamque regionem scribendis martyrum Actis notarios ab ipso Clemente Petri discipulo. His ex integro colligendis num. 21 subdiaconos septem destinavit Fabianus, iisdemque jussit, ut notariis imminerent : cum paulo ante etiam Anterus num. 20 gesta martyrum diligenter exquisita in Ecclesia condidisset. En igitur scriniarii et chartophylacis officia, supra notariorum ministerium jam instituta. Præpositi fabricæ in titulis ac cœmeteriis deesse non debuerant, ex quo titulos Evaristus divisit, Pius dedicavit, ex quo cœmeteria et memorias martyrum Anacletus in Vaticano adhuc presbyter construxit num 5, ex quo Alexander via Nomentana, Anicetus Appia sepulcrum obtinuit. Laborantibus ac fossoribus, cum quibus condendorum corporum curam ipsos etiam pontifices suscepisse novimus, quemadmodum curaverunt apostoli Stephanum, Fabianus Cornelium (qui *et multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit* infra num. 21), Stephanus Tertullianum, Marcellus Cyriacum et socios, Melchiades Sebastianum, et solus Eutychianus *(infra,* num. 28) martyres 342 manu sua sepelivit, præpositum fuisse presbyterum minime dubito, tum ex Dionysii papæ instituto, cœmeteria presbyteris non secus ac titulos dividentis : tum ex cura Eutychiani jubentis, ut cum dalmatica, aut colobio purpurato martyres conderentur, eaque de re ad se referretur ; tum ex erudite adnotatis per V. C. Bencinium supra num. 5, pag. 62 et seqq., de Presbyteris Martyrum. Officia ista præstita ab exordio Ecclesiæ Romanæ in largitionibus, in cura sacrorum, hospitii, archivi, bibliothecæ, epistolarum formatarum, fabricæ, cœmeteriorum ac titulorum, omnino requirebant ministeriorum præsides, et officiorum magistros, quos e clero plerumque sumptos graduum appellatione dicimus a Bibliothecario enuntiari. Neque enim unquam ex hac Hygini ætate deficiunt exempla et indicia ordinatæ istius partitionis officiorum, ad posteros derivatæ. Præfecturam sacri patrimonii, ac thesauri, et largitionum Lucius contulit Stephano diacono suo num. 23, Stephanus Sixto num. 24, Sixtus Laurentio (num. 25). Munera chartophylacis et bibliothecarii, seu scriniarii, necnon ab epistolis, et cancellarii, Græcis logothetæ, diversis quidem nominibus, pari tamen, sive non multum dispari officio ab eo, quod *interpretes* Petro præstiterant, et

successoribus *formatarum* diribitores et curatores, retinuerunt sæcula consecuta : non secus ac cætera in Ordine Romano postmodum celebrata, et sæpius occurrentia in Libro Pontificali, clericis, ut plurimum demandata inveniuntur. Sacellarii munus Gregorio II tum temporis subdiacono a Sergio papa concreditum fuit una cum bibliothecæ cura infra num. 77. Numero autem 71 exhibentur præter episcopos, presbyteros et diaconos, adlecti de more ad comitatum pontificis complures officiorum administri : ubi etiam notandum est *gradus* nominati : ut inde constare possit notio verbi satis aperta. Ibi enim describens Bibliothecarius iter Constantini papæ, ad regium Urbem Roma proficiscentis solemni cum comitatu, ait : « Secuti sunt eum Nicetas episcopus Sylvæ Candidæ, Gregorius episcopus Portuensis, Michaelius, Paulus, Georgius presbyter, Georgius diaconus, Georgius secundicerius, Joannes primus defensor, Cosmus sacellarius, Sisinnius nomenculator, Sergius scriniarius, Dorotheus et Julianus subdiaconi, et de reliquis gradibus Ecclesiæ pauci clerici. » Inter *gradus* igitur Ecclesiæ, sive officia et ministeria clericis concredi solita adnumerari constat illa superiora et majora, tum ab his proxima *notarii, cubicularii,* ac similia, dignitate satis præstantia ; cum viros iisdem officiis insignitos legerint aliquando pontifices ad regias legationes obeundas : quemadmodum num. 294 Adrianus secundus ad Desiderium regem direxit missos suos, *Stephanum notarium regionarium et sacellarium, et Paulum cubicularium.* Non equidem negaverim, pleraque nomina præpositorum hisce officiis serius adhibita, post redditam Ecclesiæ pacem a Constantino, et collata Maximo pontifici et Romano clero amplissima dona, quibus possent ea præsidia, et alimenta præstari singulis viris eadem officia exercentibus, quæ amplificati ministerii modo congruerent. Attamen ut ea præstari necesse fuit, quæ ante meminimus, in procurandis muneribus Ecclesiarum regimini necessariis quacunque ætate ante Constantinum : ita deesse nunquam potuit ordinata quædam series officiorum in his qui præsto essent Romano pontifici, unde gradus constituerentur etiam in eo ministerio, quod juxta Basilii distinctionem non confertur impositione manuum, sed demandatur clericis jam ordinatis, et instituitur ad levamen episcopi in patrimonii sacri cura, epistolarum, bibliothecæ, fabricæ, hospitii, et hujusmodi rerum sollicitudine, a sacerdotali ministerio altaris discreta. Graduum vero istorum aptatio refertur ad Hyginum, a quo apta materies ad plurium officiorum præpositos constituendos observabatur parata per suos decessores. Siquidem ætate Clementis et Anacleti notariorum institutio, et sacrorum librorum Canon vix complebatur, et cum eo archivi, ac bibliothecæ tantum rudimenta apparebant. Sixti constitutio de Formatis ab apostolica sede impetrandis, scriniarii designationem et sedulam operam requirebat. Pii liberalitas in titulum a se dedicatum, cui dona multa legitur obtulisse, num. 11, quod et in cæteris 25, ab Evaristo divisis inter presbyteros, et auctæ sub Alexandro oblationes fidelium, quando pars magna Romanæ nobilitatis conversa fuerat ad fidem, poscebat ærario Ecclesiæ præfectum dari, et sacris largitionibus, qualem Leo Magnus indicavit Laurentium, dum vocat « sacrarii præsulem, qui non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticæ substantiæ præeminebat. » (*Serm. in Nat. S. Laur.*) In igitur ante Constantinum gradus officiorum clericis distributos, quorum causa etiam dispensatione munerum temporalium præminerent extra altare, qui in altari alium gradum consecuti eminebant ministerio sacramentorum. Hanc vero disciplinam in Ecclesia Romana non intermissam, sed fideliter custoditam et evidentius explicatam in hac pacis tranquillitate qua fruitur, a Deo sibi parta per Constantinum, ostendunt luculenter præterita sæcula in Ordinis Romani libris, nostra vero ætas etiam oculis subjicit in conspectu throni pontificii, et in consensu sacri senatus, et in comitatu ac stipatoribus, ad solii gradus ipsi assidentibus, præsertim dum pontifex sacris operatur. Præeminent in ministerio sacramentorum juxta gradus institutos a Christo Domino, episcopi, presbyteri, diaconi cæterique levitici muneris administri ordinibus majoribus aut minoribus initiati. Eminent quoque in hac omnino completa sacri ordinis hierarchia gradus ministeriorum ab officio sacerdotali suapte natura disparati, sed congrue aptati ac distributi a pontificibus inter collegia hujus cleri. Munera enim cancellarii, camerarii, signatoris, bibliothecarii, thesaurarii præfectorumque sacris redditibus distributa observantur inter proceres ecclesiasticæ hierarchiæ. Judices quoque graviorum causarum, libellorum et epistolarum magistros, et curatores sacri patrimonii adlectos videmus e clericis, sacellani et acolythi munere per funcuris in sacrorum celebritate. Ita enim gradibus ordinis sua integritate donatis a Christo Domino per institutionem sacramenti, cui nihil addit, aut detrahit admotio cleri ad alia ministeria et officia, pietatis titulo affinia, sed potestate diversa, copulantur gradus ab Hygino distributi et clero collati etiam a successoribus.

A

B

C

D

CIACONII.

Linea 4. — *Hic clerum composuit, et distribuit gradus.* Sanctus Hyginus, ubi primum pontifex renuntiatus est, clericorum ordines prudenter per gradus distribuit distinxitque, ut in unoquoque titulo, seu presbyterio, partim cardinales, partim qui cardinalibus subessent, populo fideli, cum res ipsa postularet, ministrarent. *De origine autem cardinalium vide eumdem Ciac. in Hygino, ubi fusius hanc rem pertractat.*

PAGII.

Linea 4. — *Hic clerum composuit, et distribuit gradus.* Quæ ita intelligenda esse censet Baronius quod cum ea quæ ad ecclesiasticam pertinent hierarchiam, jam a temporibus apostolorum essent composita, æquum esse existimare, aliqua tantum antiquæ formæ ab Hygino fuisse addita, vel eadem illustrata.

Hygino sedente, Valentinus et Cerdo hæresiarchæ Romam perrexerunt, multas apud fideles turbas excitarunt. Marcion vero alter hæresiarcha Ponticus, cum ob incestum Ecclesia pulsus fuisset, Hygino jam mortuo, Romam se contulit, ut colligitur ex Irenæo lib. I, cap. 28, et Epiphanio hæresi 42. cap. 1. Quare cum Hyginus anno Christi centesimo quadragesimo primo, et quidem die decima Januarii ad cœlestem patriam transierit, postquam annos duntaxat quatuor sedisset, eodem pariter anno Marcionis Romam adventus, tempore interpontificii collocandus est. Porro Philastrius lib. de Hæres., cap. 46 scribit, Marcionem primo in Asia errores suos docuisse, ibique a Joannis apostoli discipulis, potius quam ab ipso Joanne convictum, Romam venisse. Sed cum sede vacante, a presbyteris qui Ecclesiam, ut mos erat, administrabant, ne Ecclesiæ quidem aditum impetrare potuisset, in Pontum rediit, et majores trahens spiritus, vehementius in eosdem suos errores cœpit incumbere, de quibus legendus Natalis Alexander sæculo II, ubi et de Valentini ac Cerdonis hæresibus agit.

XI. SANCTUS ANICETUS.

ANNO CHRISTI 167, M. AURELII ET L. VERI 5.

11 [a] *Anicetus, natione Syrus, ex patre Joanne de vico Omisa* [b] sedit annos novem, menses tres, dies tres [c] *Fuit autem* [d] *temporibus Severi et Marci, a consulatu Gallicani et Veteris usque ad Præsentem et Rufinum Hic constituit ut clerus* [e] *comam non nutriret* secundum præceptum Apostoli [f]. *Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem: presbyteros septemdecim, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca* numero novem. Qui etiam obiit martyr et sepultus est in cœmeterio Calixti XII *Kal. Maii* [g], *et cessavit episcopatus dies septem* [h].

CATALOGUS SUB LIBERIO

Ex editione Bucherii.

Deest hic *Anicetus*, cui dant annos pene octo.

Idem ex editione Schelestratii, exacta ad ms. Cæsareum, etc.

Anicetus annis. . . . . a consulatu Gallicani et Veteris usque Præsente et Rufino.

Lectio catalogi Liberiani, suppletis lacunis, restituta ex aliorum catalogorum subsidio, ut infra ostendit Blanchinus in notis chronologicis ad hunc numerum.

Anicetus annis 11, mens. 4, dieb. 3. Fuit temporibus Antonini Pii, a consulatu Gallicani et Veteris usque duobus Augustis.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Bar. probat Aniceto anteponendum Pium ad ann.* 158. [b] *C*, Humisia. [c] *CB*, ann. 9 minus m. 3 et d. 7. [d] *B.* M. Aurelii et L. Veri a coss. Pudentis et Orphiti, ad Severum II et Claud. Pompeianum. [e] *CB*, clericus. [f] *1* Cor XI et XV Kal. *CB.* [h] *CB*, 17.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 11, *lin* 2, *B*, 7. *lin.* 5, *AB*, 6, *lin.* 6, *AB* 8. *lin*, 7, *B* 19.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

In Reg. et Maz. anteponitur Pius, Aniceto. lin 1, de vico Humisia s. ann. 11, m. 4, dies 3. *lin.* 2, *Reg.* Marci et Severi. *Maz.* Severi et Marci. *lin* 3, usque ad Rufinum et Pr. Hic constituit ut clericus co. *lin.* 5, presb. 18. *lin.* 6, loca 9, qui etiam martyrio coronatus est et sepultus in cimiterio (*sic* A *constanter habent mss. codices*) Kal. XV. Kal. M. Maxx Kal. M. et cessavit ep. d. 17.

Ex codice Thuano altero

Anteponitur Pius. lin. 1, de vico Umisiæ sedit ann. 11, m. 4. *lin.* 7, dies 17.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Vat. et Flor prim.*, Humisa, *lin.* 2, *Flor. duo*, an. 11, men. 4. *lin.* 4, *Cassin et Flor.*, nutrial. *lin.* 5, *Flor. duo, Vatic. et Cass.* presbyteros 19, episc. 12. *lin.* 7, *Flor. duo, Cass. et Vatic.* dies septemdecim.

NOTÆ VARIORUM.

SCHELESTRATE.

Duodecimus Anicetus. Ex hoc numero pontificatus duodecimo, patet auctorem Libri Pontificalis Pium Aniceto præposuisse; cum enim Hyginum statuat decimum, et Anicetum duodecimum, Pius in antiquis Libri Pontificalis codicibus intercedere debuit, sicut attestatur Lucas Holstenius, qui notat: *Hic in manuscriptis Florentinis ponitur Pius, cui subditur deinde Anicetus.* Et sic codex reginæ Sueciæ. Notatur quoque in corpore Byzantinæ Historiæ post Anastasii Vitas pontificum *in Regio et Mazarino codicibus anteponitur Pius Aniceto.*

ALTASERRÆ.

Linea 3. — *Hic constituit ut clerus comam non nutriret, secundum præceptum Apostoli.* Aniceti decretum est, ne clerici comam nutriant, sed desuper caput in modum sphæræ radant, can. *Prohibet*, 33 dist. Ex antiqua consuetudine Ecclesiæ clerici fuere tonsi in coronam. Beda Hist. Anglic. lib. IV, cap. 1, de Theodoro, qui a Vitaliano papa ordinatus, et in Britanniam missus Evangelii prædicandi causa: « Qui subdiaconus ordinatus, quatuor exspectavit menses, donec illi corona cresceret, quo in coronam tonderi posset: habuerat enim tonsuram more Orientalium sancti Pauli apostoli. » Nativam coronam capillorum ordine suo in orbem surgente habuisse memoratur Nicetius Trevirensis episcopus. Gregorius Turon. de Vit. Patr., cap. 17: « Igitur sanctus Nicetius episcopus, ab ipso ortus sui tempore clericus designatus est: nam cum partu fuisset effusus, omne caput ejus, ut est consuetudo nascentium infantium,

a capillis nudum quidem cernebatur ; in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab eisdem coronam clerici fuisse signatam. »

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 1. — *Anicetus.* Qui Anicetum Pio anteponendum esse senserunt, Hegesippi et Irenæi testimonio efficacissime refutantur.

(Ex Lab.) Linea 4. — *Secundum præceptum Apostol.* Absunt a C. H.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Quæ dicenda sunt de temporibus Aniceti noscuntur esse ita connexa cum chronologia Pii, præsertim post utriusque loca invicem permutata, nonnullis in catalogis atque codicibus Anastasii, ut separari minime possint examen et observationes epochæ amborum pontificum. Quare ad utrumque pertinere censenda sunt tum ea quæ hic dixero ad numerum Aniceti, tum ea quæ reservavero ad numerum Pii ; quemadmodum utrique communia sunt pleraque ex iis quæ præmissa sunt in Hygino. Erat autem universarum observationum caput, *Lacunas frequentes occurrere in textu catalogi Liberiani* juxta codices ejusdem, Cuspiniano et Bucherio visos. Has lacunas, indicatas a Bucherii editione in margine ex Hygino ad Callistum, hic supplendas propono quam emendatissime, ita ut supplementa respondeant exacte tum stylo auctoris catalogi, tum spatiis lacunarum, tum chronologiæ rationibus maxime castigatis per nomina Cæsarum et consulum in eodem catalogo memoratorum. Lacunas esse non paucas ex Hygino ad Callistum demonstrat tum illa suppressio trium pontificum hos inter inclusorum, nempe Aniceti, Eleutheri, et Zephirini, a Bucherio in margine suæ editionis notata, uti nos in Prolegomenis edidimus sub principium ; tum posterior editio Schelestratii collata ad aliud exemplar ms. Cæsarei. Integrum vero esse catalogum tam ante Hyginum, quam post Callistum constat ex rationibus satis exactæ chronologiæ, quæ inde eliciuntur hac methodo. Calalogus numerat in pontificibus a Lino ad Hyginum ex consulibus Capitone et Rufo Lini postremis, ad consules Ælium Cæsarem II et Balbinum postremos Telesphori (cui succedit Hyginus) annos 70, menses 6, dies 22, omisso spatio vacationis sedis.

Sunt vero Clementis anni 9, mens. 2, dies 12 ; Cleti, an. 6, mens. 2, dies 10 ; Anacleti, an. 12, mens. 10, dies 3 ; Evaristi, an. 13, mens. 7, dies 2 ; Alexandri, an. 7, mens. 2, dies 1 ; Sixti, an. 10, mens. 3, dies 21 ; Telesphori an. 11, mens. 3, dies 3. Summa est annorum 70, mens. 6, dier. 22, quæ satis exacte respondet rationibus Chronologiæ consularis : in qua Capito et Rufus pertinere ostenduntur ad annum 67 æræ Christi communis. Quibus si addantur anni 70 in hac summa collecti, provenit annus 137 notatus Nigro et Camerino consulibus : qui proximi sunt a Cæsare II et Balbino consulibus anni 137. Annus enim qui abundat dispertitur in menses vicariæ ordinationis, compensatos mensibus et diebus vacationis sedis, satis proxime pariantibus hanc temporis summam.

Par est commensus annorum et epocharum a Callisto ad Caium per annos fere septuaginta similiter respondens chronologiæ consulari, ex duodecim pontificum epochis fideliter collectæ in catalogo, ut sequitur ex primis consulibus Callisto assignatis, *Antonio et Advento,* qui pertinent ad annum Christi 218, usque ad consulos postremos Eutychiani, *Carinum II et Carum,* spectantes ad annum Christi 283.

Callistus, annis 5, mens. 2, diebus 10 ; Urbanus, an. 8, mens. 11, dieb. 12 ; Pontianus, an. 5, mens. 2, dieb. 7 ; Anterus, mens. 1, dieb. 10 ; Fabianus, an. 14, mens. 1, dieb. 10 ; Cornelius, an. 2, mens. 3, dieb. 10 ; Lucius, an. 3, mens. 8, dieb. 10 ; Stephanus, an. 4, mens. 2, dieb. 21 ; Sixtus, an. 2, mens 11, dieb. 6 ; Dyonisius, an. 8, mens. 2, dieb. 4 : Felix, an. 5, mens. 11, dieb. 25 ; Eutychianus, an. 8, mens. 11, dieb. 3. Colligitur summa annorum 69, mens. 9, et dier. 8. Ex anno 218 numeratis annis 70 (inclusis extremis), provenit annus 287. Quadriennium istius summæ, quod abundaret post consulatum Carini II et Cari anno Christi 283, refunditur in menses vicariatus aliquot pontificum in ea summa repetitos in epocha decessoris : qui si demantur, proxime respondent sibi chronologia pontificia et consularis a Callisto ad Eutychianum.

Sed summa collecta ex epochis catalogi ab Hygino ad Soterem abludit a consulari per annos viginti novem, licet quatuor tantum ex pontificibus in catalogo colligatur, qui sunt : Hyginus, annis 12, mens. 3, diebus 6 ; Pius, an. 20, mens 4, dieb. 21 ; Soter, an. 9, mens. 3, dieb. 2 ; Victor, an. 9, mens. 2, dieb. 10. Provenit summa annorum 51, mens. 1, dier. 9, quæ cum incipiat a coss. Nigro et Camerino Christi 138, primis ex Hygino assignatis, et pertingat ad consules Antoninum III et Adventum, primos ex attributis Callisto proxime succedenti pontificatui Victoris, et affixos anno Christi 218, implere debuerat spatium annorum 80, a quo proinde deficit totis 27 annis, nisi lacunæ aliunde suppleantur felicius.

Constat itaque, tum ex suppressione trium pontificum, tum ex tricennio ferme solido æræ consulari detracto a pontificia catalogi inter Callistum, et Eutychianum, lacunas non paucas inesse huic parti catalogi Liberiani.

Easdem supplere conatus est antiquus aliquis descriptor ejusdem catalogi, sed valde imperitus tum historiæ, tum chronologiæ. Si enim, vel leviter fuisset in utraque versatus, profecto non reliquisset adeo immanem hiatum undetriginta annorum, neque omisisset tres pontifices recognoscere in lacunis proprio loco restituendos, ex indiciis versuum præcedentium et consequentium in ea parte catalogi superstitibus.

Quam facilis sit designatio lacunarum in locis singulis, et restitutio verborum singulis versibus reddendorum, patebit (ut equidem spero) ex comparatione oculari trium lectionum ejusdem textus catalogi Liberiani, quas totidem per columnas ita dispono. In columna media colloco textum catalogi Liberiani cum lacunis nondum suppletis. In alia columna ad dexteram legentis apposita exhibeo supplementa lacunarum, olim adjecta atque inserta textui ab imperito illo descriptore sequioris ætatis, quem unicum superstitem nobis præservatum edidit Bucherius, et nos ex illo jam dedimus, inter Prolegomena, initio. In columna sinistrum locum occupante, spectanda præbeo supplementa earumdem lacunarum ex nostra sententia textui restituendi, ejusque germanæ lectioni. Horum supplementorum vadem non unicum dare possum. Primus erit stylus auctoris catalogi, hanc methodum constanter observantis a Lino ad Urbanum, ut nomini uniuscujusque pontificis apponat annos, menses, ac dies sui episcopatus ; deinde exprimat nomina imperatorum, qui eodem tempore rei Romanæ præerant ; demum nominet consules ordinarios, qui primum, et qui postremum Paschale tempus illius episcopatus signarunt. Præter hæc pauca nihil admodum additur a Lino ad Pontianum, præter quam in Pio ; ubi additamentum petitum fuit ex apocrypho libro Constitutionum Clementis ad implendam lacunam, ut manifeste constabit consideranti spatium in lacunis apertum, quod vetus ille descriptor ad dexteram, nos ad sinistram supplemus. Vades reliquos nostræ lectionis dabo tum picturas basilicarum Urbis, et catalogos inde transcriptos, tum catalogos et codices vetustos in quibus consules nominantur. Singulis numeris ab Hygino ad Pium in notis memorabo documenta illa genuina, quæ supplementum nostrum

ministrant. In hac lectione catalogi Liberiani, ita restituta ex Telesphoro ad Callistum (ubi lacunæ observabantur), spero consensuros tum criticos, tum chronologos ; cum verba verbis ferme reddantur, nedum versus singulis versibus. Verba supplementorum tam in prima quam in tertia columna perspicuitatis gratia exhibentur charactere inclinato, sive, ut vocant, Italico. Quæ rotundis litteris impressa sunt, ea lector inveniet in textu catalogi secundam columnam obtinente feliciter præservata propriæ sedi, ad indicium faciendum satis evidens germanæ lectionis catalogi.

SUPPLEMENTA textus catalogi Liberiani, deducta ex veris documentis, et in lacunis disposita juxta stylum auctoris ejusdem catalogi.

Telesphorus annis XI, m. III, d. III. Fuit temporibus *Adriani et Aelii Caes.*, a consulatu Titiani et Gallicani usque Caesare *II* et Balbino.

Hyginus an. *IIII*, m. III, d. *VIII*. Fuit temporibus Anto*nini*, a consulatu *Nigri et Camer*ini *usque Severo et* Prisc*ino*

Pius an. *VIII*, m. IIII, d. *III*. Fuit temporibus Antonini, *a* consula*tu* Rufi*ni et Quadrati usque Orphito et Prisco.*

Anicetus an. XI, m. IIII, d. III. Fuit temporibus Antonini Pii a consulatu Gallicani et Veteris usque duobus Augustis.

Soter an. VIIII, m. III, d. *XXI*. Fuit temporibus *Marci* Antonini *et Veri, a consulatu Rustici et Aquilini usque* Claro et *Cethego.*

Eleutherus an. XV, m. III, d. V. Fuit tem*poribus M.* Antonini et Commodi a consulatu *Severi* et *Herenniani* usque *Materno* et Bradua.

Victor annis XII, d. X. Fuit tem*poribus Commodi et Severi, a consulatu* Commodi *et Glabrionis usque Laterano et Rufino*

Zephyrinus an. XVIII, d. X. Fuit temporibus Severi et Antonini a consulatu Saturnini et Galli usque Præsente et Extricato.

Callistus annis, etc.

Textus catalogi Liberiani cum lacunis nondum suppleti.

Telesphorus an. XI, m. III, d. III, Fuit temporibus A. . . . . c. . . a consulatu Titiani, et Gallicani usque Caesare . . . et. . . Albino.

Hyginus an. . . . m. III, d. VI. . Fuit temporibus Anto . . . a consulatu. . . . . ni- . . . ve. . . . . ino.

Pius an. V. . . m. IIII, d. . I. Fuit temporibus Antonini. . Consul. . . Rufin. . . . . Pr. f. . . . . Antonini Pii a consulatu Gallicani, et Veteris usque duobus Augustis.

Soter ann. VIIII, m. III, d. . I. Fuit temporibus. . . . tonini. . . . . Clar. et. . e. .

Fuit temp. : . . tonini, et Commodi a consulatu. . veri et. . errenniani usque. . aterno et Bradua.

Victor an. . II, d. X. Fuit temp. . . . . Commodi, ... a Consulatu Saturnini, et Galli usque Præsente et Extricato.

Callistus annis etc.

SUPPLEMENTA lacunarum, in textu adjecta temere ab antiquo descriptore catalogi, ut in Prolegomenis.

Telesphorus an. XI, m. III, d. III. Fuit temporibus *Antonini Macrini* a consulatu Titiani et Gallicani usque Caesare et Albino.

Hyginus an. *XII*, m. III, d. VI. Fuit temporibus Anto*nini* a consulatu *Gallicani et Veteris usque Præsente et Rufi*no.

Pius an. *XX*, m. IIII, d. XXI. Fuit temporibus Antonini Pii a consulatu *Clari et Severi* usque duobus Augustis.

Sub ejus episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatur, contineturque quod ei præcepit angelus, cum venit ad eum in habitu pastoris.

Soter an. VIIII, m. III, d. II. Fuit tem*poribus* Antonini et Commodi, a consulatu Veri et Erenniani usque Paterno et Bradua,

Victor ann. *VIIII, m.* II, d. X. Fuit tem*poribus Antonini et* Commodi, a consulatu Saturnini et Galli usque Præsente et Extricato.

Callistus annis, etc.

Quærent a me critici, cur in Hygino exempli causa asseram descriptorem illum vetustæ et sequioris ætatis ex lacuna, quam suppono in verbis versus tertii, et sequentium, a consulatu..... ni..ve ..... ino reddiderit, a consulatu *Gallicani et Veteris usque Præsente, et Rufi*no. Dico occasionem erroris in delectu consulum postremorum eidem oblatam ex nomine *Rufini* consulis inchoantis epocham successoris. Putaverit enim recte assignari posse postremos decedenti consules eosdem, quibus inibat episcopatum successor. Sequebatur autem in textu catalogi Liberiani post Hygini periochen sectio Pii. *Pius annis*, etc., *temporibus Antonini a consulatu Rufin...* cujus nomen abrumpebat (ut videtur) lacuna, subducens duos postremos versus ex fine periochæ Pii, et totidem ex initio Aniceti. Descriptor catalogi ex amanuensi redditus breviator, cum inveniret nomen ejusdem Antonini in fine lacunæ repetitum, ex duplici periocha Pii et Aniceti, unicam conflavit, et attribuit Pio, pertingentem ex Rufini consulatu unde Pius revera cœperat, ad duos Augustos consules, occurrentes in fine Aniceti. Idem præstiterit in Sotere : cujus detritos consules ætatis Antonini confudit cum consulibus, Eleuthero pontifici (per lacunam non apparenti) assignatis sub Antonino et Commodo ; cum Antonini nomen occurreret *temporibus Antonini* præservatis in periocha Soteris. Simile quidpiam admiserit occasione detriti versus, Zephyrini epocham inchoantis, una cum superioribus versibus exprimentibus nomina consulum Victoris. Junctis enim marginibus lacunarum, ex duplici periocha distincta Victoris et Zephyrini, unicam conflavit Victori assignatam, cum consulibus successoris, per ea verba, *a consulatu Saturnini et Galli, usque Præsente et Extricato.*

Hæc habui, quæ generatim adnotarem de lacunis observatis in textu intra hos annos 80 (a consulatu Aelii Cæsaris et Balbini, in quo Telesphorus desinit anno 137 usque ad consulatum Præsentis et Extricati, in quo desinit Zephyrinus anno 217) male contractos ad 51 ab imperito descriptore catalogi ; licet is Hygini pontificatum extenderit ad annos 12 contra rationes epochæ consularis, quam illi assignat ex Gallicano et Vetere, Christi 150 ad Præsentem et Rufinum, Christi 153 annum indicantes ; et Pii sedem produxit per integrum vicennium, superans quinquennio solido æram consularem ab ipsomet attributam, ex coss. Claro et Severo, spectantibus ad annum 146 ad duos Augustos consules, Marcum et Lucium, referendos ad annum Christi 161.

Nunc ad Aniceti periochen, suæ integritati a no-

bis restitutam, et hujus numeri propriam convertor, ut nostræ restitutionis fundamenta, et idonea documenta demonstrem, quæ talia sunt.

Linea 1. — *Anicetus annis* 11, *mens.* 4, *diebus* 3. Aniceti annos 11 exhibent numeri superstites Romanis litteris ita signati sub ejus imagine in picturis basilicæ sancti Pauli, necnon in catalogo Felicis quarti, cum mensibus 4 et diebus 3, hodie delapsis ex memorata pictura, sed præservatis in catalogis et in Libro Pontificali. Tot etiam menses assignant catalogi omnes relati in Prolegomenis excepto uno ex Italicis, et altero ex codicibus extra Italiam, qui dempta unitate, 3 menses loco 4 expressit, ubicunque inveniuntur anni XI (qui sunt indicium epochæ Aniceti, etiamsi permutetur sedes cum Pio). Dies quoque 3 numerant ex Italicis catalogis duo, Cavensis et Farfensis, et ex Colbertinis complures, consentientes cum catalogo Felicis quarti, et cum textu Anastasiano.

Linea 2. — *Fuit temporibus Antonini Pii a consulatu Gallicani et Veteris, usque duobus Augustis.* Catalogus Felicis quarti initium Aniceti desumit ex coss. *Gallicano et Vetere* Christi 150, quemadmodum desumunt codices Libri Pontificalis: unde si numerentur anni 11 solidi, quot jam probavimus in picturis Paulinis et catalogis donari Aniceto; necesse cadet terminus in *duos Augustos consules* anni Christi 161, a Catalogo Liberiano recte enuntiatos in fine illius periochæ, quam descriptor male confudit cum superiori.

Præterea suffragatur codex Florentinus, supra relatus in Prolegomenis, ubi catalogum exhibebat episcoporum Neapolitanorum, cum Romanis pontificibus et cum imperatoribus, sub quibus singuli sederant, exceptis ex Paulo Diacono. Ibi sociantur tempora Pii papæ cum Antonino, et cum initio imperii Marci et Lucii, filiorum ejus; tempus vero Aniceti, Soteris et Eleutheri, conjungitur cum M. Aurelio Antonino, L. Vero, Commodo, Pertinace, et Severo. « Marcus, inquit, (episcopus Neapolitanorum IV) sedit annis 28. Fuit temporibus Igini et Pii papæ, et Antonini pii imperatoris, et filiorum ejus. Probus (episcopus V Neap.) sedit annis 24. Fuit temporibus Anecyri, Soteris, Eleutheri papæ, et Antonini Veri, et Lucii Commodi, et Aelii Pertinacis, seu Severi imperatoris » Catalogum hunc eo lubentius commemoro quo clarius ordinat Romanos pontifices, hinc etiam suo loco ac tempori restituendos in lacuna catalogi Liberiani, juxta seriem successionis, non minus luculenter assertam ab Hegesippo, et Irenæo, cum iisdem pontificibus Romæ versatis.

Constabit autem ratio summæ annorum 11, mensium 5 et dierum 3, si epochæ initium desumatur a die ordinationis Dominica 15 Decembris anni 149, littera Dominicali F, seu die XVIII ante eas Kalendas Januarii, quas aperuerunt, anno 150 ineunte, consules Gallicanus et Veter, idcirco signati in ejus exordio juxta catalogos et codices universos, et deducatur, ad diem 17 Aprilis anni 161, duobus Augustis fratribus Marco et Lucio consulibus, ejusdem martyrio in Ecclesia celebrem. Inclusis enim extremis, eadem prorsus summa colligitur.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1. — *Syrus de vico Omisa.* Vicum fortasse intelligit circa Amisum urbem, in regione Leucosyrorum descriptam ab Ariano, seu verius anonymo Græco in periplo Ponti Euxini inter veteres Geographiæ scriptores Oxoniensis editionis tomo III, pag. 9: « Amisus urbs Græca Atheniensium colonia, ad mare sita in Leucosyrorum regione jacens, Phocæensium etiam colonia: » ubi id quoque additur: « Halys fluvius, ubi mare subit, Sinopensium, et Amisenorum rura agrosque separat; trecentis vero stadiis ab Amiso distans, inter Syros et Paphlagonas A fluens, in Pontum se exonerat. » Quare Syrum jure potuit appellare Anicetum, si hac in regione Pontica ex vico prope Amisum ad Leucosyros pertinentem, ortus est, ubi Halys Syros a Paphlagonibus separat.

Ex eadem regione Pontica Marcion hæresiarcha Romam advenerat, vacante sede apostolica post mortem Hygini ex die 11 Januarii ad 6 Aprilis, qua Pius successor a clero electus pontificatum suscepit anno 142, juxta adnotationes nostras in ejusdem numero. Pagius ad præcedentem annum retulit martyrium Hygini, sedis vacationem, electionem Pii et adventum Marcionis. S. Epiphanius scribit, ut Pagius observat: « Marcionem prius in Asia errores suos docuisse, ibique a Joannis apostoli discipulis, potiusquam ab ipso Joanne convictum Romam venisse. Sed cum sede vacante a presbyteris, qui Ecclesiam, ut mos erat, administrabant, ne Ecclesiæ quidem aditum impetrare potuisset, in Pontum rediit, et majores trahens spiritus, vehementius in eosdem suos errores cœpit incumbere. » Aniceto deinde regente B Ecclesiam, iterum in Urbem concessisse colligitur ex historia Eusebii lib. IV, cap. 14, conterranei fortasse sui animum indulgentiorem se experturum præsumens. Verum et hujus constantiam invictam expugnare minime potuit. Eusebius refert, per idem Aniceti tempus Romam venisse B. Polycarpum Joannis evangelistæ auditorem, id testantibus litteris Irenæi, ob quæstionem quamdam, quæ de Paschate inciderat. Auctor Chronici Alexandrini annum quoque indicat adventus Polycarpi, sub consulatu Tertulli et Sacerdotis, æræ Christianæ 158. Quid in Urbe præstiterit nos docet laudata Irenæi epistola apud Eusebium lib. IV, cap. 13: « Aniceti, inquit, temporibus Romam veniens (Polycarpus) multos ex supradictis hæreticis (Marcionis asseclis) ad Ecclesiam Dei revocavit. » Et paulo post: « Ipse etiam Polycarpus, cum ei Marcion aliquando occurrisset, dixissetque, Agnosce nos, respondisse fertur: C Agnosco te primogenitum Satanæ. Adeo religiose cavebant apostoli, eorumque discipuli, ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant. Quemadmodum et Paulus dixit: Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita, sciens hujusmodi hominem perversum esse, et suo ipsius judicio condemnatum peccare. Hactenus Irenæus, » (inquit Eusebius.) Hæc testimonia probant aperte, eamdem constantiam fuisse presbyterii Romani vacante sede, et Aniceti pontificis, quæ fuit Polycarpi, dum submoverent ab ingressu Ecclesiæ, et a societate catholicorum Marcionem in hæresi sua pertinacem. Illustris quoque martyr Justinus Romæ agens per eadem tempora, Eusebio teste lib. IV, cap. 16, libros edidit contra Marcionem, ab Irænео commendatos (ibi cap. 18) et ab Hegesippo pari laude donatos apud Eusebium capit. 22, ubi Marcionistarum errores a Judæorum sectis emanantes perstringit. Contra eumdem Marcionem Rhodon Asia oriundus, sed Romæ institutus a D Tatiano, varios conscripsit libros (ait Eusebius capit. 13) et cum reliquis adversus Marcionis hæresim decertavit.

Quæ vero inter se amice contulerint Anicetus, et Polycarpus de controversia ritus Paschalis, idem Eusebius commemorat lib. V, cap. 4, ex litteris Irenæi ad Victorem. « Cum beatissimus Polycarpus (inquit Aniceti temporibus Romam venisset, atque inter eos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt, de hoc capite non magnopere inter se contendentes. « Honorifice habuit Polycarpum Anicetus, » cui consecrandi etiam munus in Ecclesia honoris causa concessit. » Cæterum non omisit cogere synodum, cui S. Polycarpus interfuit, et alii decem episcopi; si fidem accommodamus libello synodico, per Pagium producto num. 3 ad Anicetum. Illa synodus definivit, « tremendam, et salutarem D. N. Jesu Christi passionem in sancta Parasceve mystice celebrandam,

Resurrectionem autem vitæ autricem ipsa celebri et magna Dominica esse peragendam. » Verum quia V. C. Henricus Valesius in notis ad cap. 23 lib. v Eusebiani de auctore hujus libelli synodici nonnihil dubitat, sive synodum coegerit Anicetus, sive distulerit exspectans consensum Polycarpi postquam in Asiam rediisset, certum est Anicetum, aperte respondisse Polycarpo, decessorum suorum morem sibi esse retinendum. Doduellus inferre conatur, id moris institutum a Xysto, propterea quod epistola Irenæi solum memoret Pium, Hyginum, Telesphorum; Xystum inter decessores Aniceti, qui diem Dominicam jusserint esse Paschalem, nec suis permiserint ut aliam hebdomadæ feriam Paschati destinarent. Ab apostolo Petro eam traditionem acceperant Romani, non secus atque Antiocheni, et Alexandrini patriarchatus Ecclesiæ, et Ponticæ, uti ex litteris supra indicatis constat. In illa vero epistola Irenæi ascendere nequaquam debuit vir apostolicus enumerando ultra ætatem Xysti, quando Polycrates objiciebat permissum fuisse a Joanne evangelista, ut Luna XIV Pascha celebraretur. Nam Xysti decessores meminisse poterant Joannis apostoli, qui Romæ fuerat sub Domitiano. Porro si quæ permissio fuit Joannis apostoli, non alia certe quam temporaria censenda erat, ex privilegio apostolis concesso, ut differrent legalium praxim de medio tollere etiam post celebrationem concilii Antiocheni, prout ipsorum prudentiæ videretur, ut Judæos lucrifacerent : quemadmodum Paulo licuit circumcidere Timotheum eadem de causa. Quare cum Irenæus videret, expeditam fore exceptionem Victoris quem suadere conabatur, ad tolerantiam Asianæ consuetudinis exemplo decessorum, si eos quoque enumerasset, qui vidisse poterant Joannem apostolum ita permittentem, recensuit tantummodo Xystum, et ab eo consecutos pontifices : quorum exemplum retundi non poterat apostolico privilegio temporaneæ permissionis Joannis evangelistæ, ante Xysti pontificatum jam vita functi. Contra hujusmodi inductionem etiam intra tempus Xysti, et successorum validius coarctatam ab Irenæo, Victor cum Aniceto, similia reponente precibus Polycarpi, ostendit contrariam consuetudinem ab iisdem decessoribus suis constanter observatam, a se quoque firmiter esse retinendam, ejusque observantiam a cæteris exigendam, qui Joannis privilegio, apostolis tantum concesso, non essent præditi. Hoc plane sensu accipienda esse, quæ continentur in synodicis litteris Irenæi, et indicantur de summa gestorum a pontificibus memoratis, jampridem vidit cum Beda Venerabili V. C. Ludovicus Bail doctor theologus, ac propœnitentiarius Parisiensis in summa conciliorum tomo II, pag. 5, ad hunc locum ita perscribens : « In hac re Polycratem non moror, qui studio partium laboraverit, et cum Judæis in Paschate celebrando conspiraverit, contra monitionem summi pastoris Ecclesiæ, cui obedire debuit. Nec eum excusat exemplum D. Joannis, quod pro se afferebat. Ille enim, ut ait Beda lib. III Hist. cap. 25, celebravit Pascha decima quarta die, ut se in illis initiis accommodaret Judæis ad fidem conversis, sicut propter eamdem causam Paulus apostolus Timotheum episcopum circumcidit. Attamen D. Petrus Romæ instituit, ut Pascha die Dominico celebraretur, cujus institutio debet prævalere. »

Linea 3. — *Hic constituit, ut clerus comam non nutriret secundum præceptum Apostoli.* Duo hic affirmantur. Primum est constitutio Aniceti, ne clerus comam nutriret ; alterum est præceptum Apostoli, idem jubentis. Primum illud apparet ab auctore Libri Pontificalis petitum ex secundo catalogo. Alterum vero de præcepto Apostoli unde hauserit, quæstionem movet. Utrumque assertum mirifice illustrant ea quæ card. Baronius docte collegit ex Patribus ad annum Christi 58, num 122 et seqq. ; præcipue vero ex Hieronymo, Isidoro, et Germano. CP., ubi non solum exemplo Petri, sed etiam Pauli, aliorumque apostolorum, et virorum apostolicæ ætatis id moris obtinuisse confirmat, petitum a Nazaræis, ut sanctioris vitæ institutum, Deoque dicatum unice se amplexos significarent : cum quo, et aliud symbolum *coronæ* junxerunt, diligenter descriptum apud Bedam et Gregorium Turonensem : quos vide in Notis Altaserræ ad hunc numerum. Exprimitur vero hujusmodi tonsura in antiquissimis imaginibus summorum pontificum in basilica S. Pauli, quarum specimen habes supra initio notarum fol. 1, perinde ac in musivis vetustissimis ecclesiarum Urbis, et in cryptis martyrum : unde imago desumpta est fideliter a Severano et Aringhio pontificis sacrum velamen aptantis virgini Deo devotæ, quam in Pio papa producam numero proximo in notis historicis. Conferantur imagines ac tonsuræ istæ cum Isidori textu, per Baronium allato ad annum 58, n. 123 : « Quod vero (inquit Isidorus) detonso superius capite, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso confecta rotunda erat quasi sphæra media ; et hoc significabatur in parte capitis tonsi ; corona autem latitudo aurei circuli est, quæ regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, ut impleatur corporis etiam quadam similitudine quod scriptum est, Petro apostolo prædocente: *Vos estis genus sanctum, regale sacerdotium (I Petr.* II, 9). Quæritur autem, cur sicut apud antiquos Nazaræos, non ante coma nutritur, et sic tondetur ? Sed qui hæc exquirunt, animadvertant quid sit inter illud propheticum velamentum, et hanc evangelicam revelationem, de qua dicit Apostolus : *Cum transieritis ad Christum, auferetur velamen.* Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Moysi, et aspectum filiorum Israel, hoc significabat illis temporibus coma sanctorum. Nam et Apostolus comam pro velamine dicit esse : proinde jam non oportet, ut velentur crinibus capita eorum qui Domino consecrantur, sed tantum ut revelentur, quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, jam in Evangelio declaratum est. » Hactenus Isidorus.

Isidori testimonio consentiunt ea quæ superius attuli in Lino num. 2, occasione decreta de velando mulierum capite in ecclesia, ab apostolis pariter profecti, ut epistolæ Pauli demonstrant, ad indicandam earumdem exclusionem a sacerdotio Christiano : quod viris tantummodo reservatum fuit a Christo Domino, scribente Apostolo *I* ad Cor. cap. XI : *Volo autem vos scire, quod omnis viri caput Christus est ; caput autem mulieris vir : caput vero Christi Deus. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput suum.* Cætera quæ sequuntur ab Isidoro jam exposita de capillorum velamento, eadem de causa feminis attributo, et de mystico signo rationis crinium in capite clericorum, ex apostolica traditione servato ac servando, cohærent cum utroque decreto Lini et Aniceti innixo apostolicis institutis, ac disciplinæ Petri auctoritate vigentis in Romana præsertim Ecclesia : et ostendunt, his etiam ritibus, qui respiciunt externum cultum, in exortu Ecclesiæ fuisse consultum apostolica providentia, cum Paulus in eadem epistola cap. 14, postquam mandavit tum de velamento ac silentio mulierum, ne doceant in Ecclesia, tum de numero eorum qui legerentur ad prophetandum et interpretandum, caput claudit, affirmans et monens, *Domini esse mandata, omniaque honeste, et secundum ordinem fieri oportere.* Quare et in rituum istorum præcepto non dubitat auctoritatem Domini, nedum suam interponere : ut plane constare possit, cur etiam his confirmandis Linus et Anicetus pontificia decreta

quasi novum signaculum veteris disciplinæ appo- A suerint.

Linea 7. — *Sepultus est in cœmeterio Callisti.* Primus Romanorum pontificum hoc iu cœmeterio sepultus, quod paulo post ab amplificatore Callisto nomen accepit, legitur Anicetus. Inde autem extractas ejusdem reliquias Henschenius memorat in Appendice ad tomum tertium Aprilis pag. 982, signatumque id publicis tabulis anno 1590, indict. III, die 16 Aprilis Sixti papæ V, anno 5. Caput. S. Aniceti donatum refert serenissimo duci Bavariæ: corpus autem ejusdem pontificis ac martyris a Clemente VIII impetravit dux Angelus ab Altaemps die 18 Octobris 1604, ut memorat laudatus Henschenius tomo Aprilis pag. 478, idque a reverendissimo præsule D. Angelo Rocca episcopo Tagastensi, et sacrarii apostolici præfecto illatum fuisse in sacellum, præfati ducis in ædibus magnificenter exstructum (ubi quotannis totius Urbis frequentia ac veneratione colitur) declarat epigraphe insculpta, quam retulit B sæpe commendatus canonicus Boldetti in Observationibus ad Cœmeteria SS. Martyrum, lib III, cap. 14, pag 715.

MARTYRIS OSSA ANICETI PAPAE
AB ARENARIO QUOD POSTEA CALLISTI
COEMETERIUM APPELLATUM EST
AUCTORITATE CLEMENTIS VIII. TRANSLATA.
JOANNES ANGELVS AB ALTAEMPS DUX
SACELLUM OBTULIT.
CORPUS EJUSDEM MARTYRIS
IN LABRUM QUOD ALEXANDRI SEVERI IMP.
SEPULCHRUM FUIT COLLOCAVIT D
ANNO DOMINI MDCXVII

Quam illustre hoc cœmeterium reddiderint frequentes Christianorum cœtus, videndum erit in Callisto ; Urbano, Stephano, et Xysto II, ex litteris C S. Cypriani.

CIACONII.

Linea 3. — *Hic constituit, ut clerus comam non nutriret secundum præceptum Apostoli.* Ne scilicet malis moribus Ecclesia Romana labefactaretur ; imo sanctus hic pontifex instituit, ut in capitis vertice coronam instar sphærulæ clericus gestaret. *Ciaconius Aniceto Pium anteponit.*

PAGII.

Linea 3. — *Hic constituit ut clerus comam non nutriret.* Eo sedente, sanctus Polycarpus Smyrnæ episcopus Romam venit, et quidem Antonino Pio imperante, ut Eusebius in Chronico, et in Historia lib IV, cap. 23, Hieronymus, et Suidas in Polycarpo, Marianus Scotus, Ado in Chronico, aliique tradunt. Annum nos docet auctor chronici Alexandrini, qui ad consulatum Tertulli et Sacerdotis, ad annum scilicet Christi 158 scribit : « Polycarpus Smyrnæ pontifex, vir admiratione suspiciendus, apostolorum auditor, et ab ipsis episcopus institutus, adhuc superstes, Aniceto pontifice, Romam venit, ob controversiam de tempore quo celebrandum esset Pascha. » Qua de controversia legendus Irenæus in epistola ad Victorem papam, cujus insigne fragmentum nobis conservavit Eusebius lib. V, Hist. Ecclesiast. cap. 24 : « Cum beatissimus Polycarpus, inquit, Aniceti temporibus Romam venisset, atque B inter illos de quibusdam aliis rebus modica esset controversia, statim mutuo pacis osculo se complexi sunt : de hoc capite non magnopere inter se contendentes, » scilicet de die Paschalis celebrandi de quo antea locutus fuerat.

Linea 6. — *Obiit martyr.* Marcus Aurelius et Lucius Verus imperatores quartam in Christianos persecutionem moverunt, de qua Eusebius tam in Chronico, quam in proœmio libri quinti Historiæ ecclesiast. Ea grassante, S. Polycarpus Smyrnæ episcopus, S. Joannis apostoli discipulus, die 26 Martii anni 169 cum multis aliis martyrium passus est, ut auctor est Eusebius lib. IV, cap 15. Sanctus etiam Justinus Philosophus Christianus ex Flavia Neapoli Syriæ Palæstinæ oriundus, post duas apologias in Christianorum favorem imperatoribus oblatas, pro Christi fide mortem oppetiit, et quidem anno 165, si auctori chronici Alexandrini fides ; de eo Eusebius citatus cap. 16. Hac persecutione in Galliis propagata, anno Christi 177 complures Christiani occisi C sunt, quos inter excelluerunt martyres Lugdunenses Potinus episcopus Lugdunensis, Attalus, Alexander medicus, sanctus Diaconus, Maturus, Blandina, et Biblis, et Ponticus quindecim annorum adolescens, quorum certamina egregie descripta legi possunt in epistola Ecclesiarum Viennensis et Lugdunensis ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ, data apud Eusebium lib. V, cap. 1 et seqq.

XII. SANCTUS PIUS.

ANNO CHRIST 158, ANTONINI PII IMP. 19.

12. *Pius, natione Italus, ex patre Rufino, frater Pastoris, de civitate Aquileia, sedit annos novemdecim, menses quatuor, dies tres* [a]. *Fuit autem temporibus Antonini Pii, a consulatu Clari et Severi* [b]. [c] *Sub hujus episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur quod ei præcepit angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu pastoris, et præcepit ei ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.* Hic constituit hæreticum venientem ex Judæorum hæresi suscipi et baptizari ; et constitutum de Ecclesia fecit. *Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem presbyteros* 19 [d], *diaconos* 21 [e], *epi-*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, an. 9, m. 6, minus d. 3. [b] *B*, Ant. Pii M. Aur. et L. Veri a coss Silvani et Augurini ad Pudentem et Orphitum. [c] *Vide Baron an.* 159. [d] *C*, *B*, 18. [e] *C*, 20.

scopos per diversa loca numero 12 [a]. *Qui etiam sepultus est juxta corpus beati Petri in Vaticano* v *Idas Julias, et cessavit episcopatus dies* XII. [b] Hic ex rogatu beatæ Praxedis dedicavit ecclesiam Thermas Novati in vico Patricii in honorem sororis suæ sanctæ Potentianæ, ubi et multa dona obtulit, ubi sæpius sacrificium Domino offerens ministrabat, imo et fontem baptismi construi fecit, manu sua benedixit et consecravit, et multos venientes ad fidem baptizavit in nomine Trinitatis.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Ex editione Bucherii et Schelestratii.

Pius annis viginti, mensibus quatuor, diebus viginti uno. Fuit temporibus Antonini Pii a consulatu Clari et Severi usque duobus Augustis. Sub hujus episcopatu frater ejus Hermes librum scripsit, in quo mandatur contineturque quod ei præcepit angelus cum venit ad eum in habitu pastoris.

Lectio catalogi Liberiani, suppletis lacunis, restituenda ex antea deduciis in Aniceto supra.

Pius annis 8, mensibus 4, diebus 3. Fuit temporibus Antonini a consulatu Rufini et Quadrati usque Orphito et Prisco

Additamentum catalogo appositum, ut videtur, ad supplendam lacunam proxime apparentem in loco Aniceti.

Sub hujus episcopatu frater hujus Hermes librum scripsit, in quo mandatur contineturque, quod ei præcepit angelus, cum venit ad eum in habitu pastoris.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *C, B,* 15. [b] *Bar. an.* 162.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Regio, Mazarino et Thuano

Num. 12, *lin.* 2, ann. 11. ibi tempore Ant. Pil. *lin.* 4, quod ei præceperit A. *lin.* 5, ut Pascha. *lin.* 7, fecit. Hic ex rogatu ut. *lin.* 9, loca 10, qui s. e. *lin.* 10, dies, 17, et nov in honore sororis suæ S. Pudentianæ, et ibid. offer. ministravit, ubi et f. b. consecravit, et constitui fecit, et manu sua benedixit. et multos ven. ad f. bapt. in n. Tr. Hic fecit ordinationes quinque.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 5, ut Pascha. *lin.* 15, dies 14. *Hic incipit Vita* A *Aniceti. ibid.,* hic etc. *Hæc desiderantur in ms, usque ad vocem* Trinitatis.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Vat.*, annos 11. *lin.* 3 Sub hujus, etc. *apud S. Ivonem, Decrel. lib.* IV. *cap,* 145. *lin.* 7. *Florent. et Cass,* ordin. tres. *lin.* 10, *verba* ex rogatu — Trinitatis *absunt a Florentinis mss., item a Regio et Vaticano.*

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, ex patre Rufino fratre Pastoris. *lin.* 2, sedit annos XI, m. IIII, dies III, *lin.* 3, a consulatu Clari et Severi veteris. *lin.* 5, cum venit. *lin.* 11, in honore sororis suæ sanctæ Potentianæ.

NOTÆ VARIORUM.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ IN SUPPLEMENTUM CATALOGI LIBERIANI AD SANCTUM PIUM.

Lectio Catalogi Liberiani lacunis frequentioribus cognoscitur impedita ab Hygino ad Callistum. Lacunarum hiatus aliquando absumperat priores tantum versus alicujus periochæ, cum nomine pontificis, B et numeris annorum, mensium, ac dierum, quos in episcopatu is transegerat, ut in Aniceto, Eleuthero, ac Zephyrino, aliquando vero integris remanentibus nomine pontificis, ac numeris memoratis, necnon indicatione imperatoris eosdem in annos incidentis deperdita erant in membranis nomina consulum, indicantia exordium ac finem epochæ ejusdem pontificatus; quod in Aniceti proximo decessore Hygino, in Sotere decessore Eleutheri, in Victore Zephyrinum præeunte evenisse observamus. Oculis id subjeci in numero Aniceti ejusque notis chronologicis pag. 112, dum restituere conatus sum germanam catalogi lectionem expansis columnis tribus, quarum media textum catalogi lacunis interpolatum dextra vetus supplementum descriptoris vitiose (ut arbitror) id præstantis, sinistra vero exhiberet supplementum apte respondens tum spatio lacunarum, tum operis contextui, et litteris superstitibus, tum stylo auctoris catalogi, tum veris rationibus Chronologiæ. Vitiose quod dixerim suppletas ab imperito descriptore lacunas, res ipsa ostendit. Nam columnis trium lectionum ante oculos positis, unusquique facile intelliget, quod ubicunque descriptor ille offendit nomen imperatoris iteratum ante ac post lacunam, arbitratus est jungi posse duas periochas diversorum pontificum per lacunam mutilatas, quasi ad eamdem pertinerent; et consules successoris attribuit papæ decessori. Quare chronologiam utriusque subvertit. Id in Soteris, et Eleutheri periochis redditur manifestum. Post nomen, et epocham Soteris ita præservatam : *Soter ann.* 1 *m.* 3 *d...* 9 cum legeret, *Fuit temporibus. Antonini et.....*, eosdemque

Antoninum et Commodum legeret indicatos in fine lacunæ, in qua occultari non advertebat una cum fine periochæ Soteris etiam nomen, ac duos priores versus periochæ Eleutheri, qui Soteri successit, hujus consules.... *verum, et Herennianum* (hoc est *Severum, et Herennianum,* male ab ipso redditos *Verum, et Herennianum*) junxit priori parti præcedentis periochæ Soteris, quasi nulla lacuna interfuisset, et annos illius 9 a se recte numeratos, indicavit per paria consulum, annis 15 inter se dissita, quot Eleuthero contigerant, cui anni 15 illique consules debebantur, *a Severo et Hereniano* (Christi 171) *ad Maternum et Braduam* (Christi 185) ipsi male enuntiatos *Paternum et Braduam.* Scripsit igitur, dissimulata lacuna: *Soter annis* 9, *mens.* 3, *d.* 2. *Fuit temporibus Antonini et Commodi a consulatu Veri et Erenniani usque Paterno et Bradua;* cum scribere debuisset: Soter annis 9, mens. 3, d. 21. Fuit temporibus M. Antonini et *Commodi a consulatu Rustici et Aquilini usque Claro et Cethego.* — *Eleutherus annis* 15, *m.* 3, *d.* 5. *Fuit temporibus M.* Antonini et Commodi a consulatu Severi et Herenniani usque Materno et Baradua.

Idem observatur in vitiosa contractione duarum epocharum Victoris et Zephyrini. Apponuntur enim Victori, (cui annos 9, mens. 2, dies 19, attribuit, licet debeantur anni 12 et dies 10) paria consulum duplo majori spatio temporis inter se dissita, nempe a consulatu Saturnini et Galli (Christi 198) ad coss. Præsentem et Extricatum (Christi 217): qui consules, et quæ summa 18 annorum debentur Zephyrino, Victoris successori, per lacunam in membranis latenti: cum essent in lacuna primum restituendi consules, Victoris duodennium in illa olim signantes ex *Commodo V et Glabrione* (Christi 186) ad coss. *Lateranum et Rufinum* (Christi 197): ut in germanæ lectionis supplemento per sinistram columnam reposui.

At vetus ille descriptor catalogi, inosculatis temporibus, et consutis extremis laciniarum periochæ Pii et Aniceti, hic non subsistit. Implendum sibi esse viderat spatium adhuc vacans in Pio per quatuor circiter versus. Mutuatus igitur est ex apocrypho libro Constitutionum Clementis, vel aliunde historiolam, quam subdit, de libro Hermetis, et de angelo eidem apparente in habitu pastoris, præceptoque diei Paschalis, tanquam de gestis cum historia et officio pontificali connexis: non observans additamentum istud a se intrudi contra stylum auctoris Catalogi servatum in superioribus periochis, nihil tale admittentibus, et in proximis usque ad Pontianum, nihil tale pariter exhibentibus. Præterea videns nomina consulum Gallicani et Veteris recensita in Pii pontificis periochæ post ea verba, *Fuit temporibus Antonini,* putavit sibi licere eosdem consules adhibere ad implendam lacunam Hygini, in qua pariter legebantur similia verba, *Fuit temporibus Antonini:* ratus fortasse, perperam translatos fuisse ex priori sede ad implendam lacunam secundæ per vetustiores librarios, sive utrobique repetitos ab auctore Catalogi cum Antonino. *Rufini* vero consulis nomen, quod ad initium Pii pertinebat cum collega *Severo,* in detritione membranarum fortasse occultato, postremum esse duxit præcedentis Hygini: et pro collega *Severo,* qualem requirit annus 141 pontificatum Hygini claudens, substituit allerius *Rufini* collegam *Præsentem* qui indicat annum 153; *Clarum autem et Severum* consules, quorum vestigia superesse duxit in fragmentis dictionum *Clar... et. e...* (quæ *Clarum et Cethegum* indicabant), et quos videbat similiter attributos temporibus Antonini, pari facilitate revocandos esse duxit ad Pium decessorem, quasi negligentia librariorum suo loco dejectos, et super inductos lacunæ successoris.

Vix alia ratione opinari possumus contigisse, ut Liberiani catalogi textus in septem hisce pontificibus, a fine Telesphori ad initium Callisti interceptis, vitiaretur tot implexis translationibus nominum consularium, totque erroneis juncturis lacunarum; cum a B. Petro ad Telesphorum, et a Callisto ad Liberium, in quo definit, immunis ferme sit a translationibus et a lacunis.

Restituendam itaque duxi germanam lectionem hujus periochæ in catalogo Liberiano, ita suppleta lacuna: Pius annis 8, mens. 3, diebus 3. Fuit temporibus Antonini, a consulatu Rufini et *Quadrati, usque Orphito* et *Prisco.*

Annos 8, menses 3 et dies totidem pontificatus Romani Pio esse tribuendos post electionem, qua successor processit Hygini, comprobavi paulo ante in Notis chronologicis ad hanc sectionem, ex Catalogis vestustioribus Italiæ, collatis ad residuos numeros basilicæ S. Pauli. Consulatum *Rufini et Quadrati* anni 142, proximum a Severo et Priscino coss., qui claudunt tempus decessoris Hygini, deberi ejusdem sedis exordio, testantur consules anni 150 Gallicanus et Veter, post hoc de quo agimus octennium Pii recte signati ad ingressum successoris Aniceti omnibus in catalogis et codicibus, quos produxi tum in notis ad ejus numerum, tum in Prolegomenis sub finem. Iisdem testimoniis evincitur, postremos hujus Piani octennii consules esse *Orphitum et Priscum* anno 149, qui proxime antecedunt eosdem Gallicanum et Veterem, unde Aniceti successio juxta omnes codices et catalogos inchoatur.

ALTASERRÆ.

Linea 5. — *Ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.* Tempore Pii statutum, ut Pascha semper die Dominico celebraretur. Hoc tribuitur Pio can. *Nosse, de consecr.,* dist. 3. Tempore Victoris papæ vehemens orta est controversia de die Paschatis. Ecclesiis Asiæ diem Pascha celebrantibus quarto decimo die lunæ, exemplo Judæorum, cæteris Ecclesiis semper Pascha celebrantibus die Dominica etiamsi non incideret in eum diem: cujus dissidii causa Victor Ecclesias Asiæ submovit a communione. (Euseb., *Hist. eccl.*, lib. v, capit. 23, 24.) Et a Victore decretum ut Pascha semper celebraretur die Dominico, can. *Celebritatem, de consecr.,* dist 3, de quo Anastas. in Victore: *Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.*

BENCINI.

Linea 7. — *Hic constitutum de Ecclesia fecit.* Scriptores ævi, quando pontifex sedebat, utuntur voce *constituti,* qua indicabatur generale decretum. Vopiscus in Probo: *Miraris fortasse, quod ego imberbem tribunum fecerim contra constitutum divi Adriani.* Secundus tamen catalogus, et Liber Pontificalis eumdem exscribens, sicuti in Pio, ita in sequentium pontificum gestis recensendis, indefinite referunt a quolibet pontifice *constitutum de Ecclesia* publicatum, sed omittunt constituti materiam insinuare. Hinc ne in legendo cespitetur, constituti materia ex probabilioribus conjecturis assignanda. Pius itaque videtur decretum edidisse de Paschate, cum antecedenter dixisset: « *Sub hujus episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit angelus.... ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.* » Nisi dicatur, intelligi Pii decretum a Gratiano laudatum dist. 2, *de pœnitentia ejus, cujus negligentia de sanguine Domini aliquid stillat.*

Linea 14. — *Multos venientes ad fidem baptizavit in nomine Trinitatis.* Nempe ex Judaizantium sectis, quorum varii erant hæresiarchæ ex Hegesippo dicente, apud Euseb. l. iv, c 22: « Ex his etiam manarunt Menedriani, et Marcionitæ, et Carpocratiani, et Valentiniani, et Basilidiani, et Saturniliani, alique, qui seorsum singuli proprias opiniones induxerant. » Horum plurimi aut solo Christi nomine in-

vocato baptizabant, aut Trinitatis formulam pervertebant. De horum susceptione et baptismo loqui insinuant ejusdem Pontificalis Libri verba, aientis, Pium decrevisse *venientem ex Judæorum hæresi suscipi, et baptizari.* De hæresi ista Judaizantium perseverante etiam sæculo tertio loquitur Cyprianus in epistolica dissertatione de Baptismi Validitate collati sub sola Christi Domini expressione: in qua inter reliqua scribit epist. 73. « Non est autem quod aliquis ad circumveniendam Christianam veritatem, Christi nomen opponat, ut dicat: In nomine Jesu Christi ubicunque, quomodocunque baptizati, gratiam baptismi sunt consecuti. » Dictum pluribus refellit, et astruit necessitatem proferendi in forma baptismi nomen Trinitatis et ad rem: « Insinuat Trinitatem, cujus sacramento gentes baptizantur. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? nunquid eumdem asserit, quem et nos Patrem Creatorem? Nunquid eumdem unum Filium Christum de Maria Virgine natum: qui sermo caro factus est. » Theodoreti tempore Marcionitas nonnisi per baptismi receptionem admissos proprio exemplo ostendit in epistola data Constantinopolitanis (ep. 145): « Dudum adversus Marcionis tabe corruptos argumenta protuli, convictosque Dei beneficio plures decem millibus ad sanctissimum baptismo perduxi. »

BINII.

Linea 1. — *Pius.* Hygino non Pium, sed Anicetum in pontificatu successisse asserunt Optatus Milevitanus, lib. II contra Parmen.; Augustinus, ep. 165; Hieronymus, de Scriptoribus ecclesiast. Verior tamen, et magis recepta sententia est, Pium Aniceto pontifici anteponendum esse. Ita Eusebius in chron. Epiph., hæres. 27; Nicephor. Callist., lib. III, cap. 25; Hegesippus apud Euseb., lib. IV, c. 21; Irenæus, lib. III, c. 2 et 4; Tertull., lib. III contra Marcionem; Baron, anno Christi 158, n. 3.

Linea eadem. — *Frater Pastoris.* Hujus pontificis frater Pastor cognominatus est, vel quia fuerit de familia Junii Pastoris, qui anno tertio Aurelii imperatoris cum Papirio Æliano consulatum gessit; vel quia, quod probabilius est, angelus quo die Pascha celebrandum sit annuntians in habitu pastoris ei apparuit. Vide Tertull. lib. III, carm. contra Marcion. in fin.

Linea 4. — *In quo mandatum continetur.* Hoc mandatum nusquam apud librum Pastoris nunc exstantem reperitur.

Linea 6. — *Hic constituit hæreticum venientem ex Judæorum hæresi suscipi et baptizari.* Per Judæorum hæresim hoc loco intelligit Cerinthi sectam, sic dictam, quod præ cæteris Hebraicis ritibus observandis studebat. Vide Epiph. hæres. 28.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Monueram in notis chronologicis ad Hyginum, esse gradatim procedendum ad ordinanda et definienda tempora quatuor pontificum, ab Hygino ad Soterem se consequentium: quorum ordinem et epochas in exemplo Catalogi Vetustioris Liberiani ad nos cum lacunis perperam suppletis perduxerat descriptor sequioris ætatis. Easdem luculentius ostendere, ac germanæ lectionis supplemento implere conatus sum paulo ante in numero Aniceti: ubi etiam monui ordinem successionis deposcere, ut Pius Aniceto præponeretur, prout aliquot exemplaria hujus Libri Pontificalis præponunt. Verum ne præcedentes editiones Velseri et Fabrotti immutarem, satis esse duxi ad præservanda jura veræ chronologiæ et historiæ, apponere (ut illi providenter præstiterunt) nomini Aniceti numerum successionis 12 in numeri exordio; et numerum 11 successionis addere nomini Pii hujus numeri initio, male transpositi ad occupandam sedem 12. Pollicitus quoque sum in restitutione lectionis, quam puto germanam, catalogi Liberiani, per supplementa lacunarum, in singulis hisce pontificibus adductum iri a me singillatim documenta, comprobantia veritatem nostræ restitutionis ad eum pontificem pertinentis, de quo agitur in numero. Curavi jam in Aniceto. Id modo præstandum in Pio.

Ordinem successionis servandum jure diximus, qui Pium Aniceto præponit; cum Irenæus, et Hegesippus synchroni testes, et Romæ versati per illa tempora talem exhibeant. Irenæus legatione perfunctus Lugdunensis Ecclesiæ nomine ad Eleutherum papam, qui fuerat diaconus Aniceti, ordinem successionis hunc ipsum tradit. lib. III, cap. 3: « Telesphorus delectus est, qui præclare et generose martyrium subiit. Tum Hyginus deinde Pius, post Anicetus illo honore potiebatur. Soter Aniceto proxime succedit. Jam duodecimo loco ab apostolis Eleutherius ministerium obtinet. » Hegesippus, qui apud Anicetum se hospitem mansisse in Urbe memorat, dum diaconus Aniceti esset Eleutherus, signat apud Eusebium lib. IV, cap. 21, eamdem successionem, supra redditam ejusdem verbis in notis Schelestratii ad S. Hyginum. Prosper in Chronico, complures catalogi a Schelestratio ibidem recensiti n. 3, non sinunt hodie de hoc ordine dubitare.

Ordine stabilito, ita procedimus ad spatia temporum propria utique pontifici tribuenda. Concordia codicum integrorum in recensendis consulibus postremis ante Hygini pontificatum, nempe Cæsare II et Balbino, Christi 237, initium Hygini declarat sub coss. proximis 138, Nigro et Camerino, in textu Bibliothecarii signatis *Magno et Camerino,* ut supra legimus pag. 100, cui accomodavi lectionem Catalogi pag. 101 licet exprimendos censeam *Nigrum, et Camerinum,* ut in restitutione germanæ lectionis præstiti pag. 112 secutus antiquos lapides ita consignantes. Post annos 4 solidos Hygino assertos in ejus sectione ab Anastasio, et cæteris documentis, tam in Prolegomenis, quam in Notis, claudunt illius epocham, et annos successoris aperiunt *Severus, et Priscinus,* magistratum ineuntes anno 41, unde vicennium solidum numeratur ad duos Augustos consules anni 161, signantes in omnibus codicibus, et catalogis terminum illius pontificis, qui proxime præcessit Soterem, concordi suffragio eorumdem codicum et catalogorum initia sedis obtinentem sub proximis coss. Rustico et Aquilino anno 162. Vicennium igitur integrum ex anno 141 ad 161 certis documentis enumeratum dividere oportet duos inter pontifices, quorum prior habeatur Pius, Anicetus vero secundus, ex ordine successionis, idoneis testibus jam firmato. Quæstio igitur unica superest, quota pars hujus vicennii sit assignanda Pio, quota Aniceto. Descriptor antiquus catalogi Liberiani ab hac indagine se facile exemit, omisso Aniceto, cujus nomen lacuna obliteraverat, licet Irenæus et Hegesippus integrum præservaret, cum cæteris patribus, catalogis, chronologis, historicis, tantum pontificem, et Christi martyrem non oblitis. Nobis est indago temporis Pii confirmanda, licet in Aniceto satis probata videri possit.

Si picturæ S. Pauli epochas integras exhiberent sub imaginibus Pii et Aniceti, sola earumdem inspectio litem dirimeret. Verum Soteris quidem epocha (quæ subsequitur Anicetum) integra superest in renovatis a Nicolao III ad exemplum seriei Leonianæ, cujus numeri vetustate consumpti in Sotere jam exciderunt; et perspicue cernitur expressa annis 9, mens. 3, diebus 21, ut in serie pontificum Romanorum inter Prolegomena edidi. In sede autem proxima ante Soterem (quam referri jam diximus ad Anicetum) legitur in serie Leoniana superstes numerus annorum 11: mensium et dierum notas ab sumpsit ætas. Æra præcedens, quæ ad Pium pertinet, in Leonianis picturis absumpto numero annorum ac dierum, præservat integrum versum medium

cum indicio mensium trium ita signato M. III. D..... Ex his attamen reliquiis numerorum satis evidens testimonium accedit quatuor catalogis vetustioribus Italiæ : in quibus epochæ annorum 11 adduntur menses 4 et dies 3 ; alteri autem epochæ proximæ, complenti vicennium per annos 8 vel 9 adduntur quoque menses 3, ad imaginem Pii pertinentes in picturis ætatis Leonianæ : et exprimuntur etiam dies 3, uti diximus in Prolegomenis. Cum vero satis ostenderim, numeros illorum catalogorum Italiæ descriptos fuisse ex picturis basilicarum patriarchalium, quarum in Paulina partes supersunt, catalogi Italici gratiam hanc rependunt suis fontibus, hoc est picturis ætatis Leonianæ, ut subsidio sint ad supplendas earumdem lacunas. Quare illorum auctoritatem secuti, possumus jure tribuere Aniceto, qui Soterem proxime præcedit annos 11, menses 4, dies 3, et Pio qui Anicetum antecedit annos 8 vel 9. menses 3, dies 3 Dixi autem in Pio annos 8 vel 9 quia duo ex catalogis Italiæ octennium exhibent, duo reliqui hanc summam augent unitate. Nostrarum jam erit partium utriusque rationes componere cum consulibus assignatis, et duplicis hujus æræ Pianæ tum 8 annorum, tum 9, momenta ponderare.

Inter Prolegomena, in serie pontificum Romanorum, ubi collegi testimonia potiora quæ pertinent ad æram duorum istorum pontificum stabiliendam, plura observavi: primum, permutatas invicem fuisse in quibusdam catalogis epochas utriusque pontificis, occasionem præbente Optato Milevitano, dum Pium Aniceto postponit, quem Hegesippus et Irenæus testes synchroni præponebant ; secundo, catalogum vetustissimum ætatis Liberianæ hic mutilum et luxatum reticere quidem Anicetum, et Pio attribuere totum vicennium (librariorum ausu lacunas codicis imperite supplente), sed in exemplari Cæsareo ejusdem catalogi ubi lacuna in numeris hæsit, opportune exhiberi consules Gallicanum et Veterem, Aniceti exordio attributos. Hoc uno indicio satis instruimur ad utramque æram complendam. Si enim consules Gallicanus et Veter (seu Vetus, ut alii malunt) anni 150, signant exordium Aniceti, cui annos 11 solidos picturæ veteres, et codices perinde attribuunt ; necesse est successorem Soterem obtinere consules anni 162, Rusticum et Aquilinum. Eosdem vero obtinet in catalogis integris, perinde ac in cæteris codicibus enumeratis in Prolegomenis. Consequens igitur est ut octo paria consulum, quæ supersunt ex Severo et Priscino anno 141 claudentibus Hygini pontificatum, ad proxime memoratos Gallicanum et Veterem anni 150 aperientes sedem Aniceti, pertineant ad Pium ; cui propterea pontificatus annos 8, menses 3, diesque totidem assignabo ex catalogis, olim descriptis e picturis earumdem basilicarum : ubi nunc vestigia memorata istius epochæ in ternario mensium M. III, clare spectantur. Malui tamen folio 92 eosdem consules anni 141, Severum et Priscinum, postremos Hygini repetere in Pio, eique propterea ascribere cum catalogis Bergomensi et Farfensi annos 9, menses 3, dies 3, quia in exordio Pii Severum consulem recensent catalogi ætatis Liberii et Felicis quarti, necnon Bibliothecarius, licet collegam Clarum perperam tribuant, qui cum alio Severo e gente Claudia consul processit anno 146, et in pluribus antiquis inscriptionibus memoratur. Consueta librariorum incuria Severum consulem anni 141, collega Priscino, permutavit in Severum consulem anni 146, collega Ebucio Claro. Quare consulibus ita restitutis, etiam ex indicio consulum proxime præcedentium in fine Hygini, et ex annorum summa Pio et Aniceto pontificibus contingenti usque ad initium Soteris, possumus jam facilius assequi mensium quoque ac dierum rationes, eorumdem sedi respondentes. Dies utriusque martyrii ecclesiasticis in tabulis consignati hanc etiam, ut spero, manifestabunt et componet ni fallor, differentiam octennii, ac novennii promiscue attributi a diversis catalogis eidem Pio.

Martyrium Pii consignant Romanæ Ecclesiæ tabularia, suffragantibus Beda. Usuardo, Adone, aliisque Martyrologiis die 11 Julii ; Aniceti vero coronam eadem testimonia referunt ad diem 17 Aprilis. Si Aniceti beatus exitus contigit anno 162 (uti ex successoris Soteris initio constat, signato consulibus anni 162 Rustico et Aquilino) ; et si epocha annorum 11 in picturis, et in catalogis superstes numerat etiam menses 4 ac dies 3 ejusdem episcopatus, quot illi assignantur in catalogo Felicis 4 retrocedendo per annos 11, mens. 4 et dies 3 ejusdem episcopatus, pervenitur ad diem 15 Decembris anni 149, quæ cum sit Dominica (eo anno sibi vindicante litteram Dominicalem F), apta invenitur ejusdem ordinationi ad episcopatum, sive adhiberetur vicarius Pio, vitam adhuc producenti ad mensem Julium subsequentis anni 150, sive destinaretur episcopus Ecclesiæ alicui recenter fundatæ ; nam et hanc vicarii muneris ad tempus conferendi causam exemplo apostolorum adhibitam placuisse prioribus illis Romanis pontificibus fateri oportet. Cum scilicet episcopos per diversa loca ordinare, et hinc dimittere ipsis necesse foret, prout fundatio novorum episcopatuum requirebat, non est a ratione alienum credere ipsos voluisse, etiam nulla persecutione Ecclesiam turbante, exercere presbyteros ordinandos, aut recens ordinatos episcopos tantisper detinere et occupare administratione vicaria episcopatus Urbani, quasi formandos experimento, antequam eosdem dimitterent ad sedes ipsis destinatas. Hoc autem tyrocinii tempore, ut ita dicam, si contingeret Romanum pontificem vita excedere, et cleri Urbani suffragiis eumdem qui vicarius fuerat eligi successorem, utpote in ministerio pontificali probatum in primis idoneum, is ad universalis Ecclesiæ regimen vocatus, poterat ad Ecclesiam sibi decretam, et nondum aditam, alterum subrogare, cum ad hanc Romanam promotus, in qua est omnium sollicitudo conjuncta, non penitus eam derelinqueret, cui regendæ fuerat destinatus. Verum hæc obiter.

Ordinatio igitur Aniceti ad episcopatum die Dominica 15 Decembris anno 149 commensum habet exactum cum summa annorum 10, mens. 4, et dierum 3 illi attributa in catalogo Felicis quarti (nam in Liberiano desideratur, lacuna obtinente initium periochæ Aniceti, et amanuensi confundente et constante in unum Pii pontificatum utriusque communis vicennii partes) : et resultat etiam ex picturis basilicæ S. Pauli, suppletis per catalogos, inde excerptos, Farfensem et Cavensem, et collatis cum die martyrii 17 Aprilis, signata in Tabulis Romanæ Ecclesiæ et in Martyrologiis indicatis.

Par erit ratio commensus annorum 8, mensium 3, ac dierum totidem, Pio assignatorum per catalogos Farfensem et Bergomensem, respondentes residuis numeris basilicæ sancti Pauli, unde antiquitus exceptos fuisse collegimus. Nam ex die 11, Julii anni 130 ejus natali sacra, si recedamus in anteriora per annos novem solidos, menses tres, et dies tres, cadet numerationis terminus, inclusis extremis, in diem 9 Aprilis anni 141, Severo et Priscino consulibus, qui postremi assignantur Hygino decessori. Pascha illius anni 141 incidit in diem sequentem 19 Aprilis : quæ illius ordinatione episcopali insignita fuerit, licet videatur referri ex numero unitate abundanti ad vigilias diei præcedentis.

At Hyginus, inquies, vitam produxit ad diem 11 Januarii anni sequentis 142, ut paulo ante statuimus in notis chronologicis ad ejus epocham : cum ei tribuatur Paschale tempus, et consulatus supremus Severi et Priscini, anno 141. Hoc ipsum assero in causa fuisse, ut iidem consules, idemque Paschale tempus utrique assignetur : Hygino quidem Pascha co-

lebranti sui pontificatus postremum sub iisdem consulibus : Pio autem ducenti epocham suæ ordinationis episcopalis ex Paschali die in eodem consulatu. Quare conciliantur invicem universa illa documenta genuina ex archivis Romanæ Ecclesiæ, præservata tum in catalogis et codicibus integris, tum in reliquiis superstitibus picturarum, tum in ephemeridibus Martyrologii, ac in diptychis suarum Ecclesiarum, si tempora Pii et Aniceti ita distinguantur per annos, menses ac dies, uti recensendum insinuant utrique codices, tam qui octennium, quam qui novennium solidum assignant epochæ Pii.

Pius anno Christi 141, Severo et Priscino consulibus, ordinatur episcopus vicarius Hygini, die 10 Aprilis Dominica Paschæ.

Anno sequenti 142, Rufino et Quadrato consulibus, martyrio coronatur Hyginus die 11 Januarii. Intra mensem tertium ab ejusdem obitu eligitur Romanus pontifex Pius, et in Romana sede collocatur, die Dominica 9 Aprilis ejusdem anni 142.

Anno 149 Pius ordinat episcopum adjutorem, seu vicarium Anicetum die Dominica 15 Decembris, Orphito et Prisco consulibus.

Anno 150 Pius martyrio coronatur die 11 Julii. Vetere et Gallicano consulibus.

Ab ordinatione episcopali ad diem martyrii S. Pius numerat annos 9, menses 3 ac dies 3, quot illi assignantur in catalogis Bergomensi et Farfensi.

A successione autem, qua consequitur decessorem Hyginum, obtinet annos 8, menses 3, d. 3 in Cavensi et in Lucensi catalogo, et in Belgico Papebrochii assignatos ad complementum vicennii, dividendi inter Pium et Anicetum ; cum iidem catalogi alteri ex his attribuant 11 annos, menses 4 et dies 3 ; alteri annos 8, menses 3 et dies totidem.

Anicetus ordinatur episcopus adjutor, seu vicarius Pii die Dominica 15 Decembris, Orphito et Prisco coss., Christi anno 149.

Anno 150, Vetere et Gallicano consulibus, qui primi eidem assignantur in catalogo vetustiori (ubi postremi quoque recensentur in verbis *usque duobus Augustis),* biduo post obitum Pii electus a clero Romano, pontificatum assumit, die Dominica 13 Julii. Vide notas chronologicas ad Hyginum et ad Anicetum.

Anno 161 martyrium consummat die 17 Aprilis. Quare consules anni 161 duo Augusti fratres Marcus Aurelius et L. Verus ipsi assignantur tanquam postremi, claudentes spatium annorum 11 Aniceto attributum cum mensibus 3 ac diebus totidem, ut in notis chronologicis ad ejus numerum paulo ante statuebatur.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ

Linea 1. — *Frater Pastoris.* Linea 3. — *Sub hujus episcopatu Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit angelus Domini cum veniret ad eum in habitu pastoris, et præcepit ei ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.* Cardinalis Baronius ad annum 159, n. 12, merito observat librum apud antiquos celebrem, qui Hermæ, sive Hermetis Pastor inscribitur et producitur ab Irenæo, Origene, Clemente Alexandrino, Tertulliano, aliisque Patribus, versus deinde a Rufino, et nostra ætate Græce ac Latine editus a Cotelerio, censendum esse plane diversum ab hoc Hermæ commentario, qui sedente Pio scriptus fuit : cum in priori illo nuspiam appareat præceptum angeli de celebrando Paschate die Dominico : et cæteroqui communis sententia sit ab eodem Baronio validissimis rationibus comprobata, quæ refert ad apostolos primam constitutionem Paschatis die Dominica celebrandi : licet Asianis nonnullis diversam consuetudinem obtendentibus (de qua supra satis egimus in notis historicis ad Telesphorum) occurrendum fuerit circa finem secundi sæculi decreto Victoris primam illam constitutionem firmatis, ut in ejusdem numero dicetur. Auctorem primi illius libri putat Hermam, sive Hermetem, ab apostolo Paulo memoratum in Epistola ad Romanos cap. XVI, vers. 14 ; cum ad Clementis pontificatum referri videatur. Alium vero Hermetem fuisse, Pio papa Ecclesiam regente, qui scripserit mandatum angeli, pastoris specie apparentis, de celebrando Paschatis festo Dominica die Bibliothecarius ex Catalogo secundo desumpsit : catalogus secundus ab antiquiori catalogo ætate Liberii : catalogi vero hujus descriptor potius quam scriptor primus videtur adjecisse hanc narrationem, acceptam vel ex libro apocrypho constitutionum Clementis, vel ex Actis infra indicandis, ad implendam lacunam, ut paulo ante prodideram in notis chronologicis, tum ad numerum Anastasii, tum ad catalogum. Cotelerius expungendam illam judicat tanquam commentum, et eximendam, licet a carminibus poetæ latentis sub nomine Tertulliani, tum a Beda, Adone, aliisque memoretur. Litem non movebo de veritate libri hujus *Hermetis secundi,* ad ætatem Pii pertinentis, aut de visione et mandato angeli : quam litem judico minime necessariam ad historiam pontificiam, aut decreti Paschalis, Victoris ætate minime dubii. Satis est adnotasse Bibliothecarium, in producenda hac narratione secutum fuisse auctoritatem duplicis catalogi vetustioris, tum integri sub Felice quarto, tum interpolati in lacunis Liberianis, et fortasse auctorem Vitæ et Actorum S. Prudentianæ virginis, de quo paulo infra dicendum erit. Iidem catalogi vocant Hermetem illum *Fratrem Pii,* ad quem Baronius refert (anno 159, n. 8) libellum de gestis sanctæ Praxedis virginis ipsiusque fratrum, ut putat, Navati ac Timothei : quos alii excludunt a gentilitia stirpe tum Pii, tum Praxedis. Post hujusmodi virorum sententias quid observaverim ex antiquis monimentis istius ætatis, non erit absonum hic memorare : ut his quoque inspectis, lectoris animus instructior sit ad eligendam eam quæ probabilior illi visa fuerit sententiam.

Hac igitur ætate comperio, *Hermæ et Hermetis* cognomen satis frequens assumptum tum a Romanis civibus, tum ab eorumdem libertis. Ut enim omittam duos a Paulo apostolo nominatos eodem versiculo 14, cap. XVI Epistolæ ad Romanos *Herman, et Hermen, et Hermetem* præfectum sive Urbi, sive legioni, aut copiis militaribus, Balbinæ patrem, de quo supra pag. 82, in notis hist. ad S. Alexandrum, quatuor hic memorabo ex inscriptionibus istius ætatis de qua agimus, pertinentes ad gentem Corneliam : ad quam Pudentem quoque referri, hospitem apostolorum in vico Patricio, ejusque vel filias, vel neptes Praxedem et Pudentianam (quarum domi ecclesiam Pius consecravit hoc in numero memoratam) probabile admodum esse dixi, quod hic confirmandum promisi. Tres itaque L. Cornelios Lucii libertos exhibet marmor Capitolinum inter vicomagistros Urbis incisum, L. Ceionio Commodo Sex. Vetuleno Civica Pompeiano cos., quorum postremus cognomento Hermes magisterium exercuit in vico Censoris regione 14, apud Gruterum fol. 251, et pertinet ad annum Christi 146. Lucium Cornelium Hermetem, et C. Cornelium Hermetem nominat alia marmorea inscriptio, tres ante annos egesta ante portam Capenam prope arcum Claudii : quam eo lubentius hic proferam, quo evidentius testimonium continet ætatis, de qua nunc agimus, pontificatus Pii per consulatum anni 141 Ser. Salvidieni Orfiti cui collegam tribuit M. Peducaeum Priscinum, indicatum etiam in pluribus figlinis a Fabretto editis; licet inscriptio apud Gruterum pag. 182, n. 4, collegam illi Priscino tribuat T. Hoenium Severum, fortasse suffectum. Inscriptio talis est :

LENTVLO. ET CORVINO
MESSALA. COS.
QVI HOC MONIMENTVM AEDIFICAVERVNT CUM VSTRINA
L. MAELIVS. PAPIA. ET. MAELLA. HILARA. ET. PROCIVS. SVRVS. ET. M. CAESENNIVS. ET. FVRIVS
EVCCONIVS. HOC. MONIMENTVM. LIBERTIS. LIBERTABVS. VT. DE. NOMINE. NON. EXEAT
ITA. QVI. TESTAMENTO SCRIPTI FVERINT
SER. SALVIDIENO. ORFITO. M. PEDVCAEO. PRISCINO. COS.
IS LIBERTI LIBERTORVM. AD. QVOS EA. RES. PERTINEBAT. HOC MONIMENTVM. NEGLEGENTIAE
CVRATVM. POST. MVLTIS. ANNIS. RESTITERVNT LOLLIA. APRILIS. EMIT. DE. L. CORNELIO
L. MAELIVS. SUCCESSUS. LICTOR. DECV HERMETE. PORTIONE. EJUS
L. MAELIVS. VITALIS * RIALIS P. CORNELIVS. HERMES. ADL.
L. FVRIVS JANVARIVS. M. LOLLIVS. EST MAELIA SYNTYCHE
L. OFILLIVS. AGATHO. ADL. CHVS. EMIT. DE ROCIA FORTVNATA
TI. CLAVDIVS. POLLIO. ADL. L. MAELIO SVC ACILIA SATVRNINA
CESSO. PORTIONE EIVS MANLIA RESTITVTA
L. FLAVIO. SILVANO. POLLIONE, VERRVCOSO COS. ARIA. EMPTA. DE. L. OCTAVIO
SPENDONTE. QVAE EST. CONTRA EVM MONIMENTVM. QVAE APPELLATVR. VETVRIANA. ET
CAECILIANA. LONGA. P. XXXII. IN AGRO. P. XXIII. S. L. MAELIVS. SVCCESSVS QVI CVM ALIA
SYNTYCHEN. MATRE SVA. SEMISSE. PORTIONEM. HABEBAT. HVIVS. ARIAE. PERAEQVAVIT
CVM SOCIIS SVIS VT OMNIBVS COMMVNIS SET. HIS. QVI. S. S. S. LIBERTIS. LIBERTABVSQ
POSTERISQ EORVM. ITA QUI TESTAMENTO SCRIPTI FVERINT.

us Cornelius Hermes portionem hujus moni- A tum via Triumphali et Cornelia apud S. Petrum pa-
ad se pertinentem vendidit Lolliæ Aprili. Et tuisse primis pontificibus Romanis ac fidelibus, et
is Cornelius Hermes recensetur inter allectos martyribus cœmeteria in fundis *Corneliæ* gentis exca-
pes jurium ejusdem monimenti ; quod proxi- vata ita mihi persuasum est, ut hoc etiam nomine
uisse intelligimus Corneliorum sepulcris, via putem tribui B. Cornelio papæ (infra num. 22) quod
inter primum ac secundum ab Urbe lapidem reportari curaverit corpus apostolorum principis ad
atis a Cicerone, ut supra dixeram ex in- cœmeterium Vaticanum ex catacumbis cœmeterii
æreæ *Cæcilianæ* huic monimento acqui- Callisti, ubi aliquando jacuerat. Si enim, utriusque
Nam et Cæciliorum sepulcra, et fundos fundi proprietas vel ad eumdem Cornelium papam,
areæ nomen) circa secundum ab Urbe la- vel ad agnatos gentis suæ pertineret, poterat istutius
via Appia fuisse testatur sepulcrum Cæci- ossa legere beatissimi decessoris, in inferre, seu resti-
etellæ Q. Cæcilii Cretici filiæ hodie super- tuere conditorio cui maluisset. Cum inviolabilis ho-
t cœmeterium S. Cæciliæ ac suorum, pars spitii jura considero, tam sancte a divino præceptore
ui Callisti etiam dicitur ad S. Sebastianum, suis apostolis commendata, dum juberet, ut semel re-
conjectura non rejicienda esse videtur, quæ in cepti transire nollent de domo in domum, sed in ea-
iorum fundis prima Christianorum cœmeteria dem domo manerent (*Luc*, x) a S. Ambrosio ita diligen-
indicat : ut ii qui viventibus apostolis hospi- ter expensa lib. VI in cap. IX et X Lucæ, quæ nobis Ec-
i Urbe aperuerant ad vicum Patritium, et pro- clesia quotannis legenda tradit intra hebdomadam
um *Corneliorum*, in domo Pudentis, seu titulo Pentecostes ; et expendo officiorum genus omne a pri-
entianæ, et Pastoris, ubi vetus inscriptio as- mis fidelibus erga apostolos exercitum, facultates eo-
ur *Corneliæ* Pudentianetis supra edita fol. 11, B rum pedibus oblatas, Cornelium centurionem iisdem
mortuis conditorium, ac cœmeterium parave- pedibus advolutum, et rogantem cum omnibus do-
n fundis domesticis. Quare et cæmeterium mesticis suis, ut apud se Petrus maneret dum Cæsareæ
llæ via Salaria non est ab hoc censu eximen- versaretur ; ac Pudentis domum, et vicum Patricium,
cum Priscilla mater Pudentis fuerit Vide et Corneliorum Romæ similiter habitum apostolorum,
um ad ann. 44, num. 61 et ad 59, num. 18, hospitium, et seminarium, ut ita dicam, priorum pon-
). 8, et Aringhium Romæ subterr. tom. II, tificum, sicuti Cleto Æmiliani filio devico Patricio Cor-
. cap. 28, et Acta ibidem producta) ejus qui neliæ gentis agnationem non deesse indicavi pag. 36,
ntonino vixit ; et via Salaria in suo cœmete- cui Clementis domum, et originem satis proximam ibi
ndiderit Pudentiana Praxedem sororem apud indicabam ; cum hæc inquam universa considero, et
i Pudentem multo antequam alia Priscilla ter- comparo cum Justini hospitio prope Thermas Novati,
risti sæculo, rogatu beati Marcelli papæ, aliud hoc est Pudentis, et *Corneliorum*, et cum monimentis
erium Priscillæ pariter dictum eadem via Sa- eorumdem *Corneliorum* prope antiquiora fidelium
Christianis aperiret. Quin etiam Vaticanas cœmeteria ; temperare vix possum, quin concludam,
s, ac cœmeterium, ubi S. Petrus, et proximi primitias gentium in *Cornelio* Centurione dedicatas,
pontifices primum reconditi fundamenta hujus et addictas vicario Christi Petro excipiendo tum
æ jecerunt, a *Corneliorum* fundis non distare Cæsare, tum Romæ, tam sancta hospitii jura cum
dum est, non modo quia Corneliæ portæ, ac ipso, et successoribus contraxisse, ut ne mortui qui-
jacent (ut in notis ad descriptionem topogra- C dem hospitis hanc tesseram hospitalem obliti fuerint:
n cœmeteriorum SS. martyrum prope Urbem præsertim cum Petrus sponderet fidelibus in secunda
'rolegomena observabam), sed etiam quia me- Epistola, paulo ante martyrium suum in Urbe data, se
t antiquarii, præter sepulcra Corneliorum via operam daturum ut frequenter haberet etiam post
inter primum ac secundum lapidem a Tullio obitum suum eos, quos adeo impense in Christo di-
'ata, spectatum quoque fuisse non longe a lexerat tabernaculo corporis nondum deposito. Præ-
a Vaticana alterum sepulcrum Corneliæ gen- ter hæc judicia constantis officii et hospitalis a *Cor-
er molem Adriani et basilicam : quod su- neliæ* gentis viris exercitæ tum in Palæstina, tum in Ur-
t ad S. Mariæ Transpontinæ antequam ab be erga principem apostolorum et primos fideles, non-
o papa VI diueretur (ut plures antiquarii nihil adjuvant conjecturam etiam cognomina Hermetis,
Vardinum memorant lib. VII, cap. 13, pag. 491 et Hermæ, perinde frequentia primo, ac secundo sæcu-
ditionis) excitatum in morem pyramidis tan- lo in Corneliorum gente, ac in Romanis fidelibus, præ-
gnificentia, ut ab aliquibus vulgo haberetur sertim in cognatione conjunctis cum pontificibus in
pulcro Africani : de quo tamen constat ex M. Urbe natis. Indicant enim ea cognomenta non semel
conditum eum fuisse in priori illo *Corneliorum* communicata consanguineis, vel clientibus, aut ho-
pia, ubi et Ennium poetam recipi jusserat ho- spitibus, aut libertis, quamdam necessitudinis con-
causa. Quare tum via Appia ad S. Sebastianum, junctionem, ut pridem adnotarunt tum antiquarii,

tum historici. Videndus ea de re card. Baronius ad annum 35, num. 10, et seqq., imo S. Hieronymus, ita statuens de cognomine Pauli ab Apostolo gentium assumpto, posteaquam Evangelium annuntiaverat proconsuli Sergio Paulo, quemadmodum etiam nomina gentilitia benevolentiæ causa videmus communicata ab ipsis imperatoribus eadem ferme ætate : nam Titus Josephum Judæorum historicum, quem bello cœperat Hierosolymitano, Flavii nomine decoravit, ut ipse narrat in libro de vita sua. Hermetis igitur nomen si per catalogos tribuitur eidem fratri Pii papæ, quem Pastorem quoque appellatum ferunt, et Presbyterum tituli Pudentis et Pudentianæ a Pio dedicati in Thermis Novati vico Patricio, tot indiciis referto gentis Corneliæ, potuit indicationem ostendere hospitalis benevolentiæ, et officii ejusdem gentis erga pontificem dedicantem, ejusque agnatos et affines. Verum de his satis; cum hæc quæ Bibliothecarius enuntiat de Hermetis libro, et de agnationis nexu cum Pio, in Liberiano catalogo minime scripta videantur ab auctore, sed lacunæ superinducta ab ætatis sequioris amanuensi, et probabili admodum conjectura petita fuerint, vel ab apocrypho libro Constitutiouum apostolicarum Clementi asserto, vel a documentis non indicatis in Catalogo Liberiano, aut in Vellciano aut in Libro Pontificali.

Linea 10 et 13. — *Hic ex rogatu beatæ Praxedis dedicavit ecclesiam Thermas Novati in vico Patricio, in honorem sororis suæ sanctæ Potentianæ*, etc. *Imo et fontem baptismi*, etc. Complura documenta dedicationis istius tituli ante reliquos hoc honore donati legimus apud Baronium et Panvinium. Hic in opusculo de septem Urbis ecclesiis, ille in Annalibus ad annum 159 et 162, recensuerunt tum ex codicibus, tum ex monimentis in titulo ipso conspicuis, inscriptionum, musivorum, et picturarum complura testimonia: Ex codicibus cardinalis Baronius selegit epistolas ultro citroque datas, tum a pontifice Pio ad Justinum Viennensem, tum a Pastore presbytero ad Timotheum collegam, hujusque responsa. Verum in litteris ad Justum Viennensem, licet ab archivo Ecclesiæ Viennensis dicantur subministratæ, et a Binio editæ fuerint cum conciliis, et a card. Bona indicatæ Rerum liturgicarum lib. I, cap. 3, hodie produci difficulter possunt tanquam germanæ ; cum in illis Pius inducatur memorans inter Romanæ Ecclesiæ presbyteros Eleutherium, qui sub Aniceto Pii successore diaconi officio fungebatur, teste Hegesippo, ejusdem Aniceti hospite in urbe Roma. Ab hac nota dissensionis ab historia Hegesippi habentur immunes epistolæ Pastoris ad Timotheum, et Timothei ad Pastorem, relatæ a card. Baronio ad annum 159, quæ continentur in Actis seu in Vita SS. virginum Praxedis et Pudentianæ, vetustis in exemplaribus membranaceis custodita non uno ab archivo. Quin etiam in codice hujusmodi asservato in basilica Liberiana, præfatio, ab Auctore Vitæ præmissa, indicat collectam fuisse a genuinis documentis. Asserit enim, se dubitantem num Vitas prædictarum virginum scribendas susciperet, quas a venerabili viro Pastore presbytero acceperat editas, et viderat circumferri, confirmatum fuisse in consilio scribendi, propterea quod deprehendisset, lucubrationem Vitarum ejusmodi, quæ Pastoris nomine vulgata fuerat, contextam fuisse posteriori ætate : ut ostendebat exordium, desumptum ex prologo Passionis sancti Chrysogoni. Quare cum auctor iste accuratum se ostenderit in collatione, et comparatione documentorum, unde suam colligebat historiam, non temere rejiciendus est inter sublestæ fidei scriptores, aut alienæ imposturæ asseclas ; nisi certa contra rerum gestarum fidem demonstretur assertio. Quam is vero sibi constans, et veracibus documentis consona habita sint Acta illa, seu Vitæ tum a priscis scriptoribus, tum a recentibus, colligi potest ex iis quæ Florentinius exhibuit ad vetus Martyrologium Kal. Augusti Exercit. II observans eadem Acta secutos Adonem, Notkerum, Petrum de Natalibus, et in compendium redegisse * quorum et ipse producit numerum integrum pagin. 703, quam nec apud Surium prostare, nec alibi a se visam memorat. Legitur autem in nostro etiam codice Liberiano iisdem sententiis expressa, sed verbis paulo diversis, ut plane constet, Florentinii exemplar reddere Acta, quæ nomine Pastoris edita circumferebantur, nostrum vero Liberianum exprimere acta ab anonymo illo conscripta, qui Pastori ascriptam lucubrationem contulerat cum textu passionis sancti Chrysogoni, unde procemium desumptum fuisse compererat. Dabo igitur numerum illum ex nostro exemplari Liberiano ita interpunctum :

Gloriosæ itaque virgines Praxedes et Pudentiana post patris obitum in domo propria commanentes, piisque operibus studiose, ac sollicite insistentes, cœperunt omne patrimonium suum vendere et Christi pauperibus erogare. Et communicato cum viro Dei Pastore consilio, hoc Christi virgines statuerunt, ut fontem in titulo supradicto construerunt, in quo adveniente solemnitate Paschali, quotquot in communi familia gentiles essent per ministros Catholicæ Fidei fierent Christiani. Quod cum sancto Pio primæ sedis episcopo retulissent, magno gavisus est gaudio, adeo ut non solum hoc fieri hortaretur, verum etiam eumdem fontem suis ipse manibus designaret. Quo Deo auxiliante perfecto, convocaverunt sanctæ virgines Praxedes et Pudentiana suam familiam universam tam de Urbe quam de suburbanis possessionibus, quæ sibi a parentibus relictæ fuerant etc. et in die sancto Paschæ baptizati sunt promiscui sexus numero nonaginta sex in titulo supradicto.

His autem tali ordine consummatis, cœperunt Christiani agere in eodem titulo solemnes celebresque conventus, et ibidem ymnis, ac laudibus vacare diebus, ac noctibus, ita ut magna multitudo gentilium eorum ritu delectata, legibus, et superstitionibus patriis derelictis, ad fidem se converteret Christi. Super qua re facta est suggestio ab ethnicis Antonino Vero, quem scilicet Antoninus Pius vicesimo secundo imperii sui anno moriens, successorem reliquerat. Qui mox tale contra Christianos promulgavit edictum, ut eis sufficeret in suis habitaculis vivere, nulla communione sæculi hominibus jungerentur, nulla eis esset emendi, vel vendendi licentia, neque thermis publicis uterentur, sed sola essent habitatione contenti, etc.

Prosequitur narrans, post annum alterum ac dimidium beatam Pudentianam virginem Christi migrasse ad Dominum, ejusque corpus primum domi curatam in eodem titulo per dies 28, deinde sepultum in cœmeterio Priscillæ apud patrem suum Pudentem, via Salaria. Ad hæc Praxedes in titulo, frequens orabat cum B. pontifice Pio, ac Novato, viro illustri, et germano Timothei presbyteri Romani. Contigit Novatum intra biennium vita fungii, ac bonorum suorum hæredem scribere fratrem suum Timotheum, et virginem Praxedem : quorum assensu communi oblatæ Timothei thermæ cesserunt in titulum, memoria Praxedis ornatum, et dedicatum ab eodem pontifice.

Et rogavit beatum Pium episcopum (virgo Praxedes) *ut thermas Novati, quæ jam in usu non erant, ecclesiam dedicaret*, etc. *et placuit sancto Pio episcopo, et dedicavit ecclesiam Thermas Novati, in nomine beatæ Praxedis virginis, quam et titulum constituit in urbe Roma, in vico qui appellatur Lavica. In quo et baptisterium consecravit sub die tertio Idus Maias. Quo etiam tempore constituit beatus Pius episcopus, ut sanctum Pascha die tantum Dominico celebraretur, cum usque ad tempus illud a plerisque aliis celebraretur diebus. Eo autem gubernante Ecclesiam, Hermes librum conscripsit in quo continetur, quod angelus Domini sibi in habitu pastoris apparuit, præcipiens quod omnibus divulgaret, ut deinceps Pascha die tantum Dominico celebraretur. Post menses autem duos obiit beatus Pius, et sepultus est in Vaticano, juxta corpus beati Petri apostoli quinto Idus*

Julias, cum gubernasset Ecclesiam annis undecim, mensibus quatuor, diebus viginti uno.

Recte igitur colligit Florentinius ex hac narratione, aliisque antea præmissis in notis ad numeros beati Petri et Lini, hospitium principis apostolorum apud Pudentem, et in proxima crepidine collis Exquilini, mansione equitum Prætorianorum, fuisse in causa ut primi Romanæ Ecclesiæ tituli hic dedicarentur, et post incendia aut eversiones, et persecutiones ibidem repararentur, ubi præsentia apostolorum Petri et Pauli jecerat auspicato fundamenta Urbis sacerdotalis. Observare etiam possumus, ordinem gestorum hinc talem colligi : ut primo Pudentis domus, quæ Petrum sub Caio et Claudio exceperat, circa postremum utriusque apostoli adventum in Urbem, Christianorum conventui dicata fuerit : mox in divisione titulorum, mandato apostolorum principis ab Evaristo peracta, tituli Romani honore sit decorata : tum etiam amplioribus spatiis adaucta, et fontis baptismi accessione et consecratione nobilitata, quando sub Pio offerentibus sanctis virginibus Pudentiana et Praxede ad solemniorem illius sacramenti ritum in Paschate peragendum, qui paulo ante constitutus a Telesphoro in praxim deducebatur, 96 domesticis virginum accedentibus ad Christi gratiam in sacro fonte percipiendam. Subinde Novato ad Deum recepto Timothei quoque thermas ad similem usum oblatas (fortasse, ut in uno fonte mulieres, in alio viri separatim in aquam descenderent baptizandi) alterius tituli proximi beatæ Praxedis nomine ibidem aperiendi, ac dedicandi occasionem præbuisse, post primam illam dedicationem tituli ac fontis antiquioris in domo Pudentis nomine Pudentianæ virginis, seu Pastoris presbyteri nuncupati.

Unum est, quod in Actis emendandum censeo ; pertinet autem ad chronologiam. Video auctorem Istius Vitæ, qui profitetur in præfatione se ad scribendum serius contulisse post acta martyris Chrysogoni vulgata (qui fuerat Christi confessor cum martyre Anastasia initio quarti seculi) occasionem turbandæ chronologiæ arripere ex nomine Antonini Veri, hoc est Marci Aurelii, quod substituit loco Antonini Pii tunc imperantis, et L. Verum filium Ælii Veri cum Marco Aurelio uxoris suæ fratris filio pariter adoptato in familiam (qui et Verus dictus est, et tribunitiæ potestatis annos 15 cum patre Cæsar exegit), ad successionem imperii allegendis. Neque enim aliter Pii pontificis ætas ac gesta cum hisce Antoninis convenirent : cum supra ostenderim, beatum Pium ex consulibus Rufino et Quadrato anni 142 ad annum solidum 149, Orfito et Prisco coss. pontificem Romanum fuisse ; Antoninus vero Pius Adriano decedenti successerit anno 138, Camerino et Nigro coss., et moriens anno 161, duos adoptivos filios Marcum et Lucium Verum ejusdem anni consules habuerit successores, cum annum quartum, et vicesimum tribunitiæ potestatis inchoasset in nummis signatum, et imperii tertium ac vigesimum age.et : ut proinde in vigesemo secundo vitiata non cesserit. Confirmavit auctorem Vitæ in vitiata chronologia permutatio epocharum inter duos pontifices Pium et Anicetum, ab Optato Milevitano inducta, quam ipse sequitur, cum annos 11, menses 4, dies 20 tribuat Pio, quos ostendi pertinere ad Anicetum successorem, juxta ordinem ab Irenæo et Hegesippo æqualibus scriptoribus traditum.

Temporum serie ita restituta, consequitur ut Pius papa cum vita cederet anno 150 (Antonino imperatore nonum imperii sui annum agente, et Cæsare Marco Aurelio Vero tribunitiæ potestatis annum 5 inchoante), bimestri spatio a dedicatione tituli sanctæ Praxedis, ac Thermarum Novati, ut acta ista recensent ; per octo annos antecedentes quibus in pontificatu vixit, potuerit, et fontem, et titulum sanctæ Pudentianæ consecrare ante Pascha anni 145 (Adriano jam septennio prius vita functo ad d. VI Idus Junii, dum proxime completurus sui regiminis annum 21, Antonino Pio Marci, et Lucii Veri parenti adoptivo imperium reliquit) ut eadem acta significant, quæ annos quinque numerant a dedicatione tituli, et fontis S. Pudentianæ ad dedicationem thermarum Timothei, et obitum Pii papæ I. Pacata enim tempora Antonini Pii felicem illum Ecclesiæ statum in Urbem, et in provincias intulerant, quem Justinus martyr æqualis eorumdem temporum, et proximus ab eo Tertullianus in Apolog. c. 6, et Lucius Cæcilius in libro de Mortibus persecutorum meritis laudibus prosequuntur, dum narrant Ecclesiam ita restitutam floridius enituisse, « ut manus suas in orientem, occidentemque porrexerit ; ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quem religio Dei non penetrasset. »

Biennio post mortem beati Pii acta recensita commemorant virginis Praxedis migrationem e vita : quæ proinde inciderit in annum æræ Christianæ 152. In hunc annum ab Actis indicatum si referatur, non est cur miremur, patrem illius Pudentem potuisse a Paulo apostolo baptizari, et Petrum domi suæ hospitem habere. Nam Quadratus apud Eusebium Hist. Eccl. lib. IV, cap. 3, in Apologia, quam obtulit Adriano tunc imperanti, diserte affirmat, nonnullos eorum, qui a Christo Domino sanati fuerant, aut ad vitam revocati, ad sua usque tempora superfuisse : quæ rerum potiente Adriano distabant annis saltem 88 ab anno Passionis Dominicæ, supra constituto æræ communis 28. Annus vero 152, postremus vitæ Praxedis, ab anno 65 quem apostolorum martyrio signatum vidimus Nerva et Vestino coss. tantumdem elongabatur : quinquennio ab eo minus mors Pudentianæ : multo autem proximior erat terminus vitæ Pudentis, cui utraque filia diu superstes ab Actis proditur, antequam earumdem rogatu fontem baptismi iisdem in ædibus Pius dedicaret circa annum 145, uti ex Actis collegimus. Quare si ad imperium Adriani vegeta ætate pervenit Quadratus, qui cum curatis a Christo Domino ante annos ferme nonaginta consueverat ; ad imperium Antonini, qui Adriano post annos 21 sui regiminis successit, superesse profecto poterant filiæ Pudentis, minori temporis intervallo dissitæ a morte apostolorum, quæ totis 37 annis Christi mortem consequebatur : et Pudens ipse in paterna domo apostolorum hospitio dignata potuit a Paulo baptizari, et vitam producere per annos circiter 75 ad Antonini Pii exordia. Huic epochæ astipulatur vetus pictura pone absidem tituli S. Pudentianæ adhuc superstes in sacello inter ruinas Thermarum domus ejusdem aperto ad usum baptismi fidelium in ipsa fontis dedicatione sub Pio, imo etiam ab apostolis Petro et Paulo, eidem usui deputato ut constans traditio fert, ibidem expressa duplici versiculo picturam explicante : cujus de antiquitate Ciampinus disserens in explicatione duplicis sarcophagi Christianum baptismi ritum exprimentis, autumat ultra sæculum decimum Christi extendendam, licet carmina rhythmum Leoninum exprimant. Sunt vero hujusmodi :

> Paulus nascentes plebis natusque Pudentem
> Auxit mactatos hic vivo fonte renatos.

Sunt autem multo vetustiora monumenta quæ antiquissimi hujusce tituli ac fontis apostolicam plane originem comprobent, et celebrem dedicationem sub Pio rogatu sanctarum virginum Praxedis et Pudentianæ, quando Pastori presbytero assignabatur : unde nomina obtinuit promiscua tituli Pudentis, Pudentianæ, et Pastoris. Ut enim transiliam Bedæ, Usuardi, Adonis, aliorumque Martyrologia, utpote ex Actis deprompta, quæ jam protulimus ; subscriptiones presbyterorum hujusce tituli, Romanis in conciliis a quinto sæculo præservatæ, eamdem originem et nomenclaturam demonstrant. Ita subscribunt gestis synodalibus sub Symmacho papa. *Asterius presbyter tituli sancti Pudentis. Justinus presbyter tituli sancti* Pudentis. In veteri epigraphe

marmori insculpta sub Gregorio VII, quæ adhuc visitur, et refertur ab Ab. Piazza in Hierarch. Card. pag. 494, dicitur nomine Pastoris insignita. In Stationum elenchis, et in libro Ordinis Romani dicitur sanctæ *Pudentianæ* : quemadmodum in musivo absidis vetustissimo, Siricii ætate constructo et renovato per Adrianum primum ; in quo tituli historia, origo, situs cum perspicitur, inter potiora documenta rerum hactenus indicatarum cum Baronio ac Panvinio referri debet. Licet vero in nova structura æræ principis ejusdem musivi operis pars inferior sit occultata, ea tamen superest quæ imagines et symbola ad tituli historiam pertinentia declarat.

Visitur ergo prospectus vici Patricii antiquæ Urbis in eodem expressus ad radices Viminalis et Exquilini collis : ut ostendit substructio, ibidem delineata, et prægrandibus saxis quadrilateris collem præcingens : cujus præcinctionis vestigia spectari adhuc possunt tendentibus a titulo S. Pudentianæ per latus Viminalis ad proximum titulum S. Laurentii in Panisperna, non penitus disjecta sinistrorsum in via Sixtina. Substructioni incumbunt magnifica utrinque ædificia, non penitus disjecta scilicet unde vico nomen derivatum est, quando Servius Tullius, tradente Festo, « jussit patricios sub Exquiliis hic habitare, ut si quid novi molirentur, e locis superioribus opprimerentur. » Magnificentiam structurarum hoc in vico et in musivo apparentium comprobat etiam vetus inscriptio, quam Gruterus retulit CLXXIIII, 9, et Ugonius aliique memorant repertam in hoc eodem titulo sanctæ Pudentianæ, dum Card. Cajetanus splendidum illud sacellum construeret, inter elegantiora urbis numeratum :

..... S. VAL. MESSALA V. C. PRAEFECTVS VR
BI ..... SPLENDOREM PVBLICVM IN VICO PATRICIO
VICTORIAE ET FIERI ET ORNARI PROCVRABIT.

Hæc inter magnifica ædificia erectum visitur salutare crucis signum, indicans titulum Pudentis : sub quo Christus Dominus insidet sellæ, velis de more constratæ, veluti in throno, et apertum librum sustinet manu, in quo leguntur litteræ *Dominus conservator ecclesiæ Pudentianæ*. Hinc inscriptioni respondebat altera epigraphe Siricii papæ, relata in Appendice Gruteriana fol. MCLXXII, 7, a Florentinio in vet. Martyrologio ad diem 26 Novembris, aliisque.

Siricius pia nunc persolvit munera sanctis.
Gratia quo major si bona martyribus.
Omnipotens DEUS HUNC CONSERVET TEMPORE MULTO
Mœnia sanctorum qui nova restituit.

Ejusdem Siricii reparatoris nomen palmaribus litteris insculptum marmoreis tabulis hodie superest, olim præcingentibus *Ambones*, seu pulpita duolapidea ex antiqui ædificii marmoribus fabrefacta, ut Panvinius memorat (de septem Urbis Eccl. pag. 266) *salvo Siricio episcopo ecclesiæ sanctæ*. Conservat etiam proximum marmor nomen *Leopardi* presbyteri, ejus scilicet quem Siricii successor post Anastasium Innocentius Mediolanum misit, ut legatione sedis apostolicæ fungeretur una cum Crescente et Maximo ad concilium ibidem indictum in causa Joviniani, cum litteris ad beatum Ambrosium datis, ubi fratrem et compresbyterum suum appellat *Leopardam*. Eodem nempe, sive titulari, sive præposito fabricæ, usus est Siricius in curanda sacræ hujus ædis reparatione, et ornatu, cum exemplo decessorum absidem decoraret musivi hujus operis additamento. Sedenti igitur Christo Domino, et *conservatorem* se pollicenti *ecclesiæ Pudentianæ*, decem viri, tunica, et pallio amicti, hinc inde assident : quorum qui proxime Redemptoris lateri adhærent ex subscriptis nominibus *Petrus* et *Paulus* esse deprehenduntur. Illa enim nomina in exemplo musivi expressa, antequam novis ornatibus aræ maximæ additis (annis circiter abhinc 60) occultarentur, *delineari diligenter* curavit eques Cassianus a Puteo ad fidem prototypi, et compegit cum cæteris sacræ antiquitatis monumentis in pretiosa illa volumina, quibus hodie nobilitatur Albana bibliotheca. Suberat etiam symbolum agni nimbo coronati, et columbæ cœlo in eum illabentis, descriptum ante annos 120, etiam a Paulo de Angelis in ms. de Titulis presbyterorum Urbis in archivo Liberiano : ut Christo Domino sanctificatum baptisma denotaret per gratiam sancti Spiritus, super eum in Jordane simili specie advolantis, quam in sacramento hic administrando largitur. Octo autem viri apostolico more tunicati et palliati, quos alii ad cæteros apostolos referunt, licet numerum exacte non impleant, retulit fortasse auctor musivi ad octo proximos Petri successores qui a Lino ad Telesphorum numerantur, et a Pudente in vita superstite excipiebantur domi ad sacra mysteria, et fidelium synaxes celebrandas. Cum enim Acta superius producta ejusdem mortem indicent diu ante annum Christi 145, Hygini exitum videtur ea mors prævenisse : nec propterea cum cæteris ante Pudentem cœlo receptis præsulibus illius imago, qui nonus fuit ab apostolis, in titulo Pudentis exprimebatur. Petrum et Paulum coronant laurea duæ virgines velatæ Praxedes et Pudentiana, singulæ singulis astantes, tum officioso ejusmodi honore hospites coronandi apud veteres pridem recepto, tum a Christianis adhibito erga imagines Christi Domini, ejusdem sanctorum, ut vitrei orbiculi in martyrum cœmeteriis reperti, eorumque icones ibidem depictæ, et in cryptis fidelium apud Severanum et Bosium spectandæ luculenter ostendunt : ex quo Apostolus a militari more metaphoram repetens, scripserat, repositam sibi a Domino esse coronam justitiæ. Videndus ea de re præ cæteris consultissimus antiquitatum illustrator Philippus senator Bonarroti in expositione tabularum 15 et sequentium laudati operis de vitreis orbiculis et figuris, quæ in cœmeteriis SS. martyrum apud Urbem effodiuntur. Emblemata et figuras musivi, absidem in titulo ornantis, complent quatuor animalia in Apocalypsi descripta, et symbola evangelistarum præferentia, quæ in plerisque musivis et picturis veteris Ecclesiæ, Romæ præsertim, conspiciuntnr.

Ilis itaque documentis hospitii apostolorum apud Pudentem, et frequentati hujus tituli a Christianorum cœtibus etiam ante Pium, multo autem celebrius post fontem rite ab eo dedicatum, confirmantur catalogorum, et Anastasii assertiones de Thermis Novati in ecclesiam conversis a Pio in vico Patricii rogatu Praxedis in honorem sororis suæ Pudentianæ, et de fontis sacri dedicatione ad solemnes baptismi ritus ibidem administrandos Paschatis die appetente, postquam Telesphorus paulo ante ordinaverat in Quadragesimæ septem hebdomadibus ritus eosdem, a Tertulliano indicatos, quos ætas posterior nomine *scrutiniorum* recensuit in libris Ritualibus.

Duas observationes liceat mihi addere ex hisce ritualibus libris Ordinis Romani, quæ hactenus narrata de hoc titulo, et baptismo solemni Paschatis in eodem peracto non parum illustrant. Primum quod observandum propono illud est, *scrutiniorum* exordium peti postridie ejus diei, quo statio ad titulum Pudentis, seu S. Pudentianæ, Feria 3 hebdomadæ post tertiam Dominicam Quadragesimæ uti olim ætate Magni Gregorii stationum ejusmodi restitutoris celebrabatur, ita per annos mille ac centum a Magno Gregorio numeratos nostra quoque ætate celebratur, basilicæ Liberianæ clero cum litania eo solemniter procedente : ut scilicet supplicante clero ad Pudentis titulum, ubi solemnis ille ritus a Pio pontifice juxta Telesphori leges peragebatur, norma quædam sancte peragendi mysteria ab exemplis, et memoria apostolorum hospitum, ac successorum, baptismi gratium hic administrantium, repeteretur. Alterum observandum est occursus notarii regiona-

rii in die sancto Paschatis Romano pontifici ex Lateranensi ad Liberianam basilicam equitanti ad sacrificium Deo de more offerendum, ut annuntiaret numerum baptizatorum nocte præcedenti in sancta Maria. Ordo Romanus antiquissimus inter editos a R. P. Mabillonio Musæi Italici tomo II, ita annuntiandum præscribit :

« Die autem Resurrectionis Dominicæ, procedente eo (Romano pontifice) ad sanctam Mariam, notarius regionarius stat in loco qui dicitur Merolanas *(locus est in monte Exquilino haud procul a basilica sanctæ Mariæ Majoris, ubi ecclesia sancti Mathæi, quæ dicitur ad Merolanas,* ut recte notat Mabillonius) et salutato pontifice dicit : *In nomine Domini nostri Jesu Christi baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei genitrice Maria infantes masculi numero tanti, feminæ tantæ.* Respondet pontifex : *Deo gratias.* » Cum pontifici e Lateranensi patriarchio discedenti aliorum urbis fontium baptismata non referrentur, sed solius Liberiani fontis, (qui a constructa basilica intermedius inter titulos sibi adhærentes Praxedis et Pudentianæ illorum vetustiorum vices quodammodo gerebat) fecunditas in Christo enuntiaretur ; vix aliam ritus ejusmodi causam suspicari possumus, quam ut antiquam illam originem testaretur solemnis baptismi Paschalis, in proximo Pudentis titulo a primitiva Ecclesia celebrati. Ut enim SS. apostoli, et Pius, ita Urbanus I, in pictura pone absidem vetustissima ibi expressus cum Tiburtio et Valeriano, necnon Stephanus pariter I, ibidem in Paschate baptizare consuevit, ut lectiones hujus Ecclesiæ propriæ referunt in festo translationis SS. Virginum. Qua etiam de causa constitutum puto, ut missa pontificalis, ac statio eamdem Dominica Resurrectionis celebraretur in memorata basilica Liberiana potius quam in Lateranensi, aut Vaticana. Prævaluit enim memoria pontificis Pii, Paschalem solemnitatem celebrantis ad Pudentis titulum, et ibidem edicentis, ne extra diem Dominicam a fidelibus perageretur, atque ita pertrahentis non modo ad exemplum, sed etiam ad locum ab apostolis frequentatum, suos successores, ut auctoritas legis etiam conspectu hospitii, Petro fundatori Romanæ Ecclesiæ oblati, redderetur illustrior.

His obiter observatis, confirmari non leviter puto assertam a Bibliothecario fontis ac tituli dedicationem per pontificem Pium rogatu familiæ Pudentis, occasione Paschalis baptismi solemniter peragendi in vico Patricio, ubi Petrus et Paulus hospites utrumque collem Exquilinum ac Viminalem catechesi et baptismo nobiliores reddiderant, quam olim Servius Tullius patriciorum sede ibidem constituta. Universa enim documenta conspirant, in catalogis, in codicibus, in musivis, picturis et inscriptionibus circa hunc titulum, et ipso in titulo consignata : quibus etiam accedit Justini martyris, horum temporum æqualis, responsio ad præfectum Urbi, designans locum hospitii sui ad has easdem thermas Timothei, Christianorum conventibus ita celebratas, uti omnes historiæ ecclesiasticæ cultores concordi suffragio decernunt, actorum præsertim veterum ductu, quæ recitavimus.

Quod si nonnulla in actis chronologica errata esse emendanda monuimus, quæ profecta videbantur ex homonymia *Antoninorum* minus caute confusa a scriptore, duplici saltem sæculo ab iis elongato, mirum id videri non debet, cum scriptores, cæteroqui præstantes diligentiæ accuratæ laude in vestigandis documentis rerum quas enarrabant, humanum aliquid passi fuerint, lapsu fortasse memoriæ nimium de se fidentis, etiam in iis quæ putaverant sibi explorata. Exemplum dabo in accurato ac celebri scriptore Florentinio, qui in notis ad diem Kal. Aug., multiplici eruditione et quidem solida refertis, agens de utroque titulo Pudentianæ et Praxedis hæc scribit : « Utraque ecclesia S. Pudentianæ et Praxedis, hæc in Exquiliis et Carinis, illa in Viminalis collis radicibus de vetustate inter se penes scriptores certant. Titulum Pastoris ad thermas Novati, seu S. Pudentianæ templum tanquam vetustiorem præfert Baronius tam in notationibus quam in Annalibus, et antiquiorem omnibus Urbis ecclesiis prædicat Panvinius de VII Ecclesiis, cap. ult. ; qui etiam testatur a majoribus traditum ibi in sacello musivi operis D. Petro primum Romæ incruentum sacrificium fuisse oblatum. Verum in ecclesia S. Praxedis non modo altare ligneum ad modum arcæ ad dexteram intrantibus ostenditur, in quo idem apostolorum princeps missam celebravit, sed ad lævam marmorea prostat epigraphe, quæ ejusdem supra reliquas ecclesias vetustatem affirmet : *In hac ecclesiarum Urbis vetustissima olim domo S. Pudentis senatoris, patris SS. Novati, et Timothei, et SS. Pudentianæ et Praxedis virginum, fuit SS. apostolorum Petri et Pauli hospitium primum ad martyrum et Christianorum baptismum, et ad missas sacramque synaxim. Sub altari jacent tria millia corpora SS. martyrum, et copiosus sanctorum sanguis,* » etc.

Cum hæc legissem tam asseveranter prolata a celebri auctore, fateor me diffidisse de proprio experimento, quod ceperam, per annos ferme quadraginta ex quo Urbem incolo, per duodecim vero proxime elapsos in Liberiana basilica canonicus, utrique titulo basilicæ adhærenti, eorumque sacris antiquitatibus inspectandis non semel immoratus. Nunquam mihi contigerat in titulo beatæ Praxedis de altari ligneo ac de epigraphe quidpiam audire ; sed utrumque illud in beatæ Pudentianæ titulo sæpe a me spectatum ac lectum memineram. Attamen consului religiosissimos viros Vallombrosiani ordinis monachos, S. Praxedis accolas, eosque interrogavi num inter sacra lipsana ligneum altare beati Petri, num inter ecclesiæ illius monumenta indicatam a Florentinio inscriptionem asservarent? Nihil ejusmodi apud se asservatum respondent. In alteram autem ædem ac titulum S. Pudentianæ ingredientibus parte læva inscriptio illa Latine incisa, dextrorsum vero Italice reddita, oculis omnium patet ; et sub mensa altaris, beati Petri nomine nuncupati in sacello erecto, ad lævam pariter adorantium ante aram maximam, tabula lignea recondita est, qua usum ferunt eumdem apostolorum principem, dum sacris operaretur in eadem Pudentis domo.

Hæc autem haberi nolim eo animo a me prolata, ut viri de sacra historia optime meriti allucinationem suggillem, sed ut exemplo adeo illustri confirmem etiam cordatis viris ac diligentibus ætatis nostræ quandoque contigisse ut humanum aliquid paterentur, dum memoriæ suæ aut alienæ nimium fidentes, negligerent Romanæ Ecclesiæ monumenta suismet oculis usurpare, aut iterato conspectu explorare, quando de eisdem Romanæ Ecclesiæ monumentis scribendi curam suscipiunt. Nostro proinde jure facere videmur si quid asserimus sæpe subjectum oculis et examini, de monumentis superstitibus apud basilicas ac titulos, quos ab annis fere quadraginta frequentamus. Hac diuturna mora frui si potuissent tum veteres pontificiæ seriei et chronologiæ descriptores in basilicis patriarchalibus, tum actorum breviatores aut paraphrastæ veteres in archiva raptim admissi, non dubito quin purgatiores catalogos et acta delectatiora fuerint posteris relicturi. Quod igitur illi præstare prohibiti sunt necessitate compulsi celeris ad suos reversionis, aut impotentia in Urbem redeundi, liceat nobis supplere in Urbe nutritis, et in Romanæ Ecclesiæ complexu per plures annorum decades circa martyrum cryptas, veteres titulos et basilicas circumductis. Liceat optimæ parenti nostræ hanc vicem obsequentis et grati animi contestari, ut quidquid illa præservat ad veritatis historicæ documentum, id negligentia nostra non occultetur, et liberetur studio quo fieri possit maximo ab interspersis improvide nævis per scriptores aut ætatis minus cultæ, aut hinc elongatos.

Locus admonet ut occasione actorum et Vitæ, de qua loquimur, SS. virginum Praxedis et Pudentianæ propositum describentis, qua se in professione castitatis Deo obstrinxerant, et locum depositionis quem obtinuerant apud parentes in cœmeterio Priscillæ via Salaria, inseramus hisce notis picturam veterem ab Aringhio et Bosio repertam in eodem cœmeterio, ac descriptam et explicatam Romæ Subterraneæ tomo II, pag. 395. Illustrat enim non mediocriter priorum pontificum ritus in velandis virginibus, quæ perpetuam castitatem Deo vovissent: et eorumdem pontificum sedem, aut cathedram, vestesque ac tonsuræ consuetudinem exhibent ; perinde conspiciendam in illorum imaginibus ad basilicam S. Pauli cæterisque in musivis antiquissimis huic picturæ plane conformem. Reservatis autem suo loco iis quæ pertinent ad vestes ac tonsuram pontificum, hic per stringam ea quæ spectant ad virgines velandas in amplexando instituto Deo dicatæ virginitatis. Quibus id verbis aptius exprimam quam relatis ab Aringhio in ejusdem picturæ explicatione? Sunt autem ea quæ sequuntur.

Præmemorata autem imago (si quis rem probe discutiat) Praxedem, aut Pudentianam ejus sororem præsefert, quæ ambæ illibato animi candore, firmoque mentis proposito suam Christo virginitatem devovere. Verum ut altius rem expendendo, ipsum lector veritatis tramitem assequatur : contemplanda ibidem oculis intuentium subjicitur mulier stans, velamen quoddam manu gestans, cui pontifex (ipse forte beatus Pius papa) throno receptus manum imponit ; juxta quem presbyter quidem erecto item corpore exprimitur, Pastor videlicet, si ita nobis interpretari fas est.



B. PIO papæ I, in Pontificia sede constituto, sistitur S. PRAXEDES, aut PUDENTIANA, Virginitatem Deo vovens, et sacrum velamen suscipiens, adstante Presbytero PASTORE. (Ex Pict. Vet. in Cœmet. Priscillæ ab Arinah., t. II, p. 305, Romæ Subt., edita et explicata

Promiseram in notis ad Clementem me hic redditurum ea quæ dicenda erant de perpetuæ virginitatis votivo instituto catholica in Ecclesia a piis virginibus suscepto circa nostræ religionis exordia : quod ab hac ætate de qua agimus alienum esse commenti sunt hujus consilii evangelici non æqui æstimatores : ***qui proinde negabant*** Clementi papæ velatam fuisse A virginem Domitillam. Leopardus presbyter, cujus nomen incisum videmus sub Siricio papa in hoc titulo S. Pudentianæ, legatus ab eodem pontifice missus in causa Joviniani, hæretica perfidia retrahentis ancillas Dei ab hoc sancto proposito, et Virgini virginum exemplari ejusque asseclis per summam injuriam infensi, eoque nomine damnati tum a summo pontifice, tum a legatis in concilio, ut synodales litteræ ad Siricium testantur, auspicio suo facit, ut contra negantes honorem hujusmodi professionis sæculo apostolicorum virorum, hunc tueamur.

Consilium evangelicum id esse, a Christo Domino insinuatum fidelibus perfectioris vitæ studiosis Apostolus docet aperte in I ad Corinthios, cap. VII : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis* ; et I ad Tim. I : *Adolescentiores viduas devita*, etc. ; *cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Consilium Domini B probant loca a SS. Patribus et conciliis producta et explicata, præsertim dictum illud Matthæi XIX : *Sunt eunuchi qui se castraverunt propter regnum cœlorum* ; quod Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Epiphanius illustrant luculenter : adeo ut de sensu et consensu Patrum nec ipsi negare possint hæretici, ut Bellarminus ostendit lib. XI de Monachis, cap. 27. De praxi autem istius consilii in utriusque sexus fidelibus sanctis cum Christo Domino versatis, nempe beatissima Virgine ejus matre, S. Joanne Baptista, apostolis aliisque eorumdem exemplo excitatis, ad perfectionem constanti professione tum istius consilii, tum voluntariæ paupertatis et obedientiæ, Patrum vox una est et conciliorum ; licet hæretici, qui Ecclesiam audire detrectant, ut privato spiritu superbiæ suæ Scripturas divinas pervertant, et accommodent suis voluptatibus, in aliorum luce misere cæcutiant. Plerique tamen illorum negare non audent, sub finem secundi sæculi, et sub initium tertii constare per litteras Cypriani, necnon ex Tertulliani aliorumque scriptis de virginum dedicatione ; adeo ut intra limites primi a Christo sæculi, aut paulo ultra medietatem secundi contineant suas negationes. Quibus cum opposueris Essenos in Syria, Marci discipulos in Ægypto, ejusdem professionis asseclas, et institutores illorum, qui ubique terrarum paulo post propagarunt hanc vitæ rationem, sibi ac cæteris illudunt, pernegantes saltem in sexu muliebri votum castimoniæ et morem eam dedicandi solemni ritu ac ministerio pontificum. Verum et his Hieronymus ostendit Ægypti, ac Syriæ monasteria non virorum modo, sed etiam vriginum, ac viduarum, moris antiqui sanctimoniam professa. « Moris est (inquit in epistola ad Sabinianum) in Ægypti ac Syriæ monasteriis, ut tam virgo, quam vidua, quæ se Deo voverint, et sæculum renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra apostoli voluntatem incessuras capite, sed ligato pariter ac velato. » Acta nostrarum virginum ac martyrum Ecclesiæ occidentalis prioribus sæculis idem testantur. Et ne quidpiam desit confirmandæ traditioni, atque exemplo sancti hujus propositi, ac ritus, etiam litterarum inexpertis, idem repetunt picturæ testimonia, a sanctis martyribus in fidelium cryptis expressa : adeo ut commentis hæreticorum perfricta fronte hæc negantium parietes ipsi perspicua affirmatione respondeant. Nec sane pluribus opus erat ad facti evidentiam fidelibus tum temporis memorandam, etiamsi rudes litterarum et inexperti

fuissent ; cum plane nossent, etiam Vestalibus suis ethnicorum pontifices flammeum velum contradere consuevisse : cum castimoniæ virginalis professio honoranda videretur etiam iis, qui perfectioris vitæ studio tenerentur, ad quam rationis lumine, licet evangelica fide nondum adancto, creperæ tamen lucis quodam fulgore perstricti disponebantnr, ut longa enumeratione erudite probat Hieronymus littera contra Jovinianum. Quandiu igitur suam Theclam Iconii cum Paulo celebrabunt, et Hierapolitani cum Polycrate duas virgines Philippi filias apud Eusebium lib. III, cap. 21, Aquileienses Dorotheam, Euphemiam et Erasmam ; nos vero apud confessionem beati Petri virginem Petronillam ; in conspectu Anxuritani littoris contra insulas Pontias Domitillam, Eusebio pariter notam cum socia Theodora ; in Viminali et Exquilino colle Praxedem ac Pudentianam ; in Aventino, ac Cœlio Balbinam, ac Theodoram, illustres titulis, memoriis, sepulcris, non carebimus exemplis Deo dicatæ virginitatis primoet altero Christi sæculo, probatis per tot genuina documenta, quoties postmodum inclarescunt etiam ætatesconsecutæ per Cæciliam, Eugeniam, Agnetem, Susannam, Anastasiam, Bibianam. Neque enim diverso Evangelio, quod gerebant in pectore, usæ sunt istæ in dedicatione suæ castitatis, ac utebantur priores illæ, quarum exemplis et vestigiis secundæ insistebant, et quarum sepulcris advolvebantur. Ex quo Salvator noster in cruce pendens, ac sanguinem fundens stantem sub cruce virginem Matrem pontificia veluti aspersione iterum dedicavit in exemplar virginum, et virgini discipulo commendavit, atque hunc ipsum virginitatis honore præ cœteris sibi dilectum filium adoptionis virgini Matri substituit, utriusque exemplo tot virgines succreverunt, quot ille in Apocalypsi se vidisse commemorat circa Agnum in monte Sion, qui cum mulieribus non sunt coinquinati ; virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit, empti ex hominibus primitiæ Deo et Agno. Si quis in tanta luce Scripturarum, et exemplorum non videt gemello veluti partu editas fidem Christianam, et vocationem ad evangelicæ virginitatis consilium consectandum ab iis, qui perfectioris vitæ studio tenerentur, aures quoque obturabit Hieronymo diserte loquenti contra inimicum ejusmodi consilii Jovinianum lib. I : « Grandis fidei est, grandisque virtutis Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, et juxta eumdem Apostolum esse sanctum corpore et spiritu. Hi sunt eunuchi, qui se lignum aridum ob sterilitatem putantes audiunt per Isaiam quod pro filiis et filiabus locum in cœlis habent paratum. Horum typus est Abdemelech eunuchus in Hieremia, et spado ille reginæ Candaces in Actis apostolorum, qui ob robur fidei viri nomen obtinuit. Ad hos, et Clemens, successor apostoli Petri, cujus Paulus apostolus meminit, scribit epistolas : omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit ; et deinceps multi apostolici, et martyres, et illustres tam sanctitate quam eloquentia viri, quos ex propriis scriptis nosse perfacile est. » Hactenus Hieronymus, qui omnium ferme Ecclesiarum Orientis et Occidentis conspectu, et experimento edoctus traditiones quas acceperat continenter fluentes ab apostolica ad suam ætatem perduxit, et comprobavit.

Nos interim in Pudentis, seu Pudentianæ titulo, per Pium dicato, et in cœmeteris, Priscillæ, ubi deposita fuit cum virgine sorore, ac parentibus sacra virgo, perfruimur conspectu documentorum, his picturis ac musivis expresso, tum in velandæ virginis ritu, quem exhibet pictura cæmeterii ; tum in gestando hujusmodi amictu, et velo in conventu præsertim Ecclesiæ, quod a musivario utriusque virginis capiti decenter et constanter aptatum intuemur in earumdem imaginibus, expressis in absidetituli, ornata per Siricium, et reparata per Adrianum.

CIACONII.

Linea 5 — *Ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.* Dum de die Paschatis quæstio agitaretur in Asia, Hermes, ipsius Pii papæ frater librum scripsit titulo Pastoris sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri, alterius fratris sui, in quo refert, angelum pastoris persona indutum eti præcepisse, ut omnibus persuaderet, festum Paschatis die Dominico celebrandum fore, quod in eo Christus Dominus a mortuis surrexisset. Quod et fecit. Qua causa motus Pius papa cum primum congregato sacerdotum in Urbe concilio, decreto sanxit ut resurrectio Domini die, qui Dominicus dicitur, celebraretur. Quod postea ab ejus successoribus Romanis pontificibus confirmatum est. Vide notas sequentes Pagii.

PAGII.

Linea 5. — *Ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur.* Verior enim et magis recepta est prior sententia, cui, præter auctores laudatos, astipulantur Hegesippus, qui sub eodem Aniceto Romam venit, duo Nicephori, ac demum tam Latini quam Græci recentiores omnes. Huic pontifici tribuitur decretum de celebrando Paschate die Dominico ; sed epistolam decretalem Pii, ex qua id conjicitur sei suppositam conveniunt omnes eruditi. Præterea licet decretum illud a Pio editum esss legatur in Chronico Eusebii his verbis : « Sancitum est a Pio, ut Resurrectio Dominica, die Dominica celebretur, quod a pluribus postea pontificibus confirmatum est ; » Arnaldus tamen Pontacus in notis testatur, illa verba non reperiri in mss. codicibus Chronici Eusebii, ideoque ex eo penitus delenda ; cum præsertim ex ipsomet Eusebio lib. v Hist. ecclesiast., cap. 23, constet tale decretum, de celebrando Paschate die Dominica, ab apostolis sancitum fuisse. Quare Josephus Scaliger, in nova editione Chronici Eusebiani ex eo verba illa expunxit.

Sed exstat apud Gratianum cap. de Consecratione, dist 2, decretum Pii papæ *de pœnitentia ejus, cujus negligentia de sanguine Domini aliquid stillat.* Illud autem tale est : « Si per negligentiam aliquid de sanguine Domini stillaverit in terram, lingua lambatur, tabula radatur ; si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corrodatur, et igne consumatur, et cinis intra altare recondatur, et sacerdos quadraginta diebus pœniteat. Si vero super altare stillaverit calix, sorbeat minister stillam, et tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, et ad aliud stilla pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad tertium, novem diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat, et linteamina, quæ tetigerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice superposito, et aqua ablutionis sumatur, et juxta altare recondatur. » Ex hoc et aliis decretis de ritu, et modo culpas in sacramentum Eucharistiæ commissas expiandi, et supplendi defectus in ipso sacrificio occurrentes, ostendit Edmundus Martene lib. I de Antiquis Ecclesiæ Ritibus, cap. 5, art 5, quanta reverentia erga sacram eucharistiam veteres ducerentur, quam reverentiam recte scribit non infimum tenere locum debere inter varia rationum momenta, quibus realis in Eucharistia Christi præsentia comprobari potest. Si enim, inquit, ex Tertulliano, lib. de Corona militis, cap. 3, Christiani suo tempore *anxie* patiebantur, si quid ex Eucharistia in terram decideret : et ex Origene homilia 13 in Exodum, *reos* se esse credebant, et recte credebant fideles, si quando id per negligentiam accidisset ; quæ tandem tantæ anxietatis causa ? quæ culpa, quod crimen *reos* constitueret, et recte constitueret ? si præter panem et vinum, meramque figuram aliud nihil agnovissent in sacramento. Aliud ergo, et illud magnum aliquid credebant : et quid illud ? Nisi realis in Eucharistia Christi præsentia.

SOMMIER.

Linea 7. — *Et constitutum de Ecclesia fecit.* Per hæc pontificum tempora, quorum nuper meminimus post Telesphorum, undique pullularunt hæretici. « Eousque *cum Ecclesiæ tanquam clarissima lumina* (ait Eusebius lib. IV, cap. 7, *Hist,) suum splendorem per totum terrarum orbem diffudissent, et fides in servatorem ac Dominum nostrum Jesum Christum in universo hominum genere magnopere vigeret ;* diabolus osor probitatis, veritatis inimicus, et humanæ salutis semper hostis infensissimus, ommes suas machinas et fallacias contra totam Ecclesiam versans, sicut jam pridem externis persecutionum procellis, et impetu adversus eam dimicarent ; sic tum quidem ab illis viis interclusis, viris perditis, et plenis præstigiarum usus alio insidiarum genere oppugnare, omnesque vias excogitare studuit, quibus his præstigiatores, et homines frandulenti illam ipsam nostræ religionis appellationem callide præferentes non modo fideles præcipitarent, sed etiam fidei ignaros, rudesque, ab aditu, qui ad salutare Dei Verbum patebat, penitus averterent. » Per provincias audacter disseminabant errore suos ; at Romam si accederent, ab hujus Ecclesiæ communione separatos se videri cum nollent, doctrinam suam palliabant ac dissimulabant, non nisi remotis arbitris eamdem latenter insusurrantes. Sin vero detegerentur, exomologesim se facere ac retractare simulabant. Verum iterata cespitatio in eosdem errores quos paulo ante damnaverant, cum illos proderet relapsos, pontificum judicio condemnabantur et pellebantur ab Ecclesia.

Quæ Romæ reddebantur judicia, sequebantur passim provinciæ. Montanistæ cum hujusmodi simulationibus pacis litteras, et communionis a Romana sede subripuissent, recepti fuerant ab Asianorum et Phrygum Ecclesiis. Verum fraude eorumdem hæreticorum detecta pacis litteræ jam emissæ A revocatæ sunt. Testimonium reddit rei gestæ ex illorum gregalibus Tertullianus adversus Praxeam sub initium.

Ad confundendos in provincis hæreticos et schismaticos, confugiebatur ad sanctam Petri sedem, tanquam ad sequestrem atque custodem doctrinæ. Persuasio enim communis, teste Irenæo, jam tum vigebat, eamdem, quæ ab apostolis erat in Ecclesia traditionem, et veritatis præconiationem hic præservari sua nativa puritate præditam, et ad ætates omnes transmitti per successionem pontificum. Notum enim erat, a Christo Domino hanc sedem constitutam fuisse, ut esset visibilis demonstratio, unicam vigere in Ecclesia fidem, et unicam regulam morum. « Romæ fundatæ Ecclesiæ fidem, et traditionem indicantes confundimus, etc. Hac ordinatione, et successione, ea quæ est ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis præconiatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima hæc ostensio, unam, et eam- B dem vivificatricem fidem esse, quæ in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata, et tradita in veritate. » S. Irenæus *adv. hæres* lib. III, cap. 3. Ille ex antiquis Patribus, qui hæc perscripsit, legationem obiverat ad Romanam sedem nomine Ecclesiæ Lugdunensis, cujus tunc erat presbyter. Eusebius affirmat (lib. V *Hist.*, cap. 3) : « *idcirco ablegatum a Lugdunensibus fuisse ad Eleutherum Romanum pontificem, quem vehementer rogabant, ut pax et concordia in Ecclesiis constabiliretur :* » in quibus novatores schismata, et turbas concitaverant. Addit S. Hieronymus, a martyribus ablegatum, consulendi cauca super diffieilibus quæs tionibus. (Hieron., *de Script. Eccles. in Irenæo.)*

Hæc nempe testimonia invicte demonstrant, Petri sedem a primis hisce temporibus Ecclesiæ habitam fuisse tanquam hæresum exterminatricem. *Confundimus malam sententiam :* et tanquam arbitram pacis Ecclesiæ : *Pax, et concordia in Ecclesiis constitueretur.*

XIII. SANCTUS SOTER

ANNO CHRISTI 175, M AURELII. IMP. 13.

13 *Soter, natione Campanus, ex patre Concordio, de civitate Fundis, sedit* annos novem, menses tres [a] *Fuit* autem *temporibus Severi a consulatu Rustici et Aquilini usque* ad *Cetegum et Clarum* [b]. *Hic* [c]. *constituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret* in *sancta Ecclesia. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem :* presbyteros octo [d], diaconos novem, *episcopos per diversa loca numero undecim. Qui* etiam *sepultus est in* cæmeterio Calixti via Appia, x *Kalend. Maii, et* cessavit episcopatus dies viginti duos [e].

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Ex editione Schelestratii.

Soter annis novem mensibus tribus. Fuit temporibus.....

Notæ Schelestratii ad catalogum Liberianum in Sotere.

Lacuna antiquioris catalogi in Sotere suppleri posset ex ms. Cæsareo, in quo habetur : *Tempore Antonini et Commodi, a consulatu Veri et Herenniani usque Paterno et Bradua.* Verum vitio librarii consulatus hic aliunde in ms. irrepsit.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. 4, minus d. 12. [b] *B*, M. Aur. a coss. Aur. Severi II et Cl. Pompeiani, usque ad Commodum et Quintillum. [c] *Vide Bar. an. 179 in fin* [d] *CB*, 18. [e] *CB*, 11.

Lectio catalogi Liberiani, suppletis lacunis restituenda ex antea deductis in Anicēto.

Soter ann. IX, m. III, d. XXI, fuit temporibus Marci Antonini et Veri, a consulatu Rustici et Aquilini usque Claro et Cethego.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 13, *lin.* 2, a. 15. *A. lin.* 7, *AB*, 11. *A*, dies 21.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 2, mens. 3, dies 21, F, a tempore S. *lin.* 5, presb. 18; *Maz.* 19. diac. 9. *M.* 19, *lin.* 6, loca 11. *lin.* 7, dies 21.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 2, mens. 6, di. 21. *lin.* 5, ordin. 6. *lin.* 7, d. 21.

A *Apud Holstenium et Schelestratium.*

Lin. 2, *Vatic. Reg. et Florentini duo*, menses 6, dies 21. *lin.* 3, *Florent. secund. Vat. et Reg*, nullus monachus. *lin.* 4, *Reg.* nisi *lin.* 5, *Cass. et Flor. duo*, ordin. quinque. *lin.* 7, *Flor. secund.*, Junias.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 4, poneret in sanctam Ecclesiam.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 3. — *Hic constituit ut nulla monacha*, etc. Legunt tres mss. codices, *ut nullus monachus*. Verum *monachæ* lectio retinenda, quam auctor ex secundo catalogo desumpsit, et codex Palatino-Vaticamus sæculo VIII conscriptus servat Notandum autem Soteris temporibus monachas fuisse, sive illæ fuerint, quæ in monasteriis simul, et in communi vivebant sub aliqua matre, quarum mentionem facit D. Optatus Milevitanus, qui eas tempore Donatistarum in Africa fuisse affirmat, sive sint virgines Deo sacratæ, quæ in parentum domibus habitabant, et cum reliquo populo ad ecclesiam accedebant, propioremque ad sacrum Bema locum habebant, ut monachi quoque, de quibus loquitur Dionysius libro de Hierarchia ecclesiastica.

ALTASERRÆ.

Linea 3. — *Hic constituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum ponerel in sancta Ecclesia*. Soteris decretum est, ne sanctimonialis sacra vasa, vel sacram pallam altaris contingat, vel incensum adoleat circa altaria, can. *Sacratas*, 23 dist. Idem decretum repetitum a Bonifacio I ex Anastas. in ejus Vita.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 1. — *Soter*. Afflictarum Ecclesiarum solatium, pauperum et egentium, teste Dionysio Alexandrino, magnus remunerator.

Linea 3. — *Hic constituit ut nulla monacha pallam sacram contingeret*. Non tantum monachæ, sed etiam diaconissæ, aliisque laicis, et quibusdam etiam clericis sacrorum vasorum, et corporalis contactus est interdictus. Probabile est hujus constitutionis editæ causam fuisse, quod ex Montani secta, ut docet Baron. ann. 173, feminæ se sacris immiscerent.

(Ex Labb.) Linea 6.— *In cæmeterio*... juxta corpus beati Petri C. H.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Soteris epocha satis certa redditur documentis superius productis, tum in serie chronologica pontificum Romanorum. inter Prolegomena, tum in notis chronologicis ad Hyginum, Pium et Anicetum. Horum summa est. Consules anni 171, Severus II et Herennianus, attributi ab omnibus catalogis et codicibus integris initio Eleutheri successoris, ostendunt paschale tempus circa finem Aprilis, ab Ascensione Domini ejusdem anni. esse illi tribuendum. Soteri autem, martyrium adepto 22 Aprilis. consules anni superioris, Cethegus et Clarus, recte assignantur, tanquam postremi. Concordia codicum et picturarum S. Pauli in numerandis annis IX mensibus III die-

B bus XXI, sedis beati Soteris tanta est, quantam ostendunt monumenta recensita in Prolegomenis, qua major exspectari vix potest: nam in duobus vel tribus exemplis, quæ juxta catalogum Felicis quarti ex III, mensibus VI reddiderunt. facile arguitur amanuensis negligentiam id peccasse, ut, duabus unitatibus quæ præcedunt paulisper inclinatis, expresserit siglam quinarii v. Retrocedentes itaque ex die martyrii 22 Aprilis anni 171, per annos solidos IX, menses III, dies XXI, assequimur initium sedis Soteris, figendum ipsis Kalendis Januarii initio anni 162, Rustico et Aquilino præcedentibus ad consulatum. Sive Soter ea die fuerit ordinatus episcopus, in quam incidebat Circumcisio Domini et octava Nativitatis ejusdem; sive Dominica præcedenti, postrema Decembris; perspicuum est vicinias Kalendas Januarii civili more (quem nunc etiam sequimur in annis Nativitatis Christi, consignandis) inchoasse æram assumpti a Sotere pontificatus.

C Vacaverit itaque sedes ante electionem Soteris ex die martyrii Aniceti, quam constituimus anno 161, die 17 Aprilis, ad finem ejusdem anni, duobus Augustis consulibus.

Dilatæ electionis causam suspicari facile possumus ex antea narratis ad Pium et Anicetum in notis historicis, necnon ex chronologicis ad Hyginum, ubi hæc retulimus. Marcion hæresiarcha, vacante apostolica sede post obitum Hygini Romam veniens, et spe dejectus tum communionis obtinendæ a presbyterio Romano, per quod repulsus fuerat, tum primæ sedis assequendæ, cui inhiaverat, minas intentavit æterni schismatis a se inferendi. Licet vero post vacationis spatium trimestre jam cerneret electum Pium Hygini successorem, audaciæ tamen suæ tenacior multos a fide catholica suum in errorem pertraxit; tum in Pontum rediens omnia susdeque vertit, neque interea destitit suos in Urbe asseclas atque emissarios subinde incitare ac fovere: quorum tamen plurimos S. Polycarpus in Urbem veniens sub

D Aniceto revocavit ad fidem, ut in superiori numero memoravi ex Eusebii Historia et ex Patribus tunc Romæ versatis. Mirum non est si, post discessum Polycarpi ab Urbe abeunte e vita Aniceto animos iterum resumpsit Marcion æterni schismatis, quod ante minatus fuerat, pro viribus excitandi. Marcionistas enim et Valentinianos ab eadem schola profectos diu superfuisse satis superque ostendit scribens sequenti sæculo Tertullianus; qui initio libri adversus Valentinianos dicit *frequentissimum inter hæreticos illorum collegium, quia plurimum ex apostatis veritatis*. Occurrendum itaque erat artibus, insidiis ac violentiæ tam efferati hominis, *qui ingenio poterat et eloquio*, totque ejus gregalium, nihil pensi habentium humana omnia ac divina miscere, *ut solent animi* (quod Tertullianus de Valentino monuit)

pro primatu exciti præsumptione ultionis accendi.

Occasionem quoque turbarum contra pacem Ecclesiæ auxit mors Antonini Pii, vita functi ante Nonas Martii eodem anno 161, quo Anicetus sequenti mense supplicio addictus fidem sanguine consignavit. Colligere siquidem possumus ex ejus martyrio ethnicæ superstitionis ministros ac sectatores, post obitum mitissimi principis Antonini, a quo cohiberi et prohiberi assueverant, præsertim post decennium imperii sui, ne Christianos insectarentur, liberam criminandi facultatem subnovis principibus Marco et Lucio Vero exercere voluisse, deferendo, et impietatis crimen (ut ipsi jactabant) objiciendo, ac legum Romanarum præsidium contra nos implorando a magistratibus. Epistola ad commune concilium Asiæ scripta a M. Aurelio tunc imperante, et per Eusebium inserta lib. IV, cap. 13, Historiæ, statuens mitiora de Christianis judicia fieri (licet eamdem perperam ascribat Eusebius Antonino Pio, ut evidenter ostendit Valesius ex titulis, ac numero XV tribunitiæ potestatis, conjuncto cum tertio consulatu, qui tituli ac numeri Marco filio aptantur, non patri Pio, numeranti tribunitiam potestatem XV imo et septem præcedentes, cum consulatu quarto, ipsa, inquam, epistola indicat persecutionem in Asia jampridem excitatam contra Christianos, et pluribus in provinciis ab earumdem rectoribus, nec penitus desiisse aliquot saltem locales persecutiones sub Pio parente, easque invaluisse recentius sub Augustis fratribus, etiamsi litteræ supponantur datæ tribunitiæ potestatis anno XV, qui Marco Aurelio labebatur ex die V Kal. Martii anni 161, diebus undecim ante obitum Pii, ad V Kal. Martii anni 161. Verum ex titulo *Armeniaci*, Marco Aurelio in litteris iisdem attributo (quem non assumpsit nisi triennio post, victo per Cassium Vologese, qui Armeniam occupaverat, ut nummi et inscriptiones docent), serius datam fuisse epistolam, et trib. post. XXV potius quam XV signatam arguemus numero sequenti. In hac igitur epistola, sive data in trib. post. XV, sive serius affirmat primum imperator, *plures rectores provinciarum divo parenti suo* antea scripsisse de Christianis qui deferrentur, et ad necem postularentur, quid esset statuendum. Deinde addit: *sed et multi ad me de illis retulerunt, quibus ego patris mei constitutionem secutus respondi.* Constitutio Antonini Pii parentis sui fuerat: *Ejusmodi homines* Christianos) *nulla pœna afficiendos esse, nisi forte contra statum imperii Romani aliquid moliri videantur.* Indulgentiam Antonini patris frustrabantur ethnici tanquam temporariam, ejusque cum morte sublatam) cum a Marco successore multi adhuc quærerent delationes admitti contra Christianos. Confirmationis vero paterni rescripti qualis usus vel abusus fuerit tam apud rectores provinciarum quam apud magistratus urbanos et senatum, demonstrant martyria tum Justini, causam capitis in senatu dicentis, et illustre martyrium consecuti intra quinquennium imperii duorum fratrum Augustorum, sub præfecto Urbis Q. Junio Rustico (quod martyrium referunt passim historici Ecclesiæ vel ad annum 163 vel ad 165 æræ Christi); *tum gravissimi persecutionum motus, qui Asiam concusserunt,* eodem Eusebio tradente cap. 13 et 14, quando decedenti Pio *M. Aurelius Verus, qui etiam Antoninus dictus est, ejus filius cum Lucio fratre successit, qua tempestate cum gravissimi persecutionum motus Asiam concussissent, Polycarpus vitam martyrio terminavit.* Ubi mirari necesse est, ita abreptum fuisse ab Eutychianis rationibus Pearsonium, ut illarum æquandarum gratia cum Vita Aniceti, vicennio solido præverte.it æram passionis S. Polycarpi, ab Eusebio relatam in chronico ad annum septimum M. Aurelii, Eusebianæ tamen epochæ plerique eruditi acquiescunt, etiam perspectis dissertationibus Pearsonii ac Dodwelli contra Valesium: ac præ cæteris doctus P. *Ruinartius* in Actis martyrum de Polycarpo n. 6, pag. 26, ubi ad annum 166 probabilius refert ejus passionem post complures auctores a se productos et collatos. Longum esset universa perpendere, quæ illis in dissertationibus plurima cum eruditione afferuntur, præsertim de die martyrii, ex Actis incidente *in magnum sabbatum,* ac in diem 26 Martii, necnon de anno quo proconsul L. Statius Quadratus Asiæ præerat, in editione Latina eorumdem Actorum nominatus, qui consul fuerat anno 142, sub Pio. Alii tamen malunt alium Statium Quadratum intelligi oportere, patrem, aut patruum T. Numidii Quadrati, qui consul processit anno 167 cum L. Vero Augusto III, dum ex eorumdem placito patruus proconsul Asiam administraret hoc eodem anno 167, et plura de illo legi posse apud Cl. le Moine in Prologomenis ad varia sacra admonet Relandus in Fastis. Quod autem attinet ad diem martyrii pariandam cum 26 Martii, et *magno Sabbato,* fatetur Pearsonius cap. 29, dissert. 2 n. 3, duos illos characteres diei in Actis recensitos optime convenire etiam anno Domini 158, Antonini Pii 22, a quo tamen excludit gesta martyrii, cum asserat jungi minime posse eodem anno cum Statio Quadrato proconsule. At ego nec video cur non potuerit Statius Quadratus iterum in provinciam mitti proconsul extra sortem; cum P. Aquius Scaura (apud Gruterum 360, n. 3) qui PROCONSVLE. PROVINCIAM. CYPRVM. antea obtinuerat, post modum EX S. C. IN. QVINQVENNIVM. COS. ITERVM. EXTRA. SORTEM. AVCTORITATE. C. CÆSARIS. ET. S. C. MISSVS. fuerit AD. COMPONENDVM. STATVM. IN. RELIQVVM. PROVINCIÆ. CYPRI. Nec percipio cur anno 164, ad quem libenter referam martyrium Polycarpi ex indicio Eusebii, circa initium imperii duorum fratrum Augustorum Marci et Lucii Veri id memorantis, referri pariter nequeat tum iste proconsulatus Asiæ extra sortem Statio Quadrato collatus ad componendum fortassis provinciæ statum auctoritate Marci, ejusque provinciæ motus subortos cohibendos: tum uterque character lunæ Paschalis decimæ quartæ, eo anno incidentis in diem Sabbati magni, tam ex motibus lunæ veris ac mediis, quam ex cyclo Cæsaris. Scio eodem anno bissextili Dominicalem litteram B. ex die VI Kal. Martii mutari, in A, eaque de causa diem 26 Martii, quæ in anno communi incidisset in Sabbatum, ob intercalationem bissexti pariari eo anno cum Dominica. Verum cum indicatio diei, quæ in Græco textu Actorum signata erat Xanthici, in translatione Latina vitiose conversa demonstretur tum a Pearsonio, tum a reliquis, quando inscribitur *mense Aprilis, die* VII *Kal Maii,* quæ reddenda fuisse dicebatur *mense Martio die* VII *Kal. Aprilis*; cur non poterit ex nostra sententia reddi *mense Martio die* VIII *Kal. Aprilis?* Certe in eam cadit quarta decima dies lunæ Paschalis, cujus novilunium tum ex veris motibus, tum ex mediis præcesserat die 12 Martii nondum completa, et recte signabatur ex cyclo Cæsaris, per nos explicato ex antiquo marmore Farnesiano ante annos 19, in libro *de Calendario et Cyclo Cæsaris,* die 11 Martii completa. Quare decima quarta dies lunæ pariabatur eodem anno cum die XIII Kal. Aprilis, eodemque magno Sabbato Judæorum, et Asianorum more Paschalis futuro nobis vero, ac cæteris Ecclesiis die Dominica subsequente Christianum Pascha celebraturis.

Cæterum quocunque tandem anno post initium a M. Aurelio imperium cum Lucio fratre censeatur martyrium Polycarpi, sive anno 164, ut ego sentio, sive 166 vel 167, aut 169, ut docti viri a Ruinartio recensiti judicant, certum est in litteris Ecclesiæ Smyrnensis, eo de martyrio datis ad Ecclesias Ponti, id legi, nempe sperari jam posse beati Polycarpi martyrio, quasi signaculo quodam impositum esse finem persecutioni. « Scripsimus vobis, fratres, tum de reliquis martyribus, tum de beato Polycarpo, qui martyrio suo veluti signaculo quodam persecutioni finem imposuit. » Præcesserat itaque tum aliorum

martyrium, tum persecutio per illa priora tempora principatus M. Aurelii, quamvis ille patris exempla secutus rectoribus provinciarum scripsisset, « Christianos homines nulla molestia afficiendos esse, nisi forte contra statum imperii aliquid moliri viderentur. » Vigebat enim mitioris istius rescripti lex etiam ætate Commodi, uti narart Eusebius : qui tamen ostendit, exceptionem fuisse paratam ad eludendum istius rescripti mitius ingenium etiam in Urbe media, et ab ipso senatu : cum patres conscripti nihil morati edictum Antonini adhuc vigens, utpote non revocatum, attamen judicarent ex veteri lege, Christianos semel delatos, nisi a proposito suo recederent, nequaquam esse absolvendos ac dimittendos. Quare privati cujusque hominis invidiæ, et odio patebat eorum accusatio, et pœnæ intentatio, ubi semel fuissent in jus vocati : quod loculenter comprobat illustri exemplo Apollonii, ex senatus sententia capite plexi pro fidei Christianæ assertione, dum adhuc vigeret lex quæ contra delatores Christianorum extrema supplicia decreverat. Præstat integrum Eusebii textum hic reddere lib. v, cap. 21, exceptum ex Actis martyrum a se collatis. « Commodo, inquit, imperium Romanum obtinente, res quidem nostræ in tranquilliori statu versabantur, pace per Dei gratiam cunctas terrarum Ecclesias complexa. Atque interim salutaris Dei sermo ex omni genere hominum quamplurimos ad religiosum summi numinis cultum pertrahebat : adeo ut multi ex iis, qui in urbe Roma genere atque opibus eminebant, simul cum universa domo, ac familia salutem consecuturi accurrerent. Verum infestissimus bonis omnibus dæmon, et suopte ingenio invidus, istud ferre non potuit. Rursus igitur varias adversus nos machinas commentus armatur. Denique Romæ Apollonium quemdam e numero fidelium, qui in humanioribus litteris, et in philosophia eximius habebatur, in judicium adduxit, suscitato ei accusatore homine quodam perditissimo, qui ad hujusmodi flagitia idoneus imprimis minister dæmonis videbatur. Sed miser intempestive suscepta accusatione, cum imperatoris edicto capitalis pœna in eos qui talia detulissent esset constituta, confestim fractis cruribus occiditur, Perenne ejusmodi adversus ipsum sententiam pronuntiante. Martyr vero Deo acceptissimus, cum judex multis eum precibus obsecrasset, petissetque ab illo, uti coram senatu rationem fidei suæ redderet, elegantissima oratione pro defensione fidei suæ coram omnibus pronuntiata, capitali supplicio a senatu damnatus est. Quippe veteri apud eos lege sancitum erat, ut Christiani, qui semel in jus vocati fuerant, nisi a proposito suo discederent, nequaquam dimitterentur. Porro cuncta ab illo in judicio dicta, et quæcunque Perenni interroganti respondit, et orationem illam, quam pro fidei nostræ defensione in senatu habuit, quisquis nosse voluerit, ex antiquorum martyrum passionibus, a nobis collectis poterit percipere. » Hactenus Eusebius.

Hæc paulo fusius exponenda duxi, tum chronologiæ causa, tum historiæ. Video enim eos, qui de paucitate martyrum pro ingenii sui præjudicata opinione scripserunt, et Romanis pontificibus, non secus ac cæteris pluribus per provincias eamdem gloriæ coronam primo ac secundo sæculo adimere sunt conati, contra omnium Ecclesiarum documenta, ac traditiones, plerumque niti legibus Antoninorum, mitiora de nobis decernentibus, duriora in delatores nostrorum fratrum. His attamen legibus non revocatis, senatus edicta superiora et producebat, et sequebatur, ubi privatorum artibus iterum sisterentur judicio illustres etiam Christiani, quales Jus inus et Apollonius : et pœnam capitis de tantis viris sumebat, eodem principe non vetante, qui mitiora pro nostris edicta vulgaverat. Quare has observationes non inutiles fore judicavi ad liberanda, et vindicanda ab injuriosis exceptionibus ejusmodi criticorum A Aniceti, Soterisque tempora, eorumque, et aliorum secundi sæculi pontificum martyria et coronas.

Poterunt etiam inde colligi et confirmari conjecturæ non improbandæ circa sedis Romanæ vacationem ad aliquot menses protractam post Aniceti martyrium eodem anno 161, quo Marcus cum fratre Vero cœperat imperare; cum præter Marcionis asseclas, inducendi schismatis studiosos, quod ille æternum fuerat comminatus huic sanctæ Ecclesiæ per se illatum iri, retardarent designationem successoris turbulenta illa studia ethnicorum, post obitum Antonini Pii ad delationes Christianorum se comparantium. His enim obnoxium præ cæteris futurum noverat Romanus clerus quemcunque expedite elegisset, fervente adhuc œstro novorum delatorum; paulo autem securius occultatum iri ab ostium audacia, et ab insidiis tutatum iri pontificem, quem collocasset in sede, sedato paulisper impetu conquirentium ad necem Ecclesiarum præsules et doB ctores.

Nihil igitur impedit quo minus sequamur ductum catalogorum et aliorum codicum, ac monimentorum quæ supra memoravimus, ad constituendam electionem Soteris Dominica postrema anni 161, ejusque epochæ pontificalis initium desumi colligamus ex Kalendis Januarii anni 162, Rustico et Aquilino consulibus, ibidem perspicue signatis : donec absolutis annis 9, mensibus 3, diebus 21, sui pontificatus, concordi testimonio veterum picturarum, catalogorum, et codicum eidem attributis, martyrium parietur juxta ecclesiasticas tabulas pariter consentientes anno 171, die 12 Aprilis, qua colitur.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Fuit temporibus Severi a consulatu Rustici et Aquilini usque ad Cethegum et Clarum.* Consulatus uterque recte consignatus demonstrat erroC rem librarii in substituendo nomine *Severi* pro *Marci et Veri* nominibus, quæ distincte expressa leguntur in secundo catalogo ætatis Justiniani, quem catalogum Bibliothecarius exscribit.

Linea 3. — *Coustituit ut nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum poneret in sancta Ecclesia.* Indicaveram in notis ad præceptum Apostoli a Lino renovatum de velandis mulieribus in Ecclesia, primam hæresim Simonis, cæterarum antesignani, Selenem circumducentis tanquam suæ mentis Ennoiam, per quam angelos, occasionem dedisse contra eam præmuniendi fideles, ad declarandi aperte in conventu Ecclesiæ, feminas excludi penitus a sacerdotio, idque significari per velamen impositum mulierum capitibus dum orarent, ut intelligerent se esse sub viri potestate ; aperto autem capite viris orandum esse ut Christi sacerdotium sibi reservatum recordarentur. Addebam, imitatione Simonis Marcionem hæresiarcham, et Gnosticos istius ætatis de qua loquimur inde arripuisse D (ex Selene, ac Simone) ut complura officia sacerdotalia suis mulierculis communicarent ; tantaque arrogantia usurpata fuisse ab ambitiosis eorum feminis hæc ministeria, ut Firmilianus apud sanctum Cyprianum scripserit, constare, quamdam gregalem impiæ factæ eo audaciæ pervenisse, ut « frequenter sanctificare se panem, et Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino sine sacramento solitæ precationis offerret ». Vigiles Ecclesiæ pastores, quibus in Petri sede ovium pariter et agnorum est cura concredita, nascenti, seu renascenti malo Samaritani Simonis in Marcionis, et sociorum schola præsens remedium opposuerunt, apostolicæ scilicet disciplinæ prima decreta : ut clerici in sortem sacerdotii Christiani a Deo vocati a cæteris discernerentur externo quoque capitis signo. Id præstitit Anicetus, Petri tonsuram et Pauli clericis gestandam iterato præcipiens. Successor autem Aniceti Soter curavit renovari leges excludentes cæteros

fideles in sortem Domini non vocatos a contactu sacrati ministerii, quas edixerat Sixtus. Sixtina enim lex, quæ vel unice, vel præcipue prospexerat curæ ac diligentiæ præstandæ in contrectatione sacrorum, ne quidpiam scilicet oblati et consecrati muneris conversique in corpus et sanguinem Domini imprudenter excideret, atque in terram dilaberetur (cui periculo cavebatur reservato contactu vasorum sacrati ministerii solis ministris, divina institutione ad sacerdotium vocatis, et ad illud procurandum sedulo pontificum studio exercitis), ut redderetur etiam utilis ad cohibendas hæreses tunc subortas, et abusum Marcionis, ac feminarum ejusdem gregalium audaciam coercendam, qua ut ille ad episcopatum, ita istæ ad sacerdotium pertingere præsumebant, roboranda fuit per Soterem, interdicto quovis officio, ac ministerio sacerdotali etiam leviori feminis quibuscunque, licet sanctimonia professionis, et virginitatis titulo Deo per pontifices rite dicatis. Id enim *monachæ* appellatione (serius quidem inducta, et ex phrasibus catalogi secundi a bibliothecariis translata in hunc numerum, cum per ea de quibus agimus tempora *ancillæ Dei*, et *virgines Deo sacræ*, aut *Diaconissæ* appellarentur) intelligendum esse constat, tum ex adnotatis superius in Clemente ac Pio, ubi indicavimus consuetudinem ab apostolis profectam virginum Deo dicandarum, tum ex observandis infra ad Vitam Leonis Magni numero 67, ubi *monachæ* nomine exponitur ea quæ virginitatis dedicationem consequeretur benedictione velaminis capiti suo imponendi, per ritum paulo ante demonstratum in Pio, ex veteri pictura in cryptis SS. Martyrum reperta in cœmeterio Priscillæ. « Hic constituit ut monacha non acciperet velaminis capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate sexaginta annorum. »

CIACONII.

Linea 6. — *Quietiam sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia.* Sanctus hic pontifex sepultus est via Appia in cœmeterio, quod ipse contruxit, et Soteris de nomine suo appellatum est, quem post annos 670 Sergius pontifex Maximus hujus nominis secundus in Ecclesiam sanctorum Sylvestri et Martini in montibus titulo equitii transtulit: ut ex antiqua ibi inscriptione liquet.

PAGII.

Linea 1. — *Soter.* De Sotere, et Ecclesia Romana illustre exstat testimonium Dionysii Corinthiorum episcopi. Cum enim Ecclesia Romana esset opulentissima, aliarum ecclesiarum inopiam liberalitate sua sublevabat, et fratribus ad metallum damnatis, aut in exsilium missis, alimenta et munera submittere consueverat, quem *morem*, inquit Dionysius apud Eusebium, lib. IV. cap. 23, « *Beatus episcopus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit ; tum munera sanctis destinata copiose subministrans, tum fratres peregre advenientes tanquam liberos suos pater amantissimus beatis sermonibus consolando.* » Hæc S. Dionysius in epistola ad Romanos data. In hunc usum flebant collectæ in Ecclesia Romana, de quibus exstant aliquot S. Leonis papæ sermones. Quæ laudabilis consuetudo jam inde a primis apostolorum temporibus instituta, in postrema etiam persecutione Diocletiani servata est, ut lib. IV, cap. 23, testatur Eusebius. Quo tempore Ecclesia Romana Christianis ad metalla Palæstinæ, et per Ægyptum damnatis collectas pecunias misit. De hoc more Romanæ Ecclesiæ præter Dionysium Corinthiorum, loquitur etiam Dionysius Alexandrinus in epistola ad Stephanum papam, quam refert Eusebius lib. 7 cap. 5 *Syriarum quidem provinciæ omnes,* inquit Dionysius, *cum Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis.* Ita Valesius in notis ad cap. 23 libri IV Eusebii. Colitur S. Soter die 22 Aprilis.

SOMMIER.

Postquam Sommier lib. II *Hist dogmaticæ S. sedis retulit testimonia obsequentis venerationis SS. Polycarpi et Irenæi erga S. sedem Romanam, dum ad eamdem sese conferrent, responsi gratia obtinendi a Petri successoribus super quæstionibus de disciplina subortis, hæc subdit pag.* 138:

« Nempe hisce prioribus etiam sæculis respiciebantur pontifices Romani tanquam communes universorum fidelium patres non modo in vita spiritus immortali tuenda per Christi gratiam, verum etiam in temporalis vitæ subsidiis necessariis copori ministrandis, quæ infinito propemodum numero confessorum subtrahebantur a persecutoribus Ecclesiæ, cum ad extremam rerum omnium inopiam fideles Christi redigerent. Eusebius Cæsariensis oculatus testis luculenter ostendit a se spectata, et audita suæ, ac superiorum ætatum exempla, plane respondentia testimonio Dionysii Corinthiorum episcopi. Hic ad Romanos fideles scribens gratulatur, vigere apud ipsos consuetudinem, ab origine hujus Ecclesiæ perpetuo custoditam, ut omnia subsidia omnibus ecclesiis transmittere curarent, et singillatim ministrare fratribus indigentibus, præsertim ad metalla damnatis, præsidia vitæ. Id segniter observatum ab exordio suæ fundationis (*optima parens Romana Ecclesia*) nunquam non prætitit diligenter; beatus vero Soter, decessorum suorum imitator, ita prosequitur custodire, ut etiam cumulare superiorum pontificum beneficiis mantissam addat. »

Deinde Eusebii verba ex editione Oxoniensi profert ita Latine reddita :

« Romanorum consuetudinem, quæ assidue ad hanc persecutionem nostra ætate grassantem servata est, magnopere approbans (Dionysius) ista scribit: Apud vos is mos jam inveteravit, ut omnes fratres variis afficeretis beneficiis: et Ecclesiis permultis, quæ in civitate quaque sunt, vitæ mitteretis subsidia. Sic plane non solum egentium sublevatis inopiam, verum etiam fratribus, qui sunt ad metalla damnati, opem fertis: sicque per eo beneficentiæ subsidia, quæ jam a primis Ecclesiæ vestræ jactis fundamentis passim mittere consuevistis, cum sitis Romani, Romanorum consuetudinem a Patribus traditam sedulo observatis. Quam quidem certe beatus Soter vester episcopus, et hactenus custodivit diligenter, et mirum in modum suo propenso studio adauxit: idque non modo opes in sanctos reficiendos delegatas benigne subministrando ; verum etiam fratres ad ipsum adventantes, tanquam pater indulgens, et clemens in liberos, beato ac pio sermone ad virtutem cohortando. » (Euseb., *Histor.* lib. IV, cap. 22.)

His ex historia Eusebii productis sequentem subjicit observationem laudatus præsul Sommier inter notas ad Soterem merito eligendam, quæ merentur etiam referri inter observationes ad illustrandam Dionysii epistolam opportunas.

« In imagine antiqui hujus sanctique pontificis effigiem intuemur Clementis XI, ex eadem sede nos hodie gubernantis. Hujus plena humanitatis virtus, comitatis exceptio, indoles beneficentiæ, spectata eloquentia, et ars admirabilis animos devinciendi, et mentibus imperandi, atque inspirandæ pietatis ad se accedentibus, nota jam decora universis, et perspecta sunt. Experimento proprio hæc addidici: imo qua die hæc in litteras mando, accepi. Sanctitatem suam ex ærario pontificio transmisisse Parisios ingentem pecuniæ vim ad relevandas inclyti illius principis necessitates, qui decus catholicæ religionis prætulit regiis titulis suarum natalium. »

Quam libenter hæc in litteras mandaturum cum C. V. Sommier putamus Dionysium, si inter nos viveret ! In utroque enim principe continuatum ab origine sua Ecclesiæ Romanæ decus præcipuum agnosceret : in exsule, et fidei causa spoliato paternis regnis, constantiam confessorum ; in pontifice, hospitis regis gloriosam inopiam Romanæ Ecclesiæ con-

suetis præsidiis levante, Soteris studium, et charitatem : de qua nihil remisit sanctissimus Pater Innocentius XIII, *decessoris Clementis beneficia et Ro-* A *manæ Ecclesiæ characterem sua munificentia custodiens.*

XIV. SANCTUS ELEUTHERIUS.

ANNO CHRISTI 179, M. AURELII IMP. 17.

14 *Eleutherius, natione Græcus, ex patre* Abundio, *de oppido Nicopoli, sedit annos* quindecim, menses sex, dies quinque [a]. *Fuit* autem *temporibus Antonini et Commodi usque ad Paternum et Braduam* [b]. *Hic* [c] *accepit epistolam a Lucio Britanniæ rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum, et hoc* iterum firmavit, ut nulla esca usualis a Christianis *repudiaretur, maxime fidelibus*, quam Deus creavit, quæ tamen rationalis et humana est. *Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem :* presbyteros duodecim, diaconos octo, *episcopos per diversa loca numero quindecim. Qui* etiam *sepultus est juxta corpus beati Petri apostoli* in Vaticano, VII *Kalend. Junii,* et cessavit episcopatus dies quinque.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Juxta edit. Schelest. ex ms. Cæsareo.

Eleutherus annis... fuit temporibus Antonini et Commodi, a consulatu Veri et Herenniani usque Paterno et Bradua

Supplementum tacunarum catalogi ex dictis in Anicet

Eleutherus annis 15, m. 3, d. 21. Fuit temporibus M. Antonini et Commodi, a consulatu Severi et Herenniani usque Materno et Bradua.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, an. 15, d. 23. [b] B, M. Aurel. et Comm. usque ad coss. Commodum VIII et Pertinacem. [c] *Buron. ad an.* 183.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 14, *lin.* 5, esca, *in A et B deest* usualis. *lin.* 6, *AB,* ordinationes duas. *lin. cad. B* an. 16. *lin.* 7, *AB,* 14.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 2, ann. 15, m. 3, d. 2. *lin.* 3, Br. consules. *lin.* 4, Britannorum R, *lin.* 6, quæ tamen rationabilis.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1. Eleuterus. *lin.* 2 mens. 3 di. 2. *lin.* 5, B *deest* usualis. *ibid.*, repudiaretur, quæ tamen, etc. *lin.* 7, diac. 9.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Cass. et Flor.*, mens. 3, dies 2. *lin.* 5, *in Vat. deest,* maxime fidelibus. *lin.* 7, *Cass.* IX Kal. *lin. cad. Flor.*, dies 15

Apud Peniam ex Codice Cavensi.

Lin. 1, Eleuther natione, etc.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

(*Dissert.* 2, *cap.* 4, *num* 5.)

Persecutio itaque in Galliis mota fuit tempore Eleutherii papæ, cum M. Aurelius decimum septimum imperii annum ageret, in qua persecutione C passi sunt S. Pothinus episcopus, et alii quamplurimi, de quorum martyrio cæteri confessores carceribus inclusi ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ retulerunt. Exstat ea de re martyrum Lugdunensium epistola apud Eusebium lib. v, cap. 2, in qua Pothinum prope nonagenarium diris cruciatibus enecatum fuisse perhibent ; et addit Eusebius cap. 5 : « Igitur cum Pothinus (Photinum alii male legunt) anno ætatis nonagesimo una cum Gallicanis martyribus cæsus esset, episcopatum Lugdunensis Ecclesiæ post illum suscepit Irenæus. » Idem habet divus Hieronymus libro de Scriptoribus in Irenæo ; affirmat enim quod *Pothino prope nonagenario ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substitutus sit.* Ex quibus omnino sequitur, Irenæum in persecutione M. Aurelii Antonini, quæ anno imperii ejus 17, seu æra 177 cœpit, et cum morte ejus anno 180 finem accepit, Pothino in sede Lugdunensi successisse, cum jam antea a martyribus Lugdunensibus Romam missus fuisset ad Eleutherium papam, ut patet ex eorumdem martyrum litteris, quas refert Eusebius libro v, cap. 4, ubi testatur, Irenæum nondum episcopum fuisse, sed solum presbyterum, dum a martyribus Eleutherio commendatus fuit. Verba Eusebii sunt ; « Sed iidem martyres Irenæum, qui tunc temporis adhuc pre-

sbyter Lugdunensis Ecclesiæ erat, supradicto Eleutthero per litteras commendarunt. » Et presbyteri confessores in ipsis litteris : « Te per omnia, ac perpetuo optamus in Deo valere, Pater Eleuthere. Has litteras, ut ad te perferret, fratrem et collegam nostrum Irenæum hortati sumus. »

His positis sequitur, durante M. Aurelii persecutione, Eleutherium Romæ sedisse ; quod ut eminentissimus cardinalis Baronius suo calculo accommodaret, a Sotere annos aliquot auferendos esse censuit, et cui omnes antiqui scriptores, ac catalogi, tam mss. quam typis editi, ad minimum octo vel novem annos pontificatus tribuunt, ipse solum quatuor, minus diebus duodecim, reliquit. Posuerat Baronius Soteris initium anno 175 : cui si cum Eusebio et S. Prospero octo annos, vel, cum catalogis ac Libro Pontificali, annos novem tribuisset, Eleutherius non nisi anno 183 vel 184 sedere cœpisset. Hoc autem cum martyrum Lugdunensium testimonio repugnare videret, Soteri tantum tres annos, undecim menses, et octodecim dies tribuit, ad hoc ut mors illius anno 179 collocari, et ante obitum M. Aurelii Irenæus ad Eleutherium Soteris successorem legatione fungi potuisset. Notat tamen ad ann. 179, num. 51 : « Si quis autem certiorem de annis Soteris invenerit chronographiam, qua tamen non rejiciatur Cletus e numero Romanorum pontificum, nec litterarum martyrum Lugdunensium sincerum testimonium contemnatur, haud inviti assentiemur. » Hæc cum adnotaverit ipse Baronius, debitam ipsi reverentiam servantes, recessimus ab ejus sententia, certiorem chronotaxim statuendo circa nonnullos pontifices, de quibus aut ex antiquis monimentis, aut veterum testimoniis adeo claré constat, ut de tempore, quo pontificatum gesserunt, ambigere minime liceat. Statuimus id de Petri apostolorum principis, Clementis, et Alexandri temporibus, quibus martyrio coronati sunt. Idem de Soteris pontificatu ostendere cœpimus, de quo certum est decimum septimum M. Aurelii imperatoris annum, quo persecutio cœpit, excedere non potuisse. Tempore enim illius persecutionis martyres Lugdunenses sæpius ad Eleutherium papam scripserunt, ut testatur Eusebius in Historia lib. v, cap. 1, ubi epistolam illorum exhibet, quam D. Irenæo ad Eleutherium deferendam tradiderunt.

Porro circa tempus Soteris papæ, quo martyrium subivit, et Eleutherio cathedram Romanam reliquit, eminentissimus cardinalis Baronius a nobis dissentit tantum in duobus annis, quibus a vera chronotaxi primorum pontificum perpetuo deflectit. Quare omnia gesta ecclesiastica duobus annis postposuit ; qua ratione etiam factum est, quod M. Aurelii imperatoris annum decimum septimum, qui cum æra 177 concurrit, ad annum 179 retulit. Si autem annus 17 Marci Aurelii æræ suæ 177 restituatur, nobiscum sentiet Baronius circa tempus persecutionis, quo Soter martyrii palmam adeptus est, et Eleutherius Romanam cathedram obtinuit. Audienda sunt Baronii verba ad annum 179, ubi agens de persecutione in qua martyres Lugdunenses occubuerunt, ita scribit num. 50 : « Hac item persecutione sublatum fuisse Soterem papam, litteræ martyrum Lugdunensium, quæ hoc eodem persecutionis tempore scriptæ sunt ad Eleutherium ejus successorem, necessario nos affirmare compellunt ; licet alii annos novem eidem tribuerint. Sed quod tres tantum ordinationes fecisse reperiatur, haud longiori tempore sedisse, possumus opinari. Eusebius autem in Chronico, anno superiori nempe decimo sexto Marci imperatoris, ponit Eleutherium suffectum in locum Soteris, sed in historia hoc ipso anno decimo septimo : cui, quoniam credimus id accepisse ex litteris martyrum Lugdunensium, haud inviti astipulamur ; cum alioqui in reliquis præteritis Romanis pontificibus, quod prætermiserit Cletum, haud possumus eidem assentiri. Sic igitur in re ambigua, non tam ex ipso Eusebio, quam ex litteris sanctorum Lugdunensium martyrum, hoc tempore ad Eleutherium scribentium, Soteris obitum, atque Eleutherii ingressum consulto ponendum esse existimamus. » Atque hæc Baronius, cujus regulam de temporibus prædictorum pontificum ex litteris martyrum Lugdunensium secuti, veram eorumdem chronologiam tradidimus.

Linea 3. — *Hic accepit epistolam a Lucio Britanniæ rege.* Idem refert Ven. Beda lib. I Hist. Gentis Anglorum c. 4, ubi : « Cum Eleutherius vir sanctus pontificatui Rom. Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, et mox effectum piæ postulationis consecutus est. » Quæ omnino concinunt catalogi et Libri Pontificalis verbis.

BENCINI.

Linea 5. — *Hic firmavit ut nulla esca usualis a Christianis repudiaretur.* Judaizantium, sicut Pius, errorem alium perstringit pontifex, qui in cibis delectum superstitiosum tuebantur. Cum Eleutherio alii ecclesiastici scriptores convellere eodem tempore elaborabant superstitionem, uti Clemens Alex. l. II Pædag., c. 1 et seq. Dicitur *hic firmavit* : vel quia Pius in priori adversus Judaizantes decreto, id vetaverat ; vel quod verius est, Pauli præceptum I Corinth., c. VIII datum, publicandum censuit et confirmandum. Porro hæc Eleutherii translatio, cum certo constet Pium non successisse, firmare videtur nostras conjecturas de Libro Pontificali aucto per additiones, quæ in schedulis, aut in catalogis additæ, deinde occasionem dederunt, ut consarcinarentur. Sed hanc provinciam lustrandam aliis relinquimus : nos in notis ordinem libri sequimur.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 8. — *Sepultus est.* Martyr, an confessor, incertum est. In Martyrologio appellatur quidem martyr ; sed id nomen etiam frequenter tributum est confessoribus, maxime illis, qui fidei causa cruciatum aliquem sustinuerunt, ut probat Baronius in notis pluribus ad Martyrologium.

(Ex Lab.). Linea 1. — *Abundio* Lege *Abundantio.*

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sotere martyrii coronam adepto 22 Aprilis anno 171, ad Petri sedem provectus fuit Eleutherius : cujus exordio tribuuntur consules ejusdem anni *Severus II et Herennianus* in catalogo Liberiano mendose scripti defectu primæ syllabæ *Verus et Erennianus,* quemadmodum, et in postremis ejusdem sedi assignatis tum in eodem catalogo, tum in secundo ætatis Felicis quarti, necnon in Libro Pontificali, aliisque codicibus recensitis inter Prolegomena fol. XCIII, corrupte leguntur consules *Paternus et Bradua,* et in Lectionariis impressis per Lucam Antonium Junctam anno 1562, corruptius exhibentur *Patrianus et Bradua ;* cum tamen *Maternus et Bradua* appellandi sint, ita consignati compluribus in inscriptionibus apud Gruterum CXCII, 19 ; Sponium Antiquit. pag, 80 ; Almeloveen, in epistola Cuperi ad Fastos Consulares, n. 11. Episcopatus anni *quindecim* Eleutherio tribuuntur consensu omnium catalogorum. Adduntur menses *tres* a catalogo Felicis IV (nam lacuna Liberianum hic occupat, ut antea monui) : quem sequuntur Colbertini duo ; licet alii *sex* menses exprimant, et Belgicus Papebrochii *quatuor.* Hunc cæteris præferendum censeo, utpote consentientem cum picturis Leonianis basilicæ S. Pauli ; prout etiam in diebus *quinque,* tum ibi spectandis, tum in catalogis Italiæ, et quinque ex Colbertinis. Quocirca temporis summam Eleutherio

assignandam censeo annorum 4, mensium 15, dierum 15.

Ex 26 Maii, qua recolitur martyrium beati Eleutherii, et ex consulibus Materno et Bradua anni 185, regressu facto in anteriora tempora per annos 15, menses 4 et dies 5 provenit ejusdem ordinatio ad episcopatum die Dominica 22 Januarii anno 170, quindecim solidis mensibus antequam decessor ejus Soter martyrio coronaretur, quod contigit, ut supra diximus, 22 Aprilis anni 171, Severo II et Herenniano consulibus.

Hos itaque consules Severum Herennianum retulit catalogus Liberianus ad initium epochæ pontificalis Eleutherii ; cum parietur ex ea die rationibus anni pontificalis, apud Catalogorum scriptores renovandi Paschali tempore circa Ascensionem Domini, quemadmodum diserte profitetur auctor catalogi Liberiani in Præfatione: « et post Ascensionem ejus beatissimus Petrus episcopatum suscepit *Ex quo tempore* per successionem dispositum, quis episcopus, et quot annos præfuit, vel quo imperante: » præcipue cum Romæ civilis usus annorum ab Urbe condita ex parilibus, adhibitus in fastis marmoreis tam consularibus quam triumphalibus, necnon in collegiis sacerdotalibus ad Acta publica marmori incidenda, paria faceret cum pontificalibus annis nostris, ita dispositis ex instituto ejusdem catalogi. Vide observata superius in notis col. 1020, 1139, 1149. Fuit altera quoque causa tribuendi eosdem consules Eleutherio ; cum ad mensem Januarium, quo novi consules annum aperiebant Julianum, referenda sit ejus ordinatio ad episcopatum ; ut colligitur ex die martyrii, atque ex memorata summa annorum, mensium, ac dierum, eidem attributa in catalogis et picturis quarti et quinti sæculi. Necesse igitur est vicarium Soteris recognoscere Eleutherium per 15 illos menses, qui intercedunt ex die 21 Januarii, Dominica ordinationis Eleutherii, ad diem 22 Aprilis, natalem Soteris ex martyrio suo redditam : consuetudine satis recepta vicarios in Urbe in persecutionibus promovendi, aliisque Ecclesiæ necessitatibus.

Martyriorum non infrequens fuit imperium M. Aurelii, licet et Antoninus pater, et ipse Marcus rescripta dedisset pro Christianorum securitate, quæ observata sunt in notis historicis ad S. Soterem. Ex quo Romæ Justinus philosophus Christianus, qui pro nostra causa peroraverat ad principes et senatum, publico judicio capitis damnatus est cum sociis, anno 175 juxta Chronicon Alexendrinum et Baronium, quem ad 167 referri monet Ruinartius (*in Actis* pag. 42) vel anno 170, juxta calculos Papebrochii ; mirum non est, si mors illata fuit Romæ etiam Soteri papæ. Rectores provinciarum pulsabantur ethnicorum libellis, philosophorum et sophistarum artibus, sacerdotum querelis, et insani vulgi clamoribus, dira contra nos imprecantibus ; ut abunde comprobant apologiæ ipsæ Justini, ac Tatiani scripta, et epistolæ martyrum Lugdunensium ad Eleutherium papam transmissæ per Irenæum, tum temporis presbyterum, ab Eusebio relatæ lib. IV Historiæ cap. 1. Importunis igitur petitionibus extorquebant ab eodem principe, mitiora de nobis jubente, potestatem gladii contra fideles exercendi obtentu Christiani nominis ; quod luculenter ostendunt Acta eorumdem martyrum Lugdunensium ac Viennensium in Galliis et in Urbe, nedum aliis in provinciis gesta et passiones, ut Polycarpi ac sociorum in Asia, Ptolemæi sociorumque in urbe Roma sub præfecto urbico, quæ Ruinartius ad annum 166, Marci Aurelii et L. Veri quintum, referenda esse demonstrat. Tertullianus in Apologetico adversus gentes confirmat ea quæ dicimus, dum eximit M. Aurelium e numero debellatorum Ecclesiæ, ejusque litteras indicat, memorantes *Germanicam sitim Christianorum militum precationibus insperato imbre discussam*. Subdit enim, quod imperator ut, *non palam ab hujusmodi hominibus (Christianis) pœnam dimovit, ita alio modo palam dispersit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, et quidem tetriore*. His ostendit principem nobis cæteroqui non infensum, imo et propensiorem, etiam post recepta a Deo beneficia precibus militum Christianorum exercitus præservati, eaque contestata senatui populoque Romano, pœnales tamen leges pridem contra nos editas non abrogasse ; quod satis erat ut judices ex officio inquirendi contra nos potestatem pro lubitu exercerent. Excogitavit quidem remedia, quibus redderentur difficiles criminationes ac delationes Christianorum, hostibus præsertim privatis, periculum subituris adjectæ contra illos pœnæ, nisi ex legibus non abrogatis reos peregissent quos publico judicio sisti curassent. Quæ cum attente considero, videor mihi satis perspicue definire posse per decennium imperii sui primum ita non vetitas delationes et accusationes Christianorum, ut præsides provinciarum et magistratus urbani jus gladii exercerent tanquam in reos violatæ religionis contra Christianos, juxta praxim a Trajano mandatam Plinio proconsuli in Bithynia, quam Tertullianus indicat Apologiæ cap. 2, et Eusebius Historiæ lib. III. cap. 27, uti observat Baronius ad annum 104, num. 6 et 7. Tertullianus : « Tunc Trajanus rescripsit, hoc genus inquirendum quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos, ut innocentes, et mandat puniendos, ut nocentes. Parcit et sævit, dissimulat et animadvertit. » Trajanus epistola 98 libri X. inter Plinianas : « Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum qui Christiani ad te delati fuerunt, secutus es. Neque enim in universum aliquid quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt ; si deferantur et arguantur, puniendi sunt. » Eusebius ista recensens, quid inde sequeretur admonuit : « Quo facto, *inquit*, persecutionis incendium, quod nobis violentius incumbebat, restinctum quidem aliqua ex parte videbatur ; iis tamen qui nos maligne et fraudulenter aggredi vellent, non minor opportunitas suppetebat, interdum populo, interdum præsidibus provinciarum adversus nostros insidias comparantibus. Adeo ut si non palam et publice, locales tamen in aliquot provinciis persecutiones exardescerent, et plurimi ex fidelibus multiplicis martyrii certamen subirent. » Et rursus exponens praxim a Plinio proconsule observatam, quam Trajanus rescribens approbaverat, ait hanc fuisse, *ut quosdam damnaret, quosdam gradu pelleret*. Ex his itaque legibus, consuetudinibus et rescriptis Trajani non abrogatis actum esse dicam sub Antonino Pio et sub M. Aurelio, priori ejus imperii decennio labente, donec anno decimo in expeditione Germanica dum ageret, impetrata cœlitus pluvia precibus Christianorum (cujus rei documentum illustre visitur in columna Cochlide, ejusdem belli gestis anaglyptico opere insculpta), in posterum Marcus edixit mitius agenduum contra Christianos, in epistola per Eusebium inserta libro IV, cap. 13, sublatis delationibus quas Trajanus permiserat praxim Plinianam approbans, neque Antoninus Pius sustulerat, licet sæviores Adriani leges silere jussisset.

Operæ pretium est hujus epistolæ ab Eusebio productæ auctorem ac tempus ostendere, ad comprobandam historiam pontificum et martyrum secundi, de quo agimus, sæculi. Valesius in doctis, adnotationibus ad Eusebium pridem ostendit, graviter lapsum historicum, qui eamdem epistolam tribuerit Antonino Pio ; cum ipsa inscriptio evidenter ostendat referri ad M. Aurelium. « Errat, inquit, Eusebius, qui Antonino Pio hanc epistolam tribuit, cum sit divi Marci, ut ex inscriptione ipsa apparet, scripta anno primo ejus imperii, cum ipse esset tertium consul. « Subdit vero » : Hunc errorem Eusebii vidit quidem auctor Chronici Alexandrini, sed illam

epistolam male assignavit anno ejus decimo. » Pro auctore Chronici Alexandrini contra Valesium (salvo tanti viri honore) definiendum evidenter est eadem ex inscriptione epistolæ, unde ipse merito arguebat perperam attributam fuisse Antonino Pio tam ab Eusebio, quam a Zonara, definiendum inquam est epistolam datam fuisse anno imperii M. Aurelii non primo, sed decimo, et tribunitiæ potestatis titulum non XV, sed XXV præferre debere. Titulus epistolæ talis ab Eusebio consignatur : « Imp. Cæsar M. Aurelius Antoninus Augustus Armeniacus pontifex Maximus trib. potest. XV, cos. III. Communi Asiæ, » etc. *Armeniaci* titulus, quem exprimit in hac epistola imperator, tributus illi non fuit nisi post annum imperii tertium jam initum cum tribunitiæ potestatis numero XVIII, ut nummi docent, et inscriptiones. Nuspiam legi potest *Armeniaci* cognomentum cum trib. pot. XV, vel XVI. Nam labente M. Aurelii trib. potestate XV, Vologæses Parthorum rex, cæsis Romanorum copiis, Syriam vastabat, cum Armeniam occupasset. Bellum Parthicum statim decretum. Expeditio a L. Vero suscepta : et post biennium Vologæses a Cassio victus. Hinc cœpit M. Aurelius *Armeniaci* nomen obtinere, cum trib. potest. XVIII et consequentibus, jugatum. Vidit Valesius ad Pium referri non posse titulum *Armeniaci*, quod miror non observatum Eusebio. Non vidit Valesius eum numerum trib. pot. XV, tam repugnare in Marco appellationi Armeniaci, quam Armeniaci appellatio repugnabat Pio. Foverat Eusebius Pium non pertigisse ad trib. pot. XXV, cum ex XXIV deliberaverit tantum dies XI, unde et in Chronico illi tantum assignat annos imperii solidos XXIII. Quare detrahendam fortasse duxit primam decadem numero XX, recte jugato titulo Armeniaci in M. Aurelio. Sed auctor chronici Alexandrini retinens integrum numerum XXV, in M. Aurelio Armeniaci nomen pridem adepto, ad decimum ejus imperii annum rescriptum epistolæ pertinere probe intellexit, et fideliter consignavit. Confirmat hanc nostram restitutionem trib. pot. XXV, cum auctore laudati chronici præter appellationem Armeniaci etiam forma rescripti, solum nomen M. Aurelii præferens, non adjecto nomine Veri fratris ad imperii consortium assumpti : quod omissum non fuisset anno primo communis imperii, quando leges utriusque fratris titulo edebantur, ut ostendit ea, quæ signata est nota anni 161, iisdem Augustis fratribus consulibus l. 2, C. *de Procuratoribus*, et altera, quæ signatur coss. anni 162, Rustico et Aquilino, l. 3, C. *de alendis liberis a parentibus*. Cum enim Antoninus Pius vita perfunctus fuisset Nonis Martii anni 161, M. Aurelio et L. Vero coss., Marcus ita expedite associavit Augustæ dignitati fratrem, et collegam Verum, ut intra dies 14 a patris obitu epigraphe Puteolana, a cl. v. Jo. Vignolio edita in fine libri de Columna Pii, pag. 322, incisa X Kal. Aprilis, utrumque fratrem et consulem appellet imperatorem Cæsarem Augustum trib. pot., etc. Probabile non videtur solum Marcum rescripturum fuisse Asianis, cum uterque Augustus jus diceret universis. Anno autem decimo imperii M. Aurelii tr. pot. XXV gerentis anno Christi 171, solus respondit Communi Asiæ ; cum in fine anni 169 L. Verus tr. potestatem numerans IX nondum completam, dum M. Aurelio labebatur XXIII vita excessisset media hieme, ut historici referunt, et nummi contestantur. Solus, inquam, eo anno 171 nominatur in epistola, quippe qui fratre ante biennium circiter amisso, in consortium imperii nondum assumpserat filium Commodum. Augusti nomine, ac tribunitiæ potestatis titulo serius donatum, scilicet anno Christi 175, mense Augusti, cum M. Antoninus pater numeraret trib. potest. XXIX. Ante hoc rescriptum anni 161 impune poterant accusatores deferre, et in judicium vocare Christianos ex lege illa temperatæ sevitiæ, quam praxis Plinii, et *approbatio* Trajani non abrogata judicibus permittebat, ut sequerentur. Quare te oportet diligenter perpensis, ac restitutis per genuina documenta, quæ attulimus, constare potest, cur anno 161 post mortem Antonini Pii revixerint delationes adversus cultores Christianæ fidei, tam in Urbe quam in provinciis, eoque anno martyrio coronatus sit pontifex Romanus Anicetus die 57 Aprilis, et anno 164, Polycarpus in Asia, Justinus Romæ anno 165, juxta chronicum Alexandrinum, juxta alios 167, vel 170, et anno 171, die 21 Aprilis Soter pariter pro Christo occisus ; cum M. Aurelius vix attigisset alterum mensem trib. potest. suæ XXV, nondum in Italiam regressus a bello Germanico, quo adhuc detinebatur : et ubi eodem anno trib. pot. XXV, procedente expertus opem divinitus sibi impetratam precibus Christianorum contra Marcomannos, siti exercitus æstivo tempore relevata, potuit epistolam dare ad commune Asiæ, et ad senatum perscribere quidquid Eusebius memorat cum Tertulliano.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 3. — *Hic accepit epistolam a Lucio Britanniæ rege, ut Christianus efficeretur*, etc. De legatione Lucii regis ad Eleutherium papam, ejusque epocha satis convenit inter vetustiores illius insulæ scriptores, et inter eos e recentioribus, qui diligentia excellunt in antiquitatibus Britanniæ investigandis, videndos apud Usserium de Britannicis Ecclesiis pag. 29, ubi hæc habet de Mariano Scoto, Bedam secuto in connectendo initio Eleutherii cum anno 16 M. Aurelii Antonini et coss. Pollione et Apro. : « Legationem Lucii cum Beda ad initium Eleutheri, et horum utrumque ad consulatum Pollionis et Apri non male retulit. » Quare latius circumscriptum haberi debet a Beda initium Eleutheri, et legatio Lucii, quando utrumque pariabat cum anno 167, ut idem Usserius scribit pagina proxima, ubi admonet ex libro Pontificali initium Eleutherii cadere in annum 171. Longum esset attexere scriptorum classes integras, pluribus e sæculis ibi productas ad illustrandam Lucii regis historiam, et origines Ecclesiarum ejus insulæ præcipuarum, capitibus tertio et sequentibus, usque ad 7, præsertim vero illarum 28 (quot etiam Beda connumerat), quas ex Ninii catalogo ab antiquissimis duobus exemplaribus Cottonianis descripto, et cum aliis novem collato recensuit pag. 83, cum legi apud eumdem possint. Operæ pretium me potius facturum judico ; si occasione prosequendi extensionem Christiani nominis in Britannicæ insulæ partibus Romanæ dominationi non omnimode subjectis, ita flagitante atque adnitente Lucio rege, et papa Eleuthero adlaborante, et annuente piis votis, delibem summa capita constitutionis illius provinciæ Britanniæ : quæ potiorem insulæ partem per tria priora sæcula complexa est, deinde sub Constantino in plures divisa fuit. Decerptam nonnulla ex adversariis, quæ aliquando seposueram ad illustrandam notitiam provinciarum ecclesiasticarum, huic secundo sæculo respondentem. Hæc enim nonnihil lucis affundere fortasse poterunt universis numeris hujus Libri Pontificalis, ubi legimus fere per singulas earum, *episcopos per divera loca* ab eo pontifice constitutos et ordinatos.

Observaveram igitur cum beato Leone Magno divinæ providentiæ consilio suaviter, ac fortiter singula disponente, paratam fuisse, quasi vehiculum Evangelio in orbem universum perferendo, magnitudinem atque unitatem Romani imperii, et fœdera cum remotissimis terrarum tractibus a Romanis principibus inita. « Disposito namque divinitus operi (ait S. Leo, *sermone 1 in Nat. apostolorum*) maxime congruebat, ut cito pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis. » Nascente Domino, juxta vaticinia prophetarum, dum terrarum orbis esset in pace compositus,

et per eos Augusti annos, quibus edictum vulgatum fuerat ab eodem Cæsare, *ut describeretur universus orbis,* ordinatio provinciarum sub uno principe non modo facilem aditum parabat designatis præconibus Evangelii, verum etiam ordiebatur in civili dispositione regionum, nexuque oppidatim per eas contexto, quoddam specimen ordinati sanctiorisque regiminis, paulo post contradendi a pacis Principe Christo Domino suis apostolis, eorumque successoribus in episcopatus Christiani hierarchia, quam erat proxime fundaturus. Hanc artem divini consilii cum ante Leonem Magnum probe cognosceret princeps apostolici cœtus, et primus Ecclesiæ suæ hierarchia electus a Christo Domino Simon Petrus, Orientis et Occidentis præcipuis sedibus constitutis adjecit tertiam in Ægypto, unde Meridionalium regionum tractus amplissimi legatos Christi reciperent, ad Indos usque, ac Æthiopas potestatis suæ terminos prolaturos : quibus tamen omnibus, ut intelligerent cathedræ illius auctoritatem esse prælatam, quam ipse vivens ac moriens donasset privilegio suæ successionis in amplissima potestate, quanta fuerat sibi a Redemptore humani generis collata supra universos fidelium cœtus ; hanc in urbe Roma figere voluit, caput orbis, et imperii pridem effecta, per Europam, Asiam, et Africam propagati : unde facilius possent tum ipse, tum successores in quæcunque terrarum spatia suas leges perinde ac legationes transmittere. Famulabantur consilio divini operis non modo pax, et ordinatio provinciarum, ac sensus civium, et fœdera Augusti cum remotissimis regibus, verum etiam bella, et victoriæ, itinera, et partitiones provinciarum, militares expeditiones, coloniarum deductio, legionum transvectio, præsidum sortitio, ac universa propemodum gesta Reipublicæ, et Cæsarum consequentium. Sive in Britanniam moverent Caius Caligula et Claudius ; sive in Armeniam Nero ; sive in Judæam Vespasianus ; sive Trajanus in Daciam, Parthiam, et Mesopotamiam ; sive Adrianus barbaris restitueret ea quæ Trajanus ademerat ; sive lustraret ipse, ejusque exemplo Antoninus provincias, et creris itineribus totum imperium redderet pervium ; sive Romanis legionibus communiret ; sive etiam maria et insulas continenti conjungeret, instructis in Italia classibus Superi Maris, et Inferi, Ravennati, ac Misenati ; sive limites imperii firmaret collocatis exercitibus Britannico, Cappadocico, Dacco, Germanico, Hispanico, Illyrico, Mauritanico, Mœsiaco, Rhetico, Sarmatico, Syriaco, spectandis in nummis Adriani : universa hæc Evangelii perferendi apparatus, et comitatus erant, et adjumenta, non hominum vano consilio ad temporariæ tantum vitæ usus hæc dirigente comparata, sed sapientiæ divinæ nutu, ac potestate disposita, ac ministrata Christi gloriæ, et electorum saluti : cui omnem præsto esse creaturam, et servire nec cogitantem, atque etiam contra stimulum calcitrantem jubet. Quantum enim facilitatis conciliaretur missionibus apostolicis ex Urbe dirigendis a summo Ecclesiæ hierarcha in dissitas quascunque regiones frequens legionum transvectio, magistratuum majorum minorumque profectio ferme quotidiana ad provincias et copias regendas, satis attigi supra, ad numerum primum, cum perpenderem divinæ providentiæ vim plane admirabilem, quæ infirma mundi eligens, ut fortia quæque confundat, exigit sapientiæ suæ consiliis servitium præstari, et compendia etiam ab insanis et ludicris hominum cogitationibus : quemadmodum observatum fuit in Caio Caligula, quando legiones undique accitas ad Britannicam expeditionem eduxit, et « directa acie in littore Oceani (*Sueton.*, cap. 46 illius Vitæ) ac balistis machinisque dispositis, nemine gnaro ac opinante quid cœpturus esset, repente ut conchas legerent, galeasque, et sinus replerent, imperavit : spolia Oceani vocans Capitolio, palatioque debita. » Insani principis vanitatem, *et Caianarum expeditionum ludibrium,* ut appellat Tacitus Hist. lib. IV. cap. 15, ita serio sibi famulari adegit Dei sapientia, ut hoc uno levitatis humanæ joco adduxerit e Syria ad Britannos complura Romanorum civium millia, ascripta legionibus, quartæ, sextæ, ac decimæ, inde transvectis ad hanc expeditionem : quorum militum plerique veterani ante annos quatuordecim interfuerant Christi Domini prædicationi, et miraculis, morti ac resurrectioni, vel ejusdem discipulorum gestis adesse potuerant multo recentius, testes oculati mirabilium ac magnalium Dei. Sive cum Cornelio centurione cohortis Italicæ meruissent ; sive cum alio centurione evangelico, cujus fidei parem se in Israele non invenisse Salvator dixit ; sive cum militibus in morte Domini conversis, et exclamantibus, *Vere Filius Dei erat iste ;* sive cum Paulo ex persecutore in apostolum repente converso ; sive cum equitibus Cæsarianis supra memoratis cum Clemente Alexandrino, alioque scriptore, aut cum iis, qui de domo Cæsaris erant, et in fine Epistolæ Pauli ad Philippenses ab Urbe datæ recensentur, Roma profecti sint in Britanniam ; poterant tum annuntiare de Christo Domino ejusque Ecclesia quæ viderant, tum discipulos Domini, aut apostolorum secum transvehere in easdem provincias. Verum de Britannia Evangelii luce illustrata paulo post agam distinctius. Nunc generatim prosequor facilitatem perferendæ Christianæ fidei in quaslibet provincias Romanas, et in regiones Romanis limitibus proximas, earumque regionum, ac provinciarum Ecclesias nectendi cum capite universarum constituto in sede Romana a principe apostolorum. Nam ubi semel Christo nomen dedissent Romani cives, præsertim eo loco nati esquisiris, aut patriciæ nobilitatis, quorum de numero prætores, proconsules, legati ab Urbe in provincias mittendi forent, vel quotannis, vel per triennia, et quinquennia ; Romanus quoque pontifex uti poterat parata occasione, et comitem illis dare presbyterum, aut etiam episcopum a se ordinatum, ut ejusdem provinciæ, præfecturæ, ac vicinarum gentium oppidanis, et incolis sacra administraret, vetustos errores, ac novos, eorumque sectas detegeret, atque expurgaret fidem, ac disciplinam catholicam ibidem constabiliret, ac promoveret; et, ut verbo universa complectar, par illi copia dabatur cognoscendi per triennia singula Ecclesiarum illarum statum, et religionis incrementa, ac hodie detur per triennales visitationes sacrorum liminum apostolicorum, episcopis indictas in eorumdem consecratione, dum student Romanum pontificem pastorem universi gregis Dominici certiorem reddere de fidelium progressu eumdemque consulere de rebus ad divinum cultum pertinentibus, et ad æternam salutem populi eadem in provincia sibi concrediti. Hac vero opportunitate usos fuisse Petri successores comprobari potest ex primis episcoporum sedibus, ibi plerumque constitutis, ubi Coloniæ civium Romanorum splendidæ fuerant deductæ, aut Romanorum exercituum sedes, et castra Præsidiorum posita ab Adriano, et Antonino, sive etiam a superioribus principibus, aut successoribus. Adrianum tamen, et Antoninum præcipue nomino ; quod hi compleverint hoc secundo, de quo nunc agimus, sæculo provinciarum Romanarum ordinationem primam ab Augusto editam, eamque perfecerint post accessiones sub Claudio, Nerone, Vespasiano, ac Trajano celebratas. I. De Fraisse canonicus Carnotensis. auctor opusculi de Origine Ecclesiarum Galliæ cap. 5 decernit, Treviros, Lugdunum, Viennam inter Galliarum civitates haberi primas, quæ episcopos obtinuerint In Tabula chronologica, quam construxit cap. 10, ad annum Christi 68, refert S. Eucharium Trevirensibus datum fuisse episcopum eodem anno, quo etiam putat apostolorum principem martyrio coronatum. Anno autem proximo censet S. Crescentem Moguntinis

episcopum a beato Lino constitutum. Anno 140 figit epocham episcopatus Lugdunensis, tunc erecti per Telesphorum : qui et ablegavit Pothinum episcopum, sancti Polycarpi discipulum. Anno 167 Viennensibus infert beatum Severum episcopum : qui ex Perside vocatur ad annuntiandum in Galliis Evangelium. In his autem illustribus qua coloniis, qua legionum hibernis castris, quæ metropoles plerumque fuerunt provinciarum, aut emporia, solebant Romani pontifices constituere episcopos, qui vicarii quoque apostolici auctoritate pollerent, ex causa quam attulit Cœlestinus primus epistola 13, inter Holstenianas a Schelestrate producta in dissert. de Auctorit. patriarchali, cap. 3, pag. 41 : « Sunt culpæ aliquantæ non leves, quæ illis innatæ provinciis (per Illyricum) ad nos, cum simus longius, non possunt pervenire, aut jam semotis omnibus, non ita ut sunt acta interposito temporis spatio perferuntur : quas omnes nos intercessione fratris, ac coepiscopi nostri Rufi (is erat Thessalonicensium episcopus), cujus experimentum comprobatum esse in causis omnibus, et vitæ actibus liquet, volumus reservari. Cui vicem nostram per vestram provinciam noveritis esse commissam, ita ut ad eum fratres charissimi, quidquid de causis agitur, referatur ; sine ejus consilio nullus ordinetur ; nullus usurpet eodem inconscio commissam illi provinciam ; colligere nisi cum ejus voluntate episcopos non præsumat : per eum etiam ad nos, si quid est, referatur. » Neque id primum Cœlestinus constituit, sed ante illium Damasus jam perfecerat ea de causa, quam idem Schelestratius refert pag. 49, ut obsisteret episcopi Constantinopolitani usurpationibus, et Romæ veteris ea esset prærogativa, quæ ex prisca apostolica disciplina (ut verbis Theodosii probat Schelestratius in notis ad Leonem) semper effecit, ut omnibus Ecclesiis præesset, « utque per hos provinciarum episcopos in majoribus urbibus constitutos ad Petri sedem universalis Ecclesiæ cura confluueret, et nihil usquam a suo capite dissideret, » quemadmodum, et Leo Magnus affirmat epistola 54 ad Anastasium Thessalonicensem. Vide Schelestratii laudatam dissertationem ubi supra.

Has igitur ad colonias illustres, aut metropoles provinciarum, vel emporia, et oppida constituta prope castra stativa legionum, et civium Romanorum, licet facilis esset accessus præconibus Evangelii illuc directis, non tamen eisdem assignabantur facile sedes episcopales, nisi constaret de ordinatione provinciæ temporibus ita pacatis, ut mutatio repentina timeri minime posset, quæ statum provinciæ subverteret. Quare in provincias nondum liberas ab excursibus barbarorum, aut ab intestinis indigenarum motibus, ante pacata Adriani tempora et Antoninorum, episcopi sæpe mittebantur vicariorum apostolicorum more ad eam nationem directi, in qua possent excurrere quocunque necessitas advocaret. Ubi autem pax regionis videbatur spondere durabilem provinciæ constitutionem, et opportunitas daretur ultro citroque commeandi Romam ex provincia, et ad provinciam ex Urbe, et quod inde consequebatur conferendi de statu illarum Ecclesiarum cum Romano pontifice : ibi episcopos Romanus pontifex constituebat, ut sedis certæ ac successionis ordine in coloniis, metropolibus, emporiis concreditum sibi populum regerent, ac docerent. Quocirca Innocentius I epistola prima ad Decentium per Occidentalem imperii tractum regiones enumerans Romanis subditas, ratum id et manifestum asseruit. « Cum sit manifestum, inquit, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, Siciliam, insulasque interjacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus apostolus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes. » Quod si ractus regionis evangelica doctrina excolendæ parttim Romanis pareret, partim amicis, aut fœderatis Romanorum regibus, aut populis ; pertinebat ad providentiam Romani pontificis, antequam certam episcopatus sedem in ea designaret, curare, ut ex utrisque fiduciam caperet paratæ facilitatis conservandæ communicationis, et obedientiæ earumdem Ecclesiarum et sedium erga communem omnium matrem Romanam : ita ut inconcussum maneret in discretis etiam temporalium principum Romanorum, et exterorum ditionibus Irenæi axioma : « Ut scilicet ad hanc Romanam Ecclesiam propter ejus principalitatem oporteret *omnem Ecclesiam* (et consequenter illam, seu illas, quæ ibi fundarentur) *convenire*. » Mirandum propterea non est, si Evangelii luce orbem universum satis celeriter pervadente, non tamen illico inveniantur sedes episcopales primo sæculo ubique constitutæ. Ubi opportunitas data nondum erat certam sedem episcopatus deligendi, hanc disciplinam viguisse ordinandi episcopum gentis illius, cujus saluti prospiciebatur, notavit ex Photii bibliotheca cod. 48, Thomassinus, de Vet. et Nov. Eccl. disciplina, parte I, lib. I, cap. 56, n. 8 : « Refert, inquit, in Bibliotheca Photius, Caium doctissimum clarissimumque Romanæ Ecclesiæ presbyterum, pontificibus Victore et Zephyrino, *gentium episcopum, ordinatum esse,* χειροτονηθῆναι ἐθνῶν ἐπίσκοπον : et veluti regem inunctum, et coronatum esse ei regno, quod vi et consilio esset adepturus. Eo fere modo pontifices Romani consecravere episcoporum partem longe maximam, quos deinde immitterent ad debellandas, fideique jugo subjiciendas provincias illas, quas in epistola sua enumerat Innocentius primus. »

Obiter hic adnotabo, data occasione consecrationis hujus Romani presbyteri circa finem secundi sæculi in episcopum illarum gentium, quas Christo erat acquisiturus, non esse cur aversetur adeo acriter Pagius episcopos adjutores a nobis non semel admissos in hac historia pontificali prioribus Ecclesiæ sæculis, quos deinde contigerit ad successionem apostolicæ sedis Romani cleri suffragiis eligi post obitum decessoris ; cum præter exemplum apostolorum principis ita ordinantis Linum, Cletum, Clementem, etiam in fine secundi sæculi Caius ex Romano presbytero episcopus gentium ordinatus esse dicatur, pontificibus Victore et Zephyrino, nempe promotus ad episcopatum in aliqua natione exercendum vicarii apostolici auctoritate, cumque in Urbe retentum, donec daretur opportunitas expeditionis. Non aliter contigisse opinor, cum hunc ipsum Eleutherium, cujus vitæ notas attexo, ordinatum episcopum recognovimus ex epocha illi attributa mensibus quindecim antequam Soter obiret. Pacatis enim temporibus Antoninorum cum acquirerentur Christo regiones Romanis fœderatæ, aut finitimæ, frequens occasio sese offerebat episcopos ex Urbe mittendi ad gentes illas erudiendas. Quos autem apostolico ministerio deputaret Romanus pontifex æquum erat experimento regiminis aliquandiu tentare, et tyrocinio quodam exercere in munere pastorali. Id vero præstari facilius, ac securius non poterat, quam adhibendo candidatos evangelicæ missionis per aliquot menses ad vicariæ potestatis officia episcopalia in Urbe exercenda. Quocirca mirum non est, si vacante interim sede, aliquando contigerit, ut aliquis episcopus ita promotus non ad sedem certam implendam, sed ad gentem aliquam vicarii apostolici more ad fidem formandam, eoque nomine exercitus aliquo mensibus in vicario munere apostolatus apud Romanum pontificem, repente sublegeretur successor a Clero, illius virtutes, et prudentiam experto sub decessore. Nec video, cur V. C. Pagius, tum ad annum 97, num. 17, tum alibi, et præsertim ad annum 219, adeo confidenter pronuntiet, vicariatus hujusmodi per tria priora sæcula esse supposititios ; cum admittat exemplum apostolorum principis tres sibi vicarios in Urbe sublegentis ; et consulatuum ratio accurate per nos expensa id perspicue demonstret non semel

endum tam sæculo secundo quam tertio. Ve-
e vicariis satis.

igitur generatim præcognitis, quæ ad episco-
fundandos, et ad provincias ecclesiasticas
ndas primo ac secundo sæculo pertinebant,
atis constat a publicatione Evangelii per ali-
rovincias Romanas nondum pacatas aut Ro-
finitimas, non esse continuo subsecutam epi-
ium sedium fundationem ; procedendum est
inem sedium episcopalium vetustiorum Bri-
is in insulis detegendam, aut certe ad ejus
iæ statum propius recognoscendum ex fidei
ianæ primordiis in Occidente ad legationem
egis ad papam Eleutherium : quo ex tempore
lianus paucos post annos dum scriberet in
dversus Judæos, asserere potuit, « Britanno-
iaccessa Romanis loca esse Christo jam sub-
uemadmodum et Hispaniarum omnes termi-
t Galliarum diversas nationes. » Quin, et
is annis quinquaginta circiter ante illa Ter-
iscripta in Dialogo adversus Tryphonem indu-
ta loquens : « Ne unum quidem est genus
ium, sive barbarorum, sive Græcorum, seu
liorum omnium, quocunque appellentur no-
ie eorum quidem, qui pro domibus plaustris
r, ac tentoriis agentes vitam pastoriciam, in-
s per nomen crucifixi Jesu supplicationes, et
um actiones Patri, et Fabricatori rerum om-
ion fiant.

a parata fuerit occasio perferendi ad Britan-
ngelii etiam Petro apostolo, ejusque disci-
exposui supra in notis ad num. 1, et
n. 4, cum legiones integræ civium Roma-
a C. Caligula, et Claudio ex Syria in
item acciæ, et in Britannica expeditione
is annis occupatæ, ibique moratæ sub Vespa-
ic Domitiano ad terminum sæculi primi æræ
anæ, nubem testium adduxerant ex Palæsti-
yria gestorum Christi et apostolorum, quibus
legiones et cohortes interfuerant ; et com-
ex iis ad fidem conversos : quibus presbyte-
uot vel etiam episcopos comites dare facile
t Petrus, et Petro proximi successores. Nec
piscopales sedes ita celeriter fundatas fuisse
ılam crediderim ; ut ad primum Christi sæ-
referri possint. Lubentius credam intra se-
redemptionis sæculum primos episcopatus
constitutos, quando provinciæ status paca-
rebat tempora. Licet enim Claudius impera-
to rege Caractaco, et Romam ducto, redacta-
potestatem populi Romani provincia, non
amdem frequentaverit civibus, sed etiam
n Romanam veteranorum eo deduxerit, sci-
malodunum anno Christi 50, C. Antistio Ve-
Suillio Rufo coss., *subsidium adversus re-
t imbuendis sociis ad officia legum* (ut ait Ta-
nnal. XII, cap. 32) ; attamen decennio post
: Turpiliano coss. Christi 61, circa initia
, Irene regina ultura graves injurias, a mili-
omanis sibi suisque illatas, et commotis ad
nem Trinobantibus, adeo viriliter pugnavit
Romanas acies, ut cæsa fuerint inter Cama-
n, Verulamium, et Londinum octuaginta mil-
im Romanorum, ac sociorum, uti memorant
libus Tacitus, Dio in historia, Longa inde
cissitudinum, et varia prœliorum discrimina
ib Vespasiano principe, legenda apud Taci-
Vita Agricolæ cap. 7, sub Cereali et Fron-
non sub Agricola, modo cum insulanis ci-
is, modo cum ulterioribus, quos tum Cale-
vocabant, hodie Scotos, ibidem indicata
sub Domitiano.

gitur tempora perturbata motibus Britanno-
ne continuis, tum externis contra aggresso-
anos, tum etiam intestinis intra insulares
quidem narrat ibidem Tacitus etiam Hi-

A berniæ regulum, qui seditione domestica expulsus confugerat ad Agricolam, fuisse quidem benigne receptum, sed obtentu amicitiæ ab eo retentum in belli occasionem) minus opportuna visa sunt præsulibus apostolicis, quam ut certis sedibus designatis episcopales cathedræ ibidem erigerentur, tum in ditione Romanis obtemperante, tum in reliquis, quæ parebant propriis regibus. Constituta vero provincia per Adrianum, qui, Spartiano teste in ejus Vita, « *conversis egregio more militibus Britanniam petiit, in qua multa correxit, muramque per 80 millia passuum primus duxit, qui Romanos barbarosque divideret, et Britannicum exercitum* in eo limite collocavit, ut numismata antiqua demonstrant, et *classem Britannicam* instruxit, » quam produnt vetustæ inscriptiones : ætas opportunior illuxit ad cogitandam de certis sedibus episcoporum. Adriani pacem stabiliorem reddidit Antoninus, postquam subortos in Britannia motus compescuit per Lollium Urbicum
B victis Britannis, ut Capitolinus asserit in ejus Vita, et nummi ex omni metallo a Vaillantio expositi contestantur ; et postquam exemplum patris secutus, *alium murum cespititium submotis barbaris duxit.* Tum vero satis compositis Romanorum et insulanorum limitibus, pacisque diuturnæ spe confirmata, visum est apostolicæ sedis pontifici opportune obsecundare occasioni episcopatuum in insula constituendorum. Hanc obtulit inter Britanniæ reges ille pietate præcipuus, quem *Lucium* Latine appellant, Britannica vero lingua *Les,* ut capite 3 Britannicarum Antiquitatum Usserius refert : qui etiam dixerat pag. 20, *Regem Britwallanorum* eumdem nominari in Latino, Saxonicis Annalibus Bibliothecæ olim Cambdeni, nunc Cottonianæ : et pag. 22, addit : « Nec hoc prætereundum, repertos esse in Anglia duos antiquissimos nummos (argenteum unum, quem habuit M. Josephus Hollandus, aureum alterum, quem inter D. Roberti Cottoni κοιμήλια vidimus)
C Christiani regis (uti ex signo crucis apposito colligitur) imagine, et litteris obscurioribus, quæ LVC denotare videbantur, insignitos. » Omnium certe historicorum, qui res Anglicas pertractarunt, una sententia est, a Beda, Gilda, aliisque vetustis gentis suæ auctoribus accepta, memoratum regem Lucium petiisse a Romano pontifice Eleutherio, ut sacris Christianis imbueret suos Britannos : cujus rei causa alii Timotheum presbyterum Romanum Novati fratrem (et juxta aliquorum opinionem germanum quoque Praxedis, et Pudentianæ virginum) ablegatum fuisse dicunt : alii Damianum (seu Davianum) et Fugatium missos affirmant, ex epistola beato patricio attributa, necnon ex magna Tabula Gastoniensi, productos etiam ab Usserio et a scriptoribus memoratis per Schelestratium in libro de Auctoritate patriarchali, cap. 1, n. 8 et seqq. Hos autem ita studiose receptos, et liberaliter habitos a piissimo rege complures memorant, ut episcopales etiam sedes iis attributæ, ac dotatæ ab
D illo credantur. Scriptorum ingentem classem recenset Usserius cap. 4 et 5, quorum tamen delectum habendum insinuat ; cum eorum non pauci proclives sint ad inanes vulgi rumores pro exploratis historiis obtrudendos. Regem Lucium quod attinet, adeo constans memoria est ejusdem professionis Christianæ fidei, ac legationis ad Eleutherium ipsius fidei prædicandæ gratia populis sibi subjectis, ut Bedæ et Adonis in Martyrologiis ad VIII Kal. Junii, necnon in Chronicis et Annalibus repetatur. Galfridus Monemuthensis hist. Brit. lib. IV, cap. 18 et 19, cum pluribus qui eum sequuntur refert, Coillum Marii regis filium. Arviragi nepotem ab infantia Romæ nutritum, moresque Romanorum edoctum, ac tributum quod ab eis exigebatur solventem, in pace regnum suum obtinuisse : filium vero ejus Lucium non secus habitum ac alterum Coillum, omnes bonitatis paternæ actus imitatum fuisse : eoque sine sobole, quæ sibi succederet, decedente,

Britannos a Romana potestate descivisse. Balæus quoque, et Scotorum chronographi apud Usserium pag. 20, ubi prædicta retulit, affirmant. Lucium Pium Coilli filium unicum Romani imperii fautorem, Cæsaris Marci Antonini Veri tum benevolentia tum auctoritate Britannis imperasse post patrem. Erat siquidem, (ut ex Appiano adnotavit Panvinius, de Rom. Imper. pag. 25) consuetudo Romanis, ut pluribus nationibus reges statuerent, cum nihil iis ad imperium indigerent. Quare Augustus, et Caius, et Claudius in Palæstina, et Nero in Armenia, et ultra Euphratem Trajanus regna assignarunt; et Lucius Verus hac ipsa ætate, de qua disserimus, confecto bello Parthico in Oriente, regibus regna, provincias vero comitibus suis regendas dedit, ut in ejus Vita narrat Capitolinus. *Rex Quadis datus* ab Antonino conspicitur in ejus nummis. Ut vero sistamus in Britannia, rex Cogidunus civitatibus donatus fuerat, *vetere, ac jampridem recepta populi Romani consuetudine* (ait Tacitus in Vita Agricolæ cap. 14) *ut haberet instrumenta servitutis et reges :* quem etiam fidissimum permansisse ad ætatem suam commemorat. Post murum igitur ductum ab Adriano in limitibus Britanniæ, et vallum renovatum ab Antonino, parta securitate socios inter reges, ac Romanos, Lucius rex illius Coilli filius, qui Romæ educatus Romanis moribus imbutus fuerat, ad Christianam religionem cum vocaretur, ab Eleutherio pontifice Romano doctores petiit, quibus erudiretur. Sive enim audisset a Christianis militibus inter Romanas legiones exercitus Britannici stipendia facientibus, aut cum patre suo educatis in Urbe, hinc esse profectam ab apostolis doctrinam fidei nostræ quam appetebat, et late diffusam per Occidentem; sive etiam consultis in proxima Galliarum regione Christianæ fidei doctoribus, id responsum tulisset ab Irenæo, quod in litteras etiam retulit *ad hanc Romanam sedem propter principalitatem confluere oportere omnem undique Ecclesiam;* sive ei quidpiam suboluisset per eosdem fideles de legibus veri Dei cultus hinc repetendis, ubi princeps apostolorum *totam cum sanguine doctrinam effuderat,* qua etiam de causa tum Gallicanæ Ecclesiæ tum Asianæ legationes poterant memorare ad Pium et Anicetum paulo ante institutas, eo præsertim tempore, quo Marcionitæ aliique hæretici perversa dogmata disseminabant; consentiunt Anglici cum proximarum nationum scriptoribus, rogatu Lucii regis ab Eleutherio papa missos fuisse in Britanniam Evangelii ministros, qui ejus ditionis populos Christianis sacramentis imbuerent. Nec dubitare licet id prospere processisse, cum paucis post annis indicaverit Tertullianus fidem Christianam in majori Britannia ita late ac feliciter prolatam, ut non modo floruerit intra vallum ac limitem Adriani et Antonini, circa quem regnasse Lucium ostendit nomen illi tributum regis *Britwallanorum,* hoc est *Britanniæ Vallis* (hodie Walliæ, seu Walles) incolarum, cujus supra meminimus ex Annalibus Anglo-Saxonicis, sed etiam ultra Romanos fines inter Caledonios et Pictos per eadem tempora penetraverit. Affirmat enim Septimius cap. 7 contra Judæos « Britannorum inaccessa Romanis loco Christo esse jam subdita : » quod ita declarat Usserius pag. 23, cap. 3 Britannicæ Ecclesiæ Antiquitatum. « Ultra vallum illud (Adriani et Antonini) erat Britanniæ pars quæ Caledonia appellabatur, maximam hodiernæ Scotiæ partem complexa : in qua sub Victore primo (hujus Eleutherii de quo agimus proximo successore) et Severo imperatore primum receptam esse fidem Christianam Scoti tradunt historici. Quanquam auctor Annalium, lingua Anglo Saxonica ante sexcentos annos scriptorum hanc ipsam Eleutherii et Lucii historiam ad Severi tempora referat, quem anno Domini 189 imperium adeptum esse cum Beda affirmat. Nec desunt qui in hac insulæ parte, quam Britanni liberi possederunt, Lucium regnasse existiment, et Tertullianum hic testem advocent sub Severi imperio scribentem Britannorum inaccessa Romanis loca Christo subdita. »

Annis centenis vix evolutis post Severum, hoc est anno Christi 314, in concilio Arelatensi subscripserunt tres Britanniæ episcopi (tomo I *Concil. Gall.*, edit. Paris. pag. 9) nempe :

Eborius episcopus de civitate Eboracensi, provincia Britannia.

Restitutus episcopus de civitate Londinensi provincia suprascripta.

Adelfius episcopus de civitate Colonia Londinensium, exinde sacerdos presbyter, Arminius diaconus, etc.

Tres istæ sedes episcopales æqualibus propemodum spatiis dividunt orientalem insulæ partem Romanis subditam, et ab occidentali separatam per memoratum Adriani murum, seu vallum, et aggerem Antonini, ductum a *Clausento,* meridionali insulæ portu (hodie *Southampton) ad Gabrosentum* in Northumbria, non longe ab ostiis fluvii *Tina* (hodie *Thyn* sive *Tees)* ubi ferme *Castrum novum (Newcastel)* adversum habet vicum *Gatesend,* fortasse corruptum nomen ex *Gabrisento,* in diœcesi Dunhelmensi, quo in loco etiam Tabulæ chorographicæ murum statuunt, Scotiam ab Anglia antiquitus separantem. Quidquid continebatur a Clausento intra priorem murum, seu vallum prædictum, et fretum Germanicum alluens orientalem hanc insulæ partem, a Scotia quoque divisam per alterius transversi muri ductum circa Gabrosentum, apud Romanos usque ad Severum principem constituebat unicam Britanniæ provinciam : quam Severus deinde partitus in duplicem præfecturam, ut Herodianus Historiæ lib. III tradit, posteris ansam dedit Britanniæ veteris serius dividendæ in primam et secundam. Tertiam et quartam volunt a Constantino donatas nomine Flaviæ Cæsariensis : necnon quintam, a Valentiniano Valentiam, quæ partem Scotiæ obtinet meridionalem. Posterior hæc subdivisio Britanniæ, collata cum subscriptionibus trium episcoporum sub Constantino Magno, satis declarat, fundationem earumdem sedium episcopalium anteriorem esse imperio Severi. Nam si Britannia secunda dicit cœpit ex quo Severus in duas præfecturas unicam, quæ antea fuerat Romanam provinciam Britanniæ partitus est, Διελὼν εἰς δύο ἡγεμονίας τὴν τοῦ ἔθνους ἔκσιαν ; et restitutus Londinensis civitatis episcopus, quæ ad Britanniam primam, seu citeriorem civili regimine referebatur, ejusdem provinciæ se asserit cum Eboracensi, quæ ad alteram, sive ulteriorem Britanniam pertinet ; infertur necessario præsules istarum sedium nihil mutasse in ecclesiasticæ provinciæ constitutione ab ea Britanniæ singularitate, quæ ante Severum fuerat, dum sedes istæ Britannicæ ejusdemque provinciæ constituerentur. Dicturi enim fuissent *Eborius episcopus Eboracensis provinciæ Britannia ulteriori, Restitutus episcopus Londinensis provincia Britanniæ citeriori,* si utraque sedes in prima sua constitutione duplicem hanc Britanniam nacta esset ; vel etiam scripturi fuissent :

Ebroicus episcopus Eboracensis provincia Britanniæ Flavia Maxima Cæsariensi.

Restitutus episcopus Londinensis provincia Britannia citeriori.

Adelfius episcopus de civitate Colonia Londinensium provincia Britanniæ Flavia Cæsariensi,

si episcopatuum istorum erectio incidisset in ea tempora Constantini, quibus provinciæ quatuor Britanniam antea unicam sub Antoninis provinciam partiebantur. Coloniam Londinensium esse Lindum coloniam (Lincoln) paulo post cum Thoma Gale demonstrabitur.

Indicant igitur subscriptiones anni 314 trium episcoporum, unius, et ejusdem provinciæ Britanniæ originem, seu fundationem earumdem sedium ante Severum principem ad Lucii regis ætatem referri, sive sub Antoninis, sive sub Commodo. Ad utriusque imperii partem cum extendatur Eleutherii pon-

tificatus; perinde convenit primi ac secundi tempo- A ctore proximo Eleutherii successore numero se-
ribus trium illarum Britanniæ sedium erectio, quam quenti.
a Fugatio et Duviano per Eleutherium ordinatis episcopis, et ad regem Lucium ita postulantem missis non modo designatam, sed rite perfectam, et cum approbatione ejusdem Romani pontificis absolutam fuisse non obscure indicant complures Anglorum historici. Nam Galfridus Monemuthensis, Rogerus Wendoverius, ac uterque Matthæus Parisiensis, et Westmonasteriensis, necnon collector historiæ Roffensis (ab Usserio indicati pag. 53, sub initium cap. 6) narrant eosdem *Fugatium et Duvianum,* quos vocant *antistites,* rediisse Romam, ut ab Eleutherio impetrarent ea confirmari, quæ ipsi constituissent apud Britannos. *Confirmatione vero facta, reversi sunt in Britanniam compluribus aliis comitati : quorum doctrina gens Britonum in fide Christi brevi corroborata fuit. Eorum nomina, et actus in libro reperiuntur, quem Gildas de victoria Ambrosii Aurelii incripsit.* Hæc Galfridus Monemuthensis retulit anno gratiæ B 184. Si attendatur constitutio Romani imperii provinciarum, et præsertim Britanniæ sub Antoninis usque ad Severum principem ; nulla fortasse tempora occasionem præbere poterant potiorem ad hæc omnia pacifice peragenda, ad communicanda consilia cum Romano pontifice, ad mandata ab ipso impetranda, ad quem Ecclesiæ Gallicanæ et Asianæ deferebant suas controversias, et cujus auctoritate tam in Occidente apud Gallos, quam in Oriente apud Palæstinos concilia jam tum cogebantur complurium episcoporum, quemadmodum dicendum erit in Vi-

Seriis hujusmodi documentis miscenda non sunt sequioris ætatis auctorum imaginaria illa non dicam rudimenta, sed portenta partitionis Ecclesiarum, et sedium Britannicarum, quæ flamines et archiflamines in civitatibus constitutos confingunt, eisque substitutos episcopos et archiepiscopos. Discussa jampridem sunt hæc puerilia figmenta, nec nostris indigent curis ut refellantur : non secus ac litteræ suppositiæ Eleutherii papæ ad regem Lucium, tam elongatæ ab ejus ætatis stylo, ut solius primi versus inspectione inepti litteratoris fœtus esse cognoscantur, otio abutentis suo, et alieno.

Liceat mihi ad comprobandum Britanniæ provinciæ statum sub Romanis imperatoribus primi, et secundi sæculi (a qua notitia separari minime potest cognitio primæ constitutionis illius Ecclesiæ), in medium producere nonnulla documenta genuinæ antiquitatis, decerpta ex opere ampliori, quod parabam ad universas provincias ecclesiasticas singillatim illustrandas. Inde seligam pauca ex pluribus quæ collegeram ad Britanniæ constitutionem pertinentibus. Numismata sex huic tabellæ graphice insculpta comprobant statum Britanniæ provinciæ sub Romanis ab Augusto ab Severum principem. Provinciæ, inquam, non provinciarum ; cum nec Severi duas ἡγεμονίας nec quator provincias Constantini, aut quinque Valentiniani adhuc Britannia admisisset.



1. Primus nummus argenteus legionis x ex Antonianis frequentibus, effossus in agro Maridunensi inter Dimetas, qui Silurum pars fuere, illustratur a Thoma Gale in celebri opusculo ad Itinerarium Britannicum Antonini pag. 122. Hanc legionem in Britannia meruisse sub Ostorio contra Silures et Orderices comprobat etiam ex pluribus lateribus, seu figlinis, repertis apud Conovium (rudera *Caer Hyn Urbis antiquioribus,* quæ postea corrupte dicta fuit *Caer Rhyn* ad tertium lapidem ab ostio fluvii cogno-

minis Conovii hodie *Cowey* contra occidentalem insulam, *Mona* antiquis, nunc *Anglesey Ile* appellatam) ita signatis inscriptione legionis decimæ LEG. X, quam hinc traductam in Palæstinam nomine *Fretensis*, et *decimæ Ferratensis*, sub Vespasiano militasse contra Judæos, captisque tandem Hierosolymis ibi a Tito fuisse relictam memorat ex Josepho belli Judaici libro I et VII : ubi et eam fatiscente jam imperio, invenit Theodosius Junior, ut observat ex Notitia imperii fol. 92.

2. Nummus alter, ex argenteis Claudii principis, obsignatus arcu triumphali DE BRITANNIS, satis illustratur a Suetonio in Claudio cap. 17 : » Justi triumphi decus unde acquireret Britanniam potissimum elegit, neque tentatam ulli post Julium, et tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Hic vero sine ullo prælio, aut sanguine, intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem recepta, sexto quam profectus fuerat mense Romam rediit triumphavitque maximo apparatu. » Ejus triumphi monumentum illustre erexit senatus populusque Romanus, arcu excitato regione nona, uti comprobant Panvinii additiones ad Rufum, et Victorem ; cum reperta fuerit, Nardino teste, aliisque antiquariis, in via quæ ex fonte Trivii perducit ad proximam Flaminiam (*il Corso*) prope aream Columnensium dictam *Piazza di Sciarra Colonna*, pars non modica magnificæ illius inscriptionis, quam inter ornamenta potiora Barberinarum ædium translatam spectamus, et cujus supplementa cum pluribus tentata fuerint, omnium aptissime videtur excogitasse Fabrettus in Commentario ad veteres suas Inscriptiones Urbinates pag. 728, litteris minusculis hic exhibenda, cum quadrato charactere exprimamus quidquid superest antiquæ inscriptionis.

T.CLAV dio Drusi. f. Caisari
AVGVsto. Germanico
PONTIFICi. Maximo. trib. potest. XI.
COS. V. IMp. XXIIII. patri. patriai
SENATVS. Populusque. Romanus. Quod.
REGES. BRITtanniani. perduelles. absque
VLLA JACTVra. suorum. captivos, habuerit
GENTESQVE. barbaras. ultra. oceanum
PRIMUS. INDICTO. bello. imperio. adjecerit

Primus enim Claudius revera obtinuit, et subegit. (Tacit. *de Vita Agricolæ* cap. 13) : « Primus omnium Romanorum divus Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quaquam prospera pugna terruerit incolas, ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Claudius auctor operis, transvectis legionibus, auxiliisque, et assumpto in partem rerum Vespasiano : domitæ gentes : capti reges : et monstratus fatis Vespasianus. Consularium primus Aulus Plautius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius : redactaque paulatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ : additæ insuper veteranorum coloniæ. Quædam civitates Cogiduno regi donatæ. Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit, vetere, ac jampridem recepta populi Romani consuetudine, ut haberet instrumenta servitutis et reges. »

Vidimus supra transvectas fuisse primum legiones a Caio Caligula, quibus Claudius septennio post in Britannica expeditione usus insulæ partem subegit. Ex his IV, V et X accitæ fuerant ex provincia Syria, ubi ab Augusto collocatæ, a Tiberio retentæ fuerant : quas propterea spectatrices fuisse oportet gestorem Christi Domini, et apostolorum : ita disponente Deo, qui gentium primitias in Cornelio Centurione delegerat ; ut inde facilior redderetur cum illarum militibus transvectio eorum, qui Evangelium erant insulanis ultra Oceanum positis annuntiaturi, et in Veteranorum coloniis stabiliori etiam hospitio, ac stationedeposituri. De gestis Vespasiani in Britannia Suetonius hæc retulit, ejus Vitæ capite 4 : « Claudio principe Narcissi gratia legatus legionis in Germaniam missus est : inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit. Duas validissimas gentes, superque XX oppida, et insulam Veterem Britanniæ proximam in deditionem recepit, partim A. Plautii consularis legati, partim Claudii ipsius ductu. » Legioni secundæ præpositum a Claudio Vespasianum demonstrat Gale in laudato libro ad itinerarium Britannicum Antonini Itinere XII : *A Calteva Muriduno*, etc. ISCE LEGVA AVGVSTI. M. P. XV. quod ita emendandum docet. ISCA LEGio II. AVGVSTA, hodie *Caerleon*, et Britannis *Caer-Leon-at-Usk*, id est *Urbs legionis ad Iscam*. Hæc legio secunda tandin hic (Londini, et Rutupiis), egit, ut etiam secunda Britannica diceret, ex Tacito lib. III, sect. 44 : « Vespasianus ei a Claudio præpositus, quod illic bello clarus egerat, favorem Britanniæ obtinuit. » In eodem libro Taciti, sect. 23, legiones IX, II et XX appellantur *Britannicæ*. Et vigesimam quod attinet, illa ex Germania inferiori, ubi fuerat constituta ab Augusto, postquam a Claudio in Britanniam traducta est, nomen *Victricis* obtinuit : quemamodum ex veteribus historicis collegit Vaillantius in nummo Gallieni, ubi etiam *Valeriæ* præfert appellationem. Aulo Plautii consularis legati, qui præerat his legionibus, epigraphen integram nobis præservat lapis ad pontem Lucanum sub Tibure, quam reddit Gruterus pag. CCCCLIII. Ejus partem, quæ pertinet ad Britannicam expeditionem sub Claudio, retuli supra.

Ad memoratum Claudii triumphum de Britannis spectat lamina plumbea, reperta in Angliæ comitatu Somersetensi sub Henrico VIII, quam ex Cambdeno Gruterus edidit fol. CCXXXVIII, 5.

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M.
TRIB. P. VIIII. IMP. XVI. DE BRITAN.

Ejus rei ergo, quod fines imperii protulisset, Urbis pomœrium ampliavit Claudius : quemadmodum legimus in Veteri cippo Romæ spectando apud Cœcam S. Luciæ, edito a Cl. V. Fabretto pag. 726. Inscript. et a Grutero fol. CXCVI, 4.

Colonia Veteranorum a Claudio in Britannia deducta, et victi per illum reges recensentur a Gale pag. 91 et 113, ubi nummum profert Cunobelini regis Trinobantum (hodie *Essex*, et *Middlesex*) percussum Camaloduni (*Walden*) : ubi scilicet *reges Trinobantum loci jucunditate allecti, suum condidere palatium, Romanique coloniam deduxere*. Eo de rege, ejusque liberis Cataratacо et Togodumno victis per A. Plautium, de quo supra, vide Dionem libro LX in tertio consulatu Claudii ad annum Urbis 769. Censitor civium Romanorum hac eadem in colonia legitur Gn. Munatius M. F. Pal. Aurelius Bassus apud Gruterum CCCCXXXIX, 5, correctius tamen apud Fabrettum Inscript. pag. 29, ubi dicitur CENSITOR CIVIVM ROMANORVM COLONIAE VICTRICENSIS QVAE EST IN BRITANNIA CAMALODVNI Deductionem ejus coloniæ referendam esse ad annum æræ Christi 50, C Antistio M. Suillio cos., vidimus supra, ex Tacito, Annalium lib XII, sect. 32. Quæ inde secutæ sint clades Romanorum sub Nerone, alienatis insulanorum animis, et paulo post victoriæ sub Vespasiano, et constitutio atque ordinatio provinciæ sub principibus subsecutis, ibidem retali

3. 4. Tertius et quartus nummus ex ære spectant ad Adrianum. Horum in primo Britannia armigera provincia secura sedet, compositis ab Adriano motibus, quos indicat potius quam narrat Spartianus, hæc raptim commemorans : « Conversis egregie more militibus Britanniam petiit, in qua multa correxit, murumque per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret : » et paulo post *compositis in Britannia rebus* eumdem exhibet *in Galliam transgressum*. Utrumque nummum totidem verbis passim exponunt antiquarii : quos inter eques Patinus, qui et tertium nummum *Restitutionis Britanniæ* apte conjunxit : « Sub Adriano, inquit, Britanni teneri sub ditione Romana

non poterant. Ergo conversis regio more militibus (ita enim legit Spartiani locum, Britanniam petiit: in qua multa correxit, murumque per LXXX millia passuum, etc. Huic expeditioni adjungendus venit alter nummus majoris modi, in quo EXERCITUS BRITANNICUS per imperatorem, et milites designatur: alterque imperatori dicatus RESTITUTORI BRITANNIAE. Hasta et clypeus provinciæ arma demonstrant. » Hæc Patinus.

Accessum principis Adriani tum ad componendum Britanniæ statum, tum ad militarem disciplinam retinendam memorabat Florus poeta apud Spartianum lepidis illis versiculis :

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Inde autem evocatum Julium Severum, ad Judæos rebelles in Palæstina subjugandos primum ducem misit, ut auctor est Dio.

Præter terrestres in Britannia copias, *classem* quoque *Britannicam* instructam in provincia comprobant antiquæ inscriptiones: eaque præsertim, apud Camertes constituta M. Mænio Caii filio tribu Cornelia, quam Reinesius retulit, et illustravit pag. 462, n. 432 Hic exhibendam esse censeo; cum Adriani expeditio Britannica, et classis Britannicæ, et provinciæ ipsius constitutio per hanc uberius explicetur, quam per historicos; et innotescat cohors II Flavia Brittonum equitatus, a Vespasiano fortassis instituta, unde Flaviæ nomen accepit; necnon procuratio provinciæ, et Augusti in provincia, et præfectura classis huic M. Mænio concredita.

M. MAENIO C. F. COR. AGRIPPAE ET VSIDIO CAMPESTRI HOSPITI DIVI HADRIANI PATRIS SENATORIS PRAEF. COH II. FL. BRITTON. EQVITAT. ELECTO A DIVO HADRIANO ET MISSO IN EXPEDITIONEM BRITTANNICAM TRIB. COH. I. HISPANOR. EQVITAT. PRAE. ALAE. I. GALLOR. ET PANNONIOR. CATAPHRACTAE. PROC. AVG. PRAEF. CLASSIS BRITANNICAE PROC. PROVINCIAE BRITANNIAE EQVO PVBLICO PATRONO MVNICIPI VICANI CENSORIACENSES CONSECVTI AB INDVLGENTIA OPTIMI MAXIMIQ. IMP. ANTONINI AVG. PII BENEFICIO. INTERPRETATIONIS EJUS PRIVILEGIA QVIBVS IN IVRE CIVIVM AVCTI CONFIRMATIQVE SVNT D. D. D.

Classis Britannicæ præfectum exhibet quoque inscriptio apud Gruterum fol. 493, n. 6, ubi num. I legitur Licinius Italicus legatus Augustorum (M. Aurelii et L. Veri), idemque pro præt. provinciæ Britanniæ, qui in expeditione Judaica militaverat sub divo Adriano.

5. Ad Antoninum Pium pertinet nummus quintus, et ad *victoriam Britannicam,* ejusdem auspiciis reportatam per Lollium urbicum legatum : de qua Julius Capitolinus in ejus Vita : « Per legatos plurima bella gessit. Nam et Britannos per Lollium urbicum legatum vicit, alio muro cespititio submotis barbaris ducto : » uti Vallantius adnotat in nummi explicatione. Post eam victoriam, cujus etiam meminit Pausanias lib. VIII, pag. 526, indicatus a V. C. senatore Bonarroti ad nummos ex ære maximo card. Carpinei pag. 49, ita pacato provinciæ statu usi sunt Antonini Pius, et Philosophus : ut itinerarium nobis reliquerint, quo Britannia undique peragratur, a Limine, id est *Vallo* [seu *Luguvallio* hodie *Cartile*] ad portum *Ritupis* [hodie *Stonar*] prope *Dorobernium* [seu *Canterbury*]: et ab eodem Vallo ad *Clausentum* [*Southampton*] portum insulæ meridionalem : et ad æstuaria occidentalia, ubi ISCA LECionis II Augustæ [hodie *Caerleon*] : et ad *Segontium* [*Caersegont* hodie *Caernarvon*] contra *Monam* insulam [hodie *Man*] maris Hibernici : aliisque itineribus diligentissime expositis in opere posthumo Thom. Gale. Ptolomæus quoque, geographorum non minus quam astronomorum celeberrimus sub Antoninis, A potuit per eadem pacata tempora complurium Britanniæ oppidorum longitudinem, ac latitudinem nobis exhibere.

Bellum exarsisse sub Commodo, et quidem grave, percipimus ex historia Dionis libro LXXII: « Fuerunt, inquit, sub Commodo bella quædam cum barbaris, qui ultra Daniam sunt, etc. Sed bellum *Britannicum* omnium longe maximum fuit. Quippe cum Britanni essent murum transgressi, qui inter ipsos et Romanorum castra intercedebat, vastassentque multa, Romano duce, et militibus, quos secum habuerat, cæsis: Commodus timore perterritus, Ulpium Marcellum contra eos misit. Is erat homo modestus, et frugi, fortis, et magnanimus, etc. Igitur Marcellus tali ingenio præditus, maximis atque gravissimis damnis in Britannia barbaros affecit; quo facto, parum abfuit quin virtutis ipsius ergo Commodus eum necaret; tamen ipsum dimisit. Consueverat enim Commodus, ut auctor est Lampridius, mittere homines ad provincias regendas, vel B criminum socios, vel a criminosis commendatos. »

Hujus Marcelli gestis titulos Britannici, et imperatoris VI Commodo accrevisse Lampridius recognoscit : quos tamen ita non suos historicus reputabat, ut asserat ab adulatoribus attributos, etiamsi in nummis, et inscriptionibus passim legantur. Britannis enim adeo despectum fuisse affirmat, ut imperatorem contra eum eligere voluerint. Rumori occasionem dedit ingens ille numerus militum Romanorum (mille quingentos fuisse affirmat Dio), qui seditionem cum excitassent contra Perennem, seu Perennium, præfectum non tam prætorio, quam imperio universo, ut Commodus voluptatibus tantum vacaret, delecti ex majori numero, et profecti ex Britannia in Italiam venerunt, nemine prohibente, et ab eodem principe supplicium Perennis impetraverunt. Indignati sunt enim milites, quod amotis senatoribus, iste præficeret bello Britannico equestris loci viros, prodita re per legatos exercitus, hostis est C appellatus : lacerandusque militibus datus, uti scribit Lampridius

6. Quæ sub Severo principe gesta sunt in Britannia postremus indicat nummus, duplici victoria signatus, fortasse juxta nationes totidem ex insulanis a Severo superatas, et a Dione ita descriptas : « Britannorum duo sunt præsertim genera (loquitur de iis qui ad extremos Romanæ provinciæ fines, vel etiam ultra ætate sua degebant) Caledonii, et Mæatæ. Nam cæterorum nomina ad hos fere referuntur. Incolunt Mæatæ juxta eum murum qui insulam in duas partes dividit. Caledonii post illos sunt. » Et paulo post totius insulæ Britanniæ longitudinem definiens millibus passuum DCCCXCI, latitudinem CLXXXIX : ubi maxima, ubi minima est XXXVII, hæc subdit : « Hujus insulæ pars paulo minus quam dimidia nostra est : quam Severus cum vellet omnem in potestatem redigere, ingressus est in Caledoniam (Scotiæ partem meridionalem) eamque dum pertransiret, habuit maxima negotia, quod silvas cederet, D etc. Neque tamen destitit Severus, quousque ad extremam partem insulæ venit, ubi diversum quam apud nos sit cursum solis, itemque noctium, ac dierum tam æstivorum quam hibernorum magnitudinem diligentissime cognovit. Tandem per omnem fere terram hostilem vectus (nam plurimum propter imbecillitatem operta lectica utebantur) revertit ad socios, Britannis ad fœdus faciendum coactis ea conditione, ut non parva regionis parte cederent, etc. Post hæc facto est iterum defectio Britannorum. Quamobrem Severus convocatis militibus jussit, ut regionem eorum invaderent, atque omnes quibus occurrissent interficerent : idque præcepit his versibus.

Nemo manus fugiat vestras, cædemque cruentam
Non fœtus, gravida quem mater gesta in alvo
Horrendam effugiat cædem.

Quo facto quod Caledonii cum Mæatis defecerant, comparabat se ut ipsemet bellum illic gereret. Sed dum in iis rebus esset, morbo exstinctus est pridie Nonas Februarii. » Hucusque Dionis excerpta per Xiphilinum, qui addit initio libri LXXVII post mortem Severi, Antoninum Bassianum ejus filium initium fecisse imperandi a dirempto cum hostibus bello, ac regione statim cessisse, et munita loca deseruisse, tum in Urbem esse reversum. Spartianus Eboraci in Britannia Severum periisse memorat, « subactis gentibus, quæ Britanniæ videbantur infestæ : » narratque « Imperii ejus maximum decus fuisse Britanniam, muro per transversam insulam ducto, utrimque ad finem Oceani munivisse. » Quare cum limites duo essent, prior juxta meridiani planum ab Adriano ductus, et renovatus ab Antonino ex portu *Clausento (Southampton)* ad *Luguvallium (Carlile)* alterque ab occasu in ortum a *Luguvallio* ad *Cabrosentum* ad ostia fluvii *Tina*, et Britanniam Romanam ita dividerent, ut ille a *Mæatis* incolentibus juxta eos fines ad occidentalem insulæ partem, hic a *Caledoniis* ultra limitem alterum, et ultra Mæatas sitis ; protulit Severus ultra hos fines valli et muri arma victricia : et sublata divisione valli cespititii primi juxta planum meridianum ducti cujus contra barbaros usus nullus imposterum erat futurus subactis Mæatis, murum secundum transversum solidius excitavit ad utramque Oceani metam (qua Scotia separatur ab Anglia hodierna) inclusitque Britanniæ provinciæ partem occiduam Mæatis, et Britualanensibus tanquam amicis ac fœderatis populis, ac regibus concessam ab Antoninis, et Commodo. Posteri Britanniam secundam appellavere occiduam istam, et ultra vallum Adriani positam insulæ partem, quando per novam provinciarum designationem sub Constantino quatuor in partes Britannia divisa est. Unica tamen Britannia provincia tam sub Severo, quam sub Caracalla, ut antea, censebatur quidquid ultra limitem Antonini cespititium acquireretur ad Occidentem : sive Mæatis subactis, sive fœderati regis Lucii, Britualanorum finibus imperantis, devoluta ad Romanos regione, improlis ille cum decessisset, ut aliquot ex Annalibus Britannorum historici memorant supra indicati. At Caledonios Britanniæ accensere e re sua non duxit Caracalla, utpote firmiori patris sui muro satis submotos, nec a superioribus principibus admodum quæsitos ; cum nec itinera eo perducta reperiantur, quæ reliquam insulæ partem diligenter metiantur.

Hæc igitur de statu provinciæ Britanniæ a Claudio Cæsare ad Severum perstringenda esse duxi, ut ex civili constitutione ejusdem insulæ confirmarem documenta Christiani cultus, eo feliciter illati, et propagati intra Romanæ provinciæ fines per primum sæculum ab adventu principis apostolorum in urbem Romam, amplificati vero multo præstantius pacatis temporibus utriusque Antonini (Pii et Philosophi), dum Lucius rex Britualanorum, ortus parente rege Coillio Romanis amicissimo, ac in eorum fide præ cæteris constantissimo, Eleutherii papæ ætate, de qua agimus, ab eodem pontifice impetravit, ut per idoneos viros Roma transmissos (non secus ac olim Antiocheni ab apostolis, et ab Hierosolymitana Ecclesia, tunc cæterarum magistra, doctores acceperant) Britanni regionis suæ mysteriis fidei nostræ plenius imbuerentur. Ostendi facilitatem maximam a Claudio ad Severum semper paratam ultro citroque mittendi ab Urbe in Britanniam quotquot Evangelii præcones Romanus pontifex statuisset, in quotidianis profectionibus magistratuum ad eam provinciam regendam, et legionum in transvectionibus, passim memoratis sub principibus utrumque hoc sæculum suo imperio emensis. Observavi, legionis integras Christi Domini ejusque apostolorum gestis in Syria præsentes, inde translatas in Britanniam sub Caio, et Claudio, non modo adduxisse ingentem numerum testium rerum earum, quæ in nobis completæ essent, sed etiam quasdam ipsarum in Veteranorum coloniis stabile domicilium aperire potuisse commanipularibus Cornelii Centurionis, aut Pauli apostoli, ad fidem in Syria, aut Romæ conversis, adeoque et religionis Christianæ cultum fovere, ac dilatare, tum inter cæteros colonos tum inter proximos insulares. Neque ministrorum sacrorum copiam illis defuisse, quæ a providentia Romanæ sedis antistitum illuc ablegaretur pro varia temporum opportunitate, collegi ex praxi non dissimilis diligentiæ, in proximis provinciis Galliarum et Hispaniarum, disponentis gradatim conventus fidelium per episcopos gentium, seu vicarios apostolicos, et per presbyteros ac doctores ad annuntiandum Evangelium illuc missos ; donec opportunitas sese offerret constituendi certos episcopatus in præcipuis provinciæ oppidis aut metropolibus, aut coloniis Romanis in eam deductis. Par enim disciplina videtur a Marco evangelista Petri discipulo in patriarchatum Alexandrinum invecta ; cum ejus successores ablegarent non semel doctores, ac presbyteros ad remotissima terrarum spatia, rogantibus nationum legatis, ut Christum annuntiarent, antequam certæ sedes episcopales ibidem fundari possent. Ita Demetrius Alexandrinus antistes, legatis Orientalium rogantibus, Pantænum concessit (ut refert S. Hieronymus de Script. ecclesiasticis) ejus rei ergo ad Indos usque profectum. Quin et Antiochenæ Ecclesiæ fundatio ita gradatim processerat ad exemplum cæterarum, ut primum fratres Judæorum persecutione dispersi eo deferrentur, et annuntiarent Christum Jesum ; deinde Barnabas ab Hierosolymis eo mitteretur, et assumeret Paulum ministerii socium ; denique princeps apostolorum cathedram episcopatus in ea metropoli Orientis erigeret, septennio integro per se administraret, ac traderet tandem Euhodio ejusque successoribus possidendam.

Cum vero pacata provinciæ tempora, ut plurimum attenderentur ad sedium episcopalium designationem, ut certi fines, nec facile permutandi possent unicuique attribui, et a successoribus retineri : hinc erat consequens ut eædem præcipue figerentur, ubi Romanorum coloniæ, aut præsidia, et exercitus, aut regum sociorum sedes, et emporia, et regionum metropoles essent constitutæ, diuque perstitissent certis fœderibus ac pace compositæ. Idcirco et Britannia, unde profectos novimus tres episcopos ad concilium Arelatense anno 314 antiquissimos omnium illius insulæ quorum memoria certa supersit, Eboracensem, Londinensem, et coloniæ Lindi, unius et ejusdem provinciæ ecclesiasticæ illos connumerabat etiam sub Constantino (ut ex ipsorum subscriptionibus constat), quod sedes prædictæ jam essent unica in provincia Romana pacatis illis temporibus constitutæ, quæ ad ætatem Eleutherii papæ, Antoninorum, et Lucii regis pertinebant. Præfertur Eboracensis ; cum Spartianus per excellentiam *civitatem* vocet *Eburacum* : meritoque contendant viri docti (ut Gale pag. 20 observat) hanc totius insulæ fuisse metropolim ; *cujus rei argumentum etiam capio*, inquit, *quod tempore Constantini Magni videam tractum illum, in quo sedet Eburacum, dici* BRITANNIAM PRIMAM. Municipii quoque, et coloniæ promiscuam dignitatem ex antiquis monimentis obtinuisse docet itinerarium Antonini Britannicum itinere primo. EBVRACVM LEGIO VI. VICTRIX M. P. XVI Severi imperatoris nummus a Golzio recensitus in Thesauro pag. 239.

COL. EBORACVM LEG. NI VICTRIX. Inscriptio I. fol. CCCCXCIII Gruteri in Thesauro, quam refert etiam Cambdenus, et auctiorem in tertio versu edidit Gale pag. 24 ostendit M. VERECVNDVM DIOGENEM IIIIII VIRum COLoniæ EBORACensis. Panvinius imperii Rom. pag. 213. *Colonia Eboracum, legio* VI *Victrix, de qua Ptolemæus. Colonia Londinum de qua Tacitus libro* XIIII. Sequitur Ptolomæi cano-

nem urbium insignium castigatissime nuper editum a V. C. Joan. Hudson tomo III Scriptorum minorum veteris geographiæ, ubi Eboracum præfertur Londinio.

De Londini originibus, et incremento post Romanorum ingressum serius statuendo hæc habet Gale pag. 64 : *Jam incertus plane hæreo, ita me veritas amet, cui viæ insistam, ut Londinum inveniam.* Et postquam indicavit Londinium in Cantiis a Ptolemæo collocari : « Nec promptum est credere, inquit, Ptolemæum oscitanter ista scripsisse, qui Marinum Tyrium de situ Neomagi, et Londinii tam accurate ad examen vocaverit. Expediendæ hujus difficultatis rationem aliam plane nullam video, quam ut credam cunabula urbis Londinii (cui nunc similem orbis non habet) quæri oportere in statione aliqua Romanorum, quam ad meridionalem Thamesis ripam, ad subditorum, tutelam mature collocabant, expulsis inde prius Britannis, Hæc statio indaganda est nobis ad viam militarem. Hanc paulo ante ostendi ultra Westmonasterium (ad trajectum Thamesis dictum the *Horse-Ferry*) per Regnos Cantium subintrare. » Refert plura antiquitatis vestigia ibidem reperta, multa Romanorum numismata, opera tessellata, lateres, rudera. Addit castrum *Cyningston,* vulgo *Kinton* ibidem haberi, ubi carceres publici, ædificia publica, piscaria, vivarium, et concursus trium semitarum militarium a Durobrivis, Neomago, et Sulloniacis stationi opportunam sedem, et Romanis cultam præ cæteris indicant. In ea igitur est sententia, ut credat, Aulum Plautium prætorem hic subsedisse cum exercitu Romano ad fluvium Thamesim, donec advolaret Claudius imperator ab ipso accitus : « Claudius transmittit in Britanniam, ait Dio, et ad copias se ad Thamesim exspectantes perrexit, transgressusque flumem cum Britannis conflixit, Camalodunum regiam Cinobelini cepit, » etc.

« Post illam de Trinobantibus victoriam (subdit Gale) Romani castella, et præsidia ultra Thamesin promovebant, paulatimque Britannos versus Boream protrudebant. Ex hoc interiora, tanquamin tuto negligi. Colonia Camalodunum deducitur, Verulamium Municipii nomine insignitur, mox Londinium tempore Neronis e tenebris emergit. *Copia negotiatorum, et commeatuum maxime celebre* (ait Tacitus lib. XIV), nondum colonia, sed præfectura : prætoriumque habuisse videtur eo in vico, ubi lapis ille notissimus, sive milliarium, sive columna Mercurialis in capite Flori, per multa urbis facta, et calamitates eluctatus est, et immobilis semper perstitit tanquam deus Terminus. »

Apparet igitur ex recitatis observationibus Gale, ac veterum testimoniis, Londinum, Nerone imperante nondum coloniam, sed præfecturam, augmenti occasionem cepisse ex vicinæ coloniæ *Camaloduni* subversione, ita proxima suæ deductioni (quam diximus a Claudio peractam anno Christi 50), ut nonnisi per decennium substiterit. Tum vero Icenorum regina, Britanniæ motibus classicum canens, tandiu Romanos exercuit, donec Vespasiani ætate, ac filiorum ejus Titi, et Domitiani principatu provinciæ status pristinam formam receperit. Adriani, et Antonini victoriæ plenam in Britannico solo pacem Romanis pepererunt. Id temporis opportunum fuit instaurationi præsidiorum, constitutioni classis Britannicæ, et plurium coloniarum deductioni, aut incremento. Eboraco primas detulit Alcuinus quem primum edidit Grabe pag. 20, ita canens :

> Hanc Romana manus muris, et turribus altam
> Fundavit primo.....
> Ut fieret ducibus secura potentia regni
> Et decus imperii, terrorque hostilibus armis.

Si autem ea primum condita a Romanis, *ut fieret ducibus secura potentia,* et colonia facta est, sextæ legionis victricis militibus emeritis eo traductis, profecto id contigisse minime potuit ante imperium Adriani. Nam inscriptio reperta in foro Romano, apud Gruterum edita fol. CCCCLVII, n. 2, exhibet M. Pontium m. f. pup. Laetianum Larcium Sabinum consulem trib. pleb. candidatum imp. divi Adriani, qui legationes plures obtinuit, et præturas in provinciis, et sub Antonino Pio, M. Aurelio, et L. Vero, comes in expeditionibus fuerat bello Germanico, Armeniaco, Parthico, hunc, inquam, exhibet cum legione VI victrice ex Germania in Britanniam transeuntem tribunum militum. TRIB. MIL. LEG. VI. VICT. CVM. QVA. EX GERM. IN BRITAN. TRANSIIT. Déductio igitur legiones VI et coloniæ Eboracensis cum sit æqualis Antoninorum temporibus, et cum colonia Eboracum dignitate præferretur cæteris coloniis ejusdem provinciæ Britanniæ, declarat constitutionem provinciæ civilem et ecclesiasticam, necnon originem trium sedium episcopalium vetustiorum in ea fundatarum pariari cum ætate Eleutherii papæ, Antoninorum, et Lucii regis, et mirifice comprobat ea quæ de originibus ecclesiasticæ hujus provinciæ hactenus dicta sunt.

Superest, ut de *Lindi Colonia* [*Lincoln*] quæ tertia Ecclesia ejusdem provinciæ apparet in subscriptionibus episcoporum, aliaque proferamus. Mihi vero nihil præstandum superest, quam ut Thomæ Gale doctas æque ac breves notas transcribam ex pag. 96 :

« *Lindo* [*Lin Colne*] Anonymus Ravennas habet expresse *Lindum Colonia* hoc uno vocabulo adjecto quantum lucis affudit ille historiæ antiquæ ! Magnas profecto gratias ei debemus, quod tandem subscriptionem concilii Arelatensis intelligamus. *Adelphus episcopatus de civitate Colonia Londi,* haud dubie pro *Colonia Lindi.* Hoc ipsum Beda pene vidit, cum hanc urbem *Lindi-Collina* nominavit. Ptolemæus quoque Lindum dixit. Romana numismata in campis ad Boream hujus civitatis inveniri notat Lelandus in Itinerario. »

Commendat etiam ordinationem provinciæ, tam civilis, quam ecclesiasticæ justa partitio Britanniæ in æquas ferme portiones per triplicem hanc coloniam, et episcopatum, Eboraci, Londini, et Lindi coloniæ. Dividunt enim provinciam spatiis satis proxime æqualibus : præsertim si Eboraco attribueretur pars illa ultra vallum Caledoniis restituta per Caracallam, quam serius *Valentiam* provinciam appellavit notitia imperii sub Valentiniano. Certe ad Eboracensis Ecclesiæ antistitem cura pertinuisse censenda est promovendi evangelicam doctrinam ætate Commodi, ac Severi ultra vallum, eaque loca ad Christum perducendi, quæ Tertullianus ibidem indicat, cum ait, *Britannorum inaccessa Romanis loca esse Christo jam subdita.* Hæc plenius intelliguntur, si nonnulla producantur in medium, quæ servata videmus ætate apostolorum, et proximis in fundatione sedium episcopalium.

In fundandis episcopatibus complures erant dispositiones præmittendæ atque attendendæ, quæ tum Ecclesiæ illius singularis, tum universalis bono prospicerent, dum nova sedes episcopalis erigeretur, ne dici de illa posset : *Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam.* Prima erat, ut certi fines attribuerentur, intra quos gregem suum novus ille pastor concluderet. Altera, ut fideles singulos intra eadem septa sibi commissos ordinata partitione tam in civitate, quam in agro ita posset episcopus censere, nosse, curare, ac regere singillatim per se, aut per presbyteros, ut nemini deessent ad salutem comparata præsidia doctrinæ et sacramentorum. Tertia, ut Ecclesiæ illius partium unitas diligenter custodiretur, et unitatis arctissimæ nexus cum Ecclesia omnium principe ac matre per apostoli Petri sedem a Domino constituta. Tres istæ conditiones, ac dispositiones, necessario requirendæ ad novos episcopatus rite fundandos, perspicue deprehenduntur ex antiqua disciplina emanare, et hodie retineri in consecrando juxta regulas sanctorum Patrum

electo ad tanti ordinis dignitatem, cum sacramento A sese obstringit ad visitanda singulis trienniis limina apostolorum, et pastoralis officii sui rationem Christi in terris vicario Petri successori reddendam, status Ecclesiæ suæ, cleri, ac populi disciplinæ, et animarum sibi concreditarum salutis : necnon cum præmissis a consecrante episcopo interrogationibus requiritur : « Vis ea, quæ ex divinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, et verbis docere, et exemplis ? Vis traditiones orthodoxorum Patrum, et decretales sanctæ et apostolicæ sedis constitutiones veneranter suscipere, docere, et servare ? Vis beato Petro apostolo, » et cætera, quæ consequuntur usque ad postremum illud, quo interrogatur, « num omnibus indigentibus esse velit propter nomen Domini affabilis, et misericors ? » Sponsionum autem istarum implendarum præsidia, ac dispositiones non peræque poterant in quacunque ordinatione reipublicæ reperiri, nisi hæc accederet ad specimen illius regiminis, quod in populo ad verum Dei cultum per B Moysen edocto, et ad figurandam Christianam Ecclesiam præmisso apostoli experti fuerant. Metatio enim regionis, ac divisio per tribus duodecim, tribuum singularum per familias, familiarum per capita, designatio civitatum sacerdotalium, statæ vices levitarum, ac sacerdotum, census civium in libris sanctuarii, conventus omnium certis diebus indictus ad idem templum, legis divinæ repetitio ex codicibus sanctissime custoditis formabant animos ad Ecclesiæ Dei unitatem custodiendam, non minus quam ordinem certum, ac stabilem ex collectis undique copiis fidelium : et paratam reddebant facultatem levitis, ac sacerdotibus singulos populares suos instituendi in divinæ legis doctrina, et officiis ; cum illa civilis partitio expeditum, ac præsens privato cuique civi redderet legis, ac sacerdotii publicum beneficium. Quare, et Hierosolymis fundari placuit episcopatum Ecclesiæ Christi nascentis priusquam alibi fundaretur ; et per annos non paucos vetitum fuit extra Judæorum fines Ecclesias fundari a Hierosolymitana C illa non dependentes. in qua synedrium novæ legis apostolorum cœtus cui Petrus præerat novimus constitutum, uti ex Apollonii narratione docti viri colligunt apud Eusebium supra recensitum ut scilicet custodiretur cum unitate Ecclesiæ ordo r giminis, ac disciplina facilitatem præbens episcopo docendi plebem sibi commissam tum in templo Dei, tum per domos, exemplo apostolorum in Hierosolymitana id præstantium. Quando autem apostoli ex Judæa educebantur in provincias a divino Spiritu orbem universum suis fidelibus impleturo ; primum in synagogis Judæorum nonnihil morabantur Christum annuntiantes, ubi ordinis, atque unitatis antiquæ major spes affulgebat, demonstrato doctrinæ, ac disciplinæ Christi nexu, et concordia cum oraculis prophetarum, et institutis ; deinde convertebantur ad gentes, conspectu veteris Ecclesiæ Judaicæ quodammodo cicuratas : eisque populis episcopos in primis tribuebant, apud quos imitatio quædam Hierosolymi- D tanæ politiæ in constitutione republicæ rudimentum aliquod induxisset repartitionis aptæ ad episcopalis officii curam facilius exercendam ea diligentia, quam Apostolus gentium Ephesiis se præstitisse memorabat (Act. xx) docens publice, et per domos, et per triennium, nocte ac die non cessans cum lacrymis monens unumquemque eorum ex majoribus natu Ecclesiæ quos accersiverat ; atque ita reddidisset cives unitatis amicos, et ordinis retinendi patientes, ac studiosos. Qua vero ratione apostolici præsules in episcopatuum fundatione curanda id obtinerent facilius in regionibus Romanæ reipublicæ imperio subjectis ejusdemque imperii constitutione (maximam partem ex judæorum, et Græcorum exemplis suos in mores traducta) jam dispositis ad ordinis, et unitatis præsidia ministranda, patere cuique potest consideranti statum urbis Romæ, et imperii provinciarum sub Augusto principe, et subsecutis cæsaribus primo Christi sæculo, et in secundo sub Antoninis. Ipsa civilis dispositio, ac nexus partium, tam urbem Romam, quam rempublicam, et imperium constituentium, in coloniis præsertim, ac municipiis, paratam partitionem episcopo, ejusque presbyteris ministrabant civitatis, et agri ad censum ecclesiasticum redigendi, ut publice in dominico, vicatim, et per domos, non secus ac in primo Hierosolymorum episcopatu panis fidelibus frangeretur, et certi paræciæ fines episcopo, certi presbyteris illico assignarentur, et nexus arctissimus cum Romana sede, universarum matre et capite a Petro constituta, ad eamque accessus, et confugium in gravioribus causis facilis haberetur, et universalis Ecclesia ita sibi cohærens in singulis partibus, redderetur contra hostium aggressiones terribilis, et inexpugnabilis ut castrorum acies ordinata. Ut in Britannia sistam, cujus episcopatuum prima fundatio nunc illustranda proponitur occasione Eleutherii viros idoneos ad eam provinvinciam ablegantis, mira erat facilitas assignandi officia, et fines unicuique episcopo ex tribus antiquissimis sedibus jam memoratis, quæ suapte sponte fluere videbatur ex civili ordinatione ejusdem prociæ. Semel ordinatus (exempli causa) Eboracensium episcopus intelligebat sibi attributos cum civitate Eboraci eosdem fines paræciæ, qui et agrum coloniæ metarentur : præterea jubebatur in provinciam universam ultra fines paræciæ, et coloniæ quædam jura exercere (non secus ac Romanus præfectus Britanniæ Eboraci residens supra ejusdem provinciæ præturas) quæ archiepiscopi, aut primatis postea sunt appellata. Londinensi vero antistiti tribuebantur fines Londini civitatis et præturæ. Lincolniensi non dissimilis assignatio circumscripta certis limitibus jam notis agri ejusdem coloniæ. Singulis autem præsulibus eorumque clero, et populis certus ordo unitatis, et obedientiæ servandus indicabatur erga Romanam sedem, ejusque summum hierarcham, Petri apostoli successorem. Cum vero in coloniis C apud Romanos id moris vigeret, ut certus magistratus ab imperatore mitteretur ex Urbe CENSITOR CIVIVM ROMANORUM EIVSDEM COLONIAE, quem in colonia Britannica Victricensi Camaloduno memoravi supra ex veteri inscriptione pag. 447, ea res in Christiano censu fidelium ejusdem episcopatus pari facilitate perficiebatur, utpote civili designatione ubique circumducente episcopum per eadem vestigia. Quæ cum in hostico solo tentari vix possent, præsertim ubi vario marte confligeretur inter Romanos, et insulares, (tot enim fines episcopatuum fuissent variandi, quot hinc inde victoriæ confligentium subsequerentur ; si episcopales cathedræ alibi statutæ ab initio forent, quam in pacatis provinciæ partibus, et certo coloniarum, aut municipiorum ordini jam assuetis); hunc est, ut antiquissimi provintiarum episcopatus a pace Christiana lubentius designati, et erecti reperiantur in metropolibus, coloniis, municipiis, stationibus, aut præsidis Romano- D rum, et in hostili solo fidei quidem nostræ lux circumlata sit per viros idoneos ad docendum, cum pontificis, aut proximorum antistitum eodem ablegatis ; sed episcopales sedes ibidem serius apparebant institutæ.

Quo evidentior hæc disciplina habeatur, attendi velim, ut ab Eleutherio in Britanniam presbyteros primum Romanos ferunt ablegatos, deinde episcopos ordinatos ; ita et ad reliquas provincias ac fundationes sedium episcopalium Romano e presbyterio sæpe delectos, aut certe ordinatos per diversa loca episcopos legimus a singulis fere pontificibus Romanis. Causæ suberant huic disciplinæ tum aliæ gravissimæ, tum ista non accensenda inter postremas; quæ descendit a facilitate ordinis observandi tam in finibus certis singulorum episcopatuum designandis, quam in eorum nexu cum cathedra principe totius Ecclesiæ retinendo. Tituli presbyterorum, Petro apostolo ita mandante, a successoribus in Urbe erecti

habeantur *intar diœcesum*. Quod supra attigi in notis ad Cletum, et ad Evaristum pag. 77, et infra legemus in Dionysio, num. 26 : «*Hic presbyteris Ecclesias divisit, et cœmeteria, et parochias diœceses instituit.* » Et clarius in Marcello num. 31 : « *Viginti quinque titulos in urbe Roma constituit quasi diœceses propter baptismum, et pœnitentiam multorum, qui convertebantur, ex paganis, et propter sepulturas martyrum.* » Qualis demum erat hæc diœcesum, seu parœciarum, nempe episcopatuum species, ac rudimentum in titulis Romanis? Talis scilicet, ac tanta, ut ordo atque administratio amplissimi cujusque episcopatus, non minus quam connexio cum summo sacerdote percipi posset ex inspectione uniuscujusque tituli Romani. Divisa erat Urbs ab Augusto in regiones quatuordecim, certis limitibus, ac spatiis designatas. Regiones singulæ suos vicos, vici suas insulas agnoscebant. Civilis hæc divisio regionum Urbis ejusque partium expeditam reddebat et perspicuam (quemadmodum ex lapide Capitolino dignoscitur apud Gruterum edito pag. CCL, necnon ex Rufo et Victore) curatoribus, denuntiatoribus, vicomagistris, aliisque ministris ad regionis curam institutis sui limitis notitiam, et procurationem. Nec minus perspectam titulorum jurisdictionem in certos fines singulis attributos eadem divisio Romanis presbyteris afferebat. Diaconis enim regionarii, ut erat parata maxime, ac nitida ex regionum ambitu ac limite, cum duæ regiones singulis attributæ quatuordecim Augustæas in septem pontificias contraherent: ita etiam presbyteris viginti quinque vicorum noti fines, et insularum, pontificia partitione attributi, relinquebant nihil ambiguum, aut cura certi presbyteri destitutum. Ordinis quoque ratio quæ in Urbis politia vicomagistros curatori, curatorem præfecto Urbis nectebat, in ecclesiastica partitione adhibebatur, ut notarii subdiaconis regionariis, subdiaconi diaconis, diaconi presbyteris, et insulæ, vici, eorumque incolæ, ac fideles singuli sive in Christo per baptismum nascerentur, sive decederent, sive pœnitentiæ per sacramentum gratiæ forent restituendi, judicem quique suum, ac censorem in tituli cardinali presbytero agnoscerent, atque ita cum episcopo, presbyterii, et Ecclesiæ universæ capite, Christi vices in terris agente, connecterentur. Quis non videat, ut in ordinatione, atque unitate imperii Romani paratum fuisse vehiculum Evangelio facilius perferendo jam diximus: ita in recte constituta Urbis partitione, et regionum nexu cum suis officiis dispositam œconomiam regiminis titulorum, atque in titulis urbanis, eorumque presbyteris, ad hanc ordinis legem pontificia auctoritate formatis, et civili consuetudine adjectis, methodum absolutam addisci debuisse regendarum diœceseon, et parœciarum? Erat igitur ejus disciplinæ compendium non postremum, quæ in fundandis episcoporum cathedris, assignandis finibus, nexuque servando cum sede apostolica requirebatur; si a Romano pontifice ad ordinandas Ecclesias futuri episcopatus, aut provinciæ, ablegarentur ex urbano clero presbyteri, titulorum Urbis magisterio, quasi in diœcesum procuratione exerciti: vel episcopi Romæ ordinati et pontificiæ hujus disciplinæ testes oculati, quandoque etiam ad temporariam vicariæ potestati curam adhibiti, quasi emeriti duces Christi vexillationum, et censitores civium vere Romanorum ad colonias cœlestis Jerusalem deducendas, et cum hac earumdem in terris metropoli arcte connectendas, poscentibus populis ac regibus, concederentur,

Hæc lusius exposita si quis ducat, quam ratio adnotationum exposceret ad Eleutherii sectionem, exhibentem Lucii regis postulata, et Eleutherii paternam curam in promovenda apud Britannos religione Christiana, et ordinandis Ecclesiis ejusdem provinciæ, indulgebit, ut spero, excursum non inofficiosum, neque alienum a ratione *Adnotationum* in Anastasium; cum videat in Britanniæ provinciæ ecclesiastica fundatione commentarium hic esse ita contextum, ut non solius Britanniæ Ecclesiarum, sed etiam totius Occidentis episcopatuum, ac provinciarum specimen recognoscat, a Romanæ sedis hierarcha summo curatum juxta exemplar principis apostolorum, cui succedebat; imo et totius orbis Ecclesiarum imaginem breviatam intueri se putet; quandoquidem, et Marcus hinc ablegatus ad Alexandrinum patriarchatum non dissimiliter ordinandum, et Evodius ad Antiochenum ita administrandum directus, orbis universi Christiani provincias cum Petri cathedra, et cum Romanæ Ecclesiæ disciplina simili jure, nec dispari regiminis methodo connectebant.

Quæ de duplici limite, ac vallo Adriani, et Antonini supra dicta sunt, ita intelligat velim lector, ut in limite occidentali juxta planum meridianum a Clausento ad Luguvallium perducto non opinetur vallum perpetuum ab imperatoribus excitatum, sed a *Clausento* [*Southampton*] ad *Iscam* fluvium [*Usk*] : inde vero cursus fluvii ab ostiis ad suos fontes vicem valli suppleat usque *Rotunum* [*Routon*] : hinc rursus excitato vallo ad æstuaria prope *Devam* [*Chester*] reliquam limitis partem compleat Oceanus alluens littoralem tractum Britanniæ occidentalem contra Monædam insulam ex Devæ æstuariis ad *Luguvallium* [*Carlile*]. Ibi vero alter limes incipit, murus scilicet excurrens ab occidente in orientem ex Luguvallio ad Gabrosentum, utrinque attingens Oceanum, et Scotiam hodiernam ab-Anglia separans. Per limitem illum priorem ferme juxta ductum meridiani divisa subinde fuit Britannia prima a secunda, necnon a Flavia Cæsariensi sub Valentiniano, ut Gale in tabula ostendit.

CIACONII.

Linea 3. — *Hic accepit epistolam a Lucio Britanniæ rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum.* Ineunte Eleutherii pontificatu, Lucius Coylli filius, Britannorum rex anno Christi 182, et principatus sui 13, cupiens exstinctam religionem Christianam renovare, quam primum Joseph Arimathiensis, qui Christi corpus sepeliit, navi vectus cum multo comitatu, in eam insulam, sive casu, sive divino consilio, ita volente Deo, appellens, prædicavit, ubi tam ipse, quam ejus socii multos ad pietatem ex gentilismo ductos, sacris aquis intinxerant Ecclesiamque constituerant (nam Gildas, vetustissimus illius gentis scriptor Britannos, jam inde ab initio orti Evangelii, Christianam suscepisse religionem testatur) ad sedem apostolicam duos ex suis prudentes, et primores viros, Helvanum, et Medianum, cum litteris misit qui a pontifice postularent religionis Christianæ magistros, ut tam se, quam ejus populum in ea instruerent, instructosque baptizarent. Eleutherius, nihil cunctatus, Fugacium, et Damianum S. R. E. presbyteros, singulari doctrina, et pietate viros illuc misit, qui regis votis satisfacerent. Ita Britannia opera Eleutherii omnium provinciarum prima Evangelium publice suscepit. Adeo ut Tertullianus vicinus eorum temporum in lib. contr. Judæos Britannorum inaccessa Romanorum loca subdita tunc Christo esse scripserit.

Linea 5. — *Ut nulla esca usualis a Christianis repudiaretur.* Encratitarum tunc hæresi invalescente, quæ non solum nuptias, sed humanos cibos damnabat, instituit Eleutherius, ne quis fidelium ob superstitionem, genus ullum cibi rejiceret, quo homines ex consuetudine vescerentur.

PAGII

Linea 3. — *Hic accepit epistolam.* Eleutherius, inito pontificatu, epistolam accepit a Lucio Britanniæ rege, qua rogabatur, ut divini verbi ministros, ac sacerdo-

les in Britanniam mitteret, qui populum in fide, et moribus instruerent. Quare hic sanctus pontifex Fugatium, et Damianum, seu Donatianum misit, qui regem, et alios Christiana religione imbutos sacris mysteriis initiarunt. De ea conversione, præter Librum Pontificalem, habemus testimonium Bedæ qui lib. I, Hist. gentis Anglorum cap. 4, ait: « Cum Eleutherius vir sanctus pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans, ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, et mox effectum piæ postulationis consecutus est. » Porro Eleutherii papæ tempore, Britanniam a Romanis nondum totam subactam sed potius adhuc magnam partem populi trans murum habitantis regem habuisse, probat Baronius anno 183, n. 5.

SOMMIER.

Linea 4. — *A Lucio Britanniæ rege,* etc. Qui factum Lucii regis in dubium revocant, aut etiam negant (Basnage, *Hist. de l'Église,* liv. VII, c. 5, n. 4), ea persuasione ducti, quod Britannia, utpote in provinciam redacta sub Claudio, reges habere hoc tempore non potuerit. non animadvertunt, in more positum apud Romanos, ut reges persæpe sibi obstrictos, ac fœderatos relinquerent, aut darent provinciis, etiam in suam potestatem redactis, et imperio subditis: cujusmodi exempla videre licet in Judæa. Armenia, ipsaque Britannia sub Nerone, ut memorat Tacitus Annal. XIV. Josephus aut. lib. XIV, c. 26 et alibi, et Spartianus in Adriano. Aliunde constat, insulam universam nequaquam fuisse a Romanis domitam; et murum per octoginta millia passuum ab Adriano ductum, cui Antoninus successor vallum adjecit, ut partem imperio paren em separaret a reliqua sub insulanorum libero dominio constituta.

Regnum itaque Lucii potuit ultra murum collocari: qua de parte Britanniæ fortasse loquitur Tertullianus, quando affirmat *Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita.* Quod si recentiorum quispiam decorare voluit factum, attributis proprio marte conflictis, ac superadditis, nunquid hæc addimenta derogant fidem genuinis narrationibus antiquorum?

XV. SANCTUS VICTOR.

ANNO CHRISTI. 194, COMMODI IMP. 1

15 *Victor, natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem* [a]. *Fuit* autem *temporibus* Helii Pertinacis et Severi, *a consulatu Commodi* quinto *et Glabrionis usque ad Lateranum et Rufinum* [b]. *Hic constituit ut S. Pascha die Dominico celebraretur,* sicut et Eleuther. [c]. *Hic fecit sequentes cleros. Martyrio coronatur.* [d] *Et constituit ut, necessitate faciente,* ibi *ubi inventus fuisset, sive* [e] *in flumine, sive in mari, sive in fontibus* [f], tantum *Christiana confessione* credulitatis clarificata [g], *quicunque hominum ex gentilitate veniens,* ut *baptizaretur.* [h]. *Hic fecit ordinationes* tres [i] per mensem Decembrem: *presbyteros quatuor,* diaconos septem, *episcopos per diversa loca duodecim.* Hic fecit constitutum ad interrogationem sacerdotum de circulo Paschæ, cum presbyteris et episcopis facta collatione, et accersito Theophilo episcopo Alexandriæ [j], facta congregatione, ut a quartadecima luna [k], primi mensis, usque ad vicesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha. *Hic sepultus est juxta corpus beati Petri* in Vaticano V *Kalendas Augusti, et cessavit episcopatus dies duodecim* [l]

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Victor ann..... II, d. X, Fuit temp..... Commodi.....

Notæ Schelestratii ad Catalogum Liberianum.

Lacuna Consulum in Victore suppleri potest ex secundo Catalogo.

Supplementum lacunarum Catalogi ex dictis in Aniceto.

Victor annis XII, d. X. Fuit temporibus Commodi et Severi, a consulatu Commodi, et Glabrionis usque Laterano, et Rufino.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B.* m. 1, d. 28. [b] *B*, m Comm. et Severi, a coss. Comm. Aug. II et Pertin. II usque ad Fabianum et Mucianum. [c] *C*, Pius. [d] *Vide Bar. an.* 198. [e] quicunque hominum sive *CB.* [f] fonte sive in stagno, *CB* [g] *C*, declarata. [h] *CB*, integer efficeretur Christianus. [i] *CB*, duas. [j] *Bar. ad an.* 198 *legit epis. Cæsareæ Palæstinæ.* [k] *C*, 13 luna. [l] *CB*, 11.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Num. 15, *lin.* 1, ann. 15, m. 3, *lin.* 2, fuit a. t. Cæsaris A. Commodo V. et Gravione. *lin.* 4, sicut et Eleuth. *lin.* 5, cleros. Hic constituit ut necessitate faciente ubi in f. *lin.* 8, ven. baptizetur. *Sic. M. Reg.*

autem, baptizaretur. Hic fecit ord. 2. *lin.* 11. Th. Alexandrino episcopo, ut a XIV. l. *lin.* 13, custodiretur. *In cod. Freh. lin.* 14, 15, *B,* dies 2.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 2, temporibus Commodi et Gravionis V. *lin.* 5, et mart. cor. *lin* 5, ubi et ubi inventum fuisset. *lin.* 7, ex gentile v, bapt. *lin.* 8, ord. 2. *lin.* 9, presb. 12, diac. 8. *lin,* 10, de circ. P. et dominico Paschæ cum p.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Reg. Vat. et Florent.* , Cæsaris Aug. a Commodo II et Claberione, *lin.* 4, *Flor.*, frequentes. *lin.* 5. *Flor. secund. et Vat. deeest.* ibi. *lin.* 8, *Flor.* 2 *et Vat,* duas. *lin* 11, Alexandriæ, *leg.* Cæsareæ. *lin.* 13, *post verba* Sanctum Pascha *Flor.* 2 *et Reg. ponunt* ordinationes duas, *deinde* ; martyrio coronatur, qui et sepultus est.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 2,fuit autem temporibus Cæsarii ac Commodi V. et Gravionem usque ad Lat. et Raf. *lin.*5. necess. fac. ubi inventus fuisset, sive in fl. *lin.* 8. ordinationes II, per m. Dec.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 4. — *Sicut et Eleuther.* Secundus catalogus habet: *Sicut Pius,* qui occasione libri *Pastoris* præcipere potuit, ut sanctum Pascha die Dominco celebraretur. Cæterum hunc ritum, qui apud Asianos usu receptus non fuit, Victor papa ubique observari voluit eaque de re frequentia concilia tam Romæ quam in aliarum regionum provinciis celebrari jussit, quod ultimis verbis auctor indicat, et omnino concinit illi. quod hac de re tradit Eusebius lib. v, cap. 23 .

BENCINI.

Linea. — *Hic constituit, ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur sicut Eleuther.* A Beda exscriptam periochen censeo, et a consarcinatore inditam gestis Victoris, dum in libro de sex Ætatibus Beda habet: « Victor datis libellis constituit Pascha die Dominico celebrari, sicut et prædecessor ejus Eleutherius. » Similem additionem reperio a Beda desumptam supra in Eleutherio incertam, ubi lego (l. I *Hist. gentis Angl., c.* 4): « Hic accepit epistolam a Lucio Britanniæ rege, ut Christianus efficeretur per ejus mandatum » Beda totidem ferme verbis habet: « Cum Eleutherius vir sanctus pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans, ut per ejus mandatum Christianus efficeretur, et mox effectum piæ postulationis consecutus est, » etc. Additionem posteriori manu factam deduco ex codice 39 bibl. Palatino- Vaticanæ n. 36, ubi exstant antiquissimæ membranæ repræsentantes hæc pontificum gesta, et ibi legitur: *Sicut Pius.* Accedit quod Irenæus in epistola ad Victorem Pii meminit, non Eleutherii circa eam controversiam statuentium. (apud Euseb. I. v, c. 24) « Sed et presbyteri illi, qui ante Soterem Ecclesiam, cui tu nunc præes, gubernarunt, Anicetum dico, et Pium, et Hyginum cum Telesphoro, et Xysto, neque ipsi unquam observarunt, » etc. Unde videtur, additionem posteriori manu factam ex Beda esse desumptam ; cum solus Beda Victorem, et Eleutherium tanquam earum constitutionum auctores laudet ; antiquissimi vero catalogi memorent Victorem et Pium. Isti autem sunt sequendi, utpote cum Irenæo concordantes, qui eodem tempore vivens poterat hasce constitutiones editas perfectius scire, et recensere.

Linea 4 — *Hic fecit sequentes cleros, Martyrio coronatur et constituit, ut necessitate faciente . . .ut baptizaretur.* In gestis mira transpositio occurrit, et inordinata gestorum series, quæ pandit, et firmat nostram conjecturam de additis interpositionibus suæ luci restituendis. Verba itaque illa *Martyrio coronatur,* adnectenda sunt cum verbis antecedentibus, et legendum: *Hic Martyrio coronatur. Hic fecit sequentes clero..... et constituit, ut necessitate faciente,* etc. Præter enim codd. Florent. secun., et reg. ipse tractationis ordo transpositionem probat, et factam restitutionem firmat. Restituimus cum punctis verborum quorumdam designantium omissa esse verba aliqua, cum opinemur, olim exstitisse ordinem, et gradus ministrorum, qui esset servandus in baptismi collatione, quos Victor retinendos decrevit: gradus omisit Amanuensis enumerare, cum illa verba, *per sequentes cleros,* ordinem dantium a pontifice esse determinatum aperte designent. Potuisse vero Victorem ex quadam circumstantia nobis ignota rem decernere probat ejusdem temporis scriptor Tertullianus de Bap. c. 17, qui ordinem in baptismi collatione servandum, et personarum discrimen assignavit, dum ait : « Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est episcopus, Dehinc presbyteri, et diaconi non tamen sine episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem. quo salvo, salva pax est.» Et quibusdam interjectis de laicis, quos ministros baptismi ordinarios esse negat, addit : « Cum ea majoribus competant, ne sibi desumant dicatum episcopis officium episcopatus. Æmulatio schismatum mater est. Omnia licere dicit sanctissimus Apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim conscientia succurrentis excipitur. cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus est perditi hominis. si suspenderet præstare, quod libere potuit. » Argumentum a Tertulliano retractatum et expensum ostendit eo ævo æmulationes fuisse circa baptismi administrationem, ad quas sopiendas Victor *sequentes cleros,* nempe ordinem *a majoribus* clericis servandum decrevit, seriem exponens, quam incuria amanuensium invidit. De reliquo etiam in necessitate servatum ordinem, quando temporis angustiæ, et subsidia deferenda non obstabant, docet factum proximiorum temporum, nempe dum Novatianus vivebat. Hic cum presbyter esset, et in baptismi necessitate versarentur catechumeni, diaconi non audebant conferre baptismum, ideoque Novatianum vocarunt, qui renuit venire. Hoc inter crimina Novatiani recenset Cornelius in epistola ad Fabium Antiochenum ex Rufini interpretatione. « Scribit enim de ipso, quod persecutionis tempore, cum in cellula quadam lateret, et a diaconis, ut moris est subvenire in exitu catechumenis rogaretur, » etc., ipse eam provinciam subire metu persecutionis detrectavit. *Moris itaque erat,* etiam cum catechumeni essent subveniendi, ut si presbyteri adessent, illi baptizarent. Cum itaque Victor sequentiam determinaverit personarum, dicere oportet. hanc seriem fuisse omissam, et determinationis causam olim exstitisse, qua permotus Victor Constitutum edidit. *Vide S. Augustinum l.* II *contra Parmen. c.* 13.

Linea 10.— *Hic fecit constitutum* Repeti fusius quod antecedenter dixerat de constitutione circa controversiam de die Paschatis. Hæc vero repetitio clarissime probat additiones factas, sive secundo Rom. pontificum catalogo, sive aliis, quodque consarcinatores plerumque noluerint has immutare, sed ut in catalogis notabantur, in unum deinde collegerint.

Ad interrogationem sacerdotum. Additio plenius exponit quomodo Victoris constitutum fuerit publicatum, nempe post epitolas episcoporum, qui singuli in singulis provinciis responsa ad Victoris interrogationes dantes, unanimi voto rescripserunt' Pascha

esse celebrandum die Dominica post lunam XIV. De quo ordine hæc Eusebius l. v, c. 23 : « At synodi ob id, cœtusque episcoporum convenere. Atque omnes uno consensu ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt ne videlicet ullo alio quam Domini die mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur : utque eo duntaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus. » De epistola vero emissis ea occasione ita Eusebius rem prosequitur enarrare : « Exstat etiamnum epistola sacerdotum, qui tunc in Palæstina congregati sunt : quibus præsidebant Theophilus Cæsareæ Palæstinæ, et Narcissus Hierosolymorum episcopus. Alia item exstat epistola synodi Romanæ, cui Victoris episcopi nomen præfixum est. Habentur præterea litteræ episcoporum Ponti, quibus Palmas utpote antiquissimus præfuit. Epistola quoque Ecclesiarum Galliæ exstat, quibus præerat Irenæus. Ecclesiarum quoque in Osdroenæ provincia, et in urbibus regionis illius constitutarum litteræ visuntur. » Hæ porro epistolæ in unum codicem relatæ, qui inde encyclicus vocabatur, exstabant etiam ætate Eusebii, qui earum ordinem breviter expressit. Alius erat epistolicus codex ejusdem argumenti, quem ibi laudat his verbis : « Seorsim vero Bacchyli Corinthiorum episcopi aliorumque complurium epistolæ exstant. » De unanimi consensu hæc pandit : « Qui omnes eamdem fidem, eamdemque doctrinam proferentes unam edidere sententiam. » Liber Pontificalis in hac additione correspondet cum ordine codicis laudati encyclici, ubi præmittitur Theophilus et Victoris synodica subsequitur, ut hic legitur : et *accersito* (per epistolam nempe) *Theophilo episcopo Alexandriæ* (legendum omnino Cæsareæ ut Eusebius scripserat), *facta congregatione* (epistolarum synodicarum nempe, quas ad interrogationem Victoris emiserant) *ut a quartadecima luna*, etc. Has porro epistolas encyclicas fuisse, et denuntiativas, quibus eo ævo episcopi emergentia fidei, aut disciplinæ dubia declarabant juxta traditionem in propriis Ecclesiis servatam, custoditamque, et has vicinioribus dirigebant, et ii similiter aliis per omnes orbis Ecclesias aperte docet synodica Palæstinorum sub Theophilo quæ ita legentes admonet : « Date operam, ut epistolæ nostræ exemplaria per omnes Ecclesias mittantur, ne nobis crimen imputent, qui animas suas a recto veritatis tramite facile abducunt. Illud etiam vobis significamus, eodem quo apud nos die Pascha Alexandriæ celebrari. A nobis enim ad illos, vicissim ab illis ad nos litteræ perferuntur ita ut uno consensu, et simul sacrosanctum peragamus diem. » Controversia vero specialissima, quæ tunc exarsit Victoris pontificatu per Judaizantes excitata in eo versabatur, quod qui cum Christiana religione legalium observantias conjungendas, uti ad salutem necessarias, dogmatizabant, decretum proscinderent, veluti alienum ab usu Ecclesiarum, et apostolorum traditione. Ad horum retundendas calumnias Victor, et reliqui catholici episcopi in synodis provincialibus coeuntes, consuetudinem celebrationis expositam in synodicis tradidere. In Palæstina examen primo institutum dum ibi apostolicæ isntitutiones Ecclesiæ vigerent, testatamque facerent ab apostolis habitam, receptamque consuetudinem, quod præstarunt in landata synodica. Velitationem fuisse de traditione, et usu apostolico servato ad Victoris tempora clare innuit Eusebius, qui cum retulisset synodum sub Theophilo Cæsariensi Palæstinæ, et Narcissi Hierosolymitani, qui tunc Cæsariensi Metropolitico jure subdebatur, ita retractatum controversiæ argumentum proponit : « Postquam de traditione diei Paschalis jam inde ab apostolis ad ipsos continua successione manaverat, multa in suis litteris disseruerunt, tandem ad finem epistolæ his utuntur verbis : Date operam, » et reliqua supra laudata. Quod colligitur etiam ex altera Eusebiana animadversione, dum recensens synodicas editas ab episcopis, primo laudat Palmæ Ponti antistitem *antiquissimum episcopum*, utpote aptum ad prioris temporis consuetudinem manifestandam. Secundo quia referens Theophili verba in synodica, adnotavitilla verba, ubi Theophilus, et propriam canitiem commendat, et diu agitatam disceptationem, quam tamen solutam ab aliis episcopis scribit, juxta receptum usum celebrandi Pascha in Dominica sequente lunam XIV. *Ego... quinque et sexaginta annos natus in Domino, qui cum fratribus toto orbe dispersis sermone sæpe contuli.* Hæc itaque innuit Liber Pontificalis in secunda memoria constitutionis editæ a Victore, sicut prædecessores determinaverint diem, et cum Judaizantes decretum proscinderent veluti contrarium usui apostolico, Victor episcopos Palæstinos admonens, et per hos reliquos orbis antistites, cum probatum usum haberet, et quidem ad *interrogationem accersito, seu electo Theophilo*, cui eam illustrandam traditionem commiserat, decretum edidit, editumque Judaizantium audaciam retardavit, dum post Victorem ad Nicæni concilii tempora episcopi, et Ecclesia usum custodivit celebrandi Pascha de Dominico die.

De circulo Paschæ, seu termino etiam jejuniorum. Utramque disceptationem sub Victore a Judaizantibus excitatam dixerat Eusebius l. v, c. 23 : « Iisdem temporibus gravi controversia exorta, eo quod omnes per Asiam Ecclesiæ vetusta quadam traditione nixæ, quarta decima luna salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent : eaque omnino luna in quamcunque demum diem septimanæ incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant : cum tamen reliquæ totius orbis Ecclesiæ alio more uterentur, qui ex apostolorum traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quam ressurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat. » Finis jejuniorum erat altera disceptationis pars, quod clarius expressit Irenæus in epistola Victori data, apud Euseb. l. v, c. 24, pag. 192, dum scribit : « Neque enim de die solum controversia est, sed etiam de forma ipsa jejunii. Quidam enim existimant unico die sibi esse jejunandum, alii duobus, alii pluribus : nonnulli etiam quadraginta horis diuturnis ac nocturnis computatis diem suum metiuntur. Atque hæc in observando jejunio varietas non nostra primum ætate nota est, sed longe apud majores nostros cœpit, qui negligentiores, ut credibile est, præsidentes ex simplicitate, et imperitia ortam consuetudinem posteris tradiderunt. » Utramque controversiam a Victore terminatam edicit auctor libelli synodici, qui de Romana synodo sub Victore, et de determinatione diei cum decretum narrasset, subdit (tom. V Concil pag. 1494) : « Neque hoc solum, sed etiam ea, quæ ad hoc festum pertinebant prosequitur, et cum ipso synodi in plurimis provinciis, et partibus terræ congregatis idem unanimiter sentiunt. » Porro verba illa : *quæ ad hoc festum pertinebant, prosequitur*, satis indicant etiam de jejunii solvendi lege aliquid a Victore statutum esse. Jejunium quidem ad Sabbatum ante Dominicam protrahendum sanxit Victor, et quidem usque ab Sabbati mediam noctem relinquens tamen varias consuetudines gentium, qui paulo ante jejunium quadragesimale solvunt. Sequenti enim sæculo tertio Dionysius Alex. episcopus in sua epistola Canonica apud Bever. tom. II, part. I, ab Ecclesia Orientali suscepta, et in suo codice canonum primum obtinet epistolarum canonicarum locum, et de Romana consuetudine laudata loquitur, et de varietate reliquarum Ecclesiarum. « Misisti ad me..... interrogans, qua hora diei Paschæ jejunium solvendum est. Dicis enim aliquos fratres dicere, quod oporteat hoc in galli cantu facere ; alios vero quod hoc sit faciendum vespere. Qui enim Romæ sunt fratres, ut aiunt, gallum exspectant. De iis autem, qui hic sunt, dixisti quod citius. » Dionysius

præ aliis proponit sequendam Romanam. Epiphanii ævo usque ad galli cantum in Oriente jejunium protractum, cum de jejuniorum superstitione agit, ipse affirmat : In Ancerato. « Qui studiosi sunt biduum, ac triduum, ac quatriduum superponunt : quidam totam hebdomadam usque ad galli cantum. » etc., quæ ultima verba explicant, terminum jejuniorum fuisse communem, ut in nocte Sabbati galli cantus esset jejuniorum finis. Superpositio vero in jejuniis erat, cum præter ordinarium jejunium quis biduo, aut magis absque cibo protrahebat. Occurrit vox eo sensu in actis martyrum Numidiæ n. 8 : *Continuatis in carcere gemina superpositione jejuniis.* Ad episcopalem curam spectasse jejuniorum lites dirimere, Tertullianus in libro de Jejunio hoc ipso tempore scribens, liquido testatur : *Episcopi universæ plebi mandare jejunia assolent.* Victor itaque ab episcopis interrogatis terminum jejuniorum agnoscens, in suo constituto declaravit quid esset sequendum, ut rite Paschæ circulum celebrarent. Porro in Ecclesia Armeniorum adhuc perseverat consuetudo, ut ad Sabbati vesperam Dominicæ Resurrectionis jejunia solvant.

BINII ET LABBEI.

(Ex Bin.) Linea 11. — *Theophilo episcopo Alexandriæ* Hunc Theophilum a Victore ad Romanum concilium accersitum, fuisse non Alexandrinum, sed metropolitanum episcopum Cæsareæ Palæstinæ, testatur Eusebius lib. v, hist. c. 22.

Linea 13. — *Custodiatur sanctum Pascha.* Constituit Pascha celebrandum esse Dominica proxima lunæ decimæ quartæ post æquinoctium vernum.

(Ex Lab.) Linea 11. — *Facta collatione.* Interrogatio facta est de Pascha, vel de die prima cum Theophilo.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Quantum conferat ad assecutionem tum Chronologiæ, tum Historiæ Victoris inspectio archetyporum documentorum, ostendent epochæ duæ Victoris et Zephyrini, a nobis examinandæ et stabiliendæ. Vix enim posset de illis quippiam decerni, sola inspectione catalogorum etiam ubi universi consentiunt ; nisi consultis archetypis, unde catalogi exscripti sunt, vitium descriptionibus deprehendatur. In fine Eleutherii pariando cum consulibus Materno et Bradua, sive cum primis Victoris anno Christi 185 omnes catalogi, et codices consentiunt : non secus ac in fine Zephyrini, cui ex æquo assignant consules anni 217 Præsentem et Extricatum Finem vitæ Eleutherii referunt ad diem 26 Maii ; Zephyrini ad 26 Augusti. Ex die 26 Maii anni 185 ad diem 26 Augusti anni 217, numerantur anni solidi 32, et menses tres pariter solidi. Summa temporis Victori attributa ex consensu omnium catalogorum constat decennio, et mensibus duobus, ac diebus decem ; (unicus enim codex Papebrochii detrahit mensem, et postremus ex Colbertinis bimestri integro præservato adimit octiduum ex diebus) : quare supersunt Zephyrino anni 52, et dies 20 : cui tamen catalogus Felicis Quarti septennium assignat, alii octennium, alii novennium, alii annos 13, vel 16, 17, 18, 19, nullus vero codex ad vicennium pertingit. Consulta ratione pingendi numeros in basilica S. Pauli superstites, et in codicibus aliquot vetustis, colligitur satis manifeste, annos XII, et dies X assignatos fuisse Victoris sedi, Zephyrino autem annos XVIII, menses X, ac dies X : quorum summa complet annos 31, menses 10 et dies totidem, et omnino respondet consulatibus assignatis, ac tempori utriusque martyrii, cum paucis diebus interpontificii, post Victoris mortem reservandis electioni successoris. Qua vero ratione id deprehenderim ex picturis S. Pauli, et vetustis codicibus, expono.

In picturis pontificum toties descriptis basilicæ S. Pauli (quarum specimen dedi supra [col. 1001] in figura impressa) inter utramque imaginem clypeatam duorum pontificum proximorum spatium inter orbiculos imaginum superstes impletur duplici epigraphe, ubi nomina et epochæ eorumdem duorum pontificum signantur per litteras Romanas. Numerus annorum post nomen pontificis, et verbum SED An *sedit annis* plerumque signatur in uno versu : menses in versu proxime inferiori : dies vero in infimo. Aliquando tamen numerus in uno versu inchoatus, ob angustiam spatii continuatur in consequentibus per columnas. Ita in pontifice Eusebio dies viginti quinque ita exprimuntur :

X
X
V

non secus, ac in Marco dies 21 ita signantur :

XX
I

et in Anastasio dies 26 ita collocantur :

X
XVI

Id non attendentibus descriptoribus, facile ex annorum numero duplicem versum occupante contigit loco duarum partium legere numeros duos, et priorem ad annos referre, alterum ad menses, præcipue ubi mensis nullus supra annos integros erat exprimendus ; vel nullus dies addendus supra menses solidos. Hac vero adhibita observatione, pariantur summæ in numeris rite signatis cum consulatibus similiter recte expressis. Demonstrandum est id in Victore. Consensu catalogorum aliorumque codicum illi attributi sunt, ut exposui pag. XCIV in Prolegomenis anni X, menses II, dies X. Respondere hoc minime potest diebus, et annis martyrii seu obitus decessoris Eleutherii, et sui Eleutherius die 26 Maii, Victor 28 Julii cœlo receptus colitur. Non possunt igitur menses duo cum diebus decem præter annos solidos inter utrumque terminum numerari. etiamsi eadem die supponatur electus Victor, qua moriebatur Eleutherius. Consulum quoque ratio repugnat assignato decennio ; cum paria consulum undecim, numerentur a Commodo V et Glabrione Christi 186, primis Victori attributis, ad Saturninum, et Gallum Christi 198 primos ex adscriptis Zephyrino. Quare nec dies, nec anni consentiunt in epocha Victoris, in qua tantus est codicum et catalogorum consensus in numeris. Picturæ Leonianæ in basilica S. Pauli solam denarii notam præservant in primo versu, in quo portio legebatur numeri annorum. Desiderantur autem litteræ versuum sequentium, uni menses, ac dies, si qui essent, signandi erant. Non dubito, quin binarii nota non succederet in secundo versu, non tamen referenda ad menses, qui nulli erant, sed ad reliquam partem duodenarii numeri annorum complens summam ex parte signatam in versu superiore : ita ut epocha ita expressa intelligatur :

Sedit annis XII. diebus X	SED. AN. X. II. D. X.	vel	SED. AN. X. II. D. X.	Sedit annis XII. diebus X.

pro qua descriptor exhibuit : sedit annis X, mens. II, diebus X.

Porro anni XII et dies X, post finem Eleutherii 26 Maii 185, recte pertingent ad finem Victoris 28 Julii 197. si vacationis sedis mensis unus, et dies 23 attribuantur post mortem Eleutherii ad electionem, et ordinationem Victoris 18 Julii anni 185 die Dominica : unde ad ejus vitæ terminum 28 Julii 197 summa numerabitur annorum XII et dierum X. Primi tamen consules illi tribuuntur Saturninus, et Gallus, qui signant annum 186, et primum Pascha ejusdem pontificatus ; cum anno præcedenti 185, Paschale tempus, Materno et Bradua consulibus, pertineat ad Eleutherium adhuc in vita superstitem.

Eadem perversio numerorum provenire poterat ex codicibus, si anni, menses, ac dies ita disponerentur per columnas sibi proximas, ut in aliquot vetustis exemplaribus observavi, in quibus ita proximæ sunt columnæ, ut scriptor facile potuerit deducere paulisper binarium ex una, et subsequenti movere. Exemplum dabo :

	Annis.	*Mens.*	*Diebus.*
Petrus sedit	XXV	IIII	VIII
Linus sedit	XI	III	XII
etc.			
Victor	X	II	X

Paululum spatii omissum a librario negligenter inter decadem, et binarium annorum Victoris potuit in errorem inducere descriptores, et ansam præbere, ut denarium referretur ad columnam annorum, binarium vero ad colomnam mensium : quem in errorem non incidisset, si annorum notas exigere curasset ad consulatus in antiquissimo Liberii catalogo consignatos : ex quibus apparet, duodecim annos tribuendos esse Victori, octodecim Zephyrino : quemadmodum ex utriusque natalitio die in Ecclesiæ tabulis adnotato constat ; nec menses duos tribui posse Victori supra annos solidos. Germanam itaque lectionem epochæ Victoris restituemus codicibus, et picturis per easdem litteras numerales : quibus sejunctis lectio pervertitur, conjunctis custoditur, si ex consulatibus in catalogo Feliciano nominatis, et inde translatis in codices Bibliothecarii, necnon ex diebus natalitio insignitis ejus, ac decessoris in tabulis ecclesiasticis talis reddatur, qualem adhibui pagina 112 ad supplendas lacunas catalogi Liberiani, nempe :

Victor *sedit annis* XII, *diebus* X. *Fuit temporibus Commodi et Severi, a consulatu Commodi* V *et Glabrionis usque Laterano et Rufino.*

Materno enim et Bradua consulibus anno 185, ubi vitam complevit Eleutherius die 26 Maii, qua colitur ; vacatio sedis protracta videtur circa diem Dominicam 18 Julii ejusdem anni, qua ordinatus fuerit episcopus Victor a clero electus successor : qui Pascha primum sui pontificatus celebraverit anno subsequenti 186, Commodo V et Glabrione consulibus, qui primi juxta methodum Paschalem catalogorum illi tribuuntur. Completis vero post ordinationis diem annis XII et diebus X, si martyrium subiit eadem die 28 Julii qua colitur, pervenerit ad consules anni 197, Lateranum et Rufinum, quos illi postremos tribuunt catalogi et codices memorati.

EJUSDEM NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Temporibus Helii Pertinacis.* Omnes norunt ex nummis et historicis, legendum esse *Helvii Pertinacis.* Addam libenter testimonium lapidis antiqui, ex Lepriglani collibus translati in musæum em. Card. Alexandri Albani ; cum in illo certa reddatur epocha brevissimi ejus imperii mensium 11, ex dierum XXV, ita numerati Julio Capitolino in ejus Vita, ex Kalendis Januarii ad diem V Kal. Aprilis, *Falcone et Claro consulibus,* hoc est æræ Christi 193. Inscriptio stylobatæ, ad sustinendam statuam principis a Capenatibus erectæ, talis est :

IMP. CAES. P. HELVIO
PERTINACI. AVG.
COS. II. PONTIFICI
MAXIMO. TRIB. POT.
P. P. PRINCIPI SEN
FORTISSIMO DUCI
ET OMNIUM VIR
TVTVVM *(sic)*. PRINCIPI
CAPENATES. FOEDER
PR. C. LICINIO. SPERANDO

In latere dextero ejusdem stylobatis legitur dedi*cationis epocha* ita signata :

DEDICATA. XIII. KAL. APRILIS CVR P. SEXTILIO PROSPICIO.... MVCIO MVCIANO FALCONE. ET CLARO. COS.

Edidit etiam V. C. Fabrettus Inscript., pag. 688.

Linea 3. — *Hic constituit ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur, sicut et Eleuther.* Et lin. 10 : *Hic fecit constitutum ad interrogationem sacerdotum de circulo Paschæ cum presbyteris et episcopis facta collatione, et accersito Theophilo episcopo Alexandriæ* [legendam *Cæsareæ*] *facta congressione, ut a quarta decima luna usque ad vigesimam primam die Dominica custodiretur sanctum Pascha.*

In notis ad Anicetum ostendi traditionem ac disciplinam Paschatis celebrandi die Dominica tribus in patriarchalibus sedibus a Petro apostolo constitutam, et a successoribus constanter assertam, fuisse deductam in controversiam a quibusdam Asianis B qui asserebant cum Polycarpo permissum sibi fuisse a Joanne apostolo, ut Pascha Dominicum celebrarent die lunæ decimæ quartæ. Beatum vero Polycarpum, ejus controversiæ causa Romam cum accessisset ad Anicetum, et ab eo fuisset exceptus honorifice, re tamen infecta in Asiam rediisse : tuente Aniceto sibi traditam a decessoribus, et a Petro apostolo profectam consuetudinem : neque permittente, ut aliter observaretur in Occidente : licet non magnopere contenderet cum Polycarpo de Joannis temporaria permissione inter Asianos : cum uteretur apostolico privilegio sepeliendi synagogam cum honore. Ea de re tamen turbas iterum fuisse excitatas non solum in Asia, sed etiam in Gallia, ubi cum S. Irenæo agebant alii ex iisdem Asianis, cognoscimus ex epistolis Paschalibus Patrum, editis per Bucherium in libro de Doctrina temporum, nempe Anatolii Alexandrini pag. 443, num. 4 ; Philippi pag. 469, et aliorum. Num. præsens indicat legem apostolicæ consuetudinis vigentem Romæ, et in patriarchatibus Alexan- C drino et Antiocheno ratam fuisse habitam etiam ab Eleutherio papa : per quam confirmatur separari non debere Paschalem diem a Dominica proxime consequenti diem XIV lunæ mensis primi. Acrius instabant Asiani sub Victore : qui ut facilius insinuaret, et sanctius commendaret etiam Asianis praxim suorum decessorum ab universa Ecclesia receptam, coacto presbyterio, et accitis ad synodum episcopis, non modo in ea confirmavit consuetudinis legem decretis suorum decessorum antea vulgatam, et in Romana atque universali Ecclesia vigentem ; sed auctor etiam fuit ut cycli Paschales apte disponerentur, quibus imposterum ordinaretur ad annos complures consequentes certa dies Paschalis ab universis fidelibus observanda. Neque his contentus vigiliis, quas occidentales episcopi secum impendebant in re Paschali ordinanda, in cæteris etiam provinciis aliorum studia excitavit ad conferendam symbolam, præsertim ubi haberentur viri omnibus disciplinis ad eam rem necessariis exculti. Victoris jussu indixit concilium D Theophilus episcopus Cæsareæ : cujus fragmentum superest apud Bedam in libro de Æquinoctio vernali, et apud Bucherium in memorata epistola Philippi de Pascha. Liber Pontificalis, licet memoret Theophilum Victoris ætate Romam advenisse, et in concilio Romano adfuisse, ubi de cyclo Paschali ordinando actum fuisse affirmat, attamen errore collectoris Vitarum sive amanuensium contigit ut, loco Theophili Cæsareensis episcopi in Palæstina, æqualis ætati Victoris, et sub eo cogentis concilium in Syria, obrepserit nomen alterius Theophili Alexandrini episcopi, qui de re Paschali docte quidem scripsit, et circulum decem novennalem ad annos centum expandit, sed multo serius vixit ; cum Theodosio seniori Augusto opus nuncupaverit in fine quarti sæculi, ut in epistola Dionysii Exigui de ratione Paschæ, scripta anno Christi 505, Probo consule, indict. III, legimus in memorata collectione Bucherii, pag. 485, Eusebius lib. V Hist. Eccl. cap. 23 et 52,

, complura concilia congregata fuisse in pro- A
præter eam synodum, quam Romæ habuit
et Patrum epistolas ætate sua superesse.
, inquit, etiamnum epistola sacerdotum, qui
Palæstina congregati sunt : quibus præside-
ophilus Cæsareæ Palæstinæ, et Narcissus
ymorum episcopus. Alia item exstat epistola
omanæ, cui Victoris episcopi nomen præ-
t. Habentur præterea litteræ episcoporum
uibus Palma utpote antiquissimus præfuit.
quoque Ecclesiarum Galliæ exstat, quibus
Irenæus. Ecclesiarum quoque in Osdroenæ
a, et in urbibus regionis illius constitutarum
isuntur. Seorsum vero Bacchyli Corinthio-
scopi aliorumque complurium epistolæ ex-
ui omnes eamdem fidem, eamdemque do-
proferentes, unam edidere sententiam. Et
lem fuit, ut dixi, illorum definitio. » Illam
nem superius expresserat eodem cap. 23,
is : « Sydoni ob id cœtusque episcoporum B
re. Atque omnes uno consensu ecclesiasti-
ulam universis fidelibus per epistolas tradi-
: ne videlicet ullo alio quam Dominico die
um resurrectionis Domini unquam celebre-
que eo duntaxat die Paschalium jejuniorum
m observemus. » Capite vero 25, producit
epistola synodi Cæsariensis, cui interfue-
rcissus Hierosolymorum, Theophilus Cæsa-
ssius Tyri, Clarus Ptolemaidis, aliique epis-
stati *de traditione diei Paschalis, quæ jam inde*
tolis ad ipsos continuata traditione manaverat,
monent, ut *exemplaria illorum epistolæ per*
Ecclesias mittantur. Significant etiam se cum
drinis in die Paschali convenire : cum ea de
uæ ad illos, et illorum ad se litteræ vicissim
ntur. Studia Victoris pro apostolicæ disciplı-
ervantia, et unitate ac pace Ecclesiæ tuenda,
n discrimen vocabat contumacia Asianorum,
rit in Gallıis S. Irenæus notis in litteris apud C
m Eusebii librum, cap. 24, Constat etiam vi-
estantissimos hujus ætatis Victori æqualis, et
arum adlaborasse in ordinandis cyclis Pascha-
Anatolius Alexandrinus, episcopus Laodicen-
opusculo canonis Paschalis apud Bucherium,
9, refert, ea de re fuisse commentarium edi-
Origene Alexandriæ, ubi studia florebant ad
odi computum necessaria. Ipse vero Anato-
ræ doctrinæ vir (ut ait Hieronymus de Script.
) *in arithmetica, geometria, astronomia, aliis-*
ciplinis, cujus ingenii magnitudinem de volu-
quod super Pascha composuit, metiri licet, eo-
argumento præclare versatus scripta sua no-
iquit. Dionysius Alexandrinus, qui sub Gal-
floruit, eodem in stadio se exercuit, usus
ride : ut observat card. Norisius dissert. 2 de
li Latinorum cyclo.

Im præ cæteris illustrat genuino monumen-
us ætatis in marmore consignato Hippolytus
pus, qui duplicata octaeteride sedecim anno- D
rculum concinnavit, deductum ex anno primo
itoris Severi Alexandri, ad quem exegerat,
ronymus tradit, rationes Paschæ, et tempo-
anones. Licet enim eodem cyclo usa non sit
a, ex illo tamen occasio et ratio suborta est
nendæ enneadecaeteridos, seu circuli no-
cim annorum, quem cæteris Ecclesia prætu-
eterea cyclus ille Hippolythæus marmori in-
us, et in martyrum cryptis effossus prope eccle-
. Laurentii extra Muros, in agro Verano, et a
lo Cervino cardinali bibliothecario, qui postea
tificatum Romanum evectus Marcelli II no-
tinuit, in Vaticanum bibliothecam illatus, ubi
conspicitur, exercuit ingenia plurium chro-
rum in eo illustrando. Fraudarem insigni
ento, et documento sacræ antiquitatis præ-
notas in hunc num., nisi curarem hic inserere
m marmoris et cycli imaginem, quam ex ar-

chetypo delineatam, et ari incisam protuli in libro *de Kalendario et cyclo Cæsaris*, ubi ostendisse puto, ex cyclo octogrammo in marmoreo Kalendario Cæsaris lunæ periodum satis exacte accommodante annis Julianis, deductam fuisse methodum duplicatæ octaeteridis, qua constat cyclus Hippolythæus. Utroque autem ex cyclo (Juliano et Hippolythæo) componi posse ostendi tertium cyclum, annis 1484 Gregorianis explicatum, et iterum repetendum quoties opus fuerit, qui exacte respondeat canonibus Paschatis celebrationi optime constitutis tum ab Ecclesia in Nicæna synodo, tum a Gregorio XIII in correctione Kalendarii, atque hulc eidem regulæ in textu Anastasii recensitæ hoc in numero, ut a *quarta decima luna primi mensis usque ad vigesimam primam die Dominica custodiatur sanctum Pascha.* Ea ratio cognosci potest expansa ac demonstrata in opusculo, cui titulum præfixi : *Solutio problematis Paschalis.* Fraudarem, inquam, insigni documento historiam hujus numeri, nisi illud monumentum insererem : in quo una cum cyclo et canone Hippolyti incisum legitur *anno primo imperatoris Alexandri* decretum a Pio, Eleuthero, Victore et successoribus Romanis pontificibus constanter propositum Ecclesiæ universæ, et Victoris ætate plurium conciliorum concordia assertum, uti vidimus cum Eusebio, ut scilicet recepta ex ævo apostolico disciplina et exemplo dies Dominica Christiano Paschati celebrando semper addiceretur, quæ post quartam decimam lunarem diem mensis primi proxime consequatur : neve jejunia solemnia solvantur ante prælictam diem Dominicam. Ex hoc enim marmore perspicuum fit, etiam fervente persecutionum æstu, decretum Romanorum pontificum scriptis et conciliis sanctorum Patrum luculenter fuisse illustratum, et genuinis documentis marmori insculptis in Urbe non caruisse, quæ victrix ævi religio nostra integra servat posteritati. Argumentum inde capiant velim lectores fiduciæ quam debemus documentis temporum in Romana Ecclesia asservatis et publice propositis post redditam illi pacem ; cum videamus tam splendido monumento decoratos etiam in cryptis martyrum sub Severo Alexandro temporum canones unius episcopi scripto illustratos, et additum catalogum cæterarum ejus lucubrationum. Recenset illas B. Hieronymus in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, plane respondentes titulis operum, consignatis hoc in marmore prope canonem temporum superiorum, per hecceadecaeteridas digestum. Partes illus singulas cum explicuerim in dissertatione de cyclo S. Hippolyti edita in libro de Kalendario et cyclo Cæsaris, et in Germania recusa in editione operum ejusdem S. episcopi et martyris, abstineo a pluribus afferendis ad veteris illius monumenti illustrationem, quam post Petavium et Scaligerum, ibidem reperies auctam commentariis in ea editione recusis virorum clarissimorum, ætatis nostræ decus sua eruditione tuentium, Philippi a Turre dum viveret episcopi Adriensis, Joann. abb. Vignolii Vaticanæ basilicæ et bibliothecæ officiis illustris, et R. P. Virginii Valsechi, in Pisana academia sacrarum litterarum interpretis, amicitia mihi et studiorum communione junctorum. Iconem marmoreæ sedis et simulacri Hippolytum episcopum referentis, cum litteris Græcis in duplici sedis latere hinc exprimentibus canonem temporum (et catalogum operum in sedis inflexione postica) inde cyclum Paschalem ad consequentia tempora expansum ex primo anno Severi Alexandri pag. seqq. subdo duplici ænea tabula excusam.

Linea 4. — *Hic fecit sequentes cleros.* Κλῆρος apud Eusebium lib. VII, cap. 15, redditur Latine *gradus* seu *dignitas.* Marinus *gradum* centurionis promeritus habuit competitorem, qui contendit Marino tanquam Christiano non licere *dignitatem* capessere, *sibi vero gradum illum competere.* Ita enim Latine reddit Valesius, quod Græce expressit Eusebius : Αὐτῷ δὲ ἐπιβάλλειν τὸν κλῆρον. Transposita videntur in hoc

numero prædicta verba: quorum sententia videtur esse continuanda cum ordinationibus infra recensitis : *Hic fecit ordinationes,* etc. Quare periocha Victoris a Bibliothecario videtur compacta ex duplici catalogo : cum in eadem bis memorentur decreta Paschalia, bis indicentur ordinationes, et fine vitæ per martyrium semel expresso post illa verba, *Hic fecit sequentes cleros : martyrio coronatur :* nova decreta addantur ; et rursus de re Paschali, mox de sepultura fiat sermo,

Linea 9. — *Episcopos per diversa loca duodecim.* Inter hos aliqui numerant episcopos a Victore datos Caledoniis, seu Pictis, et Scotis, quos iuterdicitur promoveri curasse Christianam fidem per insulam Britannicam ultra Romanos fines. Ita enim interpretantur illud testimonium Tertulliani, quod supra relatum fuit in Eleutherio, ut scilicet *Romanis inaccessa loca per Britannias fierent jam pervia Christi Evangelio.* Scotorum historici affirmant, eorumque e numero imprimis illustris Hector Boethius hæc litteris mandavit libro v Scoticæ historicæ, circa finem de *Donaldo* Scotorum rege, et hujus temporis Christianis : « Talem dederat ei animum pacis princeps et auctor, Christus Dominus, quod veræ pietati, aspernato malorum dæmonum cultu, sese addixerit. Nam Severo imperante Romanis, apud Victorem pontificem maximum (qui quintus decimus post Petrum Ecclesiæ præfuit) per legatos obtinuit ut viri doctrina et religione insignes, in Scotiam ab eo missi, se cum liberis et conjuge Christi nomen profitentes baptismate insignirent. Regis exemplum Scotica nobilitas secuta, aversata impietatem, Christique religionem complexa, sacro fonte est abluta. Fuit annus ille quo Scoti ad lumen veræ pietatis. Dei optimi maximi benignitate, vocati sunt, et recepti, ab eo qui primus fuit humanæ salutis, tertius supra ducentesimum, etc.

« Donaldus præter hæc primus omnium Scotorum regum (ut in nostris annalibus proditum est memoriæ) nummum argenteum aureumque signavit : una parte salutiferæ crucis, altera sui capitis effigie expressa ; quo susceptæ a se primum inter Scotos reges Christianæ pietatis memoriam ad posteros propagaret. Moritur tandem, religiosis et urbanis operibus Christianoque amore (sacerdotibus, qui tum sacram rem inter Scotos tenebant persuadentibus) in agro Christianorum sepulturæ multis et piis precationibus, ut fieri solet, dicato conditur. Quo prope tempore Alexander (tulit et is Severi nomen, ut honoratior haberetur) Romanum tenebat imperium. Incœpere nostri tum primum sacras colere litteras, sacerdotibus præceptoribus, quos Victor pontifex maximus ad Christi dogma propalandum in extremam miserat Albionem. Restabant tamen non pauci malis dæmonibus sacrificandi ritus: quos Donaldus rex, nullis suasionibus, nullis adhortationibus sacerdotum, nec ulla vi potuit abolere ; sed nec etiam Ethodius, qui secundum Donaldi exitum Scotorum tenuit imperium. »

Hæc Boethius : quem etiam in Scotiæ descriptione secutus Paulus Jovius Donaldum, ait, « primum e Scotis regibus Christianæ religionis sacra suscepisse, primumque in Scotia (cum venalia in humanos usus aliarum rerum permutationibus, aut aliunde importata pecunia, in foro et nundinis emerentur) aurum et argentum Scotica nota percussisse. » Sed miratur Baronius Ann. tom. V, ad ann. 429, § 2, « tanta hæc antiquiorem Scotum chronographum Marianum prorsus ignorasse, et Bedam illis propinquum penitus latuisse : » nec desunt qui ad Hiberniam (quæ antiqua Scotia fuit (totam conversionis hujus historiam transferendam esse existiment, a quibus non multum dissidere videntur et illa Thomæ Bozii lib. VIII de Signis Ecclesiæ cap. 1 : « Tradunt in Scotia. quæ tunc erat Hibernia, Christi cultum disseminatum eodem tempore, quo in Britannia, sub annum *salutis* CCIII, Victore sedente. »

Ut summam eorum perstringam, quæ vero proximiora, et a probatis fontibus collecta esse censeo de antiquitate Ecclesiarum Scotiæ, figere primum oportet historiam civilis dominationis earum regionum quæ a Scotis incoli apud veteres dicebantur. Sunt vero hæc summa capita ad Historiam civilis imperii pertinentia, quæ legi possunt et amplo censu scriptorum, a celebri Usseaio producta in Antiquitatibus Britannicarum Ecclesiarum cap. 15. Tantam inde collegit materiem R.P. Michael Alfordius, alias Griffith, soc. Jesu presbyter Anglus. ut compegerit quatuor ingentes tomos Annalium Ecclesiæ Britannicæ, per quinque priora Christi sæcula, impressos post ejus obitum anno 1663 Leodii, passim in illis proferens historicos ab Usserio observatos.

Diximus paulo ante col. 1261, potiorem partem insulæ Majoris Britanniæ, victo rege Caractaco, a Claudio imperatore domitam fuisse et redactam in provinciam Romanam, eamque auctam a Domitiano primum, deinde ab Adriano, et Antonino Pio non pertigisse tamen nisi ad murum tranversum a freto Germanico ductum ad Occanum Hibernicum ex Cabrosento ad Luguvallium. Reliqua pars insulæ ad Boream vergens ultra hunc murum, quam hodie decimus *regnum Scotiæ,* tunc vero dicta erat *Caledonia,* incolebatur a *Pictis,* et a Britannis, quibus postea successerunt *Scoti* ex Hibernia. Utraque autem gens (*Picti* et *Scoti*) traditur fuisse originis *Scythicæ:* « Post Britones, ait Usserius, in Aquilonari sui parte *Pictos* primum, ut putatur, e Scythia. deinde ex Hibernia *Scotos* sumpsit Britannia. De Pictorum adventu primo in Bedæ Historia ecclesiastica habentur ista. Contigit gentem Pictorum de Scythia, ut perhibent, longis navibus non multis Oceanum ingressam, circumagente flatu ventorum extra fines omnes Britanniæ Hiberniam pervenisse, ejusque septentrionales oras intrasse : atque inventa ibi gente Scotorum, sibi quoque in partibus illius sedes petisse, nec impetrare potuisse. Est autem Hibernia insula omnium post Britanniam maxima, ad occidentem quidem Britanniæ sita ; sed sicut contra Aquilonem ea brevior, ita in meridiem se trans illius fines plurimum protendens, usque contra Hispaniæ septentrionalia (quamvis magno æquore interjacente) pervenit. Ad hanc ergo usque pervenientes navigio Picti (ut diximus) petierunt in ea sibi quoque sedes et habitationem donari, Respondebant Scoti, quia non ambos eos caperet insula : sed possumus, inquiunt, salubre vobis dare consilium, quid agere valeatis. Novimus insulam esse aliam non procul a nostra contra ortum solis, quam sæpe lucidioribus diebus de longe aspicere solemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valeatis : vel si qui restiterint, nobis auxiliariis utimini. Itaque petentes Britanniam Picti, habitare per septentrionales insulæ partes cœperunt. Nam Austrina Britones occupaverant. Cumque uxores Picti non habentes peterent a Scotis, ea solum conditione dare consenserunt, ut ubi res veniret in dubium, magis de feminea regum prosapia quam de masculina regem sibi eligerent : quod usque hodie apud Pictos constat esse servatum. »

E Germanica Scythia prodiisse Pictos antea memoratos communis est opinio, deducta ex Tacito in Vita soceri sui : *Rutilæ Caledoniam habitantium comæ, magni artus Germanicam originem asseverant.* Scythiam vero Germanicam docet habere Diniam, Suetiam, Norvegiam ex pluribus testimoniis : inter quæ præclarum illud Anastasii *Nicæni* quæst. 38 editionis *Herveti,* vel *Sinaitæ* quæst. 40, edit, Gretseri. *Scythiam soliti sunt vocare veteres omnem regionem Borealem, ubi sunt Gothi et Dani* : et alterum Procopii lib II de Bello Goth., p. 232. 233 edit. Græcæ, ubi Scythiæ insula, quæ *Thule* illi dicitur, Daniæ partem complectitur, Suetiam, et Norvegiam ; et a Claudiano appellatur sedes *Pic-*



In sede marmorea S. Hippolyti plana superficies dextri lateris exhibet Chronologiam Paschalem per Cyclos annorum 112 Julianorum proleptice ordinatam e sacris litteris. 1. epocha cycli postremi ducitur ab anno primo Severi Alexandri.—. In sedis inflexione legitur catalogus operum S. Hippolyti, cujus inscriptionis partem superstitem damus in earam sub unum. 2



1. *Vetusta sedes marmorea S. Hippolyti ep. et mart. cum fragmento ejusdem statuæ insidentis, effossa ad S. Laurentii extra muros Urbis in agro Verano anno* 1551, *et in bibliothecam Vaticanam translata.* 2. *Expansio cycli Paschalis S. Hippolyti annorum* 112 *per* VII *heccedeca tcridas. Passus est S. Hippolytus ad Ostia Tiberina sub Severo Alexandro imp.* XI *Kal Septembris.*

torum in Panegyrico de quarta Honorii consulatu.

..... Maduerunt Saxone fuso
Orcades : Incaluit Pictorum sanguine Thule :
Scotorum cumulos flevit glacialis Iverne.

« Ut enim *Orcadas* (subdit Usserius *Saxonum* piratas, tenuisse, ita *Pictos* Thulen (sive Scandinavia ea fuerit, sive septentrionalium insularum quæ alia) et *Scotos Iernem* incoluisse claris et apertis verbis significat : quod et de *Ierne*, sive *Hibernia* nostra confirmat etiam Beda, in loco jam citato illud addens : *Hæc proprie patria Scotorum est : qui ab hac egressi, tertiam in Britannia Britonibus et Pictis gentem addiderunt.* Quod etiam solo linguæ communis testimonio evinci proditum ostendit ab Anglo Canibdeno Britann. pag. 12, et a Scoto Joanne Majore, de Gest. Scotorum lib. I, cap. 9. »

Ordo igitur successionis istarum gentium fuit, ut Britones, qui australem insulæ partem tenebant, sub Claudio principe a Romanis in provinciam redactam, dominarentur etiam Boreali, seu *Calidoniæ*, quæ hodie *Scotia* dicitur : quo arma Romana neque sub Claudio pertigerant, neque sub Domitiano. Hujus autem ætate ex Juvenale satyra 4 :

Cum jam semianimem laceraret Flavius ornem
Ultimus, et calvo serviret Roma Neroni,

nempe Domitiano, ostendit *Arviragum* regem Marii patrem Britannis imperasse.

Omen habes, inquit, magni, clarique triumphi :
Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus :

quem a scholiaste veteri *Arbilam*, et in antiquis numismatibus ARIVOGum signatum indicat. Hoc *Arviragro* regnante, sive ejus filio *Mario* refert a pluribus historicis tradi, *Pictos* Scytharum genus in Britanniam navigasse. Collatis temporibus infert, *Pictos* illos Scythas esse Dacos sive Sauromatas, qui a Trajano sede pulsi, cum Daciam subegit, huc appulerunt. *Picti* vero vocati sunt ab interpunctis corporibus : quæ consuetudo ibi vigebat. *Dacos* siquidem et *Suuromatas corpora sua inscribere* solitos fuisse auctor est Plinius lib. XXII, cap. 1. Longis igitur navibus advecti Scythæ, Sauromatæ, seu Daci, qui et Picti a Trajano expulsi, per mare Germanicum ad Hibernicum delati sunt. Dum tentant Borealem Hiberniæ partem occupare, a Scotis Hiberniæ incolis suadentur ut sedem sibi conquirant in Boreali parte Magnæ Britanniæ ; ad eam rem auxilia se præstituros (ex Florilego) quod etiam pro voto contigit. Picti igitur Albania potiti quæ Borealior est insulæ Britanniæ pars, uxores primum a Scotis Hiberniam incolentibus impetraverunt Cum Britonibus deinde Caledoniis, sitis ultra murum dividens Britanniam Romanam a Britannia indigenarum, seu Caledonia, quæ et Scotia hodierna, pacem, amicitiam, et connubia contraxerunt. Hæc prima colonia Pictorum fuit in qua Picti Caledoniorum nomen promiscuum habuerunt. Scythæ vero illi, seu Scoti, qui jam in Hibernia, seu Ierne consederant, et uxores Pictis adventantibus obtulerant, in Albionem, seu Britanniam magnam transfretantes inter eosdem Pictos affines recepti sunt. Quare et Commodo imperante, atque affectante Britannici nomen sibi comparare per insulæ totius acquisitionem valide restiterunt : et Septimio Severo producere contendenti Romanos fines ad ejusdem insulæ oras extremas sese opposuerunt, communi bello cum affinibus Britannis, Caledonils, Pictis suscepto, ad defensionem communium Larium. Severi arma victricia, licet maximam partem insulæ jam occupassent, attamen a patris imperatoris obitu alio conversa sunt per Antoninum Caracallum. Qui Britannis veteribus, Caledoniis, Pictis ac Scotis restituit priores sedes ; fomitem futurum novorum bellorum sub Carausio et Constantio, ut ex Herodiano, aliisque scriptoribus colligitur.

Gestorum itaque series ostendit, secundo ac tertio Christi sæculo Borealem Magnæ Britanniæ partem ultra Romanos fines ita fuisse obnoxiam bellorum motibus ferme continuis, ut episcopatuum in ea erigendorum vix ulla occasio sese præbuerit : constante regula superius indicata pontificum Romanorum, ne episcopales sedes ibi fundarent præpropere, ubi nondum firmata pace, et consolidato statu ejus reipublicæ timeri posset eas facile ruituras, Quando igitur memorant auctores producti a laudato Patre Michaele Alfordio in Ecclesiæ Britannicæ annalibus ad annum Christi 203 legationem institutam a Codualdo Caledoniorum rege ad Romanum pontificem Victorem, exemplo Lucii regis, qui paulo ante legatos direxerat ad Victoris decessorem Eleutherium, ut Victor episcopos suæ genti destinaret ad Christianæ religionis cultum in ea constituendum, et perhiberet Paschasium legatum Dodualdi a successore Victoris Zephyrino id impetrasse (quod Victor jam decessisset) ; ejusque Paschasii a Dodualdo rege missi ad Victorem papam memoriam superesse in menologio Scotico die 12 Decembris : id putaverim intelligendum tanquam gentis episcopum nullæ adhuc sedi addictum, seu Vicarium apostolicum Victor concesserit. Vero tamen similius videtur, Eboracensi episcopo in Britannia Romana jam instituto, ab Eleutherio et Victore mandatum ut Caledonios, et Mæatas, et Albaniam omnem, seu Magnæ Britanniæ partem Borealem per idoneos doctores Christianæ fidei curaret associare ; cujus rei felicius peragendæ causa in eosdem populos jura Eboracensis sedis Victor extenderit. Concessi ergo creduntur a proximo episcopo presbyteri et doctores Christianæ legis, qui eidem episcopo subessent, donec firmato regionis statu, et civili dominatione, composita, tempus appeteret fundandi sedes episcopales intra eosdem populos ex Caledoniis, Britonis, Pictis, et Hibernis collectos. Licet autem Dempsterus in Apparatu lib. VII, cap. 6, contendat ex Jordano. Limeriensem Ecclesiam Scoticarum antiquissimam in Hibernia tunc esse fundatam, hujus tamen documenta subvertit Usserius ; et P. Alfordus opportune addit animadversionem : quæ tam citæ fundationis persuasionem a Scotis ipsis excludit. Considerat enim, in duobus conciliis Basileensi et Constantiensi oratores Angliæ regis tam acriter disputasse cum oratoribus aliorum regum occidentalium, quibus præferri se debere asserebant. Cum Lucius enim rex Britannus prior tempore quam cæteri Christum adorasset, etiam Lucii successores Britanniæ reges affirmabant potiores haberi oportere successoribus aliorum regum Occidentalium : « Cur, inquit, non eodem argumento pugnarunt aliquando Scotorum reges ? Nam revera si Dodualdus Scotus, et Scotorum regum primus qui hoc anno (203) baptizatur, fortius pro Scotorum eminentia quam pro Lucio, premeret argumentum. Angli enim et nomine, et re, et natione, et toto fere cœlo a Britannis differunt. Scoti Septentrionem nostrum insederunt (si Scotis est habenda fides) trecentis triginta ante natum Christum annis, Fregusio Scotorum rege : ut Donaldus ex eadem origine, eodem sanguine, eodem prorsus nomine a Scotis perhibetur. Cur non exclusis Anglis, posthabitis Gallis, Hispanisque, pro prima in conciliis, et Romana curia sede disputarunt ? » Verum de Dodualdi narratione, et de prima oratorum regiorum sede alii disputent. Nostri argumenti est hic tantum, inquirere de fundatione sedium episcopalium in illa insulæ Britanniæ seu Albionis parte, quam tunc Caledoniam appellabant, sive Albaniam, nos hodie Scotiam dicimus. Serius profecto ducimus in ea regione constitutas fuisse certas sedes episcoporum. Cur enim ex illa provincia non inveniuntur episcopi proximis ætatibus subsignati in conciliis ; cum ex Britannia Romana ejusdem insulæ parte muro Severi distincta tres reperiantur in Arelatensi

concilio ante Nicænum, et post Nicænum in Arimi- A nensi ? Cur nulli memorantur antistites inter Scotos successores priorum ante Palladium a Cœlestino datum, si aliqui exstitissent sub Dodualdo rege? Cur neque Hiberni Scotorum parentes ullum admittunt ante Patricium? Libratis itaque momentis rationum, et scriptorum testimoniis, cum liquido constet ex Tertulliano propagatum fuisse in Majori Britannia Christi nomen ultra Romanos fines inter Caledonios et Pictos, *inaccessa Romanis loca;* et complures historici Britanniæ affirment id contigisse beneficio Victoris et Zephyrini, pontificum Romanorum ; neque ulla inveniantur vestigia cathedræ episcopalis ibidem erectæ secundo ac tertio Christi sæculo: consequitur, ut dicamus, consueto sedis apostolicæ more divinarum rerum ministeria ibi peracta in fide annuntianda, et sacramentis populo administrandis per presbyteros, et doctores, eo transmissos ac delegatos, ut subessent episcopo Eboracensi proximiori, sive etiam ut ab eo mitterentur de mandato apostolicæ sedis, donec opportunitas offerretur episcopatuum in illa insulæ parte constituendorum. B

Colligere tamen præstat alterum corollarium ex diuturna dilatione ad fundandos episcopatus adhibita inter Caledonios, et Pictos, eorumque successores Scotos ; nempe, ab hodiernis hæreticis presbyterianis, adeo frequentibus in Scotia, frustra obtendi erroris sui patrocinium ex defectu episcoporum in ea regione per tria priora sæcula æræ Christianæ: ad quæ propterea libenter prevocant, cum de regimine episcopali in Ecclesia Dei retinendo juxta institutionem Christi Domini sermo est. Nullos episcopatus ibi fundatos ante ætatem Constantini Magni ultro admittam, etiamsi annis plusquam centenis ex ætate Severi Christianus cultus in ea regione fuerit exercitus. Non idcirco tamen consequitur, ut illis fidelibus episcopus non præesset, aut presbyteri, ac diaconi, per quos doctrina Christi ad C eos penetraverat, et conservabatur, certo episcopo non subessent. Hac eadem Severi ætate, ac filiorum, Demetrius Alexandrinus antistes ad Indos usque ablegavit presbyteros, ac doctores, qui Christum tam dissitis regionibus annuntiarent, Eusebio teste. Nunquid acephali erant presbyteri. et doctores ad id munus apostolicum ita ablegati ? Atqui reduces ex missionibus rationem reddebant episcopo Alexandrino villicationis suæ, non secus ac reliqui eidem Ecclesiæ Alexandrinæ subjecti. Quin etiam scholas catecheseon in eadem Alexandrina Ecclesia resumebant, ut Pantæno contigit, quem Demetrius illius sedis episcopus Indorum legatis postulantibus concessum, mox ab institutione Indorum reducem scholæ ita præfecit: non secus atque Origenem, intercessione ætatis nondum presbyterum, a duce Araniæ expetitum Evangelii causa ab ipso excipiendi, eo negotio confecto idem Demetrius reversum Alexandriam institutorem scholæ catecheseon declaravit. Sæculo autem integro evoluto post Indicam D expeditionem Pantæni Athanasius Indorum genti episcopum concessit Frumentium, ut produnt Rufinus, et Socrates lib. I, cap. 14 : et altero sæculo pariter absoluto ab Origenis missione in Arabiam, Moyses anachoreta ab Orthodoxis episcopis, Saracenorum regina expetente Institutorem Christianæ fidei, episcopus est ordinatus ; cum ab Arianæ perfidiæ signifero, qui tunc occupabat thronum Alexandrinum, ordinari non pateretur. His addit Thomassinus de ver. Eccl. disciplina lib. I, cap. 54, exemplum illustre Victoris (de quo agimus) et Zephyrini paulo ante memoratum col. 126 in hisce notis, quando scilicet Caius Romanæ Ecclesiæ presbyter doctissimus et clarissimus primum destinatus fuit, deinde ordinatus episcopus gentium, narrante Photio cod. 48. Quare idem Thomassinus subdit : « Sic teste Prospero Cœlestinus primum *Scotis, id est Hibernis,* in Scotia, ut antea dictum est, degentibus, *episcopum ordinavit Palladium. Ordinato Scotis episcopo* (sunt verba Prosperi adv. Collat.) *dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbarum Christianam, hoc est* (explicat Thomassinus) Pelagianos ex Anglia, idololatras et Scotia expulit. » Opportunitas igitur erigendi episcopatus exspectata et dilata est per unum et alterum sæculum ; neque interea fraudavit sacramentis, et ministris gentes ad Christum vocatas : neque presbyteros acephalos, aut a jurisdictione certi episcopi non dependentes attribuit populis, semper censendis sub apostolorum successoribus, adeoque sub episcopali hierarchia, ut ad cœlestem Jerusalem spectare possint : in qua portæ duodecim, quæ cives admittunt, nomina præferunt duodecim apostolorum Agni. Hæc dicta sint ad illustrandas tum ordinationes episcopales Victoris per recensionem Caii, ejus ætate non minus inter episcopos gentium, quam inter presbyteros Romanæ Ecclesiæ celeberrimi ; tum Britannicæ insulæ primas sedes episcopales, mature quidem constitutas in regionibus jam compositis ad ordinem reipublicæ stabilem retinendum, serius vero fundatas ubi nondum pacatis rebus civilis imperii militaris, satius erat illis populis sacra administrari per presbyteros a proximis episcopis regendos, sive per gentium episcopos a Romano pontifice legem accepturos sui ministerii, eique subinde indicaturos, ubi certæ sedis figendæ opportunitas oriretur.

CIACONII.

Linea 6. — *Sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus.* Statuit inter cætera hic poniifex, ut baptismus universim in Paschate celebretur ; at si necessitas ulla emergeret, aut mortis periculum subesset, gentilesve ad fidem accederent quocunque tempore, et quavis aqua sive marina, pluviali, aut fontana, sive puteali baptizari posse.

PAGII.

Linea 10. — *Hic fecit constitutum,* etc. Victor synodum celebravit, in qua decretum est, Pascha, non decima quarta luna primi mensis die, sed potius die Dominico post decimam quartam lunam, et post vernale æquinoctium occurrente, juxta apostolorum traditionem esse celebrandum, ut habet Eusebius lib. v, cap. 23. Synodo adfuere episcopi quatuordecim ex libello synodico. Idem Theophilus auctoritate Victoris, concilium etiam Cæsareæ in Palæstina eadem de causa coegit, cujus fragmentum exstat apud Bedam de æquinoctio vernali. Rationes Victoris sunt, ne communicemus cum Judæis Christi interfectoribus. Secundo, ut in tota Ecclesia sit una ratio Paschatis celebrandi, et pauci Orientales judaizantes, omnibus Occidentalibus, pluribusque Orientalibus populis, et episcopis aliter sentientibus cedant. Denique, quia aliter facientes Orientales, quandoque uno anno bis, quandoque nunquam Pascha celebrarent, quæ sunt tres rationes, quibus Constantinus Magnus in epistola ad omnes Ecclesias, quæ legitur apud Eusebium lib. III de Vita Constantini, decreti hujus æquitatem confirmat post concilium Nicænum, in quo Victoris constitutum confirmatum est.

SOMMIER.

Victor papa illustrem reddit pontificatum suum damnatione hæresum suo tempore subortarum, et cura quam adhibuit perducendi universas Ecclesias ad Paschale festum uniformi designatione celebrandum.

Theodotus quidam apprime excultus utraque disciplina religionis et scientiarum, licet professione coriarius, fidem Christianam sceleste abjuraverat in persecutione. Impos pudorisdiu tolerandi quo dietim perfundebatur, Byzantio natali solo relicto, Romæ domicilium constituit. Cito vulgato ejus crimine, non defuit qui desertionem exprobaret ; ille

ut apostatæ dedecus declinaret, maluit hæresim profiteri, asseverans se cum abjuraverat Christum, nihil supra hominem abjurasse. Errori suo patrocinium conquirebat ex divinæ Scripturæ testimoniis perperam explicatis proprii ex ingenii libidine, ut solent hæretici. Hunc igitur Victor damnavit, et a fidelium communione removit, tanquam corruptorem doctrinæ catholicæ. Ejus sectarii quo se pertinacius tuerentur, jactabant, se Romanæ sedis doctrinam exacte profiteri a majoribus traditam, nihilque a se vulgari aut doceri, quam ea quæ in Ecclesia tradita et recepta fuerant a Petro apostolo ad Victorem : imputantes Zephyrino perversionem dogmatis ac disciplinæ corruptionem, quam a decessoribus removebant.

Verum orthodoxi scriptores istius ætatis, fraudem ac temeritatem hujusmodi sectariorum manifestarunt. Anonymus inter hos excelluit ; qui eisdem opposuit scripta SS. Patrum, qui vixerant iisdem temporibus ad defensionem erroris sui delectis per novatores. Quod attinet ad Victorem, idem Anonymus mirari se affirmat (apud Euseb. *Hist. Eccl.* lib. v, cap. 27) : « quomodo illos non pudeat hæc Victori tam falso objectare, præsertim cum explorate cognitum habeant, Victorem, Theodotum illum coriarium, ducem et quasi parentem hujus impiæ, et exsecrandæ a fide defectionis, Christum Deum pernegantis, Christiana communione interdixisse. » Paucis ante annis, « Nonnulli Romæ vigebant, quorum Florinus presbyterii ecclesiastici gradu abdicatus, et Blastus persimili implicatus errore, pariter cum illo principatum obtinuit..... Irenæus varias contra eos composuit epistolas : unam ad Blastum, quam inscripsit de schismate, etc. (Euseb. *Hist.* lib. v, cap. 14 et 19). Latenter vult (Blastus) Judaismum introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi, quartadecima mensis. (Tertullian. lib. *de Præscript.*) Isti certe complures alios quasi ab Ecclesiæ complexu abstrahentes, in suam pertraxere sententiam (Euseb. *lib.* v. *cap.* 14.)

« Jam vero Florinus quoque, et Blastus, qui in presbyterorum catalogum erant cooptati, in Valentini perniciosam sectam declinaverunt. Ferunt beatissimum Irenæum, eorum morbum deplorantem, scripsisse adversus Valentinum. Theodoret., *hæret. Fab.* lib. III.) »

Victor papa, ut exstingueret schisma quod Blastus excitabat in ipso Romanæ Ecclesiæ sinu, concilium in Urbe convocat, in quo decrevit custodiri morem a suis decessoribus servatum, et Paschale festum celebratum iri perpetuo die Dominica, quæ prima consequeretur diem decimam tertiam lunæ mensis Martii usque ad vigesimam primam. Theophilus episcopus Cæsareæ in Palæstina hoc ad concilium accitus fuit. « Aliud est etiam episcoporum, qui Romæ similiter conveniebat, de eadem controversia statutum ; quod quidem Victorem id temporis episcopum fuisse declarat. (Euseb. *Hist.* lib. v. c. 22.) Victor Romanæ urbis episcopus, et Narcissus Hierosolymorum, etc., quod sibi probabile visum fuerit, litteris ediderunt. » (Idem in *Chron.* sub annum 198.)

Idem Theophilus aliud subinde concilium coegit in sua metropoli, non solum episcopos suffraganeos sedis suæ, verum etiam ex variis provinciis convocans, mandante Victore, cui placuit de Paschæ celebratione ita concordi statuto diem decerni ac stabiliri in regionibus quas mundi Salvator incoluerat, perinde ac in cæteris provinciis Christiani orbis celebraretur. Ea de re constat in fragmento concilii per venerabilem Bedam nobis præservato : « Papa Victor Romanæ urbis episcopus direxit auctoritatem ad Theophilum, Cæsareensis Palæstinæ antistitem, ut quo modo Pascha recto jure a cunctis catholicis celebraretur Ecclesiis, inibi fuerit ordinatio, ubi Dominus et Salvator mundi fuerat in carne versatus. Percepta itaque auctoritate prædictus episcopus non solum de sua provincia, sed etiam de diversis regionibus omnes episcopos evocavit. Ubi cum illa multitudo sacerdotum convenit, tunc Theophilus episcopus protulit auctoritatem ad se missam Victoris papæ ; et quid sibi operis fuisset injunctum ostendit, » etc. (Fragm. *Conc. Palæst*, apud Bedam *de Æquin. verno.*)

Aliæ quoque synodi in Ponto sub Palma, in Galliis sub Irenæo, in Osroena finitimorum, in Græcia sub Bacchylo, necnon in aliis provinciis, quarum fuit unanimis de sedis Romanæ decreto observando consensus. « Aliud item conc. episcop. Ponti, quibus Palmas, utpote antiquissimus et maxime venerandus, præsidebat. Aliud Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat episcopus. Aliud porro Ecclesiarum, quæ Osroenam, et reliquas in eo loco civitatis incolebant. Aliud separatim Bacchyli Corinthiorum episcopi ; et alia denique aliorum prope infinitorum, qui uno consensu, judicioque uno, eamdem de illius festi observatione tulere sententiam. » (Euseb. *Hist.* lib. v, *c.* 22.)

Solus Polycrates Ephesiorum episcopus, qui synodum suæ provinciæ collegit, in qua Victor rogaverat, ut Asiæ Minoris episcopos universos advocaret (quod indicat mandato Romani pontificis hæc omnia concilia celebrari), solus, inquam, Polycrates a consuetudine sua recedere detrectavit, et Victori perscripsit, constitutum fuisse in illo Asianorum episcoporum concilio, celebrandum esse Pascha die lunæ quarta decima, in quamcunque hebdomadæ feriam incideret, ex causis in epistola expressis, quam ad illum dabat. « Possem, inquit, hoc loco episcopos, qui mihi in concilio aderant, commemorare, quos ut accerserem a vobis rogatus, diligenter accersebam. (Euseb., *cap.* 23). Isti omnes diem Paschatis 14 die lunæ ex Evangelii præscripto observarunt : nihil ab eo instituto, ac more plane digressi, se secundum regulam, et normam fidei eum assidue tenerunt. » *(Ibidem.)*

Pontifex Romanus indignatus super hujusmodi singulari Asianorum sententia, qui etiam jactaverant se illius minacibus litteris nequaquam deterreri, statuit ab Ecclesiæ corpore eosdem separare, et gravioribus litteris ad eos datis adjecit segregaturum se a communione fidelium quotquot incolerent eam regionem. « His quæ nobis ad terrorem objiciuntur, minime conturbor. *(Ibid.)* His rebus adductus Victor, qui tum Romanæ Ecclesiæ præerat, totius Asiæ Ecclesias, cum aliis finitimis, tanquam alterius fidei et opinionis, simul omnes (ut complectar brevi) a communi unitate Ecclesiæ amputare conatur : et in eos per litteras graviter invehitur, atque adeo omnes fratres eam incolentes regionem a communione secludendos edicit. » *(Ibid.*, cap. 24.) Victoris severitas non omnibus perinde episcopis illius dicto parentibus opportuna videbatur. Ex his nonnulli datis ad eum litteris insinuabant, cum ipsius decessores ea de causa noluissent Asianos rejicere sed pacem cum iis coluissent, præstare, juxta suorum decessorum exempla, ut hos haberet humanius, et pacem cum iis conservaret. « Illum igitur magnopere adhortabantur, ut pacis, concordiæ, et charitatis erga proximos diligentem curam haberet. » *(Ibid.)*

Qui hæc singillatim perscribebant episcopi, non satis attendebant causas suadentes Ecclesiæ caput ad agendum severius. Quandiu quæstio versabatur circa disciplinam hæc dissidia secum trahentem, præcipue post habitam a S. Polycarpo ea de re collationem cum S. Aniceto, permittebatur Asianis Ecclesiis, ut tranquille uterentur sua consuetudine. Verum ex quo Montanistæ ex ritus disciplina procudere ausi sunt dogma a catholica fide alienum, et Blastus inde occasionem sumpsit schismatis inducendi, nisique sunt ejus sectarii legem universalem condere ex singulari opinione suorum : praxis intolerabilis visa est Victori, qui se adactum censuit pontificis maxim

auctoritate qua fungebatur ad eamdem supprimendam. Eo justius id esse duxit, quod hujusmodi consuetudo celebrandi Pascha more Judæorum cum alio nomine haud toleraretur, quam deferendi gratia apostoli Joannis memoriæ, hoc ad tempus permittentis Ecclesiis quibus ipse in Asia præerat, demerendi causa fideles ex Judæis ad Christum conversos, atque ut Synagoga sepeliretur cum honore; hæc indulgentiæ occasio jam desierat, et causa atque incitamentum consilii.

Fatendum est, Asianos a Polycrate perstitisse, nec detulisse Victoris judicio; et complures ex iis qui Romano decreto synodali subscripserant cum pontifice, non probasse, ut sacris interdiceretur eis, qui decreto non parerent. Sed quid inde consequitur, nisi hoc unum, quod Asianis persuasum erat, posse in traditis sibi ritibus persistere citra periculum schismatis, aut hæreseos crimen incurrendi; cum tandem ageretur solummodo de ratione disciplinæ observanda; et cum episcopi Victori adhærentes putarent esse alienum a regulis apostolicæ charitatis infligere durissimam excommunicationis pœnam compluribus Ecclesiis, easque a communi Christianorum Patre sejungere, hujusmodi generis negotio tantum modo intercedente.

Extra quæstionis orbitam excurrit itaque et evagatur quisque cum recentiori scriptore audet hinc deducere (Maimbourg, *Histoire de l'Église Rom.* cap. 8): « Manifestum esse atque evidens neque hos episcopos Asianos et Orientales omnes, neque S. Irenæum et Gallicanam Ecclesiam neque aliarum regionum episcopos, ita valide perscribentes ad Victorem pro tuenda indemnitate istarum Ecclesiarum Orientalium credidisse infallibile esse Romanum pontificem. » Asiani episcopi sejuncti non erant a Romana Ecclesia per dogma fidem aut mores attingens. Occidentales vero, aut ullus ex iis qui hac occasione data scripto aut voce perorarunt nunquam dixerunt deesse pontifici Romano potestatem hujusmodi controversiæ definitiva sententia terminandæ. Conquesti sunt tantummodo de pœnæ severitate; sive illam inflixisset Victor, ut nonnulli contendunt *(vide* Baron ad ann. 198), sive eamdem tantummodo interminatus fuerit, ut alii existimant. S. Irenæus respondens omnino proprii nominis indicationi, ostendendi virum pacis tuendæ et conciliandæ studiosum (Euseb. lib. v, cap. 24 *Hist.)* officio mediatoris tunc perfunctus fuit; contentio ab ipso rectissime pacata est (ait Anatolius scriptor vicinus illorum temporum, editus a Bucherio in *Can. Pasch.* pag. 435); et inductus fuit Victor ejus suasione ad suspendendos effectus excommunicationis inflictæ, quemadmodum comprobant ex Sozomeno eruditi nostræ ætatis auctores. « Exortam olim controversiam sapientissime dissolvisse mihi videtur Victor.... ex communi consilio placuit, ut singuli festum prout consueverant celebrantes a mutua inter se communione nequaquam discederent. » (Sozomen. lib. VII, c. 20, cit. a Marca l. III de *Concord.*, c. 3.) Sed cuicunque tandem sententiæ adhæreamus circa attributa et consecutiones istius excommunicationis, dubitare nequaquam possumus quin Victor justissimam sententiam tulerit in definienda controversia, damnans disciplinam Asianorum, tanquam fautricem schismatis et hæreseos. Id satis ostenderunt tempora consecuta, cum Nicæno etiam concilio visum fuerit, necessarium mandare Orientalibus, ut in hujusmodi negotio se conformarent moribus Romanæ Ecclesiæ. « Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo festo Paschatis celebrando attinet, scitote quod vestris precibus controversia ea de re suscepta, prudenter et commode soluta est; ita ut omnes fratres, qui Orientem incolunt, quique Judæorum consuetudinem ante in eo festo observando imitari solebant, jam Romanos nos, et omnes vos, qui eumdem morem, quem nos in illo recolendo a primis temporibus tenuistis, consentientibus animis in eo celebrando deinceps secuturi. sunt. » (*Epist. Synod. conc. Nic. Ecclesiæ Alex.)* In quo, ait Rufinus, Nicæni Patres hoc unum præstiterunt, ut universis Ecclesiis proponerent antiquum canonem ea de re editum, quem scilicet Romana Ecclesia condiderat, indicatum in epistola synodali ad Ecclesiam Alexandrinam data: *Jam Romanos nos, et omnes vos,* etc.

Neque insinuare fas est quemadmodum recentior quidam argutatur in Vita nostri sancti pontificis (Baillet.., *ad diem Julii*) eos qui a Romani pontificis communione sejuncti sunt, in aliorum episcoporum communione censeri et perseverare, neque idcirco segregari a generali Ecclesiæ unitate. Firmilianus Cappadox, cujus testimonium recentior iste adhibet, id nequaquam affirmat. Conqueritur tantum, occasione dissidii suborti inter sanctos Stephanum papam et Cyprianum, procedere voluisse pontificem Romanum ad separandum ab Ecclesiæ catholicæ unitate illos qui probatis rationibus inducti recusabant admittere praxim disciplinæ ab Ecclesia Romana servatæ aliquibus in ritibus: quod nemo ex decessoribus fecisse traditur. Oportet contra memoratum auctorem statuere ac ratum habere, unum idemque fore privari communione Romanæ sedis, et privari communione Ecclesiæ universalis; cum necesse sit (asserente S. Irenæo) omnes Ecclesias terrarum orbis ad hanc Romanam earumdem principem, et potentiori principalitate supra illas præditam, convenire. « Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. » Versari in communione cum Romano pontifice, idem est, interprete Cypriano, ac versari in eadem communione cum catholica Ecclesia: cum Petri sedes inter Ecclesias prima origo sit unitatis sacerdotalis. « Scripsisti etiam, ut exemplum earumdem litterarum ad Cornelium collegam nostrum transmitterem, ut deposita omni sollicitudine, jam sciret se secum, hoc est cum Ecclesia catholica communicare. (S. Cyprian., *epist.* 50, *ad Antonian.*) Ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est. » (Idem, *epist.* 59.) Profanat sacra mysteria quisquis eadem percipit hanc extra domum (ait Hieronymus); et perire in diluvio eligit quisquis hanc in arcam se recipere negligit. « Cathedræ Petri communione consocior... Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. » (S. Hieronym., *epist* 57, *ad Dom.*) Cathedra ista Romæ a Petro constituta unitatem tribuit Ecclesiæ, ait Optatus Milevitanus lib. II contra Parmen., nec cæteris apostolis datum fuit, ut ad Ecclesias a se fundatas singulare hoc privilegium transmitteret, cui usurpando nemini attentare datum est, quin reatum incurrat criminis et schismatis. « In qua una cathedra (Romæ collata) unitas ab omnibus servatur, ne cæteri apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alterum collocavit. » (Optat. Milevit., *ibid.*) Nemo ignoret (addit Augustinus) sedem apostolicam præferri et præesse cæteris suo principatu: et ab hoc centro unitatis exclusos omnino esse extra Ecclesiam, et partem nullam habere cum Christo Jesu, neque ejus vita vivere, sed esse obnoxium iræ Dei et aversioni, quacunque virtute se pollere autumet. « Ecquis nescit illum apostolatus principatum cuilibet episcopatu præferendum? (S. August., lib. II *de Baptismo contra Donat.* cap. 1.) Quicunque unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia. (Idem, *de Unit. Eccl.*, c. 4.) Quisquis ergo ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantum laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. » (Ibid. *epist.* 152.)

XVI. SANCTUS ZEPHERINUS.

ANNO CHRISTI 203, ANTONINI PII IMP. 9.

16 *Zepherinus, natione Romanus, ex patre* Abundio, sedit annos septemdecim menses duos, dies decem [b]. *Fuit* autem *temporibus Antonini et Severi a consulatu Saturnini et Gallicani usque ad Præsentem et* Striganum *consules* [c]. *Hic constituit* ut in præsentia omnium clericorum et laicorum fidelium *sive Levita* [d], *sive sacerdos ordinaretur, et fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas, ante sacerdotes in Ecclesiam* ministri portarent, donec *episcopus missas celebraret,* ante se sacerdotibus astantibus, et sic [e] missæ celebrarentur, excepto quod jus episcopi interesset, *ut tantum clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu episcopi jam coronam consecratam, et acciperet presbyter tradendam populo. Hic fecit ordinationes quatuor, per mensem Decemb.* : presbyteros IX [f], *diaconos* VII, episcopos per diversa loca VIII [g]. *Qui* etiam *sepultus est in cœmeterio suo, juxta cœmeterium Calixti, viaAppia, et* VII Kalend. Septembris, et *cessavit episcopatus* dies VI.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Juxta edit. Schel. ex S. Cæsareo.

Zephyrinus annis..... a Consulatu Saturnini et Galli usque Præsente et Extricano.

Supplementum lucunarum catalogi ex dictis in Aniceto.

Zephirinus annis XVIII, d. X. Fuit temporibus Severi et Antonini, a consulatu Saturnini e Galli usque Præsente et Extricato.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *CB*, Zephyrinus. [b] *B*, an. 18, d. 18. [c] *B*. Severi, Caracallæ. Getæ, Macrini et Elagabali, a Coss Fabiani et Muciani ad Anton. August. II et Sacerdotem. [d] *C*, sive clericus. [e] dum sic *C*. [f] *CB* 13 [g] *CB*, 13.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 16, *lin.* 3, *AB*, Stricatum. *lin.* 10, *AB*, ordinationes 7.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, *Maz*, Zephirus. *ibid*, sed. ann. 8, m. 7, d. 10. *lin.* 3, Istrigatum. *lin.* 4, fidel. sive clericus, sive levita s. S. o. *Maz.* sive cler. levita s. S. o. Hic fecit constit. in Ecclesia. *lin.* 6, in Ecclesia ministri supportarent. *lin.* 11, presb. XIII, d. 7, p, d. l. 13.

Ex Thuano altero.

Lin. 1, annos 8, m. 7. *lin.* 3, *lege* præs. *lin.* 4, sive clericus, sive Lev. *lin.* 6, in ecclesia et ministros celebrare cum episcopus missam celebraret ante sacerdotes astantes sic missa celebraretur exc. *lin.* 9, de manu ep. jam corona consecrata acceperit presbyter t. p. *lin.* 11, presb. 14. *ibid.* loca numero 13. *lin.* 11, VI Kal. *linea sep.* dies 7.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Vat.* an. 16, *Flor. secund.* 9, *Flor. prim.* 7. *lin* 4, *Flor. et Vat. addunt* sive clericus. *lin.* 8, *Flor. duo,* præsentes exeant consecrationem. *lin.* 9, et acciperent, *iidem codd. lin.* 11, *Flor.* 2 *et Vatic.* 13.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 5. et fecit constitutum de Ecclesia, et patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesiam, et ministros subportantes, donec episcopus missas celebraret. *lin.* 9, jam coronam consecratam acciperet presbyter. *lin.* 11, episcopos per diversa loca XIII (*et supra manu Peniæ* VIII).

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 3 et 4. — *Hic constituit ut in præsentia.* Legit auctor Libri Pontificalis : *in præsentia.* Statuitque Zepherinus, ordinationes publice in ecclesia peragi prout etiamnum observatur. Idem Zephyrinus statuisse dicitur, ut celebranti episcopo adstarent omnes sacerdotes istius ecclesiæ, qui ritus etiamnum perseverat.

B ALTASERRÆ.

Linæ 3 et 4. — *Hic constituit ut in præsentia omnium clericorum, et laicorum fidelium, sive Levita, sive sacerdos ordinaretur.* Zepherini decretum est ut ordinationes presbyterorum et diaconorum fiant in præsentia cleri et plebis, ut fiant consilio cleri, assensu et testimonio plebis. Idem tribuitur Anacleto, can. *Reliqui.* 67 dist. Idem conc. Carth. IV, can. 22.

« Episcopus sine concilio clericorum suorum clericos non ordinet, ita ut civium conniventiam et testimonium quærat. » (Can. *Episcopus*. 24 dist.) In ordinandis clericis hanc legem sibi imposuit Cyprianus epist. 33 ad presbyteros et diaconos : « De ordinationibus clericorum, P. C. solemus vos ante consulere, et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. » Novati ordinationem, quod presbyter ordinatus esset reluctante clero et plebe. nullam et irritam fuisse tradit Euseb. lib VI, cap. 35, Ordinationem Osberni presbyteri ad Ecclesiam de Trichestana in Anglia nullam esse intendebat Jordanus prior Acreusiæ, quod sine ipsius assensu, invitis et reclamantibus parochianis ecclesiam ingressus esset. Joan. Sarisber. epist. 119 : « Adversus Osbertum presbyterum super Ecclesia de Trichestana, Jord. Prior Acreusiæ instituit controversiam, dicens eum præfatam Ecclesiam possidere, quam sine prioris assensu, et alterius advocati, citra solemnem ordinem juris, et regni consuetudinem, invitis et reclamantibus parochianis ingressus fuerat. »

Linea 7. — *Et sic missæ celebrarentur, excepto quod jus episcopi interesset, ut tantum clerus sustineret omnibus præsentibus ex ea consecratione de manu episcopi jam coronam consecratam, et acciperet presbyter tradendam populo.* Ex constitutione Zepherini, ubi episcopus missam celebrabat, ipse coronam consecratam, id est sacram Eucharistiam, distribuebat clericis, et reliquas partes tradebat presbytero, per eum distribuebat plebi. Officium presbyteri est tradere sacram Eucharistiam plebi, Presbyteri ruris in Ecclesia civitatis, præsente episcopo vel presbyteris ipsius urbis, non possunt offerre, id est missam celebrare, nec Eucharistiam dare, ex conc. Neocæsar. can. 13, can. *Presbyteri*. 95 dist. Tamen etiam præsente presbytero diaconus, si necessitas urgeat, potest erogare Eucharistiam, ex conc. Carth. IV, can. *Præsente*. 93 dist. Et hæc fuit antiquior consuetudo Ecclesiæ. Cyprian. de Lapsis : « Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, » etc. Idem Justin. martyr Apolog. II : « Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος, καὶ ἐπευφημήσαντος πάντος τοῦ λαοῦ, οἱ καλουμένοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου, οἴνου καὶ ὕ ατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι ἀποφέρουσι. *Præsidens vero postquam gratiarum actionem perfecit, et populus universus fausta acclamatione eam comprobavit,, diaconi distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum et aquam, et absentibus perferunt.*

BENCINI.

Linea 5. — *Fecit constitutum de Ecclesia, ut patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesia ministri portarent.* Ministrorum nomine plerumque veniunt subdiaconi, qui cum vel presbyteris, vel diaconis in ministerio præsto esse deberent, *sequentes* dicuntur sæpius in Ordine Romano. Et Amalarius, lib. II de Offic. Eccl. c. 11, subsequentes vocat, Alcuinus, et alii passim. Pontifex itaque decrevit, ut subdiaconi ante sacerdotes gererent vitreas patenas, dum peracto sacrificio a pontifice presbyteri deberent consecratum panem super has patenas recipere, et populo tradere, ut mox dicetur. Erat vero Zepherini ætate pervulgatus usus vitrorum, cum et calices ex eadem materia conficerentur, quod coevus scriptor Tertullianus (*cap.* 7) testatur in libro de Pudicitia dum adversus catholicos insurgit : « Procedant picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius. » Et mox (*cap.* 18) : « Si forte patrocinabitur pastor, quem in calice pingis : » in fragili vitri materia pastorem expressum, et desuper pictum deducitur ex verbis subsequentibus : « At ego qui pastoris scripturas haurio, qui non potest frangi. » De usu, imaginibus, et pictura vitrorum *antiquorum* eruditissime Cl. vir Buonarotta in Italico de vitris in cœmeteriis Romæ repertis opusculo disserit, et inventorum imagines exhibet. Vitrorum vero usus in Eucharistico peragendo sacrificio inductus censetur, nedum ad munditiam, verum ut qua possent fideles ostenderent sacramenti peragendi excellentiam, et præsentis numinis majestatem denotarent. Apud eum plerasque gentes vitra in conviviis, præcipue quæ picta, et sculpta erant in summa æstimatione, quod paucis Apuleius expressit cum de solemni convivio partes exhibet. Metamor. l. II, pag. 52 : « Frequens ibi numerus epulonum, et, utpote ad primatem feminam, flos ipse civitatis. Et opipares cibi, et ebore nitenies lecti, aureis vestibus intexti, ampli calices, variæ quidem gratiæ, sed pretiositatis unius. Hic vitrum fabre sigillatum, ibi crystallum impunctum ; argentum alibi clarum, ut aurum fulgurans, et succinum mire cavatum in capides, ut bibas. » Antequam a nota manum amoveamus, non erit inutile observare quod, etsi Liber noster Pontificalis sæpius repetat, *hic constituit aut fecit constitutionem de Ecclesia,* id non ad ampliandam pontificiam majestatem, sed titulo dignitatis, et Christi privilegio est actum. Promulgationi subsecutam fidelium persuasionem in edictis recipiendis aperte inter alia ipse Tertullianus testatissimum facit in libro, quem certo sub Zepherino edidit de Pudicitia, quando ab Ecclesia defecit. Loquens enim de Zepherini decreto concedente lapsis graviorum criminum reis veniam, ait : « Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium : pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit : Ego et mœchiæ, et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto. » Suggillat in refractariorum numero positus edictum, sed insimul promulgantis conditionem exprimit, et quidem ex persuasione communi, qua imbutum ante defectionem fuisse his verbis fatetur : « Erit igitur et hic adversus Psychicos titulus, adversus meæ quoque sententiæ retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. » Peremptoria itaque habebantur apostolicæ sedis edicta, et taliter suscepta esse ab Ecclesia tum ex Tertulliano, tum ex aliis laudatis laudandisque claret.

Linea 7. — *Ante se sacerdotibus adstantibus.* Antiquum pontificis celebrantis ritum exhibet Liber Pontificalis a præsenti perioche, et sequentibus verbis, et exprimit, presbyteros cum Pontifice celebrante etiam concelebrasse, et ab ipso deinde supra vitreas patenas consecratum accepisse, populo distribuendum. De quo ritu ob ampliatam Romæ religionem in aliquibus immutata ita loquitur Innocentius I ad Decentium Egubinum scribens, c. 1 : » De fermento, quod de Dominico per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sunt constitutæ. Cum presbyteri, qula die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die (Dominica nempe) non judicent separatos. Quod per parochias fieri debere non puto. Quia non longe portanda sunt sacramenta ; necnon per cœmeteria diversa presbyteris destinamus, et presbyteri eorum conficiendorum jus habent et licentiam. » De presbyterorum assistentia, et concelebratione cum episcopo celebrante adeundus est Morinus de Sacr. ordinat. exer. VIII, c. 1, pag. 188. Sicut et Lupus tom. III in responsis ad Cerularii calumnias in Latinos.

Linea 7, 8. — *Excepto quod jus episcopi interesset, ut tantum clerus sustineret.* Intra parenthesim periochem includendam puto, ac textum sic legendum : *Sic missæ celebrentur (excepto quod jus episcopi interesset, ut tantum clerus sustineret* onus celebrationis sacrificii) *omnino præsentibus,* et simul *ex ea consecratione de manu episcopi jam coronam consecratam sumentibus* et deinde *acciperet presbyter tradendam populo.*

19. — *Coronam consecratam.* Eucharisticum panem, quomedo vocatur a Gregorio Magno Dial. c. 4: *Tunc duas secum oblationum coetulit.* Olim enim in modum circuli erant pacharisticus, quod observavit Constantinus rogenneta (lib. VII *Themat.*, tit. 4, c. 6): lla panis dicitur in modum circuli facta.»

BINII ET LABBEI,

15. — *Utpatenas vitreas.* Sicut his temporibus patenas in usu fuisse hinc constat, ita etiam vitreum, ligneum atque argenteum, hoc temitatum fuisse aliunde probatur. De calice viribit S. Gregorius papa lib. I, Dial., cap. 7.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

phyrini epocha sive a picturis, sive a codilescribenda errore non dissimili ac in supetranstulerunt amanuenses partem numeri m in sedem mensium, et mensium signa retud columnam dierum. In picturis vetustissimis Leonis Magni consignati erant anni novemet menses decem in triplici versu, quales nunc le proximo inspicientibus cognoscuntur

XVII.
II.
m X.

[index mensium ætatis vitio oblitterata, non ic litteræ hosce numeros præcedentes, derem docere non poterat, ad menses, non ad marium pertinere. Ratus est separatis veres numeros exhiberi, annorum XVII in primo, m II in secundo, dierum X in tertio. Attribuit Zepherino sedis Romanæ annos XVII mendies X. Hunc in errorem non incidisset tor, si consuluisset catalogos numerantes epontificis Zepherini per consulatus, quod nos imus in Prolegomenis. Zephyrino primi s tribuuntur *Saturninus et Gallus,* signantes æræ Christi communis 198, consensu coet catalogorum. Quare intelligitur primum sui pontificatus eodem anno ab illo celebraid contigit die Dominica 9 Aprilis. Postrevero Pascha (ex consueto catalogorum, stylo osito in not. ad S. Petrum), Zephirini papæ sub e celebratum pari consensu catalogorum et n, qui mutili non sint, enuntiatur consu*ræsente et Extricato,* quod indicit anno 217 in ominicam 13 Aprilis. Consularis igitur chrodemonstrat, viginti Paschata pontifici Zephe assignanda: quæ annos novemdecim solidos, terea menses complures requirunt; cum iste pontifex vitam produxerit post illius po- Paschatis diem per menses tres et semis fere, usque ad diem 26 Julii natalem illius marta signatam in vetusto lapide noni sæculi (ut ia characterum illius ætatis colligitur spein pronao monasterii SS. Stephani et Silvestri po Martio, sive in titulo S. Silvestri in capite ato. Paulus I illius monasterii fundator dum t monachis oratorium, et in eo collocaret marcomplurium reliquias, quorum natalitiis die memoria celebranda, in causa fuit, ut duplici marmorea inciderentur hinc sanctorum inde um nomina, et natalitia, hoc titulo præfixo.

omine Domini. Hæc est notitia natalitiorum anctorum hic requiescentium.
ense Januario
ie III. *Natalis S. Antheri papæ,* etc.

n ad numerum Pauli I integrum hoc mexhibere, cum de fundatione hujus monasterii i sermo incidet. Satis fuerit nunc indicare, se proximum, aut suppar illius ætati: et in picue legi, natalem papæ ac martyris Zepheriari cum die 29 Julii.

Mense Julio.
Die XXVI. *Nat. SS. Zephyrini papæ et mart. et Tarsicii mart.*

Paschata igitur viginti Zepherino pontifici celebrata sub totidem consulatibus ordinariis demonstrant, numerum superstitem in basilica S. Pauli sub ejus imagine ex primo ac secundo versu continuatum reddere annos XVIIII, decadem vero, quæ subsequitur versu proximo significare menses decem solidos ejusdem sedi addendos supra numerum annorum prædictum 19, nullo cum dierum additamento.

Porro, si ex die 26 Julii anni 217, quæ Zepherini pontificatum et vitam martyrio coronavit, regrediamur in anteriora per annos XVIIII et menses X, terminus numerationis cadet in diem Dominicam 25 Septembris anni 197, aptam illius ordinationi ad episcopatum: quam inter et martyrium Victoris decessoris sui, referendum ex præcedenti sectione ad diem 28 Julii ejusdem anni 196 cum incercedant menses duo ferme solidi, spatium quoque congruum vacationis Romanæ sedis inviercipitur.

Ex consulum autem serie ac nominibus, quæ amanuensium incuria difficilius permutari possunt quam signa numerorum, esse corrigendam in codicibus annorum summam, quæ descriptorum erratis frequentibus est obnoxia, supra jam dixeram in notis ad Cletum, et in Præfatione prioris tomi ostenderam numeris 26 ac 32. Addere tamen oportet superioribus observatis, hanc etiam providentem curam quæ compluribus conciliis aptissima visa est ad memoriam temporis certi liberandam ab omni dubitatione, ut nempe apponeretur in litteris comprobantibus tempus ordinationis uniuscujusque episcopi nomen consulatus. Est canon concilii Milevitani Arcadio et Honorio V coss., Christi 402, signatus numero XCIX in codice Græco-Latino canonum Ecclesiæ Africanæ, ubi hæc leguntur: *Placuit, ut quicunque deinceps ab episcopis ordinarentur per provincias Africanas, litteras accipiant ab ordinatoribus suis, manu eorum concriptas, continentes consulem et diem, ut nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur.*

Præscribitur nomen consulis indicandum potius quam numerus annorum imperatoris, quando agitur de epocæ præservatione a periculo mutationis; cum notarum numeralium vitiosa expressio unius elementi labe gravissima esse possit etiam in annis principum significandis, quæ in nominibus consulum exprimendis plurium litterarum deformatione perfici tantum valet.

Hoc autem, quod Milevitani Patres statuunt in ordinationibus episcoporum esse præstandum, ex veteri disciplina acceptum a se profitentur, cum asserant superiorum conciliorum decreta a se renovari. Et certe nomina consulum passim apponebantur in Ecclesiis Occidentalibus non modo episcoporum epochæ in sepulcris, uti ex Nolanæ Ecclesiæ monumentis exhibui in Præfatione tomi primi numero 29 quod possem pluribus confirmare, sed etiam in levioris momenti gestis notæ temporum distinguendis. Romæ autem quam frequens usus fuerit consulatus notæ apponendæ non modo virorum illustrium sepulcris, sed etiam vulgarium quorumque, et ipsis infantum loculis, apud Christianos, martyrum cœmeteria luculenter ostendunt. Referebantur vero multo diligentius in Acta martyrum (quales sunt pontifices de quibus loquimur) a notariis regionariis per Clementem institutis, et in regesta Ecclesiæ, tum ordinationes episcoporum, tum etiam clericorum cujusque ordinis promotiones, ut ex epocha illorum ministerii provehi possent ad altiorem gradum juxta regulas Patrum. Præ cæteris vero æra novi pontificis consulatu et die erat significanda, ut inde judicari facilius posset de veritate formatarum, decretorum, epistolarum, quæ ad alias

Ecclesias hinc perferrentur, ne privatorum fraude fictitiæ pro veris obtruderentur.

Jure igitur constituimus annorum numeros in codicibus expressos exigi oportere ad chronologiam consularem, et ex illa restitui pontificum epochas, uti præstitimus in Victore et Zepherino, quæ ita redditæ apte respondent tum consulatibus catalogorum, tum numeris genuinis ævi Leoniani, in basilica S. Pauli nondum deperditis.

Post vindicatos annos ac menses pontificatus S. Zepherini, resolvendæ sunt difficultates nonnullæ, quæ circa diem ejusdem martyrii natalem 26 Julii moventur a vir. clar. Florentinio, Papebrochio, et Pagio. In Martyrologio, quod Florentius editor putat esse Hieronymi, videtur natalis dies Zephirini referri ad 20 Decembris, cujus in periocha ibidem legitur, *Romæ Zephyrini episcopi*. In aliis vero martyrologiis Bedæ, Usuardi, Adonis, quibus consensit etiam Romanum, memoria Zepherini papæ et martyris consignatur die 26 Augusti.

Postremum hoc dubium solvit Anastasius, qui distincte expressit die 26 Augusti *sepultum fuisse Zephyrinum in cœmeterio suo juxta cœmeterium Callisti, via Appia*. Fuit igitur dies depositionis, non dies martyrii in eo cœmeterio celebrata, in quod inferebatur: et inde forsitan exemplum ejus memoriæ celebrandæ die depositionis potius quam die martyrii deduxerunt tam indicata Martyrologia, quam clerus urbanus. Titulus tamen et monasterium SS. Stephani et Silvestri, dum Paulus I ex cœmeterio Callisti transferret Zepherini corpus in eam ecclesiam, restituit memoriam et celebritatem cum indicatione expressa natalis martyrii diei 26 Julii, in eodem lapide bis declarata, nempe in titulo docente notitiam ibi proponi : *Natalitiorum sanctorum ibi quiescentium*, et iterum in repetito *Natalis* vocabulo die 20 Julii, *Nat. SS. Zephyrini papæ et mart. et Tarsicii mart.*

Primam vero difficultatem, promotam ex textu martyrologii quod putant Hieronymi, valde non moror. Ibi enim non declaratur an sit natalis, vel ordinationis, vel translationis illius Zepherini episcopi memoria, quæ incidit in diem 20 Decembris: sed neque asseritur eum Zepherinum fuisse episcopum Romanum. Romæ dicitur sanctum illum episcopum recoli, qui perinde potuit alterius Ecclesiæ episcopus in Urbe hospes ea die ad Dominum migrasse; et in aliquo suburbano cœmeterio, in quo sepultus fuerit, annua mortis aut depositionis memoria potuit honorari. Contra evidens testimonium marmorei documenti publice positi sæculo VIII, una cum corpore pontificis et martyris Zepherini, exprimens natalem martyrii die 26 Julii, nec dissentiens a depositionis memoria post mensem peractæ in suo cœmeterso 26 Augusti, et confirmatæ per Bibliothecarium, et per complura martyrologia, et consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, utramque illam memoriam martyrii et depositionis discretis in locis celebrantem, infirma prorsus habenda sunt objecta, duæ unius codicis ætatis et auctoris incerti tria verba suscitant, nec satis manifestant num de Zepherino nostro loquantur.

Deinque Zepherini epocha ita consentiens nominibus consulum, et numeris ætatis Leonianæ, ac Victoris papæ sui proximi decessoris martyrio, adamussim etiam congruit æræ Callisti successoris, consensu omnium documentsrum perspicue definitæ, ut in notis chronologicis ad numerum sequentem exponemus. Undique igitur comprobatur, sedis Romanæ annos XVIII iet menses X Zepherino papæ fuisse per hasce notas merito restitutos.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 3 et 4. — *Hic constituit ut in præsentia omnium clericorum et laicorum fidelium sive Levita sive sacerdos ordinaretur*. Veteris istius disciplinæ, *per quam proponuntur* in cœtu fidelium ordinandi ad gradus hierarchiæ sacerdotalis meminerunt antiqui libri Rituales, et Pontificales, et Sacramentaria: ut inducta intelligatur ab exordio Ecclesiæ Christianæ, cum vigeret etiam in præcedenti lege Mosaica. Et certe servatum fuisse hunc morem non modo ætate Gregorii Magni, sed etiam inter ipsa Ecclesiæ nascentis primordia manifestum est ex Actis apostolorum, tam in electione Mathiæ ad apostolatum, quam in constitutione prima septem diaconorum ad ministerium. Quare gentium doctor Paulus insinuat discipulis suis Timotheo ac Tito, dum memorat hunc episcopum a se relictum Cretæ, ut constitueret presbyteros per civitates, illi vero Ephesinorum episcopo constituto mandat in examine virtutum requirendarum in ordinandis ad gradus Ecclesiasticæ hierarchiæ, ut testimonium bonum habeant etiam ab iis qui foris sunt *(Tit. I)*. Ætatis autem Zepherini, de qua nunc agimus in fine secundi sæculi et initio tertii, luculenta testimonia supersunt hujus consuetudinis non intermissæ. S. Cyprianus epist. 33: « In ordinationibus clericis [*lege* in ordinandis clericis], fratres charissimi, solemus vos ante consulere, ac mores, et merita singulorum communi consilio ponderare. » Medardus pag. 283 in eruditis notis et observat. ad libr. Sacram. S. Gregorii papæ, ad lin. 13, fol. 236, idem haberi observat ex epistola S. Cypr: 68, et apud S. Basil. ep. 181, *Ubi hæc materia*, inquit, *fusius tractatur*. Addit ex Lampridio, ætate Severi Alexandri, quam proxime attigit Zepherinus successor Callisti, ita notum ac probatum fuisse morem Christianæ censuræ, de qua loquitur, ante ordinationem : ut imperator ille, a Christianis mutuatus complura vitæ documenta, hunc etiam morem traducere cupierit ad electionem eorum qui præficerentur provinciis. Lampridius in ejus Vita : « Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis facere, vel procuratores, id est rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus : si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebatque grave esse, quod Christiani et Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, id non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunæ hominum committerentur et capita. » — « Quare et publice ordinandi sunt clerici (concludit Medardus post illa superius relata) ut episcopus de his palam sciscitetur a populo, ut in nostris codicibus mss. vides, ut juxta antiquum morem, quem notare licet in edicto Theophili patriarchæ Alexandrini can. 6 : De his qui ordinandi sunt hæc erit forma : ut quidquid est sacerdotalis ordinis consentiat et eligat, et hunc episcopus examinet, vel ei etiam assentiente sacerdotali ordine χειροτονεῖν ἐν μέσῃ τῇ ἐκκλεσίᾳ, etc., ordinet præsente populo, et episcopo alloquente, an possit et populus ei ferre testimonium. Ordinatio autem non fiat clanculum. »

Præconia in consistoriis summorum pontificum, ad hanc usque diem observata in proponendis episcopatibus, et sententiæ sacri collegii cardinalium de more rogatæ, ac præmissæ novis creationibus presbyterorum ac diaconorum ejusdem cœtus, quæ antiquitus consueverant in præcedenti consistorio enuntiari, nunc in ipso limine creationis singillatim exquiruntur, vestigia sunt veteris disciplinæ, ab ætate apostolica in Romanam Ecclesiam inductæ, nec unquam abrogatæ.

Linea 5. — *Ut patenas vitreas ante sacerdotes in Ecclesiam ministri portarent*. Vitreas patenas cur præferri jusserit Zepherinus, potius quam ligneas, aut metallicas, non difficulter conjicimus, si attendimus diligentem curam *et anxiam*, qua sacerdos in confringendis ac dividendis oblatis et consecratis donis cavere debuit, ne fragmenta dilaberentur. Quare Tertullianus in libro de Corona militis, Origenes homilia 13 in Exodum, aliique Patres producti per V. C. Edmundum Martene, de antiquis Ecclesiæ

Ritibus lib. I, cap. 5, art. 5, eam tantopere commendant. Illa autem cura et anxietas Ecclesiæ catholicæ perennem fidem comprobant contra sectarios recentes in confitenda Christi Domini præsentia sub consecratis speciebus. « Constitutiones illas, inquit (de reverentia erga sacrificium, ac de modo expiandi defectus in ipso occurrentes), ex primæva Ecclesiæ traditione ad nos pervenisse haud ægre fatebuntur (ipsi sectarii qui modo negant) si vel tantillum ad illa Tertulliani verba in libro de Corona militis cap. 3, animum reflectant : « Calicis et panis nostri « aliquid decuti in terram anxie patimur. » Nec minori consideratione digna sunt ea quæ scribit Origenes, homilia 13 in Exodum : « Nostis, inquit, qui « divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodo « cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela « et veneratione servatis, et ne ex eo parum quid « decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. « Reos enim vos esse creditis, si quid inde per ne- « gligentiam decidat. » Igitur ex Tertulliano *anxie* patiebantur suo tempore, hoc est ineunte sæculo tertio, Christiani, si quid ex Eucharistia in terram decideret ; et ex Origene *reos* se esse credebant, et *recte* credebant, si quando id per negligentiam accidisset. Verum quæ tandem tantæ anxietatis causa? Quæ culpa, quod crimen *reos* constitueret, et *recte* constitueret, si præter panem et vinum meramque figuram aliud nihil agnovissent in sacramento? Aliud ergo et illud magnum aliquid credebant, et quid illud nisi realis in Eucharistia Christi præsentia? Eamdem erga sacram Eucharistiam religionem inspirat Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi v mystagogica, ubi fideles post acceptum in manibus sanctum panem, ita admonet : « Cave autem ne quid inde « tibi excidat : quod enim amittas, hoc tanquam ex « proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ra- « menta aurea daret, nonne magna cum diligentia « illa teneres, cavens ne quid ex illis periret, dam- « numque sustineres? Et non multo magis et dili- « gentius de his, quod auro gemmisque pretiosius « est, ne mica aliqua ex illo cadat, providebis? » Hæc autem amplius elucescent ex ritu et modo supplendi defectus in ipso sacrificio occurrentes, culpasque in divinum illud sacramentum commissas expiandi, quas in subjectis statutis facile quisquis deprehendet, » etc.

Huic igitur disciplinæ anxie curanti, ne quidpiam oblati, et consecrati muneris in terram dilaberetur, cum studiose intenderet Zepherinus, videtur potenas vitreas præferre idcirco voluisse cæteris diversa ex materie elaboratis ad supponendum consecratis speciebus, dum corpus Dominicum in sacrificio offerretur, et oblata dona, sub quibus latet, frangerentur ; quod scilicet pellucida vitri materies redderet evidentiora minuta quæque fragmenta : in quorum singulis peræque præsens, cum fateamur integrum Domini corpus, tanta erant sollicitudine attente colligenda. Accedit quod, cum hoc tempore persecutionum sæpe necesse foret in cryptis cœmeteriorum, et hujusmodi obscuris ac subterraneis locis sacra mysteria celebrare, ac distribuere fidelibus eucharistica dona, ejusmodi patenæ vitreæ a subdiaconis afferendæ, ac per diaconos ministrandæ presbytero sacra facienti, ac dividenti inter fideles accedentes ad participandum, reddebant conspicuas particulas etiam minutissimas, quæ decidrent ; præsertim si admoto lumine lances istæ vitreæ non secus ac specilla in fenestris illustrarentur. Lævigata superficies metallicarum, quibus hodie utimur eamdem facilitatem præstat minuta quæque fragmenta supra illarum superficiem deprehendendi in aperto lumine sacrarum ædium ; sed in obscuris recessibus, in quos Christianis necesse erat tum temporis sese recipere, dubitari minime potest, quin vitri pellucida natura copiam præberet opportuniorem micas omnes diffractarum specierum colligendi, et guttulas etiam minimas, e calice forte decussas, ministerio admoti, et circumacti, ac suppositi luminis undequaque investigandi. A

Inde factum arbitror, ut aliquibus episcopis vitrea materies electa sit etiam in calice ad sacrificium adhibendo, non tantum studio paupertatis, quam anxiæ hujus sollicitudinis causa, quæ inquiri et consumi postulat quidquid consecratione conversum est in corpus et sanguinem Domini. Celebratur quidem in quarta epistola B. Hieronymi ad Rusticum sanctus ille episcopus Tolosanus nomine Exuperius, plurimarum virtutum laudibus, sed præsertim evangelicæ paupertatis studio commendatus, de quo ita scribit : « Nil illo ditius, qui corpus Domini in canistro sumit vimineo, sanguinem portat in vitro. » Sed card. Baronius in notis Martyrologii ad diem VII Idus Augusti, et Severanus Romæ subterr. lib. VI, cap. 18, qui hoc exemplum recensent, ostendunt etiam vitreis sæpe calicibus tam apostolos usos fuisse, quam complures episcopos et sacerdotes per aliquot sæcula consecuta, licet etiam promiscue uterentur pretiosis B calicibus ex quovis ditiori metallo, ut infra ostendemus in Urbano : donec *(Decretum* part. III, 44 et 45, et apud Ivonem *lib.* I) in concilio Rhemensi tempore Caroli Magni periculum, quod imminebat effusionis sanguinis ex fragili materia apud eos, qui crassioribus vitris fortasse non utebantur, occasionem dederit vitreos calices omnino removendi a sacrificio. Audiendus Baronius in notis ad diem VII Idus Augusti. « A temporibus apostolorum vitreus calix in usu fuisse videtur ; unde Marcus hæresiarca illis temporibus proximus, et ipse æmulatus catholicam Ecclesiam, utens calice vitreo in suis sacris impostura quadam per magicam artem exhibita populum dementabat : dum vini color albus, qui foris apparebat in vitro, quibusdam præstigiis mutabatur in rubrum. »

Præter decretum concilii Rhemensis, produci potest constitutum generale S. Leonis quarti : quod ille vulgandum curavit per universos episcopos in C diœcesibus propriis : et legitur cum Conciliis editum homiliæ titulo præfixo, tam in edit. Binii tomo III, part. I, sect. 2, pag. 272, quam in editione Labbei, tomo VIII, pag. 300 : « Nullus, inquit, in ligneo, plumbeo, aut vitreo calice audeat missas agere. » Sub initium ejusdem octavi sæculi apud Ægyptios pariter adhibitos fuisse vitreos calices ac discos in sacrificio, tum Ecclesia Alexandrina spoliata fuisset aureis et argenteis, quos antea possederat, intelligimus ex responso Alexandri Jacobitarum pseudoantistitis : qui requisitus a monachis et a laicis, ut erogaret consuetam largitionem feria III Paschatis, ita se excusavit : « Videte, fratres, quanta ecclesiarum spoliatio facta sit, adeo ut pro calicibus aureis et argenteis, in quibus offerebatur sanguis pretiosus, fecerimus vitreos, et discos seu patenas sacras ex ligno. » Vide etiam Renaudot in Hist. patriarch. Alexandrinorum, pag. 193, circa annum 714.

Superest, inter sacra cimelia antiquitatis Ecclesiæ D apud me custodita, portio vitrei calicis hemisphærici, ad eam fere magnitudinem ac figuram, qua hodie solemus sacra vasa argentea efformare vel aurea, quæ *pyxides* communi vocabulo dicuntur, et ad asservandum Eucharistiæ sacramentum in altaris mensa collocantur. Spissiori ex vitro constat vas illud nostri cimelii, et in eo figuræ stantes visuntur SS. apostolorum, incisis etiam eorumdem nominibus, simili genere cælaturæ ac illa sit, quæ per cava anaglypha litteras atque imagines exhibet in poculis ex crassiori crystallo apud Germanos elaboratis, et ad nos perlatis. Barbaries tum cælaturæ in imaginibus, tum scripturæ in nominibus, ætatem indicat septimi vel octavi circiter sæculi, paulo ante quam Leonis IV constitutione hujusmodi calices prohiberentur. Supra figuras apostolorum, in nostris fragmentis separatas singillatim per columnas porticum efformantes, ita leguntur Petri, Andreæ, et Philippi

nomina expressa : PETRIUS.... ANDREAS, PHILIPPUS. Cætera in fragmentis desiderantur. Supra columnas vero singulas nomen Christi conspicitur per Græcum monogramma expressum, et ornamento circuli inclusum. Cum ad me venalia perferrentur hæc vetusta fragmenta vitrei calicis, audivi effossa fuisse in monte Aventino, inter antiqua Ecclesiæ rudera prope S. Priscam. Discorum, seu patenarum ex vitro fragmenta antiqui operis, quæ diametrum sui circuli ostendunt plus quam bipedalem, videri possunt in cimeliarchio em. ac rev. D., cardinalis Gualterii, omnigenæ antiquitatis copia referto. Alia vero minoris mensuræ, et nostris communibus æquanda, eaque ornata sacris imaginibus sanctorum, ac litteris, passim reperta in suburbanis martyrum cryptis ac cœmeteriis vulgarunt præter Aringhium et Severanum in Roma subterranea, Fabrettus in libro Inscriptionum fol. 539, et omnium luculentissime senator Bonarroti, et can. Boldettus sæpe a nobis cum laude memorati. In his autem imaginibus, et litteris exhibentur, ut plurimum Christus Dominus, Virgo deipara (ut apud Aringhium pag. 589 tom. II, et Boldettum pag. 202) et SS. apostoli ac martyres, quorum nomina præsertim in canone missæ recitantur. In nostri calicis fragmento PETRUS, ANDREAS, PHILIPPUS leguntur expressi. SIMON, THOMAS, PHILIPPUS apud Boldettum pag. 201. PETRUS et PAULUS omnium frequentissime, necnon STEPHANUS, LAURENTIUS, CORNELIUS, CYPRIANUS, AGNES, in canone perinde ac in hujusmodi vitreis patenarum et calicum frustis recensiti, aliique SS. pontifices, et martyres seu confessores, quorum nomina in Romanis cœmeteriis celebrantur, aut depositione, aut fundatione, ut CALLISTUS, JULIUS, DAMASUS, SIXTUS, TIMOTHEUS, HIPPOLYTUS, VINCENTIUS, videri possunt cum suis imaginibus apud auctores indicatos.

CIACONII.

Linea 5. — *Ut patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesiam ministri portarent.* Statuit S. Zepherinus ut consecratio divini sanguinis in vitreo vase fieret, non autem in ligneo, ut antea fieri consuevit. Hæc autem institutio sequentibus temporibus immutata est ; vetitum enim fuit, ut nec in ligno fieret propter raritatem, qua sacramentum imbibitur, nec in vitro, propter fragilitatem ; nec in ære, ob tetrum saporem, quem inde concepit. Sed fieri voluit ex auro, argentove, aut stanno, ut in Triburiensi et Rhemensi conciliis scriptum apparet.

PAGII.

Linea 3. — *Hic constituit,* etc. Auctor Libri Pontificalis asserit eum statuisse ut ordinationes publice in ecclesia peragerentur, prout etiamnum observatur, ac præterea ut celebranti episcopo astarent omnes sacerdotes istius Ecclesiæ. Zepherino sedente, Severus imperator persecutionem in Christianos excitavit, qua durante, Zepherinus, ut gregi suo provideret, delituit, sed ea sedata, e latebris emergens et munia pontificia obiens, Natalium, olim confessorem, postea pecuniæ corruptione Theodotianorum hæreticorum episcopum factum, sed tandem cilicio et sacco indutum, ac cineribus aspersum, ad pedes ejus se supplicem abjicientem, et patrati sceleris exomologesim agentem recepit : Proclum celeberrimum Montani discipulum a Caio spectatissimæ vitæ et eruditionis viro, manifestæ temeritatis super nova prophetia defendenda convictum, omnesque pseudoprophetiæ defensores, et inter alios ipsum Tertullianum anathemate perculit. Origenem pro Christi causa profugum, qui, ut ait Eusebius lib. VI, cap. 14 : « Zepherino Romanam Ecclesiam gubernante, se in urbem Romanam advenisse scribit, cum sibi in votis fuisset, sicut ipsemet alibi dixit, Romanam Ecclesiam omnium antiquissimam coram videre, » humaniter et comiter suscepit.

SOMMIER.

Linea 1. — *Zephyrinus,* etc. Zepherini pontificatus nobis offert complures demonstrationes auctoritatis supremæ, quam sancta sedes obtinet ad hæreticos proscribendos, et absolvendos quando ab erroribus resipiscunt. Vigilantia ac zelus hujus pontificis contra eum procul dubio excitavit calumnias heterodoxorum sui temporis, præsertim vero discipulorum Theodoti Coriarii, qui per summam impudentiam eumdem insimulantes tanquam corruptorem veteris doctrinæ eo temeritatis processerunt, ut affirmaverint (Eusebio teste lib. v, cap. 27) primum e Romanis pontificibus fuisse Zepherinum qui senserit pro Christi divinitate (quam Theodoti asseclæ impie negabant) : « Affirmant veram prædicationis rationem usque ad Victoris tempora, qui decimus tertius a Petro Romæ episcopus fuit, integre servatam illam quidem, sed a Zepherino illius successore penitus corruptam et depravatam fuisse. » Insignem hanc imposturam supra refellimus sub initium capitis præcedentis.

Considerandum hic est ex testimoniis veterum Patrum, generatim triumphasse Zepherinum de hæresibus Marcionis, Praxeæ, Sabellii, Valentini, aliorumque sectariorum usque ad Cataphrygas : « Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, et cæteri temporibus suis a Victorino Pictaviensi, et a Zepherino Urbico, et Tertulliano Carthaginensi usque ad Cataphrygas, et ab aliis assertoribus Ecclesiæ Catholicæ superati sunt. » (Optatus Milevit. *adv. Parmen.* lib. I, ante med.). Quod autem attinet ad Cataphrygas et Montanum, discemus ex antiquis nostris auctoribus, post celebrem disputationem Romæ habitam inter Caium theologum fidei catholicæ defensorem, et Proclum erroris Phrygum propugnatorem, pronuntiatum fuisse anathema contra fanaticos per pontificem Zepherinum (Euseb. *Hist.* lib. VI, cap. 14. *Vide* S. Hieronym. in Caio). Tertullianus similiter contestatur, et ostendit, se quoque involutum fuisse inter perculsos eadem sententia anathematis. (Tertull. in lib. *de Jejun.* circa finem.)

Nuperi illi ex hostibus Romanæ sedis, qui nostris temporibus adnumerare ausi sunt Zepherinum papam inter Montanistas, pari iniquitate contra eumdem peccaruut, ac veteres Theodotiani, qui novitatis notam inurere ipsi attentarunt circa dogma divinitatis Christi Domini. Præter ea quæ dicta a nobis sunt cap. 3 ad defensionem Romani pontificis (sive Eleutherius is fuerit sive alius quispiam, quem Tertullianus suppresso nomine insimulat, tanquam litteras communionis concesserit Montanistis) ; apologiam Zepherini præstantissimam contexit testimonium illustre ab historia redditum de illius praxi ac disciplina, ex diametro plane opposita regulis eorumdem sectariorum in administratione pœnitentiæ.

Natalis quidam illustris ex fidei confessione coram tyrannis edita, infeliciter inciderat in hæresim Theodotianorum, quorum episcopum se ordinari passus etiam fuerat : Jesus Christus nolens extra Ecclesiam suam perire eum qui passionum suarum testis exstiterat, internis inspirationibus necnon apparitionibus frequentibus dignatus est illum sollicitare, ut schisma atque hæresim derelinqueret. « Sed cum Natalis (prosequitur Eusebius, *Hist.* lib. v, cap. 28) nocturnas hujusmodi visiones negligeret utpote honore primæ apud illos sedis, et turpis lucri cupiditate inescatus (quæ multis mortalibus exitio est) tandem a sanctis angelis per totam noctem flagris cæsus, et gravissime verberatus est. Adeo ut primo diluculo consurgens, saccum induerit, et cinere conspersus confestim cum lacrymis ad pedes Zepherini episcopi sese abjecerit, non solum cleri, verum etiam sæcularium vestigiis advolutus, et Christi misericordis Ecclesiam ipsam quoque misericordem fletibus suis commoverit atque concusserit. Multisque precibus usus, ostensis etiam vibicibus plagarum, quas pro Christi confessione pertulerat, vix tandem ad communionem admissus est. »

Exigebat tum temporis recepta Ecclesiæ disciplina gravissimis ex causis constituta, ut in restituendis ad communionem reis hujusmodi, qui insigniter deliquerant et scandalum universis fidelibus obtulerant, extrema cum precautione ageretur, licet sacramento pœnitentiæ expiari suppliciter poscerent. Quorumdam severitas ultra Ecclesiæ leges et cautelam ita processerat in sævitiem, ut de criminibus nonnullis nec indulgentiam remissionis habendam censerent, hoc est de idolatria, homicidio et adulterio; ita ut admitterent quidem ad opera pœnitentiæ exercenda eorumdem criminum reos; attamen contenderent non posse iisdem ab Ecclesiæ tribunali absolutionem pronuntiari, sed oportere ut ad Dei judicium in futuro sæculo remissio reservaretur. Tertullianus Montani sectam amplexus hos in errores impegerat. Quare impotenter excandet contra illum ex Romanis pontificibus, qui per eam ætatem Ecclesiæ præerat (is creditur fuisse Zepherinus) cum ab eodem emanasset decretum adulteris et fornicatoribus pœnitentibus absolutionis beneficium concedens. « Audio etiam edictum esse propositum (Tertul., lib. *de Pudic.*, sub init.) et quidem peremptorium. Pontifex scilicet Maximus, episcopus episcoporum, dicit: Ego et mœchiæ et fornicationis funes dimitto. » Ex his Tertulliani verbis dignoscimus a primis Ecclesiæ temporibus consuevisse Romanis episcopis attribui titulum pontificis maximi, et episcopi episcoporum. Quod si contendatur scriptorem hunc audaciorem ex hæresi redditum ironice tantum ea nomina papæ accommodare voluisse, id semper ex facto verbisque resultat, Romanum scilicet episcopum exercuisse eam potestatem per hujusmodi titulos indicatam, utpote quam auctoritate Christi Domini Petro et successoribus collatam jure obtinebant.

XVII. SANCTUS CALIXTUS.

ANNO CHRISTI 221, ELAGABALI 2.

17. *Calixtus natione Romanus, ex patre Domitio de regione Urberavennatio* [a], sedit annos sex, menses duos, dies decem [b]. *Fuit* autem *temporibus Macrini* et Heliogabali, *a consulatu Antonini et Alexandri* [c]. *Hic martyrio coronatur. Hic constituit jejunium die Sabbati ter* [d] *in anno fieri frumenti, vini et olei* [e] *secundum prophetiam* [f] *quarti, septimi* [g], *et decimi.* Hic fecit basilicam [h] trans Tiberim *Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem diaconos quatuor,* episcopos per diversa loca octo. Qui etiam sepultus est in cœmeterio Calepodii, via Aurelia, milliario tertio, pridie Idus Octobris, et fecit aliud cœmeterium [i] via Appia, ubi sacerdotes et martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem cœmeterium Calixti; et cessavit episcopatus dies sex.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Callixtus annos 5, menses 2, dies 10. Fuit temporibus Macrini et Heliogabali, a consulatu Antonini et Adventi usque Antonino III et Alexandro.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

C, urbis Ravennatum. [b] a *B*, an. 5, m. 1, d. 12. [c] *B*, Elagab. et Alexandri, a Coss. Anton. Aug. II et Sacerdotis ad Julian. et Crisp. [d*] *CB*, quater. [e] olei gratia *CB*. [f] Zach. VIII. [g*] quinti [h] *CB*, bas. S. Mariæ. [i] *Baron. an.* 26 *de cœmeteriis.*

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 17 *lin.* 7, *B*, presb. 14. *ead. lin. A*, 9, *B*, loca 13.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, de regione urbis Ravennium s. ann. 6, m. 10, d. 10. Fuit autem temporibus Antonini et Alexandri a cons. Macrini et Heliogabali usque ad Præsentem et Gallicanum consules. Hic constituit je d. s. *lin.* 6, trans Tiberim que vocatur sanctæ Mariæ, *Maz.*, quæ S. M. appellatur. Hic fecit aliud cimiterium via Appia, ubi. *lin.* 10, cimiterium alixti. Hic fecit ordinationes 5, per m. D, p. 16, diac. 4. ep. per d. loca 8. Qui etiam martyrio coronatus est, et sepultus in cimiterio Caleopodii via Aur. mil. 3 ab Urbe 11 Idus Oct. et cessavit episcopatus dies 6.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1. urbe Ravennatium. *lin.* 5, prophetiam. Hic f. *lin.* 8, sepultus est.

Apud Holstenium et Schelestratium

Lin. 3, *cod Cass om.* hic martyrio coronatur. *lin.* 5, *Flor. Cass. et Vat. om.* quarti, septimi et decimi. *lin.* 8, *Flor.* 2, martyrio coronatur et sepultus est.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 9. — *Fecit aliud cœmeterium via Appia, ubi multi sacerdotes et martyres requiescunt, quod appellatur usque in hodiernum diem cœmeterium Callixti.* Ita auctor Libri Pontificalis, et ita quoque nostris temporibus cœmeterium appellatur, cujus frequens mentio in Actis sanctorum, qui ibidem sepulti sunt. Notandum autem quod Callixtus hoc cœmeterium fecisse traditur, adeoque verum non sit, quod a Burneto notatum fuit in litteris de Itinere Italico, cœmeteria esse gentilium, et primum quinto sæculo Christianos in iis sepeliri consuevisse. Vide quæ infra ad Vitam Marcelli annotabimus.

ALTASERRÆ.

Linea 4. — *Hic constituit jejunium die Sabbati, frumenti, vini et olei gratia.* Callixtus dicitur auctor jejunii Sabbati : tamen ex apostolica institutione et primæva Ecclesiæ consuetudine, in memoriam Christi quiescentis in sepulcro, id repetendum esse verius est. Augustinus (*epist.* 86) : « Sequitur Sabbatum, quo die caro Christi in monumento requievit. Hinc exorta est ista in regia illa urbe varietas, ut alii, sicut maxime populi Orientis, propter requiem significandam, mallent relaxare jejunium ; alii propter humilitatem mortis Domini jejunare, sicut Romana et nonnullæ Occidentis Ecclesiæ. » Ambros. in epist. ad Roman. cap. 14 : « Nam sunt quidam qui quarta feria carnem non edendam statuerunt ; sunt qui Sabbatis ; sunt iterum qui a Pascha usque ad Pentecosten edant. » In jejunio Sabbati variæ fuere consuetudines Ecclesiarum. Romana Ecclesia jejunium Sabbati servabat, Mediolanensis Ecclesia contra ; et in hac re consuetudines Ecclesiarum servandas esse, consulto B. Ambrosio, scripsit Augustinus (*epist.* 318) : « Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam Sabbato non jejunantem : cœperat perturbari et fluctuari quid ageret, cum ego talia non curabam : sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. Respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret : quia si melius nosset, id potius observaret. Cumque ego putassem, nulla reddita ratione, auctoritate sola sua nos voluisse admonere, ne Sabbato jejunaremus, subsecutus est, et ait mihi : Cum Romam venio, jejuno Sabbato ; cum hic sum, non jejuno : sic etiam tu ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. » Jejunium Sabbati etiam ab Innocentio I comprobatum. Anastas. in Innocentio : « Hic constituit Sabbato jejunium celebrari, quia Sabbato Dominus in sepulcro positus est, et discipuli ejus jejunaverunt. » De jejunio Sabbati etiam Hieronym. apud Augustin. epist. 19, et Cassian. de Instit. cœnobitar. lib. III, cap. 10 ; Socrat. lib. V, cap. 21 : Niceph, Callixt. lib. XII, cap. 24.

BINII ET LABBEI.

Linea 3 et 4. — *Martyrio coronatur.* De martyrio Calixti Romanum Martyrologium hæc continet : Romæ, via Appia, natalis beati Calixti papæ et martyris, qui Alexandri imperatoris jussu diutius fame in carcere cruciatus, et quotidie fustibus cæsus ; tandem e fenestra domus in qua custodiebatur, precipitatus, atque in puteum demersus, victoriæ triumphum promeruit. » Sed cum Alexander imperator, teste Lampridio in Alexandro, Christianam rem non solum non læserit, sed potius plurimum promoverit, Christum inter deos habuerit, eique matutinis horis in larario suo rem divinam fecerit, ac nisi oraculis deorum dissuasus fuisset, templum eidem erigere decreverit, Christianorum moribus delectatus fuerit, eos provinciarum rectoribus imitandos proposuerit, iisque demum, popinariis expulsis, ad conventus faciendos publicum locum, ex quo olim, regnante Augusto, Christo in Bethlehem nascente, oleum scaturiit, concesserit, ac ibidem per Calixtum pontificem templum in honore partus Virginei consecratum erigi permiserit : hac, inquam, voluntate optima cum erga Christianos affectus fuerit, Callixtum pontificem non ipsius Alexandri imperatoris expresso jussu ac decreto, sed potius consilio ac decreto juris consultorum, et imprimis Ulpiani, quem Christianis, velut sacrilegis, infestissimum fuisse, ex Lactantio Firmiano lib. IV, c. 11 et 12, occisum fuisse verius esse putavimus.

Linea 8. — *Milliario tertio.* Ab urbe nimirum : lege enim XII tabularum teste Cicer. de Legibus lib. II, vetitum fuerat defunctum intra mœnia sepelire. Hac igitur lege cogebantur etiam Christiani suos mortuos extra mœnia sepelire, nisi forte quis clanculum (quod sæpius accidit) cadaver martyris sustulisset, ac in domo propria sepelisset. Sed Christianis imperatoribus sanctorum ossa in ecclesias translata sunt. Baron. ann. 226, n. 7 et 12.

(Ex Lab.) linea 9. — *Et fecit aliud cœmeterium.* Desunt in C. H.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Epocham B. Calixti, consensu codicum, et picturarum, definitam, in Prolegomenis, annis V, mensibus II, diebus X, dixi adamussim convenire cum epocha decessoris Zepherini, et cum consulatibus assignatis in catalogo Liberiano, nempe ex Antonino et Advento (Christi 218) ad Antoninum IV et Alexandrum (Christi 222). Ex his postremos tantum recensent Bibliothecarii textus, eumque imitati codices Oriculenses. Quam apte consentiant cum consulibus, perspicuum est ex quinquennio ab his comprehenso, et a serie continuata post coss. anni 217. Præsentem et Extricatum, qui fuerunt postremi in Zephyrino. Quam concinne respondeat etiam diebus martyrii sui, ac decessoris, breviter expediam. Zepherinus martyrii palmam assecutus est die 26 Julii (ut ex tabula in titulo S. Silvestri in Capite constare dixi). Vacavit sedes ab illius obitu dies VI, ita narrante Bibliothecario in ejusdem numero, et assentiente catalogo Lucensi, supra relato in Prolegomenis. Electus itaque fuerit successor Callixtus postridie Kalendas Augusti : quæ Kalendæ anno 217, cum incidant in feriam VI, ut littera Dominicalis E ostendit, dies electionis Sabbatum 2 Augusti, et ordinationis Dominica proxime eam diem attingens 3 Augusti reputanda est. Ex ea die numeratis anni V, mensibus II, dies X, terminus numerationis cadit in diem 13 Octobris anni 222, qua martyrium complevit. Die autem 14, qua colitur, sepultus est in cœmeterio Calepodii, ut memorat Bibliothecarius in fine numeri : *qui etiam sepultus est in cœmeterio Calepodii, via Aurelia, milliario tertio, pridie Idus Octobris.* Acta martyrii a Mombritio edita narrant ea quidem die illatum fuisse sacrum ejus corpus in cœmeterium Calepodii, sed ante dies septemdecim fuisse demersum in puteum ejus domus in qua custodiebatur, et ingestis ruderibus suffocatum simul atque illisum obiisse beatum pontificem. Verum cardinalis Baronius pridem notavit in Martyrologio ad indicatum diem 14 Octobris, eadem Acta indigere aliqua castigatione. Inter cætera vero emendandum videtur tempus extractionis e puteo : ut extractio, quæ *postridie* ab ejus martyrio facta sit, perperam referatur ab imperitis amanuensibus *post dies* XVII. Nam usus putei necessarius inquilinis domus in qua custodiebatur, impediendus non erat diuturna cadaveris detentione et maceratione ; cum tortoribus mandatum fuisset Callixto necem inferre, non inquilinis reddere puteum cadaveris corruptione insalubrem. *Postridie*

igitur ejus martyrii, non *post dies* XVII legendum arbitror. Quare martyrium spectat ad diem Octobris 13, extractio e puteo et illatio in cœmeterium ad diem 14 : ut plane sint ab ejus ordinatione ad martyrium anni V, menses II, dies X, omnium documentorum suffragio comprobati : quemadmodum signantur in picturis et codicibus et catalogis de quibus inter Prolegomena

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1. — *Natione Romanus, ex patre Domitio, de regione urbe Ravennatio.* E gente Domitia natum asserit Callistum de regione *urbis Ravennatium* appellata. In regione urbis XIV Augustea, *Transtiberim* dicta, quæ est sexta regio ecclesiastica (*supra in Prolegomenis*) hortos *Domitii* a Publico Victore collocatos observant antiquarii : et *castra Ravennatium* in eadem regione similiter statuunt cum Donato lib. III de urbe Roma, pag. 310, aliisque auctoribus. Quare potuit Callistus hoc etiam nomine fundi ad gentem suam Domitiam pertinentis Titulum Romanum in illo erigere, qui postmodum basilica S. Mariæ Transtiberim, et Callisti a conditore promiscue nuncupatur. Donati verba sunt : « Sub ipso Janiculo non horum tantum Vitellianorum temporariæ stationes, sed perennes militum erant institutæ ab Augusto *castra Ravennatium* dicta ; nempe militum, qui classem Ravennæ collocatam tuebantur ad defensionem superi Maris. (*Sueton. in Aug.* c. 49). Hi classiarii venientes ad Urbem ibi stativa habebant, et ad hos, sive alios *Taberna meritoria,* ubi nunc *Ædes S. Mariæ Transtiberim* pertinebat : unde oleum abunde ad fluvium usque fluxisse ecclesiastica monumenta prodidere : et constans fama, designatusque in templo maximam sub aram locus, veterique hoc titulo notatus *Fons olei,* abunde testantur. Quoniam vero principatu Cæsarum rarissimæ expeditiones maritimæ, Ravennates classiarii frequentes erant in Urbe, ludisque vela ducebant in theatro. Lampridius in Commodo : « Irritum, inquit, id credens (Commodus) a populo Romano, a militibus classiariis, qui vela ducebant, interimi præceperat. » Hæc Donatus.

Missus Ravennatium meminit inscriptio L. Furii L. F. pal. Victoris apud fol. Gruterum CCCCXIV, et Panvinium de urbe Roma pag. 172, qui dicitur *missu Ravennatium procurator ludi magni.* Affirmat Carolus Piazza in Hierarch. cardinal. agens de hoc titulo pag. 367. Blondum Flavium observasse in aliquot Actis SS. martyrum hanc basilicam S. M. Transtiberim vocari *Ravennatium.* In eadem quoque regione Transtiberim convenire consuevisse B. Callistum *in domo Pontiani circa castra Ravennatium* testantur Acta ejusdem martyrii, custodita in codicibus S. Cæciliæ, et in Vallicellianis, quæ laudatus Piazza recenset pag. 561 : « Ab eodem die cœpit Alexander curiose quærere B. Callixtum episcopum, et divulgatum est ei quod esset Transtiberim in domo Pontiani juxta urbem Ravennatium. » His igitur observatis verisimile redditur pontificem Callistum Domitii filium partem aliquam fundorum suorum, vel ad gentiles suos pertinentium obtulisse ut Deo sacram faceret, constituens titulum presbyteri Romani hac in Urbis parte, in qua fuerunt etiam Principem apostolorum Judæis Transtiberinam regionem incolentibus Christum annuntiasse. *Vide Baronium ad annum* 44.

Linea 9 et 10. — *Fecit et aliud cœmeterium via Appia,* etc., *quod appellatur usque in hodiernum diem cœmeterium Callisti.* Depositio sanctorum pontificum et martyrum reddidit maxime celebre post Vaticanum cœmeterium Callisti. Opuscula quarti sæculi, superius edita in Prolegomenis et Bucherio, complures memorant pontifices et martyres ibi depositos. Licet vero in eo, cui titulus est *Depositio episcoporum,* antiquissimus ex ibi recensitis sit *Lucius* ; attamen in proximo, cui præfigitur nomen *Depositio martyrum,* adnotatur XIII Kal. Febr. dies depositionis *Fabiani* in eodem cœmeterio *Callisti,* et Idibus Augusti recensetur memoria depositionis *Pontiani in Callisti ;* qui duo martyrio et pontificatu præcedunt Lucium. Quare cum haberentur jam tum complures catalogi scripti circa medium sæculi quarti, in quibus apparent commemorationes istorum martyrum et pontificum his in cœmeteriis diu ante institutæ ; et cum ex litteris S. Cypriani relatis in notis ad S. Anacletum, necnon ex Tertulliano in libro de Corona militis constet de vetustiori consuetudine ante imperium Severi vigente, ut annua die recolerentur cum oblatione divini sacrificii memoriæ martyrum ; infeliciter admodum argutatur Burnetus in epistolis de suo Italico itinere negans hæc cœmeteria fuisse Christianorum usibus deputata ante quintum sæculum. Doctæ Pagii notæ crassi erroris eumdem merito notant : cui revincendo, et evertendo satis est quotidianum experimentum Christianarum inscriptionum, in eisdem cœmeteriis occludentium loculos defunctorum : ubi αὐτοψία manifestat ætates superiores per consulatus ibidem insculptas. Mirandum profecto est, quod oculatus iste viator, qui eruditionis causa tot itinera suscepit, et hasce cryptas ingredi ac perlustrare voluit, non attenderit, saltem Hieronymi testimonio, quod in ipso ingressu cœmeterii Callisti intra ecclesiam S. Sebastiani extra muros provide incidendum curarunt ejusdem ecclesiæ præpositi : ubi sanctus doctor affirmat se puerum studiorum causa Romæ versantem (quod sub initium quarti sæculi fuisse constat) diebus Dominicis cum suis æqualibus hæc sacra loca martyrum depositionibus referta visitare consuevisse. Verum tanti non est Burneto in sua voluntaria cæcitate contra facti evidentiam sæcula postponenti, nota sanctorum Patrum testimonia, et æqualium monimentorum documenta inclamare.

CIACONII.

Linea 4. — *Hic constituit jejunium die Sabbati.* Callistus pontifex in tanta rerum perturbatione, et nimio luxu imperii Heliogabali nequaquam a proprio instituto deflectens jejunia quatuor temporum instituit, vel potius renovavit, Hebræis olim injuncta, in Vernale scilicet, Æstivale, Autumnale, et Hyemale, quibus temporibus deinceps ratio sanctorum ordinum habita est, cum antea id quidem tantummodo Decembri mense fieri consuevisset.

Linea 5, 6. — *Hic fecit basilicam trans Tiberim.* In honorem scilicet B. Virginis : non tamen creditur illa esse, quæ hodie tam celebris et ampla cernitur ; cum ea tempestate ob crebras persecutiones occulta essent omnia sacella, atque eadem abdita, et plerumque subterranea, quam apertis in locis, ac pluribus, fierent. Oratorium igitur, vel humile sacellum, initio esse potuit, quod ad ministeria Christiani populi inserviret, non quod ad invidiam Ethnicos irritaret. Et forsan illud fuit templum, quod erigere Christiani, Alexandri Severi imperatoris rescripto obtinuerunt, adversus ganeones, qui popinas in eodem situ fabricare volebant, dicentis melius fore ut Deus quomodocunque illo loco coleretur, quam popinis manciparetur, ut Lampridius in Alexandro scribit. Religiosissimus itaque pontifex Callistus hanc Ecclesiam pro votis construxit, Deiparæ Virginis titulo, ubi tempore Augusti oleum, magno miraculo, terra erumpens, copiose fluxit, in signum Christi, humani generis Redemptoris, in mundum proximi adventus. Sacram adhuc foramen exstat, ex quo olim oleum scaturiit : terra inferius posita adhuc oleo madens. Et hoc fuit templum primum Virgini publice dicatum.

SOMMIER.

Linea 5. — *Secundum prophetiam.* Nihil admodum nobis præservat antiquitas ex pontificatu Callisti, quam decretum ab ipso conditum *juxta prophetiam* de jejunio ter in anno celebrando, et in gratiarum actionem Deo a nobis offerendo pro concessis terræ fructibus per eadem tempora collectis frumenti vini et olei. Necesse igitur est recogno-

scere, tria hæc jejunia esse, quæ *quatuor temporum* appellantur. Prophetia enim de qua hic loquitur est Zachariæ cap. VIII, versu 19 : *Jejunium quarti, et* A *jejunium quinti, et jejunium septimi, et jejunium decimi erit domui Juda in gaudium.*

XVIII. SANCTUS URBANUS.

ANNO CHRISTI 226, ALEXANDRI IMP. 4.

18 *Urbanus, natione Romanus ex patre Pontiano,* sedit annos octo, menses undecim, dies duodecim [a]. *Hic fecit ministeria sacrata omnia* [b] *argentea, et patenas argenteas* viginti quinque posuit. Hic verus confessor exstitit temporibus Maximi et Africani consulum [c]. *Hic sua traditione multos convertit ad baptismum et* credulitatem, *etiam Valerianum* [d] nobilissimum virum, *sponsum sanctæ Cæciliæ,* quos etiam usque ad martyrii palmam perduxit, *et* per ejus monita *multi martyrio coronati sunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem* : Presbyteros novem, diaconos quinque, episcopos per diversa loca octo. *Qui* etiam *sepultus est in cœmeterio Prætextati, via Appia,* VIII *Kal. Junias, et cessavit episcopatus dies triginta.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Urbanus annos 8, menses 11, dies 12. Fuit temporibus Alexandri a consulatu Maximi et Æliani usque Agricola et Clementino.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] ann. 6, m. 7, d. 4. [b] Vide Bar. ann. 233, [c] Alexandri imp. a coss. Juliani, et Crispini, ad Pompeianum et Felicianum. [d] C, Tiburtium etiam et Val.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Eabrottum ex codice Freheri.

Num. 18, *lin.* 3, qui etiam fuit clarus confessor temporibus Diocletiani. *lin.* 9, 14 Kal. B. Kalend. Jun.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, sed ann. 4. m. 10 d. 12. Hic fecit min. omnia argentea sacrata, et p. a. 25. posuit. Hic fuit temporibus Maximi et Afr. cons. *lin.* 5. Ceciliæ et fratrem ejus Tiburtium. *lin.* 9. Prætextati Callisti via Appia, et cess. Ep. di. 30.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1 ann. 4. m. 10. *lin.* 3. arg. 25. Fuit etiam B clarus confessor temporibus Diocletiani. Hic sua trad. *lin.* 9, 14 Kalend.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1 *Flor. secund.*, an. 4, mens. 6. *lin.* 3. *in Flor. secund. deest* posuit *et sequitur* : qui etiam, clarait confessor tempore Diocletiani, hic sua, etc. *lin.* 5. *Regius codex post* sanctæ Cæciliæ *addit* : cum fratre suo Tiburtio, *et infra post* multi *addit,* alii, *lin.* 7, 8. *Fl.* 2. *et Reg.*, presb. XVIII, diaconos VII. *lin.* 9, *Florent. secund. post* via Appia *addit,* quem sepelivit B. Tiburtius.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRÆ.

Linea 2. — *Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea.* Ministeria, id est, vasa sacra ecclesiæ argentea esse, decretum ab Urbano. Singulare est quod narratur de Exuperio Tolosano episcopo, eum sacrificasse in vitro. id est calice vitreo. Hieronym. ad Rusticum : « Nihil illoditius, qui corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat in vitro. » Ea tamen passim vasa sacra erant ex auro vel argento. Augustin. in Psalm. CXIII, *Simulacra gentium argentum et aurum* : « Sed enim et nos pleraque instrumenta et vasa ex hujuscemodi materia vel metallo habemus, in usum celebrandorum sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata sancta dicuntur. »

BENCINI.

Linea 3. — *Hic verus confessor exstitit.* Tituli honorum, quibus martyres cohonestabantur ad confessionem, et martyrium, plures erant, ac inter hos *veri confessoris,* et in his dandis ac concedendis sedula erat inspectio, et inquisitio, forsitan ex præmisso diligenti examine presbyteri martyrum, sive diaconorum, quorum frequentissimo ad carceres commeatu poterant fortitudinis, et patientiæ, ac reliquarum virtutum exercitia in martyribus agnosci, ut deinde gloriosa confessione conspicui debitis *convenientibus titulis* decorarentur, et pro merita laude C Christi athletæ, qui in agone viriliter decertaverant, honestarentur, sicque in fidelibus excitaretur zelus, ut alacri animo certamina subirent in persecutionibus. Antiqua est institutio. Lugdunensis etiam Ecclesia in epistola encyclica de martyribus passis veros martyres discriminat ab aliis, eosque sæpius *veros martyres, et beatissimos, ac fortissimos* pronuntiat, insectaturque eos qui corruerant. Tertullianus eos qui post latam sententiam jam ab martyrium erant adducendi, vocat *Benedictos martyres designatos.* Quæ formula sæpius occurrit in epistolis Cyprianicis; speciatim cum de Paulo confessore scribit (*epist.* 21) : *Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset.* Quandoque a Cypriano Floridorum clerus nuncupatur. Quod occurrit in laudata epistola, ubi : *Cum essem et ego in tam florida confessione,* mox addit : *Audivi enim te floridorum ministerium percepisse* : et ante finem : *qui lætantur confessione tua florida.* Erat Lucianus presbyter martyrum, et ideo eum vocat Floridorum ministrum, et paulo post : Et nunc super ipsos factus Antistes Dei recognovit idem minister forsitan *ministerium* martyribus in carceribus exhibitum. In eadem epistola martyres designatos *dominos vocat.* « Rogo itaque, domine, et peto per Dominum nostrum Jesum Christum, ut cæteris collegis tuis, fratribus tuis, et meis, meis dominis

referas, et ab eis petas, ut quicunque prior vestrum coronatus fuerit, etc. » Et in fine : « Hoc scire debes me et dominis meis fratribus tuis scripsisse. » Sic Lucianus Celerino in epist. Cypr. 22 vero confessori in epistola epigraphe, *Lucianus Celerino Domino*. Veri confessores designabantur a supplicio et tormentis. Sic Lucianus iisdem, cum refert indulgentiam concessam a martyribus, eos ex supplicio discriminat inquiens, « Quorum nomine subjicio, Bassi in petrario, Mappalici in quæstione, Fortunionis in carcere, Pauli a quæstione, Fortunæ, Victorini, Victoris, Hereni, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venusti, Fructi, Juliæ, Martialis, et Aristonis, qui, Deo volente, in carcere fame necati sunt. » Sic martyres multiplici confessione gloriosi in certamine evaserant ; sicut in ludis Olympicis, aliisque athletarum, numerus victoriarum notabatur, sic et martyrium notati agones, atque ab ipsis reportati triumphi. Qua laude Cornelius pontifex exaltat Maximum, et Urbanum in epistola ad Fabium Antiochenum scribens, apud Euseb. l. VI, c. 43: « Maximus Ecclesiæ nostræ presbyter, et Urbanus ambo ex fidei confessione egregiam jam secundo laudem adepti. » Et Cyprianus ep. 33 de Aurelio lectore disserens inter reliquas ejus laudes enumerat, quod *gemino hic agone certavit bis confessus, et bis confessionis suæ victoria gloriosus*. Et Lactantius eodem sensu in lib. de Mortibus persecutorum : *Novies adversarium gloriosa confessione vicisti.* In passione enim SS. Seraphiæ et Sabinæ (apud Baluz. tom. II Miscellan. pag. 106), legitur *Herodis metallarii cujusdam, qui sub Vespasiano Augusto ter in urbe Roma candidam confessionem dedit Romanis ;* et in actis S. Bonifacii de Aglae : *Hæc ergo ter candidam egerat apud Urbem Romam ex præfectura.* Confessio ipsa titulo Gloriosiæ notabatur, de qua idem Lactantius c. 1 ; « Audivit Dominus orationes tuas, Donate charissime, quas in conspectu ejus per omnes horas tota die fundis, cæterorumque fratrum nostrorum, qui gloriosa confessione sempiternam sibi coronam pro fidei suæ meritis quæsierunt. » De Diocletianea persecutione agens Severus, qua grassante sacro martyrum cruore orbis inundavit, l. II Hist. inquit : « Certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur. » In actis priorum martyrum sæpius occurrunt voces, *gloriosa confessio, gloriosæ mortes, gloriosa certamina, martyria, agones,* etc. Quali vero diligentia Ecclesiæ incumberent per presbyteros martyrum, diaconos, ac martyrum notarios, ut dignoscerentur, qui titulis essent honorandi, et quam perantiqua fuerit talis sollicitudo, Ecclesia Lugdunensis ad orbis Ecclesias data epistola demonstrat; ibi namque *veri confessores* proponuntur *gloriosi, et coronati martyres ;* ibi eos indigitat *paratos et exercitatos,* discriminatque a falsis et in exercitatis, qui in priori congressu defecerant. Poterant Urbani acta titulo *veri confessoris* pontificem cohonestare, cum Christianum nomen Roma præcipue propagaverit : et Valerianum clarissimæ virginis Cæciliæ sponsum, pluresque nobiles Romanos (inter quos Tiburtius, et Maximus imperatoris præfectus) baptizatos ad martyrii coronam hortationibus suis perduxerit, cumque forti demum animo gloriosam confessionem edens martyr fuerit coronatus.

BINII ET LABBEI.

Linea 5. — *Per ejus monita multi martyrio coronati sunt.* Qui Valerianum, Tiburtium, et Maximum cum sancta Cæcilia in fide instruxerat, baptizaverat, et adversus ictum gladii hortatu suo obfirmaverat, tandem ipse quoque multa propter Ecclesiam passus ; cervicibus abscissis, martyrio coronatus est, anno Christi 233, Alexandri imperatoris 10, vigesimo quinto die Maii.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Anni VIII, *menses* XI *et dies* XII. Episcopatus qui, ex consensu documentorum exposito in Prolegomenis desinunt in consulatu Agricolæ et Clementini (Christi 230) exordium capere debent maturius, quam ex consulibus, Æliano et Vetere, signantibus annum æræ Christi 223. Successio tamen Urbani in sede apostolica recte adnotatur consulatu Æliani et Veteris ; cum hi proxime consequantur consules Antoninum IV (*Elegabalum*) et Alexandrum, quibus signari contigit annum 222 Septimi Paschatis a Callisto celebrati, mortuo paucos ante dies Elagabalo, et imperium tenente ex die VI ante Idus Martii Alexandro : et auctor catalogi Liberiani, quem posteriores sequuntur, respiciat, ut sæpe dixi, Paschale tempus in pontificum annis unicuique assignandis et indicandis per consulatus. Idcirco anni VIII, menses XI, et dies duodecim, qui terminum postremum obtinent, Agricola et Clementino coss., anno 239, circa depositionem beati Urbani, a Bibliothecario consignatam die 25 Maii, inchoandi sunt ex mense Junio anni 221, quo tempore ad episcopatum promotus fuerit, vel ut vicarium ageret Callisti in Urbe, vel destinatus ad aliquam gentem Christo acquirendam. Si dies ordinationis supponatur Dominica secunda Junii quæ anno 221 ex littera Dominicali G pariatur cum 10 ejusdem mensis ; martyrium subsequens post annos VIII, menses XI, dies XII, paria faciet cum 23 Maii 230. Biduo post ejus sacri corporis humationem refert Liber Pontificalis per ea verba : *qui etiam sepultus est in cœmeterio Prætextati via Appia* VIII *Kal. Junias.* Quare ab his documentis percipimus ordinationem episcopalem fuisse susceptam ab Urbano sive ut vicarium Callisti gereret, sive ut destinaretur episcopus gentis alicujus aut provinciæ, die Dominica 10 Junii 221. Anno autem proximo 222, quem aperuerunt consules Antoninus Elagabalus IV, et Alexander, qui eodem anno mense Martio in imperio successit ; cum Callistus die 13 Octobris in puteum demersus martyrium complevisset, ac die proxima illatus fuisset in cœmeterium Calepodii : post vacationem dierum sex, a Bibliothecario memoratam, apostolicum thronum implevit Urbanus, a clero electus successor die 20 Dominica tertia Octobris littera Dom. F. et primum Pascha sui pontificatus celebravit anno proximo æræ Christi 223, Maximo II et Æliano consulibus, recte positis in catalogo Liberiano. Supremum vero Pascha illi fuerit anno 230, Agricola et Clementino coss. ibi pariter indicatis, et a cæteris catalogis, et codicibus : denique martyrio coronatus die 23 Maii, in cœmeterium Callisti illatus fuit die 25 Maii, qua colitur.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Hic fecit ministeria sacrata omnia argentea, et patenas argenteas* 25 *posuit.* Numerum quod attinet XXV, videtur referendum esse ad summam totidem titulorum. Materiem vero quod respicit, supra diximus, in Zephirino agentes, de usu vitrearum patenarum, ejusque delectus causa. Neque ille sublatus omnino fuit, etiamsi argenteis quoque ministraretur ; nam et hodie ad sacrificium vitreis urceolis oblatos vini et aquæ liquores plerumque ministramus, licet argenteorum sit copia, ad facilius discernendum quando unius, aut alterius species sacerdoti est porrigenda. Vitreos calices, ne dum patenas, pro arbitrio abhibitos usque ad Leonem Quartum ibi ostendi : donec experimento constitit esse cautius adhibendam aliam materiem, ea de re edito ejusdem pontificis decreto. Cæterum argentea vasa sacri ministerii vidimus, ac nonnulla etiam servamus operis ac cælaturæ adeo antiquæ, per elegantiam anaglyphorum comprobatæ, ut referenda procul dubio sint ante sæculum Constantini. Urceolus argenteus apud me superest inter sacra cimelia asservatus, quo vinum, aut aquam ad sacrificium ministrarent fideles. In illius externa superficie prominent anaglyptico opere satis affabre elaborata sigilla exprimentia Christi Domini imaginem inter discipulos stantis, et vertentis aquam in vinum ad nuptias







1. 2 *Amulæ duæ argenteæ,* 1. *Ad vinum in sacrificio ministrandum : cujus anaglypha in Christo Domino vertente aquam in vinum (interpret. SS. Joanne Chrys. et Cyrill.) indicant potestatem Sacerdotibus novæ legis ab ipso traditam convertendi vinum in Sanguinem.* 2. *Ad Chrisma fortasse asservandum per quod dona S. Spiritus ibi in Columba figurati, fidelibus traduntur. In utraque oves gregis Christi exhibentur, pascendæ ab iis, qui potestatem utriusque doni conferendi a Domino (inter Apostolos idcirco expresso) per Sacerdotium obtinuerunt.*

in Cana Galilææ. Historiam hanc evangelicam apte in hisce vasculis consignatam arguimus ex argumento Cyrilli mox afferendo, ut firmaretur adstantium fides ad confitendam conversionem vini in sanguinem Domini eadem divina potentia peragendam, qua olim initium fecerat signorum suorum a conversione huic affini aquæ in vinum. Eodem certe argumento Neophytorum fidem excitat S. Cyrillus Hierosolymitanus in quarta Catechesi mystagogica dicens: « Aquam olim in vinum convertit in Cana Galilææ, quod habet quamdam cum sanguine propinquitatem: et eum parum dignum existimabimus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit? Ad eas nuptias quibus corpora copulantur vocatus præter opinionem omnium hoc fecit miraculum: et non multo magis sic eum corpus et sanguinem suum fruenda nobis donasse persuasum firmiter habebimus, ut ea cum omni certitudine tanquam corpus ipsius et sanguinem sumamus? Nam in specie panis dat nobis corpus, et in specie vini dat nobis sanguinem: ut cum sumpseris, gustes corpus et sanguinem Christi, factus ejusdem corporis et sanguinis particeps. » Cum hanc Cyrilli doctrinam Ecclesia catholica nobis constituat quotannis recitandam in octava corporis Christi, quam priores quoque Cyrillo fideles hisce in anaglyphis expresserunt; placet figuram argentei vasculi ita cælati hic exhibere ad illustrandum textum Bibliothecarii, et ad comprobandam catholicorum præsulum curam in fidei nostræ luminibus excitandis et exprimendis etiam in ornamentis sacri ministerii.

Aliud vasculum simili figura præditum ex argento pariter ductum asservabatur paucos ante annos in musæo nobilissimi præsulis Leonis Strozzi (cui paucos ante dies piissime vita functo eruditorum omnium studia parentant) cujus iconem ex archetypo ductam non adjungam, quod alio asportatum intelligam. In illo exhibebatur imago Christi Domini, beato Petro claves tradentis, et in pallio deponentis, eodem ferme typo (sed valde elegantiori sculptura) quo visitur in sarcophago Junii Bassi, inciso sub consulatu Eusebii et Hypatii, Christi 360, spectando in subterranea basilica S. Petri contra altare Confessionis. Aliud quoque signum Redemptoris nostri prominet in eodem vasculo, usum oculorum tribuentis cæco nato. In priori figura opportune indicatur potestas sacerdotii: in secundo signo effectus Christi contactus. Alia etiam vascula argentea, eorumve fragmenta vidi, quæ aliis symbolis et characteribus Christiani cultus insignita sunt. Tertullianus memorabat, imaginem Pastoris boni nostri in calicibus exprimi consuevisse, quidem in pateris recognoscimus apud Boldettum in observ. Cœmet. pag. 200, et apud Senat. Bonarroti tab. v et vi de vitreis vasculis cœmeteriorum. Oves quoque Dominici gregis contemplamur in nostro urceolo, ad Agnum respicientes, pro nostra salute oblatum, et occisum. Accedit explicator mysterii Chrysostomus, ita interrogans homilia LX: « Quis pastor oves proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus; sed ipse nos proprio sanguine pascit, et per omnia nos sibi coagmentat. » In alio vasculo argenteo, apud Cl. virum M. Antonium Sabbatinum Romæ custoditum in lectissimo suo cimeliarchio, præter imagines Christi Domini et apostolorum, necnon oviculas gregis sui sub hoc Pastore dispositas, superne visuntur columbæ cum apposito crucis signo. Vasis figura et cælatura indicare videntur, illud adhibitum fuisse ad sacrum chrisma continendum. Ordo Romanus antiquissimus, post Ilittorpium editus a Mabillonio, pag. 4, num. 3, ostendit sacrum chrisma præferri consuevisse pontifici ad stationem solemniter equitanti per acolythum stationarium. « Unus autem ex acolythis stationarius præcedit pedester equum pontificis, gestans sacrum chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. » Asservantur etiam tum in musæo Sabbatino, tum in nostro, argentea cochlearia tum solida, quam perforata, illa ad incensum thuribulo ingerendum, hæc ad aquam vino stillatim infundendam in præparatione sacrificii. Card. Baronius ad annum 133, num. 1, observat a Gregorio Turonensi de Gloria martyrum cap. 38, litteris proditum de argenteis urceis, et hujusmodi vasis ad sacrificium adhibendis, quæ reperta sunt in eadem crypta cœmeterii Priscillæ via Salaria, ubi deposita fuerunt corpora SS. martyrum Chrysanthi et Dariæ. His igitur similia vasa ministerialia, præter calices et patenas ex argento paraverit Urbanus, imperante Severo Alexandro; cujus erga Christianos nota propensio reddebat minus impedita sacerdotum studia in hisce ornamentis divino cultui comparandis.

Linea 5. — *Etiam Valerianum nobilissimum virum, sponsum S. Cæciliæ,* etc. Callisti decessoris pervigilem curam in Transtiberina regione fidelibus frequentanda auctam fuisse nobilibus incrementis sub pontifice Urbano demonstrant Acta SS. Cæciliæ et Valeriani, eorumque domus martyrio nobilitata: quam Romanum titulum ejusdem Cæciliæ rogatu dedicavit. Si quis autem miretur, sub imperio Severi Alexandri, principis erga Christianos ita propensi, ut in ejus Vita Lampridius ostendit ex pluribus dictis ac gestis, miretur in quam simul a nobis admitti dedicationes titulorum Christiani ritus, et martyria eorum, qui easdem domos obtulerant fidelium conventibus; meminerit martyria SS. Cæciliæ ac sociorum sub Almachio præfecto Urbis, et paulo post consecutam passionem S. Urbani papæ referri circa annum imperii nonum illius principis, quando suscepta in Persas expeditione Urbe profectus tribunitia potestate nona (ut nummi docent signati TR. P. VIIII. COS. III. P. P. et in parte aversa litteris PROFECTIO AUG. S. C.) per biennium egit in oriente. Tunc vero Trajani, Adriani, et Antoninorum legibus nunquam revocatis, de quibus egimus pag. 138, imo et recentioribus a Caracalla contra nos latis excitati delatores et judices supplicia in Christianos exerceri pro lubitu decernebant, absente principe: cujus præsentis indulgentiam et æquitatem nobis paratam et propensam inanium deorum sacrificuli aversabantur.

Conciliare igitur jure possumus ac debemus principis Alexandri erga Christianos benignitatem cum veritate gestorum a SS. martyribus sub ejusdem imperio passis et coronatis, præcipue vero SS. Cæciliæ, Tiburtii et Valeriani: quæ gesta uberius prosequitur Baronius in notis ad martyrologium et in Annalibus, licet ejusdem chronologia cum æra Christi comparata biennio differat a nostra, ut adnotavit Schelestratius supra relatus, servato tamen consensu, in nono imperii Alexandri anno iisdem martyriis assignando.

Præter musivum a Paschali primo constructum in abside tituli S. Cæciliæ, ubi versibus etiam expressit inventa et extracta a se fuisse eorumdem martyrum corpora in cœmeterio Callisti, et in hunc titulum translata, in quo religiose servantur et coluntur; superest etiam vetus pictura pone absidem Tituli S. Pudentianæ spectanda in sacello interiori, ubi parietinæ adhuc superstites ostendunt fontem illum Christiani baptismi a Pio pontifice hujus nominis primo constitutum, de quo in notis ad ejus Vitam fusius egi pag. 123 et seqq. usque ad 126. Ibid., pag. 126, col. 2, indicabam superesse picturam apostolorum baptisma administrantium fidelibus in eadem Pudentis domo, impressam et expositam ab ill. præsule Joanne Ciampinio: eique proximam in arcu contiguo superesse imaginem S. Urbani papæ præmittentis ad martyrium sanctos Tiburtium et Valerianum, expressis singulorum nominibus, sed ejus angeli ductu, cujus conspectus a Cæcilia promissus occasio conversionis fuit. Visitur itaque angelus præcedens Tiburtium et Valerianum, et coronam imponens capiti sibi proxime consequentis, succedente Urbano papa, qui tertius ad coronam venit. Ibidem observavi, comprobari ex hac pictura id quod in libris lectionariis ejusdem tituli recitatur,

consuevisse scilicet Urbanum, ejusque successores, et nominatim B. Stephanum I, in hoc eodem titulo exemplo Pii decessoris, et antiquiore SS. apostolorum hospitum S. Prudentis solemne baptisma in Paschate ministrare.

Linea 8, 9. — *In cœmeterio Prætextati via Appia.* Prætextati cœmeterium ita proximum fuit cœmeterio Callisti, ut aditus ex uno in alterum pateret. Cum Bosio in notis ad Vitam S. Urbani id observat Boldettus de Sacr. cœmet lib. II, cap. 18, p. 554 : « Quod attinet ad cœmeterium Prætextati, ait Bosius, erat via Appia, ad quod erat communis aditus in cœmeterio Callisti, vel potius erat pars ipsius. » Indicatur etiam in litteris Paschalis Primi perinde vocari *Prætextati*, ac *Sixti*, et *ad sanctam Cæciliam* eam partem cryptarum subter ecclesiam Sancti Sebastiani extra muros via Appia, quæ asservat hodieque inscriptas marmori indicationes locorum, ubi reperta sunt corpora illustrium martyrum Cæciliæ, ac sociorum. Panvinius putat inditam appellationem *Prætextati* ab ejus cognomenti presbytero. Cognomen tamen illud nobilitarunt martyres duo præ cæteris Christianis ab Aringhio memorati lib. III Romæ subterr. pag. 458 et 476. Primus pertinet ad ætatem Anacleti papæ, a quo baptizatum fuisse una cum virgine illustri Lucina sorore, regiis natalibus secum orta recenset ex Actis S. Sophiæ in vetusto codice S. Cæciliæ. Alterius Prætextati martyrium contigit in fine tertii sæculi sub Maximiano III Idus Decembris, ut in Martyrologio adnotatur. Utri eorum appellatio cœmeterii tribuenda sit, licet definiri certe non possit ; ea tamen sententia videtur potior, quæ nomen deductum reputat a priori Prætextato, Christianam fidem professo sub Anacleto papa. Cum enim legamus in Actis S. Alexandri papæ, qui solo Evaristo intermedio successor Anacleti fuit, S. Quirinum Tribunum S. Balbinæ patrem martyrium pertulisse sub Hadriano, et depositum fuisse in cœmeterio *Prætextati* via Appia, consequitur ut ad priorem illum referri quidem appellatio possit, utpote anteriorem temporibus Hadriani ; ad secundum vero, qui annis ferme 150 post Hadrianum passus est, denominatio cœmeterii sub Hadriano in depositione Quirini, et sub Severo Alexandro in depositione Urbani, de quo agimus, pertinere minime possit ; si per integrum sæculum in usu fuit ante secundum illum Prætextatum martyrio coronatum sub Maximiano.

CIACONII.

Linea 5. — *Valerianum nobilissimum virum, sponsum sanctæ Cæciliæ.* Sanctissimus pontifex Urbanus multos, sanctitate vitæ, et doctrina singulari, ad fidem traduxit. Inter hos, Valerianum, virum præstantissimum, beatæ Cæciliæ sponsum, et Tiburtium ejusdem Valeriani fratrem, et Maximum præfectum cubiculo imperatorio : qui postea martyrium constanti animo, ejusdem hortatu pertulerunt ; quam conditionem etiam virgo ipsa subiit, in domo paterna, jam antea, suo rogatu, ab Urbano Deo dicata, quæ post spiculatoris tres ictus inflictos triduo supervivens, quæ Dei sunt loquens, confirmans adstantes in Christi nominis confessione, quæ reliqua erant suæ substantiæ, distribuit per Urbanum papam in pauperes. His sic dispositis, ac Deum precata, vigesima secunda Novembris, martyrium consummavit. Eam idem Urbanus papa in cœmeterio Callisti sepelivit, ubi Valerianus, Tiburtius, et Maximus ab ipso primi sepulti fuerant, locusque dictus in cœmeterio positus ad S. Cæciliam : qui hodie signatus exstat.

XIX. SANCTUS ANTERUS

ANNO CHRISTI 237, MAXIMINI IMP. 1.

19 Anteros [a] natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos duodecim, mense uno, diebus duodecim [b]. Martyrio coronatur. Fuit autem *temporibus Maximini et Africani consulum* [c]. *Hic gesta martyrum diligenter a notariis exquisivit, et in Ecclesia recondidit, propter quod a Maximo præfecto martyrio coronatus est.* Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, *episcopum unum* [d]. *Qui sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia,* III *Non. Januarii ; et cessavit episcopatus dies tredecim.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Anteros mense uno, diebus decem : dormit III nonas Januarii, Maximino et Africano consulibus.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B. Anterum docet post ponendum Pontiano.* [b] *B,* vix uno mense. [c] *B,* Severi et Quinctiani, ac Maxim. Aug. et Africani. [d] *CB,* in civitate Fundis Campaniæ.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 19, *lin. præponit Pontianum Antero, lin.* 2, *A,* diebus 15. *lin. ead. AB,* Maximiani. *lin* 3 *et* 4, *A* et propter quemdam Maximinum presbyterum martyrio coronatum in ecclesia recondidit. *B,* propter quemdam Maximianum presbyterum, qui martyrio coronatus est. *lin.* 5, *B,* hic fecit unum episcopum in civitate fundis Campaniæ per mensem Decembrem.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, S. Anterus. *Anterus postponitur Pontiano.*

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, *Pontianus anteponitur Antero, lin. ead.* Anterus. *lin.* 4, recondidit propter quemdam Maximum presbyterum, qui mart. c.

Apud Holstenium et Schelestratium, ubi præponitur Pontianus.

Lin. 1, annos 12, *ita in mss. Vat. et Reg. Vat. deest* annos 12. *Deest quoque in Florent. secundo*

fuit autem. *lin* 4, *Cass. Florent. secund, Vat. et Regius.* Propter quemdam Maximinum presbyterum, qui martyrio coronatus est, *lin* 5, *post verb* unum, *addunt omnes mss. codd.* in civitate Fundis Campaniæ.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 2, dies XII, *lin.* 3, et Africani consulibus. *lin.* 4, propter quemdam Maximinum presbyterum qui martyrio coronatus est.

NOTÆ VARIORUM.

BINII ET LABBEI.

Linea 3. — *Hic gesta martyrum.* Quæ acta martyrum jussu Clementis per notarios fideliter conscripta fuerant, ea Anterus pontifex diligenter conquisivit, et ne vel interirent, vel ab ethnicis corrumperentur, in ecclesia recondidit

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Anno 235, Severo et Quinctianc coss., cum defunctus esset in Bucina insula prope Sardiniam die 30 Octobris beatus Pontianus, perlato in Urbem ejusdem obitus nuntio, cleri Romani suffragiis electus est successor Anterus. Eusebius lib. VI, c. 29: « Mortuo Pontiano, qui sex annis episcopatum tenuerat, Ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit Anteros. Hic intra unius mensis spatium sacerdotio perfunctus Fabianum successorem reliquit. » Anterum sedisse mense uno, diebus decem, tradit catalogus Liberianus. Bergomensis, et Colbertinus septimus mense uno, diebus 17. Reliqui ex Italicis antiquiores in Prolegomenis mense uno, diebus 12, quemadmodum et catalogus Felicis Quarti. Sed idem catalogus Felicianus præmittit annos XI: tres Italici annos XII. Additamentum istud annorum, quod in vetustiore catalogo non invenitur, et unde profectum sit paulo infra ostendetur, expungendum esse manifeste cognoscitur ex consulibus indicatis. Neque enim alii consules memorantur in epocha Anteri, quam ii sub quibus decessit. *Anteros* (inquit scriptor catalogi sub Liberio) *mense uno, diebus decem. Dormit* III *Nonas Januarii Maximino et Africano coss.*, nempe Christi anno 236, die 3 Januarii. In veteri tabula marmorea tituli S. Silvestri in capite incisum legitur: *Mense Januario die natalis S. Anteri papæ.* Ex illa igitur die 3 Januarii anni 237, recedendo in anteriora per mensem unum, et dies decem, illi tributos a catalogo Liberiano omnium vetustissimo, incidit ordinationis die in Dominicam 22 Novembris anni 235: quam Papebrochius cum admittat, non video cur inde colligat, hanc epocham pugnare cum morte decessoris Pontiani; si hæc referatur ad diem 30 Octobris ejusdem anni 235, Severo et Quinctiano coss. Satis enim temporis superest ad perferendum ex Sardinia nuntium mortis Pontiani, et ad successorem Romæ eligendum, ex die 30 octobris ad diem 22 Novembris, ad quam referimus Anteri ordinationem testimonio documentorum, a catalogo Liberiano non discrepantium per integram hebdomadam, sed exigua paucorum dierum differentia, vel ex amanuensium errore in numero describendo, vel in revocando Anteri exordium ad diem electionis, quod catalogus petere videtur a die ordinationis. Additamentum annorum XI, aliquot in codicibus præmissum contra aperta testimonia Eusebii, ac veterum documentorum, et potiorum codicum, nullo consulatuum indicio id suggerente, refundendum judico in amanuensium supinitatem, sive in imbecillitatem oculorum in describendis numeris e picturis Basilicarum. Quæ solæ supersunt litteræ in basilica S. Pauli satis ostendere non possunt evidentiam suspecti erroris. Hæc enim elementa nominis tantummodo supersunt quæ litteris quadratis seu majusculis, ut vocant exhibeo

ant ERVS
S ED
A N
N I
m. 1.
et 10.

Cætera minusculis characteribus hic expressa vetustas delevit. Significasse videntur Anterum sedisse anni mense unico, et diebus decem. Sed descriptor posteriorem syllabam N I minus clare ex pavimento fortasse visam vertit in numerum XI. Idem plane error potuit suboriri ex codicis vetustioris litteris obsoletis seu male disjunctis, puta si scriptum fuisset SED. ANNI. M. I. D. X. quam periochen in dictione A N N I sive hiantem sive detritam in secunda littera N non secus ac V I I numeri duodenarii signum XII vetustate labefactatum arbitrati sint ii qui descripserunt XII. Sed undecunque provenerit erroris causa, addictionem annorum resecari oportere ab iis codicibus posterioribus Eusebio, et antiquissimo catalogo ætatis Liberianæ unicum mensem assignantibus coarguit ipse contextus sectionis Bibliothecarii: in quo cum affirmetur, unicam ordinationem ab Antero celebratam, eamque unius tantummodo episcopi mense Decembri, nemo præsumet illum sedisse VI annis vel XII, sed intelligit solo mense Decembri anni 235, pontificem fuisse, quo unicum illum episcopum ordinavit.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 3. — *Hic gesta martyrum a Notariis exquisivit, et in ecclesia recondidit.* Gesta martyrum ab Antero studiose conquisita et collecta fuisse ita explo ratum est, ut a nonnullis idcirco habitus fuerit auctor prioris partis vetustioris catalogi, quemadmodum observat Schelestratius in Prolegomenis quod tamen ita judicat accipiendum, ut beatus pontifex paraverit materiam uberem non modo catalogi decessorum pluribus documentis comprobandi, sed etiam historiæ attexendæ dum gesta colligit, et in scriniis Ecclesiæ recondit tum superiorum Romanæ sedis antistitum, tum cæterorum martyrum, a notariis per Clementem institutis, et consequenti sæculo per eosdem suos decessores subinde allectis per singulas ætates mandata litteris. Videtur proinde referenda ad Anterum imago illa inter vetustas cœmeterii Callisti (in quo depositus ille fuit) spectanda apud Aringhium Romæ subterraneæ tomo I, pag. 439, in qua pontifex sedens inter adstantes ministros duos (diaconum puto et subdiaconum, sive duos diaconos, ut hodiernus etiam mos viget a prima Ecclesiæ ætate derivatus) de genu ipsum alloquentibus aliis viris, et pluteum voluminibus refertum offerentibus: ut plane videantur notarii per eos indicari, quibus manu inter alloquendum exerta innuere et gnificare intelligitur, ubi sint reponenda volumina pro pedibus suis in pluteo deposita. Iconem exhibendam curavi, et sociandam cum alia vetusta imagine e sacris cœmeteriis extracta in vitreo orbiculo vasis fragmento, cum cæteris Christianis edito per sæpe laudatum can. Boldet. tum in observat. ad cœmet. SS. Martyrum pag. 201, n. 17, in quo Callisti nomen et icon in Apostolici morisamictu pontificem eumdem videtur reddere, a quo sacri hujus cœmeterii denominatio sumpta est, Anteri, et plurimorum sanctæ Romanæ sedis pontificum depositione venerabilis.

Linea 4. — *Propter quod a Maximo præfecto martyrio coronatus est.* Sulpicius Severus satis jejune adnotavit (ut Pagius in notis hic afferendis observat) persecutionem Maximini, quæ interjecta est inter quintam sub Severo, et septimam immanem sub Decio, dum annis octo et triginta utramque dirimentibus pacem Ecclesiæ turbatam quidem scribit a Maximino, sed in nonnullis tantum Ecclesiis, in quibus clericos vexavit. Eamdem Maximini persecutionem expressius adumbravit Eusebius, in sacros quidem ministros præ cæteris sævientem, sed non ita brevi Ecclesiarum numero vel temporis spatio contentam, licet non fuerit universalis: ut proinde

sextæ persecutionis nomen apud ecclesiasticæ Historiæ consultos merito obtineat, per annos tres, ut pluribus ex Origenis testimoniis confirmat Eusebius, ita scribens lib. VI, cap. 28 : « Interea cæso Alexandro imperatore qui tredecim annis regnaverat, in ejus locum succedit Maximinus. Qui gravi odio succensus adversus familiam Alexandri, in qua plerique erant Christiani, persecutione excitata, solos Ecclesiarum antistites utpote evangelicæ prædicationis auctores, interfici jussit. Quo tempore Origenes librum de martyrio composuit, quem Ambrosio, et protocteto Cæsariensis Ecclesiæ presbytero dedicavit : eo quod uterque in ea persecutione non mediocre discrimen subierat. » Satis intelligit unusquisque, non levem fuisse persecutionem a Maximino excitatam, quæ ipso imperatore in Italia et in Germania agente non Romanam modo Ecclesiam, et occidentales huic proximas, sed etiam orientales in Palæstina vexavit. Sanguinaria vero indoles hominis efferati quantum cædibus indulgeret, satis expressit in ejus Vita Capitolinus, ita de illo scribens : « Tam crudelis fuit, ut illum alii Cyclopem, alii Busiridem, alii Scirronem, nonnulli Phalarim, multi Typhonem, vel Gygem vocarent, etc. Erat enim ei persuasum, nisi crudelitate imperium non teneri. » Mirum itaque non est, si principis ingenio obsequens Maximus præfectus Urbi, intra mensem episcopatus secundum, qui erat quartus imperii Maximini, Anterum pontificem necaverit.

Linea 5. — *Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembris, episcopum unum.* In notis chronologicis jam observavi, hinc etiam confirmari, spatium brevissimum pontificatus Anteri, per solum scilicet mensem Decembris extensum fuisse, quo unicum episcopum consecravit. Si enim per annos undecim sedisset, quos menstruo illius regimini perperam adjecit error amanuensium in aliquot exemplaribus catalogorum, et libri hujus pontificali ; complures profecto episcopos ordinare debuisset, ut repararet tot sedium episcopalium viduitatem, ac solitudinem, a Maximino inductam. Ecclesiarum antistites suæ persecutionis scopum præcipuum designante, ubi audivimus ab Eusebio. Decessor illius proximus Pontianus intra quinquennium episcopos 6, successor Fabianus intra annos 14 episcopos XI consecravit ; Cornelius utrum consequens intra biennium legitur ordinasse episcopos septem. Ordinationes duas intra quinquennium Pontianus habuit creatis presbyteris sex, Fabianus quinque intra annos 14 dedit presbyteros 22. Cornelius intra biennium bina ordinatione presbyteros quatuor. Solusne Anterus per annos undecim semel habita ordinatione nullum omniuo presbyterum aut diaconum suffecisset tot illis sacerdotibus ac Levitis, quos directa in clerum persecutio auferebat ? Itane fuerit de Actis martyrum colligendis sollicitus, de reparando autem numero ministrorum negligens ? Quis non videat providentiam Antero non defuisse, cui diligentia sacrorum martyrium intulit ? Sed tempus brevissimum quadraginta circiter dierum, ut Eusebio, et vetustissimis catalogis comprobatur, plurium ordinationum exercendarum neque spatium obtulit, neque necessitatem.

Linea 6. — *Sepultus est in Cæmeterio Callisti via Appia.* Inde vero extractum fuisse sacrum ejus corpus una cum pluribus in ea parte cœmeterii reconditis, quam ruinæ proximam animadvertit S. Paulus papa ejus nominis primus, colligitur ex ejusdem Vita, ubi hæc leguntur : *Unde cernens plurima eorumdem sanctorum cœmeteriorum loca neglecta ac desidia antiquitatis maxima demolitione, atque jam vicina ruinæ posita, protinus eadem sanctorum corpora de ipsis dirutis abstulit cœmeteriis. Quæ cum hymnis et canticis spiritalibus in hanc civitatem Romanam introducens, alia eorum per titulos, ac diaconias seu monasteria, et reliquas Ecclesias condecenti studuit recondi honore.* Narrat ibidem Bibliothecarius, in monasterio SS. Stephani martyris atque pontificis, et Silvestri item pontificis, et confessoris, ejusque in ecclesia (quæ hodie titulus dicitur S. Silvestri in Capite) per Stephanum ejus nominis III fratrem Pauli I a fundamentis domi suæ inchoata, a Paulo vero perfecta, complura corpora et reliquias sanctorum a cœmeteriis indicatis extractas eumdem Paulum pontificem condidisse : quarum præcipuas legimus tum in vetusto marmore et Eortologio eorumdem sanctorum nomina ac natalitia continente, tum in tabulario memorati monasterii et Ecclesiæ, subsecutas recognitiones ac repositiones earumdem reliquiarum indicante publicis Actibus ea de re signatis in reparatione altarium, anno præsertim 1267, die 30 Octobris, et anno 1601, die 13 Maii, quæ suo loco afferentur in Vita Pauli Primi ad præfatum numerum.

Marmoreæ vero tabulæ, indicantis nomina et natalitia sanctorum, quorum corporum partes præcipuæ, sive ossa pleraque ibidem sunt recondita, caput occupat B. Anterus, quippe cujus natalis dies in 3 Januarii cadens præcedit in Kalendarii dispositione dies natalitios cæterorum. Ita vero consignatur.

In nomine Domini. Hæc est notitia natalitiorum Sanctorum hic requiescentium.

Mense Januario

Die III Natalis S. Anteri Papæ, etc.

Non dubito quin S. Paulus in repartitione sacrorum pignorum per Urbis titulos, diaconias, et monasteria, partes unius corporis diviserit in plures ecclesias, exemplo Silvestri ita partientis reliquias SS. apostolorum Petri et Pauli in plures basilicas. Unde factum est ut eorumdem sanctorum magna sui parte hic quiescentium (testimonio vetustæ illius tabulæ) partes reliquas enumerent aliæ ædes sacræ in suis antiquis documentis. Quin etiam colligo, in veterem titulum S. Sixti ad Piscinam, utpote præ cæteris proximum portæ Appiæ ac cœmeteriis Sixti, Zephyrini, et adjacentibus ruinam minantibus, comportata primum fuisse eadem corpora, quæ deponere postea decrevit potiori saltem ex parte in monasterio ac titulo SS. Stephani papæ et martyris ac Silvestri papæ a se constructo, statim ac absolvit illud ecclesiæ ædificium ; cum utrobique memorentur in vetustis marmoribus reliquiæ insignes eorumdem sanctorum. In lapide antiquo tituli S. Sixti ad Piscinam edito per Martinellum pag. 306 Romæ sacræ, et per Carolum abb. Piazza in Hierarch. cardinalitia pag 454 recensentur e pontificibus martyribus Zephyrinus, Anterus. et Licius, ex aliis vero martyribus Calocerus et Parthenius : qui etiam enumerantur in marmore indicato tituli S. Silvestri in capite Divisas etiam fateri oportet ab hisce titulis partes reliquiarum tum sanctorum aliquot ibi conditorum, tum nominatim B. Anteri de quo sermo est, in nonnullos alios titulos et ecclesias Urbis. Siquidem Anteri papæ sacrorum pignorum partem obtinet tituli S. Praxedis, ut ex vetustis catalogis apud sacellum S. Zenonis marmore incisis abunde constat.

CIACONII.

Linea 1. — *Natione Græcus.* Sanctus Anterus, natione Græcus, patria Petilianus, ex Petilia urbe quondam Magnæ Græciæ, nunc Calabriæ dictæ juxta Bellicastrum civitatem sita.

XX. SANCTUS PONTIANUS.

ANNO CHRISTI 233, ALEXANDRI IMP. 10.

20 *Pontianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio*, sedit annos quinque, menses duos, dies duos. *Martyrio coronatur. Fuit* autem *temporibus Alexandri, a consulatu Pompeiani et Feliciani* [a]. *Eodem tempore Pontianus episcopus et Hippolytus* [b] *presbyter exilio sunt ab Alexandro in Sardiniam in insulam Bucinam, Severo et Quintiano consulibus. In eadem insula* defunctus est *tertio Kalendas Novemb.*[c] et in ejus locum ordinatus est Anterus [d] II Kalend. Decembris. *Hic fecit ordinationes duas per mensem Dccembrem :* presbyteros sex, *diaconos quinque, episcopos per diversa loca numero sex. Quem beatus Favianus*[e] *adduxit* cum clero per navim, *et sepelivit in cœmeterio Calixti, via Appia,* et cessavit episcopatus a dispositione ejus dies decem [f].

CATALOGUS SUB LIBERIO

Pontianus annos quinque, menses duos, dies septem. Fuit temporibus Alexandri a consulatu Pompeiani et Peligniani. Eo tempore Pontianus episcopus et Hippolytus presbyter exsules sunt deportati in insulam nocivam Sardiniam, Severo et Quintino consulibus : in eadem insula discinctus est IV Kal. Octobris, et loco ejus ordinatus est Anteros XI Kal. Decembris consulibus suprascriptis.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, usque ad Severum et Quinctianum coss. [b] *CB*, Philipus. [c] *C*, XIII Kal. Decembr. *B*, 19 Nov. [d] *Hinc liquet Anterum esse successorem Pontiani.* [c] *C*, Fabianus. [f] *CB*, 13.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 20, *lin.* 3, *AB*, peliniani, *lin.* 5, afflictus, fustibus maceratus, defunctus est III Kal. Novembr. et in ejus loco ordinatus.

Ex codice Regio, Mazarinc et Thuano.

Lin. 1, Calphurnio *R. (Maz.*, Calburino) sedit ann. 9, m. 5, d. 2 ; fuit autem temporibus A. a. c. Pomp, et Pelagii eod. *lin.* 4, in Sardin. insulam Bucianam, et in eadem insula d. est Kal. No. Severo et Quint. cons. in ejus vero locum ord. est Anteros II Kal. Dec. quem beatus Fabianus adduxit in navim cum clero, et sep. in cim. via Appia. Hic fecit ordinationes duas per m. D. pr. 9, diac 5, E. p. d. l. 6. et cess. Ep. a martyrio ejus dies 10.

A *Ex codice Thuano altero.*

Lin. 1, — Calphurnio, sedit ann. 9, m. 5. *lin.* 5, consulibus, defunctus est IV K. N. et in e. o. e. Anteros II Kal. *lin.* 8, numero 6, qui etiam sepultus est in cimiterio C.

Apud Hosltenium et Schelestratium.

In editis habetur hic Anterus, sed codices Reg. Vat. minor. et Flor. duo post Urbanum habent Pontianum. lin. 5, *codices mss. legunt* Bucianam, *lin. ead. post* defunctus est.. *Addunt Flor. duo. Vatic. et Reg.*, Afflictus, fustibus maceratus, martyr. *lin* 8, *Flor.* Fabianus.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 3. consulatu Pompeiani et Peliani.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Ab hoc Pontiani pontificatu antiquio rem catalogum alio auctore conscriptum esse putabat Henschenius, eo quod plura acta adjungantur quod tamen in Anthero ejus successore pontifice locum non habet, cum ibi nulla penitus acta addantur.

Videri possunt ad elucidationem historiæ S. Pontiani ea quæ Schelestratius adnotavit in Antiquit. Eccles. dissert. II, cap. 5. art. 3, necnon de ordine ac temporibus ejusdem et SS. Antheri et Fabiani.

BINII ET LABBEI.

Linea 1. — *Pontianus.* Post interregnum 30 dierum octavo Kal. Julii, anno Christi 233, Alexandri imperatoris 10, Pontianus Urbano subrogatur.

Linea 3. — *Eodem tempore Pontianus,* etc. *in exsilium ab Alexandro.* Quod non tam religionis causa, quam alia potius calumnia a gentilibus circumventum, Pontianum Alexander relegaverit, ipsius erga Christianos affectus, et familia Christianis hominibus referta indicat. Euseb. lib, VI, Hist. cap, 21, ob quod facinus, Deo vindice, a militibus Alexandrum imperatorem occisum esse, non vana conjectura dici poterit. Baron. ann. 237. num. 1.

B Ex (LAB.) linea 5. — *In eadem insula defunctus est,* maceratus fustibus.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGIÆ.

Pontianum recte præmittit Antero codex Anastasianus alter bibliothecæ S. Marci Florentiæ a me spectatus ; quem ita præmittendum docet contextus ipse dictorum a bibliothecario in hoc numero Pontiani versu 6, ubi post mortem Pontiani III Kal. Novembris ordinatum affirmat in ejus locum Anterum II Kal. Decembris.

Urbanum excepit Pontianus, ut in picturis S. Pauli demonstrant elementa prima ejus nominis PON nondum consumpta vetustate Idem ostendit catalogus Liberianus, tum ex continuata serie pontificum, tum ex consulibusanni 231 illius exordio tributis, nempe *Pompeiano*, et *Feliciano*, licet nomen secundi perverterit amanuensis imperitia in *Pelignanum*. In textu Anastasi correcte legitur uterque consul, sub quo primum sui pontificatus Pascha celebravit. Cum enim anno 234, Severo et Quinctiano coss., martyrium fecerit III Kal. Novembris, juxta Anastasium in Sardinia insula, quo fuerat deportatus, et per annos V

menses II, et dies totidem sedisse tradatur concordi testimonio codicum et catalogorum ex præcipuis Italiæ supra videndis inter Prolegomena, consequitur ut ejus ordinatio peracta sit anno 230, Agricola et Clementino coss., die 29 Augusti, quæ apte incidit in Dominicam, ut ostendit littera Dominicalis C, eidem anno assignanda ex cyclo solis. Urbanus papa martyr decesserat eodem anno die 23 Maii, ut supra vidimus in ejus sectione. Trimestre igitur spatium vacationis sedis ab Urbani martyrio interserendum est ad ordinationem Pontiani. Bibliothecarius enumerat tantum dies 30, fortasse ad electionem. Sed ab electione ad ordinationem duos menses interpositos fuisse vix crediderim opinandum, nisi forte absens electus sit. De spatio vacationis sedis plura non suppetunt testimonia. De successione, ac duratione sedis Pontiani satis perspicua, et certa protulimus, eidem tribuentes annos V, menses II, ac dies totidem, inclusis extremis, ex die Dominica ordinationis suæ 29 Augusti anno 230 ad diem 30 octobris anno 235, Severo et Quinctiano coss.

Papebrochius opinatur, in catalogo vetustiori significari abdicationem Pontiani exsulis per illa verba : *In eadem insula* (Sardinia) *discinctus est* IV *Kalendas Octobris, et loco ejus ordinatus Antheros*, Neque illi placet emendatio catalogo adhibenda ex textu Bibliothecarii, qui nitide legit : *In eadem insula defunctus est tertio Kalendas Novembris, et in ejus locum ordinatus est Antherus* II *Kalendas Decembris*, præeunte in verba etiam secundo catalogo Felicis IV ex bibliotheca reginæ Sueciæ ad ms exemplar Colbertinum exacto apud Schelestratium : *In eadem insula, afflictus, fustibus maceratus, defunctus est* III *Kal. Novembris* : nihil admodum memorantibus Bibliothecario et catalogis de Pontiano *discincto*, aut *abdicante*. Præstat igitur errorem amanuensis recognoscere in illis verbis *discinctus est* IV *Kal. Octobris*, quæ reddenda fuerant fidelius, ut in catalogo Felicis IV et in textu Anastasii, *defunctus est* III *Kalendas Novembris*. De ordinatione Anteri agemus numero sequenti.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *In Sardiniam in insulam Bucinam.* Bucina, seu Buccina exigua insula adjacet Sardiniæ ad oram orientalem contra oppidum *Terra nuova*, olim *Phanasiam* urbem, teste Baudrando, appellatam. Ipsa dicitur indigenis *Isola del Tavolato*, in longum extensa quinque circiter milliariis, et via duobus in latum : quam quidam (ait idem Baudrandus in Lexico geographico) Hermæam a Ptolemæo dici volunt : ubi memorat laudatus scriptor relegatione ac morte S. Pontiani papæ et martyris, illustrem redditam. In eodem parallelo jacet cum insulis Pontiis : quas pariter celebres effecerunt exsilia Domitillæ virginis et martyris sub Domitiano, ut constat ex hist. Eusebii lib. III, cap. 14, necnon Silverii papæ sub Justiniano ex Liberato diacono, qui Palmarium (unam ex Pontiis) illius deportationis insulam nominat.

Linea 8 et 9. — *Quem beatus Gavianus adduxit cum clero per navem, et sepelivit in cæmeterio Callixti.* Hinc fortasse escriptor Anastasii occasionem arripuit pervertendi ordinem inter Pontianum et Anterum. Cum enim legeret a Faviano curatum corpus Pontiani decessoris, et aliunde falso assumpsisset per annos undecim sedisse Anterum ex vitiosa Chronologia quam sequebatur ; opinandum potius duxit Fabianum successisse Antero, quam hunc neglexisse per annos XI reliquias Pontiani ex insula Buccina transvehendas curare, et inter sanctorum pontificum exuvias deponere in cœmeterio Romano. Sed brevissimus Anteri pontificatus ad bimestre spatium non pertingens, quemadmodum sequenti numero manifestum fiet, copiam præbere non potuit asportandi ex insula Sardiniæ adhærente ad Urbem reliquias nuper defuncti sui decessoris, hyberna præsertim tempestate, et odio Maximini sæviente contra Christianos præsules. Vide notas ad seqnentem numerum.

CIACONII.

Linea 2. — *Martyrio coronatur.* Ob perpetuam nempe fidei tuendæ constantiam, odium ingens gentilium sacerdotum contraxit ; quare, falsis delationibus, apud Alexandrum imperatorem, accusatus, cum Philippo presbytero Urbe ejectus, in insulam Sardiniam, Bucinariam cognomento, relegatus est ; ibique martyrii palmam adeptus.

Ciaconius Pontiano Anterum postponit

PAGII.

S. Pontianus, natione Romanus, ex patre Calpurnio, die vigesima secunda mensis Junii anni ducentesimi trigesimi Romanus pontifex dictus est, sed aliqua potius, ut creditur, calumnia circumventus, quam Christianæ religionis causa, ab Alexandro imperatore, una cum Hippolyto presbytero in insulam Sardiniam relegatus, die XXVIII Septembris anni 235 pontificatum abdicavit, postquam sedisset annos quinque, menses tres et dies septem. Tum, Maximi imperatoris mandato, fustibus verberatus martyrium consummavit die decima nona mensis Novembris ejusdem anni, cujus corpus postea a Fabiano papa Romam translatum est, et in cœmeterio Callisti sepultum. Duas mense Decembri ordinationes habuit, presbyterorum sex, diaconorum quinque, episcoporum per diversa loca sex. Pontiano decretales duæ ascribuntur, quæ cum ex Gregorii Magni et Sixti præsertim laciniis consutæ sint, viris doctis suppositiliæ reputantur.

Severo imperatore mortuo, Christianis pax reddita est, ut habet Sulpitius Severus, qui ubi de ejus morte locutus est, ait : « Interjectis deinde annis VIII et XXX, pax Christianis fuit, nisi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum clericos vexavit. » ab anno autem 211, Severi emortuali, ad annum 249, quo Decius septimam persecutionem instauravit, anni 38 interjiciuntur. Ideo autem Sulpitius tam jejune de persecutione a Maximino imperatore excitata, loquitur, quia ea non fuit universalis, sed tantum localis ; Firmilianus enim Cæsareæ in Cappadocia episcopus in epistola ad Cyprianum, loquens de Maximini persecutione, et de fidelibus hucatque illuc fugientibus, ait : « Erat transeundi facultas, eo quod persecutio illa non per totum mundum, sed localis fuisset. » In ea persecutione Pontianus Romanus pontifex martyrium subiit, ut jam dictum est. Legendus Eusebius lib. VI. cap. 28, ubi scribit, Maximinum hanc persecutionem excitasse, gravi odio succensum adversus familiam Alexandri imperatoris, in qua plerique erant Christiani, et postea subdit : *Quo tempore Origenes librum* de martyrio *composuit*, quem *Ambrosio et Prototecto Cæsariensis Ecclesiæ, presbytero dedicavit.* Liber ille Origenis de exhortatione ad martyrium a paucis annis Basileæ prodiit.

XXI. SANCTUS FABIANUS.

ANNO CHRISTI 238, MAXIMINI IMP. 2.

21 *Favianus, natione Romanus, ex patre Favio* [a] *sedit annos quatuordecim, menses decem, dies undecim* [b]. *Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Maximini et Africani usque ad Decium* [c] *secundum et Quadratum* [d], *et passus est* IV *Kalend. Februarias. Hic regiones divisit diaconibus, et fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent, ut gesta martyrum* in integro *colligerent ;* et multas fabricas per cœmeteria fieri præcepit. [e] *Et post passionem ejus, Moyses et Maximus presbyteri, et Nicostratus diaconus comprehensi sunt* et in *carcerem missi sunt* [f]. Eodem tempore supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam confessores, postquam *Moyses* presbyter *in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses* XI, sicut et multi fuerunt [g]. *Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris : presbyteros viginti duos,* diaconos septem, episcopos per diversa loca numero undecim. *Qui* etiam *sepultus est in cœmeterio Calixti. via Appia,* XIV *Kalend. Februarii. Et cessavit episcopatus dies septem* [h].

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Fabianus annos quatuordecim, mensem unum, dies decem. Fuit temporibus Maximini, et Gordiani, et Philippi, a consulatu Maximini et Africani, usque Decio II et Grato. Passus XIII Kalend. Februarias. Hic regiones divisit diaconibus, et multas fabricas per cœmeteria fieri jussit, post passionem ejus Moyses et Maximus presbyteri, et Nicostratus diaconus comprehensi sunt, et in carcerem sunt missi : eo tempore supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est qui fuit ibi menses undecim, dies undecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] Fabio *CB.* [b] *B*, an. 15, d. 4. [c] *B*, Gordiani, Philippi et Decii a coss. Maxim. Aug. et Africa ad Decium et Hetruscum. [d] *C.* XIV Kal [e] *Vide Baron. an. eodem* 253, *p.* 421. [f] *Vide Bar. an.* 254. [g] *C*, et sic multi Christiani fugerunt. [h] *C* sex. *B* an. et plus.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 21, *lin* 1. Fabianus ex patre Fabio. *A*, an. 13. *lin.* 1 *et* 2, *A* m. 1, d. 10, *B*, m. 11, d. 11. *lin.* 2, AB Maximi. *lin.* 3 *et* 4, *B*, 13 Kalend Febr. *lin.* 4, *B*, et fecit diac. 7. *lin.* 5, *B*, fideliter colligerent. *lin.* 10, *B*, multi Manichæi fugerunt per diversa loca.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1. Fabianus n. R. ex patre Fabio s. a. 14. m. 11, d. 11. Fuit autem t. Maximi. *lin.* 3, Quadratum. Hic regiones d. diaconis, et f. 7 diaconos. *lin.* 5, in integro c. (*Maz.*, in integrum) ; hic m. f. *lin.* 6, præcepit. Post passionem vero ejus *lin.* 7, et in c. missi. eod. *lin.* 8, separavit. *Maz.*, separ *lin.* 9, postq. M. in carc. d. *lin.* 10, sicut et multi alii f. *lin.* 11, presbyt. 12. *Maz.*, 22. *lin* 12, loca 11, qui etiam martyrio coronatus est, et sep. in cim. *lin.* 13, d. 6.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, Fabio. *lin.* 1, 2, m. 11. *lin.* 2, Maximi. *lin.* 3. A Kalend. Jam. *lin.* 5, in integrum c. *lin.* 9, Moyses in carc. d. c. *lin.* 10, m. 11, sic et multi Christiani fugerunt. *lin.* 13. XIII Kal. *lin. ead.*, d. 6.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lucas Holst. : Vita hæc habetur integra apud Mombritium. *lin.* 1, *Mombr.*, annos 13, sine mensib. et dieb. *lin.* 2, *omnes codd. mss.*, Maximi, *lin.* 3, *Flor., Cass. et Vat.*, XIII Kal. *lin.* 5, in integro, *Reg., Vat. et Flor.* 2, *add.* et fideliter. *lin.* 6, et Maximus, *Momb. add.* et Proximus *lin.* 10, *Florent.*, et sic multi Christiani fugerunt per diversa loca. *Ita quoque Florent.* 2, *et Vat. ac Reg. lin. ult., Vat.* XIII Kal.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, menses XI, d. XI. *lin.* 2, Maximi Africani. *lin.* 8, sed eodem tempore supervenit Novatus ex Africa, et separavit de Ecclesia Novatianum, et quosdam confessores.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 1. — Consulendus, ut ante diximus, Schelestr. toto capite V et VI, dissertationis secundæ antiquit. Ecclesiæ.

ALTASERRÆ.

Linea 4. — *Hic regiones divisit diaconibus.* Jam a Clemente urbs Roma, quæ divisa erat in quatuordecim regiones, redacta erat in septem, et singulis regionibus impositi notarii qui erant ex ordine lectorum, qui martyrum gesta exciperent : tum a Fabiano diaconi divisi per septem regiones Urbis, ut martyribus in custodia alimoniam ministrarent, et eos docerent de his quæ pertinebant ad fidem. Hoc enim erat munus diaconorum martyres in carcere visitare, eis alimenta erogare, et eos instruere. Cy-

prian. (*epist.* 11). « Et credideram quidem presbyteros et diaconos, qui illic præsentes sunt, monere nos et instruere plenissime circa Evangelii legem, sicut in præteritum semper sub antecessoribus nostris factum est, ut diaconi ad carcerem commeantes desideria consiliis suis et Scripturarum præceptis gubernarent. » Augustin. in Brevicul. Collat. « Et recitatum est a Donatis Concilium ferme septuaginta episcoporum contra Cæcilianum apud Carthaginem factum, ubi eum absentem damnaverunt, quod ad eos venire noluerit tanquam a traditoribus ordinatus, et quia, cum esset diaconus, victum afferre martyribus in custodia constitutis prohibuisse dicebatur. »

Et fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent. Ut gesta martyrum in integro colligerent, Clemens instituit singulos notarios per septem regiones Urbis, qui martyrum gesta exciperent. Fabianus, ne notarii sine teste essent, eis apposuit totidem subdiaconos qui eis imminerent, id est eos observarent, quo gesta martyrum in integro, id est integra fide colligerentur. Hinc dicti subdiaconi regionarii. Anastas. in Vigilio : « Imminere est aliquem observare. » Gregor, lib. VIII, epist. 29 : « Ut fratri et coepiscopo nostro Decio studeat imminere. » Q. Curt. lib VI : « Sic ego imperio quod dedignor, immineo. » Ambros. de Offic. lib, II, cap. 27 : « Agens in rebus imminebat. »

BENCINI.

Linea 4. — *Septem subdiaconos.* Urgente Domitiani persecutione sicuti Clemens septem instituit diaconos, ut quatuordecim præessent urbis regionibus, singulis binas assignans, utque martyrum præcipue in carceribus inclusorum curam specialiorem susciperent : ita Fabianus septima Deciana, et quidem sævissima orta persecutione, septem subdiaconos instituit, qui essent proprii Ecclesiæ Romanæ. Cornelius Fabiani apud Euseb. lib. VI, c. 43, successor factæ institutionis, et perseverantis usus testis est in epist. ad Fabium, quando clerum Romanum recenset, et ejusdem Ecclesiæ ministros. « In qua tamen sciebat .... presbyteros quidem esse quatuor et quadraginta, septem autem diaconos, totidemque subdiaconos : acolythos duos et quadraginta ; exorcistas, et lectores cum ostiariis quinquaginta duos. » Hi tamen solum clerum proprie dictum Romanum conflasse videntur, cum exstiterint aliis iisdem ordinibus initiatis : Ecclesia enim Carthaginensis ex presbyteris et diaconis conflata, extra corpus illud presbyteros habebat alios, qui deinde ob merita cooptabantur in numerum presbyterorum Ecclesiæ Carthaginensis, ut supra vidimus actum cum Numidico ; constat similiter ex eodem Cypriano, quod Celerinus itidem martyrum presbyter ob gloriosam confessionem repetitam intra eumdem Carthaginensium presbyterorum ordinem fuit cooptatus.

Linea 4. — *Qui septem notariis imminerent, et gesta martyrum in integro colligerent.* Scopus pontificis in delectu subdiaconorum indicatur, nempe electos fuisse ad hoc munus specialiter obeundum, ut notariis a S, Clemente institutis, martyrum acta excipientibus incumberent, et singula gesta *in integro* seu fidelissime colligerent Erat necessaria cautio, dum ex his actis, nedum gloriosi tituli confessoribus (quod providæ erat episcoporum curæ), verum et coronatis martyribus condignæ laudes in Ecclesia decernebantur. Specialis autem tunc perurgebat necessitas invigilandi in sciendis veris confessoribus. discriminandisque ab reliquis : siquidem cum ob martyrii, aut confessionis vera merita facultas concederetur subscribendi libellis pœnitentium ad relaxandas pœnas (ad quam tamen facultatem obtinendam requirebatur vera, causa confessionis probatæ, patientiæ, et fortitudinis) plures confingebant merita ad prærogativam sibi vindi-*candam subscriptionum* libellorum : de quo sæpissime conqueritur S. Cyprianus, qui suo exemplo cum a martyribus peteret preces pro lapsis mulieribus, designat veros confessores, ep. 21, qui in actuali supplicio existentes, veniam largirentur, ut supra dictum est ex S. Cypriano. De consuetudine antiqua adnotandi confessiones, supplicia, et reliqua martyrum exercitia, quæ notarii colligebant, et de sub diaconorum præeminentia, seu assistentia inducta, ne fraus interveniret, præter Cypriani laudatis in locis adnotationes exstat celebris locus Eusebii, qui commendat epistolam Ecclesiis directam de martyrio S. Pionii et conscriptam ex diligentia facta per exceptores ab Ecclesia constitutos. In ea breviter recolit Eusebius quæ plerumque a notariis notabantur. Sic enim scribit l. IV, c. 15, pag. 135 : « Cujus singulas confessiones, ac libertatem in dicendo atque coram populis, ac præsidibus pro fidei nostræ defensione probaverit ; conciones item de institutione fidei, præterea cohortationes, atque invitationes, ad eos qui persecutionis tempore lapsi fuerant : allocutiones etiam, et consolationes, quas in carcere positus adeuntibus ipsum fratribus adhibuit, quæ super his tormenta quantosque dolores sustinuerit : clavorum insuper confixiones, et mirabilem in medio rogo constantiam : mortem denique ipsam, quæ cuncta illa miracula subsecuta est, si qui volent cognoscere, eos ad epistolam de illius martyrio uberrime conscriptam emendamus, quam nos in opere de priscis martyribus, quorum passiones collegimus, ordine suo inseruimus. « Horum diligentia effectum est ut acta martyrum, quæ recensuit Eusebius, et quorum plura Lactantius inseruit in suo de persecutorum mortibus aureo opusculo, usque ad nostra tempora asservarentur, sicut et indiculi depositionum, translationum, Martyrologiorum, aliaque similia. Id ab initio effectum probat Tertulliani laus, quam tribuit Ecclesiis, et quod istiusmodi suos census referant. Ab hac porro Fabiana institutione deducitur verior origo ministrorum, qui ex officio notariis gesta ecclesiastica excipientibus imminerent, quique veluti custodes notariis dati, scrutarentur actorum identitatem, ne fraus etiam in conscribendis interveniret. In conciliis etiam, et disputationibus frequentissimus notariorum usus : unde in celebri catholicorum, et donatistarum collatione Carthagine habita, inter primas sollicitudines ista recensentur, part. I, n. 10 : « Si autem qui excipiendi funguntur officio..... quaterni de singulis partibus ecclesiastici, alterni debebant adstare notarii : quorum fides, ne qua vacillet ambago, quaterni episcopi partium singularum delecti suorum judicio prænotantur, ut eosdem exceptores, et notarios pervigili ac sollicita observatione custodiant. » Cum autem *ecclesiastici* vocentur notarii, quorum proprium id erat munus ; inde etiam a Clemente institutos notarios fuisse ordine aliquo initiatos dicere oportet, et ut reor, ex ordine lectorum assumebantur ; cum Agatho supra laudatus in suo epilogo asserat sibi in gradu lectoris constituto datam provinciam sextæ synodi acta excipiendi.

BINII ET LABBEI.

Linea 2. — *Martyrio coronatur.* Initio omnium atrocissimæ persecutionis illius quam Decius imperator ira et invidia incitatus induxit.

Linea 4. — *Hic regiones divisit diaconibus.* Ideoque ex officio *diaconi regionarii* appellati sunt, qui in concilio Romano II sub Sylvestro cap. 6 diaconi cardinales etiam nominati requiruntur.

Linea 6. — *Moyses et Maximus presbyteri.* Romanæ Ecclesiæ presbyteros et confessores, eosque ultra annum in carcere detentos misere afflictos fuisse, litteræ Cypriani ad hosce confessores, et confessorum ad Cyprianum, testantur *Vide epistolas Cypriani* 16, 23, 26, 31.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Eodem consulatu quo Anteri mors signata est die

3 Januarii 236, nempe Maximi et Africani, notatur etiam Fabiani exordium tam in catalogis Liberii, et Felicis Quarti, quam in codicibus Anastasii: et sedisse dicitur Fabianus annis XIV, mense 1, diebus X in Liberiano et Colbertinis quatuor (1, 3, 5, 6) annis vero XIII, mense I, diebus X in Bergomensi, in Colbertino Quarto, et in picturis Leonianis basilicæ S. Pauli. Catalogi Cavensis, Farfensis, et Lucensis, necnon Colbertinus secundus, ac septimus, enumerant annos XIV, menses XI, dies XI. Lucensis dies contrahit ad VII.

Consulum nomina a Maximino et Africano (Christi 236) ad Decium II, et Gratum (Christi 250) quæ in catalogis et codicibus recensitis metiuntur pontificatum Fabiani, etiamsi videantur annos quatuordecim requirere, non plures tamen exigunt quam XIII, a Picturis Leonianis indicatos; si ordinatio Fabiani ad episcopatum Romanum statuatur die Dominica 11 Decembris anno 236, Maximino et Africano consulibus; cum martyrium compleverit die 20 Januarii anno 250, Decio II et Grato coss. Hæc enim extrema continent annos solidos XIII, mensem I et dies X, in picturis S. Pauli recte signatos.

Depositionem autem Fabiani peractam fuisse eadem die 20 Januarii, qua ipse martyrium compleverat, universa documenta vetustiora Romanæ Ecclesiæ testantur. Opusculum tertium ætatis Liberii papæ, editum a Bucherio, unde recusum per nos fuit in Prolegomenis sub initium, *Depositiones martyrum* exhibens juxta seriem mensium, exordium capit *mense Januario* ab ipsa depositione Fabiani, decimotertio *Kal. Februarii Fabiani* in Calisti, et Sebastiani in Catacumbis. Catalogus Liberii exactus ad ms. exemplar Cæsareum in edit. Schelestratii habet: *A consulatu Maximi et Africani usque Decio II et Grato. Passus die XIII Kal. Februar.*, licet codex Bucherii, detrita fortasse postrema unitate, redderet XII *Kal. Febr.* Martyrologia vetustiora a Baronio recensita, et illud quod Florentinius vocat *Hieronymi*, eadem die referunt. Antiqua Sacramentaria, Passionales libri, et Missales perinde consentiunt Quare Em. Norisius merito scribit in dissert. III de epochis Syromacedonum circa finem: « Decius anno Christi 249 imperium invasit, ut ex ejusdem rescripto monstravi (leg. II, lib. IV, Cod. tit. 16 de hæredit. actione, XIV Kal. Nov. Æmiliano, et Aquilino coss.). Anno proximo 250 erat Romæ, ubi S. Fabianum papam die 20 Januarii martyrio affecit, ipsomet Decio II et Grato coss., ut in vetustis monumentis ecclesiasticis legitur; ubi etiam Celerinum pro Christi fide in carcerem conjecit, de quo S. Cyprianus epistol. 34 ad clerum Carthaginensem. »

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1. — *Fabianus, natione Romanus, ex patre Fabio.* Fabiæ gentis stemmati ex natalibus ascribendum Fabianum, et in aliam familiam illustrem adoptione receptum, præter nomen derivativum Fabianus *a patre Fabiano*, declarant etiam litteræ cleri Romani ad Cyprianum datæ post ejus obitum, in quibus dicitur « nobilissimæ memoriæ vir. Post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum episcopatum propter temporum difficultates constitutum fuisse. » Colligitur quoque generis ejus nobilitas ex rata cleri sententia: qui certis de causis opportunum judicaverat tum temporis eligere pontificem e numero virorum nobilium et illustrium, ut Eusebius expresse memorat lib. VI, cap. 29 fortasse, ut reverentia generis minus expositum redderet antistitem ausibus administrorum Maximini præsides Ecclesiarum præ cæteris insectantis. Licet autem de Fabiano in pontificem assumendo nemo cogitaret (ut Eusebius tradit) qui ex agro cum suis domesticis in Urbem revertebatur nihil de episcopatu meditatus; et indicio columbæ supra ejus caput e sublimi delapsæ conversis repente in eumdem suffragiis sacerdotali cathedræ imponeretur; ea tamen non excludunt nobilitatem generis Fabiani; quam in ea electione proficuam Ecclesiæ futuram communis fratrum sententia constituerat, et cœlestis assensus hoc facto comprobaverit; dum virum nobilem nihil tale cogitantem disposuit cum domestico suo comitatu in Urbem regredi, et columbæ advolantis indicio designari pontificem optimum, et post annos XII fortissimum martyrem. Sanctis imi hujus auspicii cœleste signum summa alacritate et consensu tum temporis perceptum, ut Eusebius memorat, posteris quoque ita placuit, ut eodem symbolo columbæ in cathedram involantis Romanæ sedis antistites hodieque utantur. In veteri quoque marmore reperto intra cœmeterium SS. Petri et Marcellini via Lavicana, ita expressam reperit Bosius cathedram pontificalem, velis hinc inde instructam, et insidentis columbæ figura nimbo ornata, eamque exhibuit Aringhius Romæ subterr. lib. IV, cap. 14, et lib. VI, cap. 48, Fabiani factum in illa recolens. Eumdem consulas et Baronium ad annum 238.

Linea 4. — *Hic regiones divisit diaconibus, et fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent, ut gesta martyrum in integro colligerent.* Acta martyrum, quæ Anterus studiose conquisiverat, eoque nomine iisdem martyribus associari meruerat, acriori cura institit Fabianus, ut Ecclesiæ comparentur. Igitur Clementis primi exempla sectatus ab assignatione XIV regionum Urbis cœpit. Suæ integritati restitutas Urbis regiones post deformationem duplicis incendii Neroniani et Vitelliani, diviserat Clemens septem notariis; quæ divisio sub Antoninis custodita nova partitione non indiguit. Verum post aliud incendium sub Commodo, *quo templum Pacis et plurima ac pulcherrima Urbis ædificia conflagrarunt*, ut narrat Herodianus, conteste etiam Dione in fine libri LXXIII, reparatis iterum, regionibus, totaque Urbis ichnographia non modo curata, sed etiam publice incisa marmoribus in pavimento templi Urbis ad viam Sacram (hodie conversi in ecclesiam SS. Cosmæ et Damiani, ubi eadem Urbis ichnographia reperta fuit sæculo superiori, et a card. de Maximis edita cum notis Bellonii ad tab. IV observantis vestigium illud incisum fuisse sub impp. Severo et Caracalla) non destitit Fabianus septem notarios a Clemente institutos certis regionum finibus destinare, ut martyrum Acta scriberent singillatim. Huic negotio diligentius procurando totidem subdiaconos deputavit, qui notariis præsent: et ad earumdem regionum Christiana ministeria præstantius obeunda, inter septem quoque diaconos illarum summam divisit. Vide quæ dicta sunt in Prolegomenis sub finem, ubi de partitione Urbis 14 regiones Augusti, et earumdem de reductione ad septem ecclesiasticas fusius egi.

Linea 6. — *Et post passionem ejus,* etc. *Eodem tempore supervenit Novatus ex Africa,* etc. De his agendum infra in Cornelio.

Linea 12. — *Sepultus est in cœmeterio Callixti, via Appia.* Vide in Prolegomenis descript. cœmet. Urbis. In hoc sacro cœmeterio, depositione Fabiani, totque ejus decessorum ac successorum consortio illustri, ejusdem pontificis et martyris memoriam magnificenter excoluit S. M. Clemens XI amplo sacello a fundamentis exstructo, et pretiosis marmoribus, metallis, picturis decorato, ac excell. familiæ Albanæ conditorio in hypogæo sacelli excavato, pro eximia pientissimi fratris Horatii veneratione in sanctos martyres, et loca ab iis consecrata (qua scilicet cæteras virtutes suas ad beatissimi Germani exemplum proxime accedentes iste cumulaverat; quare et ibidem, ut optaverat, recondi meruit) et novis metallorum additamentis ornatum complevit utriusque pietatis hæres emin. ac reverend. princeps Annibal card. Albanus S. R. E. camerarius. Epigra-

phen oblationis suæ Clemens XI hanc incidi voluit.

IN HONOREM S. FABIANI
PAPÆ ET MART.
CVIVS SACRVM CAPVT
CVM ALIIS RELIQVIIS
IN ALTARI ASSERVATVR
CLEMENS XI.
PONT. MAX.
SACELLVM EXTRVXIT
ANNO SALVT. MDCCXII.
PONT. XII.

Hac in Epigraphe cum narretur sacrum caput B. Fabiani cum aliis reliquiis asservari in altari, nuper constructo, quas idem pontifex in demolitione veteris ibidem repertas a capite non disjunxit, videtur locus exigere, ut de translatione agamus sacri corporis beati Fabiani, quæ illustrabit etiam historiam reliquiarum aliorum pontificum, in eodem cœmeterio Callisti, ejusque partibus aut adhærentibus cryptis Sixti et Prætextati olim quiescentium, et gravibus de causis subinde tranlatorum, ac divisorum inter complures Urbis titulos, et diaconias, concessa quandoque aut restituta parte sanctorum pignorum ejusdem cœmeteriis, ut contigit capiti S. Fabiani. Imminente igitur metu ejus cladis a Saracenis, et sacrilegæ direptionis ac deprædationis sacrarum ædium constitutarum extra Urbis ambitum, quam eādem passæ sunt duæ ex præcipuis basilicis S. Petri in Vaticano, et S. Pauli via Ostiensi sub Sergio II, ut infra legemus in textu Anastasii num. 495, in Vita Leonis IV hujus ejusdem Sergii proximi successoris (cujus providentia amplificato pomœrio ei intra Urbis ambitum inclusa basilica Vaticana, originem dedit ac nomen civitati Leoninæ, et securitati sacrorum pignorum imposterum prospexit) idem Sergius II, Bibliothecario enarrante in ejus Vita num. 494, complura corpora SS. pontificum et martyrum, aliorumque cum iis coronatorum transtulit ex pluribus cœmeteriis in titulum Equitii, seu SS. Silvestri et Martini, cui presbyter ipse præfuerat: « Ad honorem omnipotentis Dei, ejusdemque beatissimi Silvestri præsulis corpus cum beatissimis Fabiano, atque Stephano, et Sotere martyribus, ac pontificibus, simulque Asterio martyre cum sacratissima filia ejus, sanctoque Cyriaco, et Mauro, Largo, et Smaragdo, atque Anastasio et Innocentio pontificibus, una cum sancto Quirino ac Leone episcopis, etc., sub sacro altari dedicans collocavit. » Hæc ipsa sanctorum nomina eorumque reliquias recenset antiqua tubula marmorea in descensu ad hypogæum ejusdem tituli collocata ante complura sæcula, uti characterum barbaries prodit, quam hic nitidioribus litteris reddam.

✠ TEMPORIBVS DOMNI SERGII IVNIORIS PP. RECONDITA SVNT IN HOC SAC. ALTARE BEATI SILVESTRI PRAESVLIS CORPVS ET BEATI MARTINI ET BEATISSIMO FABIANO ATQVE STEPHANO ET SOTERE MARTIRIBVS HAC PONTIFICIBVS INSIMVLQVE ASTERIO CVM SANCTISSIMA FILIA EIVS SCTOQVE CIRIACO PAPIA ET MAVRO LARGO ET SMARAGDO TRASONE SISINNIO ATQVE ANASTASIO ET INNOCENTIO PONTIFICIBVS: VNA CVM SCTO QVIRINO AC LEONE EPISCOPIS etc.

Constat horum sanctorum, qui hic recensentur, corpora diversis in cœmeteriis fuisse deposita; cum Silvester in Priscillæ; Fabianus, Stephanus, Soter in Callisti; Anastasius, et Innocentius ad Ursum Pileatum fuerint conditi, Bibliothecario in eorumdem Vita, et martyrologiis ipsorum in natali ita asserentibus. In memorato lapide S. Martini in montibus Cœmeterium Priscillæ nominatim exprimitur, a quo scilicet extractum fuerat corpus B. Silvestri, unde nomen accrescebat titulo Equitii, ejus in pontificatu constructo. Colligitur itaque his ex documentis Vitarum Anastasii, et lapidum in titulis constitutorum, a Symmacho papa, qui sacram ædem titulo Equitii ita proximam, ut in unam ecclesiam et titulum coalesceret, excitavit, et Deo dicatam voluit sub invocatione SS. Silvestri et Martini (Anast. num. 80) et a successoribus Hadriano, et Sergio II, qui eumdem titulum restaurarunt, translata fuisse aliquot sanctorum corpora, et reliquias, aliorum vero corporum jam translatorum e cœmeteriis a Paulo Primo in titulum SS. Silvestri et Dionysii, et Stephani, aliisque a pontificibus in alios titulos partes desumptas a Sergio II, et in suum olim titulum Equitii traductas, necnon partes illorum corporum, quæ in Equitii titulo condebantur, nempe S. Silvestri, S. Fabiani, SS. Cyriaci, Largi, et Smaragdi, etc., quasi compensationis jure vicissim donatas tum titulo SS. Silvestri Dionysii ac Stephani, tum cæteris suarum partem reliquiarum his contradentibus. Hinc vero effectum est ut antiquæ memoriæ marmoribus consignatæ reperiantur etiam in basilica Vaticana, et in titulo S. Sixti ad piscinam publicam, quibus insculpta sunt nomina eorumdem pontificum et martyrum, aut confessorum quorum lipsana inter easdem basilicas ac titulos dividebantur. Lapis vetustus in S. Sixti editus a Martinello suæ Romæ sacræ fol. 306 memorat SS. Sixtum papam, Felicem papam, Zephyrinum papam, Anterum papam, Lucium papam, et Soterem papam. Lapis in Vaticana basilica repertus apud altare proximum sepulcro Otthonis II imperatoris editus a Turrigio in cryptis Vaticanis (ubi nunc etiam conspicitur) fol. 18 e pontificibus memorat Lucium, Caium, Zephyrinum, Dionysium, Stephanum, et Silvestrum reliquiarum suarum partem ibidem obtinentes. Vetus epigramma S. Damasi positum in vestibulo cœmeterii Prætextati et a Baronio editum tomo XII, in Appendice, et ab Aringhio Romæ subterr. tomo II, pag. 478, ostendit, ibi depositum fuisse Sixtum Pp. II et socios martyrii sui, cum aliis pontificibus, quos inter Fabianus eminet, de quo sermo est præcipuus in præsenti numero et idcirco memoratur in alia epigraphe Sergii II apud Baronium ad annum Christi 847 iis verbis:

Nectitur ecce piis Fabiano et compare Xysto,
Martyribus, quorum spiritus astra tenet.

Comprobant igitur hæc documenta, in cœmeteriis usque ad quartum Christi sæculum versibus Damasi distinctos fuisse loculos, et cryptas istorum martyrum custodes. Quando autem Paulus I et Sergius II eadem exempla secuti beati Silvestri dividentis inter plures basilicas sacra ossa Petri et Pauli apostolorum, et recentiora Bonifacii IV transferentis in Pantheon a supertitionibus expurgatum, et Christiano ritu Deo dicatum, corpora plurima sanctorum e cryptis martyrum, transtulerunt et ipsi alia sanctorum corpora gravibus de causis in titulos, et ecclesias Urbis; ne scilicet ruina opprimerentur ii qui cryptas frequentabant eorumdem martyrum sacra pignora veneraturi: aut ne paterent injuriis Saracenorum, sacrilegis rapinis infestantium suburbanas basilicas; tum quoque curatum est ut marmoreis inscriptionibus commendarentur posteritati documenta hujusmodi translationum, ac divisionum: incisis nominibus prope altaria, aut pictis opere musivo, sive etiam coloribus, eorumdem sanctorum imaginibus et appellationibus, aut natalitiis etiam diebus additis, ut iisdem statis diebus annua illorum memoria ibidem recoleretur. Hac igitur providentia pontificum factum est, ut in locis illustratis depositione, translatione, aut gesto aliquo eorumdem sanctorum pars aliqua ex lipsanis relinqueretur, aut reponeretur. Nec secus contigit B. Fabiano: cujus corporis in Urbem translati per Sergium II in titulum Equitii pars aliqua cum capite reservata fuit aut reportata in Cœmeterium Callisti, ipsi olim commune cum Xysto Antero, Stephano aliisque; pars etiam concessa titulo SS. Silvestri, Stephani et Dionysii; pars denique data titulo S. Praxedis, quemadmodum testatur vetus tabula marmorea intra sacellum S. Zenonis, musiva opere convestitum a S. Paschali papa ejus nominis primo; cujus Vitæ

in notis opportunior erit locus ejusdem tabellæ referendæ. Illius meminerunt Baronius in Annalibus ad ann. 8, Severanus de septem Urbis ecclesiis pag. 682, Octavius. Pancirolius de ecclesiis in regione Montium cap. 41, aliique de sacris Ædificiis Romæ scribentes.

A

CIACONII.

Linea 1. — *Favianus, natione Romanus.* Creatus die 17 Januarii ; cum enim omnes fratres, causa deligendi pontificis, in ecclesiam convenissent, et multi de multis illustribus et præclaris viris ad illud munus obeundum idoneis cogitarent, de repente columba e sublimi volans, capiti Fabiani insedit ; quo cœlesti indicio clerus commotus, magna cum alacritate, et uno animarum consensu, dignus pontificatu is acclamatus, et absque mora arreptus, in sede pontificia collocatus est : attestante Eusebio lib. IX, Hist. cap. 22.

PAGII.

Linea 4. — *Qui septem notariis.* Cum olim sanctus Clemens septem notarios instituisset, ut celeriter exciperent verborum notis gesta dictaque martyrum, jam Fabianus, inquit Baronius, considerans hanc scribendi rationem esse valde obscuram, ideo septem notariis totidem præfecit subdiaconos, qui curarent litteris integre perscribi, quod notis compendiose exceptum antea erat ; dicente Anastasio ad hoc Fabianum fecisse *septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent, ut gesta martyrum in integro colligerent.* Per multa sæcula perseveravit, ut septem tantum in Ecclesia Romana diaconi ministrarent, quibus Fabianus illud muneris addidit, ut quatuordecim Urbis regionibus præessent, singulis binas assignans, ut pauperum in eis degentium curam gererent ; unde est nomen ex munere inditum, ut iidem *diaconi regionarii* dicerentur. Fabianus Christianam religionem propagare, propagatamque ædificiis illustrare studuit, unde idem Anastasius ait eum multa ædificia in cœmeteriis fieri jussisse : quippe in cryptis arenariis subter terram latebant sepulcra sanctorum martyrum, in quibus synaxes a fidelibus habebantur, quæ deinceps a fidelibus, orandi causa, frequentatæ sunt. Privatum hæreticum, a concilio Africano 90 episcoporum condemnatum, ecclesiastica communione privavit. Tandem imperator Decius, Dei sacerdotibus infensus, sanctum Fabianum morte affecit die vigesima Januarii anni 250, postquam sedisset annos quatuordecim, dies decem ; et quinque ordinationes fecisset presbyterorum 22 et diaconorum 8, ac insuper episcopos 11 per diversa loca creasset ; sepultus in cœmeterio Callisti via Appia.

B

C

Eusebius in Historia lib. VI, cap. 34, et in Chronico scribit, Philippum imperatorem cum Philippo filio Christianum fuisse ; et acta sancti Pontii martyris docent, Fabianum papam ambos illos imperatores baptizasse, quibus fidem adhibuit Baronius et post eum plures celebres scriptores, inter quos Petrus Daniel Huetius episcopus Abricatensis lib. I Origenianorum cap. 3, qui Eusebio et auctori actorum sancti Pontii, addunt Paulum Orosium lib. VII, cap. 13. Vincentium Lirinensem lib. adversus Hæreses cap. 23, et ante eos divum Hieronymum lib. de Script. ecclesiast. cum de Origene loquitur. Sed verior videtur opinio Annotatoris Baronii contrarium sentientis. Constat enim ex Lactantio, Eusebio coævo, et Crispi Constantini M. filii præceptore, in proœmio lib. I de Instit. cap. 1, Constantinum, primum ex imperatoribus Christo nomen dedisse : « Hoc opus, inquit, nunc nominis tui auspicio inchoamus, Constantine imperator maxime, qui primus, Romanorum principum repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri et cognovisti et honorasti. » Idem scribit anonymus auctor Vitæ sancti Pachomii abbatis, qui sæculo quarto etiam vixit, in ea quippe capite primo ait : « Cum finem accepisset persecutio, regnavit Constantinus M. imperatorum Romanorum primus Christianus, » etc. Eadem fere verba habent Ambrosius in funere Theodosii Magni, et Sulpicius Severus, qui anno quadringentesimo duos sacræ Historiæ libros publicavit ; sicuti et Theodoretus lib. V, cap. 39, ubi utriusque Philippi conversionem his verbis explodit : « Ante Constantini maximi principatum quotquot Romani imperatores fuerunt adversus pietatis cultores furere non destiterunt. » Præterea ethnicorum auctorum de nova ab iis imperatoribus suscepta religione silentium, et multorum insuper, tum Christianorum præter jam laudatos, tum ethnicorum consensus, a quibus primus inter imperatores Christum professos celebratur Constantinus, jure merito convincunt, ambos Philippos a Christianis partibus fuisse alienos. Certe si fidem professi fuissent, verisimile non est tacituros id fuisse ethnicos scriptores.

D

Ad hæc respondet Huetius initiatum Christi sacris a Fabiano papa fuisse Philippum, sed occulte, idque clam ethnicos habuisse, ne quid inde res suæ detrimenti caperent, quas pristinæ religionis ejuratæ fama forsitan conturbasset. Sed hæc responsio directe adversatur Eusebio, qui in Historia scribit Philippum publice in Ecclesiam a Babyla episcopo Antiocheno admissum, precationum participem fuisse factum, postquam crimina confessus in pœnitentium ordinem redactus est. Nec est quod dicat Huetius Eusebium id a Babyla factum ex incerta auditione retulisse, cum dicat, *fama est* ; si enim id fama ferebat, ex eo oppositum ejus sententiæ convincitur, Philippum scilicet non fuisse *occulte* Christianum, sed conversionem ejus omnibus innotuisse. Deinde non conveniunt Baronius et Huetius quo tempore Philippus Christi doctrinam amplexus sit. Baronius id contigisse dicit, cum sæculares Ludos exhibuit, anno scilicet 247, Huetius vero sub ipsa imperii initia, ideoque anno 244, quo Antiochiæ erat. Ad neutrum dici potest ; non quidem primum ; constat enim, ut mox ostendetur, Philippum more Ethnicorum imperatorum Ludos sæculares celebrasse : nec etiam secundum, cum ipsemet Huetius ex hoc fateri cogeretur, eum postea iterum ad vomitum rediisse, ascendendo Capitolium et victimas immolando, quod utrumque fecit anno 247 in sæcularibus Ludis. Ex quibus sequitur Philippum, nec imperii sui initio, nec antequam Ludos sæculares exhiberet, Christo nomen dedisse.

Baronium et Huetium ad Eusebii opinionem tuendam pertraxisse videntur acta sancti Pontii martyris, a Stephano Baluzio postea ex tribus codicibus Mss. bibliothecæ Colbertinæ lib. II Miscellaneorum publicata. Sed annotator Baronii ea longe post S. Pontii martyrium scripta fuisse, et scriptori coætaneo afficta probat ; unde Baronius ipse fatetur plura in iis actis contenta desiderari apud Mombritium, seque putare ea ab aliquo fuisse addita. At ea non solum esse fabulosa, sed etiam esse auctoris actorum, non vero alicujus interpolatoris, demonstrant editiones Baluzii et Bollandi, qui ad diem 14 Maii ea etiam publicavit, ad fidem mss. concinnatæ. Ex iis itaque actis nihil hanc in rem erui potest. Quod attinet ad Eusebium, vel ejus Historia ab aliquo est interpolata, sicut ejus Chronicon ab Hieronymo, vel certe falsis rumoribus deceptus est. In Chronico enim supponit in celebratione Ludorum sæcularium Philippi plura gentilitatem redolentia peracta esse, quod manifeste repugnat narrationi libri sexti ejus Historiæ. Quoad Vincentium Lirinensem, Cassiodorum et alios, qui Philippum Christianum fuisse persuasum habuere, illi in errorem tracti sunt a Paulo Orosio ; qui et ipse deceptus est, ut statim ostendo.

Ejus verba loco laudato hæc sunt : « Ludis magnificis augustissimus omnium præteritorum hic natalis (nempe urbis Romæ) annus a Christiano imperatore celebratus est. Nec dubium est quin Philippus hujus

tantæ devotionis gratiam et honorem ad Christum, et ad Ecclesiam reportarit : quando vel ascensum fuisse ab eo capitolium, immolatasque ex more hostias, nullus auctor ostendit ; » hæc enim erant indicia gentilitiæ superstitionis. Quare cum crederet Orosius, ea spectacula Christianis prohibita a Philippo omissa in suis Ludis sæcularibus, eum Christianum fuisse sibi et aliis persuasit. Verum hallucinatur Orosius ; nam Victor de Cæsaribus cap. 28 diserte docet in Ludis sæcularibus Philippi immolatas fuisse victimas : « Cum pontificum lege, inquit, hostiæ mactarentur, suis utero maris, feminarum genitalia apparuere. Id aruspices solutionem posterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati, quod frustratum iri æstimans imperator Philippus, tum quia forte præteriens filii similem pro merito ephebum conspexerat, usum virilis scorti removendum honestissime curavit. » Ex quibus apparet in Ludis sæcularibus Philippi, *suem* impurissimum animal mactatum fuisse, exemplo Severi imperatoris, qui in suis sæcularibus Ludis *porcam* immolarat, ut ejus nummis constat. Similia scribit Eusebius in Chronico, ubi habet : « Regnantibus Philippis millesimus annus Romanæ urbis expletus est, ob quam solemnitatem innumerabiles bestiæ in circo magno interfectæ, Ludique in campo Martio theatrales, tribus diebus ac noctibus, populo pervigilante celebrati. » Quibus ex verbis etiam deducitur Philippum in capitolium ascendisse ; quia, ut tradit Zosimus lib II, conscenso Capitolio, et consuetis ibidem immolatis hostiis, ad constructum inde theatrum progressus fiebat, et Appollini ac Dianæ Ludi dedicati edebantur, ut ostendit Blondellus in libro contra primatum Ecclesiæ. Tandem omnia spectacula, quæ Christianis interdicta erant, in Ludis a Philippo editis repræsentata fuisse, indicat etiam Capitolinus in Gordiano Juniori cap. 33 : « Fuerunt sub Gordiano, inquit, Romæ elephanti triginta et duo, quorum ipse duodecim miserat, Alexander decem : alces decem : tigres decem, etc., quæ omnia Philippus Ludis sæcularibus vel dedit, vel occidit. »

Non ex scriptoribus tantum, tum Christianis, tum ethnicis, sed et ex ipsis numismatibus habemus, Philippum in Ludorum sæcularium celebratione nihil immutasse, sed quæcumque in præcedentibus gesta fuerant, servasse. Angelonius, pag. 308, ejus nummum exhibet, in cujus postica scriptum est, SÆCULUM NOVUM, et repræsentatur templum quatuor columnarum cum ara, circa quam quinque figuræ sacrificantes. Spanhemius, fol. 853, alium producit, in quo etiam habetur, SÆCULUM NOVUM, et exhibentur septem figuræ sacrificantes. Tandem Mediobardus in numismatis impp. recitat inscriptionem nummi Philippi senioris, quæ sic habet P. M. TR. P. IIII. coss. P. P. id est, Pontifex maximus, Tribunitiæ potestatis IV, Consul, Pater patriæ, in eoque visitur figura sacrificans ad aram : Tribunitiam autem potestatem IV jam mense Martio anni 247, quo Ludi sæculares exhibiti, jam gerebat Philippus senior. Plura alia supersunt numismata, in quibus gentilitiæ superstitionis ab utroque Philippo professæ certa vestigia exstant, quæ hic brevitatis gratia omitto, cum ex his et auctoribus laudatis, clare appareat eos imperatores gentiles fuisse, et consequenter tam Orosium, quam alios contrarium scribentes, deceptos esse.

Neque contra nostram opinionem facit, quod prodit idem Eusebius lib. VI, cap. 36, ubi de libris ab Origene compositis mentionem facit : *Extat,* inquit, *ejus epistola ad imperatorem i sum Philippum, et altera ad conjugem illius Severam,* quibus ex verbis Baronius et Huetius deducunt, Eusebium facile intelligere potuisse, an vere Philippus imperator Christianus esset. Nam Eusebius non asserit sese eas epistolas legisse, etsi vere Philippus, ejusque conjux litteras illas acceperit, non inde magis sequitur eos Christianos fuisse, quam Antoninum imperatorem Evangelio credidisse, quod ad eum Justinus martyr scripserit. Denique major fides non videtur adhibenda Eusebio, Philippum imp. Christianum facienti, quam eidem lib. I, Hist. cap. 13, affirmanti *Abgarum* Edessenorum regem, auditis Christi miraculis, ad ipsum litteras dedisse, et Christum mutuas ad eum litteras scripsisse, quibus se missurum ad ipsum unum ex apostolis suis pollicitus est, missumque narrat a Thoma apostolo Thadæum unum ex LXX discipulis, qui Salvatoris promissa impleret. Neque enim minus supposititia Philippi imperatoris pœnitentia ab Eusebio narrata, quam duæ epistolæ Abgari ad Jesum et Jesu ad Abgarum, quam utramque Gelasius papa in decreto de libris apocryphis, inter libros apocryphos recenset. Nec etiam major fides Hieronymi de conversione Philippi loquentis, quam cum in lib. de Script. ecclesiast. de Seneca scribit : « Quem non ponerem in catalogo sanctorum, nisi me illæ epistolæ provocarent, quæ leguntur a plurimis, Pauli ad Senecam, et Senecæ ad Paulum. » Priores Christiani, inquit annotator Baronii, fidei nostræ promovendæ toti addicti, et summo animi candore præditi, sese sæpe nimis faciles in iis, quæ religioni favebant, præbuerunt, ut innumera exempla demonstrant.

Non me fugit responderi posse Philippum factum esse Christianum post exhibitos Ludos sæculares. Sed id repugnat Eusebio laudato in Historia supponente eum Antiochiæ ipso imperii initio pœnitentiam egisse, ubi Huetius observat postea Philippum eo sese nusquam contulisse ; et actis S. Pontii, quæ eum conversum dicunt, *cum diis suis sacrificandum pergere* vellet ad celebrationem millesimi anni Urbis ; et tandem Paulo Orosio, cujus verba mox recitavimus. Cum ergo hæc opinio nullius auctoris testimonio nitatur, aliis duobus prioribus absurdior videretur. Utrumque itaque Philippum a Fabiano papa, vel a quovis alio baptizatum, purum figmentum esse non dubito.

Decius imperator, occisis duobus Philippis, in imperio confirmatus, gravissimam persecutionem, circa finem anni ducentesimi quadragesimi noni, molitus est, in qua passus est S. Fabianus Romanus pontifex ; passa est et S. Agatha in Sicilia. Multorum fidelium III ea persecutione lapsus luxit Ecclesia, ut constat ex sancto Cypriano variis in epistolis et libro *de Lapsis,* quem post Decii interitum composuit. Hujus persecutionis meminit sanctus Dionysius Alexandrinus episcopus, in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. VI, cap. 41. Observandum tamen martyres, de quibus Dionysius in dicta epistola loquitur, passos non esse sub Decio, sed Philippo imperante, anno nempe 248, quo Alexandriæ orta persecutio ex motu populari, quales motus ea in urbe frequentes erant. Serapio itaque, Apollonia virgo, aliique, de quibus in dicta epistola, non sub Decio, sed sub Philippo morte affecti, licet in Martyrologiis eorum passio sub Philippo et Decio motam, Antiqui pro unica reputarunt. In hac Decii persecutione Origenem lapsum, contra Baronium et Valesium probant Petavius in Animadversionibus ad Epiphanium et alibi, atque Huetius lib. I Origenianorum apud Pagium in critica Baronii, ad annum 251.

« Adnotata hic ab utroque Pagio adversus eos, qui cum Eusebio admittunt baptismum utriusque Philippi, num contrariæ opinioni sint præferenda, aliorum esto judicium. Ea tantum de causa hic afferuntur, ut ostendatur, silentium Bibliothecarii de conversione eorumdem Augustorum ad Christum non sine momentis gravium rationum contigisse. Cæterum qui pro eorumdem baptismo sentiunt, apud ill. Huetium aliosque auctores a Pagio indicatos fundamenta invenient oppositæ sententiæ, et apud ill. Ciampinum tomo I vet. Moniment. cap. 17, pag. 145. »

SOMMIER.

Linea 8. — *Ex Africa.* Novimus hujus pontificis auctoritate per litteras suas exercita firmatum esse

judicium in Africa prolatum a concilio episcoporum contra hæreticum Privatum : « Privatum veterem hæreticum in Labesitana colonia ante multos fere annos ob multa et gravia delicta nonaginta episcoporum sententia condemnatum ; antecessorum etiam nostrorum. quod et vestram conscientiam non latet Fabiani et Donati litteris severissime » notatum S. Cyprian. epist. 59, edit. Oxon. Constat etiam Origenem ad eum perscripsisse, ut propriæ doctrinæ ac fidei specimen ejusdem judicio subjiceret : nec desunt scriptores qui hoc etiam memorent superaddendum, nempe hunc pontificem non satis ea declaratione contentum voluisse, ut Origenes ad urbem accederet, et Romæ apud tribunal S. sedis viva voce se purgaret de objectis criminibus. Consequitur ut id evenerit, cum secundum iter susceptum fuit ad urbem ab Origene per ætatem Plotini, scholam tunc in Urbe philosophicam regentis. « Scribit præterea Fabiano episcopo aliisque permultis Ecclesiarum præsidibus de sua recta et orthodoxa de fide Christiana sententia. » Euseb. hist. lib. VI, cap. 29. Vide Baron. ad annum 248, num. 2. Porphyrius in Vita Plotini. Valesius in notis ad Euseb. ex Chron. Alexandrin., et S. Chrysostomi auctorit. Pagii crit. in Annal. Baronii ad annum 249, num. 6, et Fleury hist. Eccles. lib. VI, num. 16.

XXIII. SANCTUS CORNELIUS.

ANNO CHRISTI 334, DECII IMP. 2.

22 *Cornelius, natione Romanus*, ex patre Castino, sedit annos tres, *menses duos, dies decem* [a] *Martyrio coronatur.* [b] Sub cujus episcopatu Novatus Novatianum extra Ecclesiam ordinavit, et in Africa Nicostratum. Hoc facto confessores qui se separaverunt a Cornelio cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi et facti sunt confessores fideles. [c] Post hoc Cornelius episcopus Centumcellis [d] pulsus est, et ibi scriptam epistolam de sua confirmatione, missam a Cypriano, quam Cyprianus in carcere scripsit, et de Celerino lectore suscepit [e] . *Hic temporibus suis rogatus a quadam matrona* Lucina, *corpora apostolorum Petri et Pauli, de Catacumbis levavit noctu. Primum quidem corpus beati Pauli* beata Lucina *posuit in prædio suo via Ostiensi* ad latus, *ubi decollatus est. Beatus* vero *Cornelius episcopus* accepit corpus beati Petri apostoli, *et posuit juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis in Montem Aureum in Vaticano Palatii Neroniani* VI Kalend. Julii. [f] *Post hoc* eodem tempore audiens Decius quod epistolam accepisset a beato Cypriano Carthaginensi episcopo, misit Centumcellis [g] , et adduxit beatum Cornelium, quem tamen jussit sibi præsentari cum præfecto Urbis in interludo [h] noctu ante templum Palladis. Cui ita dixit : Sic definisti, ut nec deos, nec præcepta principum, nec nostras minas timeas, ut contra Republicam litteras accipias et dirigas ? Cornelius episcopus respondit dicens : Ego de corona [i] Domini litteras accepi, non contra Republicam, sed magis speciale [j] consilium ad animas redimendas. Tunc Decius, iracundia plenus, jussit os beati Cornelii cum plumbatis cædi, et præcepit duci eum ante templum Martis ut adoraret ; quod si non fecisset, [k] , dicens : Capite truncetur. [l] Post hoc, id est III Nonas Martii, jam ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano archidiacono suo. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris : presbyteros quatuor, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca numero septem. *Qui etiam decollatus est* in loco supradicto, et martyr effectus *est. Cujus corpus noctu collegit beata Lucina* cum clericis, *et sepelivit in crypta, juxta cœmeterium Calixti, via Appia, in prædio suo*, VIII Kalend. Septembris [m]. Et cessavit episcopatus dies triginta quinque.

CATALOGUS LIBERIO.

Cornelius annos duos, menses tres, dies decem, a consulibus Decio IV et Decio II usque

VARIÆ LECTIONES.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, min. biennio temp. Decii, Galli, et Volusiani *a* coss. Decii III et Græti II ad Gallum et Volusian. II. [b] *Vide Bar. ann.* 254. [c] *Vide Bar. ann.* 256. [d] Centumcellas. [e] *C*, dedit Celerino lectori. [f] *Baron. loc. cit. probat sub Volusiano imp. hæc accidisse.* [g] *C*, Centumcellas. [h] *CB*, Tellude. [i] *B*, corona, *id est a fidelibus.* [j] *C*, per spirituale. [k] *C*, fecerit. [l] *Vide Bar. an.* 255 *in fin.* [m] 18 *C.*

Gallo et Volusiano. Sub episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in urbe Roma, et Nicostratum in Africa. Hoc facto, confessores qui se separaverunt a Cornelio, cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi. Post hoc Centumcellis expulsus, ibi cum gloria dormitionem accepit.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 22, *lin.* 3, Africanus Nicostratum. *lin.* 7 *et* 8, *B,* scripsit, et dedit Celerino lectori, *lin.* 10 *et* 11, *B,* Ostiensi juxta locum. *lin.* 13, *AB,* monte aureo. *lin.* 14, 15, 16, *B,* tempore ambulavit Centumcellas, eodem tempore audivit Decius. *A,* audivit Decius. *A,* ibidem, *B,* qui misit Centumcellas, et exhibuit beatum. *lin.* 17, *A,* interlude. *B,* in tellude, noctu ante templum allatus, quem ita aggreditur, dicens, Sic definisti. *lin.* 18, *A,* nec præcepta et minas principum consideres. *B,* nec præcepta majorum, nec nostras minas timeas. *lin.* 20, *B,* de corona Domini mei. *lin, ead. A,* sed spiritale consilium accepi. *B,* sed magis propter animas redimendas. *lin.* 22 *et* 23, *B,* ad templum Martis. *lin.* 23, *B,* quod si non faceret capite truncari: hoc factum est, qui cum adorare non vellet, decollatus est in loco supradicto, cujus corpus noctu. *ibid., A,* post hoc idem Cornelius passus est III Non. Martii, itaque jam ante. *lin.* 29, *A,* in arenario via Appia. *B.* XVIII Kalendas Octobris, et cessavit episcopatus dies 66.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, sed ann. 2, m. 2, d. 3. *(in cod Maz. non apponitur numerus dierum),* sub hujus episcopatu. *lin.* 4, qui seperaverant. *Maz.,* se separaverant. *lin.* 6, expulsus est. *lin.* 7, scripsit de Celetino lectore. Hic temp. *Maz.,* sc. de Celeimo. *lin.* 11, ad littus, *sicut videtur in scr. cod. quidam correxit. Maz.,* ad latus. *lin. ead,* B. vero Petri corpus accepit B. Corn. ep. et posuit juxta locum. *lin.* 13, in monte aureo in Vatic. *lin.* 14, Julii; eodem tempore audivit Decius q. e. accepisset Cornelius a B. Cypr. *lin.* 15, Cornelium, et jussit eum sibi pr. *lin.* 17, urbis intelure *(M,* in tellure), cui ita dixit: Sic def. ut nec deos consideres *(et in ora,* al. confitearis; *M,* ut nec D. confitearis; *et in ora,* al. consideres). *lin.* 18, vel minas timeas, et contra R. *lin.* 20, nec esse contra Remp. *lin.* 22, ad templum. *lin.* 23, quod si non fecisset, capite truncaretur. Post hoc jubente Decio passus est III Non. Martii, ante passionem suam. *lin.* 29, Calixti in arenario via Appia, *Maz.,* juxta cim. in arenario.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, annos 2. *lin.* 4, conf. qui separati erant a Corn. *lin.* 6, et ibi suscepit epistolam de sui confirmatione martyrii missam. *lin.* 8, dedit clerico lectori. *lin.* 10, Primum q. B. Pauli B. L. et posuit. *lin.* 11, B. Petri accepit corpus B. Corn. ep. et p. *lin.* 13, in monte aureo. *lin.* 14, III Kal. J. ib. audivit D. eo quod. *lin.* 15, missam Cent. *lin.* 17, in Tellude n. *lin.* 18, ut nec deos consideres, n. p. p. nec minas, ut c. R. *lin.* 10, Corn. ep. dixit. Ego de c. D. l. a. n. c. R. Sed spiritale consilium. Tunc jussit os ejus cum pl. *lin.* 23, quod si non faceret, dicens, capite truncari. Hoc autem factum est; qui etiam decollatus est in l. S. et m. effectus, cujus c. nocte coll. c. B. L. c. cl. et sepelivit juxta cimiterium C. v. Ap. in pr. suo. Itaque jam ante passionem suam omnem Ecclesiam tradidit Stephano arch. suo. Hic f. ord. *usque ad vocem septem. Sequitur* XVIII Kal. Sept., et cess. ep. d. 35.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Flor. duo,* annos duos, dies tres, *et sic Reg, lin.* 3-5, hoc facto reversi *desumpta verba sunt exprimo Catalogo. lin.* 6, *Flor.,* Centumcellas. *lin.* 7, 8, *Vat.,* et dedit Celerino Vectori. *lin.* 10, *Flor.* 2, beata Lucina accepit et posuit in prædio suo via Ostiensi, juxta locum ubi, etc. *ita quoque Reg. et Vat. lin.* 13, *omnes codd.,* in Monte Aureo. *lin.* 14, *Flor. et Reg.* III Kal. Julii post hoc ambulavit noctu Centumcellas, eodem tempore, *etc. Ita quoque addit Vat. lin.* 17, *Reg. et Flor.,* Palatii quem ita aggreditur dicens, sic definisti, ut nec deos consideres, nec, *lin* 20, *Vat,* sed magis propter animas redimendas. *lin.* 23, *Flor.,* diceret capite truncandum. *Addit Cass.:* Idem Cornelius passus est III Nonas Martii. Itaque ante, *etc. lin.* 29, *Reg. et Flor. duo,* XVIII Kal. Octobris, *ita quoque Vat.*

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 2, Nobatus Novatianum extra Ecclesiam ordinavit, et Africa Nicostratum. *lin.* 9, catacumbas levavit noctu; primum quidem corpus beati Pa. beata Lucina, et posuit in prædio suo via Ostiense ad latus ubi decollatus est. Beatus Cornelius episcopus accepit corpus beati Petri ap. *lin.* 17, cum præfecto Urbis in inter ludem noctu ante templum Palladis; cui ita dixit.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Quæ in Actis Cornelii traduntur de corpore B. Petri, quod ab eo positum fuit juxta locum ubi crucifixus est in monte Aureo in Vaticano III Kal. Julii, indicant. etiam translationis diem ab Ecclesia Romana celebrari. Quomodo autem factum sit, quod corpus D. Petri ab Anacleto adhuc presbytero in Vaticano reconditum, rursus a Cornelio huc translatum sit, duabus de causis contingere potuit: vel quia verum est, quod Gregorius Magnus tradit lib. IV reg. epist. 30 ad Constantinam Augustam, quod Orientales ea auferentes, dum Romani illos insequebantur, ea ad secundum Urbis milliarium in catacumbis collocarint, indeque a Cornelio translata sint: vel quia fideles in cryptis Vaticanis detecti, sub Calisto papa cum corporibus Petri et Pauli ad catacumbas confugerant; ubi et Romani pontifices a Fabiano sepeliri cœperunt. Unde rogatu Lucinæ Cornelius ea in Vaticanum transtulit, ut pluribus probat Onuphrius in historia manuscripta.

ALTASERRA.

Linea 9. — *Corpora apostolorum Petri et Pauli de Catacumbis levavit noctu.* Legendum *Catatumbis.* Hic est locus secundo ab Urbe milliario, ubi in cryptis condebantur corpora martyrum. De quo et Anastasius in Damaso: « Hic fecit basilicas duas, unam juxta Theatrum sancto Laurentio, et aliam via Ardeatina, ubi requiescit in Catacumbis. » Idem in Adriano: « Verum etiam et ecclesiam apostolorum, foris portam Appiam milliario tertio in loco qui appellatur Catacumbas, ubi corpus beati Sebastiani martyris cum aliis quiescit. » Et Gregorius lib. III, epist. 5: « Ad secundum Urbis milliarium in loco qui dicitur Catacumbas. » Ubi dixi.

Linea 17. — *In Tellude noctu ante templum Palladis.* Cornelius pontifex Centumcellis ubi exsulabat, per præfectum Urbi Decio præsentatus noctu in Tellude ante templum martyris. Male vulgo in interludo.

Linea 20. — *Ego de corona Domini litteris accepi*

Cornelius interrogatus a Decio de litteris acceptis contra rempublicam, respondit se litteras accepisse a corona Domini. Corona Domini est ordo clericorum. Auctor Constitution. apostolic. lib. II, cap. 28, de Presbyteris : Ὡς σύμβουλοί τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῆς ἐκκλησίας Στεφανος, εἰσί γαρ συνέδριον, καὶ βουλὴ τῆς ἐκκλησίας· Imitatus Paulum (*Philipp.* IV): « Fratres mei charissimi, gaudium meum, et corona mea, sic state in Domino. »

Linea 21. — *Tunc Decius, iracundia plenus, jussit os beati Cornelii cum plumbatis cædi.* Plumbatæ genus flagelli plumbeis glandibus in capite instructi, quo cædebantur martyres de quo Martyrolog. Rom. 6 Jun. et ibi Baron.

Linea 28. — *Cujus corpus noctu collegit beata Lucina cum clericis, et sepelivit in crypta.* Tempore persecutionis corpora martyrum noctu condebantur in cryptis. Hieronym. in Ezechiel. lib. XII, cap. 40: « Dum essem Romæ puer, et liberalibus studiis erudirer, solebam cum cæteris ejusdem ætatis et propositi diebus Dominicis sepulcra apostolorum et martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum. » B. Laurentium sepultum in crypta cum aliis multis martyribus refert Anastas. in Xisto II. Ferreolus et Ferrucius sepulti in crypta apud Vesontionem. Gregor. Tur. de Mirac. martyr. cap. 71: « Hic in abdito cryptæ, duo, ut passio declarat, martyres Ferreolus atque Ferrucio sunt sepulti. »

Græci quoque condebant corpora in hypogæis, id est locis subterraneis. Petron. in Satyric: « Hæc ergo cum virum extulisset, non contenta vulgari more, funus passis prosequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiæ plangere, in conditorium etiam prosecuta est defunctum, positumque in hypogæo Græco more corpus custodire, ac flere totis noctibus diebusque cœpit. » Christiani quoque fugientes martyrium latebant in cryptis Anastas. in Caio: « Hic fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitando, martyrio coronatur. »

BENCINI

Linea 6. — *Epistolam de sua confirmatione missam a Cypriano..... suscepit.* Novatianum schisma calumniis in Cornelium conflictis electionem pontificis proscindere, conabatur; ab eoque ad Ecclesiam Africanam schismatici epistolam, et legatos direxerant. Cyprianus eos non excepit, sed nomine Ecclesiæ duos delegit, quos Romam misit. Isti etiam a duobus aliis Africanis episcopis, qui electioni interfuerant, et a clero Romano de legitima Cornelii electione instructi, cum electoribus illis episcopis Africam regredientes in concilio Africanorum rei veritatem exposuerunt, probantes Cornelium legitimum Fabiani successorem, Novatianumque schismatico furore Petri cathedram usurpare. Cyprianus episcoporum nomine epistolam dedit, quæ est in nova editione 45 apud Pamelii editionem 42, ibique Cornelium recognosci et ante fuisse recognitum, uti verum pontificem ab Africanis, asserit his verbis: « Quod servis Dei, et maxime sacerdotibus justis et pacificis congruebat, frater charissime, miseramus nuper collegas nostros Caldonium, et Fortunatum, ut non tantum persuasione litterarum, sed præsentia sua, et consilio omnium vestrum eniterentur, quantum possent, et elaborarent, ut ad catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent, ut Christianæ charitatis vinculum copularent. Sed quoniam diversæ partis obstinata, et inflexibilis pertinacia, non tantum radices, et matris sinum, atque amplexum recusavit; sed etiam gliscente in pejus crudescente discordia episcopum sibi constituit, et contra sacramentum semel traditum divinæ dispositionis, et catholicæ unitatis adulterum, et contrarium caput extra Ecclesiam fecit, acceptis litteris tam suis, quam collegarum nostrorum, item adventantibus bonis viris, et nobis charissimis collegis nostris Pompio, et Stephano, a quibus hæc omnia cum tristitia communi asserta sunt firmiter, et probata, secundum quod divinæ traditionis, et ecclesiasticæ institutionis sanctitas pariter et veritas exigebat, litteras nostras ad te direximus. Sed et per provinciam nostram hæc eadem collegis singulis in notitiam proferentes, ab his quoque fratres nostros cum litteris dirigendos esse mandavimus. Quanquam mens nostra, et propositum jam tunc fratribus, et plebi istic universæ manifestum fuisset, quando litteris nuper ab utraque parte susceptis tuas litteras legimus, et episcopatus tui ordinationem singulorum auribus intimavimus, » et reliqua. Ex quo facto deducuntur perutiles ecclesiasticæ observationes. Primo eruitur quod Cornelius electus episcopus illico fuerit consecratus, antequam Novatianus pseudoepiscopatum assumeret; et quod licet schismatici direxerint contra Cornelium epistolas calumniatorias, Cyprianus, et episcopi Africæ *ex tunc* legitimam Cornelii electionem agnoverant. Secundo, concilium Romanum fuisse adunatum, ut schisma dilueretur, et ad illud celebrandum nomine Ecclesiæ Africanæ electos legatos Caldonium et Fortunatum, qui adfuere concilio. Delectus iste recensetur in sequentibus conciliis: totidem ex Africa leguntur missi in concilio Aquileiensi, et in altera Romana sub Hilaro, ex quo actio conciliaris censenda. Retractatio ipsa ostendit cœtum conciliarem illis verbis expressum: *Sed quoniam diversæ partis obstinata et inflexibilis pertinacia*, etc., quibus repræsentatur certamen, et retractatus habitus. Tertio, Novatianum post acta concilii consecratum episcopum, ut deducitur ex illis verbis : *Sed etiam gliscente in pejus crudescente discordia episcopum sibi constituit*, schismaticorum nempe factio. Ex quo et ex verbis Cypriani sequentibus colligitur persuasio Ecclesiæ abhorrens a bicipiti capite, ut in Petro observatum est. Quarto, concilii Romani exitus fuit, ut omnes confirmati in priori veritate de legitima Cornelii electione, palam anathema dixerint schismaticis. et roborati agnoverint pontificem, et de hac confirmatione subsecuta ad consilium loquitur liber Pontificalis. Confirmationem porro hanc eo esse directam, ut ex actu conciliari, et utriusque partis momentis librata ratione omnis tolleretur dubitatio, graphice describit idem Cyprianus subinferens causam factæ discussionis. « Quod autem scripta collegarum nostrorum, qui illic ordinationi tuæ affuerunt, desideravimus, non veteres mores obliti, novum aliquid quærebamus; nam *Laus erat, ut tu te episcopum factum nuntiares*, nisi esset ex adverso discrepans factio, quæ criminosis et factiosis commentis suis collegarum pariter, et fratrum plurimorum turbaret mentes. et corda confunderet. Cui rei sopiendæ necessarium duximus, ut scribentium nobis inde collegarum nostrorum firma et solida auctoritas pateretur: qui moribus, ac vitæ, et disciplinæ tuæ condigna litterarum suarum testimonia prædicantes, æmulis quoque et rerum vel novitate, vel pravitate gaudentibus omnem ambigendi et discrepandi scrupulum sustulerunt, et secundum consilium nostrum salubri ratione librata in hoc fluctu æstuantium fratrum mentes, sincere ac firmiter tuum sacerdotium probaverunt. » Dum itaque liber Pontificalis subdit Cornelium epistolam a Cypriano *suscepisse de sua confirmatione*, id expendendum juxa eumdem Cyprianum, qui hanc a libro Pontificali laudatam epistolam *de confirmatione* Cornelio direxit, et factæ discussionis conciliaris rationes aperuit, nempe ad discrepantem factionem retractu conciliari retundendam, et ut ex communi placito episcoporum *omnis ambigendi et discrepandi scrupulus tolleretur*. Verba vero illa: *Laus erat, ut tu te episcopum factum nuntiares*, juxta *veteres mores*, probant vetustam a pontificibus usurpatam consuetudinem, denuntiandi susceptum pontificatum, et quod hæc esset vetus

apostolicæ prærogativa, et denuntiationi sequerentur episcoporum assueta obsequia.

Linea 7. — *Quam Cyprianus in carcere scripsit.* Imo nec in secessu, cum post reditum a secessu epistolam dederit. Nec enim in secessu potuisset collegarum plurimos congregare, ad audiendos legatos Africanos et socios episcopos, qui et adfuerant Romæ electioni Cornelii et concilio Romano. De quo plane addi possent ex epistolis aliis post 45 exstantibus successive in nova Cypriani operum editione de argumento eodem.

Linea 7, 8. — *Et de Celerino lectore suscepit.* Celerinus erat presbyter martyrum, qui prius et lector, forsitan destinatus ad martyrum acta excipienda fuerat, quique in his negotiis gerendis graves pertulit injurias a persecutoribus, et gloriosa confessione apud omnes illustris erat, uti Cornelius in epistola ad Fabium, apud Euseb. l. VI, c. 43, p. 242: *Celerinus vir, qui cuncta tormentorum genera per Dei misericordiam fortissime sustinuit, et qui fidei suæ constantia infirmitatem corporis sui roborans, adversarium penitus debellavit,* Hic, inquam, a Novatianis circumventus schismaticis adhæsit, ejusque exemplo confessores plures titubarunt in Cornelii recognitione. Tandem schismaticorum, imprimis Novatiani, fraudibus detectis, Cornelium legitimum pontificem habuit, ac in Africa veritatis professæ propugnator strenuus stetit. Hunc cum altero Sidonio dicto, ita laudat ibi pontifex: « Hi omnes cum illum tandem cognovissent, et fraudem ejus ac versutiam, perjuria quoque atque mendacia, et abborrentem ab omni societate feritatem, et lupinam quamdam amicitiam deprehendissent, ad sanctam Ecclesiam reversi sunt: cunctasque illius præstigias, ac nequitiam, quam jampridem intra se occultans sese interim submittebat, præsentibus aliquot episcopis, ac presbyteris, et laicis compluribus evulgarunt: ingemiscentes, ac dolentes, quod a fraudulenta illa, malignaque bestia inducti aliquanto temporis spatio ab Ecclesia recessissent. » Celerini itaque e schismate regressus, et zelus pro Cornelii causa tuenda susceptus commendatur a libro Pontificali asserente, quod de his omnibus testatissimam Cornelio dederit epistolam Cyprianus, in qua hæc Celerini gesta recolit, et laudat. Ad quod referenda est altera Cypriani epistola data clero Carthaginensi, in qua Celerinum evehendum edicit ad gradum presbyteratus Ecclesiæ Carthaginensis, et conversionem non obstare denotat. epist. 32: « Nunc ad vos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem, testimonio. et miraculo ejus ipsius, qui se persecutus fuerat, illustrem, quid aliud quam super pulpitum, id est super tribunal Ecclesiæ, oportebit imponi, ut loci altioris celsitate sublimis, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus legat præcepta, et Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter sequitur? »

Linea 14. — *Audiens Decius.* Sub Gallo, et Volusiano Centumcellis in exsilio martyr obiit Cornelius. Unde quæ hic refert liber Pontificalis de martyrio subsecuto Decii tempore ita explicanda videntur, nempe a Decio primo exsilio Cornelium multatum, S. vero pontificem postea ultimum diem clausisse Gallo et Volasiano imperatoribus. Deciana enim persecutio incœpit ab edictis in clericos, episcopos præcipue, ut colligi potest his S. Cypriani verbis epist. 55, in qua suorum actorum apologiam texit, et ad rem sic de ipso: « Collegis omnibus junctus, plebi suæ in episcopatu quadriennio jam probatus, in quiete sentiens disciplinæ, in tempestate proscriptus, applicito, et adjuncto episcopatus sui nomine. toties ad Leonem petitus. » Decianam persecutionem de clero primiores exagitasse docet idem Cyprianus epist. 82, cum successo rescribit, Valerianum, senatu referente, respondisse se renovare Deciana edicta, et summam eorumdem. Ita sanctus *Antistes* narrat: « Rescripsisse Valerianum ad Senatum: ut episcopi, et presbyteri, et diacones incontinenti animadverterentur. » Id est ut illico ac probarentur constituti in illis ordinibus, juxta edicta Decio vulgata, punirentur pœna capitali. Et de subsecuta persecutionis tempestate in clericos sic ante Cyprianus successo eidem: « Ut non vobis incontinenti scriberem, illa res fecit, quod universi clerici sub icto agonis constituti parati omnes, pro animi sui devotione, ad divinam et cœlestem gloriam. » Hinc sævissima evasit, dum eisdem etiam in cœmeteriis sacra agendi oblata ademptus locus. Sic enim docent acta exilii S. Dionysii Alex., ubi legimus Æmilianum præfectum dixisse: « Video vos ingratos esse ac stupidos, qui clementiam Augustorum minime sentiatis: quamobrem non manebitis in hac urbe, sed mittemini in partes Libyæ, ad locum qui dicitur Cephro. Hunc enim locum jussu Augustorum nostrorum elegi. Nullatenus autem licebit vobis, nec quibuscunque aliis conventus agere, aut ea quæ vocantur cœmeteria adire. Quod si quis ad eum quem jussi locum minime profectus deprehendetur, aut in conventu aliquo fuerit inventus; is sibi ipse periculo arcesset. Non enim deerit congrua animadversio. » In Ecclesias pariter a Decio ad Valerianum usque exarsit persecutio (hi enim tantum numerantur, etsi alii imperatores inter ipsos medii imperaverint). Quomodo loquitur Hieronymus, in Vita S. Pauli: « Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, et Cyprianus felici cruore damnati sunt, multa apud Ægyptum, et Thebaidem Ecclesias tempestas sæva populata est. » Et in veteri Martyrologio VII Kal. Septembris legitur eo sensu, apud Holst. in notis ad Martyr. : « Quos Deciana persecutione jussit Valentinus incloacari, » et apud Optatum, lib, III, pag. 76: « Quod bellum persecutio dicitur, quæ operata est sub duabus bestiis ex illis quatuor, quas Daniel de mari ascendentes aspexit. Prima fuit Leo. Hæc erat persecutio sub Decio, et Valeriano, » *etc.* S. itaque Cornelius sub Decio exsilio multatur. sub Gallo et Volusiano martyr coronatur. Propterea S. Cyprianus apud Pacianum de S. Cornelio scribit, *quod sæpe confessus, sæpe passus.* Exsilio additam pœnam capitalem, qua martyrium subiit, certo supponit laudatus Hieronymus quem *felici cruore damnatum* asserit, adeoque præferenda est lectio nostra quorumdam opinioni, statuentium in exsilio damnatum Cornelium.

Linea 20. — *De corona Domini,* id est de episcoporum epistolis, vel in synodo congregatis vel per orbem diversis, dum cuncti legitimum pontificem per epistolas subscriptas Cornelium recognoverunt, loquitur hic liber Pontificalis. Episcopus corona vocatur a Gregorio Nazianzeno in epistola ad Nissenum num. 2 oper. pag. 87, ubi de Basilii M. morte: « Solitudinem enim istam Ecclesiæ videre, quæ tali jam spoliata gloria, talique privata est corona. » Cœtum præcipue episcoporum in synodis congregatum *coronam* indigitare probat Orosius in ea synodo; ubi sui causam proposuit tom. I Conc., p. 2007: « Exposuit coronæ vestræ breviter ut potuit. » Et in plena Ephesina synodo act. 3. Philippus apostolicæ sedis legatus sic: « Ex actorum lectione cognovimus quæ in Nestorium constituta sunt in sancto vestro concilio..... nunc petimus a corona vestra ut quæ in vestra synodo lecta sunt, rursum nobis etiam eadem legantur. » Et in cod. Theodosiano I. unica de epist.: « Cum igitur sedis apostolicæ primatum S. Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronæ, et Romanæ dignitas civitatis. » Hinc quandoque Romano pontifici tribuitur, ut in synodo Romana sub Hilaro ab episcopis (in cod. Cass. Lupi pag. 474): « Ergo provinciali litterario sermone debita coronæ vestræ obsequia deferentes, his quæsumus, ut dignatione, qua cæteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime, et apostolica reverentia in Christo a nobis colende Pater. » Quandoque aliis episcopis, ut apud Hiero-

ıist. 81) : « ut meo nomine salutes precor
ıam, » et apud S. Augustinum (*epist.* 147):
nam nostram vos adjurant vestri. » Oc-
m in antiquis episcoporum formulis apud
ı. l. ı, form. 26. « Præsentem indiculum
n beatitudinis vestræ direximus. » Syn-
congregatas plurimas pro Cornelii le-
ctione agnoscenda, ac ob Novatianorum
ɔs impetus, et epistolas ab universis epi-
as, eorum manibus subscriptas docet
qui testatur de eo argumento vidisse
ı tomum eas epistolas continentem. Cu-
iam commendare non pigeat, ut antiqua
yclicorum consuetudo magis illustretur.
« Exstant adhuc epistolæ Cornelii Roma-
copi ad Fabium Antiochensis Ecclesiæ præ-
ıæ, in quibus et Romanæ synodi gesta, et
er Italiam et Africam, aliasque locorum
sententiæ declarantur. Alia præterea La-
ne conscripta exstant Cypriani, et aliorum
, qui cum ipso in Africa congregati sunt....
ta erat alia de his quæ in synodo decreta
ırsus alia de facinoribus Novati. » Et mox
tis : « Sub finem autem epistolæ, numerum
iscoporum qui, in urbem Romam conve-
ıentiam Novati condemnaverunt, nomina
ɔrum, et quam quisque regebat Ecclesiam
Eorum item, qui Romæ quidem minime
superiorum tamen sententiam litteris suis
unt, vocabula simul, et civitates, unde
æras dederant, accurate commemorat. »
nus encyclicus epistolarum totius orbis
ɜconscriptarum et subscriptarum, reser-
ıticas synodicas et particulares epistolas,
uisque episcopus nomen, et civitatis, ubi
n obtinebat, ac vota recensuit Hæc porro
olarum totius orbis, et quid continerent,
mque retractatum a corona episcopali in
ontenta ex epistola Africanorum apparet,
ıam, argumentum et subscribentium nu-
ɔhice pingit Cyprianus in altera ad Corne-
ıpistola 45. Cum enim labores exantlatos
d Novatianorum artes eludendas, redu-
quos schisma infecerat, quibus omnibus
ut *Ecclesiæ radicem et matricem agnosce-
rent* ; sic ad propositum explicandum,
ɔræter synodicam Carthaginensem, alii
ani episcopi litteras dederint : « Sed quo-
ı fusa est nostra provincia, habet enim
et Mauritanias duas cohærentes ; ne in
na factum absentium animos incerta opi-
ınderet, placuit ut per episcopos retenta
et ad comprobandam ordinationem tuam,
ıtate majori, tudemum scrupulo omni de
ı pectoribus excusso, per omnes omnino
ı litteræ fierent (sicut fiunt), ut te universi
ıtri, et communicationem tuam, id est ca-
lesiæ unitatem pariter et charitatem pro-
ıter et tenerent. Quod divinitus evenisse,
n nostrum providenter profecisse gaude-
ım nunc episcopatus tui et veritas pari-
tas apertissima luce, et manifestissima,
comprobatione fundata est : ut ex rescri-
rum nostrorum, qui ad nos litteras inde
rdinationis tuæ origo necessaria, et ratio
riosa quoque innocentia ab omnibus no-
Hæc est corona illa episcopalis, hic codex
ɜus, unde roborata permansit Cornelii or-
probata legitima electio, ac exsufflatum
ı schisma.

ra rempublicam, Apud Decium imperato-
ɔvatianorum diffamatus fuerat Cornelius,
per priorem synodum Romanam, in qua
rfuerant episcopi cum duobus Africanis
ɔer synodum Carthaginensem, ac reliquas
ıiscoporum orbis contra imperium machi-
edidit Decius, eo quod plures expertus A esset hostes de imperio contendentes et in castris Christiani milites adessent, a nutu episcopi pendentes. Exinde exarsit in Cornelium, quem ex episcoporum litteris ante schismaticorum delatis agnoscere poterat supremum inter episcopos recognosci. Hæc ita evenisse suadent verba Cypriani scribentis de Cornelio, epist. 52 : « Sedisse intrepidum Romæ in Cathedra eo tempore, cum tyrannus (eo nomine Decium vocat ob peremptos imperatores) infestus sacerdotibus Dei (episcopis nempe, et clero majoris ordinis, adversus quos edicta vulgavit, ut supra dictum est) fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius, et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem (de imperii invasoribus sub Decio agit Victor), quam constitui Romæ Dei sacerdotem. » Verba porro illa *fanda atque infanda dominaretur* satis ostendunt Decium revera in S. Cornelium hæc aut similia dixisse, quæ referuntur inter Cornelii gesta. Suspicax tyrannus B veriora credit, quæ Novatiani efficiebant in S. Cornelium, dum et synodi, cœtus, et litteræ undique deferuntur, quæ traduxit veluti molitiones in imperium. Quomodo vero Decius, qui universum clerum majorem perdendum decreverat, Novatiano et asseclis de eodem clero pepercerit, prodit Cornelius in sua ad Fabium, ubi facinora Novatiani recensens edicit, eum vocatum, ut catechumenis in exitu succurreret, repudiatoque presbyteratu dixisse se alteri philosophiæ incumbere, ac propterea renuisse ministerio catechumenorum adesse, subditque : « Quin potius ira et indignatione percitus, abiit et discessit. Neque enim presbyterum se amplius velle esse respondit, sed alterius philosophiæ desiderio teneri. » Pacianus notat Novatianum, dum Cornelius patiebatur et a Decio, et deinde a Gallo, et Volusiano afflictabatur, in securitate vixisse, et ab edictis in clerum publicatis omnino fuisse immunem. C Diluens enim Novatianorum nugas, et inter has, quod ante Cornelium Novatianus veri confessoris titulum habuerit, hæc scribit : « Nam quod ante passum Novatianum putas, et Cyprianum dixisse subjungis : præcessit me adversarius meus : vide quam manifeste respondeam. Novatianus martyrium nunquam tulit, nec ex verbis beatissimi Cypriani auditum illud, aut lectum est. Habes ejus epistolas, quibus Cornelium Urbis episcopum, cui tunc Novatianus inviderat, inimicis principibus resistentem sæpe confessum, sæpe vexatum refert, plurimis confessoribus, pluribus quoque martyribus ducem factum, et cum plurimis gloriosissime coronatum, vivente adhuc Novatiano etiamque securo ; nam ideo ab Ecclesia recesserat, ne illi labor confessionis urgeret. » Potuit itaque Novatianus, qui apud fideles, tot in S. Cornelium calumnias finxerat, eum apud Decium deferre, uti patriæ et majestatis proditorem, et causa existere exsilii, passionum, ac tandem gloriosi martyrii ejusdem ; ac propterea D Cyprianum bene scripsisse : « S. Cornelium sæpe confessum, sæpe vexatum, et cum plurimis gloriosissime coronatum. »

BINII ET LABBEI.

Linea 6. — *Centumcellis pulsus est.* Hic locus egregie describitur a Plinio secundo lib. VI, epist. 31. Ad Cornelium ibi degentem et de prostrata perfidia triumphantem Cyprianus scripsit epistolam edit. Pamel. 57, quæ sic incipit : *Cognovimus, frater charissime, fidei ac virtutis vestræ,* etc.

Linea 17. — *In interludo* corrige *in Tellude.* Id est in templo, in quo sæpe senatus cogi consuevit, ut ex Cicerone, Dione, et Livio apparet. Vide Baron. ann. 255. num. 6.

Linea 20. — *De corona Domini.* Fidelem Christi plebem, eamque populi multitudinem, quæ episcopum vallare consueverat, intelligit. nisi fortasse voluerit significare coronam martyrii. Cujus argumen-

ti est Cypriani epistola 56 edit. Pamel. ad Cornel. novissime scripta. Baron., anno 255, num. 69.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Beati Cornelii pontificatus quamvis præ cæteris illustretur tum epistolis ipsius, tum ejus æqualis Cypriani, et idcirco videri possit illius epocha præ aliis definita; attamen implicatur difficultatibus tam variis apud historicos et chronologos nostri temporis, ut inter eos neque de anno, neque de annorum summa conveniat: aliis anno unico id concludentibus cum mensibus 3, ac diebus 10; aliis extendentibus ad biennium, aut triennium solidum. Quidam statuunt illius sedis initium anno vulgaris æræ Christi 251, Decio III et filio Q. Herennio coss. Alii constituunt in præcedenti consulatu Decii Aug. II et Grati anno Christi 250, quibus et nos accedimus. Nonnulli serius protrahunt Decii principatum, et cum eo cathedram Cornelii: ita ut biennio, vel triennio postponant in æra Christi communi tum consules tum imperatores memoratos (ut Pagius observat, aliique possim chronologi) contra evidentem demonstrationem temporum.

Nostram Chronologiam de sede Cornelii firmant cum picturis basilicæ S. Pauli alia documenta suo loco indicata in serie pontificum Romanorum inter Prolegomena, et ea quæ hic afferemus; si prius unica observatio permittatur, hic nitidius exhibenda, quam supra explicari posset in angusto spatio columnæ in Prolegomenis illi attributæ. In ea columna distinxi de more litteras hodie superstites epochæ S. Cornelii per characteres capitales, sive majusculos; absumptos autem vetustate significavi per characteres non capitales, sive minusculos. Legitur itaque:

✠ corne
LIUS
SED
AN
N I I .m. III
D X

Excidit sigla M index mensium triadis III, quæ nitida subsequitur post lacunam, cum *diebus decem*; nihil deformatis litteris D X illos significantibus. Annorum vero duorum quos Cornelio tribuunt S. Hieronymus, Catalogus Liberianus, aliaque documenta indicata cum picturis loco supra memorato, sola unitas prima conspicua permansit. Alteram enim unitatem cum sigla mensium ætas absumpsit. Supplendam itaque judicavi lacunam additis minusculis characteribus ANN. I I. m III, ut integra legeretur epocha *Sedit annis duobus, mensibus tribus, diebus decem*; cum pictoris mos fuerit ita disponere litteras etiam in cæteris epochis, ubi fuit exprimendum biennium. EVSEBIVS SED ANN II. M. I D. XXV. (folio CH.) ✠ MARCVS SED ANN II. M. VIII. DXXI. (folio CIV.) His ita præmonitis de auctoritate ac statu documentorum, quibus innititur nostra Chronologia, assignans cum B. Hieronymo, et cum vetustiori catalogo integrum *biennium* sedi S. Cornelii (qui etiam legitur *duas ordinationes* habuisse mense *Decembri*), et præterea *menses tres*, in eodem catalogo, et in picturis distincte numeratos, diesque *decem*, appositos universorum testimonio; accedo jam ad hujus Chronologiæ probationes, et ad dissolvendas difficultates, quibus omnes conqueruntur implexam esse epocham beati Cornelii.

Initium demonstrationis ducere oportet ab imperio Decii suis temporibus assignando; cum quo certum nexum habent consulum series, gesta, et martyrium Cornelii, ejusque characteres, ipsius Cornelii et Cypriani litteris comprobati.

Triginta mensibus imperasse Decium perspicue docemur a Victore in Epitome: *imperavit menses triginta*: cui suffragatur alius Victor de Cæsaribus, *scribens, exacto regni biennio* Decium utrumque, patrem et filium, decessisse. Eutropius quoque testatur, *postquam biennio imperaverant*, ambos interfectos. Hoc spatio mensium triginta, quibus rei Romanæ præfuit Decius, qui ante imperium consul jam fuerat (ut creditur suffectus sub Philippo ex indicio Vitæ S. Genulphi apud Pagium ad annum 250 numero 11), alios duos consulatus, et quidem ordinarios gessit: unum, qui erat ipsi secundus, cum collega Maximo Grato; alium vero, quem tertium numerabat, cum Decio filio natu majore, quem nummi et inscriptiones appellant Q. Herennium Etruscum Messium Decium. (*Vide Spon. Miscell. pag.* 273.) Consulatum Decii secundum cum Grato Fasti referunt ad annum æræ Christi communis 250, consentientibus merito omnibus chronologis: apud quos etiam peræque ratum est tertium consulatum Decii patris, collega Decio filio pariari cum anno æræ Christianæ 251.

His in consulatibus ita pariandis cum æra Christi nemo hodie refragatur; cum proximi valde sint duobus consulatibus maxime certo nexu conjunctis cum definito anno æræ Christianæ, et reliquarum insigniorum, nempe cum illo celebri apud Censorinum de die Natali, Ulpio et Pontiano coss, qui clavus est universæ Chronologiæ, et pertinere ostenditur ad æræ Christi communis annum 238, tum ex eclipsi solis totali, quam paulo ante delationem tituli Cæsaris puero Gordiano Pio eodemque mense quo imperatores contra Maximinum acclamabantur in Africa duo Gordiani pater et filius, scilicet anno proxime superiori 237, Romæ visam ita memorat Capitolinus in ejus Vita, *ut nox crederetur*, juxta astronomicas Tabulas ita spectandam die 12 Aprilis ejusdem anni 237, tum ex characteribus epocharum illustrium a Censorino productis cum memorato Ulpii et Pontiani consulatu, sub quo numerat annum Olympiadicum ex diebus æstivis 1014, a Roma condita ex Parilibus 991, Julianum 283, Augustorum 265, æræ Aug. Alexandrinæ 268, Nabonassari 986, Philippi ab excessu Alexandri Magni 562, et nos cum universis chronologis æræ Christianæ annum 238. His plane assentior.

Unum addo, chronologis hactenus inobservatum, nempe eumdem Q. Herennium Decii filium, qui consul ordinarius processit Kal. Januarii anno 251, cum patre tertium consulatum eadem die assumente, eumdem, inquam, Quintum Herennium Decii filium postremis mensibus anni proxime præcedentis 250, abdicante Grato, fuisse consulem suffectum et patris collegam: ita ut ex mense saltem Octobri (puto et maturius) signarentur Acta publica, *Decio Aug.* II *et Decio Cæsare coss.*, seu *duobus Deciis coss.* Ex Kalendis vero Januariis anni 251 scriberetur, *Imp. Cæs. Decio Aug.* III, *et Decio Cæsare* II *coss.*: quo anno pariter certum est utrumque Decium occubuisse imperii mense trigesimo. Secundus consulatus Decii filii cum tertio patris conjunctus non obscure indicatur in Actis Pionii martyris, signatis in editione Bollandiana *cònsule Tertium Messio Quinto Trajano, et Deltio Grato secundum.* Intelligitur enim scribendum *fuisse Decio Grato secundum*: cum alterum *Grati* consulatum nullus memoret; neque is *Gratus*, qui collega fuerat Decii patris in secundo consulatu appelletur *Deltius Gratus*; neque probabile videatur a Decio Augusto per duos priores imperii sui annos eumdem collegam lectum fuisse, genti suæ extraneum, liberis prætermissis. In Fastis Florentinis majoribus, a Relando editis, clare consignatur consulatus secundus Decii filii conjugatus cum tertio Decii patris, anno 251.

250 Δέκιος β', καὶ Γράτος
251 Δέκιος τὸ γ', καὶ Δέκιος Καισαρ το β'.

Secundus iste consulatus Decii filii et Cæsaris supponit primum. Utique anno præcedenti, quo pater imperare cœpit, et quo ipse Cæsaris appellatione donatus est veteri inscriptione, apud Sponium id os-

tendente pag. 273. Eo anno ordinarium non gessit; quippe Decii Augusti iterum consulis collega fuit Gratus, ita signatus in Fastis, et in pluribus legibus Codici insertis a Relando collectis. Quare suffectum haberi oportet, postquam Gratus per menses aliquot ordinarium consulatum gessisset cum Decio Augusto. Hunc filii consulatum suffectum in Actis senatus signatum fuisse una cum secundo, quem pater Augustus ordinarium gerebat, demonstro ex senatus consulto apud Trebellium Pollionem in Valeriano, quod editum fuisse perscribitur duobus Deciis consulibus ante diem VI Kalendas Novembris, Rupertus in observationibus ad Synopsim historicam Besoldi pag. 326, aliique scriptores illud senatus consultum pertrahunt ad consulatum ordinarium utriusque Decii, patris tertium et filii collegæ, eumdemque faciunt amborum emortualem. « Sed quando (inquit Rupertus) uterque (Decius) cæsus? Novembri, ut puto, aut Decembri, A. U. 1003. Treb. Pollio in Valer. I. 173. duobus Deciis coss. ante diem VI Kal. Novembris, cum ob imperatoris litteras in æde Castorum senatus haberetur, etc. Ergo Octobri extremo adhuc vivebat Decius » etc. Recte colligit Vitam Decii per integrum mensem Octobris adhuc superstitem. Sed male infert mortem Deciorum contigisse ante exitum illius anni quo S. C. tum condebatur. Demonstro.

Decii pater et filius in prælio circa Tanaim contra Scythas gesto occubuerunt: et quidem proditione et artibus Galli, qui utrique in imperio successit, quando in luto paludis defixi sunt, quo utrumque imprudenter progressum studiose acciverat insidiator. Si pugna, et defixio in palustri limo per gelida Scythiæ loca Deciis contigit, ad eum certe annum pertinere minime potuit, quo senatus consultum Romæ edebatur VI Kalendas Novembris. Neque enim pugna cum barbaris, neque ea defixio præsumenda est, quæ gelu nondum astrictam paludem requirit, ut possit limo infixos retinere. Senatus consultum de censura Valeriano deferenda, de quo loquitur Pollio, editum Romæ duobus Deciis coss. VI Kal. Novembris in Æde Castorum, subinde perlatum est in Scythiam ad Tanaim (teste Zosimo circa finem lib. I) ubi agebat Decius cum copiis nondum ad hiberna revocatis, sed in aciem instructis: id affirmante etiam Constantino in oratione ad sanctorum cœtum apud Eusebium cap. 24 : *in Scythicis campis cum omni exercitu prostratum.* Ut Roma perferretur ad Tanaim celeriter exemplum SCti, demus circa finem Novembris eo pervenisse cursorem. Quid inde? Eratne Decius tum temporis conflicturus cum acie explicata in rigidissima Scythiæ regione? Erantne Barbari trifariam in aciem divisi ex composito cum Gallo, tum temporis acciti ad insidias Decio struendas? Quid vero præstitit Decius acceptis litteris senatus, deferentibus censuram Valeriano? Trebellius narrat. *Hoc S. C. tum ubi Decius accepit, omnes aulicos convocavit.* Agebat quippe in hibernis, et inter aulicos, ut ferebat annis tempestas hiemalis, non in campo, et in acie inter duces ad pugnam paratos. « Ipsum etiam Valerianum præcepit rogari, atque in conventu summorum virorum, Tanto SC. felicem te, inquit, Valerianum totius senatus sententia, » etc. Imperator in laudem Valeriani effusus Cæsareo elogio cumulat sententiam senatus, et Valeriani merita eloquenter extollit. Suntne ista indicia procedentis ad pugnam, an sedentis pacifice in aula? Sed quæro: undenam Decius Valerianum illico accipit ad Tanaim, contra explicatam Scytharum aciem jam congressurus? Valerianus profecto militiam sequebatur, teste Victore de Cæsaribus. Quanam vero in Provincia, non liquet. Zosimus tamen, cum a Deciorum successore Gallo ablegatum asserat (lib. I, cap. 28) ad Gallicas atque Germanicas legione adducendas: videtur innuere non longe ab illis agere consuevisse. Demus tamen fuisse ita proximum, ut Kalendis Decembris Decii lateri astiterit, ab eoque confirmata censura sit auctus. Superest ut Decius manum cum hoste conserat ad paludes circa Tanaim, nondum gelu constrictas, et imprudenter progressus limo infigatur, et cum exercitu pereat mense Decembri. Peto, Kalendas Januarii proxime sequentes post illum tertium consulatum Decii patris cum filio collega, cui decretum senatus tribuitur signatum duobus Deciis coss., quis aperuerit? Utique Trebunianus Gallus Augustus iterum consul, et Volusianus Cæsar. Ita Fastorum editores omnes, et inscriptiones, et lex 16 Cod. de negot. gest. data XI Kal. Maii. Ut vero Gallus Augustus et Volusianus Cæsar signare possent Kalendas Januarii suo consulatu, perferendus antea fuit Romam nuntius pugnæ, ac mortis Deciorum ad ripam Tanais. En alterum mensem expedito cursori concedendum antequam Romam perferat litteras nuntiantes in pugna, si placet, Decembri mense infeliciter cum Scythis conserta absumptos Decios: neque cadavera eorum reperta, neque fuga eos præservatos, neque ullibi visos: quæ omnia spatium temporis complurium dierum post prælium poscebant, ut Romam perscribi possent tanquam explorata. Putamusne intra decembrem dimicatum fuisse, de cadaveribus principum frustra quæsitum, deinde a legatis exercitus cursorem cum litteris ex ripa Tanais missum in Urbem ad senatum tam celeriter pervenisse, ut intra eumdem mensem de novi principis electione in Urbe agi potuerit, Gallus eligi, et consulatus ipsi ac Volusiano filio decerni ante Kalendas Januarias? Hic nempe angustiis coarctantur ii qui senatus consultum memoratum referunt ad consulatum ordinarium duorum Deciorum patris tertium: quibus hærere aquam necesse est; cum dies 27 Octobris conditi Romæ decreti diebus 65 distet (eisque anni brevissimis et minus ad pugnam aptis in Scythiæ climate) a Kalendis Januarii, quas signare oportet nomine et consulatu Galli et Volusiani jam Augusta dignitate fulgentium. At in alia sententia, in qua persistimus, deferente consulatum suffectum ante Octobrem anni 250 Decio filio, quem gerat tribus supremis anni mensibus cum Decii patris secundo, satis temporis superest et opportunæ tempestatis anni ad illa gerenda tum Romæ, tum in Scythia, quæ ab historicis memorantur. Hanc igitur elegerim chronologiam brevis imperii ac vitæ Deciorum per menses triginta ab adepta dignitate Augusta, quam historici, nummi veteres, et inscriptiones, aliaque documenta genuinæ antiquitatis comprobant.

Anno æræ Christi 249, ineunte paulo post initium Januarii, Æmiliano et Aquilino consulibus, Trajanus Decius a militibus in Pannonia, ad quos regendos coercendosque missus fuerat amictus purpura, ut scribit Zosimus, ad imperium suscipiendum compellitur. Philippus Augustus vere adulto ad illum opprimendum exercitum movet. Concurritur æstate ineunte internecino prælio in campis Veronensibus circa mensem Julium; cum XIV Kal. Julii adhuc regnaret Philipus; ut rescriptum ejus probat lib. VIII Cod. tit 56, de Revocat. donat. l. I Philippus cadit pulso amissoque exercitu, et Romæ apud castrum Prætorium filius Philippi interficitur. Decius rerum potitus *filium Etruscum Cæsarem facit* (ait Victor de Cæsaribus) *statimque eo in Illyricum præmisso Romæ aliquantulum moratur murorum gratia, quæ instituit, dedicandorum.*

Anno sequenti 260 procedit Kalendis Januarii consul iterum Decius Augustus, collega Grato: et filium in Pannonia agentem post aliquot menses suffectum Grato collegam consulatus adhibet, statim ac in Pannoniam et ipse profectus est adversus Scythas seu Gothos, qui in Thraciam irruperant. Hanc expeditionem cum susceperit Decius *maturrime quam potuit*, ita affirmante Victore; conjicio in provinciam profectum adulto vere eo pervenisse. Absente Decio, S. Cornelius papa eligebatur, *duobus Deciis consulibus*, ut in vetustis Tabulis ecclesiasticis scri-

ptum reperit card. Norisius in epochis Syromacedonum dissert. 3 in fine. Non tamen anno 251, sed anno 250, Decio Patre iterum, et Decio filio suffecto consulibus. Suffecerit enim in adventu suo pater Grato abdicare jusso, statim ac in castris fuit circa initium mensis Junii. Neque officit, si aliquot leges, imo et aliquot ipsius Cornelii papæ epistolæ post Junium mensem hoc anno datæ consignentur *Decio et Maximo* (hoc est Maximo Grato) *consulibus*. Nam complura exempla nos docent, post initium a consulibus suffectis magistratum promiscue signari privata et publica scripta consulibus sive ordinariis sive suffectis. Suetonius scribit natum Vespasianum patrem XV Kalendas Decembris, Q. Sulpicio Camerino C. Poppæo Sabino coss. (in ejus Vita, cap. 2). Fasti marmorei Capitolini adhuc superstites sub his coss. ordinariis ostendunt ex Kal. Julii suffecto M. Papium m. f. m. n. Mutilum, et Q. Poppæum Q. f. q. n. Secundum. Dedicatio ædiculæ regione XIIII. Vici censori signatur in vetusto lapide per Fabrettum edito de col. Traj. p. 273, et Inscrip. pag. 103, hodie asservato in Musæo Albano, tribunitia potestate IIII imperatoris Trajani consulis III designati IV, *Roseio Æliano et Claudio Sacerdotæ* consulibus suffectis peracta IIII Kalendas Januarii. Bimestres hi consules, ut appellat Norisius epist. Cons. pag. 99, occupant postremos tantum menses anni æræ Christi C (ut patet ex adjecta potest. trib. IIII Trajani) quem aperuerunt et signarunt consules ordinarii Trajanus Aug. III et Fronto, sive Frontinus, ut idem Norisius probat in laudata epist. pag. 62, ubi ostendit quoque ex Plinio, eodem anno plures bimestres consules a Trajano collegas ascitos. Quandoque et consules ordinarios et suffectos exprimi curarunt etiam in publicis tabulis. Exemplum legitur apud Panvinium in Fastis ad annum V. C. 908, Christi 155, ita signatum *Jubentius Celsus pro magistro subscripsi* III *Nonas Novemb. Antio Pollione et Opimiano cos. ordinar. Severo et Sabino cos.*

Nihil igitur impedit utraque subscriptio vel alterutra adhibita consulatus ordinarii aut suffecti, quominus intelligatur Junio mense suffectus Grato consuli ordinario filius Decii, et litteræ et acta subinde signentur *vel Decio et Grato, vel duobus Decii coss.*

Eodem anno 250, circa finem Octobris duobus Deciis coss. (patre II et filio suffecto) senatus consultum de censura Valeriano decernenda Romæ editum et signatum fuit VI Kal. Novembris. Ab Urbe ad se transmissum recipit Decius in Pannonia, ubi tunc agebat. Valerianum advocat, et honores illi a senatu decretos confirmat mense Novembri, aut Decembri.

Annum succedentem 251 aperiunt Decius pater consul III et Decius filius consul iterum ambo ordinarii vel in Pannonia, vel in hibernis Scythiæ castris apud Tanaim. « Gallus enim ad moliendum res novas conversus (ait Zosimus lib. I) legatis ad barbaros missis, ut in societatem insidiarum adversus Decium venirent, hortabatur. Illis cupidissime quod imperatum erat accipientibus, etc., et trifariam divisis, et a Decio in acie prima et secunda cæsis fugatisve, pauci quidam ex acie tertia in paludem a *Gallo significatam imprudenter perducunt Decium:* ubi in luto defixus, et a barbaris undique telis petitus una cum iis, quos propter se habebat, nemine prorsus evadendi facultatem nacto, periit. » Victor addit: « Gurgite paludis ita submersum fuisse, ut nec cadaver ejus potuerit inveniri. » Victor alius in libro de Cæsaribus subdit: « Hæc ubi Patres comperere, Gallo Hostilianoque augusta imperia, Volusianum Gallo editum Cæsarem decernunt. » Delata itaque purpura et Augusta dignitas Volusiano et Gallo circa mensem Junium anni 251, cum mensibus *triginta* circiter a prima militum acclamatione imperasset Decius, juxta Victoris Epitomen, et juxta Victorem alterum de Cæsaribus *exacto biennio*, scilicet a cæde utriusque Philippi, quando non tantum a militibus, sed etiam a senatu populoque Romano æstate ineunte Augustus dictus fuerat anno 249, Æmiliano et Aquilino coss. quo consulatu consignat legem 2 libri quarti Cod., tit. de Hæreditar. actione, die XIV Kalendas Novembris.

Licet hinc arguere cur S. Hieronymus in libro de Scrip. ecclesiastic. affirmet S. Cornelium Ecclesiæ præfuisse sub Gallo et Volusiano; cum non modo pertigerit ab eorumdem imperium, sed ultra annum solidum sub iisdem Augustis Petri sedem tenuerit, ut jam ostendere conabor, firmata cum sit Chronologia imperii Decii tot documentis. His autem accensere non pigeat evidens illud, quod ab em. card. Norisio producitur dissert. 3 de epochis Syromaced. ut confirmet Chronotaxim Panvinii de imperio per Decium inito Æmiliano et Aquilino coss. Christi 249, licet alius em. scriptor Baronius differendum putaret. « Hæc, inquit, contra Panvinii nostri sententiam dicta sunt, qui etiam ibidem in margine a Baronio indicatur. At mei concivis Chronologia certa est, nec sine errore in dubium revocari potest. Plurimi autem interest (ait card. Norisius circa finem laudatæ dissertationis) initium principatus Decii suo recte anno statuere: quia cum ille post occupatum imperium persecutionem contra Christianos instituerit, qua S. Fabianus papa, aliique in orbe Romano martyres occisi sunt, ac plura in Africana Ecclesia id temporis gesta fuerint ex epistolis S. Cypriani, in magnis annalibus illorum ordo turbatur. »

Constituta igitur epocha initi principatus tum a Deciis anno 249, tum a Gallo et Volusiano circa Junium anni 251 componendam suscipio æram pontificatus S. Cornelii cum documentis genuinis Romanæ Ecclesiæ: inter quæ recensemus litteras ejusdem et cleri Romani editas cum Cyprianicis.

Martyrium beati Cornelii papæ referendum esse ad diem 14 Septembris comprobant universa illa documenta, quæ enumerantur a Schelestratio Antiquit. Eccl. dissert. 2, cap. 6, num. 7, una cum Tabulariis Ecclesiæ Romanæ. Asserit Hieronymus in libro de Script. Eccl., narrans *Cyprianum passum eodem die quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.* « Ex quo ultimo textu (ait Schelestr.) non tantum locum, sed etiam diem passionis Cornelii cognoscimus. Cum enim Cornelius eodem die quo Cyprianus martyr occubuerit, Cyprianum autem XVIII Kal. Octobris passum fuisse conveniat inter omnes, necesse est Cornelium illo quoque die pro Christo obiisse. Porro de die martyrii S. Cypriani testatur Kalendarium antiquissimum Ecclesiæ Carthaginensis, a R. P. Jo. Mabillonio editum tomo III Analectorum, XVIII *Kal. Octobr. sancti Cypriani episcopi et martyris Carthag.* Concinunt Acta Passionis S. Cypriani. *Passus est autem* beatissimus Cyprianus martyr die octava decima Kalendarum Octobrium. Qua die in martyrologiis non solum D. Cypriani, sed etiam Cornelii papæ memoria reperitur. Diem igitur martyrii S. Cornelii cum cognoscamus perinde certam ac diem passionis S. Cypriani 14 Septembris, de anno jam est inquirendum. Diversus a variis scriptoribus constituitur. Card. Baronius distulit ad 255, ob consulatus biennio, vel triennio postpositos. Schelestratius refert ad annum 253; Pagius cum plerisque figit in 252. Huic postremæ Pagii et aliorum illi adhærentium sententiæ libenter accedo: ad quam me impellunt invicta argumenta mox afferenda. »

Considerat Schelestratius laudata dissert. 2, cap. 6, num. 4, duo Hieronymi testimonia. « In Vita Pauli Eremitæ tradit: « Sub Decio et Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, et Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum et Thebaida Ecclesias tempestas sæva populata est. » Libro autem de Script. Eccl. in Cornelio refert: *Rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo et Volusiano.* Priori enim loco asserere videtur Hieronymus Cornelium sub Decio occubuisse; secundo

autem, diserte affirmat sub Gallo et Volusiano martyrio coronatum fuisse : quæ sibi invicem adversa erunt, nisi priori loco Decii persecutionem intelligas, quæ sub Gallo et Volusiano continuata est et proinde una eademque cum Decii persecutione censetur. »

At nostra sententia, inhærens Hieronymi vestigiis, jungit cum Decio Valerianum in damnatione Cornelii (quod Schelestratius omiserat conciliare) sedique ejusdem Cornelii principatum attribuit Decii, et partem principatus Galli et Volusiani. Vidimus enim, anno 250, die 25 Octobris, Decio patre iterum consule cum filio suffecto abdicanti Grato, senatusconsultum Romæ editum de censura Valeriano decernenda perlatum fuisse ad Decium in expeditione Scythica tunc agentem in hibernis castris : et accitum ab eo Valerianum confirmatæ dignitatis laudem retulisse, et amplissimam potestatem, quæ ipsi tradebatur in concione, quam Trebellius exponit ita declaratam a Decio : « Tibi legum scribendarum auctoritas dabitur. Tibi de ordinibus multum judicandum est. Tu arma respicies. Tu de nostro palatio, tu de judicibus, tu de præfectis eminentissimis judicabis. Excepto denique præfecto urbis Romæ, exceptis consulibus ordinariis, et sacrorum rege, ac maxima virgine Vestalium, si tamen incorrupta permanebit, de omnibus sententias feres. »

Potuit itaque Valerianus censor in Urbem redux sub initium anni 251, ad exercendam amplissimam potestatem missus, ut par est credere, cum mandatis de Cornelio nominatim puniendo, ac de illo supplicium sumendo, non minus, quam de Julio Valente, qui post profectionem ex Urbe invaserat imperium ; cum beato Cypriano teste in epistola ad Antonianum Decius « multo patientius et tolerabilius audiret, levari adversus se æmulum principem (Julium Valentem) quam constitui Romæ Dei sacerdotem ; » potuit, inquam, Valerianus censor ea cum potestate bisque cum mandatis missus a Decio, Cornelium, anno superiori 250 delatum, in exsilium pellere Centumcellas, anno 251 et subsequenti 252, ab exsilio in Urbem accire, et Decii nomine interrogare de litteris a Cypriano ei redditis, et plumbatis cædere, et capite truncare, quod renuisset impia sacrificia Marti litare, ut Acta perhibent, et vetusta Martyrologia confirmant, et liber Pontificalis. Verum de serie ac loco martyrii erit quærendi locus in Notis historicis. Hic, ubi temporis rationes indagamus de epocha initi pontificatus, et gloriose completi per martyrium ita statuimus. Sedis vacationem a martyrio Fabiani die 20 Januarii anni 250 (ut in præcedenti numero probatum fuit) perduco ad diem electionis 4 Junii : qua clerus Romanus diuturno interpontificio finem imposuit concordi illa electione, per Cyprianum ita descripta. » Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis quæ nunc affuit, suffragio. » Multo longiori spatio sedis vacationem plerique extendunt, differentes Cornelii electionem ad Junium mensem anni 251, licet Fabiani martyrium retineant 20 Januarii annt 250, ultra annum solidum, imo et totis mensibus XVII impeditam electionem asserentes. Contendunt id præsumendum ex litteris quatuor cum responsis totidem ultro citroque missis ac recepto inter clerum Romanum et Cyprianum. Verum Catonis facto revinci possunt, demonstrantis expeditum commercium Urbis cum proxima Carthagine, prolatis in medium e sinu togæ in conspectu senatus recentibus ficubus, quos inde afferri curaverat. Quotidie experimur paucos intra dies (quandoque intra hebdomadam) ex Lilybæo Siciliæ promontorio, unde spectatur portus Carthaginis, litteras huc afferri. Quæ autem nostra est commercii facilitas cum Sicilia et Africa, in hac rei nauticæ negligentia, si conferatur cum quotidiana transvectione ex portu Ostiensi et Antiati, florente Romano imperio, dum classes instructæ tam militiæ quam mercimonii causa, et corporati ordines *Scapharіorum, et lenuncularіorum trajectus Luculli, et navium marinarum curatores* a nobis lecti in antiquis inscriptionibus Ostiensi in colonia effossis, in horas ferme singulas (quod nunc in Hollandia fit) solvendi copiam ministrarent ? Potuit Novatus ex Africa supervenire post obitum Fabiani, potuit interesse pacificæ electioni Cornelii, nondum divisis fœdo schismate Christi confessioribus a reliquo clero : ut necessitas nulla impellat Papebrochium ad recedendum a sententia Henschenii, definientis vacationem sedis post martyrium Fabiani ad quintum ab illa mensem nondum completum. Mihi certe nulla necessitas apparet negandi cum recentioribus auctoribus, a Schelestratio ibi indicatis, ante mensem Augustum anni 250, scriptas fuisse litteras cleri Romani ad Cyprianum (30 inter Pamelianas) quibus testatur, « post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum episcopum propter temporum difficultates constitutum fuisse. » Unam fortasse si moveant ex inchoato mense duodecimo carceris Moysi, aliorumque confessorum ante creationem Cornelii, quem affirmat in periocha Fabiani vetustissimus Catalogus Liberianus (in Prolegom.) : huic facile respondemus, si mensium numerus supponatur in Catalogo non vitiatus, Moysis carcerem iteratum intelligi oportere per aliquot menses persecutionis Decii ante mortem Fabiani qui potiorem numeri partem constituant, et unius vel alterius post, qui compleant summam mensium XI et dierum totidem. Constat enim ex Cæcilio de mortibus persecutorum, Decii persecutionem inchoasse a suscepto per eumdem imperio. « Et quasi hujus rei gratia (inquit) provectus esse ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cæpit, ut protinus caderet. » Cum itaque paulo post initium anni æræ Christianæ 249, viderimus imperium Decio fuisse delatum, et ipse *protinus furere contra Deum cæperit,* veros ejus cultores insectando : potuit quoque Moyses, cum sociis carceri mancipari per octo vel novem menses ante martyrium Fabiani ; cum in Africa eodem tempore sævitum fuisse in Christianos constet ex litteris Cypriani ; imo et ipse beatus antistes quæsitus ad leonem in circo sæpe fuerit antequam mors inferretur Fabiano sub initium anni 250, Per absentiam Decii ab Urbe, *maturrime quam potuit* suscepta expeditione (ex Victore) adulto vere, persecutionem nonnihil deferbuisse adnotant passim historici : ita ut Cyprianus potuerit mense Maio concilia celebrare, qui antea cogebatur latebris quæsitis Ecclesiæ suæ, ac sibi consulere. Tum vero visum est etiam Romano clero satis tuto posse ad electionem procedi ; cum et Moyses completis XI mensibus et diebus totidem suorum vinculorum in carcere decessisset, et Novatus ex Africa in Urbem jam advenisset. Verum peracta electione Cornelii die 4 Junii, ut nos opinamur, magistratuum ethnicorum rabies adversus fideles iterum incitata Decii victoris ingenio obsecundavit, « multo patientius ac tolerabilius audientis levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ Dei sacerdotem. Hunc igitur Cornelium audiens sedere intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur, » exsulare jussit Centumcellas : ubi a Cypriano litteras complures accepit labente anno 250, signato consulibus ordinariis Decio iterum et Grato, et huic suffectos ex mensibus æstivis ad finem anni Decio filio. Postremis anni mensibus Romæ decreta Valeriano censura, et in Pannonia sive in Scythia confirmata per ipsum Decium cum amplissima illa facultate supra cum Trebellio declarata, qua Valerianus non modo de reis, verum etiam de judicibus judicaret, hominem de se nostris infensum ita armavit contra fideles ineunte anno 251 ; ut jam tum cognosceretur Valerianus, alterum se Decium etiam in imperio

præstiturum : et Hieronymus recte scribat in Vita Pauli « sub Decio et Valeriano persecutoribus Cornelium Romæ, Cyprianum Carthagine felici cruore fuisse damnatos. » Agebat Centumcellis pro Christo exsul Cornelius « exspectans corporis sui carnifices, et tyranni ferocientis ultores (ut ait Cyprianus) adversus edicta feralia resistens, et minas, et cruciatus, et tormenta fidei vigore calcans. Sed majestas et bonitas Domini, protegens sacerdotem quem fieri voluit, factum quoque protexit, ita ut Cornelius tyrannum armis et bello postmodum victor prior sacerdotio suo vicerit. » In quibus Cypriani verbis (ait Schelestratius) illud præcipue notandum est, quod nequaquam testetur eum morte sua vicisse, sed diserte affirmet « quod sacerdotio suo, hoc est sacerdotis patientia, ommes termentorum et pœnarum minas contempserit, et contemnendo tyrannum, armis et bello postea victum, Christianæ pietatis constantia superaverit. »

Imperterritus etiam agebat Cornelius pro grege Dominico, cum per tempus exsilii vicarium in Urbe statuisset Lucium, ut in numero proximo ostendam ; quem episcopum ordinaverat sub exitum anni 250 : ut in sævissimæ persecutionis discrimine fidelibus Romanis de proximo adesset episcopus, qui Cornelii vices adeo diligenter impleret, ut ex proprii Pastoris absentia hæc sancta Ecclesia nihil propemodum detrimenti caperet. Interim excitatis contra Decium Scythis per Trebonianum Gallum anno 251 ineunte, atque Italica factione Julium Valentem, et Macedonica Lucium Priscum imperatores acclamante, Decius, qui furere protinus contra Deum cœperat, protinus cecidit, observante Cæcilio de mortibus persecutorum (licet utramque factionem Prisci et Valentis prostrasset) ; nam circa Junium imperii mense trigesimo « circumventus a barbaris, et cum magna exercitus parte deletus, ne sepultura quidem potuit honorari : sed exutus, ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit. » Vibius Gallus ex Decii proditore successor imperium tenet : et pretio proditionis suæ cum barbaris diviso, ipsis pacem ac tributum pascitur, narrante Zosimo, et Romam redit, lib. I, cap. 24 : « Ac initio quidem imperii Deciani memoriam cum honore ac benevolentia usurpabat : et alterum ex filiis ejus superstitem adoptabat. » Mirum propterea non est, si infensum Christianis animum Decii imitatus Cornelium papam adegit ad optatam pro Christo mortem diem 14 Septembris anno 252, cum sedisset Cornelius annos II, menses III, dies X, et ex picturis superstitibus S. Pauli collatis cum testimonio Hieronymi, et vetustioris catalogi constituimus.

Memoratus Catalogus Liberii etiam consules ostendit hujus biennii, dum ait *a consulibus Decio* IV (*legendum* III) *et Decio* II, *usque Gallo et Volusiano*. Levis error in numero consulatus Decii patris qui *Quartum* non attigit, emendatur ex indicio *Secundi* attributi Decio filio et collegæ : quem in Fastis Florentinis majoribus recte signari vidimus per III patris et II filii anno 251. Cur autem tribuantur Cornelio consules anni 251 et 252, nec tribuantur consules anni 250, sub quibus septimestre spatium sui pontificatus exegit, intelligitur satis ex methodo sæpe indicata Catalogi et libri Pontificalis inde collecti, quæ consules assignant pontifici, Pascha sub iis celebranti. Anno 250, quo Fabianus martyr effectus 20 Januarii, vacante sede per festa Paschalia, coss. non tribuuntur Cornelio, electo post tempus Paschale mense Junio.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1. — *Cornelius natione Romanus*, etc. Notas historicas ad primum ingressum Cornelii ad pontificatum Romanum attexit beatus Cyprianus ita scribens epist. ad Antonianum 52 edit. Pamelii. « Venio jam nunc, frater charissime, ad personam Cornelii collegæ nostri, ut Cornelium nobiscum verius noveris, non de malignorum et detrahentium mendacio, sed de Domini Dei judicio, qui episcopum fecit, et coepiscoporum testimonio, quorum numerus universus per totum mundum concordi unanimitate consensit. Nam quod Cornelium charissimum nostrum Deo, et Christo, et Ecclesiæ ejus, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat ; non iste ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus, et in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum ipsum nec postulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ et superbiæ suæ tumor inflat, invasit ; sed quietus et modestus, et quales esse consueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, et pro humilitate ingenitæ sibi et custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut episcopus fieret : sed ipse vim passus est, ut episcopatum coactus exciperet. Et factus est episcopus a plurimis collegis nostris, qui tunc in urbe Roma aderant, qui ad nos litteras honorificas, et laudabiles, et testimonio suæ prædicationis illustres de ejus ordinatione miserunt. Factus est autem Cornelius episcopus de Dei et Christi ejus judicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc affuit, suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio ; cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri et gradus cathedræ sacerdotalis vacaret ; quo occupato de Dei voluntate, atque omnium nostrum consensione firmato ; quisquis jam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est, nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet unitatem, quisquis ille fuerit, multum de se licet jactans, et sibi plurimum vindicans, profanus est, alienus est, foris est. E cum post primum secundus esse non possit, quisquis post unum, qui solus esse debeat, factus est, non jam secundus ille, sed nullus est, Tunc deinde post episcopatum non ex ambitu, nec extortum, sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso suscepto episcopatu suo virtus ? quantum robur animi ? qualis firmitas fidei ? quod nos simplici corde et perspicere penitus, et laudare debemus. Sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur ; cum multo patientius et tolerabilius audiret levari adversus se æmulum principem, quam constitui Romæ æmulum sacerdotem. Nonne hic, frater charissime, summo virtutis et fidei testimonio prædicandus est ? Nonne inter gloriosos confessores et martyres deputandus, qui tantum temporis sedit exspectans corporis sui carnifices, et tyranni ferocientis ultores, qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem, et minas, et cruciatus, et tormenta fidei vigore calcantem vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera ejus et membra laniarent ? »

Fraudassem præcipuo lumine, et commentario, ac testimonio tum Cornelii Vitam, tum cæterorum pontificum Romæ sedis hujus sæculi ac superiorum, nisi legendum hic exhibuissem locum integrum Cypriani. Nam in uno allatæ epistolæ testimonio ita luculenter exponitur tum beati Cornelii sanctitas morum, legitima vocatio, canonica electio, tum ratio disciplinæ ejusdem temporis, admoventis supremo apici sacerdotii eos qui per modestiam et pudorem virginalis conscientiæ tantam dignitatem refugerent, licet per omnia ecclesiastica officia gradatim probati spem de se tantam jure excitassent, ut essent per vim cogendi ad recipiendum episcopatum. Neque enim singulare id asserit fuisse in uno Cornelio, sed pari exemplo commune tunc redditum cæteris pontificibus divinitus electis, *quales*, inquit, *esse consueverunt qui ad hunc gradum divinitus eli-*

guntur. Nemo jam quærat sincerius, illustrius, securius documentum electionis pontificum Romanæ sedis de more habitæ per hanc ætatem, quam ex tanti martyris testimonio, qui non modo æqualis fuit istorum temporum, sed frequens etiam commercium litterarum exercuit cum Romana Ecclesia, ejusque apostolicis præsulibus. Apparent quoque in hisce litteris Cypriani vestigia canonum ac decretorum, quæ tribuuntur pontificibus superioris ætatis, aut hanc proxime consecutæ : ita ut cognoscatur ea disciplina moribus jam recepta, quæ scripto confirmata subinde fuit intra hoc sæculum de quo agimus per decreta pontificum Romanorum. Ut enim *per omnes ecclesiasticos gradus sensim ascenderetur ad culmen episcopatus,* scripta lex tribuitur Caio (infra num. 28). Mores vero in Cypriani epistola expressi receptam insinuant ante electionem Cornelii, quæ annis plusquam triginta præcessit pontificatum Caii : « De Dei et Christi ejus judicio, de clericorum testimonio, de plebis suffragio factus a pluribus episcopis et ordinatus dicitur Cornelius, vacante loco Fabiani (hoc est Petri) et gradu cathedræ sacerdotalis. » Quot apostolicos canones hæc verba illustrent : quam causam indicent diuturnæ vacationis sedis, cum tuto haberi minime possent episcopalia et sacerdotalia ista collegia, et suffragia exquiri : et quanta necessitas adegerit in prævisa difficultate futuræ electionis post martyrium alicujus pontificis, ut vicario munere cuipiam collato a decessoris providentia ostenderetur quodammodo Ecclesiæ post se utiliter eligendus qui ita emineret, satis deducitur ex recitata epistola Cypriani.

Linea 2. — *Sub cujus episcopatu Novatus Novitianum extra Ecclesiam ordinavit, et in Africa Nicostratum.* Historiam rei gestæ habes in litteris Cornelii ad Fabium episcopum Antiochenum, relatis ab Eusebio hist. lib. VI. cap. 43. Eamdem exhibui in Præfatione tomi I, num. 34 : simulque observavi, ex iisdem litteris Cornelii confirmari decreta complura præcedentium pontificum, perinde ac ex litteris Cypriani paulo ante memoratis. Vide etiam historiam schismatis Novati breviatam in notis Pagii et Somier.

Linea 3. — *Hoc facto, confessores qui se separaverant a Cornelio cum Maximo presbytero, qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi, et facti sunt confessores fideles.* Acta potiora persecutionis Decii, a Valeriano continuatæ, nobis eripuit immanis illa Diocletiani, quæ eamdem proxime excepit. Quare necessarium ducimus fragmenta undecunque colligere, licet insignia supersint in litteris Cypriani. Temporariam separationem a Cornelio Maximi presbyteri aliorumque confessorum Christi qui cum eo fuerant pro fidei assertione carceri mancipati, indicat Bibliothecarius emendatam fuisse stabili reversione ad Ecclesiæ unitatem, in qua postmodum permanserunt. Hunc eumdem *Maximum* presbyterum socium confessionis *Moysi* (alterius presbyteri Romani) memoravit numero præcedenti in Fabiano : quando post Fabiani martyrium *Moyses et Maximus presbyteri et Nicostratus diaconus comprehensi sunt, et in carcerem missi sunt.* Monui supra iteratam intelligi oportere hanc Moysis detrusionem in carcerem anno 250, postquam anno præcedenti sub Decio per menses complures (fortasse 5 vel 6) perpessus vincula, hujus secundæ detentionis alio semestri spatio confessor in carcere occubuit. Intelligimus ita sentiendum ex litteris Cornelii ad Fabium Antiochenum, ab Eusebio relatis loco indicato *(Hist Eccl.,* lib. VI, cap. 43) ubi ita scribit : « Maximus Ecclesiæ nostræ presbyter, et Urbanus ambo ex fidei nostræ confessione egregiam jam secundo laudem adepti. » Græcus textus expressius habet : δἰς τὴν ὁμολογίας δόξαν ἀρίστην καρποσάμενοι, bis ex confessione optimam gloriam consecuti. Iterato igitur fuerunt ad tentamen producti, et in carcerem conjecti, in quo Moyses A mense VI martyr occubuit. Martyrologium Romanum hujus Moysis presbyteri memoriam recolit die 25 Novembris, ejusque constantiam laudat tum adversus Gentiles, tum contra hæreticos Novatianos. Quare intelligimus juxta nostram Chronologiam, anno 250 post mortem Fabiano illatam pro Christo mense Januarii, sedem vacasse usque ad mensem Junii, quo Cornelius electus est pontifex Romanus, postquam ab Urbe discesserat Decius ad bellum Pannonicum et Scythicum, ineunte vere. A Cornelii electione mensibus circiter quinque egit in carcere Moyses, et cum eo reclusi confessores, quos nondum a Cornelio separaverat Novatus : qui ex Africa cum venisset vacante sede, sub initium episcopatus Cornelii turbas ciebat, improbans beati pontificis indulgentiam, qua lapsis pœnitentibus regressum ad Ecclesiam permittebat : juxta decretum synodi a se congregatæ circa Octobrem, aliorumque episcoporum communem sententiam in eisdem Cornelii litteris B expressam apud Eusebium. Post mortem Moysi Maximus presbyter aliique confessores Christi Novatianorum artibus ac præstigiis seducti recesserunt a communione Cornelii circa finem anni 250, vel initium 251. Verum, Deo dante, ad Ecclesiam iterato perducti firmiter adhæserunt imposterum Cornelio, ut ex hujus epistola ad Fabium (seu Flavianum, ut alii malunt) Antiochenum narrat Eusebius, et cum eo Bibliothecarius hoc in numero. Aliquot nomina confessorum fidelium cum Maximo reversorum ad Cornelium leguntur in eisdem litteris, nempe « Urbanus, Sidonius, et Celerinus : qui ingemiscentes ac dolentes quod a fraudulenta illa malignaque bestia inducti aliquanto temporis spatio ab Ecclesia recesserant, sese iterum Cornelio et Ecclesiæ submiserunt, præsentibus aliquot episcopis, ac presbyteris, et laicis. » Præter hos a Cornelio nominatim recensitos, aliorum quoque nomina possemus colligere ex fragmento antiqui marmoris reperto in cœmeterio C Priscillæ via Salaria, collato cum Martyrologio vetustiori sæpe laudati Florentini ; si fragmenti istius portio paulo amplior superesset. Visitur in eo cathedra eminens in medio posita, cui nemo insidet : sed hinc inde assident in humilioribus scabellis supposito pulvinari viri duo, indicati propriis nominibus, *Maximus* dextrorsum legitur, ubi vir maturæ ætatis, ut ex barba decenter attonsa qualem referunt imagines Adriani judicari potest, indutus tunica et pallio more Christianorum manum dexteram elevat complicatis duorum digitorum postremis articulis ad benedicendum ritu sacerdotali : ita ut Maximum presbyterum hæc imago referre videatur assidentem digniori loco in presbyterio prope cathedram episcopalem : cui etiam sinistrorsum assidet vir alter junioris ætatis, apposito nomine Secundinus. Complures versus huic tabulæ fuerunt incisi ; quorum tamen extremæ tantum supersunt syllabæ.... TIANÆ EJUS..... PTUM EST.. UM.. PICTA EST, ut epigraphis sententiam assequi plane non valeamus. D Forma elegans characterum ostendit incisum fuisse lapidem ante finem tertii a Christo sæculi, artibus nondum in deterius prolapsis : nempe circa ætatem Cornelii, de qua agimus. Quare hoc etiam in indicio temporis referri videtur hoc monumentum ad Maximum presbyterum, apostolicæ sedis ad unitatem reversum, relictis Novato et Novatiano *Secundinus* vero cum illo assidens ad alterum latus cathedræ videtur is, quem vetera Martyrologia inter martyres via Salaria in cœmeterio Priscillæ depositos, et hanc ad ætatem pertinentes, socium memorant ad diem 6 Augusti, observante Florentinio. Producit vir clarissimus ex Martyrologio Corbeiensi hanc periochen VI *Idus Aug. Romæ Natalis SS. Secundini, Severiani, Carpophori, Victorini, et Albini. Et in via Salaria Ostensi, Crescentiani, Sergii, Memmiæ, Julianæ, Cyriacetis, et Smaragdi,* SECUNDINI, *Albini, Victoriani, Faustini, Donati, Felicis, Silvani.* Hos ferme recenset partim die 7, partim VI Idus Augusti

vetustissimum illud opusculum scriptum ætate Damasi, et a nobis editum ex Bucherio inter Prolegomena, cui titulus est *Depositio martyrum*. In quo Bucherius adnotavit margini esse legendum *via Salaria*, ut in Corbeiensi. Via enim Salaria depositi primum sunt martyres illi, deinde nonnulli eorum translati a B. Marcello papa in prædium Lucinæ via Ostiensi. *(Vide Notas Florentinii, pag.* 740.) Plerique tamen ex cœmeterio Priscillæ serius extracti per Sergium II, dignoscuntur in titulum equitii, vetusto lapide id testante, ibi superstite, in quo leguntur nomina *Crescentiani martyris, Memmiæ, Julianæ, virginum et martyrum, Cyriacæ viduæ*, et in fine Epigraphis dicitur: *Hæc sanctorum corpora translata sunt de cimiterio Priscillæ via Salaria.* Viduam vero illam Cyriacam seu Cyriacetem ad hanc ætatem Cornelii pertinere ostendit prædium ejusdem in campo Verano ad sepulturam martyrum oblatum Ecclesiæ sub Xysto II, in quo is, cum Laurentio depositus fuit in persecutione Valeriani (ut paulo post legemus post alterum numerum) sub qua et ipsa decedens dormitionem accepit in agro suo, depositionem vero obtinuit in Priscillæ ad proximam viam Salariam: unde a Sergio II extractæ ejusdem reliquiæ divisæ postmodum fuerunt inter titulum equitii et basilicam S. Laurentii extra muros. In eodem opusculo Bucheriano mense Julio prope cœmeterium Priscillæ quod nominat, in adhærente cœmeterio Jordanorum scribitur, recoli memoriam Martialis, Vitalis, et Alexandri (filiorum sex Felicitatis) et in *Maximi* (cœmeterio) recoli memoriam *Silani*: ubi abdit: *hunc Silanum martyrem Novati furati sunt;* nempe *Novatiani*, ut in margine emendat Bucherius. Cœmeterium *Maximi* hæc Tabula indicare videtur, cum ejus nomine et imagine effossa ad cœmeterium Priscillæ via Salaria primo ab Urbe lapide in vinea Cl. V. Jos. Baptistæ Sintes una cum pluribus inscriptionibus, Christianorum depositiones indicantibus, et insignitis nominibus consulum: quas ad invisendas me humanissime invitatum anno 1715 donare etiam voluit hisce pretiosis monumentis antiquitatis, ut asservarem cum cæteris ad illustranda martyrum cœmeteria, et Chronologiam consularem collectis. Cœmeterium *Maximi* ex illo opusculi indicio recognoscit Bucherius in notis marginalibus: in quo cum legatur *Silanus* martyr (fortasse *Silvanus* nominandus) cum sociis ibidem depositis, eumque dicat suffuratos fuisse *Novatianos;* consolidantur indicia eumdem referentia cum *Secundino* aliisque ex nominatis inter socios confessionis Maximi presbyteri, ad Ecclesiam catholicam sub Cornelio regressi, post fraudes Novati detectas, ejusque gregalium. Quod autem hi suffurari voluerint corpus martyris *Silani*, aut *Silvani* depositi in cœmeterio Maximini, suspicari possumus id fuisse meditatos, vel ut martyrem suæ factioni vindicarent fraudulenter, quem forte incautnm ad eamdem dolose pertraxerant antequam resipisceret; vel ut honorem martyris subtraherent reliquiis ejusdem Silani aut Silvani, quem post regressum ad Ecclesiam, sive etiam constantem cum Moyse nunquam alienato sibi fortasse infensiorem præ cæteris fuerant experti. Cum versemur inter indicia, ex fragmentis epistolarum et historiæ expiscanda, lapidum quoque reliquias esse hic proferendas duxi: ut aliquando possint inservire ad pleniorem notitiam istorum martyrum ordinandam; si forte contingat alia fragmenta e ruderibus vineæ ac cœmeterii ipsi adhærentis effodi: quæ conjuncta cum marmoribus, et postremis versuum syllabis indicatis integram illorum sententiam demonstrent.

Moysis presbyteri (cujusmodi nomen Græcis litteris elegantis sculpturæ incisum reperi in cryptis ejusdem cœmeterii Priscillæ, sed non ita proximis vineæ Sintesianæ) beato fine in carceribus ita pariato cum mense Novembri anni 250 et cum fine ejusdem anni jugata temporaria secessione sociorum ad Novatiani partes declinatum; cum prioribus autem mensibus ante Pascha anni 251, expedito eorumdem regressu ad Cornelium et ad Ecclesiæ unitatem, cætera rite procedunt usque ad martyrium Cornelii. Nam, versante Decio in Pannonia per æstatem anni 250, æmulus princeps Julius Valens contra eumdem elevabatur circa Urbem: dum Cornelius, intrepidus Dei sacerdos, in cathedra sacerdotali Romæ consideret electus pontifex, et concilium episcoporum haberet de reconciliatione lapsorum circa mensem Octobrem, mitius agente in Italia persecutione per absentiam Decii: viresque et consilia ejusdem administrorum distrahentibus negotiis æmuli principis Valentis usque ad exitum anni. Interea Decio patre III et filio iterum consulibus aperientibus annum 251 in Pannonia, unde ad bellum Scythicum properabant, mittitur ad Urbem Valerianus, delata ipsi censura ipsi paulo ante destinata ex sententia senatus: qui persecutionem Decii cum Maximo præfecto Urbis in Christianos ita promovit, ut una eademque habita sit persecutio Decii, Galli, Volusiani et Valeriani; tum quia Decio imperante per Valerianum censorem mandato principis exercebatur anno 251, maxima illa potestate auctum, quam supra in notis chronologicis recensui ex Trebellio: tum quia hanc ipsam prosequebatur, non tam suo quam dominorum ingenio in brevi imperio Galli et Volusiani per annum 252, tum, denique, quia his in imperio succedens anno 253, Valerianus ex censore, creatus Augustus ab inceptis post aliquod temporis intervallum non destitit, licet initio sui principatus mitiora de nostris sentiret. Hinc autem oritur confusio illa temporum et gestorum hujus mistæ persecutionis, in qua Valeriano imperatori complura tribuuntur, quæ ante imperium censori gerebantur, tum Decii, tum Galli et Volusiani mandatis ipsi communibus cum Maximo præfecto Urbis; et contra Decio, et Gallo, ac Volusiani gesta assignantur post eorum cædem a Valeriano patrata, quasi per ejusdem censuram snb iisdem decessoribus principibus contigissent: ut constabit ex observationibus quæ sequuntur.

Cæterum Cornelius papa (ut ad ejus gesta ordine suo tradenda revertamur) prævidens armari contra sacerdotes Dei præcipua tela persecutionis Decii, mature promovendum censuit Lucium Vicarium suum ad ordinem episcopalem die Dominica, quæ incidit in Kal. Decembris anno 250 (ut constat ex epocha annorum III, totidemque mensium et dierum ejus episcopatui attributa in picturis Paulinæ basilicæ, cæterisque documentis proximo numero afferendis) antequam Valerianus censor, cum sævioribus mandatis sibi futuris communibus cum Maximo præfecto Urbis, a Decio in Urbem rediret. Post ejus adventum jussus exsulare Centumcellas intrepidus ibidem substitit, et litteris ultro citroque datis ad Cyprianum, fovit mutuam utriusque præsulis constantiam in fide. Impavidus *tantum temporis sedit exspectans corporis sui carnifices, et tyranni ferocientis ultores,* anni 251 parte reliqua. Circa Junium utroque Decio in campis Scythicis cæso, ad imperium evehitur Trebonianus Gallus primo ab exercitu, deinde a senatu, qui collegam dignitatis Augustæ cum Gallo dixit alterum Decii filium natu minorem Hostilianum, relictum Romæ a patre Decio et creatum Cæsarem. Gallus initio imperii, ut Zosimus narrat, « imperii Deciani memoriam cum honore ac benevolentia usurpabat, et alterum ex ejus filiis superstitem adoptabat, » nempe Hostilianum, quem Victor in lib. de Cæsaribus a patribus quoque, nempe a senatu, Augusti appellatione donatum cum Gallo refert, cum Galli filius Volusianus Cæsaræo tantum titulo decoraretur. Verum non diu superfuisse Decii filium Hostilianum uterque ostendit, et nummi comprobant; sive artibus Treboniani Galli peremptum, ut scribit Zosimus: sive pestilentia sublatum, ut narrat Victor, quæ anno 252 Romanum orbem ferme universum invasit, orta ex Æthiopia; et per annos decem con-

sequentes desolavit. Quare Hostilianus superstes esse potuit anno 252, quando Cornelius exsul Centumcellis accitus in Urbem a Maximo et ante tribunal productus, interrogantibus *Decio* (hoc est Decii filio *Hostiliano*, quem Acta *Decium* appellant) et Maximo præfecto respondit ea quæ in gestis illius martyrii recenset Schelestratius Antiq. Eccl. dissert. 2, cap. 6, et nos infra expendemus in notis ad lin. 16, donec via Appia secundo ab Urbe milliario perductus ad templum Martis, eique sacrificare recusans capite plexus cum sociis martyrium complevit die XVIII Kal. Octobris anno 255.

Linea 8. — *Rogatus a quadam matrona Lucina corpora apostolorum Petri et Pauli de catacumbis levavit noctu*, etc. Translatio prima sacrorum corporum Petri et Pauli ex loco ipsorum martyrii (ubi fuerant primum deposita, et ubi tropæa apostolorum indicabat Caius scriptor secundi sæculi) ad catacumbas prope cœmeterium Callisti, præcedere debuit hanc secundam, quæ ex catacumbis retulit Tusco et Basso consulibus eadem sacra pignora ad pristinum locum suæ confessionis. De prima vero translatione cum sit altum silentium, hæc secunda attribuitur Cornelio, qui certe solido quinquennio ante Tuscum et Bassum consules martyr occubuit. Jure igitur narratio istius translationis tam Baronio quam pluribus Historiæ ecclesiasticæ scriptoribus visa est obnoxia difficultatibus. Profecto hunc judico unum ex anachronismis, quos paulo ante memorabam irrepsisse in breviatores Actorum Cornelli, et hasce Vitas inde collectas, sive ex lacunis catalogorum, sive ex confusione gestorum in persecutione Decii et Galli, Valeriano censore, et Decii filii cum Gallo post mortem patris Augusta appellatione potiti, ac in Cæsarea confirmati per Gallum, cum Volusiano, in censuræ munere permanente Valeriano, et aliorum gestorum sub Valeriano jam principe, ad quem pertinet Tusci et Bassi consulatus, referendus etiam ad Pontificatum Sixti secundi. *Vide in eum notas Pagii infra num.* 24. Non igitur assentiar Pearsonio interpretanti translationem corporum utriusque apostoli de loco ipsorum martyrii ad catacumbas peractam fuisse Tusco et Basso coss., eo quod in *Depositione Martyrium* tertii opusculi Bucheriani (inter Prolegomena nostra) assignetur dici III Kal. Julii memoria depositionis Petri in catacumbis, et Pauli vio Ostiensi eisdem consulibus Tusco et Basso, pertinentibus ad annum 268, sexennio post martyrium Cornelii. Admittam facile ex loco martyrii ad catacumbas idcirco translata fuisse eadem sacrata corpora, præcipue autem Petri, inchoante persecutione Decii cum ejus imperio, per Cornelium anno 251, ex illa causa quam ibi Cestriensis recenset apud Pagium, nempe *ut ibi tutius haberi possent stationes*. Addo id, quod Cestriensis non attendit, nempe consuevisse haberi ordinationes ad Petri confessionem in Vaticano, ut pluribus demonstravi in præfatione tomi I, num. 30: quemadmodum et Alexandriæ, teste Liberato in Breviculo cap. 20. Patriarcha successor super decessoris defuncti corpus excubias agebat, manumque dexteram ejus suo capiti imponens, a sepulto manibus suis accipebat pallium beati Marci, colloque apponebat, et tunc legitime sedere censebatur. Romæ seclusa hac defuncti contrectatione, prope locum Petri confessionis ac depositi corporis stationes habebantur in sacris ordinationibus, ut constat ex sermonibus Leonis magni. Dirigente igitur Decio suæ persecutionis ictus præcipuos in sacerdotes, ut epistolæ Cornelii et Cypriani, atque Eusebius testantur, necesse fuit ordinandos subducere a consueto stationis loco, ethnicis jam satis noto sub imperio Alexandri. Cum tamen placeret servari veterem consuetudinem vigilandi apud corpus principis apostolorum, qui in secunda epistola sua edixerat daturum se operam diligenter, ut frequentes haberet post obitum suum fideles sibi concreditos ; hoc ipsum corpus fundatoris Romanæ Ecclesiæ transferre constituit Cornelius ad catacumbas : ubi jam Callistus satis amplum ac tutum cœmeterium et conventum episcopis et plebi Christianæ aperuerat : præterquam quod Cornelius gentis suæ prædium via Appia circa alterum ab urbe lapidem, ubi Corneliorum veterum sepulcra sita fuisse Tullius memorat, fortasse possedit, et huic usui liberaliter obtulit : ac translationem tutius peragere potuit utpote in proprium fundum, perinde ac si alicujus e gente sua funus curaret. Sixtus vero secundus Tusco et Basso consulibus retulisse videtur in pristinam sedem e catacumbis, scilicet in Vaticanum reliquias Petri, Pauli vero in prædium Lucinæ via Ostiensi ; cum a Stephani papæ martyrio in catacumbis perinde nota sedes conventus Christianorum haberi posset ad cœmeterium Callisti, ac nota censeri antea poterat statio ad Vaticanum, Utriusque autem translationis commistio in textum irrepsit, sive ex lacuna, quales in catalogo Liberiano supra observavimus conjungentes suppresso hiatu initia unius pontificis cum fine alterius ; sive ex perturbata notitia persecutionis Decii Patris, Galli, et filii Decii Hostiliani per Valerianum censorem sub iisdem Cæsaribus cum altera ipsius Valeriani jam principis, ut sæpe observandum monuimus.

Linea 16. — *Decius jussit præsentari cum præfecto Urbis in Interludio noctu ante templum Palladis* Ex gestis martyrii hæc periocha desumpta est, licet a rudi breviatore, aut descriptore nonnihil deformata : quam ex vestigio veteris Romæ restituit germanæ lectioni præstantissimus Antiquitatum interpres Jo. Petrus Bellorius, Nardinum secutus, ut asserit in notis ad Tabulam XIII vestigii veteris Romæ. Observat in marmore, Ichnographiam Urbis exhibente sub impp. Severo et Caracalla, prope Telluris ædem, indicatam per litteras IN TELL delineata conspici templa duo, ascripto indicio AEDES..... Horum unum attribuit Minervæ prope forum Palladium seu forum Nervæ, et comprobat ex Actis S. Gordiani hunc ipsum locum ejus martyrio delectum a præfecto Urbis Crescentiano. Bellori verba transcribam. « Famianus Nardinus regione IV, templum Telluris inquirens in foro Nervæ, advertit Servii verba ad lib. VIII Æneidis : *Carinæ sunt ædificia facta in Carinarum modum, quæ erant intra templum Telluris.* Probat illud *intra* non importare quæ in templo sunt, sed templo adjacentia ædificia, quasi infra templum, non in templo. Assentimur Nardino, sed ampliori interpretatione ; intra templum Telluris, et in Tellure idem esse, idemque significari credimus ex nostri vestigii titulo, referrique ad exteriora loca. Satis probant Acta sancti Gordiani : *Clementianus præcepit caput ei amputari ante templum in Tellure, corpusque ejus projici ante Palladis ædem.* Anastasius de Divo Cornelio : *Quem tamen jussit sibi præsentari cum præfecto Urbis in Interlude.* Emendat Nardinus *in Tellure.* Idem Nardinus templum Telluris statuit ad forum Nervæ, seu Palladium, ubi nunc ædicula sanctæ Mariæ Angelorum in via Alexandrina, quæ antiquitus tedebat ad Carinas, dividebatque regiones viæ sacræ et fori Romani : quæ via in nostro vestigio apparet. »

Nardini ac Bellorii emendationi ac sententiæ neminem puto refragaturum. Addere tamen juvat, quod paulo ante indicabam, in Actis Decium exhiberi jubentem, ut præsente præfecto Urbis sibi sisteretur Cornelius : quem subinde ad Martis deduci imperat, et nolentem sacrificare capite truncari. Decii filius Hostilianus, nomine *Decii* intelligendus hic est : quem propterea *Decium Cæsarem* Acta semper appellant : erat enim Cæsar a patre creatus antequam Urbe discederet ad bellum Scythicum cum majore natu filio Q. Herennio (qui etiam Decius nominatur in nummis et inscriptionibus) et in Urbe relictus : ubi post obitum patris et fratris Augusto imperio auctum cum Gallo, a quo adoptatus est, memorat Victor. Hunc igitur juvenem judicia exer-

centem contra Christianos (ut Patris exempla imitaretur) advocare par erat præfectum Urbis sibi adstiturum ad forum Nervæ, seu ad forum Palladium. Judicia ibi exerceri consuevisse, et tribunali i septis et cancellis instructa patuisse accedentibus ostendunt anaglypha in Arcu Magni Constantini sculpta, idemque forum exhibentia cum imperatore, ac judicibus, A et officis curiæ. Æneis laminis incisa nobis patent in libro eruditit præsulis Jo. Ciampini de Cancellario. Hic exhibenda curamus, ut lector agnoscat ex imaginibus illustrium virorum ibidem repræsentatis tum in columnis, tum in hermis, forum Palladium, seu Nervæ, ac Trajani proximum exhiberi.



Constantinus M. in Foro Trajani, Hermis, columnis, ac simulacris Virorum Illustrium mirifice exculta stans intra cancellos, cum Præsidibus, et Præfectis, aliisque Magistratibus Laticlavo ornatis, supplicum libellus excipiendis vacat. (Romæ in anaglypho Arcus Constantini.)

Vide reliquum Fori ex eodem anaglyho delineatum apud Ciampin. de Vice Cancell.

Linea 26. — *Episcopos per diversa loca numero* B *septem.* Ex his duos ipse recenset in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium : quos nempe substituit Novatianis totidem depositis, licet pœnitentibus, utpote ad laicam communionem tantummodo admissis.

Linea 28, 29. — *Juxta cœmet. Callisti via Appia in prædio suo,* etc. Quo ante transtulerat ex Vaticano corpus Principis apostolorum ; ubi deinde Leo Magnus ecclesiam construxit nomine B. Cornelii insignitam, ut infra in ejus numero. Inde autem extractum corpus ejusdem pontificis a Paschali primo delatum fuit cum SS. Urbano, Cæcilia, Tiburtio, et Valeriano, ad titulum S. Mariæ Transtiberim, ubi requiescit.

CIACONII.

Linea 2. — *Sub cujus episcopatu Novatus Novatianum extra Ecclesiam ordinavit.* Novatus episcopus Africanus, homo dolosus, et vafer, ex Africa C Romam navigans, similia illic et paria molitus est, conflans in Ecclesia Romana discordias, ac clero portionem plebis avellens : ab eodemque, ut a fonte. malorum omnium fluxit origo : primum namque schisma in Ecclesia Romana hujus opera fuisse constat. Novatianus enim quidam S. R. E. presbyter, ambitionis spiritu inflatus, a Novato et quibusdam confessoribus, ejusdem Novati suasu et dolis circumventi, qui diu pro Christi nomine in carcere et vinculis fuerant, pontificatum Romæ contra Cornelium assumpsit, Cornelium papam, et qui eum creassent, in hæresim prolapsos esse diffamans.

Linea 17. — *In Interludo.* Legendum in Tellude, seu Tellare. Telludis autem, seu Telluris, templum erat, in quo sæpe senatus coire consuevit : ut apparet ex Cicerone *Philosoph.* II, et Dione, *Hist. Roman.* l. XLIV.

PAGII.

Linea 2. — Novatus presbyter Carthaginensis, gravissimorum criminum reus, cum se propediem ab episcopis damnandum prævideret, Romam furtim profectus est, ubi Novatiano presbytero Romano conflandi schismatis auctor fuit. Novatianus quondam energumenus, in lecto baptizatus urgente morbo, cum convaluisset, cæremonias bapstimi in se suppleri nequaquam curavit, nec sacramentum Confirmationis, quod ex Ecclesiæ disciplina, statim post baptisma csnferebatur, suscepit. Aliquanto tempore elapso, presbyter factus est, episcopo de regulis ecclesiasticis cum ipso dispensante, quæ prohibeant ad clerum eos promoveri qui in lecto baptizati essent. Hæc et plura alia de eo narrat sanctus Cornelius in epistola ad Fabium Antiochenum, cujus fragmentum refert Eusebius lib. VI, cap. 43, ubi et aperit quibus artibus episcopatum invaserit. Novatianus factus antipapa ad sanctum Cyprianum, episcopum Carthaginensem, legatos misit ; at Cyprianus nec ejus ordinationem approbavit, nec cum schismaticis communicavit.

Error palmaris Noviatiani et Novatianorum in eo positus erat quod negarent, ut jam dictum est, Ecclesiam lapsis in persecutione indulgere posse : deinde cæteris etiam criminibus post baptismum commissis, nullam ab ea tribui posse veniam assererent. Eos, qui a catholicis ad illorum sectam deficiebant, rebaptizabant. Secundas nuptias damnabant, et bigamos a communione sua arcebant in perpetuum. In administratione baptismatis, Chrismatis delibutionem non adhibebant. Tandem celebrationem Paschatis, luna ipsa decima quarta, vel Dominica proxime sequente, vel ut rem indifferentem statuerunt in concilio Angari, Siricio papa sedente, celebrato : ex quibus patet Novatianos hæresim cum schismate conjunxisse.

Præter concilium Romanum a sancto Cornelio, mense Octobri anni ducentesimi quinquagesimi primi contra Novatianum et sequaces celebratum, de quo superius, aliud a sancto Cypriano Carthagine mense Maio anni ducentesimi quinquagesimi secundi coactum, in quo definitum est lapsis dandam esse pacem, peracta pœnitentia plena et diuturna. Tandem post mortem Fabii Antiocheni episcopi, qui Novatiani partibus nimis favebat, Demetrianus, ejus successor, eodem anno ducentesimo quinquagesimo secundo, synodum contra Novatianum celebravit, cujus meminit libellus synodicus. Quod autem aliqui scriptores tradunt, aliud concilium, in Italia contra eumdem antipapam coactum esse sub Cornelio, nullibi id legitur; sed solum, quia non pauci in Italia episcopi concilio Romano minime interfuerant, Cornelium eorum quoque sententias seorsim postulasse, unde concilium Italicum ex Hieronymo conflatum est.

SOMMIER.

Linea 15. — *Epistolam.* Non dissimulabo hic pondus addi et momenti plurimum non solum a Protestantibus, verum etiam a nonnullis scriptoribus e numero catholicorum, Cypriani verbis in epistola indicata ita conceptis : « Quæ autem causa veniendi (Romam) et pseudoepiscopum contra episcopos factum nuntiandi ? Aut enim placet illis quod fecerunt, et in suo scelere perseverant : aut si displicet et recedunt, sciunt quo revertantur. Nam cum statutum sit omnibus nobis, et æquum pariter sit ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit ascripta, quam regat unusquisque et gubernet, rationem sui actus Deo redditurus : oportet utique eos quibus præsumus, non circumcursare, nec episcoporum concordiam cohærentem sua subdola et fallaci temeritate collidere : sed agere illic causam suam, ubi et accusatores habere, et testes sui criminis possint ; nisi si paucis desperatis et perditis minor videtur esse auctoritas episcoporum in Africa constitutorum qui jam de illis judicaverunt, et eorum conscientiam, multis delictorum laqueis vinctam, judicii sui nuper gravitate damnarunt. Jam causa eorum cognita est : jam de eis dicta sententia est : nec censuræ congruit sacerdotum mobilis atque inconstantis animi levitate reprehendi. »

Quidam ex iis (Protestantibus) oblectantur super his verbis, tanquam dignis summa attentione ex eo quod, inquiunt, S. Cyprianus papæ significat, nihil ipsi commune cum rebus transmarinis esse, neque iis se immiscere oportere Romanam sedem.

E catholicis vero nonnulli considerant, ita conqueri Cyprianum in litteris ad Romanum pontificem datis super appellatione ad hanc sedem, tanquam de agendi modo contra regulas instituto. (Fleury, *Hist. Eccl.* lib. VII. num. 8.) Alii vero inferunt hac data occasione, prioribus Ecclesiæ sæculis judicia Ecclesiastica fieri consuevisse « a synodo cujuscunque provinciæ cum auctoritate metropolitani, adeo ut non liceret provocare judicio lato in synodo provinciæ. » *De Marca,* de Concordia *lib.* VII, *cap.* 1, *num.* 2.)

Verum Protestantibus respondetur, negando Cyprianum dicere hac in epistola, aut Romano pontifici significare non debere illum sese immiscere negotiis ultramarinis ; nam e contra addens iis, quæ in superioribus litteris, aut sermonibus scripserat, ea quæ in consecutione hujusmet epistolæ subsequi audiemus de S. sedis auctoritate, Petri cathedram hac ipsa in epistola appellat principem Ecclesiarum, unde unitas sacerdotalis exorta est, ac retinetur in cæteris : titulos profecto vanos futuros, atque imaginarios ; si sanctæ huic sedi negatur jus se immiscendi in rebus Ecclesiarum particularium : quarum complures nullo non tempore nimium tentarunt sese subtrahere ab hac principalitate Romanæ Ecclesiæ, et nodum illum unitatis dissolvere aut frangere. Constat utique sanctum episcopum invehi contra impudentiam hostium suorum, qui licet perciti fulmine anathematum ob scelera notoria, navigare audent ad Petri cathedram et ad Ecclesiam principalem, ad quam perfidia habere non potest accessum. Enim vero his loquendi formulis uti est potius jurisdictionem agnoscere et confiteri, quam repellere ac declinare. Quando interrogat cur Romam navigent, satis indicat, in ea se non esse sententia quæ asserat nihil ad Romanam sedem pertinere de Africanis (superiora enim repeti postulo quæ præcedenti capite attulimus) : sed id contendit oratio, quod sequentia demonstrant, ut ostendat inutilitatem ejus subterfugii, sive perseverent in scelere, quod nulla indiget probatione, sive resipiscant pœnitendo, quod in Africa præstat ostendere, ubi scandalum admissum reparari debet conspectu pœnitentiæ. Quod autem addit de loco causæ pertractandæ, de ipsorum condemnatione, de auctoritate Africanorum antistitum, a quibus fuerant judicati, ac de gravitate ipsorum censuræ non subvertenda levibus de causis, constantiæ sacerdotali minime responsuris ; id vero longe abest a protestatione aut exceptione, quasi contendat nihil sanctæ Sedi fas esse de Africanis decernere. Rationes nempe reddit Cornelio papæ servati ordinis in rebus gerendis, ut præmonitus pontifex de notoria scelestorum hujusmodi fama et consilio detecto, non alia de causa Romam adeundi, quam ut eos circumvenirent atque occuparent quibus antea cogniti aut perspecti non essent, cavere posset de quidpiam fraudulentis hisce captatoribus indulgentius concederet, unde sacerdotalis judicii majestas et gravitas labefactari videretur.

Quod autem attinet ad illorum catholicorum observationes, qui de appellationibus extra provincias ad Romanam sedem negotium inde facessunt quæstio est, num appellatio dicenda sit ad S. Sedem et de qua S. Cyprianus conqueritur apud pontificem Cornelium, tanquam de abnormi agendi ratione. Reputari enim posset potius præventio, quam appellatio ; cum Fortunatus Romam confugeret, ut ibi reciperetur tanquam legitimus episcopus Ecclesiæ Carthaginensis. non discussa prius causa ex canonum legibus in Africa, ubi certe justo judicio contendere nequaquam ausus esset. Ut ut sit, in observationibus invenitur satis ambigua sententiæ ratio. Præstat enim nitide intelligere, num auctor observationum affirmare velit, quamcunque appellationem ab Africanis episcopis, et conciliis ad Romanam sedem censendam esse actum abnormem seu irregularem, de quo S. Cyprianus conquestus fuerit ; ad id tantum contendat observare, appellationem illam solummodo ita interpositam a Fortunato judicandam esse contra juris ecclesiastici regulas. Qui factum hoc peculiare in judicium trahunt, citra difficultatem affirmabunt, particularem illam Fortunati appellationem et suorum gregalium fuisse alienam a juris ordine : sive studerent in integrum restitui super omnibus contra se in Africa judicatis et confirmatis Romæ, ubi Privatus ab episcopatu depositus, qui falsam ordinationem Fortunati nuper peregerat, a Fabiano pontifice pridem abstentus et pulsus de Ecclesia fuerat ; et ubi Novatus aliique perduelles schismatis illius complices et administri, anathemate perculsi fuerant ab ipso Cornelio sive ageretur tantummodo de hac ordinatione Fortunati, scelere in primis detestabili, super cujus defensione ne perditissimi quidem hi satellites ausi forent apud Africanos episcopos, quibus perspecti pridem erant ausus eorum et impudentia, judicium implorare. S. Cyprianus in epistola ad Cornelium evertit machinas perversæ hujus factionis hominum in utroque ex propositis consiliis. Cæterum affirmare voluisse Cyprianum, generatim de quacunque appellatione ab Ecclesiis Africanis ad Romanam, hebendas esse provocationes hujusmodi abnormes atque irregulares, id de

mum est quod sentire nequaquam debemus ac pronuntiare, licet indignitas admissi criminis peculiaris vehementius illud impelleret ad thesim genericam plus justo quodammodo perstringendam. Hanc vero exceptionem generis inferre necesse est ex iis quæ S. episcopus centenis in locis diserte expressit de suprema dignitate Romanæ sedis: quam imaginari certe non potuit ac traducere tanquam inanem titulum nullo auctoritatis vigore ac substantia solidatum.

Id tandem reponam tertio scriptorum generi antea indicato: quid inde consequatur, si etiam demus jura sanctæ Sedis plenum ac liberum exercitium consequi non semper potuisse prioribus Ecclesiæ sæculis apud universas provincias orbis quæ fide Christiana tum temporis induebantur, præpedientibus obstaculis persecutionum, aliisque ad rem tanti momenti stabiliendam non defuturis, quid, inquam, inde consequetur?

Tantæ molis erat Romanorum condere gentem.

Nihil attamen evidentius aut firmius constabilitum se manifestat, quam primordialia et originalia illa jura Romanæ cathedræ ac jurisdictionis. Consulantur oracula divinarum Scripturarum, et libri antiquorum Patrum vetustissimæ traditionis sequestres hoc nobis depositum præservantes; constabit nullam potestatem in terris evidentius ac solemnius auctoramentum obtinere a verbo ac lege Dei, quam illam S. Sedi de qua loquimur ita concessam. Ad hæc, quærenda est in occasionibus oblatis, et in opportunitatibus ac necessitatibus Ecclesiæ explicatio illa et enodatio jurium augustæ huic sedi divinitus attributorum, unde licet eorumdem extensionem amplissimam plenius recognoscere. L. Cyprianus, qui procul dubio recognovit in Romana Petri sede principia unde in eam derivant universa illa jura principalitatis ac prærogativæ, continenter per ipsam possessa et exercita sæculis consecutis, opinari potuit, judicia ecclesiasticorum definiri ac terminari oportere in eisdem provinciis ubi subortæ fuerant accusationes; quemadmodum credidit nullum esse quodcunque baptisma, a quovis hæreticorum genere ministratum. Num idcirco id erat veritati consonum quod ita Cypriano videbatur? Num usus universalis auctoritatem legis accommodabat peculiari Africanorum praxi, ut eam in sua provincia Cyprianus assereret? Non ita sane. Œcumenica concilia de utroque hocce quæsito consulta pleno lumini exposuerunt catholicam veritatem, et Ecclesiæ jura non satis fortasse cognita aut expressa a martyre Cypriano. Concilia illa recognoverunt et admiserunt jus provocationis ad S. Sedem tanquam unum ex attributis supremæ hujus dignitati ac potestati adnexis; non secus ac ejus fidelitas inviolabilis in custodiendo fidei deposito suis in decretis ad baptismi validitatem pertinentibus, rite ab hæreticis si conferatur: quod loco suo in proxime recensendis pontificibus fiet manifestum.

XXIII. SANCTUS LUCIUS.

ANNO CHRISTI 255, GALLI ET VOLUSIANI 2.

23. Lucius natione Tuscus [a], de civitate Luca, ex patre Lucino, sedit *annos tres,* menses octo, *dies tres* [b]. *Martyrio coronatur. Fuit* autem *temporibus Galli et Volusiani usque ad Valerianum tertium et Gallicanum* [c]. [d] *Hic exsilio fuit* relegatus, *postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est. Hic præcepit ut duo presbyteri et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent propter testimonium ecclesiasticum. Qui etiam a Valeriano capite truncatus* est III *Nonas Martii* [e] Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano Archidiacono suo, dum ad passionem pergeret. *Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembris* : *presbyteros quatuor, diaconos quatuor, episcopos per diversa loca* numero tres [f]. *Qui etiam sepultus est in cæmeterio Calixti, via Appia,* VIII Kalend. Septemb.. *et cessavit episcopatus* dies triginta quinque.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Lucius annos tres, menses octo, dies decem. Fuit temporibus Galli et Volusiani, usque Valeriano III et Gallieno II. Hic exsul fuit, et postea nutu Dei, incolumis ad Ecclesiam reversus est. Decessit III Nonas Martii coss. suprascriptis.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *CB*, natione Romanus ex patre Porphyrio. [b] *B*, biennio minus. [c] *B*, a coss. Gallo et Volus. ad Valerianum et Gallienum. *C*, secundum; *C*, Gallienum coss. [d] *Vide Baron ad ann.* 255 *et* 257. [e] *CB*, IV Non. [f] *CB*, septem.

VARIÆ LECTIONES

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 23, *lin.* 1, *AB*, natione Romanus, ex patre Porphyrio, *lin* 2, *AB*, menses tres. *lin.* 9, presb. 3, *lin* 10, numero 7.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, natione Romanus, ex patre Porphyrio. sed. ann. 3, m. 3, d. 3. Fuit autem temp. *lin.* 3, hic in exsilio fuit, postea nutu D. *lin.* 6 et 7, ecclesiasticum. Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ S. *lin.* 8, pergeret; qui etiam a Valeriano capite truncatus est III N. M. Hic fecit ordinationes tres per m. D. *lin.* 10 loca 7.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, natione Romanus, ex patre Porphyrio, sed. ann. 3, m. 3. *lin.* 3, hic in exsilio fuit postea. *lin.* 10, numero 7.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Vat., Reg. et Flor. duo,* Romanus ex patre

Porphyrio. *lin.* 4 *in Flor. secund. deest* relegatus. *lin. ead.*, Ecclesiam, *Cass. et Reg. addunt* suam. *lin.* 8, ordinat. duas, *Flor., Cass. et Vat.*, tres. *lin.* 10, *Vat.*, num. septem, *Flor. et Red.*, septemdecim.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, de civitate Luca ex patre Lucino. Sedit ann. III, m. III, dies III. *lin.* 3, hic exsilio fuit; postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRÆ

Linea 7. — *Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano archidiacono suo.* Lucius ad martyrium pergens, Stephano archidiacono suo dedit potestatem omnium rerum Ecclesiæ. Archidiaconus erat custos et administrator rerum Ecclesiæ. Hinc in archidiacono industriam requirit Hieronym. ad Evagrum : « Diaconi eligant de se quem industrium noverint, et archidiaconum vocent. » Et eum imitatus Sidon. lib. VI, epist. 25 : « Lector hic primum, post laborum temporumque processu, archidiaconus, in quo gradu seu ministerio multum retentus propter industriam. » Sic et Stephanus, proximus successor Lucii, ante martyrium omnia vasa Ecclesiæ, et arcam pecuniæ ecclesiasticæ, Xisto archidiacono suo in potestatem dedit, de quo Anastas. in Stephano : « Omnia vasa Ecclesiæ archidiacono suo Xisto in potestatem dedit, et arcam pecuniæ. » Idem ante præstitit Cornelius, de quo Anastas. : « Jam ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano archidiacono suo. » Xistus II Laurentium habuit archidiaconum suum, et martyrii æmulum. Hinc ille Xisto ad martyrium properanti, apud Ambros. I Offic. 41 : « Quo sacerdos sancte, sine diacono properas ? »

BENCINI

Linea 4. — *Hic præcepit, ut duo presbyteri... episcopum non desererent.* Antiquæ hujus consuetudinis memoria repræsentatur a Dionysio Alex. supra laudato, qui in sua epistola meminit presbyteri comitis, dum in exsilium pergeret, Decianis edictis perurgentibus. Diu permansit consuetudo recepta apud Orientis patriarchas. Epiphanius Constantinopolitanus tom. III Conc., p. 1036, electus anno 520 inter legatos Hormisdæ, directos in sua laudatur : « Heraclianus reverentissimus presbyter sanctæ majoris Ecclesiæ, et cohabitator prædicti sanctissimi archiepiscopi et patriarchæ Epiphanii. »

Linea 6. — *Qui etiam a Valeriano truncatus est* III *Nonas Martii.* Plura passus est sanctus Lucius, tum ex edictis Decianis, sicut etiam per Novatianos, qui non remiserant quidquam de priori in pontifices et catholicos præconcepta ira. Primo itaque exsilio multatur, quod antea dixerat Liber Pontificalis, et quidem initio pontificatus : ab exsilio vero liberatum incolumen redisse supponunt verba S. Cypriani pontifici scribentis : « Et nuper quidem tibi, frater charissime, gratulati sumus, cum in honore geminato in Ecclesiæ suæ administratione, confessorem pariter et sacerdotem constituit divina dignatio. » Geminatum dicit honorem, et confessionis factæ, et pontificatus, juxta supra observata. De incolumitate præsenti sic : « Sed et nunc non minus tibi, et comitibus tuis, atque universæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria, et laudibus vestris reduces vos denuo ad suos fecerit benigna Domini et larga protectio. » Ex honore confessionis, et decessoris Cornelii martyrio infert deinde S. Cyprianus sicuti Novatianorum schismaticorum pravitatem, ita certitudinem successionis in utrisque ; denotare eosdem schismaticos veluti Decianæ persecutionis primos auctores : « Intelleximus, frater charissime, et tota cordis nostri luce perspicimus divinæ majestatis salutaria, et sancta consilia ; unde illic repentina persecutio nuper exorta sit, unde contra Ecclesiam Christi, et episcopum Cornelium beatum martyrem, vosque omnes sæcularis potestas subito proruperit : ut ad confundendos hæreticos, et retundendos ostenderet Dominus, quæ esset Ecclesia, quis episcopus ejus unus divina ordinatione delectus, qui cum episcopo presbyteri sacerdotali honore conjuncti. » Etenim ad Valerianum usque, cum in clericos exardesceret persecutionum furor, incolumes permanebant Novatiani, qui et pontifices in suo schismate retinere non desierunt, et episcopos, quos ad Cœlestini papæ tempora perdurasse testatur Socrates, lib. VII, c. 11, quando publice eos habere prohibiti sunt. Parum quies duravit ; dum iterum in Christianos, clerum maxime, priora edicta roborantur : ex Dionysio Alex. hæc Hermanoni denunciante, apud Euseb. l. VII, c. 1 : « Sed neque Gallus culpam Decii intellexit, nec perspexit, quid tandem illum pessumdedisset. Quin potius ad eumdem lapidem ante oculos suos positum impegit. Qui cum imperium ipsius prospero in statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent, viros sanctos, qui pro pace, et incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant, insectatus est. » Novæ recrudescentis persecutionis causa extitit subsecuta pestilentia, quæ orbem universum, ut Orosius scribit, lib. VII, cap. 14, devastavit, et inter mortuos ex lue pestifera recensetur a Victore Hostilianus imperator : et cum ob eam avertendam, a gentium sacerdotibus vota, et sacrificia essent Apollini indicta (unde et numismata hujus temporis inspiciuntur, cum inscriptione, *Apollini salutari*) quæ ab universis peragenda juberent gentium pontifices ex imperiali edicto, a sacerdotibus gentium concitatæ plebes in circo Christianorum lanienam petierunt, quos omnium malorum auctores credebant, cum refugerent Apollini impia sacra offerre ; de qua populorum postulatione scribit Cyprianus epist. 55, et ipsum publicis plebium clamoribus expetitum ad leones, inquiens : « His ipsis etiam diebus, quibus has ad te litteras feci, ob sacrificia, quæ edicto proposito celebrare populus jubebatur ; clamore populorum ad leonem denuo postulatus in circo : » Hac inquam occasione Lucius iterato pesecutionem passus, glorioso martyrio finem vitæ et laboribus imposuit. An vero exsilio, an pœna capitali damnatus, disputant scriptores ; Liber Pontificalis capitali pœna multatum scribit, quod credibilius videtur, dum prior censenda victima instauratæ persecutionis.

Linea 7. — *Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano archidiacono.* Pariter in Cornelio dixerat de eodem Stephano : « Jam ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano archidiacono suo. » Duo itaque archidiacono pontificis tradita dicuntur : *potestas omnis Ecclesiæ, et omnia bona Ecclesiæ.* Hinc verior origo potestatis, dignitatisque archidiaconatus sedis apostolicæ, quæ diutius exstitit amplissima dignitas, et sede vacante, præcipuam retinuit sollicitudinem ejusdem Ecclesiæ. De dignitate certos nos facit S. Hieronymus, ubi de archidiaconis, in commen. ad c. XLVIII Ezech : *qui ignorantes humilitatem status sui ultra presbyteros intumescebant, et dignitatem non, merito, sed divitiis æstimabant.* Equidem anni 1097 Barensis concil. tempore in ea dignitate perseverabant, dum S. Anselmus ob doctrinæ præstantiam sedere jussus coram summo pontifice, *ad concessum apostolici levatus est, sedere jussus juxta Romanum archidiaconum, cui ante papam sedere moris est,* ut ait Guill. Malemurg., ubi acta hujus concilii recensentur. Sede vacante, demandatam Ecclesiæ curam, et ecclesiasticorum bonorum supremam custodiam archidiacono, cui socii erant archipresbyter et primicerius, suo loco dicemus. In utroque loco *suus archidiaconus* dicitur, quia ejus lateri perpetuo adhærebat. Sic apud Orientis patriarchas proprius aderat diaconus. Talis erat Athanasius, qui cum

diaconi Alexandrini officio fungeretur, vocatur perpetuus assessor patriarchæ sancti Alexandriæ. Sic synodus Alexandrina, coacta anno 340, testatur in sua synodica, ubi Arianorum artes describuntur, sic inter reliqua de Ario (tom. I *Conc.*, pag. 574): « Alexandro autem ob suam in Christum pietatem impium non recipiente, Athanasium tunc diaconum oderunt: quia eum assiduum esse apud Alexandrum, et in pretio haberi ab ipso curiose animadverterent: et quoniam jam antea ejus pro Christo pietatem in synodo Nicæna, ubi cum magna libertate contra Arianarum impietatem disseruerat, experti essent, in gravissimum odium exarserunt. » Præterea cum tyrannide Anastasii imperatoris ejicitur Euphemius, Macedoniusque sufficitur, archidiaconus ante depositionem primo aufertur ex Theophane: « Macedonius fidem obstringere promissus, Euphemium in baptisterio adiit, archidiacono a suis humeris auferri prius jusso, atque privato sacerdotis habitu Euphemium conveniens. » Inter Ecclesiæ bona archidiaconi custodiæ commissa, specialis erat ecclesiasticarum chartarum asservatio. Prudentius id advertit, dum prætorem inducit, Vincentio Cæsaraugustano archidiacono suadentem ut traderet libros omnes Ecclesiæ ejus diligentiæ concreditos. Peristeph. hym. 5, pag. 165.

Si tanta callum pectoris
Perdurat obstinatio,
Pulvinar ut nostrum manu
Abominaris tangere.
Saltem latentes paginas,
Librosque apertos detege,
Quo secta parvum seminans
Justis crematur ignibus.

Cum ad Eutychetis petitiones secunda synodus Constantinopolitana sub Flaviano indicitur ad probandum et experiendum an priora Acta essent fœdata, et furtim scripta aliqua essent ablata, Aetius archidiaconus Constantinopolitanus, cui ex officio identitas Actorum concredita erat, protestationem hanc emisit, ut legitur act. 1 Chalced. tom. II Conc. pag. 210: « Quoniam vero ante multum tempus, dum chartæ prius apud nos essent, Asterius qui nobiscum est, presbyter et notarius nobiscum est constitutus et agens, descendit et omnes chartas nostras abstulit, et schedas, et authenticas, et est duorum, aut trium mensium tempus, et nihil ex his habemus. Si ergo in posterum aliquid aut novetur aut dicitur, de præsenti negotio nos liberos esse docet. » Passim similia occurrunt in Actis conciliorum Orientalium.

BINII ET LABBEI.

Linea 3. — *Hic exsilio fuit relegatus.* Bis ob confessionem fidei exsulavit, semel cum Cornelio, et semel jam pontificatum adeptus, ut constat ex epistola Cypriani 58 ad eumdem scripta.

Linea 9. — *Episcopos.* Ex iis fuit unus Melanius episcopus Rothomagensis, sanctitate celebris, de quo vide Baron. in notis ad Martyrol. Roman. die 28 Octobris.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Picturæ S. Pauli Lucio assignant annos III, menses III, dies III. Sunt autem numeri integrius præservati, atque evidentiores ex hoc pontifice ad consequentes usque ad S. Innocentium I. Quare et catalogorum consensus cum illis major: ita ut in Lucio solius Liberiani exemplum, licet in annis cum cæteris consentiens, mensibus quinarium v adjiciat (fortasse quia amanuensis descriptor codicis, oblitteratas siglæ M. indicis mensium hastas primam ac postremam non attendens, loco describendi M. III expressit v. III). In dierum numero cum X pro III reddiderit, quem numerum universi catalogi non secus ac picturæ servant; vitium detritæ scripturæ manifestat in eo vetusto exemplari, quod amanuensis in Lucii pontificis epocha præ oculis habebat. Verum unius codicis defectui cæterorum omnium consensus opportune medetur, et constanter legendum esse docet cum autographo picturarum ævi Leoniani annos III, menses III, dies III. Martyrium Lucii, consignatum die III Martii, non modo in codicibus, sed etiam in vetusto marmore sæculi octavi apud titulum Romanum SS. Stephani et Silvestri, et in catalogo depositionum pontificum Rom. ætatis Liberii papæ, edito supra ex Bucherio in prolegom., refertur in catalogis, non secus ac in Libro Pontificali, ad consules Valerianum et Gallienum: quibus tamen numeri consulatus perperam assignantur III et II, cum in periochia sequenti eorumdem catalogorum iidem consules terminent epocham Stephani successoris. Quare Valerianum II et Gallienum in Lucio consignandum non dubie intelligimus, qui coss. pertinent ad annum Christi 254, etsi amanuensium incuria consulatum III Valeriani patris pro secundo expresserit, pari negligentia ac in nomine Gallieni filii describendo peccavit, pro quo *Gallicanum* perperam obtrusit, ut laudatus Bucherius pridem adnotavit. Ex die igitur 3 Martii anni 254 recedendo in anteriora per annos 3, menses 3, dies 3, pariamus ordinationem beati Lucii ad episcopalem gradum cum die Dominica 30 Novembris anni 250, semestri fere spatio, ex quo mense Junio ejusdem anni ad pontificatum Romanum evectus fuerat B. Cornelius, ut numero superiori probavi. Vicarium propterea constitutum fuisse Lucium a Cornelio non dubitamus, persecutionis sævissimæ tempore episcopi vicarii præsentiam postulante, ubi in exsilium (uti contigit) pelleretur Cornelius. Postulabat etiam provida cura pontificis, ut contra molitiones Novati ac Novatiani, ambientium Romanæ sedis principatum invadere, aditus omnis obstrueretur, electo etiam ad dignitatem vicarii papæ notæ virtutis præsule, quem Ecclesia paratum haberet administratorem omnis officii sacerdotalis. Additur ad comprobandam necessitatem episcopi vicarii, et ipsum Lucium pulsum fuisse in exsilium, deinde incolumem Dei nutu reversum. Sæviebat nempe in Dei sacerdotes Decii persecutio, et Valeriani, primum censoris sub Decio, deinde ejusdem successoris in imperio post Gallum et Volusianum, ut constat ex litteris S. Cypriani, atque ex homilia S. Leonis Magni. Cyprianus epistol. 52, ad Antonianum editionis Pamelii, de persecutore Decii ait: « Cum tyrannus, infestus sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur. » S. Leo Magnus serm. in nat. sancti Laurentii de persecutione primum inchoata sub Decio, deinde renovata sub Valeriano ita scribit: « Cum furor gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra sæviret, ac præcipue eos qui ordinis erant sacerdotalis impeteret, » etc. Dei sacerdotes contra persecutiones cleri, non modo sedebant intrepidi, sed etiam strenuos duces clero et populo proponebant, præsertim cum ipsi Roma expellerentur, ut vices suas fortiter obirent tam contra ethnicorum rabiem, quam contra schismaticorum perfidiam. Hæc necessitas vigilantiæ sæpe suadebat, ut ad episcopatus ordinem suos vicarios promoverent hac difficili tempestate Romani pontifices Cornelius, Lucius, ac Stephanus, ut in singulis expendemus. Vicario itaque nomine administravit Ecclesiam Romanam Lucius, constante Vita Cornelii. Post ejus vero martyrium ex vicario electus successor anno 152, die Dominica 17 Octobris, cum vacatio sedis in Libro Pontificali dicatur pertingere ad dies 36, pontificatum produxerit usque ad diem 3 Martii anno 154, Valeriano Augusto II et Gallieno Aug. coss., qua martyrii palmam obtinuit. cum numeraret Romanæ sedis a 35 die post obitum Cornelii annum I, menses IV, dies XV. Episcopatus vero ab ordinatione sua exegit annos III, menses III, dies III, signatos concordi testimonio omnium documentorum, ut in prolegomenis videre licet. Eusebius, et Prosper, adnotante Schelestratio, in

fine cap. 6, dissert. 2 antiquit. Eccl. definiunt *octo mensibus* Lucii pontificatum, fortasse non computantes tempus ejusdem relegationis; cum et ipse Stephanum ex archidiacono episcopum vicarium ordinaverit ut videbimus numero sequenti.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 1, 2. — *Annos* III, *menses* VIII, *dies* III. Dixi in notis chronologicis, numerum mensium; in exemplo Liberiani catalogi a cæteris dissentientem, istorum testimonio et picturarum ævi Leoniani esse ad ternarium redigendum.

Linea 3. — *Valerianum* III *et Gallicanum.* Ibidem probavi restituendam esse lectionem consulatus, et exprimendos coss. *Valerianum* III *et Gallienum.*

Linea 4. — *Hic præcepit, ut duo presbyteri, et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent, propter testimonium ecclesiasticum.* Supra in Evaristo num. 6 vidimus, episcopo prædicanti fuisse attributum comitatum *septem diaconorum propter stylum veritatis.* Hic vero episcopo ubique agenti comites individui deputantur presbyteri saltem duo, diaconi tres, *propter testimonium ecclesiasticum.* Et hoc expositum fuit in notis Altaserræ, Bencini, et nostris, quas consule a col. 1137 ad 1146.

Linea 6. — *Capite truncatus est* II *Nonas Martii. Hic potestatem dedit omnis Ecclesiæ Stephano archidiacono suo, dum ad passionem pergeret.* Idem præstitum a Cornelio; nisi periocha ista ex Vita Lucii translata sit in Vitam Cornelii: quod suspicari facile quis poterit ex adjecta indicatione ejusdem diei in num. Cornelii lin. 23: « Post hoc, id est III Nonas Martii jam ante passionem suam, omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano archidiacono suo. » Dies enim III Nonas Martii ea fuit, qua ad martyrium processit Lucius, ut hic asseritur, et Ecclesiæ tabulæ contestantur; Cornelius vero die 14 Septembris ad passionem perducebatur, ut ex Hieronymo aliisque scriptoribus ac documentis in ejus Vita observari. Potuit attamen etiam Cornelius eumdem archidiaconum habere Stephanum, qui etiam Lucio ministravit, et diversam potestatem nempe in bona Ecclesiæ temporalia ei conferre, ut fusius exponam in notis chronologicis ad Stephanum.

Linea 8. — *Fecit ordinationes duas per mensem Decembris.* Hæc indicant, Romanum pontificem Lucium plusquam anno solido Ecclesiæ præfuisse; cum duas ordinationes habuerit mense Decembri. Quare confirmatur nostra chronologia, quæ juxta Bibliothecarii textum, post obitum Cornelii attributis diebus 35 vacationi sedis. ex die 14 Septembris anni 252, qua Cornelius capite truncatus palmam obtinuit, ad 19 Octobris, qua Lucius, ante vicarius, electus fuit successor Cornelii, primam ordinationem a Lucio Romano pontifice habitam refert ad Decembrem ejusdem anni 252, alteram vero ad Decembrem anni 253; et Lucii martyrium pariat cum die III Nonas Martii anni 254. Ita enim fit, ut ab ordinatione sua ad episcopatum (referenda ad diem Dominicam Kal. Decembr. anni 250, qua vicarius a Cornelio constituebatur) numerentur ejusdem episcopatus anni III, menses III, et die totidem, ut in nobis chronologicis demonstravi.

CIACONII.

Linea 3. — *Lucius natione Tuscus.* De ejus successione in sede pontificia proxime post Cornelium tradunt Eusebius, Hist. l. VII, c. 2; Optatus Milevitanus, lib. II contra Parmen.; S. Hieronymus de Script. eccles. in Chron.; S. Augustinus, epist. 163, et S. Cyprianus in epistola ad eumdem Lucium papam tanto viro digna.

SOMMIER.

Linea 3. — *Hic in exsilio fuit relegatus, postea,* etc. Illico pulsus fuit in exsilium a persecutionibus, sed quantocius restitutus fuit Ecclesiæ suæ, Deo donante. Africana vero Ecclesia, quæ ad eumdem scripserat super electione sua et super exsilio, non omisit etiam de reditu litteras dare. Post enuntiatum gaudium, quod in Romanis fidelibus commune erat de restituto sibi pontifice, et Africanorum vota, cupientium ejusdem gaudii vim præsentiæ fructu cumulare, declarat vicarias accessus sui se dare ad eum litteras, testaturas in communionem lætitiæ non minus quam obsequii se cum Romanis venire, fidelisque obedientiæ interpretes, quam transmarini episcopi cum suis populis ipsi præstabant. Enuntiant etiam hujusmodi litteræ, ex quo dæmonis astus idcirco orthodoxos tantummodo aggrediebantur, quod hæreticos atque schismaticos sub potestate sua jam teneret; Deum permisisse, ut malignus ille spiritus tunc suscitaverit persecutores, qui in solos catholicos insurgentes, relictis in placida quiete sectariis, servirent etiam nolentes Dei consilio, ita disponenti, ut vera inde dignosceretur Ecclesia, cum novatorum pudore: testimonium oppido excellens de constante fide nunquam non asserta universa in Ecclesia Dei de Romanæ hujus præstantia, cujus auctoritati comprobandæ nullo non tempore inserviunt iidem ipsi, qui ad eam destruendam animantur: « Vicarias vero pro nobis, ego, et collegæ, et fraternitas omnis, has ad vos litteras mittimus, charissime, et repræsentantes vobis per epistolam gaudium nostrum, fida obsequia charitatis exponimus..... unde sæcularis potestas subito proruperit, ut ad confundendos hæreticos et retundendos, ostenderet Dominus quæ sit Ecclesia, quis episcopus ejus unus, divina ordinatione electus, qui cum episcopo presbyteri sacerdotali honore conjuncti, quis adunatus et verus Christi populus, Dominici gregis charitate connexus; qui essent quos inimicus lacesserent; qui contra, quibus diabolus ut suis parceret. » (Cyprian., *epist.* 71.)

XXIV. SANCTUS STEPHANUS.

ANNO CHRISTI 257, GALLI ET VOLUSIANI 4.

24 *Stephanus, natione Romanus, ex patre Julio, sedit* annos quatuor, menses duos, dies decem [a]. *Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Valeriani et Gallicani* [b] *et Maximi usque ad Valerianum tertium et Gallicanum secundum* [c]. [Suis temporibus exilio est deportatus, postea nutu Dei reversus est ad Ecclesiam incolumis. Et post dies triginta quatuor tentus a Maximiano missus est in carcerem cum novem presbyteris et duobus episcopis, Honorio et Casto, et tribus diaconis, Xisto, Dionysio et Gaio. Ibidem in carcere ad Arcum Stellæ fecit synodum, et

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. 5, m. 3, d. 22. [b] *B*, Volusiani, Valeriani et Gallieni a coss. Valer. et Galleni, ad Valer. IV et Gall. III. [c] *C*, Valerianum quarto et Gallicanum tertio.

omnia vasa Ecclesiæ archidiacono suo Xisto in potestatem dedit, vel arcam pecuniæ, et post dies sex exiens sub custodia ipse simul capite truncatus est.] *Hic constituit sacerdotes et levitas, ut vestes sacratas in usu quotidiano non* uti, *nisi in ecclesia* tantum. *Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrium :* presbyteros septem[a], diaconos quinque, episcopos per diversa loca numero tres. Qui etiam *sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia,* IV Nonas Augusti. *Et cessavit episcopatus dies viginti duos.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Stephanus annos quatuor, menses duos, viginti unum. Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a consulatu Volusiani et Maximini usque Valeriano III el Gallieno II.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *CB*, sex.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 24, *lin AB,* dies 15. *lin.* 4, suis temporibus etc., *desunt in AB usque* hic constituit. *lin.* 10, *A,* vestibus sacratis, *B,* veste sacrata. *lin.* 14, *A,* Nonis Augusti.

Ex cod. Regio, Mazarino et Thuano.

Lin, 1, sed. ann. 7, m. 5, d. 2. Fuit autem temporibus. *lin.* 4, secundum : hic constituit sacerdotes et Levitas vestibus sacratis in usu cottidiano non uti, nisi tantum in ecclesia. Hic fecit ordin. 2 per mens. D. presb. 6, diac. 5, ep. per d. l. 3 : qui etiam martyrio coronatus est, et sep. in cimit.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, ex patre Jobio : sed. an. 7, m. 5, d. 2. *lin.* 3, Val. Gal. et M. *lin.* 4, secundum. Hic constituit sacerdotes levitas, ut vestes sacratas in usu cotidiano non uti, nisi in ecclesia, etc., *ut lin.* 11, nisi in ecclesia. Hic f. *lin.* 12, pr. 6.

A *Apud Holstenium et Schelestratium.*

Lin. 1, *Reg. et Flor. sec.,* Jovio, *Flor. duo et Reg.,* annos VII, mens. V, dies II *lin.* 4–10 *verba* suis temporibus... truncatus est, *absunt a codd. Vatic., Flor. duobus et Reg. lin.* 10, ut vestes ; ut *deest in Vat qui legit* veste sacrata. *Florent. retinet ut, sed legit,* non utantur. *lin. ult. addit Flor. :* et presbyteri præfuerunt a consulatu Maximi et Glabrionis II usque ad Tuscum et Bassum, a consulatu Tusci et Bassi usque XVII Kalend. Aug. quo tempore fuit maxima persecutio sub Decio. *Florent. subjungit :* quæ mox in Xysto quoque repetuntur.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 6, duobus episcopis Honorium et Castum, et III diac. Xistum, Dionysium et Gaium. ibidem, etc, *lin.* 9, ipse sing.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 4. — *Suis temporibus,* etc. Quæ hac nota B continentur, a pluribus mss. codicibus absunt, ut ex Luca Holstenio in margine notatum est. Certum autem videtur, priora verba de reditu ab exsilio, ex actis Lucii in hunc locum irrepsisse ; cætera unde desumpta sunt ab illo qui Librum Pontificalem hoc loco interpolavit, fateor me ignorare, non enim in actis ejus, quæ in ms. codice 5771 Vaticano exhibentur, reperire potui : quin potius ibidem refertur, Stephanum in cœmeterio Calixti, in propria sede decollatum fuisse.

ALTASERRÆ.

Linea 10. — *Hic constituit sacerdotes et levitas vestes sacratas in usu quotidiano non uti, nisi in ecclesia tantum.* Ne presbyteri et diaconi sacris vestibus uterentur in usu quotidiano, vetuit Stephanus. Nomine notantur Vandali, quod de sacris pallis et vestibus vestes sibi facerent. Sigebert. ad. ann. 451 : C « In Africa exardescentibus Vandalis cum, ita divinos libros exurerent, et de sacris palliis ac vestibus vestes sibi facerent. » Proculum missum Genserici regis Vandalorum arguit Victor Uticens. de Persecut. Vandal. quod de pallis altaris camisias sibi et femoralia faceret.

BENCINI.

Linea 4. — *Suis temporibus exsilio est deportatus, postea nutu Dei reversus est ad Ecclesiam incolumis.* Electus Stephanus in ipso fervore edictorum a Gallo et Volusiano confirmatorum, forsitan etiam Novatianis perorantibus, imperatorum jussu in exsilium fuit demandatus cum reliquis de clero. Verum cum Valerianus imperium capessit, sive consueta indulgentia, qua rei præcipue exsilio multati revocabantur ab imperatoribus recenter electis, sive ex quadam in Christianos proclivitate, tunc Stephanus revertitur liber. De hac persecutionis cessatione loquitur Dionysius in sua epistola, apud Euseb. lib. VII, c. 1, dum refert, et mala communia, et quæ passi sunt Christiani, et subsecutam pacem : « Post hæc bellum et fames excepit : quæ quidem nos cum gentilibus junctim pertulimus. Et ea quidem mala, quæ nos attriverunt, soli sustinuimus. Quæ autem ipsi sibi vicissim intulerunt, et passi sunt, eorum partem toleravimus. Sed rursus oblectavit nos pax illa, quam Christus nobis solis indulsit. » Eusebius l. VII, c. 10, quidem Valeriani imperatoris primordia referens, ejus in Christianos benevolentiam his verbis commendat : « Mansuetus quidem et benignus erat erga famulos Dei. Neque enim ullus superiorum principum, ne illi quidem qui palam Christiani fuisse dicuntur, tanta humanitate ac benevolentia nostros complexus est, quantum ille præseferebat initio principatus sui : totaque ejus familia piis hominibus abundabat, ac Dei Ecclesia esse videbatur. » Interim tamen advertere oportet Librum Pontificalem a schismate Novatiano adnotare solitum confessiones pontificum repetitas ; ut eo etiam titulo ostenderet legitimam successionem in cathedra Petri, cum Novatiani persecutionum auctores tuti persisterent, nullo fidei confessionis specimine, illustres pontifices vero ac reliqui fideles sæva persecutorum tempestate exagitarentur.

Lineis 7 et 8. — *Ibidem in carcerem ad Arcum Stellæ fecit synodum,* etc. Forsitan locus a signo, alioque casu sic indigitatus. Neque carceris angustiæ inhibebant quin episcopi synodum haberent ; rigor enim ipse edictorum Decianorum, quæ specialiter majores clericos insectabantur, celebrationi forsan locum dedit ; potuerunt enim convenire cum pontifice Stephano plures episcopi, ii nempe quos prius Ecclesiæ concessa tranquillitas in Urbem adunaverat, aut ii qui ex Urbis presbyteris in eodem degebant carcere clausi. Quo sensu scripsit eodem

tempore Cyprianus (*epist.* 82) : « Quid autem de cætero nos observare conveniat, antequam in me super confessione nominis Dei proconsul sententiam ferat, instruente Domino in commune disponemus. » Sic sanctus Petrus Alex. in fine vitæ similem dispositionem fecit, uti laudata supra Acta a Combefisio edita referunt. Equidem pontifices in vitæ exitu saltem archidiacono consuevisse generalem instructionem tradere docet Liber Pontificalis in Cornelio, Lucio, et Sixto II : ita Liberius in exsilium deportandus, clero advocato, Damasum vicarium constituit, ita eum commendans in Vita Damasi : « Habetis autem vicarium fratrem. et compresbyterum Damasum, virum utique fidelissimum et cunctis virtutibus adornatum. cujus prudentiam, et constantiam mihi publice prædicatis, ut prævio post Deum in cunctis viis vestris utamini. » Vel dicere possumus, S. Stephanum non in carcere obvio et criminali synodum habuisse, sed in crypta, ubi delitescebat ob persecutionem motam, quam carcerem utique voluntarium hic Liber Pontificalis indigitat. Forsitan id desumpsit ex sancti Stephani Actis apud Surium, quæ testantur, « eum in cryptis martyrem assidue missas, et concilia celebrasse, et ibi caput amputatum. »

BINII ET LABBEI.

Linea 3. — *Valerianum tertium.* Mendosum esse probat Baronius anno Christi 260, num. 2. Quarto enim consulatu Valeriani, Acta sancti Stephani emendatiora consignata sunt.

BLANCINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Cum picturis basilicæ S. Pauli potiores catalogi consentire intelliguntur, editi in Prolegomenis. Nam Liberianus omnium antiquissimus cum cæteris Italiæ vestustioribus consonat in annis ac mensibus, expuncto errore amanuensis, qui siglam denarii x imprudenter addidit soli Farfensi, et unitatem detraxit soli Cavensi. Dierum numerus in Bergomati deformatus fuit in XI ex XV detrito posteriori ductu denarii: cum descriptor catalogi Liberiani notam denarii duplicaverit. Cæterum Italici dies XV exhibent cum picturis Leonianis. His omnino concordant catalogus Belgicus Papebrochii, quo ex Colbertinis, et codex Ocriculensis quartus, eamdem epocham retinentes, quæ resultat ex picturis S. Pauli et ex catalogis Liberiano et Italicis, annorum scilicet IV, mensium II, dierum XV.

Dies martyrii B. Stephani, ac depositionis, in laudato documento ætatis Liberianæ supra edito col. 972 seqq, in Prolegomenis ex Bucherio, necnon in tabulariis Ecclesiæ, et in Libro Pontificali consignatur die 3 Augusti: *Quarto Nonas Augusti Stephani in Callisti.* Consules vero expressi in catalogo Liberiano Valerianus III et Gallienus II indicant annum æræ Christi communis 255, qui numeri consulatuum signabantur in termino decessoris. Sed quemadmodum ibi legendum esse monui *Valerianus II et Gallienus;* ita hic scribendum esse affirmo *Valerianus* IV et Gallienus III, ut indicent annum 257. Ex pontificatu Sixti successoris collato cum actis proconsulatibus martyrii S. Cypriani, necnon ex hujus epistolis id evincam numero sequenti.

Ex hoc igitur termino diei 3 Augusti anni 257, recedendo in anteriora tempora per annos IV, menses II, dies XV, sese offert dies ordinationis beati Stephani, a sancto Lucio papa, cujus erat archidiaconus, promoti ad episcopatum, ut vicariam administrationem in Urbe exerceret, dum ipse pontifex Lucius in exsilium pelleretur.

Notandum tamen est, phrasi diversa narrari primum delectum Stephani archidiaconi a Cornelio habitum, et secundum a Lucio. In priori enim electione Cornelius tradebat Stephano *omnia bona Ecclesiæ;* in secundo, Lucius. *omnem potestatem Ecclesiæ.* Non obscure indicatur, a Cornelio contradita fuisse vasa, opes, et bona temporalia Ecclesiæ distribuenda in alimoniam pauperum, et ad eorum inopiam relevandam, archidiacono Stephano ; non secus ac ipse Stephanus papa Xisto archidiacono dedisse legitur *(supra, in textu) in potestalem omnia vasa Ecclesiæ. vel arcam pecuniæ.* A Lucio vero, qui eumdem Stephanum archidiaconum provexerat ad ordinem episcopalem anno 253, mense Maio (quemadmodum colligitur ex ejusdem epocha), *potéstas* data est *omnis Ecclesiæ,* ita ut haberetur simul, et archidiaconus in erogatione patrimonii ecclesiastici, et episcopus vicarius in supplendis vicibus officii sacerdotalis per absentiam aut detentionem Stephani exsulare jussi.

Confusio quæ irrepsit in Acta ipsius septimæ persecutionis a Decio pertingentis ad Valerianum, sive in breviatores Actorum ad eamdem persecutionem spectantium sub principibus brevis imperii Decio, Gallo, Volusiano, Æmiliano, perperam retulit ad diem progressus ad martyrium beati Lucii hanc delegationem vicariæ potestatis, collatæ Stephano ex archidiacono in episcopum adjutorem assumpto, quæ referenda erat ad epocham ejusdem exsilii, memorati in epistolis beati Cypriani. Hoc vero mirum videri nequaquam debet, ut in eam scilicet confusionem inciderint Actorum breviatores, ætatis dissitæ ; cum Orosius lib. VII, cap. 14, de his eisdem temporibus agens, a quibus non distabat plusquam annis 140, perperam confundat Gallum cum Hostiliano, uti adnotavit Pagius, critic. in Baron. ad annum 252, num. 14.

Profecturus igitur extra Urbem Lucius in exsilium non diuturnum (quod attamen ad semestre spatium redigere ex initio persecutionis Pagius jure denegat Pearsonio, frustra id colligere contendenti ex adverbio *nuper,* per Cyprianum adhibito etiam ad spatium triennii denotandum, ut ibidem observat Pagius ad ann. 252, numero 17) circa ætatem, aut ver. adultum anni 253, episcopali charactere insignivit Stephanum archidiaconum, eique potestatem impertivit Ecclesiæ Romanæ per sui absentiam vicario nomine gubernandæ.

Eadem ferme tempestate, qua in exsilium pellebatur Lucius, perlatum est ex Pannoniis, ab illo exercitu ad imperium acclamari Æmilianum ducem limitis Mœsiæ. Contra eumdem profectus ab Urbe Trebonianus Gallus, Interamniæ cum eo confligens in acie cæditur. Remissius agere cœpit sub Æmiliano principe localis illa persecutio, quam Romæ non intermiserat Gallus. Breve tamen imperium Æmiliani, trimestre aut quadrimestre spatium vix emensi per æstatem anni 253, locum fecit principatui Valeriani: et quidem hoc anno 253 æræ Christi ante autumnum, ut ostendit nummus Ægiorum in Cilicia percussus Æmiliano, et signatur æra ΘqΣ (299), videndus in musæo Corrario, ex quo vulgavit Vaillantius in secunda editione. Nam æra Ægiorum cum incipiat ex autumno anni U. C. 706, Caleno et Vatinio coss., quo constat Cæsarem a Syria per Ciliciam transeuntem, teste Hirtio, beneficia, complura hujus provinciæ, civitatibus contulisse; Ægienses, qui ab Alexandro Magno conditam urbem suam memorabant, et æra Macedonica ex autumno utebantur, annos suos imposterum ex hoc beneficio Cæsaris computarunt: quorum 299 pariatur cum mensibus æstivis anni 253 æræ Christi communis.

Quadrimestre hoc imperium Æmiliani excepit ex mense Septembri principatus Valeriani, ut recte statuit Lydiatus, et comprobant nummi ab iisdem Ægæensibus Ciliciæ percussi novo Augusto Valeriano cum nota T anni tercentesimi epochæ antea indicatæ, qui tunc inibat ex autumno. Quanta is humanitate ac benevolentis initio principatus Christianos complecteretur, testatur epistola Dionysii ad Hermammonem, apud Eusebium legenda, Hist. lib. VII, cap. 10. Hæc tamen benignitas otiosa pro nostris

Christianis fuit; cum nulla ad eorum levamen lege perlata, neque abolito superiorum principum interdicto, magistratus sub Decio assueti extrema contra nos supplicia decernere ex legibus Antoninorum nunquam sublatis, potuerunt et Lucium papam, et complures martyres morti addicere, utpote semel delatos. Vide supra in notis ad Vitam Soteris col. 1241-1248. Romæ vero severitas major exspectanda erat in magistratibus; cum Valerius Maximus præfectus Urbi anno 252, et memoratus in actis S. Cornelii papæ, hoc anno 253, quo Lucium dicimus exsulasse, ordinarium gereret consulatum, et anno proxime consecuto 254 præfecturam Urbis iterum administraret sub initium imperii a Valeriano suscepti, quo censore præfectus Urbis fuerat, ejusque collega in capitali sententia ferenda contra Cornelium, ut hujus passionis Acta demonstrant. Frustra vero suggillatur actorum fides ex apparenti anachronismo in describendo Cornelii martyria in Urbe Roma; cum ex observationibus antea productis dissolvantur dissidia temporum, et confirmentur gesta passionis ex documentis a Schelestratio prolatis dissert. 2 antiquit. Eccles. cap. 6, num. 7.

Constat igitur temporum et historiæ ratio cum numeris catalogorum præcipuorum, et cum picturis basilicæ S. Pauli; si dicamus Stephanum archidiaconum Lucii fuisse ordinatum episcopum, ut vices ejusdem suppleret proxime abeuntis in exsilium, Volusiano II et Maximo consulibus (catalogus Liberianus *Maximinum* vitiose expressit), die Dominica Pentecostes 23 Maii, juxta summam dierum catalogi Bergomatis, vel die Ascensionis Dominicæ 23 Maii, juxta catalogum Liberii dies 21 numerantem, vel die octava Ascensionis et ante Pentecosten tertia. juxta cæteros catalogos, Stephani episcopatus dies XV exprimentes supra annos quatuor, et menses duos.

Anno 254, coss. Valeriano Augusto II et Gallieno, Lucius martyrio coronatur die 3 Martii, Post vacationem sedis dierum 35, juxta Librum Pontificalem, Stephanus ex vicario eligitur successor Lucii et cathedram Romanam ascendit die Dominica Passionis 9 Aprilis, ut Paschalia festa perageret, eo anno incidentia in diem aprilis 23.

Proximo consulatu Valeriani III et Gallieni II, Christi anno 255, Stephanus vicarium constituit Sixtum: qui postmodum illi successit, ut in ejusdem numero ostendemus.

Anno denique 257, Valeriano IV et Gallieno III coss., Stephanus in sede sua considens ad Catacumbas, in cœmeterio Callisti, capite truncatur die 2 Augusti; cum numeraret ab episcopali ordinatione annos IV, menses II, dies XV, juxta potiora documenta, vel XI dies juxta catalogum Bergomatem, vel XXI juxta Liberianum; quorum annorum, mensium, ac dierum partem maximam impenderat qua vicarius Lucii, qua successor, uti explicuimus.

Scio his vicariatibus, admissis a Papebrochio et a compluribus historiæ pontificiæ scriptoribus infensum Pagium in Baronii critica ad singulas ferme paginas horum præsertim annorum eos suggillare. Nuda tamen verba proponit, et dictatoria quadam auctoritate pronuntiat: « Non audiendum Papebrochium: vicariatus esse supposititios: ad 4 diem Martii anni 254 Lucii vitam pertingere posse: præferendum Pearsonium, » cum quo audet divinare. nullo idoneo teste id asserente, « mensibus quinque, diebus decem ab ordinatione constare integrum Lucii pontificatum. » Ita confidenter scribit ad annum 252, num. 12.

At bona cum venia viri eruditi contendo, vicariatus et usu receptos, et admittendos esse: audiendum Papebrochium eos asserentem: et producentem vitam Lucii ad diem 2 Martii anni 253, et recedendum a Pearsonio, aliter statuente sub nullis idoneis testibus.

Quod enim attinet ad vicariatus, respondeat velim Pagius rationibus toties propositis, atque hic repetendis et cumulandis nova accessione probationum et exemplorum. Liberalis est vicariatuum Pagius sub Petro apostolo, cui Linum per plures annos vicarium assignat anno 65, num. 2. Primo igitur sæculo, ac sub ipso apostolorum principe Romanæ sedis fundatore vicariorum usus receptus fuit. Retentum fateatur necesse est in Occidentalis patriarchatus terminis usum vicariorum etiam quarto sæculo: cum Augustinus usum suo exemplo demonstret; quin etiam ultra limites legitimi usus in Ecclesia Hipponensi abusum obrepsisse facto suo ostendat eligendi episcopos vicarios cum futura successione: quod sibi contigit, dum adjutor eligeretur a Valerio, et dum adjutorem asciscere Eradium, quod in publicas Ecclesiæ tabulas referri a notariis jussit epistola 110, quam supra retuli in notis ad S. Cletum et ad Evaristum. Hunc tamen abusum eligendi adjutoris vivente episcopo cum futura successione Romana Ecclesia omnium magistra, neque in se experta est, neque in cæteris toleravit. Sed usum legitimum vicarii citra jus successionis assumendi pro Ecclesiæ utilitate ad pontificalia etiam munera obeunda admisit, præsertim urgente persecutione, ac retinuit etiam in pace Ecclesiæ gravissimis ex causis atque transmisit ad sequentes ætates, ut etiam nostra experimur. Mirandum plane est doctum virum ita succensuisse vicariis episcopis per secundum ac tertium sæculum (quibus tamen constat continuatum usum, si epochæ episcopatus in singulis attente expendantur): cum admittere cogatur Christi sæculis primo et quarto, ac subsequentibus hanc eamdem consuetudinem vicarii episcopi assumendi atque adhibendi etiam in tractu patriarchatus hujus Romani, seu Occidentalis, ubi necessitas aut necessitati proxima utilitas ita suaderet. Addo nunc, Pagium litteris beati Cypriani adactum esse ad vicarios episcopos admittendos tertio etiam sæculo, et hac ipsa Cornelii, Lucii, Stephani ætate, de qua est sermo, etiam in tractu Patriarchatus Occidentalis, in quo certum est Africanam Ecclesiam contineri. Ultro enim cognoscit cum Baronio ad annum 254, num. 36, suum vero 250, num. 17, *Caldonium* et *Herculanum* episcopos et collegas suos cum *Numidico* presbytero, quem nuper clero Carthaginensi adjunxerat, Carthaginem mitti a S. Cypriano tunc exsulante, eosque « cum *Rogatiano* vicem suam acturos *vicarios* constitui, ut necessitates fratrum sumptibus expungerent, simul etiam et ætates eorum, et merita discernerent, etc., et fatetur quoque, Cyprianum scribere ad hos *vicarios suos* epistolam 41, Pamelio 37, qua illis in mandatis dat, ut Felicissimum excommunicent, » etc. Ea igitur etiam tertio sæculo vicarios adhibitos episcopos collegas ab episcopo Cypriano ad munera pastoris in sua diœcesi ejus nomine peragenda. Hos vocat Cyprianus *vicarios*, ita nominare adigitur Pagius. Excipiet, ad certos actus fuisse potius judices delegatos. Repono, hoc ipsum vicarii munus importat, ut ita delegatus ab episcopo intelligatur pro suo beneplacito ad ea peragenda, quæ jure suo ipse delegans episcopus faceret in propria diœcesi sive jurisdictionis, sive ordinis, quorum sit capax delegatus, donec delegatio ista vicarii perseveret. Neque enim alios vicarios constante vita pontificis recognoscimus, nisi hujusmodi cum facultatibus delegatos, nullo cum pacto, aut jure successionis: licet plerumque contingeret, ut successores eligerentur, a clero iidem qui adjutores, et vicarii delegati fuerant a decessore, utpote quorum prudentiam regiminis, et virtutes episcopo dignas perceperant experimento. Nec secus contigit etiam in pluribus Occidentalis istius patriarchatus Ecclesiis, cum ad successionem promoverentur a cleri suffragiis post mortem episcopi illi adjutores, qui eidem juvando ab Ecclesia Romana transmissi, aut ab ipso episcopo fuerant adjecti. Exemplum illustre obtulit quarto sæculo Ecclesia Mediolanensis in Ambrosio ac Simpliciano.

« Hunc enim presbyterum Romanum egregiæ eruditionis et spectatæ probitatis, ut Baronii breviator Spondanus brevibus complexus est ad annum 374, num. 3, ad novæ ejus præfecturæ regimen (Mediolanensis scilicet episcopatus ab Ambrosio intra octiduum episcopo ex catechumeno susceptum), misit S. Damasus papa ita felici eventu, ut catechumenus in episcopum, et discipulus in Ecclesiæ doctorem fuerit continuo transformatus; junxeritque in regimine episcopatus vitam monasticam cum muneribus et officiis clericalibus. » Licet vero episcopali charactere hunc adjutorem Ambrosii, et plusquam vicarium, nempe magistrum ad directorem ablegaverit Damasus nullo cum pacto aut lege successionis; hunc tamen eumdem ita probatum diuturno experimento successorem Ambrosii et episcopum suum ab ejus morte sublegit Ecclesia Mediolanensis.

Non est igitur cur succenseat a primo ad quartum sæculum Pagius vicariis Romanorum pontificum admittendis, qui tot exemplis videt in tractu patriarchatus Occidentalis rite ac salubriter admissos, allectos, et delegatos ad regimen illius Ecclesiæ episcopi juvandum, ejusque nomine peragendum. Postremo vero ab exemplo Ambrosii et Simpliciani, præter vicariorum usum, colliget lector, ut spero, confirmationem ejus sententiæ, quam supra attigeram in notis ad Vitam S. Eleutherii col. 1252, consuetudinem scilicet jure inductam, ut ad utilitatem et profectum Christiani populi procurandum in Ecclesiis provinciarum a Romano pontifice, deligerentur ac transmitterentur ex Urbano clero presbyteri, sive ad eos episcopatus promoti, sive ad episcopos ibidem formandos disciplinæ Ecclesiæ Romanæ. Cæterum de vicariatu beati Stephani, constante Vita S. Lucii papæ, non obscurum testimonium invenitur in litteris a Cypriano datis, et supra relatis in notis Sommier ad Lucium. Ibi enim S. martyr Cyprianus diserte nominat Stephanum, primo vicarium, deinde successorem beatorum martyrum Cornelii, et Lucii, *qui vicarius, et successor eorum factus est.* Cumulat titulos vicarii cum titulo successoris. Verum de vicariis satis, ac de chronologia declaranda beati Stephani, et pontificum proximorum.

NOTÆ HISTORICÆ

Linea 2. — *Martyrio coronatur.* Hujus martyrii acta vides apud Baronium in Annalibus fuisse recepta tum ab Ecclesia Latina, tum a Græca; vindicata vero legis apud Schelestratium Antiquit. Eccles. dissert. 2, cap. 7, a numero 2 ad 5. Ex Firmiliani epistola ad Cyprianum, quæ in editione Pamelii locum obtinet 75, dum illa epistola scriberetur hyeme appetente annis fere 22 ab obitu Severi Alexandri (cujus cædes incidit in diem 18 Martii anni 253), nempe circa autumnum anni 256 pontificem Romanum adhuc sedisse Stephanum; qui ex Actis memoratis dicitur martyr occubuisse in sua sede truncatus capite, die IV Nonas Augusti, Valeriano IV et Gallieno III coss., nempe anno æræ Christi communis 257.

Fuit autem temporibus Valeriani, et Gallicani, et Maximi usque ad Valerianum tertium, et Gallicanum secundum. Corrigenda est lectio ex Actis, repositis verbis *temporibus Valeriani et Gallieni* : et integre restituenda ex catalogo Liberiano : *Fuit temporibus Valeriani et Gallieni, a consulatu Volusiani et Maximi* (anno scilicet ejus ordinationis ad episcopatum vicaria administratione in Urbe exercendum, anno Christi 253) *usque Valeriano* IV *et Gallieno* III, Christi 257, quo martyr occubuit, ut in notis chronologicis declaravi. Desumi tamen potest æra pontificatus etiam ex consulatu Valeriani II et Gallieni : quibus imperatoribus cum Lucius obiisset die III Nonas Martii, successor Stephanus primum Pascha sui regiminis iisdem consulibus (Christi 255) celebravit.

Linea 4. — *Suis temporibus exsilio est deportatus.* Hinc agnoscimus, cur a Stephano Sixtus II episcopus fuerit ordinatus ad vicarii munus obeundum, ex consueta regula toties memorata. Et quidem Glabrione et Maximo II consulatum gerentibus anno 256, videtur Stephanus breve exsilium sustinuisse, cum inquireretur per id temporis in complures ab eo baptizatos, quod anno proximo sua corona Stephanus consecutus est. Causam inquirendi captarunt ethnici, ut suspicari possumus, ex conciliis celebratis occasione quæstionum circa baptismum. De his vide notas.

Linea 5. — *Missus est in carcerem cum novem presbyteris, et duobus episcopis Honorio et Casto, et tribus diaconis Xisto, Dionysio et Caio,* etc. Supra legimus in Lucio decretum, ut duo presbyteri, et tres diaconi in omni loco episcopum non desererent. Ex captura sociorum cum pontifice servata esse cognoscitur sub Stephano disciplina. Ex more autem per Decium inducto, persecutio in clerum præcipue dirigebatur ut ostendit rescriptum Valeriani ad senatum, de quo S. Cyprianus in epistola ad successorem in editione Pamelii 82 : « Rescripsit Valerianus ad senatum (anno 258, postquam Urbe digressus pervenit Antiochiam) ut episcopi, presbyteri, et diaconi animadverterentur : senatores vero, et viri egregii, et equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spoliarentur. » *Vide Pagium seniorem ad annum 257 et juniorem in Stephano,, num.* 8.

Linea 7. — *Ibidem in carcere fecit synodum.* Cum episcopis, presbyteris, et diaconis secum detentis. Alia concilia complura habita fuerunt in quæstione de baptismo hæreticorum : quorum notitiam illustrant Annales Baronii, Pagius senior, aliique Historiæ ecclesiasticæ scriptores.

Linea 8. — *Omnia vasa Ecclesiæ.* Pro more decessorum, Cornelii, ac Stephani, a successoribus quoque servato.

Linea 10. — *Constituit sacerdotes et Levitas,* etc., *vestes sacras in usu quotidiano non uti.* Vestium sacrarum usum et distinctionem a communibus inductam ab exortu Ecclesiæ fuisse, comprobant ea quæ ex divina institutione in Veteri Testamento ad figuram Novi tenebant apostoli, ac tradebant Ecclesiæ. *Petalum, seu laminam auream* a Jacobo, et a Joanne apostolis gestari consuevisse, tanquam insignes sacerdotii, narrant : Eusebius in Historia, lib. v, cap. 24; Polycrates Asianorum episcopus in epistola ad Victorem; Hieronymus, in lib. de Script. eccl.; Epiphanius in hæresi Nazaræorum, et ad hæres. 78, et Rufinus, observati a Valesio in notis ad Eusebium : qui etiam addit, idem de Marco evangelista fuisse traditum a scriptore Passionis ejusdem. Hanc igitur *laminam,* seu *petalum* fronti aptasse, ac tænia seu fascia circumligasse, quæ *mitræ* nomine a veteribus Latinis exprimitur, quæque hodie in episcoporum consecratione adhibetur, fusius exposui in opusculo *de sacris indumentis Christiani sacerdotii* ante annos aliquot conscripto occasione transferendi corporis sancti Leonis Magni, sed nondum edito. Sacra igitur ministeria jam tum in usu erant apud Christianos : quare legimus num 8. mandasse Sixtum ejus nominis primum, *ut ministeria sacrata non tangerentur, nisi a ministris.* Et per Soteris decretum novimus (*supra num.* 13) *pallas sacratas* in ministerio adhibitas apud fideles, quarum contactus etiam virginibus Deo dicatis ibidem fuit interdictus. Hauserat Ecclesia ex institutionibus veteris legis, admonendos esse levitas ac sacerdotes, qui ad rem divinam accederent, mundiori hujusmodi cultu vestis externæ, ut animi sensa et cogitata secum ferrent nulla terrestri labe inquinatas, sed ferme cœlestia. (Philo, *de Monarchia,* lib. II) quemadmodum et lotio manuum, Hieronymo teste, indicat (lib. II *comm. in Matth.* cap. 5) purgationem operum, *ut fiat in illis verbum Dei.* Quare sacri interpretes observant, pedum quoque lotionem a Christa Domino præmissam sacris mysteriis quæ instituebat, licet recentes a cœna

Paschali veteris instituti venirent apostoli : ad quam ipsam certo cultu præcinctos, et baculos tenentes in manibus accedere oportebat, causa significandi transitum Domini. Cum vero ad cœnas honestiorum virorum candidatos accedere solemne foret, ut in evangelica parabola apud Matthæum, cap. XXII, non sine causa et compendio animorum tum exempla illa, tum monita institutionum et curæ munditiei etiam in legibus vestium suggerebantur. Candidatos a fonte baptismi Christianos elevandos esse solemni ritu a primordiis Ecclesiæ ad nostra tempora nos docent Acta martyrum, et Sacramentaria, et nomen ipsum hebdomadæ Paschalis, quam *in albis* vetusta appellatione dicimus. Exponunt perinde recentes et antiqui scriptores, ut Venantius Fortunatus, et Paulinus, aliique, adducti a Renato Laurentio de la Barre, in commentariis ad librum Tertulliani de Corona militis, ubi Carthaginensis ille presbyter enumerans traditiones nondum scriptas, *quas sine ullius scripturæ instrumento solius traditionis patrocinio vindicamus*, orditur a sacris cœremoniis, ab Ecclesia jam tum receptis in ritu solemnis baptismi : *Ut a Baptismate ingrediar, aqua aditur*, etc. Et huic traditioni suffragatur textus sacer Apocalypseos, exhibens *in albis socios Agni*. Peculiari ergo cultu vestium a quotidianis usibus separato ad rem divinam se comparasse initiatos Christiano sacerdotio ab Ecclesiæ primordio fatendum est ; cum jam Ecclesia instituisset etiam accessuros ad ingressum Ecclesiæ per sacramentum baptismi laicos et infantes candida stola adornare. Sunt qui a Domini exempla et illud repetant ; quando ad lotionem processurus post cœnam typicam, ante institutionem Eucharistiæ vestimenta posuit, et linteo præcinctus assumere voluit in ornamento non solum mundo, sed ad mundandum et abstergendum comparato, symbolum ministerii. Quare nostris quoque subdiaconis, ad vasa sacrificii mundanda deputatis, mappulæ in sinistra manu ferendæ præscribuntur in antiquo Ordine Romano VI apud Mabillon., et num. 35 hujus Libri Pontificalis. diaconis pallæ linostimæ ad lævam adhibendæ memorantur. Ad hæc patenas vitreas, et vasa argentea sacrificii usibus destinata supra jam vidimus. Quidni et vestes ? cum id a Domino diu ante mandatum in Ecclesiæ Mosaicæ pontifice, sacerdotibus, ac Levitis : quin et ab ipsis gentibus imitatione traductum ad sacerdotia sua teneamus. A Syris ritu patrio adhibitum fuit ad solis cultum magnificum ornamentum, quod luxus immodici nota accusat Herodianus in Helagabalo lib. v, dum narrat in primo adventu suo e Syria in Italiam fuisse perlatum ab illo adolescente principe : « Cultum, inquit, patrii numinis cui dicatus fuerat celebrare supervacuis saltationibus (et has perperam traductas ad profanas gentium superstitiones ex divinis litteris novimus, ubi rite adhibitæ fuerant a religiosissimo principe Davide ante aream Domini) vestitum usurpans luxuriosum, purpura intextum, atque auro, monilibusque et armillis redimitus, coronas etiam sustinens ad tiaræ modum, auro lapillisque pretiosis insignitas ; formam habens inter Phœnissam stolam et Medorum amictum. » In veteri gemma, quam pretiosis quibusque comparaverim, eleganter expressam videmus opere anaglypho protomen Elagabali, nativis gemmæ coloribus a perito artifice obsecundatis. Hanc servat musæum illustrissimi ac doctissimi præsulis M. Ant. Ansidæi, post navatam egregiam operam tam severioribus quam elegantibus disciplinis per varios munerum gradus in supremo tribunali sacræ inquisitionis assessoris officio perfungentis. Inde colligere possumus formam Phœnissæ stolæ, ab Herodiano descriptam. Illi si conferatur *cappa* (ut vocant) *pontificalis*, qualem exhibuimus in Pio pontifice ex veteri pictura Christiani cœmeterii in cryptis martyrum supra num. 12 cum Aringhio, et qualem hodiernus quoque mos custodit in episcopis, perinde ac in aliis sacerdotibus et ministris in choro psallentibus ; colligere et conjectari facile possumus, compositam olim fuisse ex ephode levitarum, et tiara, sive capitio sacerdotali, consutis in unicum indumentum : et a primis Ecclesiæ institutoribus e Palæstina et Syria in alias regiones traductam, et sacrarii ministris traditam. Verum de origine et forma sacrarum vestium erit alibi opportunior agendi locus. Hic sufficiet sacras a communibus discretas et separatas recognoscere, ut hoc etiam de quo agimus sæculo ad rem divinam accederent Christiani sacerdotes et ministri instructi aliquibus palliis, vestibus, et ornamentis, unice reservatis sacris ad operandum ; etiamsi pallia, vestes, et ornamenta illa non admodum differrent a forma vestium, velorum, et ornatus adhiberi soliti etiam ad alios usus ab iisdem populis, quos inter versabantur. Sacratas pallas, toties memoratas in numeris præcedentibus, quisnam dixerit ad alios quoque usus promiscue assumptas ; cum illarum contactus etiam Deo dicatis virginibus vetaretur ? Pallium beati Marci evangelistæ a decessoris episcopi corpore apud Alexandrinos successorem præsulem suis manibus accipere consuevisse, et proprio collo circumdare antiquo ex instituto illius Ecclesiæ supra memoravi cum Liberato in Breviculi capite 20. Quis audeat confundere sacrum ejusmodi pallium cum palliis quotidianis philosophorum et Christianorum ? Laminam frontalem ejusdem Marci evangelistæ, necnon adhibitas a Joanne et Jacobo apostolis, et paulo ante descriptas cum Eusebio, Hieronymo, et Epiphanio, nemo negaverit redditas fuisse Deo sacras per eosdem pontifices signo aliquo dedicationis, et invocationis divini nominis. Tertullianus revocat ad traditiones originis Ecclesiæ coævas eam nostram consuetudinem, qua scilicet *ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum. ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus*. Hoc nempe dedicationis nostræ signo, fidei nostræ potiora mysteria complexo, actus quoslibet vitæ nostræ Deo devovemus. In altaribus et ecclesiis consecrandis hujusmodi signo in mensa altaris, et in parietibus impresso chrisma adhibemus. Quare et in ara impressum exhibent nummi a Constantino Maximo percussi (quales inter nostra cimelia asservamus) : ex quo scilicet ætati Silvestri lapidei altaris usus, et publica libertas Christiani cultus fuit. Jam tum igitur, et ab ætate apostolica, unde auctoritas consuetudinis ac traditionis jure petitur a Tertulliano, in sandallis, in mappis, in stolis, in palliis, in pallis, in laminis, et mitris sacerdotum crucis Dominicæ impressa vestigia servamus : nec fronti tantum nostræ inditum hoc signaculum agni immaculati sanguine respersum ac dedicatum ad universorum salutem, sed, ipsis etiam in instrumentis sacerdotii venerabile illud signum deprehenditur, persæpe conjunctum cum aliis symbolis boni Pastoris, et Christi Domini signa operantis, præsertim in urceolis ad sacrificii materiem continendam elaboratis, aut ad sacrum chrisma asservandum, et ejusmodi vasis ministerialibus, calicibus, patenis metallicis, ac vitreis supra descriptis in Urbano. « Viderint unde auctoritas moris, de qua tum maxime quærimus (ait Tertullianus in libro *de Corona militis*, pag. 334 edit. de la Barre.) Porro cum quæritur, cur quid observetur, observari interim constat. » Signa nempe sunt rerum, Deo per pontifices Christianos rite dicatarum, ut in universa sacra suppellectile, et penu, vasisque Ecclesiæ (quæ archidiaconis commendari a pontifice legimus in his eisdem numeris) ita etiam in vestibus : quas proinde sacras haberi et appellari, atque a communi usu sejunctas recognoscere cogimur ætate Stephani, constabilientis decreto suo priscam illam consuetudinem, quam traditione acceperat a decessoribus.

Linea. 13. — *Sepultus est in cæmeterio Calixti.* Inde extractum fuit sacrum ejus corpus a S. Paulo I,

una cum corpore successoris Dionysii, quando in propriis ædibus ad campum Martium constituit titulum SS. Stephani et Dionysii, alias SS. Stephani et Silvestri appellatum ; et oratorium monachorum ibidem fundavit, ac utriusque pontificis et martyris reliquias eo transtulit, ubi asservantur : uti constat ex documentis supra indicatis in fine notarum ad B. Antherum plenius exponendis infra ad notas in Vitam B. Pauli I. Diximus etiam, in superioribus notis ad Antherum, partes reliquiarum earumdem a Paulo I ibi depositarum fuisse translatas a Sergio II in titulum SS. Silvestri et Martini in Montibus appellatum, seu titulum Equitii : quemadmodum testatur antiqua tabula marmorea ibidem affixa in descensu a gradibus presbyterii ad hypogæum, et subterraneam ecclesiam, plurium scriptorum lucubrationibus illustrata.

CIACONII.

Linea 2. — *Martyrio coronatur.* Cum Valerianus imperator, rerum quæ gerebantur conscius, missis militibus, beatum Stephanum comprehenderit, ac jusserit illum in fanum Martis deduci, ubi si illi sacrificare nollet, capitis sententia puniretur, orationem beatissimus pontifex effudit ad Dominum, ac repente de cœlo tactum est delubrum et idolum, et magna ex parte corruit, ingenti cum fragore. Tunc milites exterriti fugerunt, relinquentes Stephanum solum ; qui suis comitatus ad cœmeterium Lucinæ proximum se recepit, ibique suis denuo ad tolerantiam martyrii exhortatis, obtulit sacrificium Deo omnipotenti. Audiens hæc Valerianus, misit ad eum capiendum milites rursus, inveneruntque eum sacrificium Deo offerentem ; qui intrepidus, constans et impavidus, perficiens cœpta mysteria, in eodem ioco ante altare in sua decollatus est sede, IV Nonas Augusti ann. 260. Factus est ibi planctus maximus Christianorum, quod tanto pastore essent orbati ; sepelierunt corpus ejus cum ipsa sede, sanguine ejus conspersa, in eadem crypta, quæ est in cœmeterio Calisti, via Appia, tertio ab Urbe milliario.

PAGII.

Linea 7. — *Fecit synodum.* Protestantes, imo et quidam catholici existimant, Stephanum damnando morem Cypriani et Africanorum antistum, necnon Firmiliani et Orientalium de rebaptizandis hæreticis, in extremum errorem lapsum esse, ac decrevisse quorumcunque hæreticorum baptisma, etiamsi consueta et solemni Ecclesiæ forma, et ritu collatum non esset, ratum esse et legitimum, proindeque non iterandum. Verum hæc opinio omnino improbabilis est. Si enim eum in errorem lapsus fuisset Stephanus, his temporibus universa Ecclesia versata esset in errore : omnes quippe episcopi, vel Cypriani, vel Stephani sententiam tuebantur ; utraque autem secundum ipsam etiam Protestantium hypothesim, erronea erat. Præterea Cyprianus in citata ad Pompeium epistola, testatur, Stephanum baptismum hæreticorum ratum habuisse ob vim et efficaciam verborum evangelicorum, quibus confertur. Quare Stephanus semper supposuit, baptismum verbis evangelicis, ut ratus esset, conferri debere. Qua de re legendus Schelestratius parte II Antiquitatis illustratæ, dissert. 1, art. 2, ubi fuse ostendit totam quæstionem Stephanum inter et Cyprianum fuisse de baptismo hæreticorum : supposito quod in nomine Christi, seu Trinitatis illum conferrent.

SOMMIER.

Linea 7. — *Fecit synodum.* Lapsus plurimum Christianorum cujusque status et conditionis in persecutionibus adegerat Ecclesiam, sub præcedentibus pontificibus, ad præscribendas regulas pœnitentibus, quibus se expiarent de admisso scelere, et recidivam caverent. Fideles nullo ecclesiastico ministerio, aliove publico munere insignes, qui idolis immolaverant, absolutionis beneficio carere debebant, et a communione tandiu excludi, donec diuturnæ pœnitentiæ rigidiora experimenta præstitissent : clerici vero in idem scelus prolapsi depositionis pœnam subire cogebantur citra spem restitutionis ad propria munera resumenda ; nihil aliud assecuturi ex suscepta pœnitentia, quam ut ad laicam communionem admitti possent. Hisce regulis astringebantur et parebant quicunque veræ pœnitentiæ spiritu ducebantur : hypocritæ vero et qui desideriis sæcularibus diffluebant, nihil studebant attentius quam ut easdem regulas eluderent. Quies Ecclesiæ reddita (seu verius malacia) sub initium principatus Valeriani, et pontificatus B. Stephani, occasionem obtulit compluribus in pœnitentium ordinem falso redactis, rebelles spiritus assumendi, quibusdam aperte ac in propatulo, aliis vero fraudes technasque attexendo ad præsulum justitiam eludendam, aut ad abusum eorumdem clementiæ. Quidam Fortunatianus ex Africa de numero erat illius primæ classis. Etsi depositus fuisset ab episcopatu, suffecto in ejus locum Epicteto ; attamen pontificalia exercere non desistebat, magno cum fidelium scandalo. Cyprianus occurrit auctoritate sua huic malo, scribens novo illi episcopo, ejusque populo, ne id attentari ulterius paterentur ; sed Ecclesiæ regulas observavi curarent, eosque a communione fidelium segregatos haberent, qui easdem regulas transgrederentur.

Verum Basilides et Martialis, ille Legionensium, hic Asturicensium ab episcopatu in Hispania depositi, ad Stephanum Romanum pontificem confugerunt, ut ipsius auctoritate secum remitteretur de rigore legis, cui ut parerent provincialium suorum vi adigebantur. Romæ auditi, et favorabili cum rescripto suam in provinciam reversi sunt. Cæterum cum illorum causa in contradictorio judicio apud Romanam sedem non fuisset discussa, ipsis tantummodo pro lubitu facta exponentibus per absentiam accusatorum, nemine responsa opponente, visum est Ecclesiis Hispaniarum, eosdem non esse ante recipiendos quam aliarum Ecclesiarum suffragia experirentur. Ad proximas igitur Africanorum conversæ, ut de negotio tam gravi easdem consulerent, quibus Cyprianus tantam conciliabat famam doctrinæ ac disciplinæ. Felicem ac Sabinum episcopos ablegant in aliorum locum suffectos, cum litteris, aliisque documentis rerum ea de causa gestarum. Compertum fuit, Basilidem ac Martialem jure fuisse depositos juxta decreta beati Cornelii papæ, apud universam Ecclesiam recepta : quibus declararunt eo firmius esse adhærendum, quo pervicacius hi homines inquieti, fallaciæ et circumventionis crimine apostasiam cumulantes, et peccata superiora, obreptitiam concessionem extorserant a Stephano, fraudulenter ad clementiam pertracto : uti constat ex litteris Cypriani, epistola 67, ita scribentis :

« Nec rescindere ordinationem jure perfectam potest, quod Basilides post crimina sua delectat, et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, et gestæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit. Hoc eo pertinet, ut Basilidis non tam abolita sint, quam cumulata delicta, ut ad superiora peccata ejus etiam fallaciæ et circumventionis crimen accesserit. Neque enim tam culpandus est ille, cui negligenter obreptum est, quam hic exsecrandus, qui fraudulenter obrepsit.... Sed nec Martiali potuit profuisse fallacia.... maxime cum jam pridem nobiscum, et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis etiam Cornelius collega noster sacerdos pacificus ac justus, et martyrio quoque dignatione Domini honoratus decreverit, hujusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri, atque sacerdotali honore prohiberi. »

Hostes Romanæ sedis, et invidi ejusdem auctoritatis inutiliter abutuntur hujusmodi responso Africanorum ad Hispanos præsules. Primo enim, hoc

responsum nihil admodum probat contra jus et consuetudinem appellandi, et accedendi undique terrarum ad Romanam sedem ad impetrandam justitiam, aut gratiam, quarum utriusque dispensatrix semper fuit hæc sedes suprema. Imo (quod est alterum observandum) illa ipsa responsio supponit jus illud appellandi et confugiendi ad Romanæ sedis tribunal esse omnibus notum ac receptum ; cum ibi adnotetur distantiæ intervallum non impedire, quominus ad eamdem sedem non provocetur : *Stephanum longe positum.* Tertio : Revera in responso asseritur, eam distentiam in causa fuisse, ut facilius ab apostatis conflctæ fraudes Stephanum occuparent, *longe positum fefellit.* Cæterum dum perstringit negligentiam pontificis ad sententiam absolutionis procedentis citra plenam facti cognitionem, *veritatis ignarum,* non negat judici pronuntianti competentem auctoritatem. Quarto : Id etiam ostendit legitimam potestatem recognosci Stephani decernentis, cum hic accusatur tantummodo de negligentiæ vitio, *non tam culpandus est cui negligenter obreptum est* ; impetrans vero notatur crimine falsi malitiose propositi : *quam hic exsecrandus qui fraudulenter obrepsit.* Quinto. confirmatur denique hæc litterarum sententia ex eo, quod *obreptitium* esse enuntiat quidquid a Stephano Basilides impetravit. Porro vocabulum *obreptitii* a jurisconsultorum subtelliis petitum significat qualitatem quæ attribuitur litterisaut rescriptisa legitimo jusdicente impetratis super gratia, jure, aut concessione, eumdem judicem circumveniendo per reticentiam veritatis, cujus esset expressi necessaria ad impetrati rescripti validitatem. Hoc ipsum verbatim expressum deprehenditur in litteris Africanorum : « Tacitæ veritatis ignarum fefellit : cui obreptum est, qui fraudulenter obrepsit. »

Verum insignis demonstratio est ad excludendam quamcunque dubitationem de suprema S. sedis auctoritate ab hisce responsis S. Cypriani et episcoporum Africanæ provinciæ ad Hispanos, insignis, inquam, demonstratio exclusæ dubitationis est auctoritatis exercitium, quod imploratper Cypriani ipsius preces Stephano papæ directas, ut eamdem auctoritatem adhibeat in negotio æqualis ponderis et naturæ persimilis, nuper in Galliis suborto. Marcianus, Arelatensis episcopus, profitebatur se Novatiani partibus adhæsisse tum in hæretico dogmate, tum in schismatis communione. Proximarum provinciarum episcopi, qui ea de re ad Romanam sedem perscripserant, Carthaginensi etiam Ecclesiæ idem significarunt, ad episcopum Cyprianum datis iterum litteris. Series rei gestæ manifestat, scriptum idcirco fuisse ad B. Cyprianum, quod probe constaret de illius existimatione ac venerationis testimonio apud Romanam sedem. Cyprianus igitur in hanc sententiam Stephano papæ litteras dedit *(epist.* 68) : « Facere te oportet plenissimas litteras, » etc.

Hæc verba non indigent commentario et demonstrandam in eis asseitam auctoritatem Romanæ sedis, tum in definiendis fidei dogmatibus, tum in disciplina et confirmatione consuetudinis receptæ in administratione sacramentorum, tum in regiminis ecclesiastici jure exercendo, et necessario mediorum congruentium delectu ad conservandum ordinem ac traditiones.

Negare tamen non possumus, quin Africana Ecclesia tum temporis passa fuerit quamdam eclipsim, dum lumen peculiare contendit usurpare, tanquam sibi proprium foret : cum in Ecclesiis particularibus ejusmodi lux alia non reperiatur, quam ea quam Sol justitiæ (Christus Dominus) amavit et elegit diffundere supra universalem Ecclesiam irradians cæteras e Romana sede, tanquam centro orbis Christiani. *(In occidente Sol justitiæ oritur. Vos estis lux mundi.* S. Hieronum. *epist.* 57.) Considerandus igitur est ausus Ecclesiæ Africanæ non dissimilis perturbationis occasio futurus, ac illius, quam poetæ imaginantur per lunam præstitum iri, si locum solis usurpare ista contenderet, perturbata rerum natura, ut diurnæ illuminationis arbitram mundo se constitueret :

> . . . . . Fratri contraria Phœbe
> Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem
> Indignata diem poscet sibi : totaque discor
> Machina divulsi turbabit fœdera mundi.
> (Lucan. *Phars.* lib. I, vers. 77.)

Rerum summa huc redibat. Contendebant Africani nullum esse, atque invalidum quodcunque hæreticorum baptisma, qualibet forma ac ritu administraretur. Percrebruit, originem mali ex Oriente profectam : ubi fortasse contigit, ut non rejiceretur illico baptismus quorumdam hæreticorum, illum non conferentium sub legitima forma, postmodum vero indistincte reprobatum fuit quodlibet genus baptismi per hæreticos administrati, sub falsa persuasione quæ irrepserat, non posse ullum sacramentum habere extra catholicam Ecclesiam. (Dionys. Alexandrinus apud Euseb., *Hist.* lib. VII, cap. 6) : « Non episcopi in Africa solum istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis jam invexerunt, verum etiam longo tempore ante episcoporum memoria, qui antegressi sunt in ecclesiis maxima hominum frequentia celebratis, et synodis fratrum celebratis tum Iconii, tum Synnadæ, tum multis aliis in locis convocatis, illud decretum fuit. » Usus inoleverat in Africa ante beatum Cyprianum, qui testatur ita definitum fuisse in provinciali concilio sub Agrippino, decessore Donati ejus, cui S. Cyprianus successit. « Quod quidem et Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum cæteris coepiscopis suis, qui illo tempore in provincia Africa et Numidia Ecclesiam Dei gubernabant, statuit, et librato concilii communis examine firmavit, » (S. Cyprian. *epist.* 71.)

Quæcunque tandem fuerit erroris et mali origo, id liquido constat, sub pontificatu Stephani papæ, duos episcopos vitæ sanctitate non minus illustres, quam dignitate sedium quas possidebant. nempe S. Cyprianum Africæ primatem, et Firmilianum metropolitem Cappadociæ, protectores se declarasse ejusmodi praxis, et sententiæ. Uterque eorum synodos convocavit in provinciis sibi subjectis, et pontifici Stephano communicavit decreta edita per easdem synodos. Africana synodus ita perscripsit ad Stephanum papam epist. 74 inter Cyprianicas : « De eo maxime tibi scribendum, et cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertinet et ad sacerdotalem auctoritatem, et ad Ecclesiæ catholicæ unitatem pariter ac dignitatem de divinæ dispositionis ordinatione venientem, eos qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, et apud hæreticos et schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos, atque ad Ecclesiam quæ una est, venerint, baptizari oportere: eo quod parum sit manus eis imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ baptismum. . . . Hæc ad conscientiam tuam, frater charissime, et pro honore communi, et pro simplici dilectione pertulimus; credentes etiam tibi pro religionis tuæ et fidei veritate placere, quæ et religiosa pariter et vera sunt. Cæterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter collegas pacis et concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, » etc. Et Firmilianus in epistola 75 apud S. Cyprianum ait : « Plurimi simul convenientes in Iconio diligentissime confirmavimus, repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum. »

Super his litteras dedit Stephanus ad Orientales, significans se remoturum a communione fidelium Helenum, Firmilianum, et universos episcopos Ci-

liciæ, Cappadociæ, et Galatiæ, et finitimarum gentium, ubi hæretici rebaptizabantur. S. Dionysius hoc referens (apud Euseb. *lib.* VII *cap.* 4) asseverat, doctrinam et monita salutaria ejusdem papæ in litteris ab eo datis ad Ecclesias Syriæ et Arabiæ plurimum adjumenti eisdem Ecclesiis contulisse : « Syriæ universæ et Arabiæ vestra doctrina et consilio semper magno adjumenti fuistis : quibus etiam modo scripsistis epistolas. »

Secundum hæc responsa legati Africanorum et Asianorum ad eumdem Stephanum papam profecti sunt episcopi, ut aliqui scripserunt (id enim probe intelligitur ex contextu epistolæ Firmiliani ad S. Cyprianum, nempe 75, atque ex testimonio B. Hieronymi *in Dialogo ad Lucifer*) ut decretorum ea de re editorum rationem redderent. *Verum eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admisit* (conqueritur Firmilianus) : declarans in epistola ad S. Cyprianum, ut in epistola 74 inter Cyprianicas, non esse iterandum quodcunque hæreticorum baptisma. « Si quis ergo a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam. »

Optandum summopere fuisset, ut Asiani et Africani sibi præ oculis ponere voluissent majorum suorum sententias de traditione, cujus depositaria est Petri sedes, easque satis explicatas apud Irenæum inter Asianos, et apud Tertullianum inter Africanos, testes conterraneos. Prior ex his Irenæus declarat, ad impediendam corruptionem doctrinæ, ac revincendos errores adhiberi a genuinis Ecclesiæ filiis recursum ad eam traditionem ac fidem, quam Romana Ecclesia maxima et antiquissima, et omnibus cognita, utpote ab apostolis Petro et Paulo fundata et constituta, ab apostolis acceptam per successionem episcoporum venientem usque ad nos cum auctoritate principali qua pollet conjunctam et integram præservavit ; Ecclesiis et fidelibus ubique terrarum positis ad hanc recurrere cum sit necesse, et propter potentiorem principalitatem convenire. S. Irenæus adv. hær. lib. III, cap. 3 (cujus verba supra jam dedimus in notis ad S. Clementem) : « Habemus Romam (ait Africanus) unde nobis quoque auctoritas præsto est futura. Felix Ecclesia, cui totam doctrinam apostoli cum sanguine suo profuderunt ! » (Tertullian. lib. *de Præscript.* post med.)

Asianis et Africanis minus infeliciter id contigit, quod opinarentur quæstionem, ipsos inter ac Stephanum subortam, non versari circa dogma, sed circa disciplinam, et œconomiam Ecclesiæ, prout ab utrisque declaratum fuit. Firmilianus enim conqueritur, quod Stephanus decernat eos separare ab unitate universalis Ecclesiæ, qui justis de causis recipi a se non debere putabant nonnullas consuetudines Ecclesiæ Romanæ proprias, quæ disciplinam tantummodo respiciebant ; cum nemo ex decessoribus Stephani arcendos esse judicasset eos qui similia instituta sequi recusassent. « Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum et hominum diversitate variantur ; nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, rumpens adversus vos pacem, quam semper antecessores ejus vobiscum amore et honore mutuo custodierunt. » (*Epistola Firmiliani*, apud Cyprianum 75). Synodi vero Africanæ fuerant protestatæ, nemini a se legem dari : sed arbitrari se integrum cuique fore, salva cum cæteris pace, sequi consuetudinem propriam. *Qua in re nec nos cuiquam vim facimus aut legem damus* (apud Cyprianum *epist.* 72). Neminem judicantes, aut a jure *communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.* (Conc. Cartag., *de Bapt. hæret*)

Immerito igitur transferunt inimici Romanæ sedis vetustam hanc disputationem ad conciliandam auctoritatem novis dissidiis, quibus ipsi turbant Ecclesiam. Nonne comprobavit eventus, propositam fuisse regulam veritatis et fidei a Stephano papa dum proponebat apostolicæ sedis traditionem ? Asianæ atque Africanæ Ecclesiæ obtemperarunt, ex quo consuetudinem suam novitatis vitio laborare cognoverunt, sanctæ vero sedis usum antiquitatis primæ præstantia commendatum, adeoque et legitimum deprehenderunt. Multa profecto indagine progrediendum fuit ad enodandam facti seriem, et in bono lumine collocandam. Hinc est quod S. Augustinus (lib. I *contra Donat.* cap. 18) excusare contendens S. Cyprianum, postquam asseruit beatum martyrem non recessisse ab unitate Ecclesiæ, addit, nullum adhuc plenarium concilium ea de re tulisse sententiam : « Nam illis temporibus, antequam plenarii concilii sententia, quid hac in re sentiendum esset, totius Ecclesiæ consensio confirmasset, visum est ei cum ferme octoginta coepiscopis Africanarum Ecclesiarum, omnem hominem, qui extra Ecclesiæ catholicæ communionem baptizatus fuisset oportere ad Ecclesiam venientem denuo baptizari. » S. doctor significat, in ea fuisse sententia Cyprianum ut crederet de disciplina tantummodo tunc litem fuisse, quo scilicet in genere quæstionum dogma non attingentium, integrum cuique foret provinciæ suæ moribus conformari, donec solemni examine statueretur quænam vetusta esset ac legitima consuetudo.

Caute attendamus, ne opinemur, sanctum Hipponæ episcopum dum excusat Carthaginensem, affirmans plenarium concilium necessarium fuisse ad terminandam controversiam : ne opinemur, inquam, pronuntiare aliquid contra auctoritatem sanctæ sedis in decidendis controversiis, quam ille recognovit adeo luculenter, quemadmodum suo tempore exponemus. Declarat enim, quod ad hæc attinet, etiam concilia ipsa plenaria sæpe priora posterioribus emendari certis in casibus, citra læsionem auctoritatis utrique integræ permanentis : quo etiam plenaria proferre potuit his in eisdem casibus, etiam sensu concilia ad examen revocare potuisse negotia per S. sedem definita citra eversionem ejusdem jurium. Sunt autem casus illi, ex beati doctoris sententia, quædam latentia et obscura, quæ progressu temporum et experimento deteguntur : « Quis autem nescit, inquit concilia ipsa plenaria sæpe priora posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat ? » (*Ibid.*, lib. II, cap. 3.) Objectum de quo disputabatur numerandum erat inter eos casus. Stephanus circa negotium baptismi hæreticorum, quod prohibet iterari, decretum refert ad traditionem : *Nihil innovetur, nisi quod traditum est* : ad traditionem scilicet juxta opinionem Augustini tum temporis ita involutam et obscuram, ut plane constare non posse videretur de illius evidentia, nisi coacto plenario concilio : imo talem, ut etiam plenaria concilia de illius perspicuitate se corrigere invicem possent, ait S. doctor. Talis enim naturæ habebatur ut plene definiri nequaquam valeret in plenario concilio antequam discussa funditus et eventilata foret in pluribus disputationibus et collationibus particularibus episcoporum. « Quomodo enim, ait, potuit ista res tantis altercationum nebulis involuta ad plenarii concilii luculentam illustrationem confirmationemque perduci, nisi primo diutius per orbis terrarum regiones multis hic atque illic disputationibus et collationibus episcoporum pertractata constaret ? » (*Ibid.*, cap. 4.) Id perspicue manifestat, generalis concilii opem ab Augustino requisitam super negotio de quo maxime quærebatur, versari, juxta ejus sensum, in cardine disciplinæ circa œconomiam ecclesiasticam, in qua plenaria quoque concilia citra mutuam læsionem aut subversionem jurium asserit *priora posterioribus emendari.*

Id manifestius evincitur, si objectum intueamur in eo prospectu ac lumine in quo collocat Augustinus, eumque audiamus rem funditus pertractantem. Nihil, inquit, opponebantur S. Cypriano præter

consuetudinem, utique veram, cujus attamen veritatis documenta non proferebantur. Consuetudo ista revocata fuerat in dubium coram Cypriano per Agrippinum, unum ex suis decessoribus, in quodam concilio aliquot episcoporum Africæ : quæ dubia et quæstiones nisi præcessissent, nihil ausus fuisset Cyprianus ratiocinari contra ejus consuetudinis assertionem. In casu tantæ obscuritatis, post librata quæ hinc afferebantur, et quæ videbat ipse de consuetudine ita robusta atque extensa, et quæ illinc ex adverso repererat constabilita in propria Ecclesia ex auctoritate concilii sub Agrippino ; prolixioris laboris pertæsus in suscipiendo ulteriori examine, maluit sequi decessorum suorum proxima vestigia. « Sed quia, » ait Aug., ibid., cap. 8, « tunc non exstiterant nisi qui ei consuetudinem opponerent, noluit veraci quidem, sed nondum assertæ consuetudini cedere. Quam tamen consuetudinem nisi prior ante Agrippinus, et nonnulli per Africam coepiscopi ejus, etiam per concilii sententias disserere tentavissent, non auderet iste saltem ratiocinari adversus eam. Sed in tam obscura quæstione turbatus, et ubique intuens universalem robustamque consuetudinem coarctaret se potius..... Sed cum fatigatum præcedentis concilii, quod per Agrippinum factum est, excepisset auctoritas, maluit prædecessorum suorum, tanquam inventum defendere, quam inquirendo amplius laborare. »

Concludemus itaque, in sententia beati Cypriani quæstionem illi non visam de fidei dogmate, cum separari noluerit a communione cum cæteris a se diversa sentientibus, quod facere utique debuisset, si eos hæreticos judicasset. Juxta placitum vero S. Augustini agebatur de negotio ita obscuro (per admistiones gestorum) ut solo temporis beneficio detegi penitus posset, et in quo adhibenda erant tentamina, concilii plenarii opem desiderantia ad eadem exacte perficienda. Erat nempe comprobanda universalitas consuetudinis : id est, num talis usus et ratio disciplinæ conformis habenda foret traditionibus omnium Ecclesiarum. Nihil plane adhuc perspicitur, in quo hostes apostolicæ sedis oblectari tantopere valeant.

Quod autem ad eos pertinet, qui salva quam debent obedientia, videntur trahi voluptate altercandi et occasiones inquirere disputandi de illius sedis auctoritate ; debent diligenter cavere, ne imagine sibi proposita id efficiendi quod a sanctis peractum putant, illudant sibi et Ecclesiæ falsa specie imitationis. Considerare etiam debent cum beato Ambrosio, ne sanctos quidem ubique fuisse compotes omnimodæ perfectionis ; cumque eadem qua nos natura corrupta constarent, infirmitati quoque nostræ poterant subjacere. « Non naturæ præstantioris fuisse, sed observantioris ; nec vitia nescivisse, sed emendasse. Quod si invidia etiam sanctos adussit, quanto magis cavendum est ne inflammet peccatores? (S. Ambros. *de S. Joseph.*). Correxisse autem istam sententiam non invenitur : non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit ; et fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, et tanto velut patrocinio carere noluerunt. » (S. Aug. *epist.* 48, *ad Vincent.*)

Considerare etiam debent attente hæc verba Vincentii Lirinensis, quorum veritas continenter confirmata et perspecta fuit experimentis cujusvis ætatis consecutæ : nempe tantumdem præfulsisse zelum Stephani papæ supra reliquorum episcoporum vigorem qui novitati obsistebant, quantum supra eos dignitate cathedræ elevabatur ; et in exitu hujus negotii perspectum perinde fuisse quod in similibus de more contigit, nempe vicisse causa antiquitatem, et explosam fuisse novitatem. « Tum beatæ memoriæ Stephanus apostolicæ sedis antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed præ cæteris restitit : dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat... Quis ergo tum universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus, et solitus ? Retenta est scilicet antiquitas, et explosa novitas. » (S. Vincent. Lirin. *contra hæret.* cap. 9.)

XXV. SANCTUS SIXTUS II.

ANNO CHRISTI 260, VALERIANI ET GALLIENI IMP. 6.

25 *Sixtus, natione Græcus, ex philosopho*, sedit annos duos, menses undecim, dies sex [a]. *Martyrio coronatur. Fuit* autem *temporibus Valeriani et Decii* [b], quo tempore fuit maxima persecutio. Eodem tempore hic comprehensus a Valeriano, et ductus ut sacrificaret dæmoniis, quia contempsit præcepta Valeriani, capite truncatus est, et cum eo alii sex *diaconi, Felicissimus* [c], *et Agapitus, Januarius et Magnus, Vincentius et Stephanus,* sub die sexto [d] *Idus Augusti.* Et presbyteri præfuerunt *a consulatu Maximi et Ravionis* [e], *usque ad consulatum Tusci et Bassi* XIII [f] *Kalendas Augusti. Quo tempore* sævissima persecutione arguebatur beatus Sixtus sub Decio. *Et post passionem beati Sixti post tertia die passus est et beatus Laurentius ejus archidiaconus, quarto* Idus Augusti *et* Claudius *subdiaconus, et Severus presbyter, et Crescentius lector, et Romanus ostiarius.* [g] *Hic fecit ordinationes duas* [h] *per mensem Decembris: presbyteros quatuor,* diaconos septem, *episcopos per diversa loca duos.* Qui vero *sepultus est in cæmeterio Calixti, via Appia,* Nam *exdiaconi* supradicti sepulti sunt in *cæmeterio Prætextati, via Appia.* VIII Idus Augusti, *Beatus*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, ann. 1. minus d. 8. [b] *B*, Valer. et Gal. a coss. Val. IV et Gal. III ad Memmium et Fuscum et Bassum. [c] Mart. Rom. 6 Aug. [d] *C*, octavo. [e] *C*, Glabrionis. [f] *C*, 14. [g] *Baron. ad ann. Dom.* 261. [h] *B*, unam.

autem *Laurentius sepultus est via Tiburtina*, in cœmeterio Cyriacetis, *in agro Verano in crypta* cum aliis multis martyribus, IV *Idus Augusti*, et cessavit episcopatus dies triginta quinque.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Sixtus annis duobus, mensibus undecim, diebus sex. Cœpit a consulatu Maximi et Glabrionis, usque Tusco et Basco, et passus est VIII Idus Augusti... a consulatu Tusci et Bassi, usque in diem VIII Kalendas Augusti, Æmiliano et Basso consulibus.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 25, *lin.* 1, *B*, et philosophus. *lin.* 7, *B*, Gravionis secundi. *AB.* usque ad Tuscum et Bassum, et a consulatu Tusci et Bassi. *lin.* 9, urgebatur : *lin. ead. et* 10, *AB*, post tertiam diem passus est. *lin.* 14, *AB*, nam sex diaconi. *lin.* 16, *B*, Cyriacæ. *lin.* 18, *AB*, dies 26.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, nat. Gr. de Athenis ex philos. sed. ann. 2. m. 10, d. 23 ; fuit autem tempore Decii et Valeriani d. t. f. m. p. R. t. comprehensus a Val. *lin.* 4. qui cont. p. V. et cap. tr. est, et cum eo sex diac. F. et A. Jan. et magnus Innocentius et S. *lin.* 7, Gravionis. *lin.* 8, XXIII Kal. A. q. t. f. pers. agebatur sub Decio. *Maz.*, urgebatur sub D. *lin.* 9, post tertiam diem p. est B. L. arch. ejus. *lin.* 13, duos. Ipse vero f. *lin.* 16. in cimit. Prætextato via Tiburtina, in cimiterio Chyriace.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, sedit annum 1, m. 10, d. 23. *lin.* 3, magna persecutio. *lin.* 5, Felic. Aga. Jan. M, V. et sub die VIII Id. Aug. Fuit autem a consulatu Maximi et Gravionis II usque ad cons. Tusci et Bassi, passus est XIII K. A. *lin.* 9, post 3 dies. *lin.* 14 Calixti via Appia, Ciriacetes in agro V., in crypta cum al. m. m. et cess. ep. d. 35.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Flor. secund. omittit* Sixtum. *Flor. Cass. et Vat.* et philosophus, *lin. ead, Reg. et Flor.* annum I, *Flor.* dies 23. *lin.* 4, *Flor.* qui contempsit præcepta Valeriani, et ob id capite, etc. et cum eo alii ex diaconis. *Hunc locum ex Gestis Pontificalibus citat Rodulphus presbyter in Vita Rabani, apud Broverum, Antiq. Fuldens. lib.* III, *pag.* 240, *qui vulgatam lectionem confirmat. Sed putem legendum,* alii sex ex diaconis Fel. etc., ex presbyteris Januar., etc. *lin.* 14, *Vat. et Reg.*, sex diaconi. *lin.* 18, *Cass.* 26, *Vat.* 25.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 7, Maximi et Ravionis I usque Tuscum et Bassum, a consulatu Tusci et Bassi usque XIII Kal. Aug., etc. *lin.* 14, Nam VI diaconi supradicti.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRÆ.

Linea 9. — *Et post passionem beati Xisti post tertia die passus est et beatus Laurentius ejus archidiaconus.* B. Laurentius fuit archidiaconus Xisti, quem ad martyrium properantem et ipsi ad martyrium anhelans his verbis affatus, quæ retulit Ambros. de Offic. lib. I, cap. 41 : *Quo, sacerdos sancte, sine diacono properas ?* etc. Voti compos, sex post diebus martyrium passus est.

BENCINI.

Linea 2. — *Fuit autem temporibus Valeriani, et Decii quo tempore fuit maxima persecutio.* A Decio dum in clericali ministerio erat Sixtus cum reliquis de clero excellit merito *veri confessoris*, quod infra dicitur : *quo tempore sævissima persecutione urgebatur beatus Sixtus sub Decio.* Utrosque imperatores in pontificem ferocientes designavit, Decium in prioribus edictis adversus clericos emissis, Valerianum renovantem edicta, et persecutionem. Decii porro, et Valeriani una et eadem persecutio censetur, etsi alii intermedii principes imperaverint. Hinc Eusebius lib. VIII, cap. 4, cum de initiis Diocletianeæ subsecutæ persecutionis loquitur, ita scribit: » Tunc enim diabolus, qui potestatem accepit hujus mundi, tanquam ex altissimo sopore excitari primo cœpisset, et post illud temporis intervallum, quod persecutionem Decii, et Valeriani subsecutum est, clam adhuc, et occulte insidiaretur Ecclesiæ. Ubi unam eamdemque persecutionem habet a Decio exordientem, et in Valeriano finientem. Quo modo Lactantius, de Mortibus persec. cap. 5 : « Non multo post Valerianus quoque non dissimili (a Decio, de qua locutus erat) furore correptus, impias manus in Deum intentavit, et multum, quamvis brevi tempore justi sanguinis fudit. » Ait, *Valerianum non dissimili furore* fideles insectatum esse, ut ostenderet Decianæ persecutionis limites sumendos ex Valeriani obitu, qui iisdem edictis Decianis continuandam censuit in clericos majoris ordinis persecutionem.

Linea 4. — *Quia contempsit præcepta Valeriani.* Sub Gallo, et Volusiano sacra Apollini indicta esse supra vidimus : sic sub Valeriano alia imponuntur gentibus sacrificia agenda. Dedit occasionem Valeriano mutandi propositum, et vexandi Christianos Macrianus, qui Ægyptiorum sacris initiatus, apud Valerianum summam obtinebat gratiam. Cum vero anxium videret imperatorem de exitu Persici belli imminentis, victoriam tutumque imperium promisit, si Isiacis Ægyptiacis initiaretur. « Initiationes autem, impura et abominanda maleficia, et sacrificia exsecranda peragere eum jussit, » uti scribit Eusebius l. VII, c. 10. Talem potentiam apud Valerianum Marcianus obtinuit, ut imperii vices concreditas habuerit, dum adversus Persas exercitum imperator ducebat. Id constat ex Pollione dicente, quod Valerianus de vicaria imperii potestate Macriano collata ita senatum certum fecit : « Patres conscripti, bellum Persicum gerens, Marciano totam rempublicam tradidi. » Quæ essent initiationum species pluribus prosequitur Apuleius lib. II et XII Metamorph. Valerianus itaque Macriani impulsa novas has cæremonias pro felici faustoque belli exitu habendo aliis edictis publicare voluit. De quibus intelligenda veniunt verba in antiqua sancti Cypriani passione, quæ sic habent. initio oper. S. Cypriani : « Sacratissimi imperatores Valerianus, et Gallienus, litteras ad me dare dignati sunt, quibus præceperunt, eos qui Romanam religionem non colunt, debeant Romanas cæremonias recognoscere. » Nempe quas speciali modo sua initiatione peragendas decreverat ex Macriani impulsu. Præceptum directum est ad episcopos, et presbyteros, ut ibi : « Non solum de episcopis, verum etiam de presbyteris mihi scribere dignati sunt. » Omnem vero Christianis ademptum locum orandi eodem præcepto significant hæc alia verba : « Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, ne cœmeteria ingrediantur. Si quis itaque hoc salubre præceptum non observaverit, capite plectatur. » Eadem Dionysio Alex. intimata esse supra vidimus. Initiationes porro Ægyptiacæ, vulgo Isiacæ, multæ erant ac variæ, quarum potiorem partem laudatis libris enarrat Apuleius. Has præcipue

promotas docent sequentia passionis Cyprianicæ verba : « Jusserunt sacratissimi imperatores cæremoniari. » Quod ultimum verbum designat rituum farraginem, quam in Isiacis usurpabant : Quo sensu in sententia capitali a proconsule edita, dicitur *secta cæremoniarum suarum*. His enim verbis excipitur : « Diu sacrilega mente vixisti, et plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, et inimicum te diis Romanis, ac sacris legibus constituisti, nec te pii, et sacratissimi principes Valerianus, et Gallienus Augusti, et Valerianus nobilissimus Cæsar ad sectam cæremoniarum suarum revocare potuerunt. » Ubi discriminantur dii Romani ; a secta imperatorum stabilita in cæremoniis ab ipsis vindicatis, quæ aliæ non erant, nisi Ægyptiacæ initiationes. Eædem propositæ Sixto, quas nomine *præceptorum Valeriani* Liber Pontificalis expressit ; quæ dicta cum sanctus pontifex abominaretur, sequitur, Liber Pontificalis, quod capitali pœna multatur.

Linea 5. — *Capite truncatus est.* Qui contemnebant ex episcopis et presbyteris indictis initiationibus cæremoniari, capitali sententia puniebantur, ex laudata passione, quo modo martyr effectus S. Cyprianus. Ordinariam hanc in refragatores edictorum fuisse pœnam eruitur ex laudata passione, narrante. fideles astantes Cypriani morti exclamasse, ut cum ipso capitali eadem pœna plecterentur. « Post hanc vero sententiam turba fratrum dicebat : et nos cum ipso decollemur. »

Linea 7. — *Et presbyteri præfuerunt.* In vacatione sedis pontificiæ, uti sub Fabiano evenerat, presbyteri, et diaconi præfuisse dicuntur. et cum suscepta Ecclesiæ cura, universalem sollicitudinem ostendisse præcipue in causa lapsorum, dirigendo epistolas et exhortationes ad compescendam quorumdam nimiam libertatem in admittendis lapsis. Inter hos admonitum fecerunt Cyprianum pro hac controversia ; sicuti etiam quod in fervore persecutionis, quando plebes majoris adjutorii erant indigentes, eas reliquerit, et in secessu adhuc delitesceret. Pro quibus epistolam dedit *presbyteris et diaconibus Romæ consistentibus* in nova editione num. 20, ubi causam secessus aperit, et quid pro lapsis egerit, et pro confessoribus et martyribus. Additque, quod de universis actibus certiorem reddiderit clerum eumdem Romanum. « Et quid egerim loquuntur vobis epistolæ pro temporibus emissæ : numero tredecim, quæ ad vos transmisi. » In epistolis vero illis tredecim quæ egerit, et quæ illæ sint Jo. Cestriensis in Annal. Cyprianicis assignat, ad annum 256, § 11 et 12. Quæ vero esset presbyterorum et diaconorum cura, episcopo absente, sicut etiam defuncto, docent ejusdem Cypriani epitolæ presbyteris et diaconis Ecclesiæ Carthaginensis datæ tempore secessus. Quod vero hic presbyterorum mentio occurrat, diaconis prætermissis, ad quos, præcipue ad archidiaconum, spectabat potior sollicitudo saltem exterior bonorum Ecclesiæ, factum reor, quia cum Sixto archidiaconus Laurentius, et cum eo alii sex diaconi, Felicissimus et Agapitus, Januarius et Magnus, Vincentius et Stephanus sunt, ait Liber Pontificalis, martyrio affecti unde notavit consequenter, quod soli presbyteri *præfuerint,* quia alii cum Sixto martyrio passi erant,

Linea 8. — *Quo tempore,* locus corruptus per consuetam amanuensium transpositionem : hinc supra referenda verba, forsitan meliori sensu sic : « Fuit autem temporibus Valeriani et Decii, quo tempore fuit maxima persecutio. Quo tempore sævissima persecutione arguebatur, beatus Sixtus sub Decio. Eodem tempore (maximæ persecutionis) hic comprehensus a Valeriano. » etc. Locum sic restituendum esse suadent circumstantiæ temporis, quo adversus Novatianos catholici ostendere obnitebantur : primo, schismaticos Decianæ persecutione fuisse auctores ; secundo, in Deciana persecutione clericos majores fuisse vexatos, cum tamen securi et incolumes Novatiani viverent; tertio, Cornelium, et successores multiplici confessione gloriosa spectabiles : et ut ostenderetur etiam talem Sixtum fuisse, propterea auctor Gestorum adnotatum reliquit, ipsum in *ea sævissima persecutione* fuisse exagitatum a Decio. Catholicos vero Novatianis objecisse suorum inconstantiam ingloriam in persecutionibus illis sævissimis, dum non legebatur vel Novatianum, vel asseclas quidquam pertulisse pro fidei confessione toto eo tempore, docet in suis epistolis Pacianus, qui pariter reserat posteriorum Novatianorum figmentum ex corruptis epistolis Cyprianicis, quibus contendebant ostendere, Novatianum fuisse verum confessorem. Argumentum vero de multiplici confessione tunc assumi solitum veluti tesseram virtutis probant epistolæ Cypriani datæ pro causa Cornelii adversus schismaticos, ubi hanc confessionis notam auget, ut ostendat et Cornelii legitimam electionem, et Novatiani schismatici ambitum : quo modo Cornelius nomine synodi Romanæ ad Fabium suggillat Novatianum reluctantem in periculo persecutionis catechumenis adesse, et in persecutionibus refugientem certamina. Liber itaque Pontificalis designare voluit in periodo integra Decianæ persecutionis Sixtum vexatum esse, et sub Decio, et sub Valeriano, quando glorioso certamine martyrium consummavit : quod et in Urbano, Cornelio, Stephano, et Lucio observatum est.

Linea 16. — *Cyriacetis.* Occurrit vox in Sylvestro, ubi legitur : « In eodem loco possessio cujusdam Cyriacetis religiosæ feminæ, quam fiscus occupaverat tempore persecutionis. » Erat hæc religiosa mulier, quæ ; Deciana perurgente persecutione, bonorum jacturam passa fuerat, et quidem juxta edicta tyranni, de quibus in laudata ad Successum epistola scribit Cyprianus, cum summam edictorum proponit. « Matronæ ademptis bonis in exsilium relegantur... Sed et huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in Urbe, ut si qui sibi oblati fuerint, animadvertantur, et bona eorum fisco vindicentur. » Hæ fisco tempore persecutionis adjudicatæ possessiones, pace per Constantinum data Ecclesiis, ab eodem destinatæ sunt in dotem templorum et pauperum : de quo fuse Eusebius, et infra Liber Pontificalis. In prædiolo itaque relicto, locum sancta mulier aptavit pro martyrum sepultura. Cur vero non fuerit, sicut antecessores, Sixtus repositus ad viciniam memoriæ apostolorum, facilis responsio : quia interdictus ex posteriori Valeriani edicto accessus ad cœmeteria, uti supra notatum est. Ex qua causa etiam evenerat, ut Sixtus SS. apostolorum Petri et Pauli corpora ad locum sancti Fabiani transtulerit, ut ibi tutius custodirentur, ne persecutio etiam adversus cœmeteria incrudescens, sacras reliquias igni traderet. Unde quæ Liber Pontificalis tradit in Cornelio de istiusmodi translatione, reponenda in Sixto, et corrigendus textus. Ex quo etiam probata manet nostra conjectura de additionibus, et de modo in Libro Pontificali factis. Tempore vero Sixti translationem factam probat Indiculus depositionum martyrum apud Bucherium, ubi : « Tertio Kal. Julii Petri in catacumbas, Tusco et Basso coss. » Qui consulatus spectat ad annum 258, quo tempore Sixtus vivebat, non vero Cornelius.

BINII ET LABBEI.

Linea 5. — *Capite truncatus est.* In Cœmeterio eodem, in quo contra legem Valeriani imperatoris aditum cœmeteriorum prohibentem peccaverat, occisum esse, testimonio S. Cypriani constat. Decollatus, an crucifixus decesserit Sixtus pontifex, controvertitur. Unus est solus Prudentius hymno 2 eum cruci affixum fuisse tradit his versibus

Jam Sixtus affixus cruci
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite, etc.

Verum in cœmeterio prædicto capite truncatum fuisse plurium testimoniis est comprobatum.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sixto pontifici annos II, menses XI, dies VI, in picturis Leonianis evidentes concordi lectione attribuunt antiquissimus catalogus Liberianus. et quatuor Italici cum Belgico Papæbrochii, necnon quatuor codices Ocriculenses, variantibus numerum dierum nonnullis ex Colbertinis. Quare spatium episcopatus ad triennium ferme solidum extensum censeri debet positum extra aleam dubitationis.

Dies martyrii tam illustris est, quam diaconi ejus Laurentii : cui prædixit dum ad necem ipse duceretur : *Post triduum me sequeris sacerdotem Levita,* ut ex Actis constat sanctorum Patrum testimonio confirmatis. Consignatur itaque Sixti II martyrium tabularum consensu die Augusti non secus ac in *depositionibus martyrum* (inter Prolegomena col. 975 seqq.) ætate Liberii scriptis, per illa verba : « Mense Augusto, octavo Idus, Systi in Callisti, et Prætextati, Agapiti, et Felicissimi. » Consonat etiam antiquissimum Kalendarium Ecclesiæ Carthaginensis « VIII Idus Augusti sancti Xysti episcopi et martyris Romæ, IV Idus Augusti sancti Laurentii. »

Beatus Cyprianus martyrio suo proximus, quod fortissime complevit eodem anno quo Sixtus die 14 Septembris, nuntium ab Urbe percepit proxime coronati collegæ : ita scribente Pontio diacono in ejus Vita : « Jam de Xysto bono, et pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre ab Urbe nuntius venerat. Sperabatur jam jamque carnifex veniens, qui devota sanctissimæ victimæ colla percuteret. et sic erant omnes dies illi quotidiana exspectatione moriendi. Cum ecce proconsulis jussu ad hortos ejus, » etc. Acta martyrii sanctum Cyprianum captum fuisse tradunt *Idibus Septembris, Tusco et Basso coss.....* Et in *altera die octava decima Kalendarum Octobrium* mane judici oblatum, et capitis damnatum fuisse : quibus cætera vetusta monumenta concordant, legenda apud Schelestratium dissert. II, cap. 7, num. 8.

Ex die igitur sexta Augusti anno 258, Tusco et Basso consulibus, si recedatur in anteriora per annos duos, menses 11, dies 6 episcopatui Sixti attributos ; ejus ordinatio pariatur cum die 2 Septembris eaque Dominica anni 255, qua vicarius ordinabatur a Stephano decessore, ut in superiori numero indicavi, Valeriano III et Gallieno II consulibus. In catalogo Liberiano dicitur cœpisse proximo consulatu *Maximi* II *et Glabrionis,* signante annum 256, cum scilicet per absentiam Stephani in exsilium pulsi Paschalia festa sui vicariatus prima peregerit ; dum imp. Valerianus acrius persequeretur clerum, quam cæteros Christianos : uti patet ex epistola 82 S. Cypriani ad Successum : « Rescripsisse Valerianum ad senatum, ut episcopi, et presbyteri, et diacones, incontinenti animadvertantur. » Et infra subdit : « Xystum autem in cœmeterio animadversum sociatis octavo Iduum Augustarum die, et cum eodem Quartum. » Xysti martyrio ea die completo sub consulibus Tusco et Basso, vacavit sedes per annum ferme integrum, nempe usque ad *diem* XII *Kalendarum Augusti, Æmiliano et Basso consulibus,* ita attestante auctore catalogi Liberiani per illa verba : « Passus est VIII Idus Augusti..... a consulatu Tusci et Bassi usque in diem XII Kal. Augusti, Æmiliano et Basso consulibus. » Lacunam recte suppletam fuisse ab Henschenio affirmat Schelestratius. Supplementum lacunæ ita disposuit Henschenius : « Passus est VIII Idus Aug. et presbyteri præfuerunt a consulatu Tusci et Bassi usque in diem XII Kalend. Augusti, Æmiliano et Basso consulibus. » In commendationem supplementi hæc protulit Schelestratius : « Et præfuerunt presbyteri, etc. Ita enim ante mille et centum annos dum antiquior catalogus integer exstabat, legit auctor secundi catalogi in Xysto : Et presbyteri præfuerunt a consulatu Maximi et Gravionis II usque Tusci et Bassi XIII Kal. Augusti. » — « Quæ auctor A secundi catalogi habet in Xysto (sequitur Schelestratius) referunt quoque auctor Libri Pontificalis et Anastasius Bibliothecarius juxta fidem antiquissimis. Florentini : cujus lectio in mss. notis Lucæ Holstenii sub pontificatu Stephani exhibetur his verbis. « Et presbyteri præfuerunt a consulatu Maximi et Glabrionis II usque ab Tuscum et Bassum, a consulatu Tusci et Bassi usque XVII Kal. Augusti. » Ubi videre est duplicem errorem ab Anastasio admissum, alterum dum sub Stephani pontificatu narrat quod sub Xysto narrare debuerat, alterum dum consulatus confundit, et a consulatu Maximi et Glabrionis II, anno 256, quo Stephanus adhuc pontifex erat, usque ad XVII Kal. Augusti anno 258, quo sub Tusco et Basso Xystus adhuc vivebat, presbyteros Ecclesiæ præfuisse affirmat. Octavo Idus Augusti, Tusco et Basso coss., Xystus primum martyrio consummatus est, ut constat ex supradictis. Unde rectissime antiquior catalogus habet, presbyteros post Xysti B obitum Ecclesiæ præfuisse a consulatu Tusci et Bassi usque in diem XVII Kal. Augusti Æmiliano et Basso consulibus, quando nimirum in locum Xysti successit Dionysius. » Nihil superest addendum doctis observationibus Schelestratii, præterquam tertium discrimen inter descriptorem catalogi, et auctorem textus Anastasii observari in numero consulatus secundi sociando cum nomine Glabrionis, qui assignantur Maximo ejusdem collegæ in codice l. XV de Fideicommissis. et in Fastis Cassiodori, et in chronico Alexandrino. Leges aliæ, a Relando indicatæ, et inscriptio a Fabretto edita pag. 723, in ædibus olim Co. de Bigazzinis, nunc autem Co. de Bolognettis, quæ apud titulum S. Marci spectabilis, neutri assignat numerum iterati consulatus, sed ita insculpta legitur :

DEDIC. IDID. NOV. MAXIMO. ET GLABRIONE COS.
CVRA. AGENTINBS. AELIO. ACHILLA, etc.

C Quare confirmatur in sæpe laudata methodo corrigendi in codicibus transmissis potius numeros et nominibus consulum, quam nomina consulum ex numeris, et utraque exigendi ad genuina, et antiqua documenta, atque ætati proxima iisdem consulibus, quos enumerant.

Manet itaque sibi constans Xysti chronologia, quæ illi attribuit episcopatus annos 2, menses 11, dies 6, quæ tempora partim exegit vicarius Stephani, partim successor : vicarius quidem ex die ordinationis suæ ad episcopatum, quæ fuit 2 Septembris anni 255 incidens in Dominicam, usque ad obitum Stephani, 2 Augusti 257 ; successor vero ex die 22 post martyrium decessoris, cum vacasse dicatur sedes diebus totidem in Libro Pontificali, nempe ad diem Dominicam 26 Augusti ejusdem anni 257. Inde vero acta interpolata ejusdem martyrii electionem Sixti ad sedem Romanam narrant post obitum B. Stephani his verbis apud Baronium ad ann. 256, et Schelestratium dissert. 2, cap. 7, num. 4 : « Adunataque D Ecclesia Christianorum ordinaverunt in locum beati Stephani episcopi et martyris Christi Sixtum episcopum Nono Kalendarum Septembr., etc., sub Valeriano et Galieno coss. ; » et in aliis codicibus Vaticanis expressius legitur : « Ordinaverunt in locum B. Stephani Sixtum natione Græcum, patria Atheniensem, episcopum nono Kalendas Septembris, Valeriano quartum et Gallieno secundum consulibus. » Emendat Schelestratius *Gallieno* III, non vero II, emendandum est et illud *ordinaverunt ;* vel interpretandum est, ut *adunata Ecclesia,* cleri suffragia *elegerint,* sive *elevaverint* IX Kal. Sept. Sixtum pridem ordinatum episcopum ad Petri sedem, successionis jure in nomine suo implendam (quam vicarius administraverat mandata decessoris ex anno præcedenti), donec anno ad eam electionem proxime consecuto 258, die sexta Augusti, Tusco et Basso consulibus, perductus ad martyrium, Laurentio archidiacono prædixerit parem coronam post triduum ei

tribuendam, quam ipse consequebatur. Eodem vero mense Augusto perlata martyrii fama ad Cyprianum, hunc pariter consortem palmæ, ab eo per litteras celebratæ, obtinuit enuntiare, uti memoravimus.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Fuit autem temporibus Valeriani, et Decii.* Hanc periochen, quæ in codicibus quibusdam, desideratur, confusam reddidit ex Actis interpolatis, seu minus apte perceptis, breviator aliquis non satis expertus, aut diligens; uti Schelestratius admonuit. Cum enim Decius imperator Valerianum censorem constituisset amplissima illa cum potestate vix ulli privato concessa, quam retuli; et cum Valerianus ex censore non multo post electus imperator Decii filium creaverit Augustum, constante persecutione a Decio patre cœpta, et a successoribus Gallo ac Volusiano continuata, acrius vero instaurata ab ipso Valeriano principe, affinitas temporum, et nominis Deciorum repetitio sub Valeriano, qua censore, qua Augusto, occasionem dedit sequioribus sæculis, de chronologia et genealogia principum distincte ordinanda minus sollicitis, hæc omnia temere permiscendi. Contingere quoque potuit, ut scriptor passionis et actorum SS. Sixti et Laurentii exordium duxerit a persecutione Decii, istarum jugatarum origine, cum ab illa cœperint edicta contra clerum speciatim promulgata: quorum vi Sixtus nondum pontifex semel delatus, aliique tunc evaserunt, Antoninorum lege vigente, ut prima in delatione Christianis parceretur. Sed repetitis denuntiationibus, occasione rescripti, ad imitationem Decii a Valeriano jam principe contra clericos editi, et ad senatum missi, quo jubebatur, *ut episcopi, presbyteri, diaconi statim animadverterentur* (narrante Cypriano *epist.* 52, supra col. 1413) subire sententiam capitis Sixto, Laurentio, et sociis Romæ, Cypriano vero aliisque Carthagine necesse fuit. Illa igitur, quæ scriptor actorum repetenda duxerat tanquam ab origine a prima illa delatione sub Decio, ut prosequeretur alteram denuntiationem sub Valeriano, breviator aliquis imperitus sequioris ætatis inepte commiscuit, et Decium ac Valerianum eodem tempore nobis exibuit quasi in imperio collegas, jubentes ante tribunal suum perduci Sixtum, Laurentium, et socios ad eumdem locum *Fori Nervæ pro Telluris* [*in tellure*] *Tempo* : quo adducti fuerant Cornelius papa, et Gordianus, martyrio afficiendi : tanti non reputans eos Cæsares invicem separare, quos paria edicta jungebant in studio persequendi ministros sacrorum, ferme continenter vexatos per illud octennium, quod inter leges Decii et Valeriani effluxit. Verum de causis erroris non est fusius agendum. Sufficiat, acta genuina exstitisse ætate Ambrosii, ex quibus S. doctor exscripsit eadem verba, quæ leguntur in præcipuo certamine Sixti et Laurentii etiam in actis interpolatis, quibus usus est Anastasius. Eadem passio, et actorum magna pars celebrata est versibus per Prudentium in Peristephan. annis tantummodo 150 circiter post martyrium Sixti et Laurentii : ubi de triduo per Sixtum prædicto, a passione et morte sua ad passionem et mortem S. Laurentii, hæc legimus metro inclusa, quæ soluta oratione reperiuntur in actis a pontifice Sixto prædicta Laurentio, dolenti quod Sixtus mortem pro Christo subiturus diaconum suum derelinqueret.

Desiste discensu meo
Fletum dolenter fundere :
Præcedo, frater : tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit ; nam dies
Prædicta palmam præstitit.

Satis itaque convalidata sunt habenda ex actis chronologia, et acta genuina, ex testimoniis SS. Patrum hucusque perpensis.

Linea 12. — *Et Romanus ostiarius.* Et lin. 14. *Et diaconi supradicti sepulti sunt in Cæmeterio Pretextati.* Uterque locus istius numeri illustrandus hic esset insigni documento hac ipsa die 27 Aprilis reperto in cœmeterio Prætextati, dum prælo subdimus has observationes : in quo sanguis martyrum suis in crustis vitrum opplentibus adhuc perspicuus, comprobat ea quæ in depositionibus martyrum servari mandarunt Romani pontifices tempore persecutionum, et quæ successores constanter retinuerunt circa eorumdem reliquias venerandas, et solertissime custodiendas. Verum opportuniori loco reservanda est editio nobilis istius monimenti, nempe in notis historicis ad numerum B. Eutychiani, quas consulere poterit lector.

CIACONII.

Linea 10. — *Passus est et beatus Laurentius ejus archidiaconus.* Post triduum a Sixti martyrio, nempe IV idus Augusti, die Sabbati, primarius diaconorum, seu mavis archidiaconus, seu archilevita ipsius Laurentius, clarissimus athleta fidei, illustre certamen obiens, post diversa, et immanissima tormenta, craticulæ ferreæ impositus, igneque assatus, insignem martyrii coronam consecutus, admiranda plane animi virtute de persecutorum perfidia triumphavit, juxta nomen laureum sertum adeptus. Celebrant hujus eximii martyris certamen Ambrosius lib. I Offic., c. 41, et lib. I. c. 28, et serm. 1 et 71, et epist. 1, lib. II Augustinus sup. Joan. tract. 27, et lib. I ; Isidorus, in Missali et Breviario ; Bernardus, serm. sup. Cant et in S. Andr. Leo Papa in serm. et Prudentius in Peristeph. venustissime carmine expressit; et alii plerique, quos longum esset recensere.

Linea 12. — *Hic fecit ordinationes duas.* Mendum est. Fecit enim beatissimus Sixtus ordinationem unam, non duas, in quas episcopos per diversa loca duos, in Urbe vero Roma presbyteros quatuor, diaconos septem mense Decembri creavit.

PAGII.

Ejus gesta in pontificatu nos latent, id tantum ex Indiculo depositionis martyrum observat Pearsonius in Annalibus Cyprianicis, sanctum Sixtum SS. Petri et Pauli apostolorum corpora ad Catacumbas transtulisse, ut ibi tutius stationes haberi possent, magis in dies sæviente persecutionis ardore. In Indiculo enim, inquit, depositionis martyrum habetur: « Tertio Kalendas Julii Petri in Catacumbas, et Pauli Ostiense, Tusco et Basso coss. » Qui consulatus competit in annum 258, quo Sixtus sedit usque ad diem sextum Augusti. Ubi sermo est de translatione corporum sanctorum Petri et Pauli. Liber Pontificalis pontificem permutando, ut sæpe solet, Cornelium pro Sixto posuit, indeque pseudo-Isidorus eamdem historiam fictitiæ Cornelii epistolæ inseruit. Sixtus igitur non Cornelius, hæc tropæa, quæ ut tradit Caius, qui circa annum Christi 200. scripsit, tunc temporis in Vaticano asservabantur, in Catacumbas transtulisse videtur.

SOMMIER.

Sub episcopatu Sixti II, qui Stephano successit, accepit Romana sedes luculenta testimonia obsequii ac venerationis debitæ supremæ ipsius auctoritati ab Ecclesia Alexandrina, cui præerat episcopus Dionysius. Hic alteram de baptismo epistolam scripsit eidem Stxto ; in qua præmissa notione controversiæ circa hæreticorum baptisma, et litterarum præcedentium quas ipse dederat ad Stephanum Sixti decessorem pro episcopis reiterari cupientibus ita collatum baptismum, rogat, ut mature perpendere dignetur rei magnitudinem (loqui sane contendit de excommunicatione quam Stephanus fuerat comminatus) *ut pro his illum deprecarer*, qui decreta sequebantur tantummodo in maximis episcoporum conciliis edita. « Rei igitur magnitudinem attenta cogitatione complectere. Decreta enim in maximis episcoporum conciliis, sicuti audio, facta fuerunt..... Atque

ut pro his omnibus episcopis illum (Stephanum) deprecarer, epistolam scripsi. » (Dyonis. Alex. apud Euseb. *Hist.* lib. VII, c. 4.)

In eadem epistola sanctus episcopus denuntiat Romanæ sedi hæresim Sabellii, tunc suborientem : indicans papæ Sixto impiam doctrinam illam subortam Ptolemaide in Pentapoli, texturam esse blasphemiarum contra Deum Patrem ; complura quoque falsa dogmata continere adversus Filium ; et auditores suos pertrahere ad oblitterandam confessionem divini Spiritus. Satis certa documenta ejus negotii ad se fuisse perlata per epistolas a compluribus ad se datas, et per fideles ad se accedentes conferendi causa ; quocirca scripserat, Deo dante, quasdam epistolas, quo accuratius erroris latebras aperiret, » quarum exemplaria descripta, inquit, ad te misi. » (*Ibid.*, cap. 5.)

Alteram insuper epistolam dedit ad Sixtum, flagitans ut rescriberet quid sibi agendum foret, ne per errorem labatur, in precibus sibi a fidele quodam porrectis super iteratione baptismi : quem cum accepisset ab hæreticis catholicorum ritus non servantibus in eo sacramento, lacrymis etiam, ne dum precibus continenter instabat, ut pura ablutione tingeretur, qua gratiam consequi posset, et in Ecclesiæ filium ascribi. Addit, se id minime ausum attentare, cum diuturno jam tempore in communione fidelium versatus esset is, qui ita supplicaverat, et sanctorum mysteriorum particeps jam fuisset. Nec tamen afflicto consolationem, et fluctuantis animi æstibus tranquillitatem conciliare se adhuc potuisse : « Revera, frater, quoniam hujusmodi quædam causa ad me delata est, in qua veritus, ne per errorem labar, consilium quæro, tuamque vehementer exposco sententiam. Frater quidam ex nostro conventu, » etc. (*Ibid.*, cap. 8.)

Protestantes veluti sibi plaudentes præsumunt, et jactant, has litteras ad Romanum pontificem datas nihil esse aliud, quam consultationes fraternas : nihil admodum illas differre ab aliis passim datis ad cæteros episcopos : nec propterea concludi posse, subjectionem Romano pontifici in his significari, cum in reliquis subjectio non demonstretur. Verum ita sentientes de his epistolis oportet voluntaria cæcitate usum oculorum sibi præripere, ne videant quod in eis aperte se prodit, nempe episcopum Alexandrinæ sedis proximæ dignitate a Romana recognoscere Sixtum papam tanquam superiorem suum, et universis Ecclesiis jura dantem ; cum supplex apud eumdem intercedat pro magna parte episcoporum orientis ; cum certiorem eum reddat de hæresibus proprio in patriarchatu subortis ; cum ad illum scripta transmittat, quæ ad easdem refutandas elucubraverat ; cum denique ad ejusdem providentiam atque auctoritatem recurrat, impeturus normam quam teneat in re expediendæ. de qua suopte ingenio judicare non audebat.

Hanc supremam auctoritatem Sixtus exercitus erat contra Millenarios, hæreticorum genus in Ægypto nuper excitatum, qui docebant, post annos mille regnaturos esse cum Christo Domino super terram sanctos ejus, et perfruituros in ea deliciis ac omnibus voluptatibus corporis. Sed prævenit ea parantem subita persecutio, nec spatium concessit causæ expediendæ. « Hunc summum Dei sacerdotem (ait Maximus Taurin., *homil.* 2 *in natali S. Laurentii*) furor gentilis aggreditur, ut ecclesiastica membra tam valido truncata capite, velut munimine cœlestis præsidii amoto, cruentus persecutor invaderet. » A successore Dionysio perfectum id fuisse videbimus, quod Sixtus meditabatur.

XXVI. SANCTUS DIONYSIUS.

ANNO CHRISTI 261, VALERIANI ET GALIENI IMP. 7.

26. *Dionysius, ex monacho, cujus generationem non potuimus reperire,* sedit annos duos, menses tres, dies septem [a]. *Fuit* autem [b] *temporibus Gallieni ex die* XI *Kalendarum Augustarum, Æmiliano et Basso consulibus, usque in diem* VI *Kalendarum Januariarum,* a consulatu [c] *Claudii et Paterni.* [d] *Hic presbyteris ecclesias* divisit, *et cœmeteria, parochias diœceses* [e] *instituit. Hic fecit ordinationes* duas per mensem Decembris : presbyteros duodecim, diaconos sex, episcopos per diversa loca numero octo [f]. Qui etiam *sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia,* VI *Kalendas Januarii ; et cessavit episcopatus dies quinque.*

CATALOGUS SUB LIBERIO

Dionysius annis octo, mensibus duobus, diebus quatuor. Fuit temporibus Gallieni ex die XI Kalendarum Augusti, Æmiliano et Basso consulibus, usque in diem septimum Kalendar. Januarii, consulibus Claudio et Paterno.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *B*, ann. 11, m. 3, d, 14. [b] *B*, et Valeriani, Claudii Aureliani a Coss. Fusci et Basci ad Aurel. Aug. et Bassum. [c] *C*, consulatus. [d] *Baronn. ann.* 270 *in fine.* [e] *C* et diœceses. [f] CB. septem.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 26, *lin.* 5, *AB*, dedit. *B*, ministeria. *lin.* 6, *A*, presbyt. undecim.

C *Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.*

Lin. 1, non p invenire, sedit ann. 6, m. 2, d. 4. *lin.* 4, Januarii. *lin.* 5, d. constituit.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 2, ann. 6. m. 2, d. 4. *lin.* 5, diocesis constituit.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Florent. duo,* annos VII, menses II. *lin.* 5, A *Flor. sec. et Vat.,* dedit et ministeria. *lin.* 7, *Vatic. et Flor.,* depositus est.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, cujus generationem non potuimus reperire. *lin.* 5, dioceses constituit. *lin.* 8, et cessavit episcopatus diebus V.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 5. — *Et parochias diœceses instituit.* Hincmarus Rhemensis Opusc. LV. Capitum. cap. 15: « Dionysius papa rusticanis parochiis terminos certos posuit ac ponendos disposuit, de quibus etiam Chalcedonense concilium, quæ sunt nota, decrevit. » Verum juxta Baronium ad annum 270. in fine: igitur hic tantum de parochiis urbis Romæ, quas Valeriani persecutio turbarat.

ALTASERRÆ.

Linea 4, 5. — *Hic presbyteris ecclesias divisit, et cæmeteria, et parochias diœceses instituit.* Evaristus primus titulos, id est, Ecclesias in Urbe divisit, auctore ipso Anastasio; postea clade variarum persecutionum, et diutina vacatione Ecclesiarum perturbato statu Ecclesiarum, tandem a Gallieno reddita pace Ecclesiæ, rursus a Dionysio divisæ parochiæ, aut verius restitutæ, primum in Urbe, tum in provinciis, ut patet ex integra epist. Dionysii ad Severum Cordubensem episcopum, cujus pars exstat in can. *Ecclesias.* 13, qu. 1, et in cap. *Pastoralis,* de his quæ fiunt a præs. sine cons. Cap., de quo fusius dixi Diss. lib. V, cap. 4.

BENCINI.

Linea 4, 5. — *Hic presbyteris ecclesias divisit, et cæmeteria, et parochias diœceses instituit.* Ad postrema Dionysii tempora hæc Ecclesiarum ordinatio, seu in meliorem statum, et formam reformatio acta est, cum, Valeriano in bello cum Persis capto, Gallienus a persecutione temperavit, et datis publicis rescriptis, indulgentiam concessit, et loca sacra episcopis restituenda decrevit Utrumque refert Eusebius l. VII, c. 13: « Verum Valeriano non multo post a barbaris capto, et in servitutem redacto, filius ejus Gallienus solus imperium obtinens, moderatius se gessit: missisque edictis, persecutionem adversus nostros commotam sedavit; utque religionis nostræ antistites secure deinceps munus suum obirent, hujusmodi rescripto præcepit: Imperator Cæsar Licinius Gallienus, pius, felix, augustus, Dionysio, Pinnæ, Demetrio, et reliquis episcopis. Indulgentiam beneficii nostri per universum orbem diffundi præcipimus, ut cuncti a religiosis locis abscedant. Quocirca et vos rescripti nostri forma uti poteritis, ut nullus vobis deinceps molestiam facessat. Atque id quod vobis exsequi licet jamdudum a me concessum est. Proinde Aurelius Cyrenius procurator summæ rei, dati a nobis rescripti formam sequetur. » Potuit itaque Dionysius Gallieni indulgentia omnes Christianorum ecclesias in Deciani persecutione a gentibus direptas restituere, dividere, et ad priorem formam reformare. Neque enim censendus est Dionysius auctor divisionis ecclesiarum, cum antea presbyteri in locis sacris constituti, et titulis Urbis præsidentes sacra operarentur, sed confusum ordinem ob Decianam persecutionem restituit, et ordinavit.

Ecclesias. Multiplicatas ecclesias in orbe Christiano, et has in singulis imperii urbibus exstitisse, et fuisse loca ædificiis septa, et cultui divino dicata supponit Gallieni rescriptum, dum præcipit, ut cuncti a religiosis locis abscedant, quæ occupaverant ex Deciano edicto gentes, et episcopis restituantur. Divino cultui mancipatas fuisse, seu ad sacra ministeria agenda, interdicto omni profano usu, et *quidem* severissime, Valerianus imperator apud Vopiscum testatum facit, dum superstitiosus imperator senatum arguit ex spreta Sibyllinorum oraculorum inspectione, quasi senatus esset in ecclesia Christianorum, in qua talis inspectio interdicta. Ita enim imperator: « Miror vos, Patres Conscripti, tandiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitasse, proinde quasi in ecclesia Christianorum, non in templo omnium deorum tractaretis. » Ecclesiam Christianam opponit gentilium templo, et adeo a Christianis locum religiosum habitum putatumque, ut interdicta omnis actio quæ sacra non esset. Ecclesiæ itaque erant Christianorum, seu sacræ ædes ad religionis agenda mysteria. Altaria in iisdem fuisse declarat factum, quod evenit Gallieno ipso imperante, ab Eusebio relatum de Theotecno Cæsareæ Palestinæ episcopo, l. VII, c. 10: « Cum ex prætorio egressus esset Theotecnus civitatis episcopus, ad illum accedens, et sermocinando longius eum abstrahens, prehensa manu ad ecclesiam adducit. Cumque interius ad ipsum altare eum statuisset, reducta tantisper ejus chlamyde, gladium illi, quo præcinctus erat, ostendens, mox sacrorum Evangeliorum codicem ex diverso locat, jubens ut e duobus utrum mallet, eligeret. » Quo loco adnotatur, altaria fuisse, ac ibi sacros libros, et similia quæ propria Christianorum ecclesiarum. Et paulo ante Decianam persecutionem, loca fuisse ampla, et religiosa publice retenta. Alexandri imperatoris responsum a Lampridio narratum, clare demonstrat. « Cum Christiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupassent; contra popinarii, dicerent, sibi eum deberi..... rescripsit, melius esse ut quomodocunque Deus colatur, quam popinariis dedatur. » Dixerat Gallienus in suo edicto præcipue Dionysio pontifici directo, ut in recuperandis ablatis ecclesiis ipse insisteret; quam formam sequens Aurelianus interpellatur a Paulo Samosateno de ecclesia Antiocliena curam pontifici dedit ex Eusebio, l. VII, cap. 30, qui referens hæresiarchæ gesta post synodum adversus eumdem, quodque depositus, e domo ecclesiæ nullatenus discedere vellet; interpellatus imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis antistites, et Romanus episcopus scriberet. Hoc modo vir supra memoratus cum summo dedecore per sæcularem potestatem ab ecclesia exturbatus est. » Prisca ædificia exinde Eusebius vocat, quæ post Gallieni edicta in augustiorem molem fuere reducta; quo magis roboratur antiquarum ecclesiarum per universum imperium primæva existentia. Proxima enim tempora cum describit, et proventus uberrimos ex Gallieni rescriptis, hæc advertit idem Eusebius, lib. VIII, cap. 1: « Jam vero quis innumerabilem hominum quotidie ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris cumulate possit describere? Quo factum est, ut priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsi fundamentis extruerent ecclesias: atque hæc progressu temporis increscentia, et quotidie in majus et melius proficientia, non livor ullus atterere, nec malignitas dæmonis fascinare, nec hominum insidiæ prohibere unquam potuerunt. » Et de earumdem frequentia universum per imperium sic infra: « Ecclesias in singulis civitatibus congregatas et frequentissimos Christianorum conventus, et collectas ibidem ex more fieri solitas cernere licebat. »

Cæmeteria. Loca nempe subterranea, alio voca-

bulo Catacumbæ dicta, ubi et Christiani tumulabantur, et persecutionum tempore sacra mysteria celebrabantur. Decius primo episcopis ecclesias ademit: et cum in cœmeteriis fideles tunc convenirent, Valerianus et ad cœmeteria aditum inhibuit, ut supra dictum est. Cum ecclesiarum restitutione data est facultas cœmeteria adeundi, quæ Dionysius etiam divisit, ut juxta natalitia martyrum, ubi corpora recondebantur, missæ celebrarentur. Diocletianus dum primordia persecutionis aggreditur, non ab ecclesiis, sed a prohibendis conventibus in cœmeteriis rem incœpit, ex eodem Eusebio dicente: « Dumque ad subruendam pacem nihil non moliretur, primum quidem nostros a conventibus qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu, arcere aggressus est. » Cœmeteria Gallieni lege etiam episcopis restituta, docuit supra laudatus Eusebius subdens: « Est et alia ejusdem imperatoris constitutio ad alios episcopos data, qua iis permisit, ut cœmeteriorum suorum loca recuperarent, »

Paræcias. Vocabulum paræciæ duobus modis sumitur, apud Latinos Patres præcipue: nonnunquam pro tota diœcesi, quo modo apud Augustinum epist. 261; aliquando pro singulari ecclesia. Antiquissima est hæc posterior significatio, quam usurpat Apollonius Cataphrygarum impugnator, cum de Alexandro impostore, apud Euseb., l. v, c. 18, qu. 15 in fine: « Ecclesia (Græce παροικία) vero ejus loci, unde erat oriundus ipsum non recepit, quod latrocinia exerceret. » Romanis itaque presbyteris quibusve vel ecclesiæ in Urbe, vel extra Urbem cœmeteria et parochiæ ita distribuebantur, ut quilibet particulare territorium ad munera exercenda obtinens, veluti particulares diœceses ea loca regeret. Proximo tempore ad Dionysiana Romæ quadraginta basilicas fuisse, etiam ante Constantini tempora, Optati insignis locus probat, lib. II, qui convellens pseudoprimatum Donatistarum, quem Romæ habere gloriabantur, et loquens de primo schismatico Romæ Donatistarum episcopo Victore, inter cætera argumenta ad convellendum pseudoepicopatum Donatianum Romanum, eo etiam utitur, quod cum exstarent tunc quadraginta basilicæ, cum singulæ a suis presbyteris regerentur, nullam vel habuerint, vel occupare valuerint. Sic enim Optatus: « Non enim grex, et populus appellandi fuerant pauci, qui intra quadraginta, et quod excurrit basilicas. locum ubi colligerent, non haberent. » Qua auctoritate ostenditur, ne dum basilicarum existentiam ante collatam Ecclesiæ pacem, et libertatem per Constantinum; verum etiam basilicis præpositos ministros, qui eas regerent. Hinc quia a propriis rectoribus gubernabantur, occupari aliqua non potuit a schismaticis.

BINII ET LABBEI.

Linea 4, 5. — *Consulatu Claudii et Paterni*. Ex epistola synodica Antiocheni concilii scripta ad imperatorem Aurelianum ann. imperii illius secundo, qui est Christi 271, liquidum est ac manifestum, Dionysium adhuc illo tempore vixisse. Itaque his consulibus defunctum esse affirmari non potest, cum horum consulatus notetur in fastis cum anno Christi 270. (Baronius prædicto loco num. 21.)

Linea 7. — *Episcopos per diversa loca*. Inter episcopos ab eo ordinatos refertur Zamas, qui primus in Indice episcoporum Bononiensium ordine numeratur, cum tamen credibile sit plures alios ante ipsum fuisse, quorum memoria exciderit, cum civitas ea jam tum frequens et illustris esset. (Baron., anno 272, num. ultim.)

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Catalogus Liberianus in consulibus præservat nobis epocham integram annorum sancti papæ Dionysii, quam deciduæ picturæ mutilatam obtulerant descriptoribus catalogorum Italicorum. Nisi enim dominaret consules anni 259 *Æmilianum et Bassum*, tam in superiori periocha, in qua narravit vacante sede ad eosdem consules administratam fuisse a presbyteris Ecclesiam, quam in præsenti numero ad consignandum exordium sedis Dionysii papæ; et subinde exprimeret sedisse pontificem usque ad *Claudium et Paternum* consules, triduo post ejus obitum aperituros annum 269; vix possemus intelligere, quo pacto ex annis VIIII huic tempori respondentibus, quos fortasse librarius integre expresserat per eadem elementa VIIII detritis præcedentibus litteris duæ tantum postremæ superstites... II, visæ sint binarium indicare: idque etiam descriptoribus quatuor catalogorum Italiæ, necnon totidem Colbertinis et Belgico Papebrochii, recensitis inter Prolegomena, cum jam tum evanidæ præcedentes litteræ vix discerni possent, Catalogus Felicis Quarti ex VIIII, retinuit V: secundus Colbertinus VII: tertius VI: ut omnino suspicandum sit, etiam, ex picturis unius aut alterius basilicæ præter Paulinam, in quibus novennium signatum fuerat consueto more Romano per litteras VIIII, vitio decidui coloris in unitatibus quinarium consequentibus oculos a longe spectantium deceptos fuisse, dum alius solum quinarium V vidit, alius VI, alius VII. Catalogi Italiæ felicius conspiraverunt in conservando ternario mensium, et septenario dierum numero: a quo solus Cavensis postremam, eximit unitatem, cum in basilica S. Pauli præservetur integrum septenarium per litteras evidentes D. VII.

Diem depositionis S. Dionysii ad sextum Kalendas Januarii referunt cum Bibliothecario tabularia Ecclesiæ Romanæ, et catalogus depositionum Urbis episcoporum Liberiano sæculo conscriptus (supra in Prolegomenis). Catalogus ejusdem ætatis (*ibid.*) ostendit natalem pontificis Dionysii spectare ad diem præcedentem VII Kal. Januarii ejus anni 279, quem aperituri erant Claudius et Paternus consules, nisi numerus ille VII Kalend imprudenter auctus sit unitate. Quare si numerus catalogi Liberiani supponatur incorruptus, memoria S. Dionysii papæ, in antiquo lapide toties laudato ad titulum S. Sylvestri in Capite, sive SS. Stephani et Dionysii refertur ad diem VI Kalend. Januarii, spectabit ad ejus depositionem. Referenda igitur erit ordinatio Dionysii ad diem Dominicam 29 Septembris anni 259, Æmiliano et Basso consulibus: et ejus migratio ad Dominum parianda cum die 26 Decembris anni 268, post annos 9, menses 3, dies 7, in Petri sede impensos regendæ Christi Ecclesiæ: ac depositio ejus sacri corporis in cœmeterio Callisti habenda est ea die peracta, quæ proxime ad obitum consequebatur nempe 27 Decembris ejusdem anni 268. In illo autem cœmeterio custoditum fuit donec a Paulo I transferretur ad monasterium et oratorium a se constructum in titulo SS. Stephani et Sylvestri, seu Dionysii in Campo Martio, ubi indicata tabula marmorea et publica documenta archivi ejusdem monasterii testatum faciunt.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Hic presbyteris ecclesias divisit et cœmeteria*, etc. Divisæ jam fuerant Urbis ecclesiæ per pontifices decessores. Evaristus (num. 6): *Titulos in urbe Roma divisit presbyteris*. « Sed considerandum est, ait Baronius ad annum 270, num. 17, non a Dionysio papa primum, verum ab aliis antecessoribus Romanis pontificibus, suis limitibus distinctas fuisse parochias, presbyterisque divisas. At quod in persecutione Valeriani (ut dictum est) ab ecclesiis essent avulsi presbyteri, et in cœmeteria etiam Christiani omnes convenire vetiti: illo sublato de medio, et a Gallieno restituta Ecclesiæ pace, et cœmeteria adeundi ab eodem libera facultate concessa, illarum Ecclesiarum presbyteris compluribus martyrio vita functis; easdem iterum dividere, ac pro ratione distribuere cœmeteriaque singulis consignare, Dionysii opus fuit. »

Baronio assentitur Binius in notis ad secundam epistolam Dionysio attributam : cujus verba vide paulo ante recensita in notis Binii et Labbei ad hunc numerum.

Linea 5. — *Parochias diœceses instituit.* Cangius in Glossario mediæ Latinit., verb. *Diœcesis,* hunc Anastasii textum producens legit *et parochias, et diœceses instituit.*

Quod antequam expediam observanda est triplex notio verbi *diœcesis* ab eodem erudite explicata. « Diœcesis, Διοίκησις dicebatur plurium provinciarum præfectura. Balsamon in can. 9 concil. Chalced. : Διοίκησις δὲ ἔστιν ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ. Harum diœceseon mentio fit passim in cod. Theodos. et Justin. quæ interdum *tractus* appellatione apud Marcellinum in veteri provinciarum Libello, etc. Quælibet vero *diœcesis,* quæ plures complectebatur provincias, suas habebat metropoles. Regebantur singulæ a comitibus, et vicariis ; plures vero simul a præfecto prætorio. Hæc de prima notione. Sequitur altera : *Diœceses* dicebantur potissimum provinciæ, quibus præerant metropolitani vel archiepiscopi, ut in concilio Chalcedonensi c. 28. » Ad hanc notionem redigit diœceses, de quibus hic putat locutum Anastasium, cujus propterea locum præsentis numeri ibidem subdit : juxta quam acceptionem aliorum quoque auctorum indicat loca, et præcipue Gilleberti Lunicensis episcopi de usu ecclesiastico asserentis de archiepiscopo : *Cujus ecclesia subscribitur diœcesis.* Tum addit : « Abusive vero postmodum appellati episcoporum districtus, qui proprio vocabulo *parochiæ* passim nuncupantur. » Denique subdit tertiam hanc verbi notionem.

« *Diœcesis,* parochia. Guill. Brito in Vocabul. : *Diœcesis proprie est baptismalis ecclesiæ territorium et gubernatio.* Concilium Agathense. c. 54, et Epaunense, can. 8 : *Presbyter dum diœcesim tenet, de his quæ emerit, ad ecclesiæ nomen scripturam faciat.* » Additque plura ex aliis conciliis, et scriptoribus, testimonia ejusdem notionis, per verbum *diœcesis* significatæ.

Videtur igitur in ea esse sententia vir doctus. ut putet, fuisse a Dionysio papa institutos archiepiscopatus. Longe tamen antiquior archiepiscopatuum origo demonstratur a pluribus scriptoribus, et præsertim a Schelestratio, parte II, Antiquit, Eccl. illustr. diss. 4, c. 4, a quo etium præstat hic producere, quæ in dissertatione *de Auctoritate patriarchali et metropolitica* contra Decanum Londinensem disputavit capite 4, num 1 et sequentibus, ubi illustrat canonem primum a Patribus Arelatensis concilii conditum, eorumque verba ad Sylvestrum papam, ita restituta Germanæ lectioni a cardinali Petronio, et Francisco archiepiscopo Rothomagensi : « Placuit etiam hæc, juxta consuetudinem antiquam a te, qui majores diœceses tenes, et per te potissimum omnibus insinuari. » Observata a Schelestratio in exponendo commate *qui majores diœceses tenes* plurimum illustrare possunt hunc textum Bibliothecarii in Dionysio. Quare integre sunt reddenda quæ scripsit laudato loco ex num. 1 ad 4.

« Inter varia antiquitatis monumenta, quæ ad comprobandam patriarchalem Romani pontificis in Occidentem universum auctoritatem faciunt, non contemnendum est, quod Patres concilii Arelatensis primi posterorum memoriæ consecrarunt. Cum enim illi ex Gallia, Hispania, Britannia, Africa, et Italia in ipso florentis Ecclesiæ exordio collecti essent, canones constituerunt viginti duos, quorum primo agunt de festo Paschatis uno die et uno tempore ubique observando, adduntque, ea de re Sylvestrum papam *juxta consuetudinem litteras ad omnes dirigere debere ;* ex quo canone colligitur, Patres Arelatenses statutum de Paschatis die ad Sylvestrum retulisse, prout reliquos quoque canones retulisse *constat* ex synodica ipsorum epistola ad eumdem pontificem. in qua diserte scribunt : « Placuit etiam, « antequam a te, qui majores Diœceses tenes, per te « potissimum omnibus insinuari. » Quod hic locus integer non sit, sed in illo nonnulla verba desint, jam sæpius adnotarunt eruditi, qui proinde in illo restituendo operam industriamque suam adhibuerunt, ut ostendimus parte II Antiquitatis illustratæ, dissert. 1. cap. 7, art. 4, ubi adduximus sequentem cardinalis Peronii et Francisci Rothomagensis archiepiscopi emendationem : *Placuit etiam hæc juxta consuetudinem antiquam a te, qui majores diœceses tenes, et per te potissimum omnibus insinuari.* Duo sunt, quæ viri eruditissimi in prædicto loco corrigunt, quorum unum adverbium *antequam,* aliud hæc verba *per te* spectant circa illa duntaxat quæstionem esse indicantes, quæ in prædicto loco aut depravata aut omissa erant, non vero circa alia, quæ recte scripta videbantur. At alio modo auctorem nostrum nunc sentire videmus, cum illa quoque corrigenda ducat, quæ recte scripta esse constat : pagina enim 83 asserit vere a Patribus Arelatensibus dictum esse, *quod Papa habeat majorem diœcesim,* ubi hæc verba, *qui majores diœceses tenes* corrigit, et loco *majorum diœcesum,* nomen singularis *diœcesis* contra epistolæ synodicæ fidem substituit.

« Parvi quidem momenti videri posset hæc unius verbi variatio, nisi integrum sensum immutaret, et agnitam a Patribus Arelatensis concilii in plures Romani imperii diœceses patriarchæ Romani potestatem everteret. Ad hujus veritatis confirmationem in memoriam revocandum est, diœcesim olim in imperio vocari consuevisse, quæ plures provincias complectebatur, qua ratione antiqua imperii notitia ante tempora Arcadii et Honorii conscripta refert, sub præfecto prætorio *Orientis diœceses quinque, Orientis, Ægypti, Asiæ, Ponti, et Thraciæ ;* sub præfecto prætorio Illyrici *diœceses duas, Macedoniæ et Daciæ ;* sub præfecto prætorio Italiæ *diœceses tres, Italiæ, Illyrici et Africæ ;* sub præfecto demum prætorio Galliarum, *diœceses tres, Hispaniæ, septem Provinciarum, et Britanniarum.* Unde constat, Romanum imperium sub quatuor præfectis prætorio distributum fuisse in tredecim diœceses, quarum quinque ad Orientem spectabant, reliquæ ad Occidentem : sive autem Patres Arelatenses perspectam habuerint hanc imperii notitiam, sive aliunde notitiam diœceseon acceperint, scripserunt ex concilio Occidentali ad Sylvestrum Occidentis patriarcham : *qui majores diœceses tenes,* ut nimirum significarent, eum non uni diœcesi præpositum fuisse sed pluribus diœcesibus, omnibus utique illis, quæ Occidentis terminis continentur. Quæ cum ita sint, quis non videt, hoc ipsum auctori nostro displicere potuisse eique mutandi textus occasionem dedisse. Cum enim hoc uno Patrum Arelatensium testimonio sententia ipsius de coercendis patriarchatus Romani terminis evertatur, voluit forsan ad infringendam hujusce argumenti vim loco *diœcesium, diœcesim* solummodo legere. Sic enim, qui pluribus diœcesibus præsidens patriarchalem suam auctoritatem usque ad Britanniam extendebat, unius diœcesis Italiæ potestatem obtinens ejusdem finibus coerceretur.

« Atqui hoc esse, quod auctor noster mutando textum concilii suis obtrudere conatus sit, satis indicat, dum rursus synodicæ Arelatensium Patrum epistolæ meminit : « Quod voces, inquit, *majores* « *diœceses,* dubium est, an Constantinus tempore « synodi Arelatensis distribuisset imperium in diœ- « ceses : et verosimilius est, nec id factum fuisse « tempore Nicænæ, cum ibi solum mentio fiat pro- « vinciarum, non diœceseon. Quod si verum sit, corrupta sunt verba illo loco, sicut certum est, in aliis « fuisse corrupta. Quin etiam admissa loci integri- « tate nihil inde deducitur, nisi quod episcopus Ro- « manus haberet diœcesim majoris extensionis quam « alii episcopi Occidentales, quod non negatur. » Mentem suam clare hic explicat auctor noster, qui

ut corruptionem textus utcunque probaret, nonnulla pro lectione sua adducit, quæ hic expendenda sunt. Ac primo quidem indicat, imperium ante tempora, Arcadii et Honorii in diœceses distributum fuisse sub Constantino Magno, id tamen post concilium Nicænum factum videri, ut Patres Arelatenses majorum diœcesium mentionem facere nequiverint : « Dubium est, inquit, an Constantinus tempore synodi Arelatensis distribuerit imperium in diœceses, et verosimilius est, nec id factum fuisse tempore Nicænæ, cum ibi solum mentio fiat provinciarum, non diœceseon. » Verum graviter hallucinatur auctor, et errori errorem adjungit, seque, cum ita loquitur, Acta, quæ tempore Nicæni concilii prodierunt, non pervolvisse ostendit. Exstat sane in Constantini epistola de Paschate per totum terrarum orbem uno die celebrando, quam tempore ipsius Nicæni concilii scripsit, in qua non solum variarum provinciarum sub unius regionis nomine meminit, sed expresse Ponticæ et Asianæ diœcesis mentionem facit, Ἀσιανὴν τε διοίκησιν, καὶ Ποντικὴν *Asianam*, inquit, *et Ponticam diœcesim*. Quid clarius ? Quid expressius ? Quid manifestius a Constantino Magno scribi potuit ? certum itaque est, quod tempore Nicæni concilii diœceses fuerint in imperio : quod auctoris nostri ἀγνόιαν prodit, eumque graviter hac in re errasse convincit.

« Secundo dicit dubium esse, quandonam Constantinus imperium in diœceses distribuerit, quod nihil ad quæstionem facit, cum diœceses ante distributionem sub quatuor præfectis prætorio, in imperio fuerint, sicque Patres Arelatenses suis temporibus diœcesium nomen usurpare potuerint, prout usurpasse nemo huc usque in dubium revocavit. Diœceses Sylvestro tribuunt, diœceses itaque tum erant in imperio, quarum nomine amplitudinem patriarchalis jurisdictionis Patres exprimebant. Onuphrius Panvinius divisionem provinciarum, quæ sub Adriano imperatore obtinuit, referens, inter alios titulos unum Italiæ provinciis præfigit, quo asserit : *Provincias, vel diœceses in Italia, ejusque insulis fuisse septemdecim.* Licet autem mihi non constet, undenam provincias tunc diœceses vocatas fuisse agnoverit, nullatenus tamen dubitem, quin illud sicut et cætera omnia ibidem allata in antiquis monumentis repererit : ponamus itaque, ab ipsius Adriani temporibus diœcesis nomen etiam provinciis tributum fuisse : negare nemo poterit, quin provinciæ fuerint diœceses minores respectu majorum, quarum Sextus Rufus in Breviario mentionem fecit, dum *in diœcesi Macedoniæ septem provincias* constitutas fuisse scripsit, ac quarum Constantinus Magnus in epistola ad Ecclesias meminit, dum tempore concilii Nicæni *Ponticam et Asianam diœcesim* in memoriam revocavit. Similes itaque diœceses, ut se significare innuerent Patres Arelatenses, *majores diœceses* minoribus opposuerunt, et *majores diœceses* a S. Sylvestro *teneri* scripserunt. Diœceses igitur Sylvester tenuit, dum concilium Arelatense celebratum fuit, sicque non paucis duntaxat provinciis, quæ diœceses minores efficiebant, sed pluribus terrarum tractibus, qui diœceses majores constituebant, præfuit, ac in iis patriarchalem auctoritatem obtinuit. »

His præmissis e Schelestratio, cum constet Sylvestrum ex antiqua consuetudine *diœceses majores tenuisse* ; ejus quoque decessores, unde ad Sylvestri ætatem *antiqua* illa consuetudo derivata est, eosdem *tractus imperii* complexos *plures provincias* similiter tenuisse fatendum est. Neque enim victor Asianis episcopis minari poterat sententiam supremæ sedis, nisi aliqua sacerdotii summi auctoritate diœcesim Asianam tenuisset. Sed neque Syriæ in tractu seu diœcesi constituto Cæsariensi metropolitæ mandasset, ut synodum de re Paschali convocaret e vicinis provinciis, nisi et eumdem tractum diœceseos Orientis aliqua potestate pontificatus maximi complecteretur. Cum itaque certum sit, *diœceses* in tertia acceptione episcopatuum seu parochiarum ab origine Ecclesiæ conditas per apostolos ; in altera vero significatione metropolitica eodem apostolico tempore fundatas diœceses (nam et Paulus Titum reliquerat Cretæ, metropolitam ac primatem totius insulæ, ut constitueret *presbyteros per civitates)* ; et in prima illa acceptione diœceseon eluceat apostolorum principi trium sedium præcipuarum Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ fundatori, debere institutionem suam patriarchatus totidem iis in tractibus constitutos ; consequens est, ut Dionysius dici non debeat in ulla ex tribus verbi notionibus *institutor primus diœceseon*. Neque id asserit Anastasius : cujus verba codices ita retinent, ut intelligenda sint de urbanis ecclesiis titularibus fonte donatis et territorio per decessores suos, et a se restitutis post Decii et Valeriani persecutiones, dum eosdem urbis titulos et suburbana cœmeteria partiretur inter presbyteros, ut lectio ipsa vulgata demonstrat. *Hic presbyteris ecclesias divisit, et cœmeteria, et parochias diœceses constituit.* Verborum sensus nitidius adhuc percipitur ex paulo clariori expressione adhibita in sectione Marcelli, cum scilicet is restitueret cœmeteria diruta et viginti quinque titulos Romanos in persecutione Diocletiani violentius concussos, ac perturbatos : « Fecit cœmeteria via Salaria, et viginti quinque titulos in urbe Roma constituit *quasi diœceses*, propter baptismum, et pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, et propter sepulturam martyrum. » Plurimum illustrat utrumque locum adverbium *quasi* præmissum, et particula *propter baptisma* subjecta verbo *diœceses*. Ostendit enim ex fontis assignatione ac territorii urbanis titulis presbyterorum inductam fuisse quamdam similitudinem diœceseon tertiæ acceptionis, seu parochiarum episcopalium, iisdem ecclesiis titularibus presbyterorum cardinalium. Ejusmodi explicationem reservamus numero Marcelli, ubi opportunior occurret ; licet nonnihil de ea prælibaverim in superioribus notis et observationibus ad num. 3 S. Cleti, col. 1061 et seq.

Antequam hoc loco excedam operis pretium me facturum arbitror si paulo nitidius hic exponam illa quæ col. cit. supra in notis ad Vitam Cleti afferebam, ad illustrandum Anastasii textum circa institutionem viginti quinque titulorum presbyteralium urbis Romæ, beati Petri jussu a clero inductam, et a successoribus restitutam, et amplificatam, necnon circa subsecutas partitiones hujusmodi titularium ad hebdomadaria officia persolvenda in patriarchalibus basilicis Urbis, post earumdem erectionem. Brevitas enim illa, quam Anastasius ex catalogis hausit, et multiplicitas gestorum, quæ in arctum contracta per nos fuit in eadem pagina, ut observationes potius quam tractatus integros attexeremus, obscuritatem aliquam parere posset, nisi opportunitate hic data uteremur ad ea præsertim declaranda, quæ ibi de numero ac de ministerio basilicarum Romæ patriarchalium distributo in septenaria presbyterorum cardinalium seu titularium, et de officiis et vicibus hebdomadariis pro varia temporum disciplina gradatim auctis exponebamus.

Indicabat Innocentius III, præclarus ille inter Romanos pontifices doctrina et sanctimonia illustrator sacrorum rituum, et mysticæ significationis rerum a decessoribus suis in Romana Ecclesia institutarum fidelissimus interpres, æque ac sapientissimus legislator, indicabat, inquam, in epistola Reg. xv, n. 154, a Thomassino prolata in veteris ac novæ Disciplinæ part. I, lib. I, cap. 15, num. 2, Ecclesiam Romanam cæterarum caput et matrem talem exhibere imaginem Ecclesiæ catholicæ, ut exemplum illustre sit throni illius, ac sedis Dei et Agni, quam vidit ac descripsit in Apocalypsi Joannes apostolus. Verba Innocentii sunt : « In medio sedis, et in circuitu sedis erant quatuor animalia plena oculis, etc. Sedes ista Romana Ecclesia intelligitur, quæ sedes

apostolica nuncupatur. Utique sedes Agni, sedes viventis in sæcula sæculorum. In medio cujus quasi filiæ in gremio resident, et in circuitu astant quasi famulæ in obsequio quatuor patriarchales Ecclesiæ. » Quod Innocentius hic memorabat, hauserat a suis decessoribus: quorum studio videbat, ut etiam nunc cernimus in plerisque basilicis Romanis, et in plerisque titulis delineatam idcirco fuisse hanc eamdem imaginem sedis Dei et Agni cum quatuor illis mysticis animalium figuris, currum gloriæ Domini pertrahentibus quando progrediendum est in exteras gentes, et thronum Dei et Agni cingentibus honorifico famulatu quando majestas omnium Domini in sede gloriæ suæ procumbentium adorationes expectat. Ita nempe adumbratur universitas Ecclesiarum catholici nominis, per omnes mundi plagas a patriarchalium sedium episcopis late propagata, et ab iisdem sub patriarchali throno Petri omnium principe Romæ constituto ad unanimem Dei cultum fidemque collecta, et consolidata : apte in articulis in compagem corporis Christi per hierarchicum regimen sacerdotii singulis collectionibus fidelium earumque præsulibus, per civitates, provincias, diœceses, nempe episcopis, archiepiscopis, primatibus, patriarchis sub uno pontifice maximo Petri apostolorum Principis successionem ac locum tenente hac in sede Romana.

Unitas hæc, et ordinata connexio partium Ecclesiæ catholicæ sub unico visibili capite, quæ inter apostolici symboli articulos ad tesseram nostræ fidei plene reddendam merito numeratur, jure etiam exercuit curam pontificum, ut oculis quoque fidelium sensilis redderetur, tum in hisce figuris ab Innocentio memoratis, tum in aspectu sacrarum ædium, et iis præfectorum, quibus sapiens architectus Petrus apostolus constare voluit sacrosanctum hoc tabernaculum Dei inter homines, Romanam Ecclesiam. Sive igitur tituli 25 ab initio fundarentur, ut vices omnes sacerdotales, quæ stante veteri sacerdotio Hierosolymis cernebantur, hic perennius et sacratius constitutæ agnoscerentur ; sive reddita Ecclesiæ pace præter titulos Romanos 25 etiam basilicæ excitarentur, patriarchalium thronorum imaginem reddituræ, ut Innocentius indicat, et cardinalis Rasponus confirmat ex testimonio alterius cardinalis longe vetustioris, nempe S. Petri Damiani, aliisque documentis, productis supra in notis ad Vitam S. Cleti ; mens eadem omnium successorum fuit quæ apostolorum principi fuisse intelligitur, dum Cleto mandaret, ut 25 presbyteros in Urbe constitueret nempe exhibere totius Christiani sacerdotii ordinatum principatum sub pluribus episcopis, unius pontificis maximi primatum agnoscentibus, qui fratres confirmaret et auctoritatis præstantia regeret universos in partem sollicitudinis vocatos.

Ad hanc imaginem exhibendam non unicum illud symbolum universitatis adhibitum fuit, quod petebatur a vicibus veteris sacerdotii Mosaici. Opportunum illud potissime fuit in exortu Ecclesiæ. Cum enim ista per annos complures e solis Judæis, deinde post visionem Cornelii etiam ex gentibus colligeretur, præstabat eo signo tunc uti vicium viginti quatuor sacerdotalium, addita vigesima quinta vicarii pontificis, quod in recenti memoria veteris sacerdotii ætas illa adhuc vividum et præsens maxime retinebat. Sepulta interim Synagoga cum honore, alii supererant mystici numeri universitatis in Ecclesiis per apostolos fundatis, et potissime numerus septenarius, ab Apocalypsi Joannis redditus celebris, tum in Asiana diœcesi septem Ecclesiarum sub Ephesina sede, quam Paulus tradiderat Timotheo, tum in symbolo totidem candelabrorum, ac totidem spirituum Dei throno astantium, ibidem expresso.

Romanis pontificibus placuit etiam hoc symbolum adhibere suis in titulis disponendis, ad universalis Ecclesiæ specimen reddendum, totiusque sacerdotii Christiani synedrium exprimendum in Romanæ Ecclesiæ throno adornando tanquam Agni sede. Quemadmodum igitur minorum imperii diœceseon, seu provinciarum episcopi aliquem ex eo numero in provincia agnoscebant potiori jure præditum ab apostolis in præsidendo cæteris, et in convocando, ordinandoque comprovincialium cœtu : ita in titulis Romanis *(quasi diœcesibus* idcirco designatis) placuit præesse presbyteros cardinales, quibus parerent cæteri presbyteri eidem titulo succenturiati, ut per domos fidelium, sive per proxima cœmeteria titulorum finibus assignata sacra ministrarent. Rursus ut minores illæ diœceses, sive provinciæ forent, sive regiones, constabant ea lege, ut præter illas imperium agnosceret diœceses majores, modo pluribus, modo paucioribus præfectis prætorio attributas in civili dispositione reipublicæ ; ita in Ecclesiastica hierarchia Petrus fundaverat diœcesum majorum sedes duas, Alexandrinam et Antiochenam, proximas dignitate a Romana, et amplitudine suæ auctoritatis plurium provinciarum præsules complexuras. Harum quoque specimen visum est a titulis distinctum in Romanæ Ecclesiæ partibus exhibere. Opportunitas exhibendi speciminis se obtulit in erectis basilicis amplioribus a Constantino. Neque id tamen unius pontificis, aut unius sæculi opus fuit: quemadmodum nec unius pontificis cura fuit patriarcharum orbis Christiani numerum definire.

Diœceseon sive *majorum,* sive *minorum* typum sub Dionysio, de quo agimus, satis reddebant tituli ab eo reparati, et sub Marcello similiter : quando ab utroque isto pontifice post memoratas persecutiones restituto viginti quinque titularium presbyterorum numero) in quo universitas sacerdotii ex vicium summa elucebat) divisi sunt tituli, ac cœmeteria certis presbyteris, ea quam diximus partitione viginti quinque titularibus parituris, quasi præsulibus diœceseon.

Constructis vero basilicis amplioribus per Constantinum, *diœceses* illæ *majores* commode reddi potuerunt iis in basilicis, ac figurari ; ut *diœceses minores* provinciarum, seu civitatum (nam et ad urbes singulas diœcesis nomen tandem aptatum fuit) per titulos Romanos in filiabus Ecclesiis suis, ut vocant, jura nonnulla exercentes ostenderentur ; *majores* vero *diœceses* quasi in typo demonstrarentur per basilicas patriarchales. Visum est itaque septenario numero, universitatis indice in Scripturis sæpe demonstrato, ex sententia Augustini et Gregorii, hom. 33 in Evang., aliorumque Patrum, et hebdomadariis vicibus apte responsuro, hanc imaginem posse præstari. Quare basilicis majoribus patriarchatuum figuram reddituris attributi sunt singillatim septem titulorum presbyteri cardinales, qui concinne significarent, minores diœceses civitatum ac provinciarum per patriarchas ita collectos arcte connecti sub uno capite totius Ecclesiæ catholicæ, quod omnes agnoscerent in patriarcha Romano, utpote Petri apostolorum principis in hoc eodem episcopatu quem primatum Ecclesiæ fecerat, successore.

Nec tamen certum esse dixerim eodem sæculo quo Constantinianæ basilicæ condebantur has hebdomadarias vices titularium presbyterorum in eisdem basilicis simul institutas, nec quatuor aut quinque ab initio basilicas hoc septenario ministrantium titularium numero fuisse donatas, ut responderent figuræ totidem sedium patriarchalium orbis Christiani. Sed quanta firmitate obstiterint Romani pontifices, tum quarto, tum quinto sæculo æræ Christianæ, præsulibus Constantinopolitanis, connumerari adnitentibus, seu pari, seu præstantiori gradu cum cæteris patriarchis. Satis notæ ac celebres sunt, tum Damasi, tum Leonis Magni epistolæ, vetera jura asserentes tribus antiquis sedibus patriarchalibus Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ, et cohibentes usurpationem Constantinopolitanæ sedis antistitum, qui nitebantur loco movere Alexandrinum et Antiochenum, ut sensim reptarent ad occupandum totius Ecclesiæ catholicæ

primatum, studentes ipsi Romano pontifici præferri. Verum hæc audacia postrema non invasit mentes illorum præsulum, qui ætate Damasi et proxima Constantinopolitanum episcopatum tenebant. Hos inter sanctus Joannes Chrysostomus, qui certe obsequentissimus in Petri sedem longe aberat ab omni ambitionis igniculo confovendo, quando accusatus fuit tanquam attentator alienæ jurisdictionis, cum episcopos Antiochenæ, vel Ponticæ, vel Asianæ, diœceseos vel ordinasset vel exauctorasset, nihil cogitabat de primatu Ecclesiæ universæ invadendo, aut evertanda primæva hierarchia et constitutione patriarchalium thronorum Antiochenæ et Alexandrinæ diœceseos. Fusius ea prosequitur et exponit Thomassinus parte prima veteris et novæ Disciplinæ, lib. I, cap. 10. Ostendit enim ab initio ejusdem capitis 10 Nicenæ synodi, canone 7 : *Consequentiam honoris* fuisse decretam episcopo Hierosolymitano, *salvis juribus metropolitæ Cæsariensis* cui suberat, eamque *auctam confessus honorificentia a Nicænis Patribus, et a Chalcedonensibus novo etiam jure,* assentientibus apostolicæ sedis legatis, neque id decretum rescindente Leone Magno *(cap. 12, num. 7)* quo ex tempore inter patriarchas censeri, nedum inter exarchos aut meiropolitas etiam Hierosolymitanus cœpit. Ostendit pariter *(cap. 10)* imitatione hujus exempli a Nicæna synodo petiti, quæ dignitatem confessus decreverat episcopo Æliæ sive Hierosolymitano, clerum Constantinopolitanum curasse, ut in ea synodo, quæ sub Damaso in regia urbe celebrata est contra Macedonium, ederentur decreta honorifica, ejusdem Ecclesiæ præsulibus primatum sive exarchatum attribuentia, ut can. 2: *Constantinopolitanus episcopus habeat primatus honorem,* τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *post Romanum episcopum, eo quod sit nova Roma.* Licet vero apostolica sedes rata non habuerit ejus synodi gesta, nisi in his quæ contra Macedonium rite pronuntiaverat; canones vero de sedium patriarchalium ordinatione non acceperit; sed valide et constanter perstiterit, tum eodem sæculo, tum proxime consecutis, pro tuenda veteri disciplina, et jurisdictione præcipuarum sedium post Romanam, Alexandrinæ scilicet et Antiochenæ; cum præter honorem confessus agnosceret a clero Byzantino contendi ad jura alienæ potestatis sibi arroganda; attamen constat non detrectasse, ut honorificus consessus ejusdem regiæ urbis episcopis tribueretur, ita ut Paschasinus papæ legatus conquestus sit in concilio Chalcedonensi, quod in Ephesina pseudosynodo quintus tantum locus Flaviano Constantinopolitano tributus sit, cum primum post apostolicæ sedis legatos in eodem Chalcedonensi Anatolius rite obtineret. Eam rem ita complectitur Thomassinus, num. 19, cap. 10: « Nec tamen inficiabor, post concilium Chalcedonense, quibusdam non exigui momenti privilegiis potitos semper fuisse præsules Constantinopolitanos, non abnuente Romano pontifice. Sederunt illi semper ante patriarcham Antiochenum, et Alexandrinum. Conquestus est in concilio Chalcedonensi Paschasinus papæ legatus, quod in Ephesina pseudosynodo quintus tantum, tributus esset locus Flaviano Constantinopolitano archiepiscopo, cum ei primus post sedis apostolicæ legatos deberetur, et ab Anatolio revera in ipso Chalcedonensi concilio obineretur; ita ut jam in dubium verti non possit, quin successores eumdem semper retinuerint locum. » Invasio igitur ordinariæ potestatis in alienas provincias jure culpabatur a Magno Leone, aliisque Romanis pontificibus, in Constantinopolitanis. Cæterum honorificam speciem primatus titulo tenus inter alios metropolitas, sive etiam exarchatus, ita indulgenter eis deferri non impediebant. Quare poterat Damasus, sive Damasi successores, non recusare, ut inter basilicas Romanas, quæ præcipuarum ejusmodi sedium typum referebant, atque ut Innocentius III describit « quasi filias in gremio Romanæ sedis omnium matris residentes, et in circuitu astantes quasi famulas in obsequio quatuor patriarchales Ecclesias » exhibebant, aliqua ex his referret Byzantinam ad novum honorem erectam a conciliis sub assensu expresso vel tacito Romanæ sedis; cum diserte contestarentur eadem ipsa concilia Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense, quæ præsulibus Hierosolymitano et Constantinopolitano novos honores decernebant, hos canones robur accepturos a voluntate Romani pontificis, cui supplicum more preces humiliter offerebant, ut his assentiretur: « Rogamus tuis decretis nostrum honoris judicium; et sicut nos capiti in bonis, adjecimus consonantiam: sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat. » Ita enim datæ sunt ad Leonem pontificem litteræ a concilio Chalcedonensi tum officiosissimæ, tum reverentissimæ, et singularis observantiæ testimoniis refertæ, Ecclesiæ, conciliique caput ipsum Leonem pontificem prædicantes, ut scite ibidem observat Thomassinus capitis 11, num. 15: « Tu sicut membris caput præeras, inquiunt, lucente apud vos apostolico radio, et usque ad Constantinopolitanam Ecclesiam illum spargentes, eo quod absque invidia consueveritis vestrorum bonorum participatione ditare domesticos. » Quandiu igitur sive sub Damaso, sive sub proximis Damasi successoribus nihil attentarent contra Nicænorum canonum firmitatem, et contra vetera priorum patriarcharum atque exarchorum privilegia, præsules regiæ urbis a Constantino delectæ in sedem Orientalis imperii, sed solo honorifico titulo et consessus a Romanis legatis proximo cum cæteris majoribus diœcesibus numerari sub assensu Romani pontificis cupiebant, nihil absonum videbatur, si figura filiæ a veteris Romæ pontifice totius Ecclesiæ capite ita honoratæ dedicaretur, non secus ac reliquæ majorum diœcesum metropoles, in aliqua ex basilicis Urbis. Sive illa fuerit ab initio Laurentiana extra muros, sive Liberiana sive etiam Vaticana (quandoquidem Lateranensis Romanam et Alexandrinam Paulina referre dicuntur) perinde est: neque id repugnat constantiæ pontificum Romanorum, intacta jura præservantium juxta Nicænos canones jurisdictioni et auctoritati duarum sedium patriarchalium, a Petro apostolo institutarum, præter Romanam universis ab ea prælatam. Hoc autem sensu intelligenda sunt quæ nostris in notis legenda proposui ad Vitam Cleti, ut scilicet post fundationem basilicarum ampliorum sæculo quarto completam sub Liberio proximo Damasi decessore, cum diœceses majores ecclesiasticæ tribus patriarchalibus primigeniis, ac duobus recentioribus honorario titulo superadditis definirentur, ut quinarium complerent, totidem quoque basilicæ Romani episcopatus, in Urbe, et circa Urbem constitutæ, universitatem sacerdotii Christiani referrent, sub Petri primatu ordinate colligentem quotquot præsules per mundi plagas fundatas regebant Ecclesias. Sive Damasus id præstiterit, dum divini cultus officia et psalmodiæ ritum attemperat per hebdomadas in eisdem basilicis nuper fundatis, eamque legem edicit *episcopis, presbyteris et monasteriis* (infra *num.* 54): sive Damasi successores, potissimum ii qui leguntur hebdomadarias vices septem episcoporum Urbis finitimorum instituisse in basilica Salvatoris ad Lateranum, ex ætate Stephani quarti sæculo octavo jam celebres; vel Simplicius, quem tradunt quinto sæculo hebdomadarias vices presbyterorum constituisse apud tres basilicas Urbis extra muros tunc positas, nempe *ad Sanctum Petrum apostolum, et ad Sanctum Paulum apostolum, et ad Sanctum Laurentium martyrem,* delectis e septenario regionum Urbis ecclesiasticarum numero *primæ, tertiæ, sextæ, et septimæ* (ut infra *num.* 48) *ministris* eadem officia præstituris; id unum semper colligitur, ut universitas sacerdotii per totum Christianum orbem diffusa ostenderetur mystice apud sedem Romanam adumbrata in titulis et in basilicis Urbis, ita exprimentibus *majores diœceses singulorum patriarcharum,* et ab his proximas

exarchorum, metropolitanorum, et episcopales hierarchico nexu cum Petri successore connexas, cui proinde scribunt Patres Arelatenses (observantibus card. Perronio, et archiepiscopo Arelatensi apud Schelestratium) *a te qui majores diœceses tenes* : quod *in eo maxime splendere* observat Thomassinus cap. 8, num. 14 partis primæ, et libri I veteris et novæ Disciplinæ, *quod prima sedes* Sylvestri, ad quem Patres Arelatenses scribebant, *indeclinabilem jurisdictionem exercuerit in cæteros omnes patriarchas.*

Hæc igitur paulo nitidius exponenda duxi, tum ut inclarescerent illa quæ obscuritati obnoxia in notis ad Cletum reddebantur a gestorum copia in arctum contracta ; tum ut illustretur numerus iste Bibliothecarii de Dionysio asserens, in divisione ab ipso peracta ecclesiarum Urbis et cœmeteriorum inter presbyteros, *parochias,* seu titulos Romanos, eumdem *instituisse diœceses* ; et sectio in Marcello post alteram immanem persecutionem Diocletiani nitidius exprimens, illum pontificem viginti quinque *titulos in urbe Roma constituisse quasi diœceses ;* nempe id egisse, ut in figura numeri, regiminis et ordinationis istarum partium Romanæ Ecclesiæ exhiberentur diœceses majores et ecclesiasticæ provinciæ sub uno capite summi sacerdotis ita collectæ et invicem connexæ, ut unitatem et harmoniam totius corporis, et influxum potestatis a capite in membra exhiberent, quasi oleum, quod a capite Aaron in oram vestimenti descendit.

Causæ autem suberant, præ cæteris Dionysio, cur oculis evidentem reddere curaret ejusmodi nexum et ordinatam unitatem ecclesiasticæ hierarchiæ. Primum enim schisma tentaverat in Ecclesiam Romanam inducere Novatus, adveniens ex Africa novennio antequam ipse Dionysius eligeretur Romanus pontifex, et per integrum ferme hoc novennium Novatianus antipapa ejusdem Novati artibus ita intrusus, uti ex epistola S. Cornelii ad S. Cyprianum retulit Eusebius lib. VI, cap. 43, non modo sectarios in Urbe suos excitaverat, verum et ad Dionysium Alexandrinum, et ad complures Orientales episcopos, et Ecclesias communionis litteras dederat, sperans se pertracturum in suas partes tum episcopum majoris illius diœcesis, tum plurimos orientales : qui tamen cauti satis ad servandam catholicæ Ecclesiæ unitatem, rejectis schismatici hominis temerariis litteris, cum legitimo antistite Romanæ sedis Cornelio, ejusque post martyrium cum cæteris apostolicæ hujus cathedræ successoribus, Lucio, Stephano, Sixto arctissime conjuncti, Petræ adhæserunt, a Christo Domino jactæ in fundamentum Ecclesiæ suæ. Ad Africanas autem Ecclesias, unde schismatis antesignanus Novatus ad eum seducendum et ordinandum advenerat, legatos quoque transmisit, provida tamen sancti Cypriani cura matura depulsos, et in pluribus conciliis fidelium communione privatos, quemadmodum synodicæ illorum epistolæ testantur ad Cornelium datæ, quarum meminit Cyprianus : unde universam hanc historiam apte dispositam leges apud Baronium ad annum 254. Dum hæc in provinciis geruntur per epistolas et per ablegatos Novatiani, ad proscindendam propagatione schismatis universam Ecclesiam Dei, et separandam a Petri sede, quid ipse Romæ satageret in hanc arcem religionis turbarum ac scissurarum inducere, testis est locuples Cornelius papa, ea de re scribens ad Cyprianum. Sacrilegis suorum cœtibus ad oblationem vacatis « cum singulis partem sacramenti distribuisset, perrexissetque, miseros homines pro benedictione et gratiarum actione jusjurandum dare coegit, atque suis utriusque manibus manus accipientis prehendens, non prius dimisit, quam hoc jurejurando eum obstrinxisset (illius verbis utar) : *Jura mihi per corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, te nunquam nec me deserturum, nec ad Cornelium reversurum.* » Universa igitur studia nascentis tum primum schismatis in id collimabant, ut firma A Christiani corporis compago, quæ juncta capiti in Romana sede collocato nexus omnes apte dispositos, et influxum gratiæ, venustatis ac roboris ostendebat, tum in Urbe, tum in provinciis, dissolveretur. Huic scelesto separationis classico, quod per rebelles Deo spiritus pridem in cœlo auditum Michael exegerat, nunc vero circa sedem Agni in terris positam renovabant rebellium spirituum pessimi imitatores schismatici, nullum præsentius remedium opponere poterant proximi successores Cornelii, quam ita consectari studium unitatis tuendæ, et custodiendæ in Ecclesia universa, ut ejusdem profundius radicandæ et significandæ in hac ipsa sede, totius Ecclesiæ symbolum suis in partibus et vicibus sacerdotalibus referente, curam profiterentur. Tentaverat schismatis primus auctor per titulorum separationem ab episcopo Urbis Cornelio præludere separationi provinciarum ac diœceseon a metropoli Christiani nominis per Petri sedem effecta. Retundatur (dicebant) vete- B ratoris audacia per symbolum unitatis, et nexus arctioris titulorum Urbis cum suo episcopo, significando atque ostendendo nexum hierarchiæ Christiani sacerdotii cum principe apostolici ordinis a Domino constituto. Referant tituli Romani unum Ecclesiæ catholicæ episcopatum plures in præsules distributum sub unico Maximo sacerdote. Sint tituli tanquam diœceses dispositæ sub throno Piscatoris, ad sedem Dei et Agni in terris exhibendam, qua late patet orbis, sub uno Christi, vicario omnibus jura dantem. Diœcesum igitur Christianarum typum in Romanis titulis recognosci voluit Dionysius. Typum approbavit Marcellus, post proximam Diocletiani persecutionem, eosdem titulos ita reparans, ut essent *quasi diœceses.* Approbarunt successores, paucis post Marcellum annis publicum Dei cultum sub Maximo Constantino, cæterisque Christianis principibus exercentes. Nam titulos et basilicas Romanas ut ostenderent, unitatem Ecclesiæ figurantes, etiam in parietibus C earumdem consignarunt imagines cœtus universi sacerdotalis seniorum, coram sede Dei et Agni procumbentium, et oblationes atque orationes sanctorum ipsi offerentium cum novo illo cantico, quod nitide mysterium explicat apud Joannem in Apocalypsi : *Redemisti nos in sanguine tuo ex omni tribu et lingua, et populo, et natione : et fecisti nos Deo nostro regnum et SACERDOTES* (*Apoc.* v, 9). Ita nempe procedebant, canebant, ac testabantur concordi voce seniores hi, qui *ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione se factos asserebant Deo nostro regnum et sacerdotes,* eoque nomine descripti fuerant capite præcedenti in totidem sedibus, et thronis coram præcipua Agni sede considentes, et coronati : *In circuitu sedis sedilia viginti quatuor ; et super thronos viginti quatuor seniores circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ.* Subscripsit decessorum pontificum mystico symbolo et instituto quisquis ille fuit, sive Sylvester D in fundatione trium præcipuarum basilicarum, sive Damasus post auctum earumdem numerum in ordinatione psalmodiæ, sive sæculo sequenti Simplicius, qui hebdomadarias presbyterorum vices in basilicis quibusdam primariis constituit, vel instauravit. Nam alterum universitatis indicium, septenarium scilicet numerum, adhibendum esse censuit singulis in basilicis, lectum e presbyteris titularibus Urbis, in Lateranensi vero ex episcopis, ut ordinata hierarchia totius sacerdotii in Ecclesia universa plene referretur, dum throni patriarchales parœcias continent, sive episcopatus peculiarem ordinis rationem servantes erga suos metropolitas, exarchos, et patriarchas, ipsique exarchi et patriarchiæ sese dispositos confitentur sub unico Ecclesiæ capite primatum Petri in Ecclesia universa obtinente in hæreditario jure Romanæ sedis, cui cæteris ita præesse apostolorum princeps accepta a Christo Domino potestate fratres suos ita confirmandi, ovesque et agnos pa-

scendi, mandavit. Hoc igitur esse censemus institutum Dionysii et Marcelli, disponentium ac reparantium 25 titulos Romani presbyterii, sive parœcias, ut *essent tanquam diœceses*. Hoc symbolum unitatis ecclesiasticæ hierarchiæ, post erectionem basilicarum a Sylvestro, Damaso, Simplicio, et successoribus impressum, et gradatim redditum illustrius per attributionem eorumdem titularium ad sacra in basilicis administranda per vices hebdomadarias, et septenario numero universitatis speciem expressuras, quod Innocentius tertius scite exponebat, nos admonens, inter figuras apocalypseos sedem Dei et Agni pari exemplo nobis proponere Romanam Ecclesiam, et ea quæ in medio et in circuitu sedis vidit Evangelista Joannes: « Sedes ista Romana Ecclesia intelligitur, quæ sedes Apostolica nuncupatur. Utique sedes Agni, sedes Viventis in sæcula sæculorum. In medio cujus quasi filiæ in gremio resident, et in circuitu astant quasi famulæ in obsequio quatuor patriarchales Ecclesiæ. » Ad hæc uberius illustranda referri possent ritus, in ordine Romana a priscis pontificibus instituti, et nostra ætate ea qua par est observantia custoditi, ut scilicet pontifici Romano in throno considenti, et summum Ecclesiæ hierarcham solemniter agenti assistant et administrent patriarchæ, primates, episcopi, et præsules ordinum in Ecclesia Dei militantium, in primis autem episcopi, et presbyteri, ac diaconi cardinales Romanæ Ecclesiæ non modo assistant et administrent, verum et obedientiam præstent per osculum manus auriphrygio contectæ, ad eam scilicet unitatem testandam sub Petri successore totius Ecclesiæ corporis, quod Romanæ Ecclesiæ sacrum collegium episcoporum, presbyterorum, ac diaconorum cardinalium cum basilicis, ac titulis, et diaconiis ejusdem Romanæ Ecclesiæ referunt. Verum declarata satis arbitror verba Bibliothecarii ex hactenus observatis.

CIACONII.

Linea 1, — *Dionysius, ex monacho, cujus generationem non potuimus invenire.* Sanctus Dionysius, origine obscura, Thuria Calabriæ urbe, quæ olim magna Græcia dicta fuit, monachus Græcus, seu potius anachoreta, ut qui aliquando solitariam vitam egisset, ex monacho cooptatus in presbyterum Ecclesiæ Romanæ, ut testatur Hieronymus de Script. ecclesiat. in Dionys. Alexandr.

Lineis 4 et 5 — *Hic presbyteris Ecclesias divisit.* Dionysius pontifex factus presbyteris Romanis ecclesias, et cœmeteria in urbe Roma statim divisit: parochias, et diœceses foras distribuit, quo quisque finibus suis, limitibusve contentus esset, nec alterius administrationi quisquam se ingereret.

SOMMIER.

In fine notarum ad Sixtum II ejusque pontificatus historiam promissæ fuerant illæ, quæ ad expeditionem pertinent rerum tunc inchoatarum, et absolutarum sub Dionysio, quæ tales sunt.

Pontificatus S. Dionysii successoris Sixti celebris redditur ex judicio per hunc pontificem prolato in causa inter Pentapolitanos et Dionysium Alexandrinum; ex damnatione Sabellii et Pauli Samosateni, aliorumque hæreticorum, quorum errores beatus hic pontifex sua auctoritate proscripsit, suaque doctrina confutavit.

Quamvis Dionysius Alexandrinus ad sanctam sedem detulisset sub præcedenti pontificatu hæresim Sabellii, et contra eumdem hæresiarcham suismet scriptis ipse pugnasset; nihilominus accepit, errores ejusmodi mirum in modum propagati in Pentapolitana sui patriarchatus provincia, ubi fuerant suborti; et ita infectos jam esse pestilentibus illis doctrinis nonnullos episcopos: « *Tantumque eorum commenta invaluisse, ut vix ulterius Filius Dei in Ecclesiis prædicaretur* » (ut refert S. Athanasius, *de Sent. Dionys.*): « Re cognita Dionysius ad cujus curam eæ Ecclesiæ pertinebant, legatos misit qui auctores earum rerum ab illis pravis opinionibus retraherent. Illis autem, de sua stultitia non remittentibus, impudentiusque in impietate pergentibus, coactus est ad illorum improbitatem retundendam istiusmodi epistolam scribere.... verbaque illis, quæ humanitus et humiliter de Servatore sonant, objicere; ut rebus humanitatis ejus intersepirentur, quominus Filium Patrem esse dicerent, facilioremque illis viam ad credendam Filii divinitatem sterneret... Cum igitur certior factus de Pentapolitanis zelo religionis epistolam hanc quemadmodum dixi, contra hæresim Sabellii ad Ammonium, et Euphranorem scripsisset, quidam ex Ecclesia fratres, recte quidem sentientes, sed tamen cum ipsum non interrogassent, ut ediscerent quo pacto scripsisset, Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum præsulem accusaverunt.

« Ibi cum quidam Alexandrinum episcopum apud Romanum accusarent, quasi qui Filium opus, et non consubstantialem Patri diceret; et synodus Romæ coacta indigne tulit; et Romanus ad cognominem sibi episcopum omnium sententiam perscripsit: ac jam inde se ad defensionem parans, » etc. (Idem Athanasius, *de Synodis.*)

Dionysius igitur Romanus pontifex Alexandrino edixit, ut sententiam suam clarius explicaret. Episcopus iste secundæ sedis in catholica Ecclesia antistes quantocius obtemperavit Romano, tanquam superiori suo; et ad defensionem suam coram ipso producendam, communicari sibi postulavit objecta. *Postulavit a Romano præsule, ut objecta sibi indicarent.* (Athanas., *de Sent. Dionys.*)

Quidquid attexant Protestantes in suis ant-historiis Ecclesiæ, palam est aperteque visitur causa episcopi trans marini servato juris ordine intentata ad tribunal sanctæ sedis, eaque causa non inferioris subsellii episcopi intelligitur, sed ejus qui alterum a Romano episcopo locum in universa Ecclesia tenet, cujus caput Romanus est præsul. Ille vero episcopus longe abest ab excipiendo ne se sistat ad hoc tribunal respondendi causa: quinimo ubi accipit communicatos sibi articulos super quibus accusabatur, statim producit suas defensiones: asserens errores sibi attributos esse calumnias in Satanæ officina consarcinatas. « Quibus acceptis opus edidit sub nomine Elenchi et apologiæ, ubi sceleratam officinam Christi hostium redarguit, et quo pacto hanc infamiam ipsi contra se ipsos excitarint demonstrat. (Idem, *ibid.*) Libello suo titulum refutationis et apologiæ indidit, et in hæc verba ad Romanum scripsit: Ego et in alia epistola scripsi, ubi ostendo crimen, quod deferunt contra me, falsum esse, quasi dicerem Christum non consubstantialem esse Deo. Nam tametsi dico me id nomen non reperisse, nec legisse alicubi in sacris litteris, rationes tamen nostræ, quas retinuerunt, non abludunt ab hac sententia... et epistolam, ut dixi, ob casus temporum, proferre non possum. Si autem tibi verba mitto, multo libentius totum exemplum misissem: quod ubi nactus fuero, non omittam. » (Idem, *de Synod. et de narrat. Nic. synod.*)

De hac ipsa defensione sive apologia loqui intelligimus Eusebium Cæsariensem, et S. Hieronymum, quando affirmans quatuor libros a Dionysio Alexandrino compositos contra Sabellium, *quos Dionysio, qui Romanus erat episcopus, dedicavit.* (S. Hieronym. *de Script. Eccl. in Dionysio.*)

Exitus rei fuit, teste B. Athanasio, quod accusatus ita eximie defenderit causam suam, ut nullam omnino pœnam subierit ex iis quæ semper infliguntur hæreticis, statim ac impia eorum dogmata prolata esse comprobantur: « neque hæresim propugnando ab Ecclesia recessit, sed in ea cum pietate obdormivit.....Si scriptorum suorum rationem non reddidisset, minime dubium est, quin eadem quæ illi passurus fuisset. » (*Idem, de Sent. Dionysii.*)

Dionysius papa non modo condemnavit hæreses tunc subortas, auctoritate sedis suæ, sed etiam doctrina suorum scriptorum arma ministravit Ecclesiæ

ad futuras hæreses debellandas, Arianam præsertim, et hostium divinitatis Christi. S. Athanasius, qui hoc testatur, nobis præservavit illorum scriptorum fragmentum, in quo Sabellianorum et Marcionistarum oppositæ invicem blasphemiæ ex æquo proscribuntur: « Merito deinceps dixerim in divisores, sectoresque, et peremptores reverendissimi Ecclesiæ Dei præconii, qui monarchiam in ternas potentias, ternasque substantias, et ternas deitates carpunt. Audio enim quosdam apud vos divini verbis magistros, hujus sententiæ professores, qui ex diametro, ut ita dicam, pugnant cum placitis Sabelii. Ille enim cum blasphemia dicit, Filium esse Patrem, Patremque Filium : isti autem quodammodo tres deos constituunt, dum in tres substantias alienigenas et inter se mutuo segregatas sanctam unitatem dispartiuntur. Uniri enim necessum est omnium Deo Dei Verbum, et in eo hærere versarique Spiritum sanctum, et sanctam Trinitatem in unum omnium rerum Deum omnipotentem, veluti in verticem principemque, consummari et coalescere. Marcionis enim vaniloqui doctrina sectionem divisionemque monarchiæ in tres principatus instituit. Sed ea diabolica institutio est, non autem verorum Christi discipulorum, et acquiescentium Salvatoris præceptis. Illi enim, ut Trinitatem prædicari a sacris litteris plane sciunt : ita tres deos a veteri aut novo testamento uspiam induci nequaquam agnoscunt. » (Apud S. Athanas., *Synodi Nicæn. decret.*)

Idem pontifex pariter damnavit Paulum Samosatenum episcopum Antiochenum : quod complures auctores probant ex testimonio S. Athanasii (*de Synodis*). Hic hæresiarcha docebat, Jesum Christum solam hominis naturam habere, ejusque sanguinem in Eucharistia esse corruptibilem. (Euseb., *Hist.*, lib. VII. cap. 22, et S. Dionys., *Epist. adv. Paulum. Samosat.*) Credebatur igitur præsens antiquis his Ecclesiæ temporibus Christus Dominus in Eucharistia, quem recentes sectarii negant. Errores suos abjuravit in concilio primo, ea de causa habito sua in Ecclesia Antiochena. Verum cum simulato id fecisse cognosceretur, coacta ibidem secunda synodus eumdem deposuit. « Omnes vero episcopi et pastores, qui in concilio memorato erant vocati, unam communi consensu epistolam ad Dionysium episcopum Romanum, et ad Maximum Alexandriæ Ecclesiam procurantem nominatim conscripserunt, cujus exemplaris ad omnes provincias miserunt. » (Euseb., lib. VII *Hist.*, cap. 24.)

Paulus recusans domum episcopalem cedere domno suum in locum suffecto, ad imperatorem Aurelianum preces direxit, ut cogeretur. Princeps hic, etsi paganus, dignum protulit plane judicium, unde comprobatur auctoritas suprema, quam apud Christianos semper obtinuit Romana Ecclesia, ejusque pontifex: « Præcepit enim, ut domus Ecclesiæ illi tribueretur, quibus Christiani Italiæ et urbis Romæ episcopi per litteras tribuendam perscriberent. » (Idem Euseb., *ibid.*) Id porro fuit, ut Eusebius observat, sanctissimum decretum : *sanctissime decrevit* ; id est omnino consonum legibus nostræ sanctæ religionis, et ad ingenium exactissimæ justitiæ.

XXVII SANCTUS FELIX.

ANNO CHRISTI 272, AURELIANI IMP. 2.

27. *Felix, natione Romanus, ex patre Constantio, sedit* annos duos, menses decem, dies viginti quinque [a]. *Martyrio coronatur. Fuit* autem *temporibus Claudii Aureliani, a consulatu Claudii et Paterni usque ad consulatum Aureliani et Capitolini* [b]. *Hic constituit supra sepulcra martyrum missas celebrari. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem :* presbyteros novem diaconos duos [c], episcopos per diversa loca numero quinque. Hic fecit bacilicam in via Aurelia, ubi et sepultus est, *milliario secundo* ab urbe Roma, III *Kalendas Julii ; cessavit episcopatus dies quinque.*

CATALOGUS SUR LIBERIO

Felix annis V, mensibus XI, diebus XXV. Fuit temporibus Claudii et Aureliani a consulatu Claudii et Paterni usque in consulatum Aureliani II et Capitolini.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, ann. m. 5, min. die uno. [b] B, a Coss. Aurel et Bassi, ad Aurel. II, VI Jul. Capitol. [c] CB quinque.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 27, *lin.* 3, *B*, et Aureliani a consulatu Aureliani et Capitolini, A, Claudii et Aureliani. *lin.* 4, *AB*, supra martyrum memorias. *lin.* 6, *AB*, diaconos 5. *lin.* 7, milliario 5, *AB. lin.* 7 *et* 8, *B*, Kalendas Januar.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, sed ann. 4, m. 3, d. 25. Fuit autem temp. Aureliani. *lin.* 4, supra memorias martyrum.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, annos 4, m. 3, d. 25. *lin.* 3, Cl. et Aur. *lin.* 4, supra memorias m. *lin.* 6, diac. 5.

Apud L. V. Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Flor. duo*, annos quatuor, menses sex, *vel* tres, *ut secund. cod. lin.* 4, *Vat. et Florentini duo*, msrtyrum memorias. *lin.* 6, *omnes cod. mss.* quinque. *lin. cad*, diaconos 5. *lin.* 7. *Vatic. Minor.* milliario quinto.

Apnd Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, sed. anni. II, m. X, dieb. XXV : martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Claudii et Aureliani. *lin.* 4 *et* 5, missas celebrare. *lin.* 7, ubi et sepultus est III Kal. Jun. miliario ab urbe Roma II. et cessavit episcopatus diebus V.

NOTÆ VARIORUN.

A SCHELESTRATE

Linea 4. — *Spura sepulcra martyrum missas celebrari.* Aliæ lectiones habent : *Supra memorias martyrum.* Sepulcra enim, vel ob inscriptiones, et signa martyrii, vel ob ossa martyrum ibidem posita, vocabantur *memoriæ martyrum,* et ex hac Felicis constitutione ortum habuisse putem canonem 34 Illiberitanum, *ne cereum in cæmeteriis incendatur, inquietandi enim spiritus sanctorum non sunt.* Quod nimirum gentiles ex cerei lumine detegerent loca, in quibus martyres sepulti erant, quorum sepulcra ex illo indicio dejiciebant. Porro cum hoc temporibus Diocletiani non licuerit, crediderim tunc ossa martyrum in aliis locis sub altaribus collocari cœpisse, et ex illo profluxisse ritum Ecclesiæ, consecrandi altaria cum martyrum reliquiis, quæ sub illis conduntur ab episcopo consecrante.

ALTASERRÆ.

Linea 4. — *Hic constituit supra sepulcra martyrum missas celebrari.* Oratoria seu altaria exstruebantur supra sepulcra martyrum in eorum memoriam. Augustin. contra Faust. lib. XX, cap. 22. « Populus autem Christianus memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat, et ad excitandam imitationem, et ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur, ita tamen ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memorias martyrum, constituamus altaria, » etc. Et hæc dicebantur martyria (*Synod. Chalced.*, can. 8) : Οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων, καὶ μοναστηρίων, καὶ μαρτυρίων, ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν ἐν ἑκάστῃ πόλει ἐπισκόπων διαμενέτωσαν : *Clerici plochotrophiorum, monasteriorum, et martyriorum sub potestate episcoporum permaneant.* (Pallad, *Hist. Lausiac.* c. 103, *de Innocentio abbate* : Εἰσῆλθεν εἰς τὸ μαρτύριον ἑαυτοῦ, ὁ οἰκοδομήκει αὐτός, ἐν ᾧ κατέκειτο λείψανα τοῦ θείου Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ. *Ingressus est in suum martyrium, quod ipse ædificarat, in quo sitæ sunt reliquiæ sancti Joannis Baptistæ.* (Hieronym. in *Vita Hilarianis.*) « Causam occultandi juxta præceptum Antonii fuisse referentes, ne Pergamius qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam sancti corpore, martyrium fabricaretur. » Constitutione Theodosii permissum est, quo in loco sanctorum aliquis est conditus, pro ejus veneratione martyrium, quod vocant, condere, l. VII. C. Th. de Sepulcr. violat. Hinc Martyrarii dicti presbyteri constituti in oratoriis martyrum, cultus martyrum causa (*Conc. Aurelian.* II, can. 13) : *Ablates martyrarii, reclusi, vel presbyteri, epistolia dare non præsumant.* (Gregor. Tur., *de Mirac. martyr.*) lib. II. cap. 46 : « Eo tempore cum post obitum Proserii martyrarii, urbanus diaconus hujus basilicæ ordinatur ædituus. » Et quod constitutione Felicis permissum est missas celebrari super sepulcris martyrum, intelligendum est de missis quæ celebrarentur in oratoriis exstructis in memoriam martyrum, in quibus conditæ erant eorum reliquiæ, vel integra corpora.

BINII ET LABBEI.

Linea 2. — *Martyrio coronatur.* Tertio Kal. Julias anno 275 Felicem martyrii coronam adeptum fuisse, præter auctoritatem Libri Pontificalis, indicat epistola ejusdem, quam scripsit ad Maximum Alexandrinum episcopum Dionysii successorem, cujus fragmentum in concilii Chalcedonensis actis exstat. Sed illo in fragmento epistolæ dies et annus deest. Vide sequentes Blanchini notas.

Linea 4. — *Hic constituit.* Hoc decretum non recens a Felice papa nunc primum est institutum ; nam longe ante Felicis tempus ejusmodi institutionem Ecclesia sibi vindicat, et quidem convenientissime secundum Scripturam sacram Apocal., cap. VII, ubi sepulcra martyrum appellantur altaria.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Felicis epocham tam in numeralibus notis, quam in consulibus integram præservat catalogus Liberianus. Plenam pariter exhibent in consulibus catalogus Felicis IV, Liber Pontificalis, et codices Ocriculenses, licet in numeris nonnihil vitiatam, uti constat ex collatione documentorum, quæ recensuimus in Prolegomenis.

Ordinatio Felicis papæ figenda est die 3 Januarii anno 269, quem aperiebant Claudius et Paternus consules (quæ dies in Dominicam incidit) ; cum vacatio sedis a morte Dionysii absoluta sit diebus quinque, teste hoc eodem Libro Pontificali. Catalogus Liberianus numerat annos solidos *quinque* ejusdem pontificatus, menses XI, dies XXV. Quare mors Felicis primi referetur ad diem 29 Decembris anno 274. consulibus Aureliano iterum et Capitolino : quos scilicet consules vitæ Felicis postremos attribuunt tam catalogi, quam Bibliothecarius, et codices Ocriculenses.

Picturæ S. Pauli ex nomine Felicis postremam, tantummodo litteram præservatam ostendunt : in versu autem secundo litteram N ex syllaba anNorum, atque in tertio siglam M indicem mensium. Numeri omnes interciderunt. Dum catalogi Italici describerentur ex iisdem picturis, evanidos fuisse oportet ; cum loco quinarii annorum, sigla V scribendorum, descriptoris oculi hallucinati, Binarii notam ibi observasse putantis, ejus animo ac nostro eamdem exhibeant in binarium ita conversam II : quæ hallucinatio evenire facile potuit ex imo pavimenti Ecclesiæ in eam altitudinem ac distantiam intuentibus, si colores et ductus litteræ V in conjunctione infima fuerint evanidi II. In mensibus quoque unitas, quæ post denarii notam X sequebatur juxta catalogum Liberianum, si minus evidens erat, occasionem præbuit menses X, loco XI consignandi. Nomina consulum, tot in codicibus præservata, et dies electionis relatus ad quintum ab obitu decessoris, una cum die depositionis, perinde certo ex vetustis ac genuinis documentis mox afferendis, non sinunt nos dubitare de integritate epochæ, definitæ in catalogo Liberiano his verbis :

Felix, etc. *Sedit annos quinque, mens.* XI, *dies* XXV.

Dixi diem depositionis constare ex genuinis documentis, iisque vetustissimis. Nam in opusc. relato inter Prolegomena, scripto per ætatem Liberii, depositiones *Felicis et Callisti* consignantur III Kalendas Januarii : cui Martyrologia complura, et Lectionarii codices suffragantur. Ex his vero corrigendus est Bibliothecarius noster, sive amanuensis, qui vitio unius litteræ male descripsit III *Kal. Jun.* (id est tertium Kalendas *Junii)* quod recte scriptum fuerat in opusculo quarti sæculi supra relato inter Prolegomena, *tertio Kal. Jan,* (hoc est *Januarii)* et ausam dedit posteris transferendi memoriam Felicis ex die vera depositionis 30 Decembris ad 30 Maii, ut Beda, Usuardus, Ado suis in Martyrologiis præstiterunt.

Dum Prolegomena prælo subderentur, cum observarem catalogum Felicis quarti, et Colbertinos duos (*h* et *m* pag. c.) annos quatuor numerare in Felice, qui proximius accederent ad spatium quinquennii per consules indicatum secluso uno extremo, aliorum vero catalogorum plerosque biennium exprimere, et a Liberiano cæterisque longius dissidere ; in picturis autem basilicæ S. Pauli omnes numeri cum hic excidissent : opinabar tutius esse Felicianum catalogum sequi. Verum re maturius perpensa, laterculi consulares in Felice recensiti tam in Liberiano catalogo, quam in Feliciano, et apud Bibliothecarium cæterosque codices, monuerunt, sibi

constare Liberianum præ omnibus antiquiorem, dum annos v, menses xi, dies xxv attribuit (ex die scilicet ordinationis 3 Januarii, quæ et Dominica fuit anno 269, Claudio et Paterno coss., ad diem 30 Decembris 274, Aurelio iterum et Capitolino coss.); Italicos autem catalogos potiores *c. d. e. f.*, Belgicum *g.*, et Colbertinos *l*, et *n.*, necnon codices Ocriculenses, qui annos II tantum exhibent, ex vitiosa transcriptione vetusti descriptoris erroris originem traxisse, qui numerum quinarii v diductis inferne hastarum ductibus in binarium II deformavit. Quare in Chronologia pontificia et consulari in fine Prolegomenon impressa epocham Liberiani catalogi secutus ad eamdem censui reformandos cæteros catalogos, et codices, ut consulum rationes demonstrant.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Constituit super sepulcra martyrum missas celebrari.* Hoc institutum, ejusque causas illustrat pluribus testimoniis sanctorum Patrum et scriptorum illis æqualium, necnon exemplis Ecclesiæ Romanæ, aliarumque (card. Bona *Rerum Liturg.*, lib. I, cap. 16, num. 5). Ad institutum quod attinet, ex Prudentio memorat id observatum in sepulcro S. Hippolyti martyris, ejus scilicet qui passus fuerat cum B. Laurentio sub Valeriano.

Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita,
Servat ad æterni spem judicis ossa sepulcro,
Pascit item sanctis Tibricolas dapibus :

et ex B. Paulino in natali 9 S. Felicis idem servatum docet in confessione SS. apostolorum.

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem.
Namque et apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi placidum Christo spirantis odorem
Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.

Quare et ex Ambrosio basilicam Romano more dedicari per martyrum reliquias docet altari illatas.

Quod vero refertur ad causas, hanc præ cæteris producit ex fidei dogmate quo sanctorum communionem in Symbolo profitemur. « Antiquissima tamen (ait), et ubique recepta consuetudo fert, ut martyrum reliquiæ in altarium consecratione adhibeantur, quorum animas sub altari Dei Joannes in cœlis vidit cap. VI Apocalypsis. Hæc autem martyrum veneratio ex eo dogmate fidei orta est, quo sanctorum communionem credimus et fatemur. Fideles etenim ut hoc facto profiterentur, in iis locis ad orationem, et ad divina mysteria participanda conveniebant, in quibus sanctorum lipsana posita erant, ut ea ratione, quam status defunctorum permittit, cum illis communicarent. Per illa siquidem repræsentatur Ecclesia triumphans : quæ sic aliquo modo cum militante communicat, et sacrificio nostro interest. Nam licet ipsa lipsana, et ossa sanctorum absente anima sensu careant, respectum nihilominus dicunt ad animam, quæ in cœlis est, et ipsis inest semen quoddam resurrectionis et æternitatis. » Quare et Hieronymus ibi adversus Vigilantium, qui ansus fuerat martyrum cultum convellere, impiam ejus illationem ita sugillat : « Male ergo facit Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos veneranda, secundum te vilem pulvisculum offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria. » Nec minus opportune subdit ad comprobandam allatam causam alias observationes, ita scribens in fine ejusdem capitis.

« Hac etiam de causa veteris Ecclesiæ Patres episcopos orthodoxos sub altari sepelire consueverunt, ut cum ipsis sacrificia et ordinationes fierent : qui ad servandam fidei unitatem, et ad legitimam successionem indicandam, communionem viventis episcopi cum antecessore defuncto necessariam existimabant. Apparet hujus moris vestigium in collatione catholicorum cum Donatistis habita Carthagine tempore Innocentii I, *cognitione prima, cap.* 204. Nam ibi Donatus episcopus Sitifensis dixit : *Supra corpus episcopi catholici presbyterum ordinavit, et Deo volente ordinabitur illic episcopus.* » Hæc, ibi profert doctissimus cardinalis : quibus addi posset vetus illa consuetudo Alexandrinorum antistitum, quam ex Liberato in Breviculo cap. 20 recitat Thomassinus veteris et novæ Disciplinæ, part. I, lib. II, cap. 54, num. 2. « Nempe ut his, qui episcopo demortuo successurus erat, super ejus corpus excubias noctis ageret, dexteram demortui suo imponeret capiti, eoque demum terræ mandato Pallio beati Marci induretur, atque ita conscenderet in thronum Marci. *Consuetudo est Alexandriæ, illum, qui defuncto succedit, excubias super defuncti corpore agere, manumque dexteram ejus suo capiti imponere, et sepulto, manibus suis accipere collo suo beati Marci pallium, et tunc legitime sedere.* » Licet autem in Romana Ecclesia non viguerit mos iste imponendi capiti pontificis successoris manum decessoris demortui ; attamen ordinationes plerumque factas fuisse constat prope corpus beati Petri, ut ex Leonis Magni sermonibus colligitur, convocantis die ordinationis populum et clerum ad vigilias celebrandas ad beatum Petrum. Unde ortam dicimus suspicionem translati corporis ejusdem apostoli ex Vaticano ad Catacumbas, quando locus Vaticani, ad collectam destinatus apud cineres beati Petri, in persecutione Decii et Valeriani clerum potissime impetentis, redditus jam nimis celebris exponebat periculo persecutorum clericos et Christianos illuc accessuros ad ordinationem. Remissus deinde agente contra nos Gallieno, reportari non difficulter potuit in locum pristinum corpus apostoli, ibique celebrari potuerunt de more ordinationes, juxta rituum superiorum constantiam habendæ ut plurimum apud corpus principis apostolorum, ex quo transmittebatur ad successores potestas illa unitatis Ecclesiæ continendæ, et conciliandæ, uti jam explicuimus in Dionysio.

Linea 6, 7. — *Hic fecit basilicam via Aurelia ubi et sepultus est milliario secundo ab urbe Roma.* Ecclesiam et cœmeterium S. Felicis solerter se indagasse, sed nimis proximo ad Urbem loco, nempe ad titulum S. Pancratii dimidio tantum milliario ab Urbis porta dissitum frustra quæsisse, ex iis quos commemorat Schelestratius (in notis ad hunc numerum) scripserunt Bosius ac Severanus. modo cognoscitur ex opusculo XVI dictis in Prolegomenis, col. 375 et seqq., collatis cum situ cœmeterii SS. Processi et Martiniani, nuper detecti a cl. V. Can. Boldetto via Aurelia, altero ab Urbe lapide in vinea RR. PP. Doctrinæ Christianæ, non longe a vinea illustriss. præsulis Maphei Farsetti, patricii Veneti: cujus cœmeterium aditus alter aperitur ad suburbanum S. Pii quinti, vulgo dictum *Il Casaletto di Pio quinto*. Huic enim distantiæ respondet proxima illa ecclesia, et cœmeterium, insignitum nomine utriusque Felicis, et indicatum per illa verba : « In altera ecclesia. Processus et Martinianus, et in tertia Felices duo. » De invento nuper loco, et cœmeterio SS. Processi et Martiniani, altero ab Urbe lapide, vide laudatum Boldettum de Sac. Cœmet., lib. II, cap. 18, pag. 539.

CIACONII.

Linea 4. — *Hic constituit supra sepulcra martyrum missas celebrari.* Ejusmodi institutionem, longe ante Felicis papæ tempora Ecclesia sibi vindicat ; idque testimonio etiam divinæ Scripturæ. Nam habet liber Apocalypsis cap. VI : *Vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, et propter testimonium quod habebant*, etc., clare demonstrat altaria fuisse sepulcra martyrum. Qui quidem mos perseveravit semper in Ecclesia ; in eoque tam Græci, quam Latini interpretes, æque consentiunt : pariterque affirmant, sepulcrum martyrum fuisse altare, ac super illud offerri consuevisse sacrificia. Felix ergo hoc decretum non tam statuisse primus, quam antiquum, renovasse visus

est. Hinc altaria, et aræ absque reliquiis martyrum haud consecrantur.

PAGII.

Nona Ecclesiæ persecutio.

Aurelianus anno ducentesimo septuagesimo imperator creatus, in Christianos bene affectus fuit, et adversus Paulum Samosatenum, a posteriori synodo Antiochena, tanquam novæ hæreseos auctorem damnatum, edictum emisit : « Processu vero temporis, inquit Eusebius lib. VII, cap. 30, aliter de nobis sentiens quorumdam consiliis cœpit impelli, ut persecutionem adversus nostros commoveret. » Licet autem ea brevis fuerit, utpote sub finem Vitæ ab Aureliano intentata, ingentem tamen martyrum numerum fecit. De ea legendus Annotator Baronii ad annum 272.

SOMMIER

Felix papa scripsit epistolam adversus hæreses Sabellii, et Pauli Samosateni ad Maximum episcopum et clerum Alexandrinum. Concilium Ephesinum et Chalcedonense nobis præservarunt una cum titulo etiam fragmentum ejus epistolæ, quod adhibent ad confirmandam Ecclesiæ fidem contra hæreses ab eo proscriptas. Tale autem est : « Felicis sanctissimi episcopi Romæ, et martyris ex epistola ad Maximum episcopum et clerum Alexandrinum. De Verbi autem Incarnatione, et fide credimus in Dominum nostrum Jesum Christum ex Maria Virgine natum, quod ipse est simpiternus Dei Filius et Verbum, non autem homo a Deo assumptus. ut alius sit ab illo. Neque enim hominem assumpsit Dei Filius, ut alius ab ipso existat : sed cum perfectus Deus esset, factus est simul homo perfectus, ex Virgine incarnatus. » (*Concil. Ephes.* part. II, act. 1. Item apud *concil. Chalcedon.* act. 1.) Vide insuper S. Cyrillum ad Alexandrin. in Apologia ; et Vincent. Lirin. adv. Hær. c. 42.

Linea 4. — *Hic constituit super sepulcra martyrum missas celebrari.* Usus hic ex traditione apostolica descendit, quemadmodum cognoscimus ex his quæ Joannes in Apocalypsi perscribit cap. VI : *Vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter Verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant.*

XXVIII. SANCTUS EUTYCHIANUS

ANNO CHRISTI 275, AURELIANI IMP. 5.

28. *Eutychianus, natione Tuscus, ex patre Marino*, de civitate Lunæ, sedit annos octo, menses decem, dies quatuor[a]. *Fuit* autem *temporibus Aureliani, a consulatu Aurelini tertio et Marcellini usque in diem Idus Decemb., Caro secundo et Carino consulibus*[b]. *Hic constituit* ut fruges super altare tantum, fabæ et uvæ benedicerentur.[c] *Hic* temporibus suis *per* diversa *loca trecentos quadraginta duos martyres* manu sua *sepelivit.*[d] Qui hoc constituit ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurato nulla ratione sepeliret ; quod tamen ad notitiam sibi divulgaretur. *Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembris : presbyteros quatuordecim, diaconos quinque, episcopos per* diversa *loca novem.* Martyrio coronatur. *Qui* etiam *sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia, octavo Kalendas Augusti. Et cessavit episcopatus dies forte Kal. octo*[e].

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Eutychianus annis octo, mensibus undecim, diebus tribus. Fuit temporibus Aureliani III, et Marcellini, usque in diem IV Idus Decembris, Caro II et Carino consulibus.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *B,* ann. 8 et mens. aliquot. [b] *B,* Taciti, Probi, et Cari, a Coss. Aurel. et Capitolini, ad Carum et Carianum. [c] *Baron. ad ann. Dom.* 104. [d] *Baron. ibid.* [e] *C B,* novem.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 28, *lin.* 5, loca 442 martyres.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, ex p. Maximo de civ. Lunæ, sedit an. unum, d. unum. *lin.* 3, Dec. secundo, et Carino cons. *Maz.,* Caro secundus et Car. cons. Hic constituit. *lin.* 8, ad not. suam div. *lin.* 10. novem, qui etiam martyrio coronatus est, et sepultus. *lin.* 12, dies 8.

Ex codice Thuano altero.

Lin 1, scr. Lunæ, sedit ann. 1, m. 1, d. 2. *lin.* 3, consul. Aureliani. *lin.* 5, uvæ benedici. *lin.* 6, manibus suis sep. *lin* 8, quod t. usque ad not. sibi devulgaretur. *lin.* 10, et martyrio cor. *lin.* 11 et 12, et cess. ep. dies octo.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Flor. duo et Cassin.,* annum I, mens. I, diem I. *lin.* 4, *Vat.,* præcepit benedici *deleto* ut ; *juxta Flor. quoq. et Cass. verba* sine dalmatica sepeliret, *desunt in Vat. lin.* 7, *Flor. et Cass. sui. lin.* 8, *Flor. sec.* ordinat. tres.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 2, sedit ann. VIII, m. X diebus IV. *lin.* 3, a consulatu Aureliani III et Marcellini. *lin.* 5, fabæ et uvæ benedici. Hic temporibus suprascriptis per diversa loca CCXLII martyres manu sua sepelivit. *lin.* 6, ut quicunque de fidelium (*amanuensis addidit* de, *vel omisit* numero) cœtu, cessavit episcopatus diebus VIII.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRÆ.

Linea 1. —*Hic constituit ut fruges super altare tantum fabæ et uvæ benedicerentur.* Instituti apostolici fuit, ut novæ fruges, et uvæ recentes super altare offerrentur velut primitiæ frugum, et a sacerdotibus benedicerentur, neve mel, aut lac, vel aliud quidquam offeratur, præter uvas, et fruges recentes, ex can. 3 Apost. syn. Carth., can. 40: sin. VI in Trull., can. 28, 57, can. *Didicimus, de Consecr.*, dist. 1, et Constit. apostol., lib. VIII, cap. 46. Inde manavit ritus apud Græcos, ut fruges et uvæ recentes benedicantur a patriarcha CP. in festo Assumptionis B. Mariæ, in sacra æde Blachernarum, teste Balsamon. ad d. can. 3 Apost., et apud Latinos, ut uvæ benedicantur in festo D. Sixti; Gloss. in d. can. *Didicimus.* Itaque Eutychianus non est dicendus auctor ejus instituti, sed potius instaurator. Ac valde probabilis est conjectura Baronii, hoc institutum repetitum ab Eutychiano, ut opponeretur errori Manichæorum, qui putabant vinum esse fel principum tenebrarum, et quibus vinum gustare sacrilegium erat, ut testatur Augustin. de Morib. Manichæor., cap. 26. Idem contra Faust., lib. XX, cap. 12.

Linea 6. — *Constituit ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato, nulla ratione sepeliret.* Eutychianus statuit ne martyr sine dalmatica vel colobio purpurato sepeliretur. Hoc constitutum est ad cultum martyrum, quia dalmatica erat vestis communis episcoporum et diaconorum. Augustin. *Quæst. Veter. Test.*, cap. 46 : « Quasi non hodie diaconi dalmaticis induantur, sicut episcopi. » Et Pontius Diaconus *in Vit. S. Cypriani,* apud Surium Sept. 14 : « Et cum se dalmatica expoliasset, et diaconibus tradidisset, in linea stetit. » Pascasii diaconi feretro ejus dalmatica imposita statim claruit miraculis. Gregor. Dialog. lib. IV, cap. 40 : « Hic itaque cum temporibus Symmachi apostolicæ sedis præsulis esset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam, dæmoniacus tetigit, statimque sanatus est. » Martyres sepulti cum dalmatica vel colobio purpureo. Colobium erat tunica sine manicis, instar dalmaticæ, habens plagulam purpuræ assutam, quod est signum militiæ Christi, Doroth. Doctrin. 1 : Ἔχει δέ τὸ κολόβιον ἡμῶν καί σημεῖον τι ποτέ πορφυροῦν· τί θέλει τό σημεῖον τό πορφυροῦν; ἕκαστος στρατευόμενος τῷ βασιλεῖ πορφύραν ἔχει εἰς τό χλαμίδιον αὐτοῦ : *Habet et tunica signum purpureum : quid vult signum purpureum? unusquisque regi militans habet purpuram in chlamyde sua.* Cucullas Tabennensibus fratribus imposuit Pachomius abbas. insignes signo crucis purpuræ. Pallad. Hist. Lausiac cap. 38 : Τινάς σταυροῦ διαπορφυρίου ἐκέλευσε τούτοις ἐντίτεθαι : *Cucullas jussit eis imponi, habentes crucem purpuream.*

BENCINI.

Linea 5. — *Hic temporibus suis per diversa loca martyres manu sua sepelivit.* Deciana persecutio, quæ cœmeteria interdixit Christianis, forsitan occasio fuerat, ut martyrum corpora absque debito honore jacerent. Hinc postea in basilicis jam restitutis, et parochiis distributas martyrum reliquias solemni translatione reposuit pontifex. Verum si altius res repetatur, cum Liber Pontificalis nedum gesta pontificatus, sed quæ præcesserunt describat, verbis illis denotare videtur, in Deciana persecutione Eutychianum in munere aut presbyteri, aut diaconi martyrum versantem laudatos martyres sepelisse : quod denotare videntur illa verba, quibus id explicat, Euthychianum *temporibus suis,* seu per varia tempora suorum officiorum hæc præstitisse, sepeliendo scilicet laudata martyrum corpora. Officium ecclesiasticum illic designasse Librum Pontificalem eruitur etiam ex eo quod advertat, *manu sua* munus pietatis obiisse : officium vero sepeliendi, curandi de martyrum memoriis, reliquiis, aut rebus similibus proprium erat presbyteri martyrum, uti exemplo Anacleti erigentis apostolorum memoriam supra notatum est. institutio, et munus hoc martyrum presbyteris demandatum erat utile, imo necessarium, cum ii intimare deberent episcopis actus virtutum, vera martyrii signa quæ obitum præcesserant. ut deinde antistites. vel promeritum tribuerent titulum confessoribus, vel consummato martyrio coronatis venerationem decernerent, et certius innotesceret martyrii causa, martyrum numerus, et illustres agones. Eo vel maxime, quia martyrum certorum copia veræ Ecclesiæ signum hoc tempore reputabatur : Unde Montanus sancti Cypriani discipulus hæreticam pravitatem sugillans, argumentum hoc adhibet hæreticos contestans, *ut vel de copia martyrum Ecclesiæ veritatem intelligerent.* Et antiquus scriptor apud Eusebium anonymus, lib. V, c. 16 in fine, dum hæreticos æquo zelo proscindit, hæc de hæreticorum sui temporis moribus : « Postquam vero in omnibus, quæ supra posui convicti, nihil habent, quod respondeant, ad martyres confugere conantur : afferentes multos se martyres habere..... Nam et aliarum hæresum sectatores plurimos se habere martyres prædicant..... Primi certe, qui Marcionis hæresim sequuntur..... quamplurimos habere se dicunt martyres Christi. » Quapropter ut veri confessores, et coronati martyres dignoscerentur, necessum erat, et ad providam episcoporum curam spectabat, strenuos inter presbyteros deligere inspectores, qui ex actibus et martyrum gestis probarent, an eo honore essent cohonestandi. Probationem istiusmodi supponit Apollonius supra laudatus in Cathaphrygarum hæresis impugnatione, ubi mores eorumdem describens, asserit eos gloriari de martyribus, exinde de vera Ecclesia. Quos reprehendens scribit : « Qui enim ab ipsis prophetæ, et martyres dicuntur, eo non solum a divitibus, sed etiam a mendicis, pupillis, et viduis pecunias corrogare demonstrabimus..... Actus enim prophetæ, tanquam fructus examinandi sunt. » De facta examinatione cujusdam inter ipsos nomine Alexandri, jactantis se martyrem subdit Apollonius : « Quod vero ad Alexandrum pertinet, ut veritas omnibus nosse cupientibus innotescat, judicatus est Ephesi ab Æmilio Frontino Asiæ proconsule, non ob nomen Christi, sed ob ea quæ perpetraverat latrocinia, cum jam desertor fidei esset. Deinde vero ementitus nomen Christi dimissus est, cum verbis illius fideles fefellisset. Ecclesia vero loci unde erat oriundus etiam non recepit. » Quomodo enim Ecclesiæ et fideles poterant determinare, qui consuetis titulis dignarentur, nisi essent presbyteri, qui actus. probarent? Concreditum itaque erat munus designatis viris, qui examinabant confessorum et martyrum gesta, et episcopis deferebant, et deinde publicabantur honores deferendi. Hi alii esse non poterant, nisi proximiores ad ministeria martyrum. qui certo erant presbyteri et diaconi martyrum. Ad hos ex numeris demandati onere spectasse. martyrum cadavera sepulturæ consignare, signisque denotare pro veneratione, omnino fatendum est, cum identitas martyris expressa pro cultu reliquiarum exigeretur. Quæ signa cum non deprehenderet Cæcilianus archidiaconus, cum Lucilla ossa cujusdam oscularetur, communionem interdixit ex Optato. Nomina etiam apposita, et tempora martyrii sepulcris, veluti indicia ostendit Martini factum a Severo laudatum, cum deprehenderet populum frequentare sepulcrum, de quo certo non constabat an esset martyris. Sic enim Sulpitius in Vita S. Martini. « Martinus non temere incertis adhibens fidem, ab his qui majores natu presbyteris vel

clericis agitabat, sibi nomen martyris, vel tempora passionis ostendi. » A presbyteris, inquam, quorum erat hæc sollicitudo, ex horum diligentia ad nos devenerunt indiculi depositionis, sepulturæ, festi martyrum, et alia, unde conflata sunt Martyrologia. Exstat, ut res testimoniis illustretur, vetus *Indiculus in quo loco unusquisque requiescit pontificum Romanorum* (hunc dedimus supra). Et in veteri Kalendario Ecclesiæ Carthaginensis a Mabillonio edito initio exponitur ex quo conflatum sit Analect., tom. III : « Hic continentur dies natalitiorum martyrum, et depositiones episcoporum, quorum Ecclesia Carthaginis anniversaria celebrat. » Quamlibet vero Ecclesiam hos indiculos distinctos habuisse juxta vetustissima instituta laudat Sozomenus, cum de Palæstinæ civitatibus Constantia, et Gaza loquitur l. v, c. 3 : « Utraque enim suum seorsim habet episcopum, suum clerum, dies item festos martyrum suorum, et commemorationes episcoporum, qui ipsis præfuerunt. » Eutychiani itaque diligentia, *manu sua* sepelientis martyres, denotat id egisse persecutionis Decianæ temporibus suis sævientis occasione, quando interdictis cæmeteriis et catacumbis, diaconus, aut martyrum presbyter voluit quo poterat, martyrum corpora tumulare, ne eo honore privarentur.

Linea 6. — *Qui hoc instituit, ut quicunque fidelium martyrem sepeliret..... quod tamen ad notitiam sibi divulgaret.* Constitutum roborat superiorem observationem, pontificem nempe munus presbyteri martyrem defungentem, *manu sua* martyrum cadavera curasse, et ne fraus interveniret consueta signa apposuisse ; id enim verba illa denotare significant, ut per eam sollicitudinem martyrum, et reliquiarum identitas probaretur : eadem occasione decernit, ut cujusque ordinis, conditionisque essent fideles, qui tunc speciali cultu martyrum reliquias conquirebant, easque domi custodiebant, de illis eo honore cohonestatis, certiorem pontificem redderent ; nempe ut scirent, an veri essent martyres, agnoscendi ex signis, tesserisque usurpatis Poterat Eutychianus cautelam hanc adhibendam esse statuere, cum Gallieni indulgentia ecclesiis restitutis et cœmeteriis, subtus altaria martyrum corpora reconderentur, ad missarum solemnia agenda, quod suo decreto Felix decessor constituerat. Altera tunc invaluerat consuetudo, ut in privatis domibus fideles martyrum reliquias retinerent, et ante easdem funderent preces Deo, martyres uti mediatores interpellantes. Ab initio enim hujus sæculi, ad gloriam confessorum augendam episcopi ad martyrum preces pœnitentibus deferentibus libellos, per eosdem confessorum subscriptos, relaxabant pœnas pro peccatis solvendas : imo cum essent designati martyres, accurrebant, ut post coronam apud Deum stantes admissorum criminum veniam, veramque pœnitentiam impetrarent. De quo exstant exempla in epistolis Cyprianicis ; præcipue legendæ epist. 21 et 26, in quibus Cyprianus ipse et pro se, et pro aliis expetit coronatorum martyrum intercessiones. Oratoria domestica extruere solitos fideles in quibus martyrum conquisita corpora reconderent, ut apud Deum eos intercessores pro admissis criminibus haberent, docent Acta S. Bonifacii martyris, qui paucis post interjectis annis martyr occubuit, dum Aglaes et Bonifacius a priori impuritate recedere proponentes, martyrum cadavera requirenda statuunt, et inventa intra domesticos lares, exstructo oratorio, retinere eo scopo. Sic enim Aglaes Bonifacio iter suadet ad Orientis partes, ubi tunc erant Diocletianeæ persecutionis initia ex edition. Holst., pag. 8 : « Perge igitur ad illas partes, et affer nobis reliquias, id est corpora sanctorum martyrum : si quomodo servientes, atque ministrantes eis, nec non et oratorias domos ædificantes eis dignas, per sanctas passiones eorum salvemus, tum nos, quam multi alii. » Permovere etiam poterat Eutychianum hæreticorum tunc insolens factio Novatianorum, sicuti etiam Cataphrygarum, Marcionitarum, et similium improborum hominum colluvies, qui cum viderent catholicos veluti veræ Ecclesiæ tesseram proponere gloriosa martyrum certamina, et ipsi martyres suos jactitabant, ut supra ex anonymo et Apollonio ab Eusebio laudatis, expensum est. Insuper cum corpora martyrum pecunia a persecutorum satellitibus redimerentur, et confingerent impostores reliquias, ad has fraudes evertendas Eutychianus decernit, sepultorum martyrum notitiam ad episcopos deferendam, ut signis discussis determinaretur qui essent veri martyres, eisque honor tuto dari posset. Diligentissima, et simul vetustissima erat Ecclesiarum, et episcoporum diligentia, et sedula animadversio in trutinandis martyrum priori vitæ professione, martyrii circumstantiis, et consummati martyrii causis, quæ omnia librata ratione expensa leguntur. Ad apostolicum ævum proximiore ætate Ecclesiæ strenuam navarunt operam pro ea diligentia. Trutinabat in martyribus coronatis, an essent *exercitati, et parati, an inexercitati*. De quo exstat insigne documentum in epistola Lugdunensis Ecclesiæ, quæ universis Ecclesiis Christianis directa est apud Euseb. l. v, c. 1. Aliqua delibanda ad argumentum illustrandum. Describens itaque turbam confessorum in carceribus detentorum, et quomodo *imparati* deficerent in agone, ac persisterent *exercitati* in fidei confessione, ita notionem vocum aperit : « Exinde etiam reliqui dignosci, ac distingui cœpere. Et prompti quidem, ac parati erant protomartyres, qui summa animorum alacritate, solemnem illam martyrum confessionem ediderunt. Qui vero imparati, et inexercitati, nec firmis adhuc erant viribus, ad impetum tanti certaminis sustinendum tunc manifeste patuerunt. » Indicia martyris exercitati et parati in Attalo sic describuntur. « Attalus..... vehementer a populo postulatus ad supplicium, ut pote vir valde celebris, paratus ad certamen accessit, fretus conscientia recte factorum : Quippe in Christianorum disciplina solide exercitatus, testisque apud nos veritatis semper exstiterat. » Erat necessaria cautio adhibita, qua expendebatur supplicii causa, dum etiam qui Christum negaverant, morti addicebantur, unde erat necessaria episcoporum circumspectio in discernendis inter interfectos qui erant confessores, quique fidei extorres. Quod sic denuntiat Lugdunensis Ecclesia : « Omnes siquidem qui a prima statim comprehensione fidem negeverunt, ipsi quoque in carcerem conjecti, eadem quæ cæteri martyres perferebant. Neque enim illis quidquam tunc profuit fidei suæ negatio ; verum illi quidem, qui sese id quod revera erant esse profitebantur, tanquam Christiani conjiciebantur in vincula, nullo alio crimine ipsis objecto. Hi vero perinde ac homicidæ, et scelerati homines deinceps detinebantur, duplo gravius quam reliqui supplicium perferentes. Illos etenim gaudium martyrii, spesque promissæ beatitudinis, et charitas erga Christum, et Dei Patris Spiritus recreabat, Hos vero graviter torpebat conscientia, ita ut dum trucidarentur, ipso vultu, atque aspectu facile discernerentur a cæteris. » Reliqua signa exercitatorum et inexercitatorum ibi legenda a pag. 166. Et ante Lugdunensis encyclicam Ecclesia Smyrnensis in altera pariter encyclica ostendit Polycarpi martyris exemplo, apud Euseb., l. IV, c. 15, qui *martyres secundum Evangelium censendi*, discriminans eos qui ultro se se morti, et persecutionibus offerebant, ab iis qui in exercitio virtutum perseverantes, comprehensionem præstolabantur. Necessaria et hæc putabatur cautio, cum ultronee se se offerentes, plerique fidem denegabant, quod ibi Ecclesia facto ostendit. Inde Polycarpum proponit, martyrem verum laudat et imitandum, qui ultro non se se obtulit, sed comprehensus signa fortitudinis Christianæ in agone exhibuit. Unde ita fidelibus ut exemplar proponunt, ex fragmento Valesiano in notis Euseb., pag. 69 et 73 : « Qui non solum doctor insignis, verum etiam summus exstitit martyr. Cujus martyrium omnes imitari student, quippe quod cum Evangelio

Christi consenserit. » Porro ab episcopis hocce momentum in martyribus honorandis expensum docet Mansurius Carthagin. Primas Cæciliani decessor, vetans, ne ut martyres honorarentur, qui se se persecutoribus obtulissent: quod legitur in Brevic., col. 3, cap. 14, in nova Baluzii conc. Collect., pag. 327, ubi laudatur Mansurii epistola : « In eisdem etiam litteris lectum est, eos qui se offerrent persecutionibus non comprehensi, et ultro dicerent se habere Scripturas quas non traderent, a quibus hoc nemo quæsierat. displicuisse Mansurio, et ab eis honorandis eum prohibuisse Christianos. » Et antea S. Cyprianus, cum proconsul inquireret de presbyteris Carthagin. Ecclesiæ, respondet in ejus Vita : « Cum disciplina prohibeat, ne quis se ultro offerat, et tuæ quoque censuræ hoc displiceat, ne offerre se ipsi possunt, sed a te exquisiti, inveniantur. » Quam disciplinam a Cypriano, suo testimonio roboratam commendat S. Augustinus contra epist. Gaudentii cum scribit : « His sacris litteris eruditus beatus Cyprianus in confessione dixit disciplinam prohibere, ne quis se offerat. » Eadem disciplina vetusta imbuti subdiaconi Ecclesiæ Carthaginensis, dum interrogati in Diocletianea persecutione ut sacros codices traderent, responderunt, curam eorumdem ad lectores pertinere : et instantes judices, ut lectorum nomina enuntiarent, reposuere. In Actis Turgat. Felic. post Optatum pag. 94 : *Nos non sumus proditores.* Qua disciplina Cyprianus ultimam clero dedit hortatoriam epistolam ; et inter reliqua monita, erat: « Ne quisquam ultro se gentilibus offerret : apprehensus etiam et traditus loqui debet : siquidem in nobis Dominus positus illa hora loquitur, qui nos confiteri magis vult, quam temere profiteri. » Alterum in martyribus venerandis animadversum, ne ultro se injicerent in mortem certam. Hinc Eusebius narrans l. VIII, c. 14, gesta mulieris Christianæ, cui stuprum Maxentius inferre moliebatur, « in cubiculum ingressa, solam se relictam esse circumspiciens, gladium pectori immergit. » Ad quæ verba Græcus antiquus scholiastes adnotavit (In notis Eus. Valesius, pag. 170) : « Quomodo iste miratur mulieres, quæ sibimetipsis manus consciverunt : et tamen Ecclesiæ judicium in martyrum numero non reponit cas. quæ sui ipsarum carnifices exstiterunt. Ignaviæ enim potius quam fortitudinis suppliciorum metu mortem prævertere. Verum eas in album martyrum refert, quæ ob confessionem Christi nihil formidandum esse existimarunt, alacri animo perpeti paratæ, quæcunque ipsis tormenta tyrannorum, ac dæmonum ingeniosa solertia irrogasset. » De quo argumento disserit fuse S. Augustinus. Ita synodus Illiberitana inhibet eos honorandos, quos gentilium furor internecioni dedit ob publicam idolorum fractionem. Et Lactantius suggillat *(de Mortibus persecut.,* c. 13) Christianum, qui publice conscidit Diocletiani in Christianos appensa edicta ; etsi Eusebius l. VIII, c. 5, *calore nimio fidei ignitum,* factum pronuntiet. Optatus plura repetit de his signis l. III, pag. 77. Hæc itaque erant momenta, propter quæ Eutychianus decernit, quemlibet fidelem reliquias conquirentem et tumulantem debere notitiam episcopo deferre, ut non absque trutina, honor martyrii deferendus statueretur, et reliquiarum identitas probaretur.

Linea 7. — *Sine dalmatica..... nulla ratione sepeliret.* Certiorem tesseram addere decernit pro honorandis martyribus, vestimentorum certum genus, quod fideles apponerent, dum in domesticis oratoriis sacra pignora reponerent. Unde Aglaes ministri, cum viderent Bonifacium martyrem (apud Holst. *in actis S. Bonif.,* pag. 22) : « Acceperunt corpus sancti martyris, et ungentes illud aromatibus, et involventes linteaminibus pretiosis posuerunt in una de basternis. »

BINII ET LABBEI

Linea 2. — *Fuit temporibus Aureliani.* Non tantum Aureliani, verum etiam Taciti, Floriani, Probi, ac demum Numeriani temporibus sedem pontificiam gubernavit, ut patet ex initio et fine pontificatus.

Linea 4. — *Hic constituit fruges, fabas, et uvas.* Usus benedicendi creaturas in Ecclesia antiquissimus est, et ab apostolorum tempore frequentatus, ut constat ex canone apostolorum 2, 3, etc.

Linea 7. — *Dalmatica.* Dalmatica est tunica sine manicis, quæ olim in usu fuit. Vide notas Baron. ad Martyrolog. Rom. die 31 Maii, littera B.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ

Numeri præservati in epocha S. Eutychiani tum apud basilicam S. Pauli, tum apud catalogos Italiæ, inde antiquitus descriptos, necnon in catalogo Liberiano, et in pluribus Colbertinis, supra relatis inter Prolegomena plene respondent nominibus consulum enuntiatorum tam in catalogis Liberii ac Felicis, quam Libro Pontificali. In Liberiano corrigendus observantur unicus error amanuensium, qui cæteros in catalogos, et in picturas quoque irrepsit, hoc est disjunctio unitatis ex numero mensium, ac translatio in sedem dierum. Scribendum fuerat :

Sedit	Ann.	Mens.	dies
	VIII	XI	III

Scripsit amanuens. VIII X IIII. Demonstro. Eutychiani depositio ætatis Liberii (supra in Prolegom.) consignatur *sexto Idus Decembris.* Consules a catalogis enuntiati, necnon a Bibliothecario postremi in Eutychiano sunt Carus II et Carinus, indicantes annum 283. Primi autem consules eidem attributi sunt Aurelianus IV et Marcellinus, aperientes annum 275, cujus anni dies III (quæ erat sexta post obitum Felicis, a quo vacasse dicitur sedes dies quinque *in superiori numero, versu* 8), et incidebat in Dominicam, apte respondet ordinationi Eutychiani. Inde vero ad diem VI Decembris anni 283, Caro II et Carino coss. quando victor abiit e vita, numerantur anni VIII, menses XI, dies III. Biduo post, nempe 8 Decembris depositum fuisse beati pontificis sacrum corpus in cœmeterio Callisti referunt documenta superius enuntiata.

NOTÆ CRONOLOGICÆ

Linea 6. — *Constituit ut quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio purpurato nulla ratione sepeliret : quod tamen ad notitiam sibi divulgaretur.*

Vindicandorum martyrum curam promovens cautus pontifex providenter præcepit, ut ad ferentur indicia certa martyrii in eorum depositione. Adhiberi mandavit colobium, aut dalmaticam non qualemcunque, sed purpuratam ad involvendos martyres : quos etiam *purpuratos* vocare consuevit Ecclesia in hymmo omnium sanctorum.

Vos purpurati martyres.

Ante hoc decretum Eutychiani consuerant Christiani sacra martyrum corpora sepelire cum linteis ipsorum sanguine respersis : seu quæ data opera apponebantur dum torqueretur martyr, ut sanguis in ea defluueret, quemadmodum in Actis martyrii S. Cypriani Pontius diaconus diligenter descripsit ; sive etiam quæ adhibebantur ad sparsum sanguinem e solo exsugendum, ut nota Prudentii carmina ostendunt in martyrio S. Hippolyti, vers. 141 :

Palliolis etiam bibulæ siccantur arenæ,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.

Et in hymno S. Vincentii :

Plerique vestem linteam
Stillante tingunt sanguine.
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.

Pars attamen linteorum in ipso martyris sepulcro ut plurimum recondebantur, ut ostendunt quamplura exempla legenda apud sæpe laudatum Can. Boldettum in observationib. ad Cœmet. lib. I. cap. 37. præsertim vero S. Cæciliæ, repertæ a Paschali papa I cum vestibus sanguine respersis, de quibus idem pontifex ita loquitur : *Ubi etiam linteamina cum quibus sacratissimum corpus ejus abstersum est de plagis, quas spiculator trina percussione crudeliter ingesserat, in unum revoluta, plenaque cruore invenimus.* Memorandum est etiam involucrum linteorum sanguine imbutorum, quod a se repertum describit pag. 183 circa caput martyris, in ejus loculamento depositum : in quo etiam phiala vitrea grandior reperta est ; unde sanguis effluxerat in reclusione, et loculi cum decidisset supra martyris pedes, ibidem concreverat in crustas evidentes ; licet aliud vasculum sanguinis fuisset de more appositum externa in parte loculamenti, ad ostendendum (ut arbitror) martyrem vindicatum. Subest etiam alia causa, cur externa in parte loculamenti apertum vas sanguine martyris plenum apponeretur, idque frequentius quam interiori in conceptaculo, in topho ut plurimum excavato, hisce in cœmeteriis Romanis. Causam illam mihi suggerunt carmina Prudentii paulo ante prolata :

Plerique vestem linteam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.

Conquirebant jam tum fideles reliquias martyrum tanquam tutamen sacrum, et pignus eorumdem intercessionis ad Deum, apud quem noverant relevatum Joanni in Apocalypsi cap. VIII et IX quantum valerent voces interfectorum propter Verbum Dei, et vindicias sanguinis pro Deo fusi exspectantium ac deposcentium tum sibi tum fratribus merito sanguinis Christi, per quem redemptos se fatebantur. Noverant illis responsum fuisse, ut requiescerent modicum tempus, donec impleretur numerus fratrum qui interficiendi erant sicut et illi. Dum vero adnumerandos et hos cum superioribus, qui laverunt stolas suas in sanguine Agni, et ab eodem Agno regendos, et in æternæ vitæ gloria circa suum thronum collocandos. In reliquis martyrum ita conquirendis accendebatur eorum fides ac spes in Deum conspectu exempli, ac pignore intercessionis fratrum, qui sanguinem pro Christo fuderant. Spes attamen gloriosæ resurrectionis per sanguinem Christi obtinendæ tum animabus tum corporibus iterum sociandis fovebatur et declarabatur apud eosdem fideles diligenti cura humandorum corporum, et sub custodia clausi loculamenti retinendorum. Quæ igitur ratio excogitari poterat colligendi martyrum corpora et conservandi causa testandæ resurrectionis quam divina spe freti exspectamus, et insimul dividendi inter fideles ea tutamina ac pignora intercessionum, quæ conspectus ac veneratio martyrum suis in reliquiis nobis ministrat ? Non alia profecto paratior futura erat, quam ea ipsa ingeniose a fidelibus excogitata : collocando scilicet externa in parte loculamenti (in quo condita fuerant corpora martyrum vindicatorum per episcopum ope ministrorum quos ad hæc agenda delegisset præfectos fidelibus notariis) vasculum sanguine martyris plenum. Citra imminutionem reliquiarum solidarum in loculamento quiescentium, in aperto externo vasculo poterant fideles submittere lintea, seu brandea, quæ postmodum dicta sunt, eaque sanguine martyris ita imbuta domum referre, et *tutamen* sibi ac posteris præservare, ut in eo carmine affirmat Prudentius. Videnda etiam ejusmodi consuetudo in Actis SS. Susannæ virg. et martyr et Caii papæ et martyris, quæ afferentur ex R. P. Becillo ad num. proximum in notis ad lin. 12. Expediebat vero ita consulere pietati simul ac securitati fidelium, quos cum viderent episcopi nimium quandoque se exponere periculo certaminis non lacessitos quando in ipso cruciatu martyrum lintea apponebant quæ respersa sanguine retraherent atque asportarent : hoc tutiori genere studii ad consequendum optatum sanguinem juvandos esse judicarunt. Ita enim poterant in cryptis inobservati sanguinem pro Christo fusum linteis haurire e vasculo exterius apposito ac patenti devotioni confratrum suorum. Colligitur hæc rerum series ex aliis quoque Prudentii versibus, necnon ex veteri consuetudine per S. Gregorium Magnum asserta, dum rescriberet ad Constantinam Augustam, eique negaret reliquias corporum SS. apostolorum Petri et Pauli transmittere, brandea non negaturus. Prudentii carmina, quæ testantur causas a nobis indicatas, fidem ac spem Christianam excitandi conspectu reliquiarum SS. martyrum, indulgentiam implorando per illorum intercessiorem, quos tanquam Dei servos in reliquiis venerabantur velut instrumentis ab eorum animabus adhibitis ad fortiter tolerandas pro Christo passiones, sunt ea præsertim, quibus concludit hymnum in laudem S. Vincentii martyris.

Adesto nunc, et percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.
Per te, per illum carcerem
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, ungulas,
Per carceralem stipitem,
Per fragmen illud testeum,
Quo parta crevit gloria,
Per quem trementes posteri
Deosculamur lectulum :
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet
Si rite solemnem diem
Veneramur ore et pectore :
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur :
Paulisper huc illabere
Christi favorem deferens,
Sensus gravati ut sentiant
Laxamen indulgentiæ.
Sic nulla jam restat mora,
Quin excitatam nobilis
Carnem resumat spiritus
Virtute perfunctam pari.
Ut quæ laborum particeps
Commune discrimen tulit
Sit et cohæres gloriæ
Cunctis in ævum sæculis.

Pari ferme sensu spei ac fidei nostræ excitandæ concludit hymnum SS. martyrum Cæsaraugustanorum canens :

Hæc sub altari sita sempiterno
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu date perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Civitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas et artus
Tota sequeris.

En igitur operæ pretium occludendi reliquias et obsignandi ad spem resurrectionis asserendam, eodemque tempore apponendi sanguinis in vase externo ac patente ad irroranda lintea, quæ tanquam pignora tutelæ nostrarum precum forent deferenda a devotis oratoribus domum. Quæ consuetudo brandeorum

dimittendorum ad contactum confessionis beati Petri et aliorum martyrum, servata est ætate Gregorii Magni, ac sequentibus sæculis : ita ut nostro etiam hoc tempore servatur in æde S Cæciliæ, ubi vela contactu ejusdem sacri tumuli ita præparata distribuuntur ad elevandas in Deum mentes, et fidem resurrectionis, spem gloriæ, intercessionis martyrum, indulgentiæ consequendæ per Christum Dominum ex eorumdem veneratione, qui ejus mystici corporis dignas se partes ita comprobaverunt, ut nobis insinuent parem eventum nobis quoque oppigneratum, si eos imitemur quos colimus.

Consequitur ex dictis, ut quædam vascula crustæ sanguinis evidentem adhuc retineant a quibus scilicet non ita cito linteis suis fideles exsuxerunt sanguinem totum, sed spatium temporis reliquerunt ad crustam exsiccandam vitro pertinaciter adhæsuram. Alia vero vascula, quæ sollicito fidelium accursu exsugi contigit, vel tenue vel nullum sanguinis vestigium præservare posteris potuerunt. Consumpta vero liquida sanguinis parte linteis excepta, contactus brandeorum, licet humorem non attraheret, pietatis sensum ac devotionis non assimilem excitadat.

Quare B. Gregorius Magnus in litteris ad Constantinam Augustam datis (lib. III. ep. 30, edit. Rom.) merito testabatur, hanc esse consuetudinem Romanorum, ut poscentibus reliquias martyrum brandea largirentur, quæ in pyxide posita apud loculos occludentes martyrum corpora (calices vero isti sanguinei ita loculamentis adhærent) intacto martyris corpore pro sanctuariis transmittebantur. « Cognoscat autem (inquit) tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore : sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorum ponitur. Quod levatum, in ecclesia, quæ est dedicanda debita cum veneratione reconditur. » Græcis affirmat maturius receptum morum dividendi partes corporis ejusdem martyris ; quem morem parcius frequentavit ante Gregorium hic serius recepit Romana Ecclesia. Accepimus, a Silvestro primo divisa inter duas basilicas præcipuas apostolorum Petri et Pauli æquis partibus eorum ossa, idque ex rationabili et gravi causa, non disjungendi scilicet eos qui hujus in Ecclesiæ Romanæ institutione fuerant tum vita tum morte conjuncti. Cæterum translationes frequentes, ac divisiones reliquiarum corporis fieri ægre adhuc ferebant Romani sub Magno Gregorio : quas postmodum liberalius admiserunt, tum ad præservanda a Saracenorum et hæreticorum injuriis ipsana martyrum ; tum ad decorandas novas ædes Deo sacras (quarum numerus in dies augebatur) tutela martyrum hisce arrhis oppignerata. Brandea vero linteique panni hisce in calicibus sanguinea crusta obductis demersi, et subinde extracti, aut appliciti conditorio martyris adhærenti, dividebantur fidelibus, tanquam tesseræ communis fidei ac spei resurrectionis, et communionis militantis Ecclesiæ cum triumphante diu ante Gregorium et Leonem Magnum, ut ex Actis S. Cypriani atque aliorum martyrum constat, et evincitur hisce ex vasculis, vicario veluti jure substitutis reliquiarum partitioni, cum sanguis adhuc recens ab effusione linteis exsugi potuit; et cum in crustam concrevisset, ex contactu sanguinis pro Christo fusi reliquiarum naturam quomadmodo reportantibus iisdem brandeis, quæ ita sanguini et corpori admovebantur ac distribuebantur petentibus, oscula religiosa iisdem libaturis, et veluti sacrum phylacterium ac tutamen sibi suisque reservaturis. Hæc habui, quæ adnotarem ad elucidandum decretum Eutychiani, et consuetudinem Romanæ Ecclesiæ apponendi sanguinem pro Christo fusum a martyribus vindicatis. Vindicatos cum assero beatos martyres, cognitione episcopi id factum intelligo, ex hoc *ipso Eutychiani* decreto, statuente præter consuetudinem brandeorum, etiam delationem rerum ad tribunal pontificis ita vindicantis veros martyres a suppositis et a fidelibus cæteris martyrii gloriam non consecutis.

Quod autem addat Eutychianus præcedenti consuetudini sanguinem apponendi loculis martyrum etiam legem adhibendi purpurei colobii ad convestienda martyrum corpora dum efferentur ac sepelirentur, id neque supervacaneum censendum est, neque alienum a causa vindicationis. Cum enim beatis martyribus mortem inferrent tyranni variis suppliciis, nec semper illi effusione sanguinis necarentur, puta cum mergerentur in flumine, aut in mari, cum incendio absumerentur, aut inedia, aut frigore, aut laqueo, veneno, et his similibus generibus mortis ; tunc sanguinis judicium adhiberi minime poterat ad ostendendam vindicationem eorumdem martyrii. Præcepit igitur Eutychianus, ut colobio purpureo, sive dalmatica ejusdem coloris convestirentur corpora martyrum, delata prius ad tribunal episcopi cognitione rei gestæ in consummatione martyrii, et rei gerendæ in depositione martyris. Peracta causæ cognitione si martyr fuisse comprobaretur, martyrii signa apponenda erant communia universis pro Christo occisis : nempe dalmatica, seu colobium purpureum. Id observatum etiam in provinciis occidentalibus ab Urbe longe remotis. Testatur enim Rodulphus abbas de corpore S. Gereonis ducis in legione Thebæorum, supra ejus chlamydem additum fuisse colobium, sive dalmaticam purpuream : hanc enim ex descriptione recognoscimus, Rodulphi verbis relata per Surium ad diem 24 Novembris, et in Boldetti observationibus ad cœmeteria redditam pag. 301 : « Post octingentos, inquit, et aliquot plures annos martyrii Thebæorum (quod contigit sub Diocletiano et Maximiano paucis annis post decretum Eutychiani papæ de quo agimus) inventum est corpus magnum, indutum chlamyde militari coloris purpurei : quæ propria utrinque vestis appendebat usque subter genua ejus quasi tribus digitis, genus pallæ non ignobilis. Super eam aliam habebat vestem breviorem, ignotam quidem nomine, sed cognitam filo serico, et colore nobilis purpuræ. » Cum chlamys sit militum amictus extimus, et cæteris omnibus superjectus ; vestis ista, quæ chlamydem contingebat, et chlamyde brevior describitur, vel colobium fuit, vel dalmatica, ut videtur, adhibita scilicet ad contegendum martyrem juxta recentes leges, ab Eutychiano papa constitutas. Quare et assutum illi vel supertextum describitur ex auriphrygio Dominicæ crucis signum : « Supra pectus illius signum Dominicæ crucis inventum est de aurifrygio factum sicut considerari potuit, submicantibus in eo auri metalli scintillis. » Vestes autem martyris propriæ narrantur repertæ concreto sanguine crustatim super eas exsiccato infectæ : « Collectæ igitur sunt diligenter omnes ejus vestes, crasso sanguine, sed sicco graves. »

Hæc omnia comprobant curam diligentem a Romanis pontificibus susceptam de martyrum vindicatione, dum eorum actis conscribendis notarios, colligendis subdiaconos deputarunt, præter diaconos regionarios, et presbyteros martyrum, certis officiis erga illos exercendis destinatos : ad hæc etiam vestium, ne dum reliquiarum corporis studium commendarunt, genus certum indumenti statuentes illis circumdari dum sepelirentur, ut notarii in commentarios referrent certas notas eorumdem martyrii, tot Ecclesiæ testimoniis comprobati. His vero ad episcopi conscientiam productis, apponi exterius vascula sanguine martyris plena concessum fuit a ministris sepulturæ curam gerentibus, quibus presbyteros et diaconos præpositos fuisse constat, ut omnia ex ordine gererentur. Ad hæc autem vascula ita vindicati martyris poterant pro libitu suo fideles brandea devote applicare, sive ut sanguine adhuc non exsiccato tingerentur, sive ut contactu crustæ san-

guineæ eam vim contraherent, fidem ac spem credentium excitandi in Deum, ut per ejusdem martyris intercessionem id a Christo Domino consequi possent, quod merito fidei *(Marc.* v*)* per contactum vestis Dominicæ mulier evangelica obtinuit, et quod umbra prætereuntis Petri languidis afferebat *(Actor.* v*)* et quod præstantius est, exemplum christianæ fortitudinis a custoditis brandeis, tanquam a domestico monitore sibi memorari intelligerent, dum ea devote osculantur. Hac enim consolatione fraudandos non esse judicarunt confratres martyrum summi pontifices, qui sacra eorum corpora studiose recondi, sanguinem colligi spongiis ac linteis, loculamenta cæmento occludi, et indiciis martyrii decorari curarunt, per notarios in acta referendis, quemadmodum planum fit ex collatis testimoniis Cypriani et Prudentii, quibus addi possunt Ambrosius, Augustinus et Hieronymus, aliique; necnon ex memorata epistola Gregorii Magni, testante consuetudinem, in reliquiis martyrum non temere aut sine delectu distribuendis ab Ecclesia Romana custoditam: cujus modo illustrandæ occasionem obtulit Eutychiani decretum a Bibliothecario memoratum.

Fraudarem illustri testimonio historiam tum hujus numeri tum superiorum, nisi proferrem hoc loco insigne documentum rerum hactenus memoratarum, præsertim vero de consuetudine et causis apponendi sanguinem martyrum in vasculis patentibus, ad eorum loculamenta exterius aptatis per cæmentarios: quod me præstiturum esse promiseram in fine Notarum historicarum ad numerum B. Sixti II.

Dum illæ notæ in B. Sixtum II prælo subderentur, feliciter contigit ut ad cœmeterium Callisti et Prætextati via Appia perlustrandum in comitatu serenissimi principis Bavarici Theodori electi episcopi Ratisbonensis, perduceremur a sæpe commendato V. C. Marco Antonio canonico Boldetti, sacrarum reliquiarum custode; et vitream patenam in illo reperiremus aureis figuris de more pictam (graphio delineatis in auri folio inter utramque lamellam vitream, qua fundus vasis constat), et martyrum sanguine liberaliter inspersam, ut crustæ adhærentes, et sanguineam rubedinem admoto lumine perspicue exhibentes luculenter ostendunt. Auspice pietate tanti principis, qui augusta per vestigia serenissimæ domus electoralis (firmissimi scilicet propugnaculi catholicæ religionis in Germania) ad cæteras virtutes tanta vocatione dignas connititur, datum nobis fuit hoc monimentum nancisci. Nam inter cætera Urbis decora, quæ is cupiebat sibi ad contemplandum proponi hac in Ecclesia cæterarum matre ac magistra, fuit conspectus cryptarum SS. martyrum, quem serenissimis principibus fratribus suis ejusdem rei perinde studiosis dum Romam inviserent acceperat gratum admodum contigisse, atque utilem ad confovendam pietatem. Dum igitur die 27 Aprilis anni labentis 1723, indicatum cœmeterium Callisti et Prætextati devote ingrederemur, contigit nobis fragmenta vitreæ pateræ, a fossoribus ibidem detecta prope loculamentum martyris, ut solet, conspicere: quæ invicem juncta figuras ac litteras ostendunt, in æneo iconismo hic redditas, in quo et fragmentum depreditum punctuatim exprimi curavi, et sanguineam crustam partem figuratum obtegentem representari; quæ obversa solis radiis, aut candelæ nativum ruborem prodit. *Imago boni Pastoris evangelici,* quam Tertullianus in lib. de Pudicitia, cap. 10. affirmat pingi consuevisse in calicibus Christianorum, superne visitur, collo sustinens ovem, utrinque astante ad pedes Pastoris ovicula sive agno, qui eumdem respicit; necnon considentibus in sellis hinc inde positis SS. apostolis Petro et Paulo, cujus secundi figura integra et nomen distincte recognoscitur *Paulus.* Effigies boni Pastoris in fragmentis quæ supersunt satis conspicua, similis est jam editis per viros clariss. senatorem Bonarrotti in Observat. ad vitreas lamellas cœmeteriorum tab. 1, num. 1, et tab. 4, num. 2, et tab. 6, num. 2; et Can. Boldettum pag. 200, tab. 1, num. 10 et 11; necnon picturis hoc ipso in cœmeterio adhuc videndis, quas pridem Aringhius delineavit in cubiculo I hujus cœmeterii tab. 2, pag. 531, et in alia tab. 3, pag. 573: quemadmodum et imagines SS. apostolorum, et sellæ utriusque in quibus assident persimiles sunt ita repræsentatis hoc ipso in cœmeterio ab Aringhio tab. 1 cubiculi I. Paulus considet ad sinistram boni Pastoris: *Petrum* ad dexteram collocatum fuisse intelligimus, licet fragmentum pateræ hujus vitreæ in quo repræsentabatur, exciderit, fortasse diffractum a fossoribus improvide inter effodiendum. Infra tres illas sacras imagines, quasi sub earum tutela duæ aliæ majores apparent viri ac mulieris pectore tenus expressæ, et nobilitatem generis indicantes, in viro quidem per laticlavium supra togam et pectus excurrens; in muliere vero per stolæ limbos elaboratos, et veluti phrygiatos, qua convestitur. Virum illum *Romanum* nomine fuisse appellatum dubitare non sinunt litteræ illud exprimentes cum acclamatione convivali, seu agapes Christianæ, quæ in similibus vasculis frequenter occurrit, eruditeexplicatur ab ill. senatore Bonarroti in Observat. supra laudatis ad tab. XIV, num. 3, pag. 95, his concepta verbis: DIGNITAS AMICORVM ROMANE PIE. ZESES. CVM. TVA..... NE (*fortasse Euphrosine, Irene,* aut alio quovis nomine similem in syllabam desinente) ut plane perspicuum sit, hanc pateram fuisse donarium agapes (fortasse etiam nuptialis) illius ROMANI, nobilis viri Christiani, cum sponsa ibi representati. Non ausim affirmare hunc esse *Romanum* illum celebrem martyrem et ostiarium, quem Bibliothecarius affirmat cum B. Sixto Secundo, ejusque diaconibus martyrii socium, et in hoc ipso *Prætextati* cœmeterio sepultum, in quo vitrum sanguine conspersum reperimus: cum et alii cognomines Christiani sub eodem pontifice Sixto II claruerint, quos inter ROMANUS miles a B. Laurentio baptizatus, et præmissus ad palmam, pridie ejus natalis, quando *Romani* martyrium colitur: et cum id rescire non valde conferat ad has notas elucidandas. Valde autem conferet demonstrare exemplum collecti sanguinis, et appositi in vitreis hisce pateris Christianorum symbolorum tessera decoratis; cum ita ostendatur: Primo, consuetudinem hanc pertinere ad tempora persecutionum, secundo, indicari causam, cur patentibus vasis collectus sanguis apponeretur externa in parte loculamenti, ubi conditus erat martyr: ad hoc scilicet, ut fidelium votis et consuetudini satisfieret, qui lintea et brandea sanguine martyris imbuta, aut saltem contactu sanguinis dedicata secum deferrent, tanquam tutelam et pignus intercessionis martyrum, ut Prudentii carmina contestantur, necnon ut memoriam fidei, spei, et charitatis per ipsum exercitæ, atque incitamentum imitationis, et constantiæ firmamentum in posteris evasuram. Hanc de qua loquimur consuetudinem comprobare juvat facto et dictis B. Saturi martyris, legendis inter gesta SS. Perpetuæ et Felicitatis, edita primum Romæ per Lucam Holstenium, deinde Parisiis per Lucam Dacherium inter Acta martyrum sincera et selecta. Cujus secundæ editionis numero 21 Saturus ad bestias damnatus cum sociis, leopardo objicitur, a quo morsu impetitus tanto sanguine perfunditur, ut a populo inspectante acclamatum fuerit: *Salvum lotum, salvum lotum.* Pudenti militi tracitur semivivus custodiendus, ut in fine spectaculi juguletur. Saturusad Pudentem conversus, quem constantia martyrum permotum inflecti videbat ad fidem Christianam secum profitendam: *Memor esto, inquit, fidei meæ, et ne te ista conturbent, sed confirment.* Deinde annulum de digitis Pudentis eximi, sibique contradi curat: quem vulneri suo non tantum admotum, sed etiam immersum, ut

sanguine affatim conspergatur, Pudenti reddit ita cruentatum, *hæreditatem pignoris relinquens illi, et memoriam sanguinis :* deinde cum sociis osculo pacis Christiano more contesseratus pro Christo jugulatur.

I



II



Vitreæ pateræ sacris imaginibus auro pictis decoratæ, et conspersæ sanguine SS. Martyrum repertæ ad eorumdem sepulcra externe affixæ.

I. In Cœmeterio Callisti et Prætextati. — II. In Cœmeterio S. Agnetis

Res tota vividius exhibetur actorum verbis ; quæ per ipsam Viviam Perpetuam in martyrio sociam conscripta cum sint, hic esse reddenda censeo, ad gestorum et consuetudinis evidentiam.

« XXI. Item Saturus in alia porta militem Pudentem exhortabatur, dicens : Adsum certe, sicut promisi et prædixi, nullam usque adhuc bestiam sensi. Et nunc de toto corde credas. Ecce prodeo illo, et ab uno morsu leopardi consumor. Et statim in fine spectaculi leopardo objectus, de uno morsu ejus tanto perfusus est sanguine, ut populus revertenti illi secundi baptismatis testimonium reclamaverit : Salvum lotum, salvum lotum Plane utique salvus erat, qui hoc spectaculo claruerat. Tunc Pudenti militi : A Vale, inquit, et memor esto fidei meæ, et hæc te non conturbent, sed confirment. Simulque ansulam de digito ejus petiit, et vulneri suo mersam reddidit ei, hæreditatem pignoris relinquens illi, et memoriam sanguinis. Exinde jam exanimis prosternitur cum cæteris ad jugulationem solito loco. » R. P. Ruinartius in sua editione hanc notam opportune subjicit: « Quid igitur conqueruntur hæretici, quod sanctorum reliquias religiose asservamus ? Nunquid annulus ille sanguine martyris tinctus, projiciendus erat ? » Quicunque igitur hæc gesta martyrum et dicta contulerit cum scriptis Prudentii, et cum repertis vasculis et pateris sanguinea crusta refertis, et cæmento firmiter affixis externa in parte undique

clausi loculamenti corpus martyris asservantis, intelliget, ad *testimonium fidei et memoriam sanguinis* pro Christo fusi, nempe ad vindicationem et comprobationem martyrii per eumdem Dei servum fortiter tolerati, et ad *pignus tutelæ* ejusdem, inde a fidelibus reportandum immersis in illo linteis, et brandeis, et annulis, aut hujusmodi cimeliis domi servandis, et contradendis posteris fuisse apposita ejusmodi vascula, sub conscientia episcopi, nempe legitima cognitione præmissa *et vindicatione martyrii:* cujus rei gratia Eutychianus in suo decreto hac in sectione memorato non modo præcipit speliri martyrem cum colobio purpurato, sed etiam certiorem se fieri de ritu ita servato in singulorum martyrum sepultura: *quod tamen ad notitiam sibi divulgaretur.*

CIACONII.

Lin. 1 et 2. — *Sedit annos octo.* Fallitur Eusebius, qui octo menses solum Eutychianum sedisse refert, vel decem non ad finem perduxisse. Quinque enim ordinationes mense Decembris factæ, non potuerunt nisi quinquennio fieri. Quare acquiescendum magis iis qui octo annos et menses aliquot ejus pontificatui tribuunt: inter quos est Panvinius et cardinalis Baronius. Quibus etiam ratio consulum suffragatur, et ex ecclesiasticis antiquis tabulis tacite colligitur.

Linea 4. — *Hic constituit ut fruges super altare tantum fabæ et uvæ benedicerentur;* ut scilicet erroribus Manichæorum magis adversaretur, qui a malo principio creaturas exortas dicerent, atque eas exsecrabiles affirmarent; ipse contra benediceret, ac verbo sanctificaret, et gratias agens, a fidelibus super altare offerri, et a sacerdote cum gratiarum actione benedici voluit. Qui quidem usus antiquus viguit in Ecclesia, adeo ut non primus sit habendus Eutychianus, qui hæc servanda statuerit, sed potius suo decreto denuo roborarit.

Linea 6. — *Qui hoc constituit, ut quicunque fidelium martyrem, sine dalmatica, aut colobio purpurato nulla ratione sepeliret.* Erat autem dalmatica vestis sine manicis, et colobium etiam manicis carebat, et episcoporum mucetam, nunc dictam, imitabatur. Sed religionis prætextu prætergressus est postea Christianus populus ejusmodi decreti fines, ut non tantum sanctorum martyrum corpora dalmatica tegerentur; sed sacrorum etiam ministrorum: ut sancti Gregorii papæ in Regest. lib. VI, c. 48, testimonio constat. Quod usque adeo ipse, alio edito decreto, prohibuit, ut vetuerit etiam corpora Romanorum pontificum, cum perferuntur, tegi dalmaticis.

PAGII.

Linea 6. — *Ut quicungue fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio* (id est tunica sine manicis) *purpurato nullatenus faceret.* Quod honoris causa constitutum est. Sed cum idem honos pontificibus, ac ipsis etiam diaconis tribueretur ut S. Gregorius indicat lib. IV Dialog. cap. 40, decreto suo idem lib. IV, epist. 44, sancivit, ne feretrum, quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, dalmaticis tegeretur.

Sancti Eutychiani corpus in patriam Lunam relatum, nunc invenitur atque honoratur Sarzanæ, urbe vicina, ditionis Genuensis, quæ Lunæ penitus desolatæ destructæque in honore cathedrali successit. Eutychianus, quinque ordinationibus mense Decembri habitis, presbyteros 14, diaconos 5 fecit, episcopos vero 9 per diversa loca. Sepultus est in cœmeterio Calisti via Appia. Duæ ei Decretales ascribuntur: prima ad omnes per Bæticam provinciam constitutos episcopos; secunda ad episcopos Siciliæ, quæ suppositiæ sunt; cum in iis posteriorum pontificum loca integra recitentur, et alia multa suppositionis indicia habeantur.

SOMMIER.

Linea 4. — *Hic constituit ut fruges super altare tantum fabæ et uvæ benedicerentur.* Decretum hoc veterem traditionem confirmans super eadem Ecclesiæ praxi, editum procul dubio fuit occasione hæresis Manichæorum tunc prodeuntis: quæ innitebatur errori duorum principiorum universi, omnino independentium etiam inter se, juxta illorum placita, *boni* scilicet, ac *mali. Bonum* asserebat auctorem lucis, et creaturarum inde formatarum juxta eam sententiam; *Malum* vero appellabat principem tenebrarum, et rerum quas contendebat inde productas, veluti terram et terræ fructus. Manes hæresiarcha doctrinam hanc hauserat ex magis, Persarum philosophis, apud quos educatus, et in quorum schola diu perseveraverat, quemadmodum ostendimus in dogmatica religionis Historia, lib. II, cap. de origine idololatriæ.

XXIX. SANCTUS CAIUS.

ANNO CHRISTI 283. CARINI ET NUMERIANI 1.

29. *Caius, natione Dalmata, ex genere Diocletiani imperatoris, ex patre Gaio. sedit annos undecim, menses quatuor, dies novem.* [a]. *Fuit autem temporibus Cari et Carini* [b], *a die* XIV *Kalend. Januarii, a* consulatu Cari secundi et Carini usque in diem X Kalendarum Maiar., Diocletiano quarto [c] et Constantio secundo. Hic constituit ut ordinationes [d] omnes in Ecclesia sic ascenderent: Si quis episcopus esse mereretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, sequens [e] subdiaconus, diaconus, presbyter, et exinde episcopus ordinaretur. Hic regiones divisit diaconibus. *Hic fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis* habitando, martyrio coronatur anno nono. *Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem;* presbyteros viginti quinque, diaconos octo, *episcopos per diversa loca* numero quinque, qui post annum undecimum cum Gaviniano [f] fratre suo propter filiam Gavini [g] presbyteri, nomine Susannam, martyrio coronatur. Qui etiam *sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia,* X *Kalendas Maii. Et cessavit episcopatus dies undecim.*

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *B, ann.* 12, m. 4, d. 5. [b] B, Carini, Numeriani, Diocletiani, et Maxim. usque ad Dioclet. VI et Constantium coss. [c] *C,* sexto. [d] *C B,* ordines. [d] *Baron. ad ann. Dom.* 296. [e] *C,* acolythus. [f] C Gabino. [g] *C,* Gaoini. *Vide Baron. loc. cit.*

CATALOGUS SUB LIBERIO

Caius annis duodecim, mensibus quatuor, diebus septem. Fuit temporibus Cari et Carini ex die XVI Kalend. Januarii, consulibus Caro II et Carino, usque in X Kalendas Maii, Diocletiano VI et Constantio II consulibus.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Frcheri.

Num 29, *lin.* 2 *et* 3, *AB*, temporibus Carini. *lin.* 3, a consulatu Cari 5. *lin.* 4 et 5, *A*, Constantio quinto. *lin. dicta* 5, *AB*, ut ordines omnes. *lin.* 6, ut prius esset ostiarius. *lin.* 11, *A*, cum Gabinio. *B*, cum Gavino. *lin.* 13, *B*, Kal. Martii.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 2, dies 12, fuit. *lin.* 3, Cari et Carini a die XVI Kal. Jan., a consulatu Cari secundi usque in diem 10. *Maz.*, fuit autem Cari secundi et Carini usque in d. 10. *lin.* 6, si quis fieri episcopus m. ut esset prius ost. l. ex. acolytus, subdiaconus, diaconus, presbyter, et ex. *lin.* 9, post annos 9. *lin.* 11, loca 5, qui post annos 11 cum Gabinio fratre suo propter Gabini presbyteri filiam n. S. martyrio coronatus, sepultus est.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 2, sedit ann. 11, m. 4, d. 12; fuit autem temp. Carini a die XVI Kal Junii, a cons. Cari II. *lin.* 5, Hic constituit ordines omnes in Eccles. ut sic ascenderetur. Si quis episcopus mereretur ut esset A ost. *lin.* 7, et sic ep. ord. Hic reg dividit. *lin.* 12, martyrio cor. post an. 8, cum Gavinio. *lin.* 13, coronatur. Hic fecit ordinationes 4 per mensem Decembrem, presbyteros XV, diac. XII, episcopos per diversa loca num. V, qui etiam sep.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Vat. et Flor, sec.* Dalmatinus. *lin.* 3, *Flor.* 2 *et Vatic. om.* Cari et. *lin. ead., Flor. duo*, a die 16. *lin.* 5, *Flor. duo, Vat. et Anselmus Lucensis*, ordines. *lin.* 6, *Cass.*, ut prius esset. *lin.* 8, *quidam codex legit* acolythus *lin.* 11, *Vat.* post ann. VIII; *in Flor. secundo deest* anno IX. *lin. ead. Flor. et Cass.*, Gavino. *lin.* 13, *Cass. et Vat.*, Martii.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, Caius, natione Dalmata, ex genere Diocletiani imperatoris ex patre Gaio sedit ann. XI, m. IV, diebus IX. Fuit autem temporibus Cari et Carini a die XVI Kal. Jan. (*superscriptum recentius* IIII Kal.) a consulatu Cari II et Carini. *lin.* 9, martyrio coronatur per ann. VIIII, *lin.* 11, cum Gavinio fratre suo. *lin.* 13, 14, via Appia X Kal. Magiarum et cessavit episcopatus diebus XI.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 11. — *Qui post annum undecimum cum Gaviniano fratre suo propter filiam Gavini presbyteri nomine Susannam martyrio coronatur.* Cujus itaque post annum pontificatus undecimum martyrio coronatur cum fratre suo Gabino, vel Gaviniano propter filiam ejus Susannam, nempe Caii, quam Diocletianus pro filio suo petebat, quæ quia nuptias respuebat, una cum ejus patre Gabino Caius papa martyrio coronatur, ut patet ex actis B. Susannæ, quæ ad 22 Aprilis referuntur ab Henschenio.

ALTASERRÆ.

Linea 5. — *Hic constituit, ut ordinationes omnes in Ecclesia sic ascenderent, si quis episcopus esse mereretur, ut esset ostiarius, lector, exorcista, sequens, subdiaconus, diaconus, presbyter, et exinde episcopus ordinaretur.* Constitutione Caii ordinationes episcoporum per saltum vetitæ: id est, ne quis ordinetur episcopus, nisi prius susceptis singulis ordinibus, can. *Illud*, 77, dist. Adeoque ex constitutionibus Sylvestri, Zosimi, et Syricii prohibetur, ne quis perveniat ad episcopatum, nisi in singulis ordinibus per certa tempora immoratus sit, ex Anastasio in Sylvestro, Sigeberto ad ann. 387, can. *In singulis*, can. *Quicunque*, ead. dist., can. *Monachos*, 16. qu. 1. Iis gradibus Joannem pervenisse ad Cabilonensem episcopatum, testis est Sidon. lib. IV, epist. 25: « Lector hic primum, sic minister altaris, idque ab infantia, post laborum temporumque processu archidiaconus, in quo seu gradu seu ministerio multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi: attamen nunc jam secundi ordinis sacerdotem collegam sibi consecravere. » Hinc Cato presbyter post Gallum electus ad episcopatum Arvernensem, gloriabatur se per omnes gradus ad episcopatum pervenisse. Apud Gregor. Tur. lib. IV *Histor. Fr.*, cap. 6: « Nam et ipsos clericatus gradus canonica sum semper institutione B sortitus. Lector decem annis fui, subdiaconatus officium quinque annis, diaconatus vero quindecim annis mancipatus fui; presbyteri autem jam honore viginti annis potior: quid enim mihi nunc restat, nisi ut episcopatum, quem fidelis servitus promeretur, accipiam? » Hinc repentinas ordinationes episcoporum, quæ fiebant apud hæreticos, damnat Tertull. *de Præscript. adv. hæretic.*: « Ordinationes eorum temerariæ, leves, inconstantes, nunc neophytos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc apostatas vestros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse, illic promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius; hodie diaconus, qui cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus: nam et laicis sacerdotalia munera injungunt. »

BENCINI.

Linea 8. — *Hic fugiens.* Non ex timiditate, et formidine. sed salutari secessu, consulens necessitatibus fidelium, incipiente Diocletianæa tempestate. Quo modo initiis factis Decianæ persecutionis suo secessu antiquam disciplinam commendavit S. Cyprianus, de quo sic Pontius: « Vultis scire secessum illum non fuisse formidinem: ut nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est: quam passionem utique ex more vitaret, si et ante vitasset. Fuit vero formido illa, sed justa formido quæ Dominum timeret offendere: formido quæ præceptis Dei mallet obsequi, quam sic coronari..... debebat esse qui posset saucios homines, et varia expungentis inimici arte jaculatos, adhibitæ medicinæ cœlestis medela pro qualitate vulneris, vel secare interim, vel fovere; servatus est vir ingenii præter cætera etiam spiritualiter temperati, qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus Ecclesiæ iter medium librato limine gubernaret. » De fuga et secessu in persecutione post medietatem secundi sæculi gravis exarsit velitatio inter Patres, exstatque de eo argumento apud Tertullianum liber. Rigidiores quidem fugæ

improbant, et culpan. quidam in Cypriano suggillare visi sunt, ut innuere videtur epistola data clero Carthaginensi a clero Romano, sede vacante ob martyrium sancti Fabiani, pro qua diluenda plures dedit epistolas, et eam præcipue ipsi clero Romano, ubi sic cap. 45: « Nam sicut Domini mandata instruunt, orto statim turbationis impetu primo, cum me clamore violento frequenter populus flagitasset, non tam meam salutem, quam quietem fratrum publicam cogitans, interim secessi, ne per inverecundiam præsentiam nostram, seditio quæ cœperat plus provocaretur, etc. » Eadem disciplina cum Valerianus Deciana in episcopos edicta, et in nobiliores ex ordine laicorum vulgaret bonorum proscriptionem, cumque ab exsilio redux esset sanctus antistes, audiretque Uticam esse ante proconsulem sistendum, secessit, ut non Uticæ, sed in propria sede martyrium susciperet, et de istiusmodi proposito admonuit in ultima epistola clerum Carthaginensem. Sic enim ille causam posterioris secessus pandit : « Cum perlatum ad nos fuisset..... frumentarios esse missos, qui me Uticam perducerent, et consilio charissimorum persuasum esset, ut de hortis nostris interim secederemus, justa interveniente causa consensi, eo quod congruat, episcopum, in ea civitate, in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum confiteri, et plebem universam præpositi præsentis confessione clarificari..... Cæterum mutilabitur honor Ecclesiæ nostræ tam gloriosæ, si ego episcopus alterius Ecclesiæ præpositus, accepta apud Uticam super confessione sententia, exinde martyr apud Dominum proficiscar. » Potuit ex similibus causis permoveri pontifex Caius, ut recederet ad subveniendum Ecclesiæ.

Persecutionem Diocletiani. Persecutio hæc, unde celebris Diocletianæa epocha primordia recognoscit, non est incepta nisi post obitum Caii ; nec Diocletianus edictis ante annum 304 persecutionem in Ecclesiam commovit, et quidem ductis initiis ab Oriente. Verum duplex videtur persecutio Diocletianæa numeranda, prior particularis, non edicto aliquo vulgata ; posterior solemnis, edictis per imperium universum promulgatis. Prior consignanda ad primum imperii decennium Diocletiani anno 294 ; quo tempore, ut ait Eusebius in Chronico : « Primus Diocletianus adorari se ut Deum, et gemmas vestibus, et calceamentis inseri jussit, cum ante eum omnes imperatores in modum judicum salutarentur, et chlamydem purpuream a privato plus haberent. » Similia Eutropius cum de Diocletiani moribus l. v, pag. 226 : « Qui in imperio Romano primus regiæ consuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis invexit, adorarique se jussit, cum ante eum cuncti salutarentur : ornamenta gemmarum vestibus, calceamentisque indidit. Nam prius imperii insigne in chlamyde purpurea tantum erat : reliqua communia. » Ea enim occasione, cum more consueto assentationibus novum Deum populi prosequerentur, et Christiani insanam populorum superstitionem exsecrarentur, sive ipse imperator, sive aulici, aut judices, ut imperatori superbienti, et affectanti divinos honores rem gratam facerent, persequi cœperunt Christianos, quos videbant refragari et aufugere ab his sacrificiis. Consuetum enim erat in hisce festis imperatorum, universos ad sacrificia cogere. Judices autem affectantes principum favorem insaniebant in refragatores. Unde S. Marcellus centurio, apud Surium 30 Octob. dum ad ea festa persolvenda coarctaretur, audacter restitit, uti fatetur, ante judices : « Jam die XII Kal. Augustarum, quando diem festum imperatoris vestri celebrastis, publica voce respondi : Christianus sum. » Judices vero ab eo tempore sacrificia hæc promovisse, et in refragatores suppliciis exarsisse constat in vicennalibus ejusdem Diocletiani, quando scripta persecutionum edicta vulgabantur. In actis enim sancti Procopii, quorum fragmenta in notis ad Eusebium inserit Valesius, hæc habentur pag. 472 : « Atque ad alia se rursum argumenta constituit, ut vel regibus sacrificaret. Sanctus autem Dei martyr sermonem ejus desiciens : Homeri, inquit, versus dicens : Non est bonum multos dominos esse..... Hoc verbo audito, quasi qui infausta in regibus deprompsisset, jussu judicis ducitur ad mortem. » Proclivem Diocletianum ad ista et audienda et facienda docet factum quod evenit anno 298, relatum a Lactantio de mortibus persecutorum, ubi sic : « Cum ageret in partibus Orientis, cum erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, et in jecoribus eorum ventura quærebat. Tum quidam ministrorum scientes Dominum, cum assisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum (crucis nempe, quo epitheto utitur sæpius Lactantius in eodem opusculo). Quo facto, fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant ; et quasi non litassent, sæpius immolabant. Verum identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tayas, seu suspicione, seu visu, ait idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furens, sacrificare non eos tantum qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio jussit ; et in eos, si detrectassent, verberibus animadverti : datisque ad præpositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda sacrificia præcepit, et qui non paruissent militia solverentur. » Consuetudo itaque tunc vigens potuit impellere judices, ut insano principi divinos honores sibi vindicanti blandirentur ad sæviendum in Christianos. Hinc persecutionum primordia jacta sunt : et hæc, ut reor, notat hic Liber Pontificalis : istis autem de causis Caius coactus est secedere.

Linea 9. — *Martyrio coronatur anno nono.* In gestorum serie manifeste deprehenduntur factæ additiones, quas desumptas vel ex catalogis, vel martyrologiis, vel actis sanctorum, catalogo vulgo Damasi posteriores manus inseruere. In eadem enim serie gestorum dicitur : « Sedit annos undecim, menses quatuor, dies novem ; » deinde : « Hic fugiens persecutionem Diocletiani in cryptis habitando martyrio coronatur anno nono. » Tandem martyrii causam repetit propter sanctam Susannam : *Qui post annum undecimum cum Gaviniano fratre suo, propter filium Gavini presbyteri nomine Susannam, martyrio coronatur.* Ubi ex variis actibus collectæ additiones produntur. Prior est veteris catalogi, concordatque cum catalogo reginæ Sueciæ edito a Schelestrate et a Papebrochio. Secunda additio desumpta videtur ex veteri martyrologio reginæ, ubi ex Holstenio die VII Kal. Maias legitur in *animadver. ad martyr.* pag. 67 : « Romæ passio S. Caii papæ, qui cum Ecclesiam undecim annis, menses quatuor, dies duodecim rexisset, martyrio coronatur sub Diocletiano principe cum Gabino fratre. » Tertia additio consarcinata videtur ex actis sanctæ Susannæ, de quorum identitate disputant eruditi. Retinenda tamen videtur prior epocha desumpta ex antiquis catalogis.

Linea 12. — *Propter filium Gavini presbyteri, nomine Susannam.* Si vera sit hæc martyrii S. Caii circumstantia desumpta ex actis S. Susannæ, dicendum erit a Maximiano, Caio infenso, martyrio coronatum. Poterat pontifex suscipere S. Susannæ sollicitudinem ; cum enim illa virginitatem Deo dicasset, ad ipsum ex episcopali munere spectabat ejus tutelam suscipere. Quo titulo Pontius tuetur priorem S. Cypriani secessum, inter alia hæc promens : « Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, et habitu sanctimonia dignum, velut frenis quibusdam, lectionis dominicæ coerceret, » etc. Ad quod facit S. Ambrosii epistola ad sororem, ubi episcopalis hæc vigilantia expenditur.

Martyrio coronatur. Mortuus dicitur confessor, non martyr in catalogo reginæ Sueciæ. Coincidit cum vetustis indiculis ; cum non reponatur in indiculo depositionis martyrum, sed in indiculo depo-

sitionis episcoporum. In indiculis enim Ecclesiarum diligentissime discriminabantur depositiones, et martyria, cum eodem tempore pari cautela distinguerentur tituli, quibus cohonestabantur confessores florida et gloriosa confessione, et martyres designati, et martyres coronati. Et quidem hujus rei testis accedit Pontius in Vita S. Cypriani, qui probaturus S. antistitem primum inter episcopos Carthaginenses martyrio nobilitatum, id ex indiculo deducit, ita scribens : « Sic consummata passione patefactum est, ut Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam sacerdotales coronas in Africa primus imbueret : quia et talis esse post apostolos prior cœperat : ex quo etiam Carthagini episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis, et sacerdotibus ad passionem venisse memoratur ; licet Deo semper mancipata devotio dicatis hominibus pro martyrio deputetur. Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam Domini consummanter profecit, ut in civitate ipsa, in qua taliter vixerat, in qua fecerat multa præclara, prior etiam sacerdotis cœlestis insignia glorioso cruore decoraret. » Verum si martyr dicatur sive Caius, sive alii, de quorum consummato martyrio dubitatur, id intelligi potest quo modo dixerat Pontius : « Licet Deo semper mancipata devotio dicatis hominibus pro martyrio deputetur. » Martyris enim titulo compellabantur, quicunque vera confessione a tetrices fidem profitebantur, aut intra carcerum angustias pro fide decertabant, ut sæpe Cyprianus.

BINII ET LABBEI.

Linea 8. — *Hic fugiens persecutionem Diocletiani,* Has latebras Caii post martyrium sancti Sebastiani, sociorumque ejus nimirum circa annum Christi 286 contigisse acta ejusdem martyris probatissima, quibus Sebastianus cum reliquis sociis a Caio ad fidem suscipiendam institutus, et deinde baptizatus esse narratur, satis aperte indicant.

(Ex Lab.) Linea 7. — *Subdiaconus.* Hæc vox merum glossema τοῦ ἀκολούθου, qui præcedit.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

In Caio consentiunt numeri codicum et picturarum cum intervallo per consules confirmato tam in catalogis, quam in textu Bibliothecarii, cæterisque libris indicatis folio CI inter Prolegomena ; si ratio habeatur eorum quæ de consulibus mox dicemus. Leguntur enim tam in Basilica S. Pauli, quam in cæteris documentis ibi productis, anni undecim, menses quatuor, dies novem. Solus catalogus Liberianus signat annos duodecim, et quidem exordio ducto ex die XVI Kal. Januarii, seu 19 Decembris, Caro II et Carino consulibus, scilicet anno 283, unde revera ducendum est ; cum subsequatur diebus *octo* [alii codices Anastasii legunt 9], post obitum, seu post depositionem Eutychiani, in superiori periocha Liberiani catalogi positam : exto Idus Decembris seu die 8. Liber Pontificalis habet XIV Kal. Januarii. Corrigendus attamen est ex catalogo Liberiano, signante XVI Kalendas. Cum vero dies 17 Decembris anno 283 incidat in Sabbatum quatuor Temporum, quo pervigilia haberi consueverunt ad ordinationes presbyterorum et diaconorum, continuatio diei Dominicæ 18 Decembris, qua ordinabatur episcopus Caius, occasionem dedit confundendi pervigilium ordinationis cum ipsa die. Apud quosdam vero turbavit etiam chronologiam successionis per menses complures additamenti, quod adjecerunt vacationi sedis post obitum Caii, sive coronati martyrio, sive depositi die 22 Aprilis anni 295, interpontificium protrahentes per reliquum ejus anni spatium usque ad IX Kalendas Januarii, quas aperituri erant consules anni 296, Diocletianus VI et Maximianus : quod colligo ex æra sequenti. Videbimus ex Schelestratio, passum fuisse Marcellinum die 16 Martii, Diocletiano IX et et Maximiano VIII coss., vulgaris æræ Christi anno 304, ita indicante etiam catalogo reginæ Sueciæ, edito per eumdem Schelestratium, et a nobis producto in Prolegomenis, dum observaremus, recte collectam fuisse summam annorum 276 a passione Domini ibi consignatam ; cum ex anno æræ vulgaris 28, cui assignandam esse passionem Domini inchoatam die 25 Martii in horto et consummatam die 26 in monte Calvariæ fer. VI statuimus cum Victorio Aquitano pag. XIII Prolegom, ad annum 304 ejusdemque dies Martii 25 et 26 sint anni 276 exacte numerati. Ex illa igitur die 16 Martii, quæ coronam martyrii attulit Marcellino (ut in proximo numero statuemus cum Schelestratio), recedendo in anteriora per annos octo, menses duos, et dies 25 ejusdem sedi attributos a picturis S. Pauli, necnon a catalogis Italiæ vetustioribus, provenit ordinatio Marcellini ad episcopatum die Dominica 22 Decembris anno 295. Mors igitur decessoris, quæ illam præcessit ex die indicata X Kal. Maii, qua colitur in ejusdem sive martyrium, sive depositio in Calisti, ut opuscula ætatis Liberianæ testantur in Prolegomenis supra editis fol. IX, demonstrat vacationem sedis productam usque ad diem 21 Decembris ejusdem anni, seu XII, ante eas Kalendas Januarias, quas aperituri erant Diocletianus XIII et Maximianus cum anno vulgaris æræ 296. Si autem hæc testimonia ferme æqualia admittantur, constat annos undecim, *menses quatuor, dies novem,* in picturis Paulinis, cæterisque in catalogis expressos exacte metiri sedem Caii, et Liberianum catalogum adjicere huic summæ menses octo vacationis sedis, et menses tres, proxime consecutos usque ad Paschale tempus anni 296, signatum Diocletiano VI et Maximiano coss. Salva est igitur auctoritas sua utrique computo : ita si intelligantur peractæ supputationes, et imputatum Caio per catalogum Liberianum tempus vacationis sedis ante electionem Marcellini successoris : de cujus epochæ rectitudine, et characteribus proximo in numero constabit.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 6. — *Ut esset ostiarius, lector,* etc. Hæc ordinum partitio septenaria legitur in epistola Cornelii papæ, præservata apud Eusebium lib. VI, Hist. cap. 43, ubi etiam enumerat in Romano clero presbyteros quadraginta quatuor, diaconos septem, subdiaconos totidem, acolythos quadraginta duos, exorcistas, et lectores cum ostiariis quadraginta duos. Eam partem epistolæ dedi in Præfatione tomi I, n. 35.

Linea 8. — *Hic regiones divisit diaconibus.* Numerus quatuordecim regionum Urbis constitutus per Augustum principem, in partitione ecclesiastica reductus fuit ad *septem,* et assignatus totidem diaconis, ut in Prolegomenis fusius exposui hoc tomo in opusculo XV.

Linea 12. — *Propter filiam Gavini presbyteri, nomine Susannam,* etc., *martyrio coronatur.* Acta SS. Caii papæ et martyris, ac Susannæ virginis et martyris cum sociis edidit, et illustravit notis Cæsar Becillus Urbinas presbyter congregationis Oratorii de Urbe anno 1628, in quibus hæc leguntur, quæ non parum illustrant decretum S. Eutychiani paulo ante memoratum, et originem tituli SS. Susannæ et Caii, pag. 37 : « Tunc jussit Diocletianus Aug., ut ibi intra donum suam juxta domum Caii episcopi gladio puniretur (Susanna) : quæ percussa juxta domum suam reddidit spiritum. Hoc cum audiret Severina Augusta, cum gaudio nocte veniens collegit corpus S. Susannæ martyris, et sanguinem quem effuderat in eodem loco suo velamine detersit, et posuit in capsam argenteam in palatio suo, ubi die noctuque furtivis vicibus orare non cessabat. Corpus autem S. Susannæ ipso manibus suis ornavit cum linteaminibus, et cum aromatibus, et posuit juxta corpora-

sanctorum in cœmeterio Alexandri, etc. Ab eodem die cœpit B. Caius episcopus in eadem domo introire, ubi gladio fuerat percussa, et sacrificium Domino Deo suo offerre pro commemoratione B. Susannæ populo : quia domus B. Gabini presbyteri jungebatur domui B. Caii episcopi. Ab eodem tempore (in tale erat signum Christianis) statio deputata est in duas domos, quod est usque in hodiernum diem. Factum est autem hoc Romæ in regione sexta, juxta vicum Mamurii ante Forum Sallustii, regnante cum Patre et Spiritu sancto Domino nostro Jesu Christo in sæcula sæculorum. Amen. » Utrumque titulum S. Susannæ, et S. Caii celebrem reddunt quinto sæculo subscriptiones presbyterorum in concilio Romano sub Symmacho : *Asellus presbyter tit. S. Susannæ ; Agatho presbyter tit, S. Susannæ. Benedictus presbyter tit. S. Caii, Severus presbyter tit. S. Caii.* Ex hisce titulis is qui S. Susannæ nomen præfert nunquam destitit intra presbyterales Urbis numerari. Caii autem titulo vetustate collapso substitutam fuisse primum ecclesiam SS. Quatuor Coronatorum per Gregorium Magnum collegit Carolus Piazza ex indicio stationis eo translatæ (vide *Hierarch. cardin.* pag. 533) ; deinde titulum S. Callisti a pontifice, hujus nominis tertio docet subrogatum. Urbanus vero Octavus ecclesiam veterem S. Caii a fundamentis a se reparatam addixit monasterio virginum sacrarum, quas Barberinas vocant, a se pariter magnificenter exstructo, restituta etiam statione, licet jus tituli Romani non removerit ab æde S. Calisti.

Linea 13. — *Sepultus est in cœmeterio Callisti, via Appia.* Inde extractam olim fuisse partem aliquam reliquiarum S. Caii testatur antiquus lapis in Hypogæo basilicæ Vaticanæ repositus ex vetustissimo sacello Joannis VIII : ubi inter cætera sanctorum nomina, quorum reliquiæ ibidem asservabantur, hæc insculpta leguntur S. LVCI PP. S. CAII PP. ZEFFERINI PP. : vel saltem sanguis et brandea ex veteri consuetudine ibidem reposita fuisse fateri necesse est. Totum vero corpus in cœmeterio Callisti repertum anno 1622 sub Gregorio XV narrat Becillus in notis ad acta S. Caii pag. 95, nomen pontificis indicante laterculo his litteris insignito CAIO PP. addito etiam palmæ signo, monogrammate Christi Domini : quo loco una cum sacris ossibus repertum quoque fuisse annulum pontificis, et nummos Diocletiani sub quo passus fuerat, idem Becillus asseverat. Nullam corporis partem defuisse proditum asserit litteris Stephani Cerquæ. Mallem tamen, ut in sacris ossibus legendis adhibuisset anatomes peritum, quemadmodum præstitum fuit jussu S. M. Clementis XI in recognoscendis reliquiis S. Balbinæ, repertis sub ara maxima diaconiæ S. Mariæ in Dominica, et cum inspectum fuit sacrum corpus S. Leonis Magni in postrema ejusdem translatione. Si enim Caius ille martyr apud Becillum indicatus fuit Caius papa, et non Caius præpositus, aut Caius prætorio munere functus (quod æque potuit per easdem siglas PP significari) ; compertum foret, reliquias illas Caii papæ, memoratas in marmore sacelli Joannis VIII, sanguinem et lintea vela indicare ; cum constitisse dicatur ex ossibus nullam, ejusdem sceleti partem defuisse in eo reperto corpore quod ipse describit. Præsumendum certe est, Caii PP. reliquias in Vaticano lapide memoratas junctim cum lipsanis SS. Lucii ac Zephyrini pontificum, ad Caium papam dignitatis et martyrii consortem pertinere : sive decisæ fuerint et reservatæ jussu Severinæ, ita conquirentis reliquias sanguinis S. Susannæ dum corpus martyris ad cœmeterium deferretur, sive ab aliquo pontifice ex decessoribus Joannis VIII in refectione cœmeterii Callisti extractæ, et in basilicam Vaticanam delatæ. Utrisque sua auctoritas constat, ad martyrem scilicet vindicatum, eumque nomine Caium pp. pertinere.

CIACONII.

Linea 5. — *Hic constituit, ut ordinationes*, etc. Ordines in Ecclesia Caius distinxit, quibus tanquam gradibus quibusdam, ad episcopatum ascensus et aditus pateret. Hi erant ostiarius, lector exorcista, acolytus, subdiaconus, diaconus, presbyter et episcopus. Nequaquam tamen ita intelligenda veniunt ut ipse primus instituerit, ut ad summum gradum ascensurus per inferiorum ordinum gradus conscenderet sublime fastigium sacerdotii. Nam hierarchicum in Ecclesia jam temporibus apostolorum, stabilitum fuisse, atque usu ordinem receptum, constat. Sed Caii hac de re decretum illud fuisse videtur, ut non promoveretur quis ad thronum episcopalem, nisi qui in singulis inferioribus ordinibus ministrasset.

Linea 12. — *Propter filiam Gavini presbyteri, nomine Susannam.* Erat Caio papæ frater Germanus, Gabinius dictus, qui viridiori ætate uxorem duxerat ex qua filiam sustulerat, Susannam nomine. Uxore autem defuncta, cælibem vitam duxit, filiam sanctissime institutione Christiana educavit. Ob egregiam pietatem et doctrinam, ad presbyterii gradum meruit promoveri : qui adversus gentiles pro religione Christiana defensionem ediderat. Diocletianus Augustus, cum Galerium Maximianum Cæsarem declarasset, et consortem imperii fecisset, cum nulla ei virilis proles contigisset, volens eum arctiori vinculo nuptiarum copulare, Susannam virginem illi spopondit, quod nullam haberet generis sui propinquiorem. Consensus Gabinii et patrui Caii papæ exquiritur, et puellæ : ipsa respuit nuptias, quamvis augustas, dicens se nolle Christi thorum aliquo mortali conjugio fœdare. Nullis potuit denique promissis, blanditiisve emolliri, nec minis deterreri Susanna : et tandem, ob constantem fidei religionem, intra ædes paternas jussa est a Diocletiano, gentili suo, clam decollari. A die autem, quo Susanna percussa est, jugiter obtulit sacrificium Caius papa pro ejus commemoratione. Erat enim conjuncta Caii papæ domus cum ædibus S. Susannæ, et Gabinii patris ejus. Atque inde factum est, ut statio Christianorum in duabus illis ædibus fuerit instituta ad Quirinalem ante forum Sallustii, et ecclesia inter illas amborum ædes ædificata in titulum presbyteri cardinalis erecta sit, qui consuevit appellari, sanctorum Gabinii et Susannæ, inter duas domos. Post tentus Gabinius, et carceri mancipatus, flagellis cæsus, amputatione capitis martyrium complevit post filiam Susannam et ante fratrem Caium.

SOMMIER.

Linea 5. — *Constituit, ut ordinationes omnes in Ecclesia sic ascenderent. Si quis*, etc., *ut esset ostiarius, lector, exorcista*, etc. Clericalis hierarchia institutionem suam debet Domino nostro Jesu Christo, uti demonstravit in dogmatica Historia religionis. Ordines varii, qui eam componunt, non insimul collati sunt universi ab initio fundationis Ecclesiæ ; sed gradatim creati sunt ministri pro necessitate distinguendi ac separandi illorum ministeria in sacrorum cultu exercendo. Jesus Christus creare per se voluit pontificem summum, priores episcopos, et priores presbyteros. Apostoli, percepta ab eo auctoritate, crearunt primos diaconos ; et episcopi successores apostolorum eadem auctoritate crearunt cæteros ministros subalternos, quando, crescente fidelium numero in Ecclesiis, necesse fuit earum munia exercenda compluribus tradere, ita poscente decora pertractatione divini cultus, et populi Christiani ædificatione ac levamento. In electione papæ Cornelii, circa medium tertii sæculi, ejus epistola ad Fabium Antiochenum, in notis ad illius numerum producta ex Eusebio hist. lib, VI, cap. 35, ostendit ordines universos Christianæ hierarchiæ in Ecclesia Romana jam tum fuisse distributos. Proinde intelligimus, constitutionem Caii non continere institutio-

nem, aut creationem novam cujuspiam ex his ordinibus. Id tantum præcipit, ne provehatur quis ad sublimiora cleri sacerdotia et munia obeunda, nisi A gradatim procedendo ex inferiori ordine ad proxime superiorem in illorum numero, qui efformant ecclesiasticam hierarchiam.

XXX. SANCTUS MARCELLINUS.

ANNO CHRISTI 296 DIOCLET. ET MAXIMIANI 13.

30. *Marcellinus, natione Romanus, ex patre Projecto, sedit annis octo* [a], mensibus undecim, diebus viginti duobus. *Fuit autem temporibus Diocletiani et Maximiani* [b] *ex die Kalendarum Juliarum a consulatu Diocletiano sexto, et Constantini* [c] *XI usque ad Diocletianum IX et Maximianum VII, quo tempore fuit* [d] *persecutio magna,* ut *intra triginta dies septemdecim millia hominum promiscui sexus per diversas provincias martyrio coronarentur* Christiani [e]. *De qua re et ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, ut thurificaret, quod et fecit, et post paucos dies pœnitentia ductus, ab eodem Diocletiano* [f] *pro fide Christi cum Claudio, et Cyrino, et Antonino capite sunt truncati et martyrio coronantur,* conjurans beatus Marcellinus Marcellum presbyterum, dum pergeret ad passionem suam, ut præcepta Diocletiani non impleret [g]. Et post hoc factum *jacuerunt corpora sancta in platea* ad exemplum Christianorum diebus sex triginta *ex jussu Diocletiani, et exinde Marcellus presbyter collegit* noctu corpora cum presbyteris et diaconibus cum hymnis et sepelivit via Salaria in cœmeterio Priscillæ, *in cubiculo* claro, *quod patet usque in hodiernum diem, quod ipse* præparaverat [h] *pœnitens, dum traheretur ad occisionem in crypta juxta corpus sancti Crescentonis* VII *Kalendas Maii.* [i] Qui etiam *fecit ordinationes duas per mensem Decembris: presbyteros quatuor, diaconos duos, episcopos per diversa loca numero* quinque. Ab eodem die *cessavit episcopatus* [j] *annis septem, mensibus sex, diebus viginti quinque; persequente Diocletiano Christianos.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Marcellinus annis octo, mensibus tribus, diebus viginti quinque. Fuit temporibus Diocletiani et Maximiani ex die pridie Kalendas Julias, a consulibus Diocletiano VI et Constantio II usque in consulatum Diocletiani IX et Maximiani VIII, quo tempore fuit persecutio, et cessavit episcopatus annos septem, menses sex, dies viginti quinque.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, an 8, minus d. 7. [b] *B*, Constantii et Galerii imp. a coss. Dioc et VI et Constantio ad Diocl. VIII et Maximianum VIII. [c] *C*, Constantii. [d] *Vide Baron. ad an.* 302, p. 728 [e] *Bar. loc. cit. hanc hist. refellit a.* p. 829. [f] Maximiano. [g] *CB*, est truncatus et mart. coronatus, qui dum pergeret ad passionem suam adjuravit Marcellum. [h] Ipsi S. Petrus præceperat *CB*. [i] *Bar. ad ann. Dom.* 304, *vag.* 790 *edit. Vallicellanæ* 1594, *refellit.* [j] *Bar. tant. méns.* 6, *et d.* 24.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 30. *lin.* 1, 2, *AB*, menses 2. *A*, d. 35, *B*, dies 25. *in AB desunt sequentia verba*, et quorum chirographum cucurrit, et imbecilles 208. *lin.* 3. *AB*, Diocletiani VIII. *lin.* 12, *B*, dies 25. *lin.* 15 *B*, quod ipse præceperat. *lin.* 16, *B*, Crescentionis.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, sed. ann. 9, m. 2, d. 16. *lin.* 3, Diocletiani (*sic fere semper, ut et aliis mss. codd.*) b. et Constantii 2. *lin.* 4, eo tempore M eodem t. *lin.* 5, promiscui sexus Christiani p. d. p. m. de qua re. *lin.* 7, ut thurificaret idolis, qui (*Maz.*, ut thur. qui et fecit) et post paucos dies synodo facta in provincia B Campaniæ in civitate, quæ vocatur Suessa, suo ore pœnituit coram CLXXX episcopis cum cinere in capite suo, et cilicio vestitus pœnitentiam agens, et dicens se peccasse. Tunc iratus Diocletianus tenuit eum compellens ad sacrificium. Ille autem clamabat dicens: Pœniteo cum lacrymis de priore ignorantia, quia graviter deliqui, et cœpit blasphemare Diocletianum, et idola dæmoniorum manufacta. Tunc ab eodem Diocletiano pro f. C. c. Cl. Cyr. et A. c. s. t. et martyrio coronati. Abjuravit autem C. Marc. (*Maz.*, conjuraverat autem B. M.) *lin.* 12, Diocl. exinde M. *lin.* 13, et diaconis. *Maz.*, diaconibus. *lin.* 15, quod patet (*M.*, paret) usque in hodiernum diem, quod ipse præceperat, dum tr. *lin.* 16, Crescentionis VI Kal. M., hic fecit ord.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, sedit ann. 9. m. 4, dies 16. *lin.* 3, *scribe* Diocletiani. *lin.* 8, 9, Cyrino cap. s. tr. *lin.* 9, quem conjurans. *lin.* 11, et propter hoc f. *lin* 12, dies 36. *lin.* 13, nocte c. *lin.* 14, via Salaria in cub. claro in crypta. Qui etiam f. ord. 2 per m. Decembrem. *lin.* 19, quinque ; qui etiam sepultus est in cimiterio Priscillæ via Salaria VI Kal. Maii in cub., quod patet usque in hod. d. quod ipse præceperat ab eodem die, et cessavit ep. ann. 7, m. 6. d. 25, pers. Diocl. Christ.

A *Apud Holstenium et Schelestratium.*

Lin 1. *Flor.* mens. III, diebus XVI. *lin.* 3. *Cass. et Vat.*, octavo. *et Flor.* Constantii II. *lin* 5, *Cass.*, ita ut. *lin*7, *Vat. et Cass.*, ad sacrificandum. *lin.* 9, *Flor, sec,* coronati. *lin,* 12, *Florent dua et, Vat.* XXVI *lin* 15, *Vat. Cass et Florent.*, præceperat. *lin.* 16, an. 7, *ita Deusdedit et Vat., sed Anselm. Luc,* ann. XII.

Apud Peniam ex codice Cavensi

Lin. 3 *et* 4, a consulatu Diocletiani VI et Constantino II. *lin.* 9 *et* 10, coronantur. Conjurans beatus Marcellinus.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 6. — *De qua re ipse Marcellinus ad sacrificium ductus,* etc. Eadem habet auctor Libri Pontificalis, qui cum auctore hujus catalogi ante Isidorum Mercatorem scripserunt, apud quem exstant acta Synuessani concilii pariter antiquissima, et ante tempus Isidori Mercatoris conscripta, quæ licet in B aliis supposititia videantur, quoad lapsum Marcellini a vero aberrare non videntur, ut ostendit Onuphrius Panvinius in Historia ecclesiastica, quæ ms. asservatur in bibliotheca Vaticana.

Linea 16. — *In crypta juxta corpus S. Crescentonis.* Ex quo loco patet, sanctos martyres in cryptis sepultos fuisse. Quod adeo verum est, ut nullum ea de re dubium esse possit ; cum etiam constet, Christianos tempore persecutionis in cryptis habitasse, et quæcunque pietatis Christianæ officia exercuisse. Unde de Caio auctor hujus catalogi : quod fugerit *persecutionem Diocletiani in cryptis habitando.* Stephanus papa in Catacumbis in sede, ubi ad sacrificium offerendum sese præparabat decollatus est, ut habent ejus acta. De Xisto refert D. Cyprianus epistola ad Successum. « Xistum autem in cœmeterio animadversum esse sciatis, VIII Idus Augusti. » De B. Laurentio auctor hujus catalogi in Xisto II : « B. autem Laurentius sepultus et in via Tiburtina in C agro Verano in crypta cum aliis multis martyribus. » De Alexandro martyre antiqua ejus inscriptio in cœmeterio Callisti reperta : « Alexander mortuus non est, sed vivit super astra, et corpus in hoc tumulo requiescit : vitam explevit cum Antonio imperatore : qui ubi multum beneficii antevenire prævideret, pro gratia odium reddit, genua enim flectens vero Deo sacrificaturus ad supplicia ducitur. O tempora infausta, quibus inter sacra et vota, ne in cavernis quidem salvari possumus, » etc.

Linea 19. — *Et cessavit episcopatus annos* septem, *menses* sex, *dies* viginti quinque, *persequente Diocletiano Christianos.* Secundus catalogus legit : *annos sex* ; antiquissimus catalogus *annos quatuor.* Cardinalis Baronius ne quidem annum unum sedis vacantis admittit. Qua in re ipsi assentitur Onuphrius Panvinius, qui cum communi recentiorum ostendit Marcellinum obiisse eodem anno, quo Diocletianus purpuram deposuit : unde sequitur, epi- D scopatum per septem, sex, aut quatuor annos vacare non potuisse, persequente Diocletiano Christianos, sed eodem anno persecutionem cessasse, quo mortuus est, et clero Romano occasionem dedisse substituendi in ejus locum Marcellum, qui plusquam uno anno pontificatum tenuit, testantibus ejus actis, quod in catabulo « post multos annos serviendo indutus amictu cilicino emisit spiritum sub die XVII Kalend. Septembris. »

ALTASERRÆ.

Linea 11. — ***Et post hoc factum jacuerunt corpora sancta in plantea, ad exemplum Christianorum, diebus tringinta sex, ex jussu Diocletiani.*** Corpora martyrum insepulta jacuerunt in foro, ad exemplum Christianorum : id est, ut hoc spectaculo Christiani moverentur ad defectionem, ex jussu Diocletiani, pœnæ ad exemplum. Anastas. in Theodoro : « Videns autem Isacius caput Mauritii, gavisus est, et fecit ad exemplum multorum in circo Ravennate in stipitem poni. » Eodem tempore in persecutione Maximiani corpora martyrum insepulta feris et alitibus exposita, et ne sepelirentur, custodes adhibiti (*Euseb.* lib. VIII, cap. 16) : Apud Græcos damnatorum corpora insepulta manebant (*Q. Curt.* lib. VIII, cap, 2) : « Jure interfectum Clytum Macedones decernunt, sepultura quoque prohibituri, ni rex humari jussisset. » Apud Romanos idem moris fuit etiam in animadversione militum. Tacit., I *Annal :* « Corpora extra vallum abjecta ostentui. » Tamen constitutione Diocletiani damnatos sepulturæ tradi non vetatur (L. *Obnoxios. C. de Relig et sumpt. fun.*). Constantinopoli erat locus. cui nomen erat Pelagium, destinatus sepulturæ damnatorum, cujus meminit Cedren. in Constantino Copronymo : τάφον κατακλυσμόν. Et temporis ipsis Decii corpora martyrum sepulturæ tradi vetitum non fuit ; et penes copiatas seu laborantes fuit cura sepulturæ corporum martyrum (Cyprian. *epist.* 3) : « Et quod maximum est corpora martyrum, aut cæterorum, si non sepeliantur, grande periculum imminet eis. quibus incumbit hoc opus. » Cloacas Urbis cum Tarquinius Priscus plebis opera faceret, et tædio operis cives mortem sibi consiscerent, novo pœnæ genere eos compescuit a propria nece, defunctorum corpora figens crucibus spectanda civibus, simul et feris, alitibusque laceranda (*Plin* XXXVI, cap 15).

BENCINI.

Linea 4. — *Quo tempore fuit magna persecutio.* Magna merito vocatur hæc persecutio, dum tres imperatores pari crudelitate et immani sævitia per plures annos Christianorum lanienam fecerunt. De tempore et ejus initiis disputant clar. viri in notis ad Lactantium de Mortibus persecutorum. Pontificalis vero Liber hanc magnam vocat, et quod sub his temporibus priora initia, quæ in decennalibus apparuere, magno impetu proruperint adversus Christianam religionem. Triplex enim periodus assignanda. Prior in decennalibus, cum divinos honores Diocletiano sibi vindicante, et ut credibile est, refragantibus clericis, in eosdem prior motus exarsit, in quo Caius coactus fuit in cryptis secessum statuere. Alter motus ann. 298 in milites Christianos, non morte tamen plectendos. sed cinguli militaris ablatione ex Lactantio. Ea, quæ proprie persecutio est, per edictorum vulgationem, et hic magna dicitur, incœpit in vicennalibus, quæ celebrabantur anno 303. Hæc vero gradatim instituta fuit, primo in Palatinos, et milites ex eodem Lactantio c. 15, pag. 99, deinde in clericos, eodem dicente c. 15 : « Comprehensi presbyteri, et ministri, et sine ulla probatione ad confessionem damnati cum omnibus suis deducebantur. »

Linea 5. — *Ut intra triginta dies, decem et septem millia hominum.. coronarentur.* Numerus martyrum interemptorum per imperii provincias assignatur ut magnæ persecutionis indicium. Implacabile odium, et pertinacissima contumacia matris Galerii Maximiani, quæ furiis agitata, *terminum Christianæ religioni*

imponere meditabatur. factam lanienam intra mensem a publicatis edictis possibilem ostendit. Accedit trium imperatorum Diocletiani, Maximiani, et Galerii Maximiani coutumax idem propositum, cui si conjungantur mala indoles, depravati eorumdem mores, et privata consilia perdendi Christianos, ne illi faverent militia Constantium in Galliis agentem, de cujus imperio merito pavebant, hæc, inquam, librata, facile suadebunt, ita rem evenisse, uti in gestis Marcellini refertur, et numerum designatorum martyrum respondere crudelitati imperatorum. His si addatur, quod in edictis impositum crimen incendi Christianis, quasi interimere imperatores molirentur, magis certam facient subsecutam lanienam. Lactantius etiam, cum bacchantis in Christianos matris Galerii odia descripsisset, et subsecuta imperialia edicta, addit : « Sed Cæsar (Galerius nempe) non contentus edicti legibus, aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, occultis ministris palatio subjecit incendium. Et cum pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur, velut hostes publici, et cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat. Illor, consilio cum Enuuchis habito, de exstinguendis principibus cogitasse ; duos imperatores domi suæ pene vivos esse combustos. » Hæ calumniæ per sacerdotes gentium acutæ, qui Galerii matris superstitiosissimum zelum fovebant, non poterant non commovere idololatricas civitates, et sævitiam judicum acuere. Diocletianum que ad prorsus perdendos fideles impellere, quod effecisse testantur Lactantius, mox subdens : « Diocletianus vero, qui semper se volebat videri astutum, et intelligentem, nihil potuit suspicari ; sed ira inflammatus, excarnificari omnes suos protinus præcepit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item judices universi, omnes denique qui erant in palatio magistri, data potestate, torquebant. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. Nihil uspiam reperiebatur, nec patiebatur iram inconsiderati senis deflagrare : sed quindecim diebus interjectis, aliud rursus incendium molitus est ; sed celerius animadversum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæsar medio hyemis profectione parata prorumpit, eodem die contestans fugere se, ne vivus ardeat. » Ita Galerius matris jussa, propriamque indolem pessimam in Christianos acuens persecutioni vires addidit, et lanienam sævissimam promovens, et ipse cum Diocletiano exercens, certum, ac indubium reddit numerum martyrum peremptorum. Unde subdit Lactantius : « Furebat ergo imperator jam non in domesticos tantum, sed in omnes... Omnis sexus et ætatis homines ad exustionem rapti. Nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, ut gregatim circumdato igne ambiebantur... Vexabatur universa terra.... et ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant. » Eumdem numerum proponit Eusebius, inquiens : « Dici non potest, quos, et quantos Christi martyres in omnibus locis et urbibus passim cernere licuit : » et lanienam actam motibus civilibus comparat, quando frequentissima hominum mactatio. « Illi quidem Dei cultorum, tam virorum, quam mulierum cædibus, tanquam civili quodam bello provincias subjectas polluerunt. » Ambo vero erant viventes, cum tyranni persecutionum furias agitabant. Ex Severus : « Nullus unquam magis bellis mundus exaustus est : neque majori unquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus. »

Linea 8. — *Ab eodem Diocletiano.... capite sunt truncati.* Non a Diocletiano, sed per ejus judices, cum anno quo contigit martyrium Diocletianus ab Urbe distaret. Hæc vero, quæ hic dicuntur de lapsu Marcellini, addita videntur et suppleta, quæque desumpsit ex actis quibusdam conflictis arte Donatistarum ; et qui confinxit, notam temporis non advertens, falsa inseruit de Diocletiani actis in Marcellinum. Diocletianus enim, vix peractis initiis Romæ vicennalium, in ipsa hyeme decessit, et in Maii mense, quando martyrium contigit, ab urbe longe aberat. Quod ita refert Lactantius, forsitan Romæ tunc præsens, dum edictis persecutionis narratis, in urbe Nicomediensi, primo vulgatis, addit : « Hoc igitur scelere perpetrato, Diocletianus, cum jam ab eo felicitas recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui erat futurus ad duodecim Kal. Decembris. Quibus solemnibus celebratis, cum libertatem populi Romani ferre non posset, impatiens et æger animi prorumpit ex Urbe impendentibus Kal. Januariis, quibus illi novus consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius quam Ravennæ procederet consul. Sed profectus hyeme, sæviente frigore, atque imbribus verberatus, morbum levem ac perpetuum traxit, vexatusque per omne iter, lectica plurimum vehebatur. Sic æstate transacta, per circuitum ripæ strigæ Nicomediam venit, morbo jam gravi insurgente. » Quæ circumstantia non animadversa a consarsinatore lapsus Marcellini, integram actorum identitatem corruere facit. Donatistæ enim hisce fragmentis propriam causam tueri studebant, ut videre est in collatione Carthaginensi ; et sæpe monet S. Augustinus, dum eosdem revincit. Elaborabant enim Donatistæ probare, a Marcellino defecisse episcopatum, ut sequentium pontificum in eosdem latas sententias infirmarent : quomodo et Felicem Cæciliani ordinatorem reum traditionis insimularunt, ut ordinationem irritam ex eo titulo ostenderent : forsitan etiam ad pseudoepiscopatum Romanum a Donatistis constitutum roborandum, quasi ipsi illum restauraverint post lapsum Marcellini, cum ipsi veram Ecclesiam penes ipsos esse immaculatam illibatamque jactarent.

Linea 19. — *Cessavit episcopatus.* Sedis Romanæ vacatio ob angustias persecutionis protrahitur, et ob ulteriores Galerii machinationes fit diuturnior. Mater enim Galerii tot Christianorum cædibus, et acerbissima per totum orbem innocentium strage vix satiata, tardiores existimans persecutores, filium indefessa ciebat adversus Christianos. Arripuere occasionem, Galerio consuetis fraudibus rem promovente, ex motibus rebellibus in principes excitatis, a quibusdam tyrannis imperium affectantibus. Episcopis, et clericis veluti auctoribus seditionum crimen est impositum, et hinc major increbuit persecutio : cum sacerdotes gentium suaderent, facile, radicitusque, Christianam religionem exstirpandam, si episcopi et sacri libri e medio tollerentur. Hinc nova in clerum vulgantur edicta, et dira in sacros codices exercetur vexatio, unde tra litorum turba, quæ occasionem dedit Donatistarum schismati ex Optato. Conjecturam nostram roborant verba Eusebii, narrantis seriem hujus persecutionis, qui Nicomediensia edicta, et hominum subsecutam cædem cum narrasset, et dixisset, lib. VIII, c. 6. « Et hæc quidem in ipso persecutionis exordio Nicomediæ gesta sunt. » Addit deinde : « Cæterum paulo post, cum alii in Melitina Armeniæ regione, alii in Syria imperium arripere conati essent : promulgatum est imperatoris edictum, ut omnes ubique ecclesiarum antistites vincti in carcerem truderentur. Earum vero rerum, quæ postea factæ sunt, spectaculum, omnem prorsus dicendi copiam superabat ; quippe cum innumerabilis ubique hominum multitudo custodiæ manciparetur : et carceres olim homicidis, et sepulcrorum expilatoribus deputati, tunc episcopis, presbyteris, diaconibus, lectoribus, atque exorcistis complerentur ; adeo ut iis qui ob crimina condemnati fuerant, nullus jam locus superesset. » A Galerio, ut reor, machinationes invectæ censentur, in quo imperii et dominationis absque consortio insederat ambitus et cupido, quod innuere videtur Lactantius : qui cum narrasset exercitos tumultus advertit quod Galerius (supra) : « Jam conflixerat

nuper Maximiniano sene, eumque terruerat, injecto armorum civilium metu. » Hæc vero in clericos urgentior persecutio ad perdendam, ducibus Christiani populi sublatis, religionem, Romæ præcipue agitanda, cum optime scirent, Romano antistiti propter principaliorem potentiam inter Christianos jus supremum convenire, adeoque omnem impendisse curam imperatoris satellites, ne pontifex eligeretur, spem concipientes facile reliqua collapsura, si supremus non eligeretur antistes. Ita Decius, ut ex Cypriano supra notatum est, Cornelium uti pontificem perdendum elaboravit : et in hoc ipso primo Diocletianææ persecutionis decennio Maxentius tyrannus cum Romæ esset, et ejusdem indolis ac perversitatis, successorem Marcellum coercere volebat, *ut negaret esse episcopum,* ut infra legitur in Marcello. Ex hac itaque origine evenit, ut protraheretur successoris electio post Marcellini martyrium.

BINII ET LABBEI.

Linea 6. — *Ipse Marcellinus ad sacrificandum ductus est, ut thurificaret, quod et fecit.* Quanquam pluribus rationibus, quas vide apud Baron. ann 302, num. 96 et seq. hæc Marcellini thurificantis historia plane refutari et obreptitia esse probabiliter ostendi possit ; tamen non facile recedendum esse putamus ab ea sententia, quæ communi hactenus consensione credita est, atque in antiquis tabulis ecclesiasticis reperta fuit. Marcellinus itaque idolis sacrificando, metu mortis inductus contra fidei confessionem peccavit, adeoque externo actu fidem negasse visus est : verum interiore actu contra fidem nihil credidit, nihil etiam docuit, atque ideo hæreticus, vel infidelis esse non potuit, cujus rei pœnitentia paulo post peracta, pontificatus sponte abdicatus, martyrium ob fidem susceptum, indicium evidentissimum præbent. *Vide August., lib. de unic. Baptism. contra Petilianum, et Bellarm., lib.* IV *de Rom. Pontif., c.* 9.

Linea 14. — *In cubiculo claro.* Vide *notas Baron. ad Marcellinum in Martyrologio.*

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Sedem Marcellini annis VIII, mensibus II, diebus 25 esse definitam et in picturis basilicæ S. Pauli, et in catalogis præstantioribus, aliisque codicibus ostendi in Prolegomenis fol. CI, et in numero præcedenti indicavi exacte respondere consulibus enuntiatis, constituta die ordinationis ad episcopatum Dominica 22 Decembris anni 295, ut finis respondeat diei 16 Martii anni 304, ad quam referri ejus martyrium dixeram hic esse ostendendum. Hoc vero præstitit ill. præsul Schelestratius dissert. 2, cap. 8, num. 6. Ostendit primo, tam juxta antiquos, quam juxta recentiores scriptores passum fuisse Marcellinum *Diocletiano* IX *et Maximiano* VII *consulibus, id est anno* 304, *qui fuit ultimus Diocletiani* : « Qua de re, inquit, adeo convenit inter recentiores scriptores, ut qui in anteriorum pontificum Chronologia sæpius inter se discrepant, circa tempus quo Marcellinus occubuit, unum idemque sentiant. Fidem hac de re faciunt Onuphrius Panvinius, et Antonius Augustinus, cardinales Baronius et Bellarminus, Dionysius Petavius, et Philippus Labbeus, qui omnes Marcellini obitum in annum 304 referunt. Addit Labbæus die 26 Aprilis, qui dies idem ipse est, quo in Martyrologiis Bedæ, Rabani, Notkeri, Adonis et Usuardi, Marcellini memoria celebratur. Observandum tamen, quod Diocletianus et Maximianus eodem anno purpuram deposuerunt primo die Aprilis : unde vel dicendum, ante diem primum Aprilis obiisse Marcellinum, vel anno 303, non 304, occubuisse. Pro cujus difficultatis solutione notanda sunt verba venerabilis Bedæ, quibus testatur. Marcellinum post mortem dies 36, ut in ms., vel 35 ut in editione vulgata, insepultum jacuisse, et postea sepultum fuisse via Salaria. Fieri autem potuit, non mortis, sed sepulturæ diem adnotatum fuisse in Martyrologiis : et ita contigisse innuit Beda, dum scribit ad VI Kal. Maii, *Depositio S. Marcellini papæ,* prout in supracitato ms. antiquissimo legitur, quamvis in editione vulgata legatur *natale.* Depositionis itaque dies fuit 26 Aprilis, cum jam 16 Martii passus esset, Diocletiano adhuc imperante, ut sub eo Marcellini martyrium recte collocari possit. Atque his quidem probandis (cum nulla amplius quæstio superesse possit) non est quod diutius inhæreamus. »

De die atque anno quo purpuram deposuerunt Diocletianus et Maximianus diserte Idatius ex editione Scaligeri, ut Schelestratius observat, ejusdem verba producens : « Diocletiano IX et Maximiano VIII his coss. deposuerunt purpuram privati effecti Diocletianus et Maximianus die Kal. Aprilis. » Idem advertit Rupertus in Besoldi Synopsim historicam pag. 362, ita scribens : « Cum Diocletianus et Maximianus senior abdicassent, iidem Kalendis Aprilis, ut scribit Idacius (non ante diem XI Kal. Maii, ut Colzius et Onuphrius tradiderunt) » etc. De anno etiam Zonaras testatur Hist. lib. II, cap. 7, nempe coss. Diocletiano IX et Maximiano VIII. Male autem interpretantur nonnulli cum Baluzio (in not. ad Lact. *de Mortibus persecutorum,* pag. 389 tomi II Miscellan.) Zosimi locum, quasi Zosimus scripserit, spatium interceptum a ludis sæcularibus celebratis per L. Septimium Severum Libone et Cilone coss. (Christi 204) usque ad prædictum consulatum Diocletiani IX et Maximiani VIII, constare annis centum et uno. Textus Zosimi est ita reddendus : « Nam a consulatu Cilonis et Libonis, quo Severus ludos sæculares exhibuit, usque ad Diocletiani IX et Maximiani VIII διέδραμεν εις ένιαντὸς πρὸς τοῖς ἑκατὸν, *Labebatur annus unus post centum.* » Sensus autem est, ut ex Palilibus anni 304, Cilone et Libone coss. ad Palilia anni 304, Diocletiano IX et Maximiano VIII coss. completis centum annis die Palilium, ex ea die labebatur annus primus inchoans post centesimum absolutum. Perperam igitur contra utriusque scriptoris fidem differunt Baluzius et Hervartus abdicationem imperii Diocletiani ad annum 305 et ad diem Kalendarum Maii. Constat vero assertum Schelestratii, cum Idacio referens ad diem Kalendarum Aprilium et ad annum 304, Diocletiano IX et Maximiano VIII coss., istorum abdicationem.

Schelestratii doctis observationibus hanc unam addere liceat, nempe, ex his documentis per eum productis emendandum esse quintum versum in Opusculo II Bacheriano, supra edito inter Prolegomena, ubi recensentur *depositiones episcoporum* nempe *summorum pontificum.* In quinto versu illius opusculi legitur : « Decimo octavo Kal. Februarii, Marcellini in Priscillæ. » Reponendum est ex indiciis loci ac temporis nomen *Marcelli* papæ, auctum syllaba postrema ab amanuensi, et dies XVII Kal. Februarii loco XVIII aucta similiter postrema unitate ; cum ea die XVII Kal. Febr. occurrat martyrium ac depositio Marcellini papæ ad cœmet. Priscillæ via Salaria in omnibus Martyrologiis ; et Marcellini mors demonstrata sit pariari cum 16 Martii, depositio vero cum 26 Aprilis, qua colitur.

His productis ad diem martyrii S. Marcellini demonstrandam, revertar ad annum : non, ut actum agam, et iterato demonstrem pertinere ad 304 æræ communis Christianæ, Diocletiano IX et Maximiano VIII, coss., quod a Schelestratio observatur firmari consensu omnium scriptorum veterum ac recentiorum ; sed ut considerem supputationem summæ in veteri Catalogo ms. reginæ Sueciæ observatam a Schelestratio, quam attuli in Prolegomenis inter documenta sedis Marcellini col. 23, annum eumdem mirifice confirmare, imo et

universam Chronologiam nostram pontificiam hactenus explicatam. In illo igitur codice hæc leguntur : « A Passione D. N. Jesu Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini papæ sunt anni 276, mens. 9. » Dixi annorum summam pariari exacte cum Chronologia Victorii Aquitani et nostra, quæ in opusculo IV et in notis ad catalogum Liberianum ostendit : « Passionem Domini, et duos geminos consules pertinere ad annum æræ Christi communis 28, ætatis autem Christi Domini 33, et inchoatam fuisse feria 5, die 25 Martii in horto Gethsemani, et absolutam in cruce feria 6, die 26 Martii proxime consequente. »

Nam annis æræ Christi labentis in Passione 28, si addatur summa indicata annorum 276 provenit dies 26 Martii anni labentis 304 æræ Christi communis. Addo nunc, legi oportere : « A Passione Domini nostri Jesu Christi usque ad sedem beatissimi Marcellini papæ sunt anni 276. min. d. 9. » (hoc est minus diebus 9.) Ostensum cum sit, finem sedis B. Marcellini ejusdem martyrio signatum esse die 16 Martii ; consequitur, ut ad complendos annos solidos *a Passione Domini* 276, desiderentur *dies* 9 post illam diem 16 Martii anni 304, quæ beatum finem imposuit sedi ejusdem pontificis ac martyris Marcellini.

De vacatione sedis post obitum Marcellini.

Codex Anastasii refert versu 20 post martyrium B. Marcellini vacasse Romanam sedem *annos* VII, *menses* VI, *dies* XXV, *persequente Diocletiano Christianos*. Adnotat Schelestratius, a Diocletiano paucis diebus post obitum Marcellini depositam fuisse purpuram, et injectam Daiæ Kalendis Maii. *Huic purpuram Diocletianus injecit suam, qua se exuit* (scribit L. Cæcilius *de Mortibus persecutorum*, numero 19) *et Diocles iterum factus est*. Auctor Catalogi scribens ætate Liberii affirmat cessasse episcopatum annis IV, mensibus VI, diebus XXV. Catalogus sub Justino ann. VI, mens. VI, d. XXV. In aliis membranis sexti sæculi habetur, *et cessavit episcopatus annos* VII, *m.* V, *dies* XXV. Hæc diversitas lectionum indicat male vexatum a librariis locum Bibliothecarii et catalogorum. Si exstaret autographum exemplar antiquissimi illius catalogi Liberiani, vix aliter putem in eo repertum iri scriptum, quam cessavisse episcopatum usque ad Maximianum Augustum (Daiam) per menses II, dies V. Vidimus enim huic Maximiano Daiæ injectam fuisse purpuram, qua se exuebat, a Diocletiano sese imperio abdicante Kalendis Maii. Die vero Dominica XXI ejusdem mensis Maii ostendam electum et ordinatum fuisse a Romano clero successorem Marcellini Marcellum eodem anno 304, ex æra Marcellini adhuc spectabili in picturis Leonianis basilicæ S. Pauli, ubi legitur S E Dit ANN. V, mens. VII. Suppleta in Catalogo Farfensi qui legit etiam *dies* XXV. Si enim conferantur hæc tempora cum die martyrii, quæ certa est, nempe 16 Januarii *iterum post consulatum* X *Maximiani* (hoc est an. 310), ut in num. Marcelli compertum fiet, evidenter ostenditur ordinatio Marcelli et collocatio in Romana sede referri ad diem Dominicam 21 Maii anni 304, quæ distabat mensibus II et diebus V a martyrio Marcellini decessoris sui, completo die XVI Martii ejusdem anni. ut paulo ante ostendi cum Schelestratio, et inchoabat annos V, menses VII, dies XXV, sedis ejusdem assertos in picturis Paulinis qua parte sunt superstites in numero annorum et mensium adhuc præservato, et integre expressis in catalogo Farfensi, qui etiam numerum dierum XXV fideliter retinuit. Hæc enim summa exacte colligitur ex die XXI Maii anni 304. ad diem XVI Januarii anni 310. Cum itaque rationes chronologiæ exacte parientur tam cum epocha decessoris, quam cum die martyrii a beato Marcello completi in numero annorum, mensium ac dierum consignato *in genuinis documentis* in Romanæ Eccles[ia] dubitandum non est, quin errore librariorum vacatio sedis post obitum Marcellini, quæ indicabatur per menses II et dies V usque ad initium imperii ad Maximianum Daiam translati eodem mense Maio a Diocletiano iis fortasse aut similibus verbis, ET CESS. EPISC. VSQVE AD MAX. AVG. MENS. II. D. V., id est *et cessavit episcopatus usque ad Maximianum Augustum menses duos, dies quinque*, producta fuerit per annos plures, menses, ac dies in corruptis exemplis diversimode transcriptos.

Cardinalis Baronius (observante Schelestratio dissert. 2, cap. 8, num. 7) Onufrius Panvinius in ms. Historia ecclesiastica, et omnes passim nostræ ætatis auctores, qui historiam aut chronologiam pontificiam illustraverunt, consultis documentis, et hic productis. quibus non modica adjecisse puto his in observationibus. hodie compertum habent, vacationem sedis post obitum Marcellini non solum extensam non fuisse ultra metas ejusdem anni, sed desiisse proxime post Augusta insignia Maximiano collata, et imperium a Diocletiano abdicatum, electione Marcelli per clerum Romanum feliciter insecuta. Panvinius putavit electum Marcellum die V Kal. Julii. cum videret attributos ejusdem sedi annos V, menses VI, dies XXI. Nos 34 diebus maturius ejusdem ordinationem statuimus ; cum in picturis S. Pauli. anni V, menses VII, et in catalogo Farfensi dies etiam XXV, præter eosdem annos et menses, integre præservatos conspiciamus.

Quæ autem causa fuerit, cur descriptores catalogorum aliquot, et ipse Bibliothecarius adjecerint vacationi sedis post Marcellinum annos quos abstuleruntsuccessori Marcello, ostendere conabor in Notis chronologicis ad epocham ejusdem Marcelli proxime consequentem.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 7. — *Quod et fecit*, etc., *et pœnitentia ductus*, etc. ; et linea 14. — *Via Salaria in cœmet. Priscillæ in cubiculo claro, quod ipse præparaverat pœnitens, dum traheretur ad occisionem in crypta juxta S. Crescentonem.* Hæc periocha, quæ non legitur in Actis concilii Sinvessani, neque in Gestis martyrii beati pontificis Marcellini, cum asserto concilio editis ex Isidoro Mercatore apud Binium, legitur autem in hoc Libro Pontificali, et in catalogo secundo quod refertur ad ætatem Felicis papæ IV et Justiniani imperatoris, indicat eamdem fuisse aliunde desumptam, quam ex commentitiis illis, seu vitiosa farragine infartis apud Mercatorem. Quare cum Acta exstiterint vetustiora, quæ *pœnitentiæ* memoriam facerent, inferre quis poterit, lapsum ac pœnitentiam beati illius pontificis, licet Augustino ignoratam, haberi oportere consonam veritati.

At mihi hunc textum Bibliothecarii, et catalogi secundi attentius perpendenti, et variantes lectiones ad eumdem textum adnotatas ab editoribus, aliud plane diversum videtur deducendum : nempe originem assertionis lapsus, quarto et quinto sæculo prorsus ignoti, fluxisse ex vitiosa variatione unius dictionis in breviatione Actorum genuinorum B. Marcellini : et assertam ibi pœnitentiam non esse referendam ad Marcellinum, quem a lapsu immunem et innocentem verosimilius judicaverim, sed referendam ad illos pœnitentes, quos a thurificatione impia, ejusque a lapsu expiare, et ad pœnitentiam admittere constituerat Marcellinus per festa Paschalia cum neophytis ad baptismi gratiam percipiendam accessuris. Rem nitidius explicabo, si variantes lectiones repetantur ex tomo I hujus editionis in eo versu numeri præsentis, ubi legitur « sepelivit via Salaria in cœmeterio Priscillæ in cubiculo claro, quod ipse præparaverat pœnitens dum traheretur ad occisionem in crypta. » Alii codices habent *quod ipse præceperat pœnitens*. Velserus ex codicibus Surianæ Collectionis conciliorum, et ex Baronianis exemplaribus lectum observat, *quod ipse S. Petrus*

præceperat. Intelligimus itaque vexatum fuisse locum ex Actis diversimode breviatis. Cum vero memoretur in exemplaribus indicatis S. *Petrus* electionem hujus loci *præcipiens*, sive juxta alios codices, *præparans in cœmiterio Priscillæ via Salaria ;* et significetur *pœnitentia* ; legendum arbitror, *quod et ipse S. Petrus præparaverat pœnitentibus, dum traheretur ad occisionem in crypta,* etc. Quomodo autem tum S. Petrus, tum Marcellinus papa præparaverint locum pœnitentibus in eadem crypta cœmeterii Priscillæ via Salaria, ubi post martyrium Marcellinus sepultus fuit, jam exponam.

Repetere oportet, martyrium B. Marcellini papæ contigisse circa diem 16 Martii, ut supra ostendi in Notis chronologicis, depositionem vero fuisse dilatam diebus XXXVI (sive etiam XXXX) quibus jacuit jussu persecutorum insepultus, ut ex Actis memorabat Bibliothecarius, eamque pariari cum die XXVI Aprilis qua colitur. Eodem anno Christi 304, Pascha celebrandum erat die 9 Aprilis. Quare per eos dies, quibus Marcellinus delatus ad tribunal Diocletiani (utique post Kalendas Martii, quibus se primum conspiciendum dederat imperator ex diuturna ægritudine non satis confirmatus, ut intelligimus ex L. Cæcilio de Mortibus persecutorum testes synchrono) cogitandum illi fuit, quo loco tutiori posset, adveniente Paschali festo, administrare de more baptismum catechumenis in æstu persecutionis. Oblatus illi fuit celebris ille locus ad cœmeterium Priscillæ via Salaria, ubi memorabant cum vetustioribus documentis apostolorum principem baptizasse, quem locum etiam appellarunt cœmeterium Ostriani. Celebris, inquam, habebatur locus, et in persecutionibus videri poterat tuto adeundus. Id enim constat ex Actis Liberii papæ, quem a Constantio Augusto et ab Arianis perinde quæsitum ad necem, dum extra Urbem se recepisset in cryptas via Salaria appetente Paschali festo, Acta ostendunt collecto presbyterio consilia agitasse cum clero de baptismo ibidem C administrando, ita consulente præ cæteris Damaso, tunc presbytero et vicario Liberii. Locum autem ita amplum in ea crypta Ostriani cœmeterii (parte scilicet cœmeterii Priscillæ, ut videre licet apud Aringhium Romæ subterr. tomo II, lib. IV, cap. 31) et capacem concurrentis turbæ fidelium, ut iisdem in Actis Liberii quinque hominum millia ibidem baptizata fuisse uno in Paschate dicantur. Erat etiam causa Marcellino destinandi ejusmodi locum capacem ad congregrandum presbyterium, sive etiam ad synodum episcoporum colligendam e proximis saltem Ecclesiis, ut de communi sententia statueretur, quid esset in proximo Paschate peragendum circa pœnitentiam lapsis administrandam per eosdem dies majoris hebdomadæ, de more destinatos tum ad baptismum catechumenis conferendum, tum ad publicos pœnitentes reconciliandos, eosque in primis, qui tormentorum vi, aut metu perciti, a fidei Christianæ cultu defecerant. Hoc nempe concilium D fuit (ex peritiorum sententia) in crypta collectum, præsente ac præsidente Marcellino Romano pontifice ; non quidem in crypta *Cleopatriensi* apud Sinvessam (ut aliqui autumant) vetustati penitus ignota, et quo accedere et congregare ducentos, aut trecentos episcopos intra dies XV ille non poterat in æstu persecutionis ut prudens quisque facile intelligit ; neque pœnitentiæ causa suscipiendæ a Marcellino innocente, et ab impietatis crimine longe alieno, ut S. Augustinus a card. Baronio relatus monet ; *Vide Baron. ad annum* 302, *num.* 96 : sed pœnitentiæ causa ex Ecclesiæ indulgentia per Marcellinum pontificem administrandæ, et ex disciplina, nuper confirmata sub Cornelio, lapsis tam laicis, quam clericis, imo et sacerdotibus et episcopis, quorum nonnullos in immani illa persecutione thurificasse, aut sacros codices tradidisse constat ex Cæcilii Lactantii, aliorumque scriptorum testimonio. Fueritne aliquis inter hos nomine Marcellinus, qui admissi sceleris A pœnitens, et cilicio indutus in concilio se stiterit, et ansam dederit seris posteris ejusdem errata et pœnitentiam attribuendi Romano pontifici Marcellino ; an revera ipse Marcellinus papa qui humanæ infirmitatis vices expertus in persecutione succubuerit, et divina Christi gratia relevatus sit, dum publica confessione veniam sibi impetrari a Deo per Ecclesiam postulat in sacramento pœnitentiæ ; cum libratis utrinque rationibus asserendi ac negandi card. Baronius valide proponat ejusdem innocentiæ momenta Augustini testimonio suffulta, neque a Petiliano Donatistarum patrono impetita, nisi calumniis, communibus Marcello, Melchiadi, ac Silvestro, quos constat fuisse ab imputato crimine immunes ; hisque momentis productis in medium, modeste cohibeat tantus cardinalis de veritate facti, ac vitio Actorum ferre sententiam ; non audeo ultra metas ab ipso constitutas excurrere. Contentus ero id perficere, quod ad officium commentarii nostri et observationum pertinet, B nempe indicare quantula sit vis ejus vocis aut commatis *quod ipse præparaverat pœnitens :* quod forsitan inconsiderate transcriptum ex alio ita enuntiante *quod ipse præparaverat pœnitentibus,* occasionem dare potuit attribuendi aliorum criminis, ac pœnitentiæ, nostro pontifici Marcellino.

Paraverat igitur, instante Paschali festo, Marcellinus papa hoc cœmeterium, celebre apud fideles ex baptismo, a principe apostolorum pluribus ibidem administrato, dum hospes Pudentis ac Priscillæ in ejus agro suburbano, perinde ac domi intra Urbem ad Exquilias, pro temporum opportunitate conversis ad fidem salutare Christi lavacrum aperiebat : et mature collecto presbyterio, fortassis etiam concilio proximiorum Urbi episcoporum, canones præscribebat pœnitentiæ lapsis ad Ecclesiæ pacem admittendis juxta singulorum indigentiam in proximo festo Paschali. Dum hæc pararet, inventus a persecutoribus producitur ad tribunal Diocletiani, et ultimo supplicio addictus mortem pro Christo fortiter patitur, circa C diem 16 vel 19 Martii cum sociis, a Bibliothecario et ab auctore Catalogi memoratis. Corpora martyrum cum jacuissent ex jussu principis insepulta in foro ad exemplum Christianorum per dies 36 vel 40, intra quos contigit abdicatio Diocletiani Kal. Aprilis, mox etiam recessus ab Urbe, posteaquam ejus collega Maximianus Herculeus die Palilium 21 ejusdem mensis Aprilis imperio similiter cesserat ; præfectus Urbi novique principes ominis causa purgari forum die natali Urbis et imperii sui non illibenter accipientes, ut par est credere, tacite permiserunt Marcello, ut reliquias cæsorum colligeret, et intra arenarium cenderet in cœmeterio Priscillæ, aut certe non vetuerunt. Hanc seriem gestorum ex indicata loci designatione, et Petri nomine in aliquibus codicibus memorato, nec non ex Paschalis festi vicinia, et veteris Ecclesiæ disciplina sub Cornelio recenter firmata occasione dissidiorum cum Ecclesia Africana de lapsis, videmur posse tutius colligere, quantum conjicere licet ex conciso indicio actorum per catalogos breviatorum. Hostes vero Ecclesiæ Romanæ, præsertim ii, qui Donatistarum hæresi patrocinium accommodarunt, frustra conati sunt calumniam intentare thurificationis ac traditionis nostris sanctissimis pontificibus Marcellino, Marcello, Melchiadi, Silvestro, teste Augustino. Cum vero per quartum et quintum sæculum accusatoribus hæsisset aqua, neque calumniam promoverent, ab Augustino, et a publica Ecclesiæ fama satis depulsam, visum est post alterum sæculum transformatis actorum tabulis Marcellinum exhibere lapsum ac pœnitentem in concilio ducentorum aut trecentorum episcoporum, quos intra paucos dies a Kalendis Martii ante Idus ejusdem mensis in persecutione Ecclesiæ citissime congregasse dicendus esset ; cum tamen 318 Patres in pace Ecclesiæ Nicææ convenerint multo lentius, licet equis publice dispositis uti eisdem permitteret imperator, Eusebio teste lib. III *de Vita* cons.

cap. 6, ad iter celeriter conficiendum. Ad cryptam vero Cleopatrensem, nullis geographis, aut historicis Ecclesiæ notam, hoc tercentumvirale concilium scribitur impune celebratum: solusque Marcellinus e tanto Patrum numero ad tribunal principis evocatus: quæ adjuncta, rationi eorum temporum nimis dissona, vereor ut superstructa sint unius dictionis errato, ab imperitis descriptoribus Actorum oscitanter admisso, dum illa verba mutant, quæ in Actis, sive in catalogis legebantur, *sepultus est in cœmeterio Priscillæ in cubiculo claro, quod ipse præparaverat pœnitentibus*, licet alii legendum asserent *quod ipse præparaverat S. Petrus*, ut in variantibus lectionibus Binius adnotavit. Verum nihil temere affirmans, sive ipse pœnitens, sive aliis pœnitentibus cubiculum præparaverit, conjecturis modum impono, et intra cancellos Baronii lubenter sisto. Ex hoc cœmeterio Priscillæ corpus beati Marcellini papæ ac martyris cum aliis pluribus, et quidem illustribus in Fastis Ecclesiæ, nempe Marcello, Priscilla, Praxede, Pudentiana, S. Leo papa ejus nominis quartus in Urbem transtulit primo ad titulum SS. Quatuor Coronatorum, unde postmodum inter alias Urbis ecclesias divisa sunt sacra pignora: nostræque basilicæ Lerianæ contigit venerabile caput beati Marcellini et brachium obtinere, quæ ibidem maxima religione asservantur.

CIACONII.

Linea 1. — *Marcellinus natione Romanus.* Penes Græcos in nominibus facta confusio, putantes eumdem esse Marcellinum cum Marcello. Atque Eusebius *in Chron. et Hist.* lib. VI, cap. 16, præteriens Marcellum, Marcellinum tantum adnumerat. Quem errorem cæteri secuti esse videntur, ut Nicephorus Calistus *Hist.* lib. VI, cap. 34, et Nicephorus episcopus *in Chron.* Latini autem non ita, ut Optatus Milevitanus *contra Parmen.* et sanctus Augustinus epis. 175, cæterique, qui pari consensione utrumque ponunt: Post Caium, Marcellinum; post Marcellinum, Marcellum.

Linea 6. — *De qua et ipse Marcellinus ad sacrificium ductus est, ut thurificaret, quod et fecit.* Non mirandum si Marcellinus pontifex tyrannicis instrumentis cedens, terrore pavidus fidem Christi corde retinens, exterius abnegarit: reversus ad se, agnovit et planxit delictum suum. Ea de re synodus CLXXX episcoporum, presbyterorum XXX, et diaconorum trium Sinvessa urbe Campaniæ, nunc vulgo *Sessa* dicta, congregata, ad quam Marcellinus venit squalidus, cilicio indutus, caput cinere aspersus, ubi lacrymis profusis, peccati admissi gravitatem publice, palamque confessus est. Nullus tamen eorum proferre in eum sententiam, aut damnare ausus est, cum dicerent omnes, ea ferme ratione Petrum peccasse, ac flendo peccatum luisse. Sed cuncti præclaro summæ pontificiæ dignitatis testimonio dato, una voce clamarunt: Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio; quoniam ex te, inquiunt, justificaberis, aut ex ore tuo condemnaberis. Prima namque sedes a nemine judicatur. Damnati sunt tamen in eadem synodo presbyteri illi et diaconi, qui usque ad templum Vestæ fuerunt comitati, moxque eum deseruerunt, et ad ecclesiam venientes, illum atque si vidissent, quod suspicarentur, accusassent. De Marcellini pœnitentia I tom. Concil. et in decretis memoriæ proditum est a Gratiano. Est Augustinus, de unico baptism. contr. Petilian. cap. 16, et contr. litter. Petil. lib. II, cap. 92, qui Marcellinum thurificasse negat Petiliano id minime probanti. Eusebius lib. V, cap. 26, non novit ejus lapsum, sed martyrium tantum. Sed de Marcellini lapsu sententia ore omnium diffamata, et communi omnium consensione credita, atque in antiquis cum Romanæ Ecclesiæ, tum aliorum auctorum martyrologiis, nec non in Breviario Romano recepta, et absque controversia ulla, et retenta, et epistola Nicolai papæ I ad Michaelem imperatorem Constantinopolitanum confirmata: ab ea nullatenus recedendum, quod ab aliis icompertum fuerit.

Linea 13. — *Marcellus presbyter collegit nocte corpora*, scilicet Petri apostoli jussu, qui eidem in somnis apparuit.

SOMMIER.

Line 7. — *Quod et fecit: et post paucos dies pœnitentia ductus*, etc. Lapsus, qui contigisse fertur Marcellino papæ, declarat profecto hominis infirmitatem, ac labem voluntatis singularium: nihil tamen infert præjudicii apostolicæ sedis dotibus aut pontificis auctoritati. *De lapsu, qui tribuebatur Marcellino*, ita scribit Nicolaus I ad imperatorem Constantinopolitanum (*Michaelem*). « Tempore Diocletiani et Maximiani Augustorum Marcellinus episcopus urbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est a paganis, ut in templum eorum ingressus, grana thuris super prunas projiceret. Cujus rei gratia, collecto numerosorum concilio episcoporum, et inquisitione facta, hoc se idem pontifex egisse confessus est. Nullus tamen eorum proferre in eum sententiam ausus est; cum ei sæpissime omnes perhiberent: Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio. Et iterum: Noli, aiunt, audiri in nostro judicio, sed colligein sinu tuo causam tuam. Et iterum dicunt: Prima sedes non judicatur a quoquam. »

Concilium, de quo loquitur hæc epistola, est Sinvessanum, cujus ex Actis deduxit Nicolaus ea quæ profert de Marcellino, etc. Breviarium Romanum perinde comprobat, a Romana Ecclesia hujus historiæ veritatem recognosci.

His tamen non permoti, complures e scriptoribus recentioribus rejiciunt eamdem historiam, his præsertim ex causis; tum quod antiqui scriptores, iisque temporibus proximi, qui de Marcellino locuti sunt, nihil tale de ipso narrant; tum quod Eusebius nihil penitus eo de facto memoret; tum quod Theodoretus elogium huic pontifici attexat, tanquam ei qui gloriæ plurimum adeptus fuerit tempore persecutionis, *virum persecutionis temporibus magna gloria nobilitatum* (lib. I cap. 3. Vide *Euseb.* 2. cap. 12). *Observant*, revera Petilianum Donatistam *voluisse obtrudere quidpiam simile de Marcellino, ac de aliquibus ipsius presbyteris*, sed a S. Augustino declarari, hanc esse calumniam omnino incredibilem: « Quid ergo jam opus est, ut episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, et presbyteri ejus Meltiades, Marcellus, et Silvester, traditionis codicum divinorum, et thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed nunquid ideo etiam convincuntur? aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos, et sacrilegos fuisse dicit: *Ego* innocentes fuisse respondeo, » etc. (S. Aug *de unico Bap.* contra Petilian., cap. 16.

Rejiciunt etiam assertam historiam, relatam ad concilium Sinvessanum: quod contendunt esse concilium suppositititium: cum dicant Sinvessam locum esse imaginarium, cujus nec vola, nec vestigium repertum adhuc fuit apud ullum ex scriptoribus sacris aut profanis. Addunt esse incredibile, quod Marcellinus, sæviente persecutione omnium crudelissima, convocare potuerit ad concilium trecentos episcopos, etc.

Librati utrinque rationibus asseerentium ac negantium, quas card. Baronius, et post illum plures congessere, ita demum concludit suas observationes vir clariss. Sommier.

Verum cuicunque tandem sententiæ qui acquiescat de facti historia, intelliget, nihil inde vitiari doctrinam religionis; quæ non docet ministros suos esse impeccabiles in particulari œconomia suarum propriarum actionum; sed docet eosdem ministros suos a divino Spiritu animari et sustentari in regimine universalis Ecclesiæ. Distinguendum est quod

nominis peculiaris est ab iis quæ pertinent ad publicum munus, cum Augustino contra Petilianum cap. 16 ita scribente : « Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Silvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alii, quibus objiciunt (Donatistæ) pro sua defensione quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ catholicæ, toto orbe terrarum diffusæ. Nullo modo eorum innocentia coronamur : nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerint, in areæ catholicæ tritura tanquam grana mundati sunt : si mali fuerint, in areæ catholicæ tritura tanquam stipula comminuti sunt. »

Ita Marcellini actio, qui violentia tyrannorum adactus, et perculsus timore mortis ac supplicii, obtulisse dicitur incensum idolis, nullam labem infert auctoritati, ac juribus sanctæ sedis. Ut homo est particularis, qui crimen admittit contra fidei confessionem per actum idololatriæ. Sed nunquam dicetur interpositam ab eo fuisse auctoritatem sedis suæ, ad stabiliendum aut approbandum cultum idolorum ; aut ipsum in particulari hæreticum fuisse, aut docuisse quidpiam contra dogmata religionis. Quinimo qui lapsum asserunt, asserunt quoque celerem pœnitentiam. *Post paucos dies pœnitentia ductus,* etc. Qui a Patribus concilii Sinvessani damnari non potuisse narrant, narrant a se ipso damnatum : *Non possum in ordine sacerdotum esse... Damnatus autem et Marcellinus episcopus suo judicio. (Concil. Sinvess. in fine.)* Coronatus subinde fuit martyrio, *qui dum pergeret ad passionem suam, adjuravit Marcellum presbyterum, ut præcepta Diocletiani non impleret.* Ut sanctus colitur, ejusque memoria in veteri Calendario consignata est, atque in Martyrologiis Ecclesiæ Romanæ.

XXXI. SANCTUS MARCELLUS.

ANNO CHRISTI 304, CONSTANTI ET GALERII 10.

31. *Marcellus, natione Romanus, ex patre* Benedicto, de regione Via lata, sedit annos quinque, menses sex, dies viginti unum. *Fuit* autem *temporibus* Constantii et Galerii et *Maxentii, e consulatu Maxentii quarto et Maximi usque ad* consulatum [a]. Hic rogavit quamdam matronam, nomine Priscillam, et fecit cœmeteria via Salaria, et XXV titulos in urbe Roma constituit, quasi diœceses, propter baptismum et pœnitentiam multorum qui convertebantur ex paganis, et propter sepulturas martyrum. Hic ordinavit viginti sex [b] presbyteros in urbe Roma *per mensem Decembris, diaconos duos et episcopos per diversa loca viginti unum.* Hic coarctatus est et tentus eo quod Ecclesiam ordinaret, comprehensus a Maxentio, ut negaret se esse episcopum, et sacrificiis se humiliaret dæmoniorum : qui semper contemnens, deridens dicta et præcepta Maxentii, damnatus est in catabulo [c], qui dum multis diebus serviret, in catabulo orationibus et jejuniis Domino servire non cessabat. Mense autem nono nocte venerunt clerici ejus omnes et emerunt eum [d] de catabulo. Matrona autem quædam, nomine Lucina, quæ fecerat [e] cum viro suo Marco annos quindecim et in viduate sua habebat annos novem decim suscepit beatum Marcellum, quæ domum suam nomine beati Marcelli titulum dedicavit, ubi die noctuque hymnis et orationibus Domino Jesu Christo confitebantur. Hoc audito Maxentius misit et tenuit iterum beatum Marcellum, et jussit in eadem ecclesia iterum plancas [f] exsterni, ut ibidem animalia catabuli congregata starent, et ipsis beatus Marcellus deserviret, qui tandem in servitio animalium nudus amictus cilicio defunctus est. Cujus corpus collegit Beata Lucina, et sepelivit in *cœmeterio Priscillæ, via Salaria,* XVII *Kalendas Febr. et cessavit episcopatus diebus viginti.* [g] Lucina vero proscriptione damnata est.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Marcellus anno I, mensibus VI, diebus XX. Fuit temporibus Maxentii a consulatu Maximiani Herculei X, et Maximiani Galerii VII, usque post consulatum X et VII.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] B, mens. 1, d. 25, et Constantini imper. a coss. Dioclet. IX et Maxim. VIII ad Maxen. et Maximum. *Baron. ad ann. Dom.* 309 *initio.* [b] *C B,* 25. [c] Catabulum, *id est stabulum jumentorum.* [d] *CB,* noctu. [e] *C,* vixerat. [f] *Planas tabulas Festo.* [g] *Baron. ad. an. Dom.* 309.

VARIÆ LECTIONES

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 31, *lin.* 2, *BA*, menses 7. *lin.* 8 *et* 9, *B*, loca 25. *lin.* 14, *AB*, eruerunt. *lin.* 15, *AB*, Lucina vidua. *lin.* 18, *A*, servivit, *B*, confitebatur.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 2, temporibus Maxentii a cons. Max. IV et Maximi usque post consulatum. *Maz.*, temp. Maxentii IV et Maximini usque post consulatum. *lin.* 5, cimiterium. *lin.* 7, martyrum. Hic coartatus est et tentus *(Maz.*, hic coronatus est et tentus) eo quod Ecclesiam ordinaret comp. *lin.* 11, et derid. *lin.* 12, in catabulo *(M.*, in catabolo) qui d. m. d. serviret in catabulum *(M.*, in cacabolum). *lin.* 13, mense autem 9 venerunt clerici ejus omnis, et eruerunt eum noctu catabulo *(Maz.*, de cacabolo). *lin.* 15, Lucina vidua, quæ, *lin.* 19, iterum paleas sterni. *sic uterque. lin.* 20, catabuli. *M.*, cacaboli. *ibid.*, qui etiam in ser. *lin.* 23, Febr. Hic ordinavit per mensem Dec. in urbe Roma presb. 26, diac. 2, episc. per diversa loca 21, et cessavit episc. dies 20. *Heic desinit Vita Marcelli.*

Ex codice Thuano altero.

Lin. 2, menses 7. *lin.* 2, 3, tempore Maxentii cons. Max. IV et Maximi usque præconsulatu. Hic fecit cimiterium via Sal. *lin.* 7, 25 presb. in u. R. et diac. 2 per mensem Decembrem ; hic coartatus et tentus, eo quod ecclesias ordinaret, et comp. *lin.* 11, quod semper cont. diridensque d. et præceptum M. d. est in catabulum. *lin.* 13. Domino deserviens non cessabat. *lin* 14, et exuerunt nocte de catabulo. Matrona quædam nomine Lucina vidua, quæ f. *lin.* 16, suscepit B, virum. *lin.* 18, Christo confitebatur. Hoc auditum a Maxentio. *lin. seq.*, et jussit ut in ead. eccl. iterum paleas sterni, et ib. *lin.* 21, amicto cil.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 2, *Flor. duo, Vat. et Cass.*, menses 7. *lin.* 3 *verba* Constantii et Galerii et *om. Flor. lin. ead., Cass.*, a consulatu. *lin.* 3, 4. *Flor. sec.*, usque post. *lin.* 5, *Flor.*, instituit. *lin.* 7, *Vat.* XXV. *lin.* 14, *Vatic. et Flor.*, eruerunt. *lin.* 15, *Flor.* vidua, quæ fuerat. *lin.* 16, In domum suam, quam et nomine, etc., *ita Vat. lin.* 18, *Flor. et Vat.*, confitebatur. *lin. ead., Flor. sec. omittit* iterum. *lin.* 22, *Flor. sec.* VI Kal.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 2, sedit ann. V, m. VII, diebus XXI. Fuit autem temporibus Maxentii a consulatu Maxentii IV et Maximi usque post consulatum. *lin.* 5, fecit cymiterium via salaria, et XXV titulos, etc. *lin.* 10, et sacrificiis humiliaret demoniorum. Qui semper contempnens, deridens dicta et præcepta Maxentii, damnatus est in catabolo : qui dum multis diebus serviret in catabulum. *lin.* 14, matrona quædam nomine Lucina *lin.* 19, iterum plancas externit, et ibidem. *lin.* 20, qui tandem in servitio animalium nudus amicto cilicio defunctus est. *lin.* 23, 24, dampnata est.

NOTÆ VARIORUM.

ALTASERRÆ.

Linea 11, 12. — *Damnatus est in catabulum.* Marcellus a Maxentio damnatus est in catabulum. Catabulum in urbe erat stabulum jumentorum, quæ usui erant ad vehenda onera publica. De quo Anastas. infr. tribus locis. Linea 12. — *Cum multis diebus serviret in catabulo.* Et paulo post lin. 14. — *Emerunt eum de catabulo.* Et rursus lin. 19. — *Et jussit in eadem Ecclesia iterum plancas exsterni, ut ibidem animalia catabuli congregata starent.* Et Papias: *Catabulum, clausura animalium, ubi desuper aliquid jacitur.* Inde Catabulenses dicti, qui pœnæ causa inserviebant catabulo. De quibus l. 9 C. Th. *de Pistorib. et Catabulens.* Et Cassiodor. III Var. 16, et lib. IV epist 47. Catabulum est equile regium, ad quod martyres damnari solebant. Euseb. VIII, cap. 22: Ὅπως τὲ βασιλικῶν ἵππων ἐνόχους παραστίσει, καταδίκασιν. *Regiorum equorum curæ obnoxios judicavit* Cedren. in Nicephoro : Ἀπό γενικῶν, καὶ ἀπελθών ἐν τῷ καταβολίῳ. Inepte Platina catabulum vocat. Cujac. 16, obs. 5.

BENCINI.

Linea 5. — *Titulos in Urbe constituit.* Diocletianæa persecutio Decianæ imitatrix omnia loca sacra, et ipsa cœmeteria fisco addixit : et quidem tanta talique destructione, ut Constantius in Galliis agens, etsi a persecutionum sævitia judices coercuerit, nihilominus impedire nequiverit ecclesiarum devastionem Lactantio teste, de Mort. persec. c. 15. « Constantius ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est parietes, qui restitui poterant, dirui passus est ; verum autem Dei templum, quod est in hominibus incolume servavit. » In domibus ergo, et, ut reor, in privatorum oratoriis (de quibus supra actum est) commodioribus, ubi servabantur martyrum cadavera titulos alios consecravit ; et dum hæc disponeret, ab imperatore comprehenditur, ut mox dicitur. *Hic coarctatus est, et tentus, eo quod Ecclesiam ordinaret.* Et cum alium titulum deputasset, *ubi die, noctuque, hymnis, et orationibus Domino Jesu Christo confitebantur,* ut mox subditur, et denuo exturbati pontificis propositum. Unde nova hæc institutio titulorum non est censenda prima in Urbe ecclesiarum inductio, sed ob fisco applicata loca sacra, et basilicas in Urbe exstantes, ut supra probatum est, nova a Marcello substitutio inducta oratoriorum in domibus privatis existentium, quæ in titulos, sive ecclesias presbyteris præpositis, prout patiebatur persecutionis circumstantia, consecrantur a Marcello.

Linea 6. — *Propter baptismum.* Ecclesiis, seu parietibus eversis in hac persecutione, ut dixerat Lactantius, et substitutis oratoriis, inter hos domesticos lares, ubi erant hæc oratoria, facultatem dedit baptizandi, ut consuleret necessitatibus Fidelium, sive aliorum qui convertebantur. Speciali nempe deputatione, eligendo præcipue oratoria domestica, ut loco Ecclesiarum haberentur. Hinc Lucina obtulit domum suam. An vero hæc facultas titulis tributa baptismi ministrandi fuerit ordinaria, disceptandum videtur, cum olim non nisi in ecclesia ab episcopo directa hæc ministeria celebrarentur, et ad Zosimi tempora ita observatum est. Censenda itaque est extraordinaria concessio, cum status dirutarum ecclesiarum, aut fisco addictarum exigeret, ut a priori disciplina dispensaret Marcellus.

Et pœnitentiam multorum. Ne dum de Sacramentali absolutione id intelligendum venit, verum et de deputatione lapsorum ad exercendos actus pœnitentiæ, ut iis exactis, ecclesiæ reconciliarentur. *Multorum* erant lapsus in persecutione, quorum jacturam deflet Optatus libro I, et pro ipsis etiam adjuvandis presbyteris concessit facultatem reconciliationis, quæ olim reservata erat episcopo, nec dabatur presbyteris nisi in casu necessitatis ex episcopali concessione, ut habetur in codice canonum Ecclesiæ Africanæ, ubi legitur tom. I Concil. pag. 870 : « Aurelius episcopus dixit : Si quispiam in periculo fuerit constitutus, et se reconciliari divinis altaribus petierit : Si episcopus absens fuerit, debet utique presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem, ejus præcepto reconciliare. » Rigidissima tunc erat disciplina cum lapsis adhibita, præcipue qui traditores nuncupabantur. Unde in Actis martyrum Donati et sociorum, fideles sæpius commonebant *(post Optati opera, pag. 402)* : « Si quis

traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis cœlestibus non habebit. »

Linea 7. — *Et propter sepulturas martyrum.* Cum presbyteris demandaverit curam pro martyrum sepulturis, quibus titulos commisit, exinde roboratur facta superius conjectura in Eutychiano, quod presbyter martyrum sollicitudinem retineret sepeliendi martyrum corpora. In hac vero Diocletianæa persecutione inhibitum Christianis corpora martyrum sepeliri, et quidem pœna bonorum proscriptionis. Infra enim dicitur, martyrio S. Marcellum coronatum· « Collegit beata Lucina, et sepelivit ; » et subditur : « Lucina vero proscriptione damnata est. » Hinc in qualibet Ecclesia multiplicatur fossorum numerus, qui in indiculo cujusque Ecclesiæ, ubi numerus clericorum notabatur, etiam fossores recensiti leguntur. Etenim in Ecclesia Africana tempore hujus persecutionis plures fuisse docent Acta Felicis, ubi indiculus ita apud Optatum pag. 92 profertur : « Sedente Paulo episcopo, Montano et Victore, Deusatilio et Memorio presbyteris : astante Marte cum Helio diacono : Marculio, Catulino, Silvano et Caroso subdiaconis : Januario, Maralco, Fructuoso, Miggino, Saturnino, Victorio et cæteris fossoribus. » De horum officio agit auctor *Tractatus de septem gradibus Ecclesiæ ad Rufinum,* qui habetur inter opera S. Hieronymi. Erat necessaria hæc cautio, cum cœmeteria Christianorum fuissent fisco adjudicata. Hos vero titulos *quasi diœceses* instituit, sequens ordinem quem decreverat Dionysius in basilicarum restitutione, quibus Marcellus eodem scopo substituit privata oratoria.

Linea 9. — *Hic coarctatus est et tentus, eo quod Ecclesiam ordinaret, comprehensus a Maxentio.* Interpungendum sic. *Hic coarctatus... eo quod Ecclesiam ordinaret. Comprehensus a Maxentio,* etc. Ita catalogi Holsten. et Scheles. Pari ratione, et formula, et interpunctione utitur in Stephano. « Suis temporibus exsilio est deportatus, postea nutu Dei reversus est ad Ecclesiam incolumis. Et post dies 34 tentus a Maximiano missus est in carcerem. » Necessitatem interpunctionis præter adducta, probant etiam mores tunc recepti, ut notarentur martyrum gloriosæ confessiones, ut supra probatum est, et pondus multiplicis confessionis pandunt verba Pontii, dum Cypriani secessum tuetur. « Quis martyres tantos exhortatione divini sermonis erigeret ? quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, et ad exemplum martyrii superstites reservatos incentivo tubæ cœlestis animaret ? » Tres itaque liber Pontificalis gloriosas Marcelli confessiones recenset. Priorem, ut credibile videtur, Marcellus passus erat, cum sede vacante, juxta præceptum Marcellini, suscepit curam Ecclesiæ : et cum videret fisco adjudicari basilicas et cœmeteria, ordinavit 25 titulos, et tunc primo comprehensus, exsilio multatur. Quæ prior passio exprimitur illis verbis : « Hic coarctatus est et tentus, eo quod Ecclesiam ordinaret. » dispersam initio anni prioris persecutionis Diocletianææ, quando ex decessoris præcepto curam ejusdem suscepit. Secunda confessio edita est sub Maxentio, qui Romam venerat anno 306, cum esset pontifex, et ad hanc spectant illa verba. « Comprehensus a Maxentio, ut negaret se esse episcopum. » Eo enim tempore nova vulgata sunt edicta adversus episcopos, ut supra vidimus. Tertia vero descripta illis verbis : « Hoc audito Maxentius misit, et tenuit iterum beatum Marcellum. » Tria hæc discriminanda suadet particula *iterum,* quæ denotat Maxentium duabus vicibus in S. Marcellum exarsisse : prior vero confessio facta ante Maxentii in Urbem adventum, ex Judicum jussione, qui Marcellinum capitis sententia multarant, et cum adhuc presbyter Marcellus esset. Necessaria hæc putavit compilator gestorum adnotare, ut ostenderet Marcellum ante pontificatum, et in ipso pontificatu verum confessorem fuisse, et deinde coronatum martyrem, ut occurreret calumniis Donatistarum, qui Marcellinum, Marcellum, Eusebium, Melchiadem, et Sylvestrum illegitime esse ordinatos, utpote vel lapsos, vel a lapsis ordinatos calumniabantur, ut Ecclesiæ Romanæ defectionem populis schismate irretitis suaderent, et pseudoepiscopatum Romanum ab ipsis usurpatum legitime retineri plebi credulæ intimarent, ut ei subderentur, et refugerent sententias a sede apostolica in ipsos emissas. Sanctus Damasus propterea breviter hæc in sepulcrali lapide notari voluit :

> Veridicus rector, lapsis qui crimina flere
> Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
> Hinc furor, hinc odium sequitur, discordia, lites,
> Seditio, cædes : solvuntur fœdera pacis
> Crimen ob alterius, Christum qui pace negavit,
> Finibus expulsus Patriæ feritate tyranni.
> Hæc breviter Damasus voluit comperta referre,
> Marcelli ut populus meritum cognoscere possit.

Hæc vero ante dicta roborant. Ut enim ostenderet Damasus, non lapsum Marcellum, imo lapsis omnibus amare flere crimina Apostasiæ, traditionis, et reliqua, crudelitate et sævitia persecutorum effecta prædixisse, propterea priora carmina posuit. Coincidunt vero hæc cum substitutione titulorum, quos *ad multorum lapsus* pœnitentiam agendam ordinavit. Insuper eo tempore quo hæc actitabantur *feritate tyranni finibus patriæ esse expulsum.* Dum vero exsilium evenerit ; cum presbyter sede vacante *ordinaret ecclesiam,* ac pœnitentiam lapsis prædiceret, constituendo presbyteros ad eam indicendam : per hoc ostendere vult Damasus, Marcellum ante pontificatum de lapsorum pœnitentia sollicitum fuisse. Eo enim tempore, anno nempe 305, Cirtense concilium habitum est, quo in concilio præpropera indulgentia lapsis venia concessa est, et decretum lapsorum episcoporum priora dedit fundamenta schismati Donatistarum, ut observavit Optatus, lib. II, pag. 16, in quo concilio inter priores decreti conditores recensetur Victor Garbiensis, primus Romæ paulo post Donatistarum episcopus, et pseudoepiscopatus Romani Donatistarum institutor. Et cum inferat ex lapsis male evenisse, aperte indicat schisma Donatistarum, unde ea mala propaginata, Africanam et vicinas ecclesias perturbasse. Hæc autem *comperta esse* edicit Damasus, ac ut talia apposuisse lapidi sepulcrali S. Marcelli, utique ad Donatistarum calumnias evacuandas S. pontifici impositas. Donatistas vero tempore Damasi, et sequenti hæc futilia in pontifices dicta, et calumnias improperare assuetos docet S. Augustinus adversus Petilianum, ubi sic : « Quid jam opus est, ut episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quod incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus ? Marcellinus, et presbyteri ejus Melchiades et Marcellus, et Sylvester traditionis codicum divinorum, et thurificationis ab eo crimine arguuntur. Sed nunquid ideo convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur ? Ipse sceleratos, et sacrilegos esse dicit : ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam ? » Exinde ubi purior in gestis pontificum reservatur Actorum custodia, nec amanuensium oscitantia ordinem invertit, illustria præbentur momenta ad sacram Historiam illustrandam.

Linea 13. — *Venerunt clerici ejus omnes, et emerunt eum de Catabalo.* Concursus clericorum omnium ad redimendum Marcellum sævissimæ persecutionis tempore, quæ in clericos, vel maxime tunc inardescebat, incredibilis esse non videbitur, si Maxentii indoles inspiciatur. Hic enim etsi in Christianos omnes pari cum Galerio crudelitate decertaret, nihilominus Constantini metu, qui anno 306, Patre Constantio mortuo, Cæsar erat, temperandum a persecutione censuit, ne Constantini exercitus augere-

tur ex Christiana militia. Hisce imperii initiis propitium Christianis sese ostendit ex Eusebio dicente, l. VIII, c. 14: « Maxentius qui Romæ tyrannidem arripuit, principio quidem fidei nostræ professionem simulavit, ut in eo morem gereret, blandireturque populo Romano. Itaque subditis suis præcepit, ut a persecutione Christianorum desisterent; fictam scilicet pietatis speciem præseferens, utque benignior multo, atque humanior superioribus principibus videretur. Verum progressu temporis haud quaquam talem se rebus ipsis præstitit, qualis futurus speraba.tur. » Potuit itaque Clericis inferioribus permittere libertatem, neve edictis jam promulgatis subderentur, utque publice martyrum cadavera redemirent. Porro hac immani tempestate in cadavera martyrum sævitum; nec nisi intercurrente pecunia Christianis concessam facultatem sepeliendi, docent Acta laudata S. Bonifacii, Nicomediæ in ipso Diocletianææ persecutionis limine interempti, dum comitum inquirentium Bonifacium sollicitudinem describunt, quem contra spem martyrem passum reperierunt. Et cum a die secundo consummati martyrii inhumatum jaceret S. Martyris cadaver, « dicens ad officialem: iste est quem quærebamus: petimus te, da dobis eum. Dicit eis ille: ego gratis corpus ejus dare vobis non possum. Illi autem dantes ei solidos quingentos, acceperunt corpus S. martyris. »

BINII ET LABBEI.

Linea 5. — *Cœmeteria,* etc. Quod olim lege 12 tabularum teste Cicer. lib. II de Legibus vetitum erat, ne defunctorum corpora intra Urbem sepelirentur, id favore Maxentii Romanæ Ecclesiæ concessum fuit, ut scilicet Christianorum martyrum corpora intra mœnia sepelirentur. (*Baron.* anno 309. num. 4.)

Linea 11, 12. — *Damnatus est in catabulo*, Id est ad alendos equos imperatorum.

Linea 19. — *Plancas.* Plancæ, ut Festus declarat, sunt planæ tabulæ.

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Commode cedit Chronologiæ pontificiæ, ut epocha sedis S. Marcelli saltem in numeris annorum ac mensium præservata supersit in picturis Leonianis basilicæ S. Pauli, desiderata tantummodo parte versus postremi, in qua dierum numerus post siglam illorum indicem consequebatur. Ex quatuor vetustissimis Italiæ catalogis, quos inde opinor descriptos, Farfensis integerrimas servavit epochæ partes universas, nempe annos V, menses VII, dies XXV. In Cavensi menses unitate deficiunt, et quatriduum in diebus luxatum cognoscitur; cum descriptores (detrita fortasse quinarii postrema parte) videre putaverint non XXV, sed XXI, quam illi addixerunt. In Catalogo Liberiano error aut detritio similis ex quinquennio solido V unicum annum retinuit, et elisit integram notam Quinarii V ex summa dierum, relictis quæ hanc præcedebant duabus decuriis XX. Vide in Prolegomenis ubi versu undecimo ante finem paginæ corrige in utraque columna *ad post coss. Dioclet.* X *et Maximiani* VII Christi 309 et in col. 2 ita leges..... consulum Paria.

Ex II *post cons. Maximiani (Herculei)* X, *et Maximiani (Dazæ)* VII. Æræ Christi communis 310, *ad consulatum.....*

Lectionem Farfensis omnino integram esse cæteris præferendam ostendi supra in notis ad vacationem sedis post Marcellinum. Certum enim cum sit die 16 Januarii anno 310 æræ Christi communis, qui inscribebatur, *Iterum* (sive II) post consulatum *Valerii Maximiani* X *et Galerii Maximiani* VII martyrio consummatum fuisse B. Marcellum; et cum constet diem Dominicam anno 304 incidere in diem 21 Maii, quo mense ineunte Diocletianus imperio jam abdicaverat, spatium inter hæc extrema interceptum annorum V, mensium VII, dierum XXV, ad amussim respondet a Farfensi codice assertæ, et in Paulinis picturis, qua parte supersunt, non minus evidenti. Respondet etiam consulibus indicatis in Catalogo quarto sæculi sub Liberio.

Quod ut perspiciatur clarius, exhibenda est series consulum ex anno 304, abdicationis Augustorum senum Diocletiani et Maximiani, ad annum 314, initium sedis S. Silvestri. Hoc enim decennio labente, cum anno 306 Constantius Chlorus Augustus VI consul obiisset Eboraci VIII Kal. Augusti, succedente Constantino filio, Maxentius Romæ a Prætorianis militibus acclamatus est. Præterea Galerius Maximianus in Oriente Severum Cæsarem Augustum creavit, ut ex libro L. Cæcilii de mortibus persecutorum probat Pagius: qui addit dissert. Hypaticæ cap. 13, pag. 242: « Cum itaque imperium a pluribus Augustis inter se discordibus regeretur per annos sex, alii fuere consules ordinarii in Italia, ubi Maxentius regnabat, alii in reliquo orbe Romano. Qui cum divisim a Fastorum conditoribus propositi non fuerint, res Chronologica per hæc tempora aliqualiter obscuratur. Quare Fasti per annos sex sequentes bifariam dividendi: ac in posteriori columna consules a Maxentio, in priori consules ab aliis designati exhibendi. » Hæc Pagius. Relandus ex Pagio contraxit sexennium illud in breviorem indiculum, quem hic exscribam, præmisso triennio præcedente, uti legitur in opusculo quarti sæculi de Præfectis Urbi apud Bucherium.

Ex opusculo de Præfectis Urbi impresso apud Bucherium.

Anno Æræ Christi.		
304.	Diocletiano IX et Maximiano VIII Prid. Nonas Januarii Aradius Rufinus Præf. Urbi.	
305.	Constantio V et Maximiano V Prid. Id. Febr. Postumius Titianus P. V.	
306.	Constantio VI et Maximiano VI, XIV Kal. April. Annius Anulinus P. V.	
	Coss. in orbe Romano extra Italiam.	Ex Pagio et Relando coss. in Italia sub Maxentio.
307.	*Novies et Constantinus* hoc est Maximianus Herculeus IX et Constantinus.	*Post* VI *consulatum,* id est post sextum consulatum Constantini Chlori, et Galerii Maximiani.
308.	*Decies, et Maximianus VII,* id est Max. Herculius X et Gal. Maximian. VII.	*Maxentius Aug., et Romulus.*
309.	*Post consulatum X et VII,* nempe post consul. Decimum Max. Herculei et Septim. Gal. Maximian.	*Maxentius II et Romulus II.*
310.	*II post cons. X et VII,* scilicet *iterum post consulatum* Decimum Herculei et septimum Gal. Maximian.	*Maxentius III solus.*
311.	*Gallus et Maximianus Aug. VIII.*	*Rufinus et Eusebius.*
312.	Constantinus Aug. II et Licinius Aug. II.	*Maxentius IV solus.*
313.	Constantinus Augustus III et Licinius Aug. III.	
314.	Volusianus et Annianus.	

Hac serie consulum præmissa et comprobata, possumus indagare causam erroris admissi in catalogis, detrahentibus Marcello annos complures pontificatus, quos attribuunt imaginariæ vacationi sedis post obitum Marcellini. Viderant annum postremum pontificis Marcellini signari nono consulatu Diocletiani, et *octavo* collegæ Maximiani Herculei,

quo tempore fuit persecutio. Viderant eumdem Maximianum Herculeum anno 307 gessisse *nonum consulatum*. et anno 308 proxime consequenti gessisse *decimum*, ita ut annus 307 indicaretur per ea verba *Maximiano novies*, et annus 308 *Maximiano decies*. Rursus legerant Marcellum Marcellini successorem inisse pontificatum, postquam imperio abierant Augusti senes Diocletianus et Maximianus. Cum hic non modo Augustus, sed etiam consul procederet ordinarius, et signaret annum 307 et 308, arbitrati sunt initium sedis Marcellini tandiu differri debere, donec Maximianus Herculeus neque Augustus neque consul in Fastis jam appareret: quod primo contigit anno 309, cui nomen datum fuit in orbe Romano extra Italiam *post consulatum* x *Maximiani*. Quadriennium igitur fluens ex anno 304 ad 308, quo observaverunt Maximianum Herculeum adhuc rei Romanæ præesse, et Fastis nomen dare: alienum id tempus putaverunt a pontificatu Marcelli quem constabat electum fuisse post abdicationem ab Augustis senibus Diocletiano et Maximiano insimul factam. Hoc spatium quadriennii cum attribueret vacationi Romanæ sedis vel auctor vel deformator catalogi Liberiani; consequens erat, ut annum unicum, qui supererat ex quinquennio sedis Marcelli cum mensibus VII et diebus XX seu XXV tribueret Marcello: quod præstitit, affirmans eum sedisse *anno uno, mensibus septem, diebus viginti* (aliæ lectiones habent XXV). Erroris igitur causa fuit multiplicitas consulum Orientalium et Occidentalium, et varia appellatio in Italia et extra Italiam, atque iterata depositio, ac reassumptio, dignitatis Augustæ a Maximiano, qui primum abdicaverat anno 304, purpuram deponens Mediolani ante diem X Kal. Mali, sed iterum resumpsit ante anni exitum bis Augustus: rursus deinde dimisso imperio, atque iterum facti pœnitens tertium regressum tentavit, dum Massiliæ obsideretur: ubi et captus mori adactus est anno 310, juxta Idacium, et Victorem in Epitome,

Detecta igitur causa erroris admissi in breviando quinquennio Marcelli, ejusque parte maxima tribuenda sedis vacationi post decessorem, ab illo ut videtur profecti, qui supplevit lacunas catalogi vetustioris (nam et lacuna in fine periochæ Marcellini recognoscitur ab editore Bucherio, et indicatur in notis marginalibus): et expensa per commensum consulatuum veritate epochæ signatæ in picturis S. Pauli, et in vetustioribus Italiæ catalogis inde transcriptis, tribuimus B. Marcello ex die Dominica 21 Maii Christi 304, Diocletiano IX et Maximiano VIII coss. quando ordinatus fuit episcopus Romanus, ad diem 16 Januarii anni 310, ineuntis II post consulatum decimum Maximiani senioris et VII Maximiani Galerii, Romæ vero Maxentio III solo consule, quando martyr effectus est annos V, menses VII, dies XXV.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Rogavit quamdam matronam nomine Priscillam, et fecit cœmeterium via Salaria.* Notarunt pridem scriptores illustres cum Baronio ad Martyrol. die 16 Januarii, et in Annalibus, et cum Aringhio Roma subterr. lib. IV, cap. 28, tres fuisse præstantissimas feminas quæ *Priscillæ* nomine celebres habentur: prima in sacris paginis, nempe Actorum apost. cap. XVIII, aliæ vero duæ in Actis martyrum. Prior illa uxor Aquilæ, apud quos Paulus hospitabatur, ab eodem apostolo memoratur I ad Cor. cap. VI; II ad Timoth. cap. ult., et ad Rom. cap. XVI, descripta vero est in Martyrologio ad diem VIII Idus Julii Altera Priscilla matrona nobilis, uxor Punici, et parens Pudentis senatoris, apud quem hospites apostolos fuisse diximus in vico Patricii, ubi hodie superest titulus Pudentianæ ejusdem Pudentis filiæ (qui et Pastoris dicitur) sepulta fuit via Salaria cum marito: quo etiam delatam fuisse ac reconditam utramque filiam Praxedem et Pudentianam altero Christi sæculo diximus in vita Pii. Ab hæc secunda Priscilla matre istarum virginum dictum fuisse cœmeterium vetustius via Salaria cognoscimus ex antea narratis depositionibus, et gestis sanctorum. Occasionem quoque loci deligendi retulimus ad agrum suburbanum ejus Priscillæ proprium, et proximum cryptis Ostriani: in quibus apostolorum Principem aliquando baptizasse non longe a ripa Anienis, viam Salariam ibi secantis, et paulo post influentis in Tiberim, vetusta monumenta testantur. Tertia denique Priscilla perinde illustris illa est, quam æqualem Marcello papæ exhibent Acta ejusdem pontificis, et ex iis Bibliothecarius: quæ veteris Priscillæ cœmeterio suum addidit rogatu Marcelli. Occasio istius additamenti et amplificationi facile intelligitur ex dictis in Marcellino. Cum enim ductus regione loci, a beato Petro inter cæteros allecti ad baptisma administrandum, et frequentati a subsecutis martyribus, atque (ut videtur) satis tuti et satis ampli ad synaxes fidelium ibidem celebrandas, et ad clerum convocandum, beatus Marcellinus destinasset proximum Pascha (quod tamen suo martyrio prævenit) ibidem celebrare anno 304, placuit Marcello presbytero, qui ejusdem funeris curator fuit, statim ac licuit pro Christo occisi reliquias in Foro jacentes colligere, et paulo post electus fuit ipsi successor in sede apostolica, placuit, inquam, tertiæ istius Priscillæ pietatem excitare ad amplificandum novis accessionibus locorum tam celebre cœmeterium. Res peracta est tanta felicitate; ut non modo Marcellus, sed et Silvester, et Liberius, et Siricius pontifices successores, præter innumeros alios fideles, ibidem fuerint reconditi. Quin etiam Liberius vivens spatium ita liberum et amplum nactus est in eo cœmeterio, a tertia Priscilla novis accessionibus ditato (quæ utpote trium cognominum recentior *Novella* videtur appellata ad distinctionem *Senioris* et *Junioris* Priscillæ), ut illius Acta, legenda apud Aringhium lib. IV, cap. 30, memorent a sancto Liberio papa in adnexis partibus cœmeterii *Priscillæ via Salaria*, ubi *Novellæ* et *Ostriani* nomen assumit, baptizatos fuisse uno in Paschate fideles supra quatuor mille. Erat ergo non longe a cœmeterio *Noellæ* (alias *Novellæ*) cœmeterium Ostrianum, ubi Petrus apostolus baptizaverat. Verba Actorum sunt: *Eodem ergo tempore habito consilio baptizavit ibi Liberius episcopus promiscui sexus quatuor millia duodecim, quia non solum Romani, sed et Romanorum finitimi ab eo baptizari optabant.* Comprobatur hoc desiderium finitimorum percipiendi sacramenta a summo pontifice Liberio ex celebri inscriptione piæ mulieris, reperta inter Christianas ecclesiæ Spoletinæ, et relata apud Gruterum fol. MLVII, num. 6, quæ gloriatur confirmationis sacramentum se suscepisse a pontifice Liberio.

D. P.
PICENTIAE
LEGITIMAE
NEOPHYTAE
DIE. V. KAL. SEPT.
CONSIGNATAE
A LIBERIO PAPA
FL. HOSPITIVS
MARITVS
VXORI
BENEMERENTI
DVPLICEM
SARCOPHAGVM
CVM TITVLO
HOC LOCO
...O. E ... I.
POSVIT etc

Ut vero ad Liberii Acta revertar, eorumdem scriptor paulo ante dixerat, Liberium consedisse in cœmeterio *Novellæ*, et clerum urbanum ibidem congre-

gasse, ut communi consilio statueretur, ubinam esset administrandum baptisma electis in Christo renasci cupientibus per proxima festa paschalia; deinde subdit; « Tunc Liberius cœpit Constantium publice redarguere... Unde Constantius, vehementer iratus, hunc extra civitatem quasi in exsilium deportari præcepit: et habitavit extra milliario tertio in cœmeterio quod dicitur Novellæ via Salaria, etc. Eodem tempore appropinquante solemnitate paschali, qua in Christo renasci omnes exoptabant, convocavit Liberius Urbis episcopus universos catholicos ecclesiasticos gradus, sedensque in cœmeterio supradicto sic loqui orsus est: *Dies tribulationis, et angustiæ, fratres charissimi, emerserunt: in quibus navis Petri ventis insurgentibus perturbata, tanquam Christo dormiente naufragium pertimescit*, etc. *Necesse itaque est ut Dominum clamoribus excitemus*, etc. *Ego interim, fratres vobiscum esse nequeo præsentia corporali; habetis autem vicarium fratrem, et compresbyterum Damasum, virum, utique fidelissimum, et cunctis virtutibus adornatum cujus prudentiam et constantiam mihi publice prædicatis; eo prævio post Deum in cunctis viis vestris utamini. De baptismate autem quid sit agendum decernite; et quo in loco celebrandum est providete; quoniam Paschalis instat solemnitas, in qua multi baptizari disiderant.* Respondit Dionysius presbyter, et ait: *Præsul sancte et innocens, confice chrisma in nomine illius quem publice prædicas, et celebrabimus baptismum.* Respondit Damasus vicarius et dixit: *Certi esse possumus, quia non relinquet Dominus plebem suam, cum qua usque ad finem mundi permansurum se esse promisit. Exhibe nobis ad præsens celebrare Pascha. Ego in humilitate loquor: onus enim quod super te bajulas, nos sublevare non possumus, quia ignoras ubi baptizes. Nonne Joannes in deserto baptizabat? Patres quoque nostri in typo baptismi per medium mare transierunt: nam et in fluminibus et in paludibus, maxime instante necessitate, convenit baptizare.* Hunc sermonem cum gaudio suscepit Liberius episcopus, ita ut præ gaudio fieret. Audiens autem per os beati Damasi, quem vicarium ipse deligerat, divinum consilium, conversus ad eum dixit: *Eris major ministrorum, sicut ille qui baptismum instituit.* Et ad clerum de illo ait: *Qui est vester minor major fiat, et qui se humiliat exaltabitur.* Cum enim esset pontifex prophetavit quod beatus Damasus præeminentia humilitatis et vigilantiæ ad culmen sedis apostolicæ esset quandoque provehendus. » His dictis decernitur in proximo cœmeterio Ostriano, ubi Petrus apostolus baptizaverat, esse administrandum baptismum in Paschate jam appetente: ubi quatuor millia promiscui sexus dicuntur salutaris lavacri gratiam suscepisse.

Describendum duxi cum Aringhio integrum hunc locum gestorum sub Liberio, ut plura comprobarem, quorum nonnulla et ipse adnotavit. Primum illud observat, cœmeterium Novellæ, ad tertium ab Urbe lapidem via Salaria occurrens, esse partem cœmeterii Priscillæ, quod positum eadem via distat pari intervallo ab Urbis pomœrio. Alterum est, consuevisse Romanos pontifices tempore persecutionum sese recipere cum plebe fidelium in cryptas cœmeteriorum ad sacra obeunda, præsertim vero ad sacramenta baptismi et eucharistiæ compluribus eroganda. Tertium addam de Vicario juxta consuetudinem a Romanis pontificibus electo, dum præviderent in sacris præsertim Paschalibus sese præsentes minime reddituros cœtui fidelium, vel in exsilium actos a persecutoribus, vel alia necessitate coactos abscedere. Quartum denique illud sit, ut cum latebræ in persecutionibus, essent quærendæ, tum ad concilia, tum ad synaxes caute celebrandas, quæsitum fuisse locum conventui aptum spatii extensione et opportunum præsumpta securitate. Hanc vero cur Marcellinus præsumeret in Priscillæ via Salaria ita considero.

Ante Zephyrinum solebant Romani pontifices ut plurimum habere ordinationes in cœmeterio Vaticano, ibique recondi cum vita perfuncti essent apud S Petrum. Statim vero ac loci celebritas paulo evidentior ethnicis facta est sub Antoninis contra nos mitius agentibus, evasit jam nimis vulgata atque exposita in proxima persecutione sub Severo principe. Quare Zephyrinus et Callistus ad viam Appiam, triumphali fere ex diametro oppositam (in qua Vaticanum cœmeterium occurrit) nova cœmeteria simul et concilia martyrum aperuerunt: ubi synaxes egerunt et baptisma subinde administrarunt Urbanus, Pontianus, Cornelius, Stephanus. Legimus etiam supra num. 22 per hæc tempora in hoc cœmeterium perlata fuisse corpora SS. apostolorum Petri et Pauli: quod interpretatus sum idcirco præstitum, ut de more ordinationes haberentur ubi corpus asservabatur Principis apostolorum. Fabianus autem cum *multas fabricas per cœmeteria fieri curasset*, ut in ejus numero affirmat Bibliothecarius, catacumbas et concilia martyrum in cœmeterio Callisti videtur nimium nota reddidisse. Percrebruit ita sub Cornelio ac Stephano ejus proximis successoribus notitia cœmeterii Callisti ad catacumbas, ut Stephanus ipse pontifex deprehensus sit a satellitibus persecutorum solemnia mysteriorum ibidem peragens, eique caput amputatum fuerit in sua sede fisdem in cryptis constituta. Novæ igitur latebræ, ac tutiora perfugia quærenda fuerunt Stephani successoribus sub Decio et Valeriano. Tum vero Tusco et Basso consulibus hoc est ipso anno martyrii a Stephano in catacumbis fortiter tolerati legimus corpora SS. apostolorum relata ad pristinas sedes, Petri quidem in Vaticanum, Pauli vero ad viam Ostiensem. Alia quoque cœmeteria adaperta ab his remotiora. Nam legitur sepultus Laurentius im cœmeterio Cyriacæ in agro Verano (*supra* num. 25). Felix via Aurelia milliario 2, ubi et basilicam fecisse traditur (num. 28) *temporibus suis per diversa loca* 342 *martyres manu sua sepelivit*: ubi non abundat connotatum illud *per diversa loca*, quærentibus scilicet diversa cœmeteria ac perfugia sanctis pontificibus in continuata illa serie persecutionum, quæ nimis expositos reperissent fideles, si notiora tantummodo frequentassent. Decumanis tandem fluctibus procellæ a Diocletiano excitatæ Ecclesiam invadentibus novum portum ac stationem ex veteri designare opportunum fuit in cœmeterio Priscillæ via Salaria; quod longe dissitum ab utroque notiori (Vaticano scilicet via Triumphali, et Callisti ac proximis via Appia) a Marcellino et Marcello deligebatur ad conventus fidelium securius peragendos, et administranda Paschalia sacramenta: suadente etiam vicinia cryptarum Ostriani non longe a ripis utriusque fluvii Anienis ac Tiberini, ubi meminerant Petrum aliquando baptizasse, ut præ cæteris opportuna præsenti Ecclesiæ statui sedes illa judicaretur: quæ tota Urbis diametro et suburbiorum a cryptis Callisti removebatur, parique ferme intervallo et fluvii et Urbis interjectione dirimebatur a Vaticanis, et Petri vestigia nihilominus retinebat.

Hæc igitur causa impulisse videtur Marcellinum et Marcellum, ut præferrent indicatum locum via Salaria, et auctores fierent Priscillæ tertiæ, sive Novellæ, ad fundum suum, vetustioris Priscillæ cœmeterio proximum, Ecclesiæ offerendum ad tutiores conventus Christianorum, præsertim in Paschate, ubi lapsi ad pœnitentiam, neophyti ad baptismum erant admittendi.

Linea 4, 5. — *Et fecit cœmet. via Salaria et 25 titulos in urbe Roma constituit quasi diœceses propter baptismum et pœnitentiam multorum qui convertebantur ex paganis, et propter sepulturas martyrum.* Ex adnotatis nuper circa designationem cœmeterii Priscillæ satis percipitur quid sentiendum sit de restituto numero 25 titulorum in urbe Roma per Marcellum, et de constitutione eorumdem ad imaginem Diœcesum; quod luculentius

explicasse videmur in notis ad Dionysium, num. 26, Ægre tulerat Decius Romæ constitui Sacerdotem. Ægre ferebat Decii filius et Valerianus de corona Domini recipi litteras ab episcopis. Quare in clerum tanquam regalis Christi sacerdotii compotem sæviora dirigebant edicta tum ipsi tum successores Augusti usque ad Diocletianum. Neque tamen destiterunt idcirco pontifices Romani intrepidi sedere, imitatione Cornelii ac Stephani, et reparare numerum titulorum, atque ordinare imaginem regalis sacerdotii, quod gerebant in sede Petri. Romanos igitur titulos constanter repararunt, et exegerunt ad summam integram a Petro fundatore constitutam vicium hujusmodi sacerdotalium 25, quidem universitatem sacerdotii Christiani in hoc typo et capite militantis Ecclesiæ significarent. Utrique præcepto Evangelico ex æquo paruerunt : quærendi humiliter latebras tutiores commisso sibi gregi, ne lupos aggredi, et provocare audacia sua quasi humana spe freti culparentur : eodemque tempore muniendi et conservandi non modo Dominicum gregem, sed etiam caulas et ovile ad eum continendum et ordinandum sibi concreditum quando a lupis infestaretur, ne arguerentur a pastorum Principe quasi stationis desertores. Hac vero constantia sacerdotali Marcellus perstitit contra Maxentium, dum novos recessus tutiores conquirit in crytpis Priscillæ adversus persecutores. Implet constanter numerum titulorum, dum caute declinat publicitatem conventuum. Explicat inter fideles Ecclesiæ hierarchiam, dum eosdem protegit objectu latebræ ab ira et insidiis delatorum. Utriusque virtutis præmium Dei gratia consequitur. « Coarctatus enim est (ut in hoc numero prosequitur Bibliothecarius) et tentus, eo quod Ecclesiam ordinaret, comprehensus a Maxentio, ut negaret se esse episcopum, et sacrificiis se humiliaret dæmoniorum. » Perfunctus jam satis humili cautela non provocandi persecutores, constantiam explicat sacerdotis ab iis comprehensus. « Semper enim contemnens, ac deridens, dicta et præcepta Maxentii damnatus est in catabulo, ubi orationibus et jejuniis Domino servire non cessabat. » Constantia sacerdotiis excitat viduæ Lucinæ pietatem ac fortitudinem ad *domum suam offerendam, quam titulum Romanum dedicaret.* Maxentius in Christiano titulo stabulum impie designat : « jussit in eadem Ecclesia iterum plancas exsterni, ut ibidem animalia catabuli congregata starent et ipsis beatus Marcellus deserviret. » Christianus pontifex intrepidus ex æquo pro Christo gerit personam pastoris et bubulci, additque cilicinum amictum tormentis a tyranno illatis, *amictus cilicio defunctus est.* Hac scilicet constantia tuetur titulum Romanum a se dedicatum, quem hodie victor possidet, et sacri corporis sui ex cœmeterio Priscillæ in eumdem translati, præsentia ac patrocinio reddit illustrem. Merito Bibliothecarius retulit in hac postrema persecutione Diocletiani constanter retentum numerum 25 titulorum in urbe Roma, quem Petrus in hujus Ecclesiæ fundatione præceperat designari, eumque describit ordinatum *tanquam diœceses :* ut manisfestum sit, per tria illa priora sæcula persecutionum non minus quam in Ecclesiæ pace quam Constantinus Magnus paulo post attulit, characterem regalis sacerdotii, ejusque universitatis simul et unitatis in hac Romana sede ejusque episcopatu perspicue fuisse custoditum. *Vide notas nostras ad num. Dionysii* 26.

A nus sisti jussit, ut eas curaret, *paleas* sternendo, quo commodius bestiæ quiescerent, ut habet exemplar antiquum, non *plancas.*

Linea 23. — *Lucina vero proscriptione damnata est.* Quod enim donasset bona sua Ecclesiæ, videtur ejusmodi de proscriptione subiisse judicium : nam id edicto imperatoribus vetitum erat. Quam legem Constantinus Maximus de Episc. Cleric. abrogavit.

CIACONII

Linea 11, 12. — *Damnatus est in catabulo.* Catabulum vel cacabulum, locus erat ad continendum et servandum jumenta publica.

Linea 19. — *Plancas externi.* Sanctissimum pontificem in Ecclesiam ab eodem in Lucinæ ædibus consecratam, sed bestiis profanatam impius tyran-

PAGII.

S. Marcellus, natione Romanus, ex patre Benedicto, post interpontificium annorum trium, mensium octo et dierum trium pontifex dictus est, et ordinatus anno trecentesimo octavo, die vigesima septima junii, quæ Dominicalis fuit, sedemque tenuit anno uno, mensibus sex et diebus viginti ; obiit enim die decima sexta mensis Januarii anni trecentesimi decimi, ut docent Liber Pontificalis, Martyrologium Hieronymianum, genuinum Bedæ Martyrologium, et Sacramentarium Gelasii ac Gregorianum. Damasus papa ejus epitaphii, quod exstat apud Baronium auctor dicitur, ex quo eruitur eum a Maxentio in exsilium pulsum esse ; licet enim hic imperii initio, persecutioni finem imposuerit, postea tamen nullum impietatis aut libidinis genus prætermisit, ut tradit Eusebius lib. VIII, cap. 14, donec triennio fere post sancti Marcelli obitum, a Constantino Magno debellatus est. Marcelli viginti quinque titulos Romæ constituisse, seu parochiales ecclesias, propter baptismi et pœnitentiæ administrationem, et propter sepulturas martyrum scribit auctor libri Pontificalis, qui addit eum ordinationes aliquot mense Decembri fecisse presbyterorum viginti sex, et diaconorum duorum ; episcopos vero per diversa loca unum supra viginti ordinasse, ac sepultum esse in cœmeterio Priscillæ via Salaria. Porro licet aliqui, ex eo quod Eusebius in Chronico Marcelli mentionem non faciat, inferant eum diversum non esse a Marcellino, certum tamen videtur ex superius dictis in Marcellino, eos esse duos pontifices inter se diversos.

SOMMIER.

Pax, qua Maxentius permisit ut fruerentur in Urbe Christiani sub initium imperii sui occasionem dedit Marcello promovendi res Ecclesiæ intento zelo, ac sollicita libertate. Huic tribuitur constitutio seu reparatio « viginti quinque ecclesiarum titularium in urbe Roma quasi diœcesum propter baptismum et pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, et propter sepulturam martyrum. » Hos titulos enumerat Ciaconius, etc.

Cura Marcelli pariter intendit ad observantiam canonum pœnitentialium ab iis, qui lapsi fuerant in persecutione. Verum eadem socordia, quæ illos induxerat ad fidem abnegandam, eosdem removit a suscipienda pœnitentia salutari. Conspiraverunt contra sanctum pontificem, inter fideles excitaverunt seditiones, et dissidia, per quæ ad extrema quæque tentanda ac perpetranda proruentes cædibus ita compleverunt Ecclesiam, ut obtruncarent passim quotquot a factione sua alienos invenerant. Tyrannus Maxentius citra examen gestorum exsulare jussit pontificem. Hanc rerum gestarum notitiam debemus Damaso papæ, qui brevibus hæc omnia complexus est in Epigraphe sepulcrali, quam Marcello contexuit, iterato in lucem producta dum Baronius operam dabat Annalibus Ecclesiæ scribendis :

Veridicus rector, lapsos qui crimina flere
Prædixit miseris, fuit omnibus hostis amarus.
Hinc furor, hinc odium : sequitur discordia, lites,
Seditio, cædes : solvuntur fœdera pacis.
Crimen ob alterius, Christum qui in pace negavit,
Finibus expulsus patriæ est feritate tyranni.
Hæc breviter. Damasus voluit comperta referre,
Marcelli meritum populus cognoscere posset.

XXXII. SANCTUS EUSEBIUS.

ANNO CHRISTI 309, CONSTANTINI 4.

32 *Eusebius natione Græcus ex* patre *Medico*, sedit annos duos, mensem unum, dies viginti quinque [a]. *Fuit* autem *temporibus Constantini* [b]. [c] *Sub hujus temporibus inventa est crux Domini nostri Jesu Christi* v *Non. Maii et baptizatus est Judas* qui et *Cyriacus*. Hic [d] hæreticos invenit in urbe Roma, quos vere ad manus impositionem reconciliavit. Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrium: *Presbyteros tredecim, diaconos tres, episcopos per* diversa *loca* numero quatuordecim. Qui etiam *sepultus est in cœmeterio Calixti in* crypta, *via Appia,* VI *Nonas Octobris* [e] *et cessavit episcopatus diebus septem.*

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Eusebius menses IV, dies XVI a XIV Kalendas Maii usque in diem XVI Kalendas Septembris.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B,* mens. 7, d. 16. [b] *a coss. Maxent. IV et Maximi ad Gal. Maximiam. VIII et Licinium* [c] *B, id negat.* [d] *BC, crucis inventor.* [e] *B,* quarto Kal.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 32, *lin.* 1 *et* 2, *A,* menses 2, *AB,* Constantis. *lin.* 4, Quiriacus.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, sedit annos 6. m. 1, d. 3; fuit autem temporibus Constantis. Sub h. t. *lin.* 4, Quiriacus qui eam invenerat. Hic papa hæreticos inv. *lin. ead.,* quos ad manus imp. c. *lin.* 6, loca 14.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, sedit ann. 6, m. 1, d. 3; fuit autem temp. Constantis. *lin.* 4, quos ad manum impositionis rec. *lin.* 7, Calixti via Appia.

A *Apud Holstenium et Schelestratium.*

Lin. 1, *Vat.,* ex Medico. *lin. ead., Cass. et Flor.,* an. 6. *lin.* 2, *Flor.,* dies 3. *lin.* 4, *Flor. et Cass.,* Quiriacus. *lin. ead., Vat. et Flor. sec.,* quos per manus, etc.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, sedit ann. 11, m. 1, dieb. XXV. Fuit autem temporibus Constantis. *lin.* 3, v nonas Maigi. *lin.* 4, quos vero ad manus impositionis reconciliavit.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Lin. 2. — *Ejus temporibus inventa est crux Domini nostri Jesu Christi,* v *Nonas Maii et baptizatus est Judas, qui et Cyriacus.* Abbo floriacensis habet in Eusebio, inventam esse Crucem *a Juda, qui post baptizatus est.* Idem indicat auctor secundi catalogi, et commemoratur hæc historia a Gregorio Turonensi lib. I. cap. 34, ubi de tempore Constantini: « Hujus tempore venerabile crucis Dominicæ lignum per studium Helenæ matris ejus repertum est, prodente Juda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus. » Quibus omnino concinit auctor secundi catalogi. ex quo forsan hæc desumpsit Gregorius Turonensis. Porro negant hujus historiæ veritatem Baronius, et Onuphrius Panvinius cum Gelasio papa, qui eam novellam revelationem vocat.

ALTASERRÆ

Lin. 4. — *Hic hæreticos invenit in urbe Roma, quos vere ad manus impositionem reconciliavit.* Reconciliatio publicorum pœnitentium, et conversorum hæreticorum, pertinet ad episcopum, fitque per manuum impositionem, can. *In cap.,* 50 dist., can. *Quamvis,* 68 dist., can. *Si jubet.* 26, qu. 6. Anastas. in Silvestro: *Et constituit ut presbyterum Arianum resipiscentem non susciperet, nisi episcopus loci designati.* Idem statutum a Siricio. Anastas. in ipsius Vita Sigebert ad an. 387.

BENCINI.

Lin. 2. — *Sub hujus temporibus inventa est crux Domini.* Hæc etiam altera censenda ab amanuensium oscitantia profecta additio, quæ inter gesta S. Sylvestri inserenda est. Helena enim Constantini mater invenit. Hæc Hierosolymis hoc tempore actitare intempestivum erat, cum Syria Maximi tyrannide premeretur. et persecutionis turbine agitaretur, et Macarius Eusebii pontificatus tempore, sub quo inventio facta narratur, nondum esset Hierosolymitanus episcopus; nec Maximinus in Christianos furens libenti voto concedere poterat solemnem crucis inventionem. Hæc vero probant, in additionibus factis, suisque locis inserendis Librum Pontificalem subjacuisse oscitantiæ, aut ignorantiæ quorumdam. Pariter in Marcelli gestis inseruntur hæc verba in quibusdam Anastasianis codicibus, *quorum chirographum cucurrit,* certo spectantia ad Sylvestrum, ubi de concilio Nicæno agitur, ut suo loco dicemus.

BINII ET LABBEI.

Linea 2. — *Sub hujus temporibus inventa est crux Domini.* Cum hoc tempore neque mater Helena, neque filius imperator Constantinus Christianam religionem susceperint, ipsaque crux Dominica post celebratum Nicænum concilium, omnium prope antiquissimorum consensu inventa dicatur, longissime a veritate abest id quod hic auctor libri Pontificalis asserit, crucem Domini sub Eusebio pontifice inventam esse. (Baron., *anno* 311, num. 41.)

BLANCHII.

NOTÆ CHRONOLOGICÆ.

Brevem Eusebii pontificatum quadrimestri spatio et diebus XVI definit catalogus Liberianus ; cujus utrumque terminum cum distincte recenseat, nempe ex die XIV Kal. Maii ad XVI Kal. Septembris, indicat lectionem non sibi constare. Ex die enim 18 Aprilis ad 17 Augusti numerantur menses quatuor vix solidi. Depositio ejusdem Calisti VI Kalendas Octobris, qua colitur, perspicue legitur cum reliquis depositionibus pontificum Romanorum ex membranis quarti sæculi a Bucherio editis (vide *Prolegomena nostra*) : quibus non adversatur dies mortis relata ad 17 Augusti in opusculo I, scilicet in catalogo Liberiano eisdem ex membranis producto. Si electus fuisset successor Marcelli (martyrio coronati die 16 Januarii) mensibus 4 et diebus 16, ante diem 17 Augusti ; caderet dies ejus electionis in sabbatum, Majoris hebdomadæ ipsis Kalendis Aprilis ; cum dies proxima secunda Aprilis esset Dominica Paschæ. Probabile admodum videtur fideles in persecutione Maximiani, a Maxentio in Urbe continuata, curasse, ut Paschalibus mysteriis celebrandis clerus Romanus ea die pontificem eligeret. Eusebius vero, qui jam ordinatus fuerat episcopus biennio ante, et vicario nomine supplevit vices Marcelli in catabulo detenti, quod mox ostendam, aptissimus visus est qui cathedram apostolicam illico impleret. Fuisse biennio ante episcopali ordinatione insignitum Eusebium declarat summa annorum duorum, mensium totidem, ac dierum XXV ipsi tributa in picturis S. Pauli, et in plerisque catalogis inter Prolegomena relatis cum epocha consulari, quam mox expendam. Recte autem statuitur ordinatio die Dominica Pentecostes 21 Maii, seu in triduo Pentecostes 23 Maii anni 308, ex qua memorati anni II, menses II, dies XXV in picturis Leonianis, et in catalogis recensiti, exacte pariantur cum die mortis ex Liberiano Catalogo constituta 17 Augusti anno 310. Quod attinet ad consulatus in Prolegomenis fol. CII, col. 1. versus ex nono ad duodecimum ante finem columnæ ubi legebatur.

Consulum paria	Æræ Chr.
Ex II post coss. Maxim. VII et Dioclet. X	309
ad post coss. X Diocl. Maxim. VII coss. Maxentio III.	310
legendum est	
ex coss. Maximiano VII et Dioclet. X.	308
ad II post coss. Dioclet. X et Maxim. VII, seu Maxentio III solo	310

Postremus enim consulatus vitæ Eusebii cognoscitur ex eo qui primis assignatur ejus proximo successori Melchiadi : cui Catalogus Liberianus attribuit Maximianum VIII solum : et exponitur in opusc. de Præfectis Urbi ejusdem quarti sæculi, cum cæteris edito per Bucherium, esse annus æræ Christi 311, in quo legitur *Maximianus* VII *solus quod fuit mense Septembri Rufino et Eusebio* (verius *Rufio Volusiano et Eusebio*). Si consules anni 311 primi tribuuntur Melchiadi, primum Pascha sui pontificatus Romani sub iis celebranti ; necesse est, ut postremi ad ejus decessorem Eusebium pertinentes sint illi qui proxime eos præcesserunt, nempe coss. anni 310. Notatur autem annus 318 hoc titulo : *Iterum post consulatum Maximiani* X *et Maximiani* VII (in Provinciis), *seu Maxentio* III *solo* (Romæ). Biennio hunc annum antevertunt extra Italiam in orbe Romano *Maximianus senior decies, et Maximianus junior septies coss.*; intra Italiam vero *Maxentius, et Romulus* coss. anni 308. Quare ordinatio episcopalis Eusebii referenda est ad diem Dominicam 23 Maii ejusdem anni 308. Non utique ad episcopatum Romanum ; cum Marcellus in catabulo detentus adhuc viveret, et longo martyrio vitam produxerit ad diem 16 Januarii anno 310, ut in ejusdem numero probatum fuit. Ordinatus est igitur Vicarius exemplo decessorum, ut obiret episcopalia ministeria vice Marcelli, donec isto coronam martyrii assecuto, cleri Romani suffragiis eligeretur successor instante festo Parchali anni 310 Kalendis Aprilis : unde catalogus Liberianus recte auspicatur ejus sedem enumerare definitam, mensibus 4 diebus 16, usque ad diem 17 Augusti, qua obiit : cum cæteri deducant æram episcopalem Eusebii ab ordinatione, nempe ex Dominica Pentecostes 24 Maii anni 308, vel ex triduo Pentecostes absoluto 23 Maii : et qua die exacte numerantur ad diem 17 Augusti ejus emortualem in terris, ac natalitiam in cœlis anni II, menses II, dies XXV.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 2. — *Hujus temporibus invénta est crux Domini nostri Jesu Christi* V *Nonas Maii*. Perioche desumpta ex Catalogo secundo anachronismum continet, quod bona fide Bibliothecarius descripsit, et in Eusebii numerum retulit : cum Dominicæ crucis reperitio contigerit sub Silvestro, ut omnes colligunt cum Baronio ex veterum Patrum testimoniis. Verum auctor secundi Catalogi inventionem Crucis Dominicæ substituit apparitioni ejus cœlestis signi, Constantino exhibitæ antequam confligeret cum Maxentio ; quæ apparitio recte componeretur cum pontificatu Eusebii, si Eusebius papa superfuisset usque ad initium imperii Constantini et annos sex in pontificatu exegisset, quot illi attribuit idem auctor secundi catalogi contra aliorum testimonia : quem tamen Bibliothecarius sequendum non putavit, biennium tantummodo numerans episcopatus Eusebii. In illa temporum perturbatione, quam post obitum Constantii anno 306 per subsequens sexennium induxerant tot Augusti inter se discordes, et consules in Italia diversi a consulibus extra Italiam signatis, quam exhibui in notis chronologicis ad Marcellum mirum videri non debet, scriptorem sexti sæculi incidisse in metachronismum unius vel alterius anni in parianda cum consulatibus epocha apparitionis crucem Domini Constantino repræsentantis ; cum auctor ille ad sexennium extenderet pontificatum Eusebii, Addiscimus ab alio Eusebio, nempe a Cæsariensi, visionem primam spectatam fuisse Constantino per annum 311. Siquidem Constantinus, anno 312, die VI Kal. Novembris victoria potitus est, submerso ad pontem Milvium Maxentio ; contra quem annua expeditione exercitum fuisse per plures constictus tradunt historici videndi apud Pagium ad annum 312, num. 4.

Narravit autem Eusebio Constantinus, visum a se cœleste illud signum antequam aggrederetur annuam illam expeditionem contra Maxentium, statim ac fretus Dei auxilio, quod invocare constituit imitatione paterni exempli Urbem liberaturus ab opressione tyranni, adesse propitium sensit Tum vero apparatus bellici exordium duxit a constructione Labari, cui divinum Christi nomen, et signum crucis sibi monstratæ inclusit : quemadmodum legimus apud Euseb. de Vita Constantini lib. I, cap. 33 et seq. In Latina autem Ecclesia hujus apparitionis memoria recolebatur eadem die 3 Maii, in quam incidit festum inventæ crucis Dominicæ, apud Hierosolymam ab Helena Augusta repertæ multo serius, nempe post celebrationem concilii Nicæni. Siquidem in lectionibus primi Nocturni ejusdem festis in veteribus libris divinorum officiorum adhibitis ante S. Pium V narratur prior illa apparitio, et reservatur secundo Nocturno historia crucis Dominicæ, a B. Helena repertæ, recitanda ex oratione S. Ambrosii de obitu Theodosii. Placet easdem lectiones hic exhibere quemadmodum leguntur impressæ in Breviario Romano ex officina Lucii Antonii Juntæ anno 1562.

» Anno ducentesimo trigesimo sexto a destructione templi, et eversione Jerusalem a Vespasiano, et Tito filio ejus, regnante piissimo et serenissimo Constan-

tino Augusto, sexto anno regni ejus gens multa barbarorum congregata est contra Romanos ad bellum, duce Maxentio. Necdum Constantinus tempore illo Crucis dominicæ acceperat signum. Erat autem cor ejus fiduciam habens in Domino. Nocte eadem vir splendidus apparuit ei, dicens : Constantine, ne timeas ; sed in cœlum respice, et vide signum victoriæ. Evigilans a somno vidit ab orientis parte in cœlo crucis signum fulgore ignito rutilans. Et perterritus tali aspectu vidit angelos sibi astare, dicentes : Constantine, in hoc signo vinces, » etc. Florentinius adnotat in suo veteri Martyrologio apparitionem hanc a Græcis referri ad diem 18 Augusti, inventionem crucis ad diem 3 Maii, exaltationem ad 14 Septembris. Cum igitur officia nostri ritus Romani utriusque historiæ memoriam recolerent die Festo inventionis, auctor secundi catalogi sub epocha prioris confudit secundam ; et utramque cum referret ad initia expeditionis Constantini contra Maxentium, quæ statuenda sunt anno 311, sexennio priori Constantini nondum evoluto a morte patris sui Constantii, illam affixit temporibus Eusebii papæ, quem annos sex exegisse sub Constantino principe persuasum habebat. Bibliothecarius plus justo fidens huic vitiosæ assertioni catalogi, dum transfert in vitam Eusebii, etiam in correcta epocha ejusdem pontificatus retinuit confusionem historiæ inventæ crucis a B. Helena, cum historia primæ apparitionis, quam retrahi posse censebat ad biennium ante victoriam de Maxentio relatam a Constantino.

Linea 7. — *In cœmet. Callisti in crypta via Appia.* Ibidem nunc requiescere testantur Ciaconius, et Pancirolius in sacris Romanæ Ecclesiæ thesauris reconditis : qui etiam observant, ex tot Romanis pontificibus in eodem cœmeterio sepultis solos Eutychianum et Eusebium ibi nunc superesse ; cum cæteri fuerint in Urbem translati, ne barbarorum injuriis illorum reliquiæ paterent. Partes attamen reliquiarum S. Eusebii papæ cum possideat titulus SS. Silvestri et Dionysii, quas recognitas comprobant tabulæ archivi illius monasterii signatæ die 30 Octobr. 1267, aliasque partes memoret idem Pancirol. pag. 663 asservatas in titulo S. Laurentii in Formoso, seu panispernæ ; constat hujus quoque ossa venerabilia non sedis ac reliquorum fuisse præservata a successoribus et in Urbem comportata in excursionibus barbarorum, ac subinde divisa, et partim concessa memoratis ecclesiis urbanis, partim relata ad S. Sebastiani extra muros, non secus ac de B. Fabiani papæ lipsanis diximus in ejusdem notis.

CIACONII.

Linea 2. — *Sub hujus temporibus inventa est crux Domini nostri Jesu Christi.* Non invenitur, qua ratione crux Christi, pontificatu Eusebii inventa sit, cum nihil tunc Constantinus in Syria juris haberet quæ incredibili Maximiani tyrannide premebatur. Insuper Rufinus lib. I, c. 7 et 8 ; Theodoretus lib. I, c. 18 ; Sozomenus lib. II, cap. 1 et 2 ; et Socrates lib. I, cap. 17, id vicesimo fere anno post Nicænum concilium celebratum (quod magis quadrat) factum fuisse tradunt.

Linea 4. — *Hic hæreticos invenit in urbe Roma.* Scilicet Donatistas, duos pœnitentes per solam manuum impositionem Ecclesiæ catholicæ reconciliavit.

PAGII.

Linea 2. — S. Eusebius, natione Græcus, patre Medico, pontificatum adeptus est die quinta Februarii, quæ Dominicalis erat anno trecentesimo tradunt Liber Pontificalis et Auctius Chronicon veterum pontificum, in quibus tamen falso legitur crucem Domini sub Eusebii pontificatu inventam fuisse, cum constet ex antiquis auctoribus non contigisse Dominicæ Crucis inventionem ante tempora concilii Nicæni. De ea inventione post concilium illud hæc leguntur in fine Chronici Eusebii secundum editionem Pontaci : « Helena Constantini mater divinis monita visionibus, beatissimum crucis signum, in quo mundi salus pependit, apud Jerosolymam reperit ; quanquam enim ea verba non reperiantur in plerisque Eusebii mss. codicibus, leguntur tamen in pluribus aliis, et in editionibus anterioribus ; imo hæc inventio iidem fere verbis refertur apud Sulpitium Severum lib. II, Idacium, Adonem et alios ; apud Rufinum lib. VI, cap. 8 ; apud Ambrosium, de obitu Theodosii, apud Sozomenum lib. II, cap. 1 ; apud Theodoretum lib. I, cap. 18, et plures alios ab Arnaldo Pontaco in Notis ad hunc Eusebiani Chronici locum laudatos, in quibus ea inventio ad Nicæni concilii tempora refertur. Præterea Helenam Constantini matrem, sub Eusebio papa Dominicam crucem Jerosolymis invenisse, nulla ratione dici potest cum nihil tum Constantinus in Syria haberet, quæ Maximini tyrannide premebatur, neque adhuc plene in Christum credebat, quod post crucis in cœlo visionem, quæ anno tantum 312 contigit, ardentissime fecit, ideoque hoc tempore Christianam religionem nondum susceperat, sicut nec mater ejus Helena. Denique sub Eusebii pontificatu, Macarius nondum erat episcopus Jerosolymorum, quam Ecclesiam anno tantum 312 regendam succepit, et tamen sub eo facta supponitur S. crucis inventio.

XXXIII. SANCTUS MELCHIADES.

ANNO CHRISTI 311, CONSTANTINI 6.

33 *Miltiades* [a] *natione Afer, sedit annis tribus, mensibus septem,* diebus duodecim [b] *ex die Nonas Julii a consulatu* Maxentii IX usque ad Maximum XI, *qui fuit mense Septembris Volusiano et Rufino consulibus* [c]. *Hic constituit nulla ratione die Dominico, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret quia, hos dies pagani quasi sacrum jejunium celebrabant. Et Manichæi inventi sunt in Urbe ab eodem. Hic fecit ut oblationes consecratæ per ecclesias,* ex consecratu episcopi dirigerentur, *quod declaratur fermentum* [d]. *Hic fecit ordinationem unam per mensem Decembrem :* presbyteros septem [e], diaconos quinque, episcopos per di-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B*, Melchiades. [b] *B*, ann. 2, m. 2, d. 7. [c] *B*, a coss. Gal. Maximini VIII et Licinii ad Constantinum Imp. III et Licin II. [d] *Vide Baron. ad ann. Dom*, 313. [e] *CB*, sex.

versa loca duodecim. Hic sepultus est in cœmeterio Calixti, via Appia, in crypta, III Idus Decembris ; et *cessavit episcopatus* diebus sexdecim.

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Miltiades annis tribus, mensibus sex, diebus octo, a die sexto Nonas Julias a consulatu Maximiano VIII solo, quod fuit mense Septembri, Volusiano et Rufino, usque in III Idus Januarii, Volusiano, et Aniano consulibus.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 33, *lin.* 1, *AB*, Melciades, *A*, d. 7, *B*, d. 21. *lin.* 2, *B*, usque ad Maxentium secundum. *A*, usque ad Maximum V. *lin.* 9 *et* 10, A, IV Idus Decemb.

Ex codice Regio, Mazarino et Thuano.

Lin. 1, Melchiades n. A. sed. ann. 4, m. 7, dies 8 ; fuit autem tempore ex die Non. Julii a consulatu Maxentii. *lin.* 2, ad Max. II. *lin.* 3, hic contituit, ut nulla ratione. *lin.* 5, celebrabant (M., celebrant). Tunc Manichæi i f. i. urbe Roma. Ab eodem die fecit oblationes consecratas per ecclesias, ut ex consecratu episcopi dirig. *lin.* 8, diac. 6. *lin.* 9, in crypta VI Id. D. et c. e. dies 17.

Ex codice Thuano altero.

Lin. 1, Melciades n. A, sedit ann. 4, ex die N. A *lin.* 3, Septembri v. *lin.* 3, quis de fidelibus ag. quia eos d. *lin.* 5, urbe Roma, et ab eodem die fecit oblationes consecratas per eccl. *lin.* 7, ordin. unam, presb. 7, d. 6. *lin.* 9, num. 12. *lin. ead.*, via App. IV Id. D. et c. ep. d. 17.

Apud Holstenium et Schelestratium.

Lin. 1, *Flor.*, Melchiades. *lin. ead.*, *Flor.*, ann 4, mens. 6, dies 8. *lin.* 3, *Vat.*, ut nulla. *lin.* 5, *Flor.*, tunc inventi sunt. *lin.* 5, 6, *Vat. minor.*, eodem die fecit, ut oblat., etc. *lin.* 6, *Flor.*, et consecrata, *lege autem* ex consecratu. *lin.* 9, Flor., XI.

Apud Peniam ex codice Cavensi.

Lin. 1, Meltiades nat. Affer, sedit annis III, m. VII, diebus XII. *lin.* 2, usque ad Maximum II. *lin.* 5, inventi sunt in Urbe ; ab eodem die fecit oblationes consecratas. *lin.* 9 *et* 10, in crypta IIII Idus Decembr.

NOTÆ VARIORUM.

A SCHELESTRATE.

Linea 6. — *Consecratum..... quod declaratur fermentum.* Ob disciplinam arcani Eucharistia hoc loco fermentum vocatur, ut dissertatione ea de re edita monstravimus. Eucharistiam namque episcopis et presbyteris ad urbem venientibus mittere consueverant pontifices, ut testatur D. Irenæus apud Eusebium lib. v. cap. 24.

ALTASERRÆ.

Linea 6. — *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* A Melchiade decretum, ut fermentum, id est panis fermentatus benedictus ab episcopo vice eulogiæ mitteretur per Ecclesias in symbolum communionis. De quo Anast. infr. in Siricio.

BENCINI

Linea 6. — *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias.* Istiusmodi solemnis per Ecclesias Urbis consecratio, et solemnior Eucharistiæ missio durante adhuc nono persecutionis anno. et Ecclesiis ex prioribus edictis fisco addictis, cohærere non videbatur cum temporum circumstantiis, gestisque enarratis. Verum libri Pontificalis narratio optime cum speciali Maxentii indulgentia Romæ, sicut et Africæ, vulgata cohæret, quam Christianis concessit Constantini exemplo, verius metu. Constantinus cum anno 307, imperium suscepisset, « nihil agit prius, quam Christianos cultui, ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima sanctio sanctæ religionis instituta, » (*Ibid.* c. 34, ex Lactantio.) Christiani milites cingulo nudati ex Diocletiani edicto, turmatim Constantini exercitum impleverant. Maxentius, Romana mœnia Christianorum multitudine repleta conspiciens sævitiam occultans ex Eusebio, ne ad Constantinum deficerent, Romæ Ecclesias Christianis restituendas publico edicto decernit. Loca universa ecclesiastica Romano clero fuisse restituta, et Melchiadem delegisse diaconos ad ea recuperanda ex Maxentii rescripto docent Acta eadem prolata in celebri collatione Carthaginensi c. 12, 13, et S. Augustinus in lib. post collat., in quo diluit Donatistarum criminationes Melchiadi impositas, quarum una erat, quod inter B alios diaconos delegerit Stratonem reum traditionis ad loca illa recuperanda : « Recitaverunt etiam alia gesta, ubi Melchiadem legebatur misisse diaconos cum litteris Maxentii imperatoris, et præfecti prætorio ad prætorem Urbis, ut reciperet loca, quæ fuerant a Christianis tempore persecutionis ablata. Ubi etiam Melchiadis crimen penitus nullum appareret : dixerunt superioribus traditionis gestis, traditorem Stratonem fuisse recitatum. » Loca vero fuisse sacra in breviculo ejusdem collationis dicuntur Ecclesiastica. Sic enim ibi : « Et cum his quoque gestis nullum Melchiadis crimen et cognitori, et catholicis defensoribus appareret : dixerunt Donatistæ, Stratonem diaconum, quem cum aliis Melchiades ad recuperanda loca ecclesiastica miserat, superioribus gestis recitatum traditorem ; et ideo volebant etiam Melchiadem crimine traditionis aspergere, quod diacono illo non degradato uteretur. In persecutione autem sua dixerunt, Melchiadem tertium episcopum fuisse ab illo, qui tunc erat, cum C traditio facta esset. » Et dum catholicorum regerit responsionem, et ipsi de restitutis ecclesiasticis locis et a Melchiade recuperatis meminere, aientes : « Etsi demonstretur, quod omnino non demonstrabitur, eumdem Stratonem diaconum tradidisse, quem postea Melchiades ad recuperanda loca ecclesiastica cum aliis diaconis misit ; non continuo Melchiadem isto crimine aspergi, quem potuit persecutio longe facere absentem, ut hoc omnino nesciret, eumque innocentem putaret, quem nemo reum accusando monstraret. » Basilicarum itaque restitutio per Maxentium publicatur ante annum 311, et anno sequenti a Constantino tyrannus profligatur, unde locum tribuit Melchiadi, ut ad antiquum morem easdem restitueret, præcipue in missarum celebratione, et Eucharistiæ deportatione per Ecclesias. Hinc consulto dicit Liber Pontificalis, *fecit*, nec utitur verbo *constituit*, denotando hanc inductam consuetudinem non novam esse, sed pristinæ restaura- D tionem. Mexentium vero tempori inservisse, et a persecutione cessasse metu incusso, non vero ex animi persuasione, suadet altera Africanis Ecclesiis indulgentia proclamata. Dum enim audiret Alexandrum Tyrannum in Africa nova moliri, et imperium adversus Maxentium occupare, illico mittit pacem

Ecclesiis Africæ, persecutionis tempestatem tempe- A rat, imperatque ut Christianis libertas concederetur, de qua Optatus lib. I : « Tempestas persecutionis peracta et definita est. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio libertas Christianis est restituta. » Et infra refert factam etiam restitutionem sacrorum locorum.

Linea 7. — *Quod declaratur fermentum.* Expressio hæc roborat conjecturas Schelestrati probantis in libro de discip. Arcani, Eucharistiam vocatam titulo fermenti, non ad materiam indicandam, quasi hæc esset panis fermentatus, non azymus, sed ad eucharisticum panem explicandum. Series enim verborum antecedentium sunt de consecratione panis eucharistici, ut per se constat. Liber vero Pontificalis, ut denotaret quid esset consecratum episcopi, addit, *quod declaratur fermentum;* quasi diceret : Melchiades, cum ob persecutionem in oratoriis privatis solemnia celebrationis agi non possent, Maxentii edicto in recuperatis ecclesiis, renovavit primum insti- B tutum de consecratione Eucharistiæ facienda ab episcopo, presbyteris præsentibus, quibus *consecratum* dabatur, illud quod apud fideles *fermentum declaratum,* denotabat Eucharistiam, ut ad ecclesias deferentes, populo distribuerent.

BINII ET LABBEI.

Linea 6. — *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecrata episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Locus sane obscurus, ita tamen explicandus : Melchiades pontifex instituit, ut panem fermentatum, a populo, aut presbyteris oblatum, ab episcopis consecratum, singulorum titulorum, aut paræciarum presbyteri in Symbolum catholicæ unionis, ac communionis non modo ipsi acciperent, verum etiam aliis fidelibus sub se constitutis, qui sacratissima Eucharistia non communicassent, certo tempore distribuerent.

(Ex Lab.) linea 7. — *Quod declaratur fermentum.* C Locus, ut videtur, corruptus

BLANCHINI.

NOTÆ CHRONOLOGIÆ

Melchiadis epocha definita annis III, mensibus VII, diebus VII, in picturis integre præservatis in basilica S. Pauli, quibus exacte respondent plerique catalogi supra recensiti in Prolegomenis confirmatur etiam ex consulibus recte assignatis in catalogo Liberiano, et ex eo restituendis in secundo catalogo, atque in textu Anastasii (ubi amanuensium incuria et imperitia multiplices illorum annorum consules suapte natura confusos expressit negligentius ac deformavit) nempe *ex Maximiano* VII *solo, quod fuit mense Septembri Rufio Volusiano* (ita enim nominandus est Italicus ille consul non *Rufinus Volusianus,* ut ante monui num. præcedenti et demonstrabo in notis Chron. ad Silvestrum) nempe ex anno Christi 311, quo primum Pascha D celebratum fuit a Melchiade successore Eusebii vita perfuncti 17 Augusti 310, usque *ad coss. Volusianum et Anianum* anni 314, die 10, Januarii, ejusdem natali, ita declarata in catalogis Liberii et Felicis quarti, necnon in lapide octavi sæculi affixo in porticu ad titulum S. Silvestri in capite : ubi post illa verba :

In nomine Domini hæc est notitia natalitiorum
Sanctorum hic requiescentium

versu secundo *Mensis Januarii* legitur
Die 10 ejusdem mensis Nat. S. Meltiades papæ et mart.

Ex hac igitur die 10 Januarii anni 314, coss. Volusiano et Aniano si recedamus in anteriora tempora per annos III, menses VII, dies VII illius epochæ in Paulinæ basilicæ picturis ævo Leonis Magni consignatos, indicit dies ordinationis ejus ad episcopatum in 4 Junii anni 310, quæ fuit Dominica. Catalogi Liberiani et Felicis IV, præter eosdem annos III numerant menses VI et dies XIII, cum deducant epocham ex die VI Nonas Julias, quæ pariter fuit Dominica apta ordinationi, non minus ac dies 4 Junii, quam indicant rationes ex Paulinis picturis deductæ. Legitur enim in Liberiano : « Miltiades annis III, mensibus VI, diebus VIII, a die sexto Nonas Julias a consulatu Maximiano VII solo (quod fuit mense Septembri Volusiano et Rufino) usque in III Idus Januarii Volusiano et Aniano coss. » Sive igitur ordinatus fuerit episcopus Melchiades die 4 Junii anno 310, et exegerit episcopatus annos III, menses VII, dies VII. sive ordinationem susceperit die 2 Julii ejusdem anni 310, et episcopatus numeret annos III, menses VI, dies VIII, perinde recidit terminus ejus vitæ in 10 Januarii anni 314. Constabit etiam eum sedisse vicario nomine ex die ordinationis ad mortem Eusebii, eodem anno 310 subsecutam sub Maxentio die 18 Augusti, et aliquot diebus ab illius martyrio proximis electum fuisse successorem tam juxta æram catalogi Liberiani, quam juxta epocham picturarum basilicæ S. Pauli, quatuor tantum hebdomadibus invicem dissitas.

Anno 312. Constantino Augusto II, et Licinio Aug. II coss. antequam Maxentius mense Octobri a Constantino profligatus in Tiberim deturbaretur, cum sæva persecutione Christianos vexaret, imo toti tyrannis quot militibus perdendam Urbem contraderet (uti probat card. Baronius ad annum 312, numeris 8 et 9) Melchiades Silvestrum ordinavit, in persecutione tam dira necessarium sibi adjutorem ac Vicarium constituens die Dominica 10 Februarii, ut in sequenti numero declarabo. Sedit igitur Melchiades vicarius Eusebii ex die 4 Junii, vel 2 Julii anni 310, ad finem circiter mensis Augusti ejusdem anni, et inde electus successor sedit Romanus pontifex usque ad 10 Januarii anni 314.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 3. — *Hic constituit nulla ratione die Dominico, aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret quia,* etc. Quærent vitarum expositores, nec satis declarari adhuc putant, quænam fuerint jejunia ethnicorum die Dominica, et feria quinta, quæ traditur hic Christianis interdixisse Melchiades, ne cum superstitiosis illis cultui dæmonum impie dicatis casta nostra confunderentur, veræ religionis documento a Christo Domino, et ab apostolis instituta. Hactenus demonstrarunt perspicue adversus calumnias sectariorum ætatis nostræ plurimum interesse inter superstitiosa a Montano adinventa et præscripta jejunia sui Paracleti, et nostra legitime inducta et frequentata tum in Quadragesima, tum per anni circulum, præsertim ab iis qui profitentur juxta probatas regulas Patrum pœnitentis vitæ sanctimoniam : qua de re videndus Baronius ad annum 173, n. 28.

Verum desideratur adhuc notio evidentior, quæ illustret cautelam ac decretum Melchiadis, cavendis, ne putarentur nostra jejunia ab ethnicorum ritibus emanare, si die Dominico, aut feria quinta celebrarentur. Rem, ni fallor, exponunt verba, quæ proxime consequuntur, nempe : *et Manichæi inventi sunt in Urbe ab eodem.* Card. Baronius ad annum 372 observat ex epistola 22 S. Hieronymi versum fuisse Romæ in calumniam jejunantium Christianorum jejunium superstitiosum ejusdem sectæ Manetis : « ita ut quem viderent pallentem atque tristem, miserum et Manichæum vocarent. » Ibidem vero præmisit fuisse Manichæos etiam Diocletiani lege proscriptos multo ante, quam ejusmodi calumnia appeterentur fideles Romæ agentes, vivente scilicet Melchiade, sed nondum ad Petri cathedram provecto. Erant igitur jam tum in Urbe Manichæi : et jure præcavebat Melchiades, ne legitima et sancta nostra jejunia locum facerent calumniæ illorum, qui interpretaturi erant secus nostrorum institutum et praxin, quasi petitam ex Manichæorum superstitiosa abstinentia.

Sed iterum prior quæstio animum pulsat, et exponi a nobis postulat, quid demum commune cum superstitiosis ethnicorum jejuniis haberet abstinentia Manichæorum, ita ut Melchiadi, quasi divinanti futuram calumniam, præcavendum fuerit decreto, excludente diem Dominicam et quintam feriam a solemni catholicorum jejunio, ne crederentur ex manichæorum institutis jejunare. Opportune suggerit causam cautelæ tum temporis necessariæ impressa non multos ante annos Archelai episcopi disputatio adversus Manetem, illius sectæ auctorem, in collectaneis monumentorum Ecclesiæ Græcæ atque Latinæ tum primum editis cum eruditis observationibus a Laurentio Zaccagnio, « doctrina et omnigena ecclesiasticæ eruditionis peritia præfecturam bibliothecæ Vaticanæ promerito: » quo elogio virum illustrem prosequitur clarissimus alter ætatis nostræ scriptor Philippus a Turre episcopus Adriensis, inter præcipuos omnique doctrina ornatos sæculi nostri præsules et ipse enumerandus. In dissert. de Mithra cap. 5, pag. 207, is colligebat ex enuntiato Archelai colloquio adversus Manetem, *hunc Persam ex Corbitio Manem effectum* barbaricæ illius philosophiæ studiosum, quæ apud suos populares vigebat, addidicisse errores Zoroastris et magorum, nempe solis cultum, palingenesim animarum, duo mundi principia, *bonum,* ac *malum genium,* et hujusmodi errorum portenta: quæ involvenda, et commiscenda suscepit distortis ritibus, et dictis, e Christianorum libris a se diligenter conquisitis; ut novas hæreses ex præcedentibus compaginaret. Paternæ vero superstitionis præ cæteris tenax, cultum ignis ac solis professæ, voluit etiam sacris Mithræ initiari. Quare Archelaus episcopus ita hominem alloquitur: « Barbare sacerdos Mithræ, et collusor, solem tantum coles Mithram locorum mysticorum illuminatorem, ut opinaris, et conscium, hoc est quod apud eos ludes (ut reddit Zaccagnius) sive ludius (ut legendum putat episcopus Adriensis) et tanquam elegans minus peragis mysteria. » Tum addit laudatus præsul Adriensis. « Manetes igitur Archelao est *minus* et *ludius,* qui sub ferarum formis more histrionico mysteria Mithræ peragebat, unde et ejus *collusor* dictus. Conjecturam hoc loco addam, quoniam de Manete sermo est. Narrat Plutarchus de Iside et Osiride pag. 369, Persarum magos Zoroastris sententia duos deos statuisse inter se contrarios, *Oromazan,* et *Arimanium,* quorum unus mala, alter bona conferret: interque eos medium coli Mithram, quem idcirco μεσίτην, id est *mediatorem,* seu *intermedium* nuncupabant. Annon igitur a Mithræ sacerdotibus nefaria Manetis doctrina de duobus principiis, uno bono, altero malo fluxit, quam primum Schytianus, deinde Terebinthus, e cujus libris Manes ipse hausit, ipsi docuerunt? Mithra certe Deus ille *mediator* idem est ac *murus,* quem ferebat Manes intermedium inter bonum et malum: de quo in memorata disputatione Archelai pag. 39. Porro Terebinthum seu Buddam sermonem habuisse de duobus principiis cum Mithræ ædituis, et sacerdotibus refert Epiphanius hæresi 68 de Manichæis, num. 3. » His addit eruditissimus præsul descriptionem ritus, quo sacerdotes Mithræ animalium figuras induebant superstitioso lavacro mundati ad animarum transmigrationem spectatoribus suis insinuandam cum erroribus tam hæreticorum, quam ethnicorum ad Manetis asseclas derivatis per cultores Mithræ ac Solis, et permistis sacrilega imitatione rituum Christianorum. Hæc enim scribit. « Verum ad Mithræ initiationes redeo, quæ impio mysteriorum ritu perficiebantur. Is quippe ad imitamentum sanctorum Christianæ religionis sacramentorum compositis per gradus profanæ augurationis teletæ ad sacra capessenda informabantur. Nec ausim secus ea describere, quam ipsismet verbis Tertulliani de præscript. cap. 40: « Tingit et ipse diabolus quosdam utique credentes, et fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit » (in libro quoque de Baptismo cap. 5, initiatos fuisse per lavacrum commemorat): et si adhuc memini Mithra signat illic in frontibus milites suos, celebrat panis oblationem, et imaginem resurrectionis induit, et sub gladio redimit coronam. Ut vero Eucharistiæ imago luculentius adumbraretur *panis, et poculum aquæ* ponebatur, *verbis quibusdam* additis, uti refert Justinus martyr. Apolog. 2, pag. 98 edit GL. Paris. 1615. »

Omissis tamen iis, quæ ad sacramentorum imitationem sacrilegam pertinent, properandum est ad ea, quæ Mithræ cultores, et inter hos Manichæi cum propriæ sectæ auctore Mithræ sacris initiato, ejusque idoli *sacerdote,* ac *eudio,* ita peragebant; ut cavendum fuerit decreto Melchiadis, ne jejunia nostra cum eorumdem abstinentiis viderentur convenire. S. Gregorius Nazianzenus orat. 3 in Julianum pag. 77, tomo I, edit. Paris. 1630: « In sacris Mithræ adhibitos asserit cruciatus, justasque, aut etiam mysticas ustiones: » quod comprobat præsul Adriensis pag. 211, ex Suida et Porphyrio: sed clarius illustrat ex Nonno, et ex Niceta episcopo. « Nonnus (non Elias Cretensis, ut male citat Barthius ad Statii locum in fine libri primi Thebaidos, *Adsis o memor hospitii)* enumerat Gradus tormentorum *octoginta,* quibus probandi erant ii, qui Mithræ sacris initiabantur. Nicetas episcopus apud eumdem Nazianzenum expressius recenset his verbis: « In ipso probationis ingressu per quinquaginta totos dies, eos ferme cruciant, deinde duos dies flagris cædunt, tum in nivem viginti dies immergunt. »

At in codice Græco Laurentianæ, scripto ab annis septingentis, et per V. C. Montfauconium Latine reddito gradus octoginta ita numeratos nobis exhibet pag. 212: « Hujus autem Mithræ mysteriis quædam initiationes sunt maxime apud Chaldæos. Qui Mithræ mysteriis initiantur quibusdam ceu gradibus cruciatus probari solebant: ita ut primum leviore pœnarum genere afficerentur, deinceps vehementiore. Exempli causa: primo initiandos fame affligebant quinquaginta diebus, ac si hæc constanter tolerarent, illos biduo cædi curabant, ac deinceps eodem pœnæ genere singulos exercebant viginti octo diebus: eoque pacto cunctis cruciatibus, si qui initiabantur hæc patientes ferrent, tunc demum perfectiora mysteria edocebantur. » — « Si numerum colligas probationum, quinquaginta scilicet famis, duo flagellationum, repetito eodem pœnæ genere per alios viginti octo dies, ipsosmet octoginta gradus Nonni deprehendes, » etc. Concludit has observationes laudatus præsul attendens, « *Præsidem* ignis terreni esse Mithram seu Solem, qui eum conservat, et fovet, uti putarunt veteres, maxime Persæ. Quos inde nil mirum ejusdem ignis cultum retulisse ad suum præsidem, et conservatorem, Solem videlicet, seu Mithram. » Observat etiam ex Augustino, Manichæos profanare assuetos omnia Christiana sacramenta superstitiosis suis mysteriis ex eorum duce Manete, Mithræ sacris initiato, hanc etiam blasphemiam collegisse, ut Christum Dominum Solem esse, seu Mithram putarent. « Imo Manichæi (inquit pag. 211), quorum nefarium, ducem Mithræ addictum vidimus, Solem qui Mithræ est ipsummet Christum putabant, teste Augustino in Joannem cap. 8, tract. 34, pag. 534. »

Hæc integre fuerunt exscribenda, ut assequeremur, quam provide cavendum fuerit per decreta Melchiadis, ne disciplina Christiani jejunii degeneraret, aut profluxisse putaretur, et propendere in superstitiosa jejunia Mithriacorum, quos inter Manes cooptatus, tradiderat sectariis suis Manichæis, exemplo suo redditis ex ludiis ac mimis Mithræ ludiis ac mimis sacramentorum Christi, errores et superstitiones, confundentes Christum cum Sole et Mithra. Patet etiam cur hoc tempore Maneti proximo (qui sub Probo et Aureliano vixerat ætate Melchiadis, (licet nondum pontificis), hæresis Manichæa serpens

ut cancer, cum fuisset detecta sub Melchiade pontificatum adepto abigenda fuerit in exordio sui regiminis pontificia ejusmodi lege, veterem disciplinam confirmante, ne diebus Dominicis jejunia solemnia peragerentur etiam in septem hebdomadibus Quadragesimæ, a Telesphoro ex traditione in legem scriptam redactis, neve quinta feria in jejuniis initiandorum per quatuor anni tempora extra quadragesimam indictis, ut supra legimus in numero Callisti, includeretur. Quinquaginta enim gradus primi probationis Mithriacorum totidem erant dies continuatæ abstinentiæ per septem hebdomadas, *per quinquaginta totos dies eos fame cruciant,* ait Nicetas apud Nazianzenum. Septem hebdomades nostri jejunii ab apostolis traditi exemplo Dominico, et per Telesphorum scripta lege constabiliti, videri poterant quinquaginta illi primi gradus probationis Mithriacorum, præsertim si ut a Manete Solis cultore illa institutio suscepta fuerat, frequentaretur etiam a Manichæis Solem colentibus impie confusum cum Christo Domino. Huic periculo scelestæ persuasionis et confusionis quod præsentius remedium opponeret Melchiades statim ac detexit in Urbe Manichæos ? Decretum scilicet opponendum censuit veteris disciplinæ apostolicæ, castum ritum, et causam secernens a superstitiosis inventis Mithriacorum et Manichæorum. Septem, inquit, hebdomades nostri jejunii ne unquam credantur esse totidem hebdomades in dies quinquaginta probationis a Mithriacis explicatæ aut deformatæ. Quadraginta enim sunt dies jejunii rite per pontifices Christianos Deo dicati sub exemplis Domini et prophetarum. Cum his non accenseantur septem dies Dominici singulas hebdomadas inchoantes, qui cum præferant memoriam Resurrectionis Christi in quovis circulo hebdomadario, nefas est eosdem deputari jejunio, indicio passionis. Ita et jejunium aliud solemne a Patribus perinde traditum, et a Callisto mandatum litteris per singulas anni tempestates, ut eædem singillatim datori omnium bonorum Domino consecrentur, continetur feriis quarta, sexta, et sabbato, Passioni Dominicæ idcirco speciatim attributis, quod concilium ejus tradenti feria 4, mors Feria 6, sabbato sepultura contigerit. Feria vero quinta statis hisce jejuniis more majorum non includitur ; nam vesperæ, ejusdem diei, quando passio in horto inchoata est, referuntur more patrio divinæ legis ad feriam 6 subsequentem. Vitemus itaque, ait Melchiades, etiam in his novitatem atque confusionem cum profano cultu, sive occasionem falsæ persuasionis, apud Ethnicos facile prodituræ ex continuata serie tridui Ethnicorum in sæcularibus ipsorum sacris, ut vocant, hoc est superstitionibus, celebrati jejunio et pervigiliis accommodatis ad inanium deorum suorum fabulas. Servetur interrupta illa norma jejunii per ferias a Patribus nobis assignatas, quibus clare demonstretur, nostræ consuetudinis instituta nihil habere commune cum Solis et Mithræ cultu, aut cum Christo Manichæorum cum Sole confuso ; sed in nostri forma jejunii solum a nobis Deum unice coli Jesum Christum Filium Dei, Solis, Cœli, Terræ, rerumque omnium ac temporum conditorem cum Patre ac Spiritu, eumque Christum nos fateri pro nobis in carne passum hæc jejunia præmonstrasse exemplo, ac dedicasse merito suæ Passionis. Periculo ita submoto confusionis Christianorum catholici ac veri dogmatis cum perverso Manichæorum, atque Ethnicorum, castam jejunii disciplinam, qualem a majoribus acceperat providenter servavit Melchiades, et in illa consignavit apertam Fidei nostræ professionem, ut e diametro opposita semper agnosceretur superstitionibus Ethnicorum, et dolosæ transformationi corruptæ fidei Manichæorum. Quare jure fuit a Bibliothecario enumeranda inter decreta pontificum Romanorum solemnis hæc declaratio, quæ ad indicta omnibus Christianis jejunia pertinet (nam privatorum abstinentiæ, quæ pœnitentiæ tantum causa, non mysterii, a singulis fidelibus pro lubitu et indigentia assumi permittitur alia norma prescripta est) : sive cum Eleutherius opponeret hæresibus Basilidis et Carpocratis, duo rerum principia statuentibus *boni et mali,* eaque referentibus inter deos, et animorum transmigrationem commentis, et idcirco superstitiose abstinentibus a cibis quibusdam et animantibus, quæ ad Creatorem mali seu malum principium per illas referebantur, promulgans legem indiscrete adhibendi ad usum communem quodcunque esculentum, ut supra legimus numero 14 ; sive cum Melchiades constitueret, ne solemnia Ecclesiæ jejunia deformarentur et variarentur a veteri instituto, excludente diem Dominicam ab illo numero etiam in quadragesima, et per quatuor anni tempestates eximente feriam quintam a triduo jejunii, Deo semper offerendi, non secus ac publicas preces, per legitimos pontifices Deo dicatas, per fidem exercitam memoria passionis ac Resurrectionis Christi Domini.

Hæc provida Melchiadis cura nisi præcessisset, quam putamus confusionem suborituram fuisse de catholicorum imaginario consensu cum disparato cultu Manichæorum et Mithriacorum ? cum sola temporis affinitas in septem hebdomadibus jejunio deputandis apud catholicos, dum Mithriaci præscriberent dies quinquaginta famis tolerandæ Solis cultoribus, sensim induceret ætate Hieronymi, a Melchiade non disjuncta integra sæculo, pruritum referendi inter Manichæos Solis ac Mitræ cultores, cum suo duce Christi nomen eidem sceleste affigente, quotquot a jejunio pallentes ac maceratos conspicerent.

Constat igitur ratio decreti sub Melchiade conditi et causa ejusdem illico interponendi postquam in Urbe detecta est secta Manichæorum. Quare et in contextu Bibliothecarii una eademque periodo illa continetur, quæ spectat ad Mithriacos, per particulam causalem *quia* ; dum legimus : « Hic constituit nulla ratione die Dominico aut Feria 5 jejunium quis fidelium ageret quia hos dies pagani, tanquam sacrum jejunium celebrabant : » altera vero causa respiciens Manichæos, a paganorum Mithriacis suas superstitiones edoctos, proxime redditur commate, ab eadem periodo fortasse non disjungendo, verbis quæ subsequuntur ita concepto, *et Manichæi inventi sunt in urbe Roma ab eodem.*

CIACONII.

Linea 6. — *Hic fecit, ut oblationes consecratæ per Ecclesias, ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Miltiades pontificatu suo multos hæreticos Donatistas Romæ delitescere comperit, ideoque ut dignoscerentur et distinguerentur a catholicis, et morbidum pecus a sano, instituit panem fermentatum benedictum, quo, ob communicationis symbolum, ab episcopo impertirentur cuncti parochiales presbyteri, qui eumdem sub se constitutis fidelibus distribuerent, certis diebus. Appellabatur autem fermentum, ad distinctionem azymi panis, ex quo soleret confici Eucharistia ? dictumque est Sacramentum, quod esset episcopali benedictione sacratum. Hic ritus perseverat apud Græcos inviolatus

PAGII.

Schisma Donatistarum, cujus initium plerique omnes cum Baronio, ad annum trecentesimum sextum revocant, anno tantum trecentesimo duodecimo inchoatum est, postquam pax Africanæ Ecclesiæ reddita fuit a Maxentio : « Tempestas persecutionis, ait Optatus lib. 1 contra Parmenianum, peracta et definita est. Jubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. Botrus et Celeusius, ut dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes operam dederunt, ut absentibus Numidis, soli vicini episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur, et

manus imponente Felice Aptungintano episcopo, ordinatur. » etc. Persecutioni autem in Africa finis impositus est anno tantum 312, ut probat Adnotator Baronii. Botrus et Celeusius, cum spe sua se dejectos viderent, conjurare adversus Cæcilianum, ordinatum episcopum Carthaginensem, cœperunt, et adhibita in societatem Lucilla, potentissima femina, Cæciliano infensa, ac senioribus plebis catholicæ, quibus Mensurius, Cæciliani decessor, ornamenta Ecclesiæ commendaverat, episcopos Numidiæ, qui non mediocrem injuriam sibi factam putabant, quod ad Cæciliani ordinationem evocati non fuissent, Carthaginem convenire curarunt, qui numero septuaginta congregati, Cæcilianum absentem, quod evocatus venire noluisset, damnaverunt; duo crimina illi objicientes. Primum quod a traditoribus ordinatus fuisset episcopus; deinde quod cum esset diaconus, victum afferri martyribus in custodia positis prohibuisset. Post hæc in locum Cæciliani Majorinum ordinarunt episcopum in gratiam Lucillæ, cujus domesticus erat. Hoc est initium schismatis Donatistarum, sic dictorum a Donato a Casis Nigris episcopo, Majorini ordinatore, quem Augustinus in Breviario Collationis tertiæ, et in libro Retractationum scribit, Cæciliano adhuc diacono schisma fecisse Carthagine, ejusque facinoris reum postea convictum fuisse in synodo Romana sedente Melchiade. Sed quoniam in ordinatione Cæciliani vehementius erupit, idcirco schismatis initium ab illa ordinatione desumitur.

Schismatici adversus Cæcilianum scripserunt libellos, et Anulinum Africæ proconsulem interpellarunt, ut eos ad Constantinum, tunc in Galliis agentem, mitteret, quibus eum rogabant, ut de Gallia judices dari præciperet. Imperator lectis Donatistarum libellis, subiracunde respondit, teste Optato Milevitano: « Petitis a me in sæculo judicium, cum ego ipse Christi judicium exspectem. » Dedit tamen judices Maternum Agrippinensem; Rheticium Augustodunensem et Marinum Arelatensem episcopos, qui cum Melchiade papa, et aliis episcopis Italis ab ipso deligendis causam Cæciliani indicarent.

Congregata est Romæ synodus, die secunda Octobris, feria sexta, ideoque anno Christi trecentesimo decimo tertio, in domo Faustæ in Laterano. Ei præfuit Melchiades, cui assidebant tres præfati episcopi et quindecim Itali. In Donatum a Casis nigris lata sententia est suffragantibus universis, « quod confessus sit rebaptizasse, et episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est. Testes inducti a Donato confessi sunt se non habere quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium supramemoratorum sententiis innocens est pronuntiatus, etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est his verbis: Cum constiterit Cæcilianum ab iis, qui cum Donato venerant, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit, suæ communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse censeo. » Referuntur hæc ob Optato Milevitano lib. I adversus Parmenianum, qui alteram partem sententiæ, de damnatione scilicet Donati, et de susceptione episcoporum partis Majorini prætermisit. Huic Synodo Marcus presbyter, postea, sancto Silvestro mortuo, Romanus pontifex, interfuit, ut videre est apud Valesium in Notis ad librum X Eusebii cap. 8, et in Critica Baronii anno 313. Ferunt tum Donatistas condemnatos, a sententia episcoporum concilii ad Imperatorem appellasse, dictumque a Constantino, cum id accepit: « O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentilium geri solet appellationem interposuerunt. » Disputatur inter doctos, num hæc ad imperatorem appellatio facta fuerit in hoc Romano, an in Arelatensi concilio sub Silvestro.

Porro Donatus a Casis nigris confessus est se rebaptizasse et episcopis lapsis manum imposuisse, quia schisma Donatistarum in hæresim evaserat, cujus hi præcipui errores. Primo baptismum extra Ecclesiam collatum nullum esse contendebant, et quia Ecclesiam intra suam sectam coarctabant, ideo catholicos a se deceptos, suoque schismati implicitos rebaptizabant. Secundo, Ecclesiam in cæteris orbis regionibus traditorum contagio, malorumque communione periisse asserebant, et in Africa remansisse in sola parte Donati, ideoque episcopis lapsis manus de novo imponebant. Tertio tandem Ecclesiam catholicam meretricem vocabant, ut refert S. Augustinus in Concione de gestis cum Emerito. Qui plura cupit de schismate Donatistarum, legat dissertationem ab Henrico Valesio de eo editam, Eusebii editioni subjunctam.

SOMMIER.

Linea 2. — *A consulatu Maxentii* IX. Cum finem accepisset in Africa persecutio circa annum 311, episcopis Carthaginensis provinciæ liberum fuit in ea metropoli convenire ad eligendum Mensurii episcopi successorem. Inseritur hic pars aliqua historiæ Ecclesiæ Africanæ: connexa cum sit historiæ Romanæ sedis. Cæcilianus igitur Carthaginensis Ecclesiæ diaconus canonice electus et consecratus fuit episcopus cleri suffragiis, totius populi accedente consensu. Contra hunc legitime electum et rite consecratum seditiosorum factio partim ambitione, partim avaritiæ studio seducta, se ita audacter erexit, ut episcopum recognoscere detrectaret. Convocavit Carthaginem episcopos aliquot Numidiæ, et vicinarum regionum numero septuaginta, ægre ferentes ad eam electionem se non fuisse vocatos. Hi veluti ad concilium congregati, cum ad eum conventum se sistere Cæcilianus renuisset, ejus ordinationem esse nullam declarant, et Majorinum in ejus locum substituunt. Datis subinde litteris ad universas Ecclesias Africanas suadebant, ut a communione Cæciliani recederent, et ad Majorinum deficerent, a se promotum. Talis origo est schismatis Donatistarum.

Verum duo magni Ecclesiæ Africanæ episcopi nempe Optatus Milevitanus et Augustinus, qui scripserunt sæculo integro ab illa seditione nondum penitus consopita, sed ad ipsorum ætatem adhuc continuata, testantur id esse constanter indicium eamque tesseram, unde schismatici semper detecti sunt atque hæretici; nempe, quod se subduxerint ac separaverint ab unione cum Ecclesia Romana: « Quære harum originem rerum; et invenies hanc te in vos dixisse sententiam, cum schismaticis hæreticos sociasti. Non enim Cæcilianus exivit a Majorino, avo suo, sed Majorinus a Cæciliano. Nec Cæcilianus recessit a cathedra Petri vel Cypriani, sed Majorinus, cujus tu cathedram sedes, quæ ante ipsum Majorinum originem non habebat. » (Optat. Milevit. advers. Parmenian. *lib.* I.)

« Cæcilianus posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum; cum se videret et Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, et cunctis terris, unde Evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse conjunctum: ubi paratus esset suam causam dicere, si adversarii ejus ab eo illas Ecclesias alienare conarentur. » (S. Augustin. *ep.* 162.)

Hoc negotium revera delatum fuit ad Melchiadem papam Eusebii successorem, post illam rerum conversionem, religionis bono a Deo feliciter partam in Constantini promotione ad imperium.

Hic enim princeps ex victoria sibi divinitus concessa sub auspiciis vivificæ crucis, a se et ab universo exercitu in cœlo spectatæ, confirmatus in ea, qua erga Christianos affectus erat animi propensione, hanc non destitit confestim declarare per edicta, liberum exercitium religionis nostræ, bonorumque omnium restitutionem ejusdem nostræ religionis pro-

fessoribus decernentia. Subinde Augustæ dignitatis auctoritatem interposuit ad componendas domesticas Ecclesiæ perturbationes, ejusdem sanctarum legum patrocinium professus.

Certior itaque factus de seditiosis motibus, quos in Africa suscitaverant Donatistæ, præcepit magistratibus in ea provincia a se constitutis, ut eosdem reprimerent, datisque litteris ad Cæcilianum legitimum episcopum Carthaginensis Ecclesiæ, eumdem certiorem fecit, non defuturos ministros suos opitulari, illorum auxilium ubi imploraret. Certus autem cum esset, schismaticos a se postulaturos, ut apud transmarinos judices causa illorum cum Cæciliano decideretur; imperator *non ausus de causa episcopi judicare* (observante S. Augustino in epist. 166) *eam discutiendam, atque finiendam Episcopis delegavit. Ita vero de eadem* perscripsit ad Melchiadem papam.

« Constantinus Augustus Miltiadæ episcopo Romano, et Marco salutem. Quoniam ejusmodi litteræ complures ab Anulino clarissimo Africæ proconsule ad me missæ sunt, in quibus constat Cæcilianum episcopum civitatis Carthaginensium, a quibusdam collegis suis in Africa ordinatis episcopis, multis de rebus in crimen vocari, et illud mihi molestum videtur, ut in his provinciis, quas divina providentia ultro ac sua sponte sub meum subjunxerit imperium, et in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modo multitudo ad deteriora deflectat, et distrahatur dissidiis, sed episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant · visum est mihi, ut idem Cæcilianus, cum decem episcopis, qui illum reum facere videantur, et decem aliis, quos ipse suæ litis dijudicationi necessarios existimaverit, Romam navigio trajiciat; ut ibi coram vobis, et Reticio etiam, et Materno, et Marino collegis vestris, quos ea de causa Romam maturare jusserim, possit audiri, sicut sanctissima Dei lex, uti nostis, postulat. Atque ut de omnibus hisce plenissimam, accuratissimamque notitiam possitis habere, exemplaria litterarum, ad me ab Anilio missarum, litteris meis subscripta ad vestros prædictos collegas misi. Quas cum vestra gravitas perlegerit, exquisite ponderabit, quomodo, quave ratione, illa quam supra diximus, diligentissime, rectissimeque dirimatur, et ex juris præscripto tandem absolvatur. Quandoquidem illud vestrum studium minime latet, me tantam reverentiam sanctæ et catholicæ Ecclesiæ tribuere, ut velim vos nullum generale schisma, nullam discordiam in ullo loco omnino relinquere. Summa magni Dei majestas vos, honoratissimi viri, multis annis conservet. » (Apud Euseb. *Hist.* lib. x, cap. 55.)

Utriusque partis viri Romam cum advenissent, ubi pariter aderant tres illi Galliarum episcopi in Constantini litteris memorati, necnon alii quindecim ex Italia antistites, concilium celebratum fuit sub auctoritate Melchiadis papæ. « Melchiade apostolicæ sedis episcopo præsidente Reticius cum aliis judex interfuit » (S. Aug., lib. I *contr. Jul.*, cap. 2). « Convenerunt in domum Faustæ in Laterano Constantino III et Licinio III coss. VI Non. Octobr. die feria sexta. » Opt. Milev. lib. I, etc. « Cæcilianus omnium supramemoratorum sententiis innocens est pronuntiatus: etiam Miltiadis sententia, qua judicium clausum est his verbis: Cum constiterit Cæcilianum ab iis qui cum Donato venerunt, juxta promissionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit: suæ communioni ecclesiasticæ integro statu retinendum merito esse sentio. » (Opt. *contr. Parmen.* lib. I.)

« Qualis ipsius beati Melchiadis ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constiterat, de collegio suo ausus est removere: et Donato solo, quem totius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperandæ optionem liberam fecit: cæteris paratus litteras communicatorias mittere, etiam iis, quos a Majorino ordinatos esse constaret: ita ut quibuscunque locis duo essent episcopi, quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordinatus prior: alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur, etc. O virum optimum? O filium Christianæ pacis, et patrem Christianæ plebis! » (S. Aug. *epist.* 163.)

XXXIV. SANCTUS SILVESTER.

ANNO CHRISTI 314, CONSTANTINI 9.

34. *Silvester, natione Romanus, ex patre Rufino,* sedit annis viginti tribus, mensibus decem, diebus duodecim[a]. [b] *Fuit autem temporibus Constantini et Volusiani ex die Kalendarum Februariarum usque ad diem Kalendarum Januariarum. Constantio* [c], *et Volusiano consulibus.* [d] *Hic in exsilio fuit in montem Soractem persecutione Constantini concussus, et postmodum rediens cum gloria, baptizavit Constantinum Augustum, quem curavit Dominus per* baptismum *a lepra,* cujus persecutionem primo fugiens, in exsilio fuisse cognoscitur.

Hic fecit in urbe Roma ecclesiam in prædio cujusdam presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius, quem titulum Romanum constituit, juxta Thermas Domitianas, qui usque in hodiernum diem appellatur titulus Equitii, ubi et hæc dona constituit: patenam argenteam, pensantem libras XX, et dono Augusti Constantini. Donavit autem scyphos argenteos duos, qui pensaverunt singuli libras denas; calicem aureum, pensantem libras duas; calices ministeriales quinque, pen-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *B,* ann. 21, m. 10 p. 1. [b] *B,* a coss. Volus. et Aniani ad Constantium et Albinum. [c] *C,* Constantino. [d] *Vide Baron. ad ann. Dom.* 324.

santes singuli libras binas ; amas argenteas duas, pensantès singulæ libras denas ; patenam argenteam chrismalem auro clusam [a] pensantem libras quinque ; phara [b] coronata X, pensantes sing. lib. octonas ; phara ærea XX, pensantes singula libras denas ; canthara cerostrata XII ærea, pens. singula libras tricenas ; fundum Valerianum in territorio Sabinensi, qui præstat sol. LXXX [c] ; fundum statianum in territorio Sabinensi, qui præstat sol. 55 ; fundum Duas Casas in territorio Sabinensi, qui præstat sol. XL; fundum Percilianum territorio Sabinensi, qui præstat sol. XX ; fundum Corbitanum territorio Corano, qui præstat sol. XL [d] ; domum in Urbe cum balneo Sicinini regione, quæ præstat sol. LXXXV; hortum intra urbem Romam in regione Adduoframantes [e] qui præstat sol. XV ; domum in regione Roffea [f] intra Urbem, quæ præstat sol. LVIII et tremis [g].

CATALOGUS SUB LIBERIO.

Silvester annis viginti uno, mensibus undecim. Fuit temporibus Constantini, a Consulu Volusiani et Aniani, ex die pridie Kalendas Februarii, usque in diem pridie Kalendarum Januariarum, Constantino et Albino consulibus.

35. *Hic fecit constitutum de omni Ecclesia. Etiam hujus temporibus factum est concilium cum ejus consensu in Nicæa Bithyniæ* [h] *, et congregati sunt trecenti decem et octo episcopi catholici, et quorum chirographum cucurrit, alii imbecilles ducenti octo, qui exposuerunt fidem integram, sanctam, catholicam, immaculatam, et damnaverunt Arium, Photinum et Sabellium, vel sequaces eorum. Et in urbe Roma congregavit ipse cum consilio Augusti episcopos ducentos septuaginta septem, et damnavit iterum Calixtum, et Arium, et Fotinum, et Sabellium ; et constituit ut presbyterum* [i] *Arianum resipiscentem non susciperet, nisi episcopus loci designati* [j] *; et chrisma ab episcopo confici ; et privilegium episcopis dedit ut baptizatum consignarent propter hæreticam suasionem. Hic* et hoc *constituit ut baptizatum liniret presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis. Hic constituit ut nullus laicus crimen clerico inferre* audeat. *Hic constituit ut diaconi dalmatica uterentur* in ecclesia et *pallio linostimo* [k] *læva earum tegeretur. Hic constituit ut nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in ecclesia. Hic constituit ut sacrificium altaris non in serico neque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in* linteo ex terreno lino procreato, *sicut corpus Domini nostri Jesu Christi in sindone lintea munda sepultum est, sic missa celebraretur. Hic constituit ut si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, ut esset lector* [l] *annos haberet* XXX, *exorcista dies* XXX, *acolythus annos* XXXV [m], *subdiaconus annos* V, *custos martyrum annos* V [n] *, diaconus annos* XXX *et* VII, *presbyter annos* III, *probatus ex omni parte, etiam et ab his qui sunt foris testimonium habere bonum,* unius uxoris virum, uxorem a sacerdote benedictam. *Et sic ad ordinem episcopatus ascendere, nullum majoris vel prioris locum invadere, nisi ordinem temporum cum pudore cognoscere omnium clericorum votiva* [o] *grata, nullo omnino clerico vel fideli contradicente. Hic ordinationes presbyterorum et diaconorum fecit septem* [p] *per mensem Decembris ; presbyteros* XLII, *diaconos* XXXVII, *episcopos per diversa loca diversis temporibus in urbe Roma numero* LXXV [q] .

36 [r] Hujus temporibus fecit Constantinus Augustus basilicas istas, quas et ornavit : basilicam Constantinianam, ubi posuit ista dona : fastigium argenteum battutile, quod habet in fronte Salvatorem sedentem in sella in pedibus V, pens. libras CXX ; duodecim apostolos in quinis pedibus, qui pensaverunt sin-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, clausam. [b] *C*. Pharos. [c] *C*, 40. [d] *C*, 60. [e] ad duos adamantes. [f] *C*. Orphea. [g] *C*, tremisem. [h] *C*, *Nicænum* I. [i] *C*. presbyter. [j] *C*, designaret eum. [k] Palla linostima [l] *C*, ostiarius an. 30, ector 30. [m] ann. 5, *C*. [n] C, ann. 7. [o] Vota. [p] *C*, 7. [q] C, 65. [r] *Vide Baron. tom. III ad ann. Dom.* 324.

guli libras nonagenas cum coronis argenti purissimi. Item a tergo respiciens in absida Salvatorem sedentem in throno in pedibus quinis ex argento purissimo, qui pens. libras CXL ; angelos quatuor ex argento, qui sunt in pedibus quinis costas cum crucibus tenentes, qui pensaverunt singuli libras CV, cum gemmis alavandinis in oculos. Fastigium ipsum ubi stant angeli vel apostoli pensat libras duo millia viginti quinque ex argento dolatico. Farum [a] ex auro purissimo, quod pendet sub fastigio cum delphinis quinquaginta, qua pens. cum catena sua libras XXV ; coronas quatuor cum delphinis viginti ex auro purissimo pensantes sing. libras XV ; cameram basilicæ ex auro trimme in longum, et in latum in pedibus quingentis ; altaria septem ex argento battuli [b] pens. sing. libras CC ; patenas aureas septem, quæ pensant singulæ libras XXX ; patenas argenteas XIII [c], pensantes singulas libras XXX ; scyphos aureos VII, qui pens. singuli libras decem, scyphum singularem ex metallo corallo, ornatum undique de gemmis prasinis et hyacinthinis, auro interclusum, qui pensat ex omni parte libras viginti et uncias tres ; scyphos argenteos viginti, pẽsantes singulos libras XV ; amas ex auro purissimo duas, pensantes sing. libras quinquaginta portantes sing. medemnos [d] tres ; amas argenteas viginti, quæ pensant singulæ libras decem, portantes singulæ medemnos singulos ; calices minores ex auro purissimo quadraginta, pensantes singulos libras singulas ; calices minores ministeriales quinquaginta pensantes singuli libras binas. Ornamenta in basilica : Farum [e] cantharum ex auro purissimo ante altare in quo ardet oleum nardinum pisticum cum delphinis octoginta, qui pensant libras triginta, ubi candelæ ardent ex oleo nardino pistico in gremio Ecclesiæ. Pharum cantharum argenteum cum delphinis centum et viginti, quod pensat libras quinquaginta, ubi oleum ardet nardinum pisticum ; phara canthara argentea in gremio basilicæ quadraginta pens. singula libras triginta, ubi ardet oleum quod supra. Parte dextra basilicæ. Phara argentea quadraginta pens. singula libras viginti. Phara canthara in læva basilicæ argentea viginti quinque ; pens. singula libras viginti ; canthara cyrostrata in gremio basilicæ argentea quinquaginta, pens. singula libras viginti : singularum librarum metræ [f] tres ex argento purissimo, quæ pensant singulæ libras CCC, portantes singulæ medemnas decem ; candelabra aurichalcha septem ante altaria, quæ sunt in pedibus X, cum ornatu suo ex argento interclusa sigillis prophetarum, pens. singula libras triginta [g]. Quæ constituit in servitio luminum, id est, massam Garilianam in territorio Suessano, præstantem singulis annis solidos quadringentos ; massam Muronicam [h] in territorio suprascripto, præstantem solidos CCCXL [i] ; massam Aurianam territorio Laurentino, præstantem solidos quingentos ; massam urbanam territorio Antiano præstantem solidos ducentos quadraginta ; massam Sentilianam territorio Ardeatino, præstantem solidos ducentos quadraginta massam Castis territorio Catinæ præstantem solidos mille ; massam Trapeam territorio Casinensi, præstant. solidos mille sexcentos et quinquaginta. ; thimiamateria duo ex auro purissimo pens. libras triginta. Donum aromaticum ante altaria annis singulis libras CL. Fontem sanctum, [j] ubi baptizatus est Augustus Constantinus ab eodem episcopo Silvestro. Ipsum sanctum fontem ex metallo [k] porphyretico ex omni parte coopertum, intrinsecus, et foris, et desuper, et quantum aqua continet ex argento purissimo in pedibus V, qui pensavit argenti libras tria millia et octo. In medio fontis columnas porphyreticas, quæ portant phialam auream, ubi candela est, pensans ex auro purissimo libras LII, ubi ardet in diebus Paschæ bal-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, pharum. [b] *C*, purissimo. [c] *C*, 16. [d] *C*, Medimnos. [e] *C*, pharum. [f] *C*, **metretæ.** [g] trecentas. [h] Bauronicam *C*. [i] *C*, 360, [j] *C*, *Baron, ad ann. Dom.* 324, pag. 180. [k] *C*, lapide.

samum lib. CC; nixum[a] vero ex stippa amianti. In labium[b] fontis baptisterii agnum ex auro purissimo fundentem aquam, qui pensat libras XXX. Ad dexteram Agni Salvatorem ex argento purissimo in pedibus V, pens. libras CLXX; in læva Agni beatum Joannem Baptistam ex argento in pedibus V, tenentem titulum scriptum, qui hoc habet : *Ecce Agnus Dei ecce qui tollit peccatum mundi,* pensantem libras centum; cervos ex argento VII, fundentes aquam, qui pensant singuli lib. LXXX[c]; thimiamaterium aureum cum gemmis prasinis et hyacinthinis XLII, pensans libras decem.

37. Donum fontis baptisterii massam Festi præpositi sacri cubiculi, quem donavit Augustus Constantinus præstantem solidos CCC; massam Gaba territorio Gabinensi præstantem solidos CCII; massam Pictas territorio suprascripto præstantem solidos CCV; massam Statibanam[d] territorio Corano præstantem solidos CC; massam intra Sic«liam Taurana territorio Parampniensi præstantem solidos quingentos. Intra Romam domos vel hortos præstantes solidos duo millia ducentos. Fundum Bassi, qui præstat solidos centum viginti; massam Laninam præstantem solidos ducentos; fundum Caculas[e] territorio Momentano præstantem solidos quinquaginta; massam Statianam territorio Sabinorum præstantem solidos CCCL; massam Murinas territorio Appiano Albanensi præstantem solidos CCC; massam Virginis territorio Corano[f] præstantem solidos ducentos. Et transmarina infra partem Africæ; massam Vineis territorio Micaria[g] præstantem solidos octingentos; massam Capsis territorio Capsitano præstantem solidos sexcentos; massam Varia Sardana territorio Monensi præstantem solidos quingentos; massam Cameras territorio Curalupi præstantem solidos CCCCV; massam Mimas[h], territorio Numidiæ præstantem solidos DCCX, massam[i] Baldarioleario territorio Numidiæ præstantes solidos octingentos et decem. Item in Græcia territorio Cretas massam Cefalinam in Creta præstantem solidos quingentos; in Mengaulo massam Amaron præstantem solidos CCXXII.

38. Item his temporibus fecit Augustus Constantinus, ex rogatu Silvestri episcopi, basilicam beato Petro apostolo in templo Apollinis. Cujus loculum cum corpore S. Petri recondidit, ipsum loculum undique ex ære cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput pedes quinque, ad pedes pedes quinque, ad latus dextrum pedes quinque, ad latus sinistrum pedes quinque, subtus pedes quinque, supra pedes quinque. Sic inclusit corpus beati Petri apostoli, et recondidit, et ornavit supra ex columnis porphyreticis, et alias columnas vitineas[j] quas de Græcia perduxit. Fecit autem et cameram basilicæ ex trimma auri fulgentem, et super corpus beatri Petri æs et quod conclusit[k]. Fecit crucem ex auro purissimo, pensantem libras centum quinquaginta. In mensuram loci, ubi scriptum est hoc : Constantinus Augustus et Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscans aula circumdat, scriptum ex litteris puris nigellis in cruce. Fecit autem candelabra aurochalca in pedibus X, numero quatuor argento conclusa cum sigillis argenteis; Actus apostolorum, pensum singuli libras CCC; calices aureos tres cum gemmis prasinis et hiacynthinis singuli, qui habent gemmas XLV, pens. singuli libras XII; metretas argenteas II, pens. lib. CC; calices argenteos viginti pens. sing. lib. X; amas aureas duas pens. sing. lib. X; amas argenteas quinque pens. sing. lib. tres; patenam ex auro purissimo unam cum turre et columba ornatam gemmis prasinis et hyacinthinis, quæ sunt numero cum margaritis albis CCXV, pens. libras triginta; patenas argenteas quinque

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI

[a] *C*, Annexum Myxum. [b] Labro. [c] *C*, 800. [d] Statilianam. [e] *C*, Catulli. [f] *C*, Sorano. [g] *C*, Musario. [h] *C*, Nummas. [i] Baldarioliaria *C*, [j] *C*, *B*. thyneas. [k] Extremam ex auro fulgentem supra corpus beati Petri supra æs unde conclusum est. *C*, super os quo.

pens. sing. libras XV ; coronam auream ante corpus, ubi est Phamecantharus cum delphinis quinquaginta, qui pens. lib. XXXV ; phara argentea in gremio basilicæ XXXII cum delphinis, pens. sing. lib. decem ; ad dexteram basilicæ phara argentea XXX, pens. sing. lib. VIII ; ipsum altare argento et auro clusum cum gemmis prasinis et hiacynthinis et albis CCX ornatum undique, pens. lib. CCCL ; thimiamaterium ex auro purissimo cum gemmis undique ornatum num. LI, pens. lib. XV.

39. Item in reditus donum, quod obtulit Constantinus Augustus beato Petro apostolo per diœcesem Orientis in civitate Antiochia [a] : domum Datiani, præstantem solidos ducentos quadraginta, domunculam incæne [b] , præstans solidos viginti et trimisium [c] ; Cæle in Aphrodisia, præstans solidos viginti ; Balneum in cerateas, præstans solidos XLII ; Pristinum [d] ubi supra præstans solidos viginti tres. Popina suprapræstans solidos decem ; hortum Maronis, præstantem solidos decem ; hortum alium ubi supra, præstantem solidos undecim, sub civitate Antiochia ; possessio Sibillæ donata ab Augusto præstans solidos CCCXXIII, cartas decadas centum et quinquaginta, aromatum lib. CC, nardini olei lib. CC, balsamum lib. XXXV. Sub civitate Alexandria, possessio Timialia, donata Augusto Constantino ab Ambronio, præstans solidos sexcentos et viginti, cartas decadas CCC, olei nardi CCC, balsamum libras quadraginta, aromata lib. CL, storacis Isauricæ lib. 1. Possessio Euthimica ducis præstans solidos quingentos. Donavit Augustus Constantinus possessionem Pattinopolim præstans solidos octingentos, cartas decadas CCCC, piper medemnos quinquaginta, crocos libras centum, storace libras centum et quinquaginta, aromata cassia CC, olei nardi libras CCC, balsami lib. C, lini saccos centum, casei [e] sillum libras centum et quinquaginta, oleum Cyprium lib. centum, papyrum rucanas [f] libras mundas mille. Possessio quam donavit August. Constant. Hybromias præstans solidos quadringentos quinquaginta, cartas decadas CC, aromata cassiæ lib. quinquaginta, olei nardini libras ducentas, balsami libras quinquaginta. In provincia Euphratensi sub civitate Cyro possessionem Armanalanam præstantem solidos CCCLXXX ; possessio Mobaris, præstans solidos CCLX.

40. [g] Eodem tempore fecit Augustus Constantinus basilicam beato Paulo apostolo ex suggestione Silvestri episcopi. Cujus corpus sanctum ita recondidit in ære et conclusit, sicut et beati Petri Constantinus Augustus, cui basilicæ donum hoc obtulit : sub Tarso Ciliciæ in insula Cordionis præstans solidos octingentos. Omnia enim vasa sacrata aurea, argentea aut ærea ita posuit, sicut et in basilicam sancti Petri apostoli, ita et beati Pauli apostoli ordinavit. Sed et crucem auream super locum beati Pauli apostoli posuit pensantem libras centum et quinquaginta. Sub civitate Tyria possessio comitum, præstans solidos quingentos et quinquaginta ; possessio Timia, præstans solidos ducentos et quinquaginta ; possessio Fronimusa præstans solidos septingentos, oleum nardinum libras septuaginta, aromata libr. quinquaginta, acassia libr. centum. Sub civitate Ægypti possessio Cyprias, præstans solidos septingentos et decem, oleum nardinum lib. septuaginta, balsamum libr. triginta, aromata libr. septuaginta, storace libr. triginta, stacten lib. centum et quinquaginta. Possessio Basilea præstans solidos quingentos et quinquaginta, aromata libr. quinquaginta, oleum nardinum libr. sexaginta, balsamum libr. viginti, crocos libr. septuaginta. Possessio insula Machabeo, præstans solidos quingentos et decem, papyrum mundum racanas quingentas, linum saccos trecentos.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Item in reditus domus B. Petri obtulit Constantinus per diœceses Orientis hæc in civitate Antiochiæ.* [b] Vicene. *C*, Nicenam. [c] *C* tremissem. [d] *C*, pistrinum. [e] *C*, cariophyllorum. [f] Papyrii canas. [g] *Vide Baron. ad ann. Dom.* 324.

41. [a] Eodem tempore fecit Constantinus Augustus basilicam in palatio Sessoriano, ubi etiam de ligno sanctæ crucis Domini nostri Jesu Christi posuit, et auro et gemmis conclusit, ubi etiam et nomen ecclesiæ dedicavit, quæ cognominatur usque in hodiernum diem Hierusalem. In quo loco constituit donum : candelabra aurea et argentea ante lignum sanctum lucentia secundum numerum Evangeliorum quatuor, quæ pensaverunt singula libras triginta ; phara canthara argentea quinquaginta, quæ pensaverunt singula libras XV ; scyphum aureum purissimum, qui pensavit libras X ; calices ministeriales aureos quinque, pensantes singulos libras singulas ; scyphos argenteos tres, pensantes libras octo ; calices ministeriales argenteos decem, pensantem libras binas ; patenam auream, pensantem libras decem ; patenam argenteam auro clusam cum gemmis, pensantem libras quinquaginta ; ipsum sanctum altare aureum, quod pensat libras ducentas et quinquaginta ; amas argenteas, pensantes libras viginti. Et omnia agrorum circa palatium ecclesiæ dono dedit. Item possessio Sponsas, via Lavicana, præstans solidos ducentos sexaginta et duo ; sub civitate Laurentium [1] possessio Patras, præstans solidos centum et viginti ; sub civitate Nepesina possessio Anglesis, præstans solidos centum quinquaginta : sub civitate suprascripta possessio Terega, præstans solidos centum quadraginta ; sub civitate suprascripta Falisca possessio Herculis, quæ donata est Augusto Constantino, et Augustus obtulit ecclesiæ Hierusalem, præstans solidos CXL ; item sub civitate Falisca possessio Nimphas, præstans solidos centum et quindecim ; sub civitate Juder possessio Angulas præstans solidos centum quinquaginta tres.

42 [c] Eodem tempore fecit basilicam sanctæ martyris Agnetis ex rogatu Constantiæ filiæ suæ, et baptisterium in eodem loco, ubi et baptizata est soror ejus Constantia cum filia Augusti a Silvestro episcopo, ubi donum constituit hoc : patenam ex auro purissimo pensantem libras vigniti ; calicem aureum pensantem libras decem ; coronam, pharum cantharum cum delphinis triginta ex auro purissimo, pensantem libras quindecim ; patenas argenteas duas, pensantes sing. libras viginti ; calices argenteos quinque, pensantes singul. libras decem ; pharacanthara argentea triginta, pensantia sing. libras octo ; pharacanthara ærea aurichalca quadraginta. Cerostrata aurochalcha argento clusa sigillata quadraginta ; lucernam ex auro purissimo nixorum [d] duodecim super fontem, quæ pensabat libr. XV, et donum in reditum circa civitatem Fidenas omnem annum [e] præstans solidos centum et sexaginta Via Salaria sub Pavetinas usque omnem agrum S. Agnes præstantem solidos centum et quinque ; agrum Muci, præstantem solidos octuaginta ; possessio Vicopisonis, præstans solidos ducentos et quinquaginta ; agrum Caculas [f] præstantem solidos centum.

43 [g] Eodem tempore *Constantinus Augustus* fecit basilicam *beato* Laurentio *martyri, via Tiburtina in agrum Veranum supra Arenarium cryptæ* et usque ad corpus B. Laurentii martyris in qua fecit gradum ascensionis et descensionis. In quo loco construxit absidam, et exornavit marmoribus porphyreticis, et de superiori loco conclusit de argento, et cancellos ex argento purissimo ornavit, qui pens libras mille, et ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purissimo nixorum [h] decem, pensantem lib. triginta ; coronam argenteam cum delphinis quinquaginta, pensantem lib. triginta ; candelabra ærea duo in pedibus denis, pensantia sing. libr. trecentas. Ante corpus beati Laurentii martyris argento clusam passionem ipsius, sigillis ornatam cum lucernis byssinis argenteis, pensantes sing. libr. quindecim. Donum quod obtulit : patenam auream, pensantem libr. viginti ; patenas argenteas duas, pensantes sing. libr. XXX ; scyphum ex auro purissimo pen-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Vide Baron. loc. cit.* [b] Lorentum. [c] *Vide. Baron. loc. cit.* [d] lychnorum. [e] C, agrum. [f] C, Casulas. [g] *Vide Baron. loc. cit.* [h] B, lychnorum.

santem libr. XV ; scyphos argenteos duos pensantes sing. libr. decem; calices ministeriales argenteos decem, pensantes sing. libras viginti ; amas argenteas duas, pensantes libras X; phara argentea triginta pensentia singula libr. XV ; metretum ex auro pensans libras centum quinquaginta, portantem medemnas tres. In eodem loco possession. cujusdam Cyriacetis religiosæ feminæ, quam fiscus occupaverat tempore persecutionis. Veranum fundum præstan. solidos centum quadraginta ; possession. Aqua Turia ad latus præstan. solidos centum quinquaginta tres: possession. Augusti, territorio Sabinensi, præstan. nomine Christianorum solidos CXX ; posessio Sufuratarum præstan. solidos sexaginta sex ; possession. Micinas Augusti, præstan. solidos centum quinquaginta ; possession. Thermulas præstant. solidos sexaginta ; possession. Aranas, præstant. solidos septuaginta ; possession. Septimiti, præstant. solidos centum triginta.

44 [a] Eisdem temporibus Augustus Constantinus *fecit basilicam* beatissimis martyribus *Marcellino presbytero et Petro exorcistæ* inter Duas Lauros, et mansoleum, ubi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta, in sarcophago porphyretico, via Lavicana, milliario ab urbe Roma tertio. In quo loco et pro amore matris suæ et veneratione sanctorum posuit dona voti sui : patenam ex auro purissimo, pensantem libras triginta quinque; candelabra argentea auro clusa quatuor in pedibus XII, pensantia singula libras ducentas ; coronam ex auro purissimo, quæ est pharus cantharus cum delphinis centum et viginti, pensantem libras XXX ; calices aureos tres, pensantes singuli libras decem cum gemmis prasinis et hyacinthinis ; amas aureas duas, pensantes singulas libras XI ; altare ex argento purissimo, pensans libras CC. Ante sepulcrum beatæ Helenæ Augustæ fecit ex metallo porphyretico ex sculptis sigillis, pharacanthara viginti ex argento purissimo, pensan. singula libras viginti. Item in basilica sanctorum Petri et Marcellini donum quod dedit tale est : altare argenteum purissimum, pensans libras ducentas ; patenas aureas purissimas duas, pensantes libras quindecim ; patenas argenteas duas, pensantes singulas libras XV ; scyphum aureum majorem, pensantem libras viginti, ubi nomen Augustæ designatur ; scyphos argenteos quinque, pensantes singuli libras XII ; calices ministeriales argenteos viginti, pensantes singuli libras tres ; amas argenteas quatuor, pensantes singul. libras XV ; annis singulis olei nardi pistici libras noningentas, balsami libras centum, aromata incensum ante corpora sanctorum Marcellini et Petri libras centum. Fundum Laurentium juxta formam [b] cum balneo, et omnem agrum a porta Foforritana [c] via itineraria usque ad viam Latinam, ad montem Albium [d]. Ipse mons Galbius possessio Augustæ Helenæ præstans solidos mille centum et viginti. Insulam Sardiniam cum possessionibus, omnibus ad eamdem pertinentibus, præstantem solidos mille et viginti quatuor ; insulam Mosenum cum possessionibus ad eamdem pertinentibus, præstan. solidos octingentos et decem ; insulam Attitiæ et montem Argentarii [e] præstantem solidos sexcentos. Possessio in territorio Sabinensi, quæ cognominatur ad Duas Casas, sub monte Lucretio, præstans solidos ducentos.

45 [f] Eodem tempore fecit basili am Constantinus ex suggestione Silvestri in civitate Ostiensi, juxta portum urbis Romæ, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sancti Joannis Baptistæ, ubi et donum obtulit : patenam argenteam. pensantem libras triginta; calices argenteos decem, pensantes libras quinque: amas argenteas duas, pensantes singulas libras decem ; phara argentea triginta, pensan. singula libras quinque ; scyphos argenteos duos, pensantes singuli libras novem ; patenam argenteam chrismalem singularem, pensantem libras decem ; pelvim ex argento ad baptismum, pensantem libras viginti ; insulam

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *Vide Baron. loc. cit* [b] C, Formiam [c] omnes agros a porta Sessoriana. [d] et usque ad montem Galbium. [e] cum monte Argentario. [f] *Vide Baron. loc. cit.*

quæ dicitur Assis in territorio Portuensi et Ostias [a] possessiones omnes maritimas usque ad digitum solis, præstantem solidos trecentos; possessionem Græcorum in territorio Ardeatino, præstantem solidos octuaginta; possessio Quiriti territorio Ostiensi, præstans solidos trecentos et undecim; possessio Balneolum territorio Ostiensi, præstans solidos quadraginta duos; possessio Nunsula, præstans solidos triginta. Item quod obtulit Gallicanus basilicæ suprascriptorum sanctorum Petri et Pauli, et Joannis Baptistæ, id est, coronam argenteam cum delphinis, pensantem libras viginti; calicem argenteum anaglyphum, pensantem libras quindecim; amam argenteam, pensantem libras XVIII; massam Millianam territorio Sabinensi, præstantem solidos centum et quindecim et trimisium [d]; fundum picturas territorio Velliterno, præstantem solidos quadraginta tres; fundum Surorum via Claudia territorio Vegentano, præstantem solidos quinquaginta sex; massam Gargilianam territorio Suessano, præstantem solidos sexcentos quinquaginta quinque.

46 [c] Eodem tempore fecit basilicam Augustus Constantinus in civitate Albanensi, videlicet sancti Joannis Baptistæ, ubi et posuit donum hoc: patenam argenteam, pensantem libras XXX: scyphum argenteum deauratum, pensantem libras duodecim; calices ministeriales decem, pensantes sing. libras tres; amas argenteas duas, pensantes sing. libras viginti; possessio lacum Turni [d], cum adjacentibus campestribus, præstans solidos quadraginta; possessio Molas, præstans solidos quinquaginta; possessio Albanensis, cum lacu Albanensi, præstans solidos ducentos et quinquaginta; massam Muci, præstantem solidos centum septuaginta. Omnia sceneca deserta vel domos intra urbem Albanensi sanctæ Ecclesiæ donum obtulit Augustus Constantinianæ [e]; possessiones Horti, præstantes solidos viginti; possessio Tiberii Cæsaris, præstans solidos octuaginta; possessio Maritanas, præstans solidos quinquaginta; massam Nemus, præstantem solidos ducentos et octuaginta; possessio Armatiani in territorio Carano, præstans solidos centum et quinquaginta; possessionem Statilianam, præstant. solidos septuaginta; possessionem Medianæ, præstant. solidos triginta.

47 [f] Eodem tempore fecit beatissimus Constantinus Augustus intra urbem Capuam basilicam apostolorum, quam cognominavit Constantinianam, ubi posuit dona hæc: patenas argenteas duas, pensan. singulas libras viginti; scyphos argenteos tres, pensantes sing. libras VIII; calices ministeriales XV. pensantes singulos libras duas; amas argenteas duas pensantes singulas libras X; candelabra ærea in pedibus denis pensantia singula libras CLXXX; pharacanthara ex argento triginta. Et donum quod obtulit: possessionem in territorio Menterno; massam Statilianam, præstantem solidos trecentos et quindecim; possessionem in territorio Cagetano [g] præstantem solidos octuaginta quinque; possessionem Paternum territorio Suessano, præstantem solidos centum quinquaginta; possessionem ad centum territorio Capuano, præstantem solidos sexaginta; possessionem in eodem territorio Suessano Gauronicam, præstantem solidos quadraginta; possessionem Leonis præstantem solidos quadraginta.

48 [h] Eodem tempore fecit basilicam beatissimus Constantinus Augustus in urbe Neapolitana, cui obtulit et dona hæc: patenas argenteas duas, pensan. sing. libras viginti quinque; scyphos argenteos duos, pensan. sing. libras decem; calices ministeriales XV, pensan. sing. lib. duas; amas argenteas II, pensan. sing. libras quindecim; phara argentea XX, pensan. singula libras octo; phara ærea XX, pensan. sing. libras decem. Fecit autem formam aquæductus per milliaria octo. Fecit vero et forum in eadem civitate, et donum obtulit hoc: possessionem Machari, præstantem solidos centum et quinquaginta; possessionem et Cymbranam, præ-

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, quæ est inter Portum et Ostiam. [b] *C*, tremissem. [c] *Vide Baron. loc. cit.* [d] *C*. Laurentina. [e] *Forte* Constantinus. [f] *Vide Baron. loc. cit.* [g] *C*, Gajetano. [h] *Vide Baron. loc. cit.*

stan. solidos centum et quinque; possessionem Hyrclinam [a] præstan. solidos CVIII; possessionem Affilas, præstan. solidos CL; possessionem Ninfulas, præstan. solidos XC; possessionem Insulam cum Castro, præstantem solidos LXXX; hic Silvester fecit ordinationes VI per mensem Decembris : presbyteros XLII, diaconos XXVI, episcopos per diversa loca LXV [b]. Hic *sepultus est via Salaria in cœmeterio Priscillæ milliario ab urbe Roma tertio,* XI [c] *Kalendas Januarias.* Qui vere catholicus et confessor quievit, *cessavit episcopatus dies* quindecim.

NOTULÆ MARGINALES FABROTTI.

[a] *C*, Sclinum. [b] B, *alias* 36. [c] *C*, pridie.

VARIÆ LECTIONES.

Apud Fabrottum ex codice Freheri.

Num. 34. *lin.* 2, *B* diebus 11. *lin.* 3, *A* Constantino. *lin.* 4, *AB* in monte Soracte, et postmodum rediens. *lin.* 15 *A*, argenteam ministerialem, *lin.* 17, *A*, cerostata, *B*, cærostata. *lin.* 18, *B*, qui præstat pens onem solidos 70 *lin.* 19, solid. 50, duas casas quæ præstant. *lin.* 20, *B*, fundum Priscillianum *lin.* 21, *A*, Corvianum. *B*, Corbini num. *lin. dicta* 21, *AB*, solidos 60. *lin.* 23, *AB*, ad duos amantes. *lin.* 24, *B*, 59 et tremissem. *A*, in regione Orphea. *B* Horfea.

Num. 35, *lin.* 2, *A*, ex ejus præcepto, *B*, cum ejus. *lin.* 7, *A*, ut presbyter. *lin.* 13, *B*, et pallia linossima lævam orum tegerent. *lin.* 19, ita militaret, aut proficeret, ut *lin.* 20, *AB*, acolytus. *lin.* 21, *AB*. diaconos 7. *lin.* 24, *A*, nisi ordinis tempore, *B*, nisi ordine. *A*, cum pudore cognoscere votivam gratiam omnium clericorum, *B*, cum pudore cognito, omniumque clericorum votiva gratia, nulloque omnino clerico contradicente. *lin.* 26 *et* 27, *AB*, fecit 6, *AB*, diaconos 7.

Num 36, *lin.* 2, *B*. dona, cameram ex auro purissimo, et fastigium argenteum solum. *lin.* 5 *B*, libras nongentas. *lin. eadem B*, tergo respicientem. *lin.* 9, *B*, cum gemmis alamandinis. *lin.* 10, *B*. ex argento collaticio, *B*, cameram ex auro purissimo, et farum. *lin.* 12, *B*, cum catena, quæ pensat libras 50. *lin. ead. et* 13, ex auro trimmetâ. *A*, auro trimme in pedibus in longum, et latum. lib. *AB*, latum libras 500. *lin.* 14, ex auro purissimo. *lin.* 16, *A*, argenteas f. *B. lin. ead.*, *B*, calices 300. *lin*, 23, *B*, majores. *lin.* 27, in gremio. *lin.* 59. *A*, massam Amonicam. *B*, Berronicam. *lin.* 44 *et* 45, *A*, solidos 200. *B*, 850. *lin.* 55, *B*, 170. *lin.* 58, *B*. 125. *lin.* 59, *AB*, gemmis prasinis. *B*, hyacinthinis 42.

Num. 37, *lin.* 4, massam Tutilianam, *B*. Statilianam, *AB*, 300. *lin.* 5, *AB*, massam Tauranam intra Siciliam territorio Paranensi. *lin.* 6, *B*, domos, vel horrea. *lin.* 7, 8, *A* massam Lammas, *B*, massa latina. *lin. ead.* 8 *et* 9, *A*, territorio Numentano. *lin.* 13, *AB*, massam Juncis territorio Murcarino. *lin.* 14, *B*, territorio Almense. *lin.* 15, *B*, territorio Crypta Lupi. *AB*, massam numas. *lin.* 16, *AB*. solidos 650, *AB*, massam sulpheratam. *lin.* 17, *B*, solidos 720.

Num. 37. *lin.* 3, *AB*, B. Petri ita recondidit. *lin.* 9, *A*, Patri quod aere conclusit. *lin.* 10, *AB*, in mensuræ loco. *lin.* 11 *et* 12, *A*, domum regali aulæ simili fulgore coruscantem circumdat. *lin. eadem* 12, *B*, vigellis. *lin.* 15. *B*, gemmis prasinis. *lin.* 17, *AB*, Amas a. p. s. lib. 20. *lin.* 19, *AB*. prasinis. *lin.* 21, *AB*, corpus ubi est oleum nardinum, quæ est, et farum cantharum cum delphinis 50. *lin.* 24, *B*. prasinis. *lin.* 24, *B*, 400. ornatum. *lin.* 26, num. 60.

Num. 39, *lin.* 1, *B*, in reditum. *lin.* 2, *B*, in civitate Antiochia domum Datiani. *lin.* 3 *et* 4, *B*, jugere. *etc.*, et tremissem. *lin. eadem* 4, cellæ in Aphrodisia *B. lin.* 5, *B*, pistrinum. *lin.* 9, sol. 322, *B. lin.* 10. *B*, balsamum lib. lib 60 *lin.* 13, Isauricæ lib. 50 *B. lin.* 14, *B*, quingentos chartas dechadas 70 per Ægyptum sub civitate Armenia possessio Agapi, A quod donavit Constantino Augusto. *lin.* 15. *B*. Passinopolim. *lin.* 16, *B*, storacis. *lin. ead. B*, croci lib. 100. *lin.* 18, *B*, casiæ. *lin. ead.*, gariophyllorum *B*, olei Cyprii *B*, *lin.* 19, *B*, ex papyro racanas. *lin.* 20, *B*, hybromion. *lin.* 23, *B*, Tyro, *etc.* Armanazon.

Num. 40, *lin.* 8 *et* 9 *B*, 550. *lin.* 11, cassiæ lib. 50. *lin.* 12, *B*, 200. *lin.* 16, *B*, croci balsami possessio insulæ macab. *lin. ead.*, *A*, lib. 70. *lin.* 17, *B*, ex papyro, *etc.* lini saccos.

Num. 41, *lin.* 4, *B*, hæc constituit dona. *lin.* 6, *AB*, lib. 80. *lin.* 12, *A*, aureum. *lin.* 13, amas tres. *lin.* 15, sexaginta tres La rent. *AB. lin.* 18, *AB*, Teregia. sol. 160. *lin.* 21 *et* 22, *AB*. 125. civitate Tudes.

Num. 42, *lin.* 1, *B*, Agnes, *lin.* 2, *B*, Constantiæ *deest. lin.* 3, *B*, dona hæc. *lin.* 11, *B*, civitatem Figlinas. *lin.* 12. *B*, Salaria sub parietes, *A*, parietinas. *lin.* 14, *B*. vici. *lin.* 14, 15, *B*, 350 casulas.

Num. 43, *lin.* 2, agro Verano subarenario, *A*, supra arenarium. *lin.* 4, *B*, marmor purpureis *lin.* 6, B *A*, lib. mille *lin.* 8, *AB*, lib. 20. *lin. eadem* 8, *A*, aurea. *lin.* 9 *A*, lib. 120, *B* 200. *lin.* 18, *B*, binexis argenteis. *lin.* 18, *B*. solid. 160, Aqua Tuscia. *lin.* 21 *et* 22, *B*, Nicenas. *lin.* 22, *B*. 110. *lin.* 23, *B*, solid. 65.

Num. 44, *lin.* 3 *et* 4, *B*, purpureo via. *lin.* 7, *B*, lib. 25. *lin.* 9, lib. 250. *lin.* 11, lib. 60. *lin.* 12, *B*, marm. purpureo excultum sigillis posuit phare, etc. *lin.* 21, *B*, in incensum. *lin.* 23 *et* 25, *B*, porta Sensuriana usque ad viam Prænestinam. a via Latina ad montem Gabium. *lin.* 27 *et* 28. *B*. 320 *linea* 26, 17, Meseno *B. lin.* 28, *B*, Massidiæ, quæ est mons Argentarius.

Num .45, *lin.* 2, 2, *B*, juxta portam. *lin.* 3, *B*, dona obtulit hac. *lin.* 5, *B*, sing. lib. binas. *lin. eadem* 5, *B*, fara cantharo. *lin.* 9, *A*. Artii, quæ est inter Portum et Hostiam, *lin.* 10, *B*. digitum soli. *lin.* 11, *B*, solid. 655. *linea eadem, B*, Quirinis. *lin.* 13 *et* 14, *AB*. Nymphulas, *B*, dona quæ obtulit Gallicanus.

Num. 46, *lin.* 2, *B*, posuit hæc. *lin.* 5, *B*, laci- C turni. *lin.* 6, solid. 60. *AB. lin.* 8, *B*, solid. 160. *lin.* 9, *B*, Albanensem. *lin.* 11, *A*, 70, *B*, 28, *A*. marinis, *B*, Marina. *lin.* 13, *B*, Martianas in territorio Corano.

Num. 47, *lin.* 4, *B*, lib. 9. *lin.* 6, *B*, aerea quatuor. *lin* 7, *B*, et obtulit possessiones has., massam Statilianam., *A*, Minturno, *B*, in territorio Menturnensi. *lin.* 8, *B*, 320. *lin.* 9, *A*, Cazetano, *B*, Cagitano. *lin. eadem* 9 *et* 10, *B*, paterni in territorio. *lin.* 12, *AB*, solid. 60.

Num. 48, *lin.* 8, *B*, Cimbriariam. *lin.* 9, *B*, Setinam, *lin.* 10, Nymphulas. *A*. solidos 160. *lin.* 11, insulam in castro solid. 80. *Post quæ verba in A et B sunt hæc.* lisdem temporibus constituit B. Silvester in urbe Roma titulum suum in regione tertia juxta Thermas Domitianas ,quæ cognominantur Trajanæ titulus Silvestri [*A*, Equiti], ubi donavit Constantinus Augustus hæc : patenam argenteam pensantem lib. 20; amas argenteas duas pensantes libras 10; scyphos argent. duos, pens. sing. lib. 8; fara canthara argentea 10, pens. sing. lib. 10; canthara cerostata ærea 16, pens. sing. lib. 90 [*A*, 40]; ca-

lices argenteos ministeriales 5, pensan. sing. lib. 2 ; fundus Percellianus in territoro Sabiensi præstat solidos 50; fundus Barbatianus in territorio Ferensis [*A*, festis], præstat solidos 66 et tremissem, fundus Statianus in territorio Tribulano præstat solidos 66 et tremissem ; fundus [*A*, Berucolas] Beruelas in territorio Corano præstat solidos 40 [*A*, 70], fundus Silpitianus in territorio Corano præstat solidos 70, fundus Tauri in territorio Vegetano præstat solidos 42, fundus Sentianus in territorio Triburtino præstat solid. 30, fundus Cejanus in territorio Prænestino præstat solidos 50, Fundus Termulas in territorio Prænestino pr. sol. 58 [*A*, 35] ; possessio Cilonis territorio Prænestino præstans sol. 58 ; obtulit omnia necessaria titulo Equitii. Hic fecit ordinat. *etc.*

Ex cod. Regio, Mazarino et Thuano.

Linea 9. *Et privilegium episcopis dedit, ut baptizatum consignarent, propter hæreticam suasionem.* Consignatio seu confirmatio baptizatorum est ordinis episcopalis, et pertinet ad episcopos tantum, ex synodo Romana habita sub Silvestro. Quod comprobatum est can. *Presbyteris* et seq. *de consecr.*, dist. 4, can. *De his*, can. *Manus*, can *Novissime* et seqq. *de consecr.*, dist 5. Hieronym. ad Luciferianos, « Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.

Linea 10. — *Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniret presbyter chrismate levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis.* Chrismatio seu uncti baptizatorum instituta a Silvestro propter occasionem transitus mortis, id est propter frequentes casus, qui contingebant, ut recens baptizati obirent. De quo vicecomes de Baptism. lib. v, cap. 3.

Linea 11. — *Hic constituit ut nullus laicus crimen clerico inferre audeat.* etc. Ex synodo Romana habita sub Silvestro can. 14, laici, non audiuntur testes vel accusatores adversus episcopum, can. *Nullus.* 2, qu. 7, can. *Testimonium* 11, qu. 1, quia oppido multi infesti eis existunt, can. *Laicos*, can. *Laici*, 2, qu. 7.

Linea 12. — *Hic constituit, ut diaconi dalmatica uterentur in Ecclesia, et pallio linostino læva eorum tegeretur*, etc Silvestri institutum est, ut diaconi Ecclesiæ Romanæ dalmaticis uterentur intra Ecclesiam. Cæteris interdictum est usu dalmaticæ, nisi ex privilegio, ut Arelatensibus, can. *Communis* 23 dist., vel certis diebus, can *de Jejunio*, 76. dist. Dalmatica est tunica sine manicis quæ est vestis diaconorum. Augustin. Quæst. Veter. Testam. cap. 46 : « Quasi non hodie diaconi dalmaticis induantur sicut episcopi. » Et Ammiam. lib. XXV : « Pectoralem tuniculam sine manicis textam, Maras quidam nomine indutus est, ut appellant Christiani, diaconus. » Dalmaticæ additur pallium linostulum in læva in ornatu clericorum, quod est pallium lineum, alba, seu mappula, qua utebantur diaconi Ecclesiæ Romanæ, can. *Diaconus*, can. *illud*, 93 dist. Hoc est, orarium quod diaconi gestant in sinistro humero, can. *Unum orarium*, 25. dist.

Linea 14. — *Hic constituit, ut nullus clericus propter causam quamlibet in curiam introiret, nec ante judicem cinctum causam diceret, nisi in Ecclesia.* Ex synodo Romana sub Silvestro vetatur, ne quis clericus causam dicat apud judicem cinctum, id est civilem, can. *Nullus clericus*, 11. qu. 1. Cincti judices sunt magistratus omnes, qui habent imperium merum, qui habebant jus cinguli et gladii. Gregor. Nazianz. epist. 46 ad Africanum : κἂν τὴν ἀνοίμαστον γρᾶν ἀρχήν, κἂν τὴν μετὰ ψίφους καὶ τελαμῶνος. *Sive incruentium imperium gerat, sive cum gladio et cingulo.* Hinc cincti discinctis opponuntur, id est judices in actu positi, his qui magistratu defuncti sunt, Sidon. lib. v, epist, 7 : « Cinctis jura, distinctis privilegia. » Idem constituit Julius, de quo Anastas. in ejus Vit.: « Hic constitutum fecit, ut nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia. »

Linea 15. — *Hic constituit, ut sacrificium altaris, non in serico atque in panno tincto celebraretur, nisi tantum in linteo ex terreno lino procreato.* Synodus Romana sub Sylvestro statuit, ne sacrificium missæ celebretur in panno serico, vel tincto, sed in lineo tantum, can, *Consulto, de Consecr.*, dist. 1. Vestis linea fuit insigne sacerdotum. Jacobus Nazarenus lineo tantum pallio usus est, Matth. XIV : *Fugit adolescens, relicta sindone, qua erat amictus.* Inde alba dicitur vestis sacra clericorum. Paul. Diacon. de Vit. P. Emeritens. cap. 6 : « Quoniam igitur Dominico die, dum in atrium cum multis filiis Ecclesiæ tenderet, ut mos est, archidiaconus cum clero in albis, » etc.

Linea 20. *Subdiaconus annos quinque, custos martyrum annos quinque.* Custos martyrum non erat nomen proprii gradus, seu ordinis ecclesiastici, sed officii subdiaconorum. A Fabiano septem subdiaconi in Urbe instituti, qui notariis totidem per septem regiones Urbis dispositis imminerent, ut acta martyrum in integro, id est ex fide conscriberentur, ut observatum est ex Anastasio in Fabiano. Horum officium etiam erat custodire martyres, his alimenta in carcere ministrare, corpora mortuorum sepelire, et cavere ne sepultorum corpora eriperentur. Vel custodes martyrum legebantur ex ordine subdiaconorum, postquam subdiaconatus munere functi essent quinquennium ; et horum munus erat in quinquennium, antequam progressus pateret ad diaconatum.

Num. 36, linea 2. — *Fastigium argenteum batutile.* Basilica Constantiniana adornata fastigio argenteo. Templis paganorum adjici solebat fastigium, id est culmen, ornatus causa. Arnob. lib. I advers. *Gent* : « Templa felibus, scarabeis, et buculis, sublimibus sunt elata fastigiis. » Æque apud Christianos ædibus sacris fastigia imponi moris fuit. De basilica Constantiniana testatur Anastasius hoc loco, et infra in Sixto III : « Fecit autem Valentinianus, ex rogatu Sixti episcopi, fastigium argenteum in Basilica Constantiniana, quod a Barbaris sublatum fuerat. » Fastigium hujus basilicæ fuit ex argento batulili, id est, conflatum ex argenteo ducto in laminas, quod fit percussione metalli, voce ducta a Latino *batuere*, quod sonat *percutere*. Plaut. in Casina : « Sculponeas quibus batuatur tibi os. » Tranquill. in Caligul. cap. 32 : « Myrmillonem e ludo rudibus secum batuentem. » Et cap. 54 : « Batuebat pugnatoriis armis. » Hoc sensu, eadem voce usus est Anastas. infr. hoc loco : « Altaria septem ex argento batutili. » Ædes augustæ etiam fastigium habuere. Flor. lib. IV, cap. 2 : « Omnes honores unum in principem congesti : circa templa imagines, in theatro distincta radiis corona, suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in cœlo. » Ambros. in Psalm. CXVIII : « Non stellat ut fastigia culminum, quæ bene tecta atque munita sunt. »

Linea 9. — *Cum gemmis Alabandinis in oculis.* Alabandinæ gemmæ sunt, quæ petuntur ex Alabanda urbe Cariæ, haud procul a Mæandro flu. Plin. lib. XXXVII, cap. 2 : « Alabandicos crystallos. » Idem cap. 7 ejusd. lib. : « Alabandicos carbunculos. » Anastas. in Gregorio IV : « Alamandinas majores numero viginti. »

Linea 10. — *Ex argento dolatico.* Argentum dolaticum est argentum dolatum, vel dedolatum.

Linea 13. — *Cameram basilicæ ex auro trimme.* Camera, id est testudo basilicæ Constantinianæ, fuit laqueata ex auro Trimmæ, id est ex auro ducto in bracteas. Eodem sensu hac voce usus est Anastas. hoc loco : « Fecit autem et cameram basilicæ ex trimma auri fulgentem. » De quo Bulenger. de Rom. pontif. lib. II, cap. 67.

Linea 17. — *Scyphum singularem ex metallo corallo ornatum, undique de gemmis prasinis et hyacinthinis auro interclusum.* Scyphus, quod est genus poculi, de gemmis auro interclusus dicitur, quia gemmæ includuntur auro. Paulus in L *Pediculis* § 1, *de aur. et argent. legat* : « Auro facto adnumerantur gemmæ auro inclusæ. » Hinc inclusores dicti aurifices, qui gemmas auro includunt. Hieronym. lib. V in Hierem. : « Fabros autem, et inclusores vel legis interpretes, atque doctores debemus accipere, vel artifices inclusoresque auri, atque gemmarum, quæ ars apud barbaras nationes pretiosissima est. » Augustin. de Mirabilib. sacr. Scriptur lib. II, cap. 29 : « Militibus, et fabris, et inclusoribus. » Eodem sensu Anastas. infr. hoc loco dixit : « Candelabra aurichalca septem ex argento, interclusa sigillis prophetarum. » Et supra : « Patenam chrismalem auro clusam. » E contrario exclusores dicuntur, qui gemmas excludunt, id est examinant, vel probant argentum. Augustin. de Spirit. et litter. cap. 11 : « Unde et exclusores dicuntur quidam artifices argentarii. Hinc est et illud in Psalmis ; *Et excludantur ii qui probati sunt argento.* » Idem in Psalm. : « XXXIV Unde dicuntur et in arte argentaria exclusores, id est, quadam confusione massæ ad suæ formæ expressores. »

Linea 33. — *Canthara cyrostrata in gremio basilicæ argentea quinquaginta.* Canthara cerostrata (sic enim legendum, vel simpliciter cerostrata) sunt vasa in quibus collocantur cerei, vel lucernæ. Anastas. in Vigilio : « Cerostastas argenteas deauratas majores duas, quæ stant usque hodie ante corpus beati Petri apostoli. » Anastas. in Honorio : « Fecit et cerostatas majores ex argento paria duo, quæ sunt ante corpus beati Petri apostoli » Idem in Leone III : « Fecit cerostatas majores versatiles anaglyphos ex argento purissimo. » In cantharis ardebat oleum, in pharis cerei et lucernæ. Bulenger. de Rom. pontific. lib. II, cap. 6 : « In cantharis etiam mittebatur thus suffitus causa. » Anastas. in Benedict III : « Cantharum interrasilem, in quas thus mittitur. »

Linea 34. — *Metretæ tres ex argento purissimo, portantes singulæ medimnos decem*, etc. Metreta est mensura liquidorum, puta vini vel olei, continens medimnos decem. Medimnus capit modios sex. Medimnæ mentio habetur Joann. cap. 2 : Ἦσαν δὲ ἐκεῖ ὑδρίαι λίθιναι ἓξ κείμεναι κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν Ἰουδαίων χωροῦσαι ἀνὰ μετρητὰς δύο, ἢ τρεῖς. *Erant ibi hydriæ lapideæ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas duas, aut tres.* Quem ad usum a Constantino dicatæ sint hujusmodi metretæ, non alienum est credere eas datas, quibus contineretur oleum propter lucernas Ecclesiæ. Metretæ, solebant offerri, quia erant in usu Ecclesiæ, ut infra hoc loco : « Metretas argenteas duas pensantes libras ducentas. » Et infr, eod. : « Metretum ex auro pensans libras centum quinquaginta portantem medimnos tres. »

Linea 35. — *Candelabra aurichalca septem ante altaria, cum ornatu suo ex argento, interclusa sigillis prophetarum.* Candelabra ex aurichalco solebant ornari sigillis, id est signis apostolorum prophetarum. Anast. infr. hoc loco : « Fecit autem candelabra aurichalca in pedibus decem numero, quatuor conclusa cum sigilllis argenteis. Cerostrata aurochalca argento cura sigillata quadraginta. » Sigilla sunt parvula signa. Gregor Turon. de Mirac. martyr. lib. I, cap. 41 : « Adoratis diis atque eorum sigillis prostratus. » Vestes etiam solebant intexi sigillis seu imagunculis, unde dicuntur vestes sigillatæ, L. 11. C. Th. *de scenic.* de quo plura dicemus infra suo loco.

Linea 44. — *Thymiamateria duo ex auro purissimo.* Constantinus obtulit thymiamateria duo, id est thuribula, ad hus adolendum ante altare. Thymiamaterium a Græco Θυμιατήριον Ejus usum ostendit Anastas. in Sergio : « Hic fecit thymiamaterium aureum majus, cum columnis et cooperculo, quod suspendit ante imagines tres aureas beati Petri apostoli, in quo incensum, et odor suavitatis festis diebus, missarum solemnia celebrantur, omnipotenti Deo opulentius mittitur. » Thuris adolendi antiquissimus Ecclesiæ ritus commendatur : Evagr. lib. IV, cap. 6 : Θυμιατήριον ἐξητήσατο, καὶ πάντα τὸν χρόνον ἐν ᾧ καθειστήκεισαν ἐπιθυμιάσας, ἐπὶ γῆς ἑαυτὸν ῥίπτει, προσευχαῖς τε καὶ λιταῖς τὸν Θεὸν ἱλεούμενος. *Thuribulum postulat, et toto choro, in quo simul constiterunt, thus adolens se prosternit humi, precibus, et orationibus Deum placaturus.*

Linea 47. — *Fontem sanctum, ubi baptizatus est Augustus Constantinus ab eodem episcopo Silvestro.* Cessante persecutione, baptisteria **instituta in** Ecclesiis, baptismi conferendi **causa Fontes vocarunt**, quod ab initio baptismus **ministrabatur in fontibus.** Fons iste, in quo baptizatus **est Constantinus**, fuit

o, id est marmore prophyretico, ut mox
ur: « Ipsum sanctum fontem ex metallo
lico, ex omni parte coopertum intrinsecus,
et desuper, et quantum aqua continet ex
urissimo. » Metallum pro marmore accipi-
it et in l. *Item si fundi*, § *Sed si hæc*, ff. *de*
; l. 3, § ult. *de Reb. eor. qui sub tutel. vel*
Spartian. in Pescennio Nigro :

m nomen habet, nigrum formavimus ipsi.
consentirent forma metalla tibi.

2. Var. 7: « Ornent aliquid saxa jacentia
as, ita tamen ut metalla ipsa de locis pu-
ruisse apud te manifesta ratione doceatur. »
3. — *Myxum vero ex stuppa amianti.* Myxum
nium lucernæ, Anastasius in Hilaro: « Lu-
ıream cum myxis luminum decem. » Vulgo
eribus ellychnium. Plin. lib. XXIII, cap. 4:
ia ex uva fiunt claritatis præcipuæ. »
3. — *In labro fontis baptisterii, agnum ex*
issimo fundentem aquam. In labro fontis
i Constantiniani erat agnus aureus, ex ore
ıquam destinatam baptismo infantium. La-
vasis genus, in quo infantes lavari solent,
ıbrum. Isidor. Origin. lib. XX, cap. 6. Hic
ıntis baptismalis est concha, qua contine-
ıa comparata ad baptismum, uti labrum
ıcum alibi est vas marmoreum, in quo
:orpus defuncti. Ambros (*epist.* 34): « Est
yreticum labrum pulcherrimum, et in usus
i aptissimum: nam et Maximianus Diocle-
ıs ita humatus est. » Et Leo Ostiens. Chro-
nens. lib. II, cap. 9 : « Otho II Romam re-
em tempore defunctus est. atque in labro
ico sepultus in atrio Ecclesiæ beati Petri
ntroeuntibus in Ecclesiæ ipsius paradisum
. » Labra sunt et lavacra, in quibus lavan-
. L. *Lines*. ff. *de act. comp.* Alibi labra sunt
agrorum. Servius in Virgil. eclog. 5: « Vi-
s, quia in terræ marginibus nascitur, la-
:itur a labris et extremitatibus agrorum. »
8, linea 18. — *Patenam ex auro purissimo*
turre et columba. Constantinus patenam
btulit cum turre, et columba in custodiam
Christi. Sacra Eucharistia custodiæ causa
ebat in turricula aurea, vel argentea, cui
columba aurea, vel argentea. Præter hunc
nastasius in Innocent. I: « Turrem argen-
patena et columba deaurata, pensantem li-
ıta. » Idem in Hilario: « Turrem argenteam
hinis, pensantem libras sexaginta, colum-
am pensantem libras duas. » Gregor. Tu-
irac. martyr. lib. I, cap. 72: « Alius au-
sepulcrum sanctum calcare non metuens,
ımbam auream quærit elidere. » Turrem
:onflatam a Felice Bituricensi episcopo,
iæ servandæ causa, carmine celebravit
ıs lib. III, cap. 23. Ejusdem turris memi-
Turon. de Mirac. mart. lib. I, cap. 86:
ıque turre diaconus, in qua ministerium
corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium. »
ricula in qua custodiebatur corpus Christi,
columba aurea, signum Spiritus sancti.
st, quod intelligit Joannes Chrysostomus
, ad plebem Antiochen., cum ait, corpus
m reponi super altare non fasciis involu-
lim cum esset in cunis, sed Spiritu san-
stitum.
. — *Coronam auream ante corpus, ubi est*
harus cum delphinis quinquaginta. Constan-
ınam auream obtulit ante corpus B. Petri.
pendebant ante altare et sepulcrum B.
ıstas. in Sergio: « Cantharos, et coronas,
sacrum altare, et confessionem beati Pe-
ıli ex antiquo pendebant, deponi fecit. »
ureæ solebant offerri Deo, quia Christus
nat, solus imperat. Imperatores ipsi sole-
bant dicare coronam suam. Infeliciter periit, non
sine vindicta numinis, Leo Copronymi filius, quod
coronam Heraclii in magno templo dicatam abstulit,
et publice gestavit, de quo Cedren. in ejus Vita. Co-
ronæ etiam dicabantur in honorem martyrum. Au-
gustin. (*epist.* 205): « Sertum vero illud, quod plus
illo foro, corona martyrii est, quo vitam finivit
corporis. » Et infra: « Quia gladio vitam non finivit,
aureolam, quæ in signum datur martyrii, tales non
habet. » Paulin. de Vita D. Martin. lib. VI:

Abripuit sanctam dextra vellente coronam.
Quæ meritum sancti propter conjuncta decebat.

Num. 42, linea 1. — *Eodem tempore fecit basilicam sanctæ martyris Agnetis ex rogatu Constantiæ filiæ suæ, et baptisterium in eodem loco.* Baptisterium erat in limine ecclesiæ. Greg. Turon. de Mirac. D. Martin. lib. II, cap. 6 : « Venit ad sanctam basilicam, qui diebus multis jacens ad ostium illud, quod secus baptisterium ad medium diem pandit egressum. »
Num. 43, linea 2. — *Supra arenarium cryptæ.* Arenarium est cœmeterium ubi sepeliebantur martyres, quia plerumque erat in locis arenosis. Innocent. III, lib. II, epist. 140: « Ecclesiam sancti Juliani cum domibus, cellis, cryptis, vineis, et arenariis suis. » Et Anastas. ipse in Theodor. « Eodem tempore revelata sunt corpora sanctorum martyrum Primi et Feliciani, quæ erant in arenario sepulta via Numentana. » Alibi cœmeteria dicuntur areæ, sepulturæ. Tertull. ad Scapulam: « Sicut et sub Hilariano præside, cum de areis sepulturarum nostrarum acclamassent, areæ non sint, areæ ipsorum non fuerunt. »
Linea 3. — *In quo loco construxit absidam, et exornavit marmoribus porphyreticis.* Constantinus condidit basilicam S. Laurentii martyris in urbe, et in ea posuit corpus martyris, in crypta ; super qua construxit absidam ornatam marmoribus porphyreticis. Absis vel absida est ædificium, quod imponi solebat sepulcris martyrum in modum absidis. Anastas. in Honorio de Ecclesia B. Agnetis martyris: « Fecit absidam ejusdem basilicæ ex musivo. » Leo Ostiens. Chronic. Cassinens. lib. III, cap. 27 : « Legatos præterea Constantinopolim ad conducendos musæi et quadratarii operit peritos opifices mittit, ut alii absidam, et arcum atque vestibulum majoris ecclesiæ musivo componerent. » Absis erat structura marmoribus adornata, in medio basilicæ, in qua erat sedes episcopi. Anastas. in Benedict. III : « Et impetu facto, absidam in quæ episcopi psallentes residebant cum clero, leones veluti ferocissimi conscenderunt. » Plerumque absis erat marmorata, id est, crustis marmoreis convestita, et erat camerata, id est fornicata, Paulin. epist. 11 ad Severum : « Absidem solo et parietibus marmoratam, camera musivo illusa clarificat. » Cassian. collat. 24, cap. 6: « Si quis absidis cameram volens in sublime concludere, subtilissimi illius centri lineam jugiter circumducat. » Absis erat eminentior et gradibus conscendebatur. Augustin. (*epist.* 203) : « Transit honor hujus sæculi, transit ambitio; in futuro Christi judicio, nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, etc. » Leo Ostiens. l. I Chronic. Cassin. c. 19 : « Porro in ejus basilicæ absida media, ad quam per octo gradus ascenditur, altare constituit in honorem Domini Salvatoris. » Sepulcris sanctorum, inquam, solebat imponi culmen in modum absidis. Sepulcro Gregorii Lingonensis episcopi absidam imposuit Tetricus, filius ejus, et successor. Greg. Turon. de Vit. Patr. cap. 7; « Cum beatus pontifex in angulo basilicæ fuisset sepultus, sanctus Tetricus, filius et successor ejus, ante altare basilicæ fundamenta jecit, erectaque absida miro opere construxit, et transvolvit, qua transvoluta, disruptoque pariete, arcum ædificavit, quod opus perfectum atque exornatum, ut in medio absidæ loculum fodit, quo corpus beati Patris transferre volens, convocat presbyteros et abbates ad illud officium, » etc. Absis erat cancellis septa ; et

hoc est, quod ait mox Anastasius : Et cancellos ex argento purissimo ornavit. Sepulcra martyrum solebant cancellis ambiri. Augustin. de Civit. Dei lib. XXII, cap. 8. « Venit et Pascha, atque ipso die dominico mane, cum jam frequens populus præsens esset, et loci sancti cancellos, ubi martyrium erat, idem juvenis orans teneret. » Gregor. Turon. de Mirac. martyr. lib. I, cap. 28 : « Hoc enim sepulcrum sub altari collocatum, valde rarum habetur ; sed qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum. »

Linea 6. — *Et ante ipsum locum in crypta posuit lucernam ex auro purissimo, myxorum decem.* Constantinus ante sepulcrum B. Laurentii martyris posuit lucernam auream. Lucernæ, et lychni ardere solebant ante sepulcra martyrum et sanctorum confessorum. Ante sepulcrum B. Thomæ apostoli apud Edessam Syriæ arsisse traditur lychnus perpetuus, sine fomento olei syrpique : de quo Greg. Turon. de Miracul. martyr. lib. I, cap. 32 : « Lychnus etenim inibi positus atque illuminatus, ante locum sepulturæ ipsius, perpetualiter die noctuque, divino nutu resplendet, a nullo fomento olei scirpique accipiens, » etc. Ante sepulcrum Felicis Nolani martyris pendebat lychnus, de quo idem Tur. cap. 104 ejusd. libr. : « Ad hujus quoque cellulæ parietem, quo beatum corpus tumulo conditum requiescit, adhæret appendens porticus, in qua dependens fune lychnus, lumen loco consueverat ministrare, » Ante corpus B. Laurentii martyris bis senas lucernas argenteas obtulit etiam Constantinus, de quo Anastas. infra hoc loco : « Ante corpus beati Laurentii martyris, argento clusam passionem ipsius sigillis ornatam, cum lucernis bymixis *(sic lege pro* byssinis) argenteis. » Lucerna bymixos est, quæ habet duo myxa *(deux mèches)*. Anastas. in Leono III. « Fecit lucernas majores fusiles bymixas anaglyphas duas.

Linea 16. — *In eodem loco possessio cujusdam Cyriacetis religiosæ fœminæ, quam fiscus occupaverat tempore persecutionis.* Martyrum bona fisco addicebantur. Hieronym. de Scriptor. ecclesiastic. cap. 54 : « Origenes qui et Adamentius, decimo Severi Pertinacis anno, adversus Christianos persecutione commota, Leonide patre, Christi martyrio coronato, cum sex fratribus, et matre vidua paupere relinquitur : rem enim familiarem ob confessionem Christi fiscus occupaverat. »

Num. 44, linea 1. — *Eisdem temporibus Constantinus fecit basilicam beatissimis martyribus Marcellino presbytero, et Petro exorcistæ, inter duas lauros, et mausoleum ubi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta in sarcophago porphyretico, via Lavicana, milliario ab urbe Roma tertio.* Inter duas Lauros, id nomen loco posito via Lavicana, tertio ab Urbe milliario, juxta quem Constantinus exstruxit basilicam SS. Marcellini et Petri. Ibi Severum obsessum ab his qui erant partium Cassii, Nigri et Albini, refert Tertull. Apologetic. cap. 35 : « Unde Cassii, et Nigri, et Albini, unde qui inter duas lauros obsident Cæsarem, unde qui faucibus ejus exprimendis palæstricam ejus exercent, unde qui armati palatium irrumpunt. »

Linea 18. — *Calices ministeriales argenteos viginti, pensantes singulos libras tres.* Calices alii erant minores, qui erant comparati ad ministerium sacrificii altaris, unde ministeriales dicti, ut hic et infra : « Calices ministeriales decem pensantes sing. libras tres. » Et infra : « Calices ministeriales quindecim pensantes singuli libras duas. » Idem in Marco : « Calices ministeriales argenteos tres, pensantes libras binas. » Idem in Damaso : « Calices ministeriales argenteos quinque pensantes singulos libras tres. » Calices cum syphone erant calices cum fistula ad ministrandum sanguinem Christi. Conrad. in Chronic. Moguntin : « Erant fistulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ. » Ditmarus lib. VI : « Et magnum calicem ex eodem metallo, cum patena simul et fistula dedit. » Alii erant majores calices, qui ornatus causa pendebant in arcubus vel trabibus. Anastas. in Leone : « Fecit in basilica beati Pauli apostoli calices majores fundatos ex argento, qui pendent in arcu majore, numero undecim, et alios qui pendent inter columnas majores, dextra lævaque numero quadraginta. » Et infr. in eod. : « Fecit autem in basilica beati Petri apostoli calices majores ex argento mundissimo, qui sedent super trabes arg. » Et infra : « Fecit vero calices fundatos ex argento, qui pendent inter columnas majores dextra lævaque basilicæ, numero sexaginta quatuor. » Neque omittendum quod calices, quorum usus erat ad communicandum, dicebantur communicales : « Fecit vero communicales ex argento purissimo per singulas regiones, qui præcederent per stationes per manus acolythorum. » Alii erant calices, qui ornatus causa ponebantur circa altare. Anastas. in Leone IV : « Obtulit etiam B. Petro apostolo calices de argento, qui sedent super circuitu altaris, num. 16, pensantes libras. » Vel ministeria. Anast. in Adrian. I : « Item fecit patenam et calicem in basilica beati Petri apostoli pro quotidianis ministeriis ex auro purissimo. » Alii erant majores cum ansis ad ornatum, de quibus Anastas. in Leone III : « Et calicem majorem cum gemmis et ansis duabus, pensantem libras quinquaginta octo, » etc. Idem in eodem : *Obtulit calicem majorem fundatum cum syphone, pensantem libras triginta et septem.*

Linea 25. — *Insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus ad eamdem pertinentibus.* Constantinus Sardiniam insulam obtulit basilicæ SS. Marcellini et Petri a se conditæ in dotem Ecclesiæ. Inde Sardinia insula fuit juris et proprietatis Ecclesiæ Romanæ, de quo in cap. *Si diligenti. de Præscript.* et cap. *Ea te, de jurejur.* ubi dixi.

Num. 45, linea 7. — *Patenam argenteam chrismalem singularem, pensantem libras decem.* Patena chrismalis est vas, in quo servatur chrisma, comparatum ad chrismationem seu unctionem baptizatorum. Chrismarium vocant synod. Altissiodor. can. 6 : « Presbyteri chrisma petant, sed cum chrismario et linteo, sicut reliquiæ sanctorum deportari solent. » Patenas ad chrisma vocat Anastas. in Innocentio : « Patenas duas ad chrisma pensantes singulas libras quatuor. » Ampullam chrismatis Optat. Milevit. advers. Donatist. lib. II : « Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangeretur, jactaverunt. »

Linea 8. — *Pelvim ex argento ad baptismum.* Pelvis ad baptismum est hydria, qua continebatur aqua benedicta ad baptismum.

Linea 16. — *Calicem argenteum anaglyphum,* Calix anaglyphus est cælatus, id est, signis seu sigillis insculptus. Vasa anaglypha sunt vasa cælata, signis seu sigillis insculpta. Anastas. in Adrian. : « Crucem interrasilem anaglypham. » Idem in Innocentio : « Scyphum argenteum anaglyphatum. » Idem in Leone III : « Necnon et crucem anaglypham interrasilem ex auro purissimo, pendentem in pergula ante altare. » Pergula erat exedra ante altare, in qua exponebantur sacra donaria. Vide Cujac. II, obs. 13.

Num. 48, linea 6. — *Fecit autem formam aquæductus per milliaria octo.* Formæ sunt canales structiles, per quos aqua ducitur, ut hic et l. I, VIII, II c. Th. de Aquæduct., ut forma Augusta, forma Claudia, d. l. VIII et IX, forma Sabathena, de qua Anastas. infr. in Honorio, et in Adrian. I, et in Gregor. IV, forma Trajani, Anastasius in Felice. Formas Urbis inter spectanda ipsius opera celebrat Sidon. lib. I, epist. 5 : « Inter hæc patuit et Roma conspectui, cujus mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus. »

BENCINI.

Num. 34, linea 10. — *Hæc dona constituit.* Vasa

lendor auctus a Silvestro, et usus erat in pri- A
Ecclesia. Quod inter alios probat Indiculus
m vasorum, quæ senioribus Ecclesiæ concre-
ansurius Primus Carthaginensis, cum Eccle-
dilapidationes videret edictis Diocletianeis
is apud Optatum lib. I : « Erant enim Ecclesiæ
, et argento quamplurima ornamenta, quæ
dere terræ, nec secum portare poterat. Quas
ibus senioribus commendavit, commentario
uod cuidam aniculæ dedisse dicitur : ita ut
non rediret, reddita pace Christianis. anicula
daret, quem in episcopali cathedra sedentem
et Profectus causam dixit : Jussus est re-
arthaginem pervenire non potuit. Tempestas
tionis peracta et definita est. » Post Opta-
g. 92. Et in Actis purgationis Cæciliani et
indiculus ornamentorum ita describitur :
s duo aurei : item calices sex argentei : cu-
m argenteum, lucernæ argenteæ septem :
lta duo : candelæ breves æneæ cum lucernis B
tem : item lucernæ æneæ undecim cum ca-
is. » Crevit hoc eodem sæculo, libertate ec-
concessa, ornamentorum pretium, unde
tomo inter alias calumnias in synodo ad
m impositum, apud Photium cod. 59, p. 54 :
retiosarum rerum magnam vim divendisset.
pud hæreticorum conventicula divitiarum
odi copia in Ecclesiis vindicata hac et se-
us sæculis suo loco notandum. A Silvestro
ontificalis dona Ecclesiis data vel a princi-
vel a fidelibus vel ab ipsis summis pontifici-
cujusque gestis inserenda aggreditur. Hæc
ori manu, et quidem Caroli Magni præcipue
ibus, aut de novo addita, vel aucta fuisse in
ontificali opinor. Plura enim verba occurrunt,
t Longobardorum gente certo profluxerunt.
ntiqua S. Damasi vita exstans in archivio
e Vaticanæ indiculum donorum non habet,
ien eidem vitæ ex eo codice descriptæ adne- C
n Libro Pontificali. Hæc auctor et consarci-
esumpsit ex archiviis sedis apostolicæ, ubi
donationes notabantur. A quo tempore etiam
quis diplomatibus recensentur factæ dona-
ecclesiis aliis per orbem, quorum exemplaria
Mabillonius, et alii, qui anecdota hæc colle-

14. — *Amas.* Varia est vocis significatio.
ff de Officio præfectum vigilum legitur :
dum est, Præfectum vigilum per totam no-
igilare debere, et coerrare calciatum cum
dolabris. » Et in Vita S. Perpetuæ et Feli-
apud Holsten. pag. 8 : « Erant ibi gladii,
hami, macheræ ; » quo loco significatur fer-
strumentum, dum Acta subdunt : *In latebris
unc genus ferramentorum infixum.* In his vero
um gestis sæpius occurrit ama, et amula,
o instrumento sacro ad liquores retinendos
mi debet, ut exp rimunt sequentia verba : D
auro... portantes sing. medemnos tres. Unde
Amula : vas vinarium. Cum enim sacrificium
sticum agebatur, tunc ut dicitur in ordine,
), tom. X Bibl. PP., pag. 3 ; « Populus dat
ies suos, id est panem et vinum, et offerunt
ionibus candidis, primo masculi, deinde fe-
novissime vero sacerdotes et diaconi offe-
d solum panem, et hoc ante altare. » Vinum
amulis fideles gestabant, quas in amis infun-
subdiaconi, ex eodem ordine : « Tunc venit
onus ferens in brachio dextro patenam, et
tro calicem, in quo recipiuntur amulæ popu-
Et mox pontifice oblationes populorum susci-
archidiaconus suscipit post eum amulas, et
t in calicem majorem, tenente eum subdia-
quem sequitur cum scypho super planetam
us, in quem calix impletus refunditur. » Cum
ntifici vinum offerebatur ad consecrandum,
it, vinum per colum defæcando, cum varietas

vini oblati id pateretur, Sic enim ibi : « Ornato vero altari, tunc archidiaconus sumit amulam pontificis de subdiacono oblationario regionario, et refundit super colum in calicem. » Mos enim erat solemnis ut in conviviis vina defæcarentur, ut exprimitur apud Apuleium referentem convivii apparatum lib. IX pag. 290 : « At pudica uxor statim cœnas saliares comparat, vina pretiosa defæcat, pulmenta recentia tucetis temperat, mensa lnrgiter instructa, » etc. Ama itaque et amula sic distinguenda videntur, ut amulæ essent ampullæ parvulæ vini, amæ vero capaciores ad retinenda vina oblata, quæ deinde in calicem per colum defæcata reponebantur. Amas enim vasa pergrandia fuisse docet mensuræ pondus supra relatum. Medemnus enim, Polluce teste, vas erat continens centum et octo libras. Erant plures amæ, quia nedum vinum ad sacrificium adhibebatur, sed ad fideles pauperes alendos. Unde in stationibus, quando fidelium copiosior erat largitio, plures amæ deferebantur, ut legitur infra in Gregorio IV : « Ipse pontifex fecit amas argenteas sex, quæ præcedunt per omnes stationes. » Perduravit ampullarum ex auro mos posterioribus temporibus, præcipue eorum quæ deferebantur ad mittendum vinum in calicem consecrandum. Sic anonymus poeta de episcopis Eboracensibus :

> Jussit ut obryzo non parvi ponderis auro
> Ampulla major fieret, qua vina sacerdos
> Funderet in calicem, solemnia sacra celebrans.

Hinc constat et numerus, et varietas, et usus amarum et amularum, quarum mentio repetita ocurrit in sequentium pontificum gestis,

Linea 17. — *Canthara cerostata.* Usus horum vasorum primo expendendus, deinde varietas in Libro Pontificali obvia. Cantharus genus poculi Bacchi proprius ex Valerio Max. l. III, c. 6 : « Marius post Jugurthinum, Cimbricumque. et Theutonicum triumphum cantharos semper potavit, quod Liber pater inclytum ex Asia ducens triumphum, hoc usus poculi genere ferebatur. » A majori vel minori forma dictus cantharus, et cantharulus. Vas itaque veniebat majus ordinariis poculis, uti Baccho conveniebat. Apud Gentes inter templorum vasa erat cantharus, quodque ad deorum pulvinaria ponebatur. Apuleius, l. IX, pag. 276, dum, antistites deorum circulatores per urbes discursantes, et gesta describit, ita de furto aurei canthari per nebulones ex templo ablati loquitur : « Et identidem urgenti sermone comprimuntur, promerent ocius aureum cantharum, promerent auctoramentum illud sui sceleris, quod simulatione solemnium, quæ in aperto factitaverant ab ipsis pulvinaribus matris Deum clanculo furati, prorsus quasi possent tanti facinoris evadere supplicium, tacita profectione adhuc luce dubia pomerium pervaserint. » Inducit deinde nebulones ita furtum excusantes : « En, inquiunt, indignæ rei sævitatem! quam plerique insontes periclitantur homines! propter unicum canthabrum, quem Deum mater sorori suæ deæ Syriæ hospitale munus obtulit, innoxios religionis antistites ad discrimen vocari cupitis. His et aliis similibus affaniis frustra oblitteratis, eos retrorsum adducunt pagani, statimque vinctos in Tullianum compingunt : cantharoque, et ipso simulacro quod gerebant, apud Fani donarium redditis et consecratis. » Quo loco cantharus deprehenditur fuisse vas ante statuam Deum matris positum, et quidem in templi sacratioribus adytis, quo loci sacerdotes sacra operabantur, et ante ipsa Deæ pulvinaria collocatum, repositumque cum reliquis donis in donario. Adyta enim locum dederant impostoribus, ut tuto cantharum raperent. Vas vero fuisse ad liquida retinenda docet infra idem Apuleius, et quidem augustioris formæ populum, dum describit illud oblatum ei cum Asini formam gereret divite Domino jubente : « Heus, ait, puer, lautum diligenter ecce illum aureum cantharum mulso contempera, et affer-

parasito meo. » In Ecclesias itaque Christianorum canthari adhibiti sunt ad liquida retinenda, deputata tamen ad lumen alendum, ex materia vel pretiosiori, ut ex balsamo, oleo nardino, cera, aut similibus liquoribus ad ardendum aptis. Reperitur autem dictus cantharus cerostratus, vel pharum cantharum, vel cantharus simpliciter. A forma et opere forsan tessellitio dictus cerostratus; a pharo desuper impositio, sic quod cum oleo candelæ arderent; sic infra: « Pharum cantharum ex auro purissimo ante altare, in quo ardet oleum nardinum... ubi candelæ ardent ex oleo nardino pistico. » Salmasius adeundus in Exercit.; Plin. pag. 163. Canthara dicuntur hic, quod tempore Longobardorum frequentissimus usus nomina masculini generis in plurali numero in *ra* terminare, et efferre unde constat de tempore harum additionum.

Fundum. Prosequitur consarcinator referre possessiones datas ecclesiis. Hæ vero censendæ antiquissimæ ex insigni loco exstante in libello Faustini et Marcellini oblato Theodosio seniori, ubi loquentes de basilicis catholicorum aiunt: « Habeant illi basilicas auro coruscantes, pretiosorumque marmorum ambitione vestitas, vel erectas magnificentia columnarum, habeant porrectas in longum possessiones. » Jam ergo adulto hoc sæculo quarto basilicis assignatæ erant *porrectæ in longum possessiones*. Harum pleræque obvenerunt ecclesiis ex Christianorum possessionibus, et fundis tempore persecutionum fisco adjudicatis. Magnificentia vero sive in vasis, sive in fundis, et annuis redditibus ecclesiis datis etiam apud plura conventicula hæreticorum enitebat. Tales erant hæreticorum ecclesiæ, Justini et Justiniani ævo, qui easdem eripientes ab hæreticis, catholicorum ecclesiis assignarunt. In Pelagii 1 epistola data Childeberto Francorum regi exstat fragmentum epistolæ Vigilii ad Justinianum, ubi hæc leguntur: « Hæc ipsa ita contigerunt, ut cum pater vester clementissimus imperator omnes hæreses, quæ Constanstinopoli episcopos suos, et ecclesias cum magnis redditibus, et vasorum diversitate, usque ad tempora imperii ejus habuerunt, everterit; et sublatis basilicas eorum atque redditibus, omnibus aliis rebus, catholicis tradiderit. » Inter eas divitiarum potentia numerabatur Ariana, quæ ad Justiniani tempora reliquas anteibat magnificentia fundorum et ornamentorum, quæ fisco vindicavit Justinianus, Procopio teste oculato in Hist. arcan. pag. 54: « In horum quos vocant hæreticorum fanis, ac iis præsertim, in quibus Arii secta celebraretur, opes recondebantur plane supra quam credibile cuiquam sit. Neque enim senatus universus, aut alia Romani præcipue pars imperii de divitiis cum iis delubris conferri potest. Nam iis omnibus erat sacra supellex ex auro, et argento, pretiosis lapidibus omni opulentia et copia major: Domus, et Pagi refertissimi; possessiones ubique gentium, et quid aliud est mortalibus opum genus; utpote quibus nemo principum aliquando molestiam intulisset. Quin et multis rectæ sententiæ hominibus per occasionem artis et instituti necessaria ad vitam, inde suppeditata sunt. Horum ergo templorum publicata bona præda fuerunt Justiniano Augusto. » Hisce possessionibus ditata resplenduit semper basilica Vaticana, quæ ubique gentium patrimonia obtinebat, et post Longobardos Iconoclastæ manus injecerunt, uti Adrianus in epistola exstante act. 2 septimæ synodi, et in altera data Carolo Magno, qua eum excitat ad recuperanda ablata, videre est, ubi etiam aperis, unde ea bona obvenerint. « Quæ per diversos imperatores, patricios etiam, et alios Deum timentes, pro eorum animæ mercede et venia delictorum, in partibus Tusciæ, Spoleto, seu Benevento beato Petro apostolo, sanctæque Dei et apostolicæ Ecclesiæ concessa sunt, et per nefandam gentem Longobardorum per annorum spatia abstracta atque ablata sunt. » Bona, et redditus quomodo essent expendenda docet Liber Pontificalis infra in Severino, cum Thesauri Ecclesiæ ab exarcha rapiuntur.

Num. 35, linea 1. — *Hic fecit constitutum de omni ecclesia.* Materiam constitutionis indicare omisit Liber Pontificalis. Forsitan post Constantini conversionem generalia decreta edidit pro restauratione ecclesiasticæ disciplinæ, præcipue pro lapsu multorum in decennio magnæ persecutionis sub Diocletiano. Hæc vero spectasse ad universum orbem, ac per singulas provincias a pontificibus directa generalia quæ dicebantur decreta, suadent tum aliorum, tum pontificum hoc ipso sæculo viventium monumenta. Arelatense enim concilium decreta non nisi per Silvestrum denuntianda orbis catholici provinciis decernit. Synodus Sardicensis pariter Julio epistolam dedit, quam reliquis episcopis minime mittendam censuit; et encyclicam, nisi prius Romano pontifice compellato reliquis episcopis minime mittendam putabat S. Augustinus supra laudatus. Et Gratianus, Valente imperatore defuncto, qui hæreses promoverat, cum vellet formulam fidei sequendam ab omnibus habere, Damasum rogavit, qui tomum edidit, cui subscripserunt 1. Meletius Antiochenus in synodo Antiochena, et reliqui Orientales episcopi n. 157, et ipsa synodus œcumenica Constantinopolitana. Quod iterum egit sub Siricio Theodosius, ut suo loco notandum. Siricius pariter meminit decreti editi a Liberio de non rebaptizandis hæreticis, vocatque generale decretum per provincias publicatum. Ita ille in epistola decretali ad Himerium (tom. I *Conc.* p. 848.) « Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis plurimos ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris, eosdem denuo baptizare velle; quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet, et canones contradicant: et post cassatum Ariminense concilium missa ad provincias a ven. nem. prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. » Obsequium deinde exspectandum audacter pronuniiat. (*In decretis* c. 8 et 15.) » Quid ab universis post hæc ecclesiis sequendum sit, quid vitandum generali pronuntiatione decernimus; et infra: Quanquam statuta sedis apostolicæ, vel canonum venerabilia definita nulli ignorare sit liberum. « Et cum Constantius Liberium impellere conaretur ad infringenda priora decreta impigre respondit Liberius: » Nunquam mea statuta, sed apostolica, ut semper essent firmata, et custodita perfeci, secutus ordinem, moremque majorum nihil addi episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum. » Et Innocentius I generale Siricii decretum de Cælibatu editum confirmans incunctanter asserit hæc a nullo posse ignorari, ita Exsuperio scribens c. 1 (tom. *Conc.* pag. 1003): « Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticæ vitæ pariter, et disciplinæ, quæ ab episcopo Siricio ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cætero incipiant abstinere.— Si qui autem scisse formam vivendi missam a Siricio deteguntur, neque statim cupiditates libidinis abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi. »

Linea 3. — *Quorum chirographum cucurrit.* Symbolum nempe Nicænum directum orbis totius episcopis, qui non interfuerant concilio, ut ei subscriberent, ut totius orbis consensu repræsentaretur: consuetudo hæc ut conciliaria decreta ab omnibus reciperentur post denuntiationem, inducta videtur ab apostolis, qui post concilium Hierosolymitanum act. 15, Paulum, Barnabam, Judam, et Sylan delectos miserunt, ut fratribus denuntiarent synodicum in illo cœtu editam. Hinc in fine capitis dicitur de Paulo: « Perambulabat autem Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias: præcipiens custodire præcepta apostolorum et seniorum. » Consuetudo fuit receptissima primis tribus sæculis, ut identidem observatum est in superioribus notis. At ante Nicænum synodum cum Alexander patriarcha Alex. et Ouius Arii incipientes blasphemias condemnassent, usurpi

vocis *omousii* probassent, per epistolam encyclicam decreta denuntiantes, episcoporum absentium suffragia postularunt. Quod refert Philostorgius in sua Historia (l. I, tit. 7, pag. 6): « Ante synodum quoque Nicænam Alexandrum Alexandriæ episcopum, cum Nicomediæ versaretur, et in Osium Cordubæ quinque cum eo erant, episcopos incidisset, synodicis suffragiis convenisse de prædicando Filio Patri omousio, Arioque condemnando. » Exstat Alexandrini synodica in qua relatis Arii impiis conatibus, et sententia synodi, sic ad rem orbis episcopos compellat ad subscriptionem (tom. I *Conc.*, ante Nicænum Conc.): « Istos, inquam, fratres charissimi, et fide nobiscum consentientes aversati una nobiscum contra insanam eorum temeritatem adjungite suffragia, non aliter ac alii collegæ nostri, qui rem ægre ferunt, qui epistolas contra istos scriptas ad me miserunt, qui libello adversus eos edito subscripserunt: quæ omnia per filium meum Appionem diaconum ad vos misi; ac primum epistolas collegarum, qui sunt in tota Ægypto et Thebaide, deinde eorum qui Libyam, Pentapolim, Syriam, Lyciam, Pamphyliam, Asiam. Cappadociam, et alias regiones hisce finitimas incolunt; quorum exemplum vos imitantes, persuasum habeo ad nos itidem daturos litteras. Et cum multæ aliæ curationes ad hos sanandos, qui hoc errore vulnerati sunt, adhibitæ sint; tum istud etiam remedium ad medicinam populo ab istis decepto faciendam inventum est obtemperanti, et cum consensum collegarum nostrorum intelligant, eorum auctoritate ad pœnitentiam se sero recipient. » Suffragia, epistolæ, et subscriptiones episcopales vocantur curationis genus, adhibitum ab Ecclesia ad consensum ostendendum, ut ex pastorum docentium eamdem doctrinam assensu adversi errores evacuarentur. Pondus argumenti expendens hæresiarcha Arius, dum primo impietatem ex nefario ore eructavit, similes episcopales subscriptiones studuit extorquere; et ne plebes et alii deciperentur, iisdem denuntiavit Alexander, has fallaciter fuisse ab hæresiarcha extortas (*ibid.*). Synodus itaque Nicæna pari consuetudine post editum decretum episcopis aliis per orbem constitutis, qui præsentes concilio non adfuerant, illud intimans, requirit subscriptiones. Philostorgius secta Eunomianus, et Arii perfidiæ addictus, non negat reliquorum episcoporum consensum accessisse, sed more solito rem obtegendo, asserit circumventos fuisse (*Ibid.*, n. 9): « Fatetur omnes fidei formulæ Nicænæ convenisse....., reliquamque cohortem ad synodum traductam. » Ariminenses episcopi post lapsum, cum circumventos se viderent Arianorum arte, universi in epistola encyclica subscripti orbi universo Palinodiam recantarunt, ex Liberio epist. ad Orientales (*epist.* 11): « Omnes illi fere episcopi, qui Arimini convenerunt, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, a fide tum quidem desciverunt; nunc tamen ad sanam mentem reversi, fidei formulæ ab episcopis Arimini convocatis editæ anathema denuntiarunt, et fidei catholicæ, et apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, et nobiscum jam una communicant. » (*Frag.* 2, pag. 1319.) Inter fragmenta operis historici deperditi S. Hilarii exstat epistola Italiæ episcoporum ad Illyricos, qui Ursacii et Valentis fraudibus irretiti adhuc in errore detinebantur, et ut eis reserarent fraudem, aliorum episcoporum subscribentium formulas dirigunt, ut aut exempla sequantur, aut uti separati a reliquorum cœtu, declarentur: « Ariminensis concilii statuta quorumdam tergiversatione corrupta, jure rescindimus: quorum etiam exemplaria transmittenda censuimus, ut nec in fide retinenda, nec in confutando Ariminensi concilio aliqua videretur esse condissensio. Quicunque igitur nostræ unanimitatis optat habere consortium, quicunque individuam pacem nobiscum habere desiderat, quæ sunt nostræ sententiæ comprobare festinet, ut fidei a nobis memoratæ subscriptionem et rescisA sionem Ariminensis concilii sine ambiguitate mittendi. » Mittebatur propterea formularium subscriptionum, ne in illis edendis varietas occurreret, uti ostendit factum Aurelii Carthaginensis episcopi, qui in plenario adversus Pelagianos coacto concilio, ita subscriptionum servandam ab absentibus formam decernit. « Quemadmodum subscribere unusquisque vestrum debeat, dilectio vestra cognoscat; sive quorum synodalibus gestis subscriptio jam tenetur, sive qui non potuistis eidem plenario totius Africæ interesse concilio. » Neque locus erat refragandi subscriptioni, nisi cum periculo et nota contumaciæ. Faustus propterea Reiensis episcopus, dum Lucidum Prædestinatianum hortatur, ut editis sex anathematismis subscriberet, quibus reliqui jam subscripserant episcopi, ita comminatur: « Quod si eam subscriptam.... transmittere volueris, aperte adhuc te in errore subsistere ipso silentio comprobabis. » Liber hinc conficiebatur harum epistolarum, subscriptionum, aut suffragiorum, cujus aliqua exempla B supra dedimus. Et hoc ipso sæculo, in causa Marcelli, cum ante Sardiciense esset damnatus, in unum volumen subscriptiones et suffragia redacta dicuntur in epistola synodica Sardicensis concilii, quod Ariani coegerunt (tom. I *Conc.*, pag. 639): « Nam liber Sententiarum exstat in ipsum ab episcopis conscriptus; in quo libro etiam isti qui nunc cum ipso sunt Marcello atque illi favent, in ipsa sente ntia manu propria subscripserunt. » In archiviis Ecclesiarum istiusmodi subscriptiones custodiebantur summa diligentia. Sic Antiochenorum episcoporum subscriptiones tomo Damasi authenticas *in archiviis apostolicæ sedis reservari* testatur codex antiquus bibliot. Vaticanæ ab Holstenio in Collectione Romana editus.

Alii imbecilles 208, *qui exposuerunt fidem integram.* Numerum assignat episcoporum, qui aliquo impedimento detenti, adesse non potuere synodi C Nicenæ celebrationi, ex his confectus catalogus subscribentium, exstatque apud Gelasium Cizicenum de Actis Nicænis lib. II, caput ultimum, cum epigraphe: « Catalogus SS. episcoporum, per quos sancta, et universalis synodus Niceæ coacta misit omnibus in toto orbe terrarum Dei Ecclesiis ea quæ ab ipsis, per Spiritum sanctum, in ea constituta sunt. » Exinde solvitur controversia de numero episcoporum, qui veluti præsentes concilio celebrato numerantur, cum certo constet multo inferiores celebrationi adfuisse. Nam Ephesinos Patres fuisse ad sex millia dicitur, cum tamen ducenti tantum adfuerint: et Chalcedonenses mille ducentos, cum tantum sexcenti triginta astiterint. Numerus enim ille exuberans intelligendus de episcopis et præsentibus et absentibus, qui tamen vel ante celebrationem, vel postea fidei articulo subscripserant. Qua explicatione bene expensa facile enodatur dictum Dalmatii sanctissimi archimandritæ, qui audiens fidei jacturas per Nestorianos immissas, et in dies D auctas, Theodosium ab aulicis circumventum, et in Patres Ephesinos offensum conveniens, et eorumdem defensionem suscipiens in Apologia dixit (*ap. Deltan.* p. 408), imperatorem interpellans: « Cæterum pro altera, hoc est pro parte Cyrilliana, coram omnibus dixi: sex millia ne episcoporum audire malit, an unum tantum hominem, eumque impium? Sex millia autem eos aiebam, qui sub metropolitanorum sanctissimorum episcoporum potestate degunt. » Sanctus enim Cyrillus post duplicem Alexandrinam synodum ante Ephesinæ celebrationem, synodicam metropolitis direxit, et consonis suffragiis Nestorius proscriptus est. Laudat hic S. Dalmatius numerum eorum, qui Ephesinum decretum approbaverant (tom. II *Conc.*, p. 439). Et in plena Chalcedonensi synodo act. 4 Cecropius episcopus cum decem Ægyptiorum episcoporum, qui Dioscoro eousque contumaciter stabant refugiebantque subscribere epistolæ dogmaticæ S. Leonis, tergiversa-

iones audiret, ita Patres compellit: « Universalis hæc synodus Ægyptiaca regione major est, ac fide dignior: et non est justum decem hæreticos audiri et prætermitti mille ducentos episcopos.» Qui nempe et si sexcenti, et triginta tantum adessent; attamen reliquus numerus in metropalitanis aderat, qui ante celebrationem per Provincias constituti, jam epistolæ subscripserant, ut paulo post in eadem actione legitur: « Missa est epistola almi archiepiscopi Leonis iis qui ubique essent metropolitis, et subscripta est: sic tunc, quæ vita erant præsentibus sanctissimis episcopis, allata sunt, et subscripta. » Erat hæc recepta consuetudo, et communis persuasio. Hinc schismatici Orientales, sub Joanne Antiocheno Ephesi, sese dividentes et separantes a legitimo concilio, gloriabantur se esse numero ducentorum, etsi in decreto subscripti vix viginti duo reperirentur. (*In synodico Cassin.* c. 129, pag. 266.) In synodica enim, in qua asseclis denuntiant Cyrilli et Memnonis damnationem, impigre asserunt. *Dum paulo minus ducenti in Ægypti* (S. Cyrilli nempe) *damnationem consenserunt,* cum tamen ei damnationi viginti duo subscripti legantur. (*Ibid.*, c. 149, pag. 303.) Sic Alexander, etsi præsens depositioni, non dubitavit scribere Theodoreto dum recolit pseudosynodi Ephesinæ decretum depositionis in S. Cyrillum editum etiam cum schismaticis tunc unito, quod hæc *depositio ejus a fere ducentis episcopis* fuerit subscripta, quia nempe metropolitæ schismatici a suffraganeis extorserant approbationem. Quomodo intelligendus videtur S. Augustinus l. IV contra Cresc. c. 6, ubi agens de Primiani damnatione scribit: « Primum quod Carthaginem a quadraginta et tribus factum est, quo prædamnatus est Primianus. Alterum quod Cabarsussi centum, vel amplius vestri tunc episcopi condiderunt, quo perfecte pleniusque damnatus est. » Numerum hunc episcoporum concilii Cabarsussitani repetit in lib. ad Donatistas post collationem c. 4 et 22. Nihilominus in synodica apud Baluzium in fine post quinquaginta tres episcopales subscriptiones recensitas, additur (*in nova conc. Collect.* pag. 96): *Omnes numero quinquaginta tres.* Explicandum itaque, quod assertus a S. Augustino numerus *centum et amplius,* intelligatur de subscriptionibus factis synodicæ in concilio, et de reliquis subscriptionibus additis eidem synodicæ ab episcopis, quibus intimata fuit synodica, extra concilium. Numerus itaque cum diligenter in codice subscriptionum olim reservaretur, gestorum consarcinator potuit ex eo numerum laudatum adnotare.

Linea 4. — *Damnaverunt Arium, et Fotinum et Sabellium, vel sequaces eorum.* Photinus longe a fide Nicæni concilii hæresim disseminare cœpit, et nihilominus bis inseritur ejus nomen, tum hic, tum in synodo Romana subsecuta, in qua Silvester *damnaverit iterum Arium, et Fotinum et Sabellium.* Id tamen non de Persona intelligendum venit, sed de eorum hæresi jam sufficienter profligata per Nicænam fidei expositionem. Quod ita expressit Libellus synodicus: « Sancta synodus contra omnem hæresim exposuit divinam fidei disciplinam Arii videlicet. Sabellii, Photini, Pauli Samosateni, Manetis, Valentini, Marcionis, et eorum qui cum ipsis sentiunt. » Nempe Nicæna synodus, dilucidioribus verbis, incarnationis mysterium illustrans, Photinum etiam antevertens proscidit et damnavit. Expositio est eruditi scriptoris in opusculo adversus Nestorianos et Eutychianos, cujus auctorem faciunt Anastasium Synaitam, eumque vulgavit Jacobus Gretzerus, qui de Nicænæ synodi decreto, damnatisque personis agens sic habet. « Damnavit etiam Photini hæresim, quæ diceret, Christum et divinitatis et humanitatis principium habere ex Maria; neque secundum increatam ipsius divinitatem præstare sæculis. » Consulto dicit, damnavit etiam Photini hæresim, ut indicaret, non personam proscriptam per decretum quod Photinum antecessit. Expressio est antiquissima isto quarto Christiano sæculo adhibita in laudata epistola ad Illyricos ab episcopis Italiæ, qui agentes de lapsu Ariminensium, expendunt quomodo Photinus tunc errores evomens, per synodum Nicænam fuerint etiam proscripti. (Apud Stilar. *frag.* 2, p. 1355.) « Nostram igitur, dilectissimi fratres, unam eamdemque accipite firmam subscriptione sententiam; Nicæni tractatus adversus Arium, Sabelliumque, cujus Photinus partiaria hæreditate damnatur, decreta servantes. » Pessimam ab Ario hæreditatem Photinus nactus blasphemias auxit: hinc in Ario et cum Ario damnatur. Quo etiam sensu damnationem Photini inseruit pseudosynodus schismaticorum Ephesina, in suo decreto, quo Cyrillum damnat, dum præmittentes schismatici formulam Nicænam, addunt deinde (tom. I *Conc.* pag. 1538): « Hæc est fides, quam Patres exposuerunt, in primis quidem contra Arium blasphemantem, et Filium Dei creaturam esse dicentem; tum vero contra omnem hæresim Sabellii, Photini, Pauli Samosateni, Manichæi, Valentini, Marcionis; et contra omnem hæresim, quæ adversus Ecclesiam catholicam sese erexit: quos etiam episcopi illi, qui trecenti decem et octo numero in civitate Nicæa olim convenerunt, condemnaverunt. »

Num. 36, linea 8. — *Costas cum crucibus tenentes.* Costarum gestatio angelico ministerio omnino insolens et impropria. Amanuensium oscitantia factum, ut pro *coronas* reposuerint *costas.* Intra coronas enim erat crux reposita, eo nempe typo, quo Constantinus in militaribus signis efformandam curaverat, Eusebio teste, qui in ejus Vita, visionem referens, addit de corona et salutari signo indito: « Convocatis deinde auri et gemmarum fabris, medius inter eos sedens, speciem signi sermone depinxit, jussitque ut auro, et lapillis similitudinem ejus exprimerent..... Erat autem ejusmodi hasta longior auro contexta..... Supra in ipsa hastæ summitate corona erat affixa, gemmis et auro contexta. In hac salutaris appellationis signum. » Votivas itaque has coronas Constantinum obtulisse crediderim. De his vero coronis crucem intercludentibus occurrunt in Urbe vestigia, et quoddam exemplar profert Baronius ad ann. 377, in epitaphio Jovinæ: in Chronico Cassinensi lib. III, cap. 75: « Coronam argenteam deauratam, et lapidibus pretiosis ornatam ferens sex cruces. » Vide Ciampinum in Opere musivo. Posset etiam duci in autographo libri fuisse, « hastas cum crucibus tenentes, » ac priores quidem litteras immutatas ignorantia amanuensium. Cum enim per istiusmodi hastas cum salutari signo victoriam reportaverit, credibile est, quod aut easdem, aut similes illic reposuerit in monumentum victoriarum. De istiusmodi militaribus hastis, ac eorumdem usu, inter alios, Apuleius, cum de milite loquitur sarcinis militarem hastam imponente: « Sed etiam lanceam longissimam hostili conspicuam, quam scilicet non disciplinæ tum quidem causa, sed propter terrendos miseros viatores in summo, atque edito sarcinarum cumulo, ad instar exercitus, sedulo composuerat. »

Linea 14. — *Altaria septem ex argento,* mensas nempe ministeriales deputatas ad sacra vasa, et ad ministrorum officia juxta primævam consuetudinem, qua, episcopo celebrante ad altare, quod unum erat plerumque, in quo sacrificium offerebatur, astabat reliquus ministrorum chorus. Hinc mensarum frequens mentio in Ordine et Diurno Romano, quo denotabantur loca ad recipienda sacra vasa, quorum erat varius, et multiplex numerus, uti ex hac vita deducitur, dum eadem vasa in singulis Ecclesiis apposita recensentur. Cum vero ministri tempore sacrificii essent deputati ad ferenda vasa varia et distincta, singulorum ordo suas mensas habebat, unde sumeret et reponeret sacra vasa. Altaria itaque hæc sumenda videntur pro mensis quæ circum al-

tare sacrificii erant dispositæ, non vero pro altari sacrificii, quod unicum erat in primitiva Ecclesia.

Linea 16. — *Scyphos aureos septem.* Cum calicibus sacris veniebant scyphi, et ambo recensentur in libris Ritualibus. Usus eorumdem ad vinum defæcandum, et clericorum quorumdam præcipue diaconorum hocce erat ministerium. Unde in mensa particulari, ut reor, erant amæ, amulæ, colum et scyphi. Et in Ordine Romano dicitur : « Subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur archidiaconum; et pontifice oblationes populorum suscipiente, archidiaconus suscipit post eum amulas, et refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono, quem sequitur cum scypho, in quem calix impletus refunditur. »

Linea 35 et 36. — *Candelabra aurichalca septem ante, altaria, quæ sunt,* etc. Numerus septenarius desumptus ex V. et N. T. Usus ante Constantinum erat, ac in Actis Felicis laudatis recensentur *lucernæ argenteæ septem.* Erat hæc specialis Romani pontificis prærogativa, Ordine Romano dicente, cum adstantium ministrorum pontifici celebranti seriem describit : « Acolythi portantes septem cereostata foras ecclesiam accensa, procedunt ante pontificem usque in chorum. » Sic quatuor candelabra lucentia ad quatuor Evangelica indicantia, ut infra dicitur : « Candelabra secundum numerum Evangeliorum quatuor. »

Lin. 37. — *Interclusa sigillis prophetarum,* seu ornata imaginibus prophetarum. Sigillatum enim opus eo sculptis tempore erat in usu, et magnæ existimationis. Sigillatum vero denotare imaginem sculptam aperit Festus. « Aliqua signa dicuntur, quæ sculpuntur etiam ; sed pocula etiam, in quibus sunt simulacra, ad effigies sigillata. » De harum pretio Cicero in Verrem 6, dum ille conqueritur, quod, « vas ejusmodi, quod sibi a patre, et a majoribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, et hospitum adventum, a se esset ablatum. » Et mox : « Apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia, ille continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne penatium, hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere. » Sed « tamen, quod antea de istius abstinentia dixeram, sigillis avulsis, argentum sine ulla avaritia reddidit. » Sigillatum itaque opus videtur fuisse, quando icunculæ in alio metallo indebantur. Hæc Tertullianus vocat sigillaria, quæque domi retinebant, ubi deorum sculptæ imagines. » Porro cum proinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis residendo. » Constantinus itaque in candelabris incunculas sculptas interseruit, et his ornavit candelabra. Hinc dicuntur interclusæ icones, et ut loquitur Liber Pontificalis, clusæ. Infra loquens de basilicæ S. Agnetis ornamentis, recenset : « Cereostata aurichalca argento clusa sigillata quadraginta » Et circa corpus S. Laurentii sigillato opere exornato. « Ante corpus beati Laurentii martyris argento clusam passionem ipsius sigillis ornatum. » Sigillati operis artificium mox explicat : « Fecit ex metallo porphyretico ex sculptis sigillis. » Talis est celebris Isiaca tabula, quæ uti insigne vetustatis monumentum in regiis archiviis Taurini servatur. In his sigillis sacra Novi Testamenti historiæ repræsentabantur. Sic legitur pag. 42 : « Fecit autem candelabra aurichalca... cum sigillis argenteis Actus apostolorum. » Exhibentes nempe historiam Actus apostolorum.

Num. 44, linea 7. — *Coronam.* Adhibebantur frequentius coronæ appositæ vel circa altare, vel in medio Ecclesiæ. Erant hæc vel votivæ, vel ad lumina sustentanda. De coronis votivis supra actum est ; de illis ad lumina, quæ pharales dicuntur, legitur infra in Sixto III, ubi dicitur quod fecerit « coronam pharam ante altare argenteam. » Et mox : « Coronas argenteas pharales triginta quatuor. » A copiosioribus luminibus dicebantur coronæ pharales, canharus, etc. Nec vero omnia complebant donarium altaris basilicarum, et usque ad sæculum IX erant horum vasorum principum et aliorum frequentissimæ donationes (*cap.* 26, q. 177.)

Hinc in chronico Cassinensi, cum de Sicenulfo principe, Cassinense monasterium diripiente agitur, ibi refertur abstulisse quæ Carolus ac alii reges dederant. « Prima quidem vice tulit in calicibus, et patenis, coronis, ac crucibus phalis quoque, et amulis, bochis, et fibulis, auri purissimi libras centum triginta, » etc. Apud gentes idem mos usitatus ex Vitruvio lib. VIII, ubi hæc habet : » Hieco, rebus bene gestis, cum auream coronam votivam diis immortalibus quodam in fano constituisset, » etc. Et Livius lib. II : « Dictator coronam auream libræ pondo ea publica pecunia, populi jussu, in Capitolio fori donum posuit. » Quod et alibi commemorant. Et Fortunæ primigeniæ centenæ coronæ dicatæ leguntur in veteri inscriptione exstante in domo episcopali Prænestina...

Votorum more suorum
Centenas dicat numero crescente coronas,
Fortunæ simulacra colens, et A, ollinis aras.

Passim in inscriptionibus, et apud scriptores usus votivarum usurpatus legitur.

BINII ET LABBEI.

Num. 34, linea 4. — *Hic in exsilio fuit in monte Soracte.* Silvestrum crudelitatem imperatoris metuentem ab Urbe exsulasse, præter acta ipsius, probabiliter indicant Zozimus lib. II, Sozom. lib. I, cap. 5, ex eo quod Constantinus criminis sui expiationem quærens, non Romanum Antistitem, sed peregrinum hominem Osium nimirum Cordubensem episcopum consuluisset.

Linea 5. — *Baptizavit Constantinum Augustum* Constantinum anno Christi 325, Crispo et Constantino tertium consulibus, baptizatum esse, Romanum concilium, prædictis consulibus, celebratum, apertissime probat. Quod Eusebius Pamphilus episcopus Cæsareæ Palæstinæ lib. IV, in Vita Constant. cap. 61 et 62, affirmat, Constantinum in extremo vitæ cursu, multus anis post celebratum Nicænum consilium in suburbiis Nicomediæ, ab Eusebio Nicomediensi Arianorum Antesignano baptizatum ex hac vita migrasse, impium, et ab Ecclesia catholica penitus alienum figmentum est, in gratiam Constantii imperatoris Ariani, ab Arianorum signifero (ita eum Hieronymus appellat in Chron.) excogitatum. Ipse enim Eusebius sæpius sibi ipsi contradicit, cum multis in locis, Constantinum pro catholico et piissimo habeat. Græci in suo Menologio Constantinum inter sanctos retulerunt.

Linea 6. — *Quem curavit Dominus a lepra.* Constantius filius Constantini eam historiam, qua parens ob scelera a se atrocissime commissa, lepra percussus fuerat, summo studio oblitteratam esse cupivit ; ideoque accidisse opinor, ut adulatoris potius quam historici officio perfunctus Eusebius, sicut baptismum imperatoris in fine vitæ susceptum falso et dolose narravit ; ita historiam lepræ, ut scilicet filio placerent, quas scripserat fabulas, studiose suppresserit.

Linea 10. — *Ubi et hæc dona constituit.* Hæc, quæ sequuntur confirmant non esse illicitum Ecclesiæ bona ad cultum et honorem Dei, ad ministrorum sustentationem collata, possidere.

Num. 35, linea 8. — *Chrisma ab episcopo confici.* Christi institutione constitutum est, ut chrismatis benedicendi solus episcopus minister sit. Vide Bellarm. lib. II de Confirm., cap. 5 et 6, et IV de Rom. pontif., c. 8.

Lin. 10 et 11. — *Hic et hoc constituit, ut baptizatum liniret et presbyter.* Hæc non de sacramentali unctione chrismatis in frontibus, sed de ea cæremoniali unctione, quæ in solemni baptismo fit in vertice baptizandi, intelligenda esse, testatur Hugo Victorinus, lib. II de Sacram., pag. 7, c. 3.

Lin. 16. — *Ut sacrificium altaris non in serico.* Confirmatur hac constitutione Silvestri pontificis, quod ad Eusebio prædecessore statutum fuerat : ut consecratio corporis Domini fiat super palla quadam

consecrata linea, non serica. Idque communi consensu et consuetudine, Beda et Burchardo testibus, in Ecclesia receptum est, et ex concilio Rhemensi cap. 3, confirmatum. Can. *Sacratas,* distinct. 24, appellatur palla sacra, quia est veluti pallium et indumentum Christi in altari. Communiter vero appellatur corporale, quia sindonem repræsentat, qua corpus Christi involutum fuit, vel quia in eo corpus Domini superponitur. Vide Alcuinum, Durandum aliosque plures, qui de divinis Officiis scripserunt.

Num. 36, linea 52. — *Ubi ardet in diebus Paschæ balsamum.* Balsamum summi pretii oleum, quod profusissimus principum Heliogabalus (ut scribit Lampridius in Heliogabalo) in lucernis exhibuit, quod Constantinus cultui sacræ religionis applicasse invenitur. Baron. anno 312, num. 36.

Num. 38, linea. 15. — *Calices aureos tres,* etc. Hæc quæ sequuntur vasa, et ornamenta basilicæ S. Petri collata, sunt eadem illa, quæ post 86 annos, cum ab Alarico Urbs capta est, occultata apud sacram Virginem, et inventa, ut tradit Oros. lib. VII, c. 36, præ magnitudine, pulchritudine, pondere et diversitate, Gothos attonitos reddiderunt, et ab iisdem, divino Numine sic disponente, cum honore eidem basilicæ restituta sunt. Vide Bar. anno 312, num. 64.

Num. 40, linea 1. — *Fecit basilicam beato Paulo apostolo.* Basilica Pauli, quæ cum esset ædificata, ubi corpus ejus positum erat, inter viam Ostiensem, et Tiberim, angustia loci interjacentis non potuit, ut par erat, amplioribus spatiis ædificari. Valentinianus autem Junior imperator, prætergressus viam illam, amplissimam reddidit. Vide Baron. ann. 324, num. 66.

Num. 41, linea 4. — *Eodem tempore fecit Constantinus Augustus basilicam in palatio Sessoriano.* Hanc basilicam post crucem anno Christi 326 inventam, ædificatam esse, crucis particula in eadem religiosissimo cultu collocata, evidenter ostendit. Sed cur, quæso, in atrio Sessoriano, apud Veneris et Cupidinis templum? Ut scilicet juste ulcisceretur immane scelus, quod a gentilibus in odium crucis fuerat perpetratum: dum in sancto Golgotha in crucis rupe (quod testatur S. Hieronymus epist. 13) impudica Veneris statua fuerat collocata, et locus ipse, crucis titulo adeo illustratus, ab iisdem Venerarium, appellatum. Quamobrem templum Veneris, quod Romæ præ aliis celebre erat, dignum visum est, ut cum ignominia eversum, sanctissimæ cruci cederet, quæ proculcatis impudicitiis, virtutum omnium splendore nitesceret. Baron. ann. 324, num. 105.

Num. 42, linea 1. — *Eodem tempore fecit basilicam sanctæ martyris Agnetis ex rogatu Constantiæ.* Rogatu filiæ Constantiæ hanc basilicam exstruxisse certum est, quo tempore incertum. Nam quo tempore et soror et filia imperatoris baptizatæ sunt non constat.

Num. 43, linea 1. — *Basilicam beato Laurentio.* Hic notat Baronius loca ubi corpora Martyrum ponebantur, usu prisco, *confessiones* appellata, et sumptuosissime exornata esse : ipsas vero corporum reliquias, olim in cœmeteriis, et recessibus subterraneis, tum erectis desuper basilicis, hisque auro, et argento exornatis, coli ac venerari cœpisse.

BLANCHINI

NOTÆ CHRONOLOGICÆ

Epocha S. Silvestri, quæ videtur biennio solido discrepare in catalogo Liberiano numerante annos 24, si comparetur cum cæteris, et cum picturis basilicæ S. Pauli, exhibentibus annos 22, exacte congruit, non secus ac præcedens Melchiadis, si distinguatur tempus ordinationis ad episcopatum et vicariatum in discrimine persecutionis ipsi collatum, a tempore electionis et successionis in sede Romana post mortem Melchiadis, ut præmonui in Prolegomenis. Pridie Kalendas Januarii depositum fuisse Silvestrum ad Priscillæ, novimus ex opusculo ejusdem sæculi, quo ipse in cœlum receptus est, edito in Prolegomenis ex Bucherio, cui universa Ecclesiæ tabularia suffragantur. Constantio et Albino consulatum claudentibus anno 335, æræ Christianæ die 31 Decembris diserte memorat catalogus Liberianus, ejusdem sæculi supra in Prolegomenis editus. Recessus in anteriora tempora per annos 23, menses decem et dies 20, ipsi attributos in numeris Leonianis basilicæ S. Pauli, integerrime præservatis, ostendit, ordinationis diem fuisse Dominicam. Februarii anno 312, constante Vita Melchiadis, a quo vicarius assumebatur in æstu persecutionis Maxentii, exemplo decessorum. Hanc summam, integra hebdomada, decurtant catalogi duo Colbertini primus et tertius, alii biduo imminuunt ita decurtatam ; quibus non immoror ; cum dierum numerus sit evidens in prototypo picturarum : quarum annos 23, et menses 10 universi catalogi tam Italici, quam exteri, necnon ipse Felicianus exacte reddunt. Consules ordinationis, idem Catalogus Felicis IV, cum nostro Bibliothecario satis ostendit quando affirmat initium repetendum a *temporibus Constantini et Volusiani.* Constantinus Augustus iterum consul ordinarius procedebat extra Italiam Kal. Januari anno 312. Orientalium autem consulum ex præcedenti Septembri, prior erat *Rufius Volusianus* cum collega *Eusebio,* Testatur opusculum ejusdem quarti sæculi de præfectis Urbi editum cum cæteris a Bucherio: ubi ad annum 311 legimus: « Consules, quos jusserint DD. NN. Augusti Ex mense Septembri factum est, Rufino et Eusebio, » Sunt autem *Rufius Volusianus et Eusebius* nominandi, ut Schelestratius probat ex vetusta inscriptione, olim *servata in Capitolio,* in qua observat *Rufium Albinum V. C. Cos.* dici Rufi Volusiani bis ordinarii consulis filium. Hanc recenset in Fastis etiam Panvinius ita conceptam.

S. P. Q. R. CEIONIVM. RVFIVM· ALBINVM.
V. C. PHILOSOPHVM. RVFI. VOLVSIANI. COS. FILIVM.
ET .....
QVOD. EIVS. LIBERTAS. POST. CÆSARIANA. TEMPORA. ID EST. ANNOS. CCCLXXX. ET... AVCTORITATEM. DECREVIT. FL. MAGNVS. IANVARIVS. V. C. CVR. STATVARVM.

Schelestratius lectum fuisse indicat *bis ordinari consulis filium,* et in quarto versu *annos* CCCLXXX ET I. Utrolibet modo legatur, Pater Ceionii Rufii est Rufius Volusianus consul, et jam semestri e spatio nondum completo consulatum gerens Orientalis imperii, quando die 10 Februarii anni vulgaris æræ 312, ordinabatur episcopus Silvester, gerentibus consulatum in Occidente ex Kal Januarii Constantino Augusto II, et Licinio II. Quare hanc epocham ordinationis beati Silvestri ad episcopatum catalogus Felicis IV, et Liber Pontificalis consignant nomine *Constantini et Volusiani.* Consulatus vero, unde inchoat Romanus pontificatus ejusdem Silvestri post mortem Melchiadis, quando ex vicario electus fuit successor in catalogo Liberiano, dicitur *Volusiani, et Aniani* (nempe annus 314, quo Volusianus iterum consul cum Aniano processit) : dies incidit *pridie Kal. Februarii,* nempe in diem Dominicam, qua Silvester sedem apostolicam conscendit : et inde tenuit per annos 21, et menses 11 solidos, donec diem 31 Decembris supremam anni 335, et consulatus *Constantii et Albini* mortalis quoque vitæ, et pontificatus sui postremam habuit : ad quam pariter ex die consecrationis episcopalis 10 Februarii anni 312, picturæ S. Pauli recte numerant episcopatus annos 23, menses 10, et dies 20, differentibus Colbertino 1 et 3 per unicam hebdomadam consecrationem Silvestri, et ex die 17 Februarii, pariter Dominica tribuentibus illi annos 23, menses 10, dies 13. His tamen pr [illegible] merum basilicæ Paulinæ via Ostiensi,

ex regulis Criterii jam constitutis in Prolegomenis.

Observat Schelestratius ex producta inscriptione Ceionii Rufii Albini, qui cos. ordinarius fuit cum Flavio Constantino eodem anno 335, quo desinente, S. Silvester vitam et Pontificatum sanctissime clausit, *a Cæsarianis temporibus ad eumdem consulem, numerari annos Julianos* 381. Tot enim revera colliguntur ; si annis epochæ Christi communis 335 addantur illi 46, quibus annus princeps ordinationis Julianæ æram Christi communem antecedit, incluso ipso anno, quem vocant *confusionis*, a Cæsare producto per dies 445. Si vero servetur numerus ann. 330 expressus in marmore, exacte congruit cum spatio intercepto a primo anno formæ Julianæ novæ ordinationis 45, ante æram Christi ad consulatum Ceionii Rufi Albini.

Et quoniam huc evaserunt aliorum ac nostræ observationes de pontificia chronologia, ut ad fastos consulares, et ad Cæsariana tempora studeant eamdem diligenter referre ; quo firmior sit progressus, constituto semel indicio termini, unde certa fiat inchoatio numerationis, placet hic demonstrare certos characteres anni Juliani, ex quo petendum est initium temporum Cæsarianorum ante æram Christi communem. Licet enim chronologi omnes consentiant in anno primo Juliano, qui, nova ordinatione Cæsaris, dictatoris, constitit diebus 365, vel 366 : ita collocando, ut obtineat locum 45, ante initium æræ Christi communis, et novilunium ferat ipsis Kalendis Januarii ; attamen variant in consulatu Cæsaris quarto vel quinto eidem assignando. Multum autem interest id perspicue dilucidare, ne series consulum per annos Julianos tum præcedentes, tum consequentes e sede sua dimoveatur. Nobis vero præ cæteris examen istud redditur necessarium ; cum in chronologia pontificia et consulari præmissa notis in fine Prolegomenorum istius tomi, inchoemus ab hisce Cæsarianis temporibus et consulatibus, et indicemus certos characteres eclipsium, aliorumque cœlestium motuum iisdem annis et consulatibus signatorum, ut certam reddant mensuram temporum, ibi per nos assertam.

Ut consulam brevitati, transcribam tantummodo caput tertium et quartum ex opusculo nondum edito, cui titulum feci de *Reparatione temporum æræ Christianæ*. Illud paraveram, aliquando, ut spero, proditurum, ad eam partem chronologiæ suis demonstrationibus instruendam. Apparebit ex titulo quoque capitis quarti, quam recte cum Schelestratio et cum chronologis ferme universis retineamus annum primum novæ ordinationis styli Juliani, constantem diebus 366 (nam est bissextilis), et novilunio insignitum ipsis Kalendis Januarii in sede 45, ante initium æræ Christi communis ; et quintum C. Julii Cæsaris consulatum eidem anno assignemus, in quo etiam mors Cæsaris collocanda est Idibus Martii juxta rationes nostras. Annum vero huic a Cæsare præmissum, dico explicatum totis diebus 445, quem propterea nuncupatum historici memorant *annum confusionis*. Ex his diebus 445, postremi 365, constituunt annum *Julianum prolepticum* 46, ante æram Christianam : cui anno dico esse assignandum *quartum Cæsaris, consulatum*, et reliquos 80 dies, partem ejusdem anni confusionis præcedentem eos 365, qui constituebant annum 46 (*Julianum prolepticum*) ante æram Christi communem, eos, inquam, 80 dies dico pertinuisse ad *quartum pariter consulatum Cæsaris*, et simul *ad tertiam ejus dictaturam*, ut ex genuino testimonio Fastorum in Capitolinis marmoribus adhuc præservato, reddetur evidens in decursu capitis quarti, quod hic attexam, præmisso capite ejusdem operis tertio, hic pariter inserendo.

Ex opusculo chronologico Reparationis Temporum Æræ Christianæ.

CAPUT III. — *Proponuntur documenta motuum lunisolarium et eclipsium utriusque luminaris, pertinentia ad annos prolepticos julianos* 50 *et* 51 *ante æram Christi communem, et ad annos Romanos civiles, et ad consules eisdem annis assignatos in Fastis Capitolinis et in historia Romana.*

Nemo improbet excursum nostri criterii temporum ad annos 50 Julianos ante æram Christi communem, propositum præsenti capite, quasi oblivisci placeat, quinquennio tardius repeti oportere initium annorum Julianorum ; cum Julius Cæsar dictator annum primum suæ novæ ordinationis auspicatus sit iis Kalendis Januarii, quibus novilunium verum ac medium committebatur, nempe annis 45, solidis ante illas Kalendas Januarii, unde vulgaris æra Christi sumit exordium : quorum annorum 45 primus et postremus, necnon quartus quisque a primo absoluto sit bissextilis. Illis igitur Kalendis Januarii primum annum novæ ordinationis Julianæ inchoantibus, novilunium verum contigit horis 14 et minutis 43 post meridium Parisiis, quæ sunt horæ 15, et minut. 26, post meridiem Romæ ; novilunium vero medium commissum fuit horæ 8,0 post meridiem Paris. quæ est hora 8 44, post meridiem Romæ ; ineunte anno 45, Juliano ante æram Christi communem. Ita vero colligitur ex tabulis astronomicis accuratissime editis a D. de la Hire, et exactissime respondentibus cœlestium observationum experimentis.

Observationum experimentis.

Radix annorum Christi æræ	Sol ab Ariete S. G. M. S.	Apogæum Solis ab Ariete S. G. M. S.	Luna ab Ariete S. G. M. S.	Apog. Lunæ ab Ar. S. G. M. S.	Nodus Asc. ab. Ar. S. G. M. S.
Ineuntium.	9. 8.43.48.	2. 9.5. 2.	4.15.18. 9.	9.11. 4.38.	8.28.36. 6.
Anni XL.	0. 0.18.20.	0.6.41.10.	8.27. 8. 0.	6. 7.41.42.	1.23.10.27.
anni V.	11.29.47.30.	5. 7.	10. 0. 5.51.	6.23.26. 2.	3. 6.41.46.
dies I.	59. 8.		15.10.35.	16.41.	3.11.
Summa subtr.	0. 1. 4.58.	0.0.46.17.	7.10.24.26.	1. 1.14.25.	1.29. 1.30.
ex Radice.	9. 8.43.48.	2.9. 5. 2.	4.15.18. 9.	9.11. 4.38.	
Radix annorum Julianorum ineuntium.	9. 7.38.50. 2. 8.18.45.	2.8.18.45.	9. 4.53.43. 8. 9.50.13.	8. 9.50.13.	1.29. 1.30.
Anomalia Solis	6.29.20. 5.		0.25. 3.30.	Anom. lunæ Prost. subtr.	
Prostaph. add.	0. 0.57.52.		2. 2.40.	ex loco lunæ	
Loco Solis medio.	9. 7.38.50.		9. 4.53.43.	medio.	
Locus Solis verus.	9. 8.36.42.		9. 2.51. 3.	Locus lunæ verus.	

Locus Solis medius 9.7.38.50. Locus solis verus 9.8.36.42.
Locus lunæ medius 9.4.53.43. Locus lunæ verus 9.2.51. 3.
Distantia lunæ a sole med. 0.2.45. 7 vera 0.5.45.39.

Supersunt ad synodum mediam horæ 5 et minut. 24. Ad syn. veram horæ 11.45.
Quare novilunium medium contigit Kalendis Januarii anno primo ineunte novæ ordinationis Julianæ (qui est 45 ante Æram Christi communem) post meridiem Parisiis hora 5. 24. post meridiem Romæ hora 6.6.
Et novilunium verum, hora p. m. Parisiis 11. 35. Romæ 12. 17. p. m.

Præmittatur hisce annis 45 Julianis, fluentibus a nova Cæsaris ordinatione ad initium æræ Christianæ aliud quinquennium Julianum, quod proleptice numerabimus per dies quinquies 365, cum additamento unius bissextilis, nempe dies assumantur 1826 proxime præcedentes Kalendas Januarii, primas Julianas, ferentes novilunium medium et verum, per tabulas nuper collectum. Dies illi 1826 quinque annos constituent Julianos, quorum quatuor communes, unus vero sit bissextilis. Nihil derogat veritati hæc assumptio. Neque enim asserimus in usu fuisse, quinquennio ante ordinationem Cæsaris, annos Julianos apud Romanos ; sed quærimus assignare gesta dierum 1826 ante æram Julianam ita distincte, ut in eo dierum numero demonstrare singillatim possimus, ex sede quam dies habuissent in anno styli Juliani, sedem quam obtinuerunt tam gesta hominum, quam motus cœlestium corporum observati et ab historicis narrati, una cum gestis, in distributione eorumdem dierum per annum civilem diversum a Juliano tunc vigentem in Urbe, aut in provinciis Romani imperii, aut exteræ dominationis.

Appendix igitur istius quinquennii proleptici, præmissa vero exordio æræ Julianæ, quæ caput numerationis inchoat indicato spatio 50 annorum ante æram Christi communem, insignis redditur ac maxime definita per duas solares eclipses Romæ conspectas ; quarum ab una præceditur diebus 300 (cum eclipsis incidat in diem 7 Martii anni 51 proleptici Juliani ante epocham Christianam), alteram eclipsim ipsa defert die a suis Kalendis Januariis 233, quæ diceretur 21 Augusti anni Juliani 50 ante æram Christi communem.

Certus igitur character ac nota anni quinquagesimi styli Juliani, proleptice assumpti ante æram Christi, dubitare non sinit de vera distantia temporis illius ab ætate nostra cum comprobetur motibus lunæ ac solis, in ea duplici eclipsi spectatis, nec ulli tempori convenientibus præterquam indicato.

Quod si inter spectandum utramque eclipsim aliquid actum sit Romæ vel in provinciis, relatum ab historicis ad eos consules quorum Kalendas Januarias et magistratum narrant unam eclipsim præcessisse, et alteram ita fuisse consecutam ; dubitare jam non possumus de vera distantia illorum consulum et anni civilis per eos signati ab ætate nostra, et ab exordio æræ Christi communis. Hoc ipsum dicimus, illustrem reddere epocham ita signatam observatis motibus cœlestibus, certam distantiam temporibus definientibus temporibus indicati.

Solaris eclipsis ferme totalis paulo post exortum solis Romæ spectabilis incidit in diem quæ esset secunda Augusti in anno Juliano proleptice assumpto 50 ante æram Christi communem. Anno autem hunc præcedente, qui fuisset Julianæ formæ 51 ante æram Christianam, die 7 Martii, solis eclipsis centralis et annularis Romæ spectabilis fuit in meridie juxta tabulas astronomicas.

Hæc ipsa eclipsium observatio, quarum una saltem fuerit totalis Romæ, descripta invenitur apud Dionem, et attributa eidem anno, quem memorabilem præ cæteris reddit Romana historia funesto non minus quam celebri exordio bellorum civilium, cui scilicet anno consules obtigerunt C. Claudius. Marcellus, L. Cornelius, Lentulus, et mox dictatura C. Julii Cæsaris prima, quæ eumdem reddidit illustriorem. Leguntur in marmoribus Capitolinis ita signata nomina consulum ac dictatoris, eidemque anno civili, Romæ tunc usurpato, sic attributa :

C. CLAVDIVS M. F. M. N. MARCELLVS L. CORNELIVS Lentulus EODEM ANNO
C. IVLIVS H. F. C. N. CAESAR DICTATOR

Sub his consulibus notam eclipseos solis totalis, et exordium belli civilis recenset Dio lib. XLIII : qui etiam non omittit asserere anno hunc proxime præcedenti aliam solarem eclipsim conspectam fuisse, et vulgi superstitione ambas eclipses habitas inter signa et portenta, quæ Urbi evenerunt veluti indicia horum discriminum. Ejus verba pag. 159 edit. Græco-Lat. Leunclavii, talia sunt, dum loquitur de Pompeio Magno Dyrrhachium appellente. Εὐθύς γε κατέρων εἰς τὸ Δυῤῥάχιον ἔμαθεν, ὅτι οὐ καλῶς ἀπῆλαξε, etc. *Ut primum Dyrrachum appulit, statim, malo omine, se patria excessisse didicit. Nam in ipsa adnavigatione fulminibus aliquot milites exanimati sunt*, etc. *Hæc portenta Pompeio evenerunt. Cæterum alia* TOTI VRBI EO ANNO AC PAVLO ANTE EVENERVNT. Eadem vero enumerans, quæ *eo anno, et paulo ante* in Urbe contigerant, recenset etiam solares defectus. *Nam*, inquit, *in ipsa Urbe lupi noctuæque frequentes apparuere, terræmotusque crebri cum mugitibus editi sunt : ignis ab occidua cœli parte in orientalem perlatus est : alius ignis cum alia ædificia, tum Quirini ædem excussit :* Ὅτε ἥλιος ΣΥΜΠΛΑΣ ΕΞΕΛΙΠΕ· SOL TOTVS DELIQVIVM PERTVLIT. *Sceptrum Jovis galeaque Martis, in Capitolio reposita, itemque columnæ, in quibus leges exstabant, de cœlo tacta sunt.* Inter ea vulgo credita prodigia Romæ spectata, fuisse recenset SOLIS ECLIPSIM TOTALEM, ejus scilicet anni, cujus Kalendas Januarias initio libri XLIII asserit signatas nominibus consulum tunc ineuntium *Cornelii Lentuli et C. Caudii et paulo ante ;* cum anno scilicet præcedenti, alia solaris eclipsis ferme totalis, nempe centralis et annularis, conspecta fuisset in Urbe, die respondente 7 Martii anni Juliani proleptici 51 ante æram Christi communem. Dioni astipulatur Lucanus libro primo, qui horam eclipsis descripsit meridianam Romæ, cum cætera etiam prodigia a Dione memorata retulisset, ita canens versu 540 :

Ipse caput medio Titan cum ferret olympo
Condidit ardentes atra caligine currus ;
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Desperare diem : qualem fugiente per ortus
Sole Thyestææ noctem duxere Mycenæ.

Consules hunc annum bellorum civilium aperientes, QVO ETIAM ANNO, ET PAVLO ANTE illa prodigia evenerunt, juxta Dionem, referuntur et a Cæsare in suis Commentariis lib. I Bellorum civilium, *Cornelius Lentulus et Claudius Marcellus.* Quibus Urbe aufugientibus, dum ipse, fugato Pompeio, in Hispaniam contenderet et Massiliæ ageret, se a M. Lepido *dictatorem* dictum cognovit. Quare in Urbem redux, inito magistratu (nobis quoque memorabili, cum nostris Gallis transpadanis civitatem Romanam tunc concesserit) infra dies undecim, teste Plutarcho, se dictatura abdicavit.

Cum itaque tot documentis æqualium scriptorum, et ab æqualibus ea transcribentium, constet de consulibus ac de dictatura ejus anni, unde bellorum civilium exordia eruperunt, nihil evidentius demonstrare poterit, annum hunc et consulatum Claudii et Marcelli pariari cum anno 50 *Julianæ formæ proleptico* ante æram Christi communem, quam commensus motuum cœlestium tunc observatorum in eclipsi solis totali, Romæ in meridie paulo ante con-

specta, et alterius eclipsis solaris, eodem anno similiter in Urbe visæ : qui motus, ex eclipsibus evidentes, nulli ex proximis annis conveniunt quam indicatis.

Ut ordo temporum servetur, exhibenda est primum eclipsis quæ proxime antecessit eumdem annum 50 ante æram Christianam, incidens in diem 7 Martii anni Juliani 51 proleptici ad eamdem æram relati. Illius epilogismus, collectus ex tabulis D. de la Hire, hic apponendus, ostendit ea die solem in meridiano Romæ collocatum, interpositione lunaris globi ita fuisse contectum, ut centra luminarium unico minuto primo invicem distiterint. Quod si motus lunaris anomaliæ fuisset paulo minor, lunæ A diameter solari amplior apparuisset, totumque solis discum occultasset. Verum annularem fuisse eclipsim necesse est, cum solaris discus sub angulo paulo ampliore (nempe unius minuti et secundorum 57) spectaretur, quam lunæ diameter : quare unius minuti, angusto margine lunaris globi ambitum excedebat. Hæc vero eclipsis universorum astronomorum tabulis probatioribus respondet. Ejusdem supputatio præ cæteris facilior Romæ, cum in eo sita luminaria reperirentur tempore veræ synodi. Propterea ejus diagramma exhiberi potest compendiosissime ex tabula anguli eclipticæ cum meridiano, qualem hic exhibet calculus et figura 1.

Calculus novilunii ecliptici Romæ spectati hor. 0, minut. 8, post meridiem anno 51 Juliano proleptico ante æram Christi, die 7 Martii, eclipsis centralis et annularis.

Radices, sive epochæ motuum mediorum solis et lunæ ad meridiem Kalendarum Januarii anni primi ex Julianis, sive 45 ante æram Christi communem, ad meridianum Parisinum, ex Tabulis D. de la Hire.

Kalendis Januar.	Sol ab Ariete	Apog. Solis ab Ar.	Luna ab Ariete	Apog. Lunæ ab Ariete	Nodus Ascend. ab Ar.
	S. G. M. S.	S. G. M. S.	S. G. M. S.	S. G. M. S.	S. G. M. S.
anno 1 Juliano inchoante anni 6.	9. 7.38.50	2. 8.18.55.	9. 4.53.43.	8. 9.50.53.	1.29. 1.30.
♑ Kal. Januarii annt 51 ante æram Christi.	11.29.33.11.	6. 9.	2. 9.28.54.	8. 4. 5.55.	3.26. 1.21.
	9. 8. 5.39.	2. 8.12.46.	6 25.24.49.	0. 5.44.18.	5.25. 2.59.
Februar completus	1.28. 9.11.		10. 1.27.24.26.	0. 6.34.22.	0. 3. 7.28.
dies sex	5.54.50.		1. 2.19. 3.30.	40, 6.	19. 04.
Summa addenda	2. 4. 4. 1.		11. 4.16.27.56.	0. 7.14.28.	0. 3.26.32.
Radici anni 51.	9. 8. 5.39.	2. 8.12.46.	6.25.24.49.	0. 5.44.18.	5.25.2.59.
Locus medius solis die 7 Martii an. 51 ante Ær. Chr. com.	11.12. 9.40.	2. 8.12.57.	11.11.52.45.	0.12.58.47.	5.21.36.47.
Motus Apog. subta.	2. 8. 12.57.	Mot. Apog.	0.12.45.47.	Subtr.	

Solis Anomalia.	9. 3.56.43.	Lunæ	10.28,53.58.	Anom. lunæ	Parallaxis lunæ
Prostaphæresis add.	1.55.13.	Prost	2.30. 4.	addenda	horizont. 55.34.
Loco solis medio	11.12. 9.40.	loco med.	11.11.52.45.	lunæ	diamet. lunæ.
Locus verus Solis	11.14. 4.53.	lunæ	11.14.19.45.	locus verus	horizont. 29.46.
Nodus descendens in	11.21.56.28.	locus solis verus	11.14 4.53.	subtr.	Motus horarius
Dist. lunæ a nodo gr.	7.30.54.	Elongatio Lunæ a Sole	0. 0.14.52.		30. 1. lunæ 2.38. solis 27.23. lunæ a sole.

Præcessit synodus vera luminarium hor. 0. minut. 39. Parisiis ante meridiem synodus vera contigit horis 0. minutis 8. post meridiem Romæ

In meridie Romæ declinatio Solis fuit graduum 6.16.0 Australis

Latitudo lunæ	0,39,18. Bor.		Latitudo Urbis gr.	41.54 27.	Diametr.
Parallaxis	0.40.09	47.31.21	Dist. a vertice solis	48.10.27.	solis 32.7.
Distant centra		40.09	Vera lunæ	46.31. 9.	lunæ 30.1
Luminarium.	0.00.51	48.11.30	Vera lunæ	48.11.18.	



SE *Ecliptica*, MLN *Lunæ semita*

S *centrum solis in gr.* 14, 4, 53. *Piscium hora* 0, 8, *post merid. Romæ.*

L Centrum lunæ in gr. 14, 4, 53. *Piscium hora* 0, 8, *p. m. Romæ in sua orbita.*

LS *Parallaxis grad.* 0, 40, 9, *deprimens centrum Lunæ ex L. in S. et eclipsim Solis centralem et annularem ibi constituens, anno periodi Scaligeri* 4663, *die* 7 *Martii, ante æram Christi communem* 51 *proleptica.*

Succedit altera eclipsis solis Romæ, et pluribus in provinciis Romanæ ditionis spectabilis, paulo post exortum solis die 21 Augusti, ann quinquagesimo ante æram Christi communem *Juliano proleptico*, C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo coss.

Illius epilogismum damus ex tabulis consuetis D. de la Hire, necnon diagramma per compendium nostri pantometri ecliptici : in quo observari potest Romæ, hora 6, interceptos a luna fuisse tres circiter digitos solaris diametri ; cum hic angulus ASE azimuthi AS, cum ecliptica SE hora supradicta fuerit gr. 22, et parallaxis II *deprimeret* lunæ centrum ex L in H, minutis 59, dum sol teneret punctum eclipticæ S. gr. 24, 22 Leonis : luna vero versaretur in L, gradu 23, 15 ejusdem signi.

In Africæ vero littore Italiæ adverso et Græciæ, circa Tripolim scilicet ac Cyrenen, eadem hora angulus A S L cum sit tantummodo graduum sex, nempe M S E, etiam illi alternus et æqualis SL T in azimutho lunæ propius admovet centra luminarium, fitque eclipsis digitorum 9 aut decem ; et procedentibus per Africam versus tropicum æstivum fit eclipsis centralis circa Thebaidem superiorem, et finitimum tractum Æthiopiæ ac Libyæ interioris.

Ne quis vero dubitet de exacto consensu tabularum D. de la Hire cum cœli motibus ab ætate C. Julii Cæsaris ad nostram, placet comparare eclipsim centralem indicati anni 51 *Juliani proleptici* ante æram Christi, spectatam Romæ in meridie, die 7 Martii, cum eclipsi partiali Romæ conspecta anno æræ Christi 1718, die 2 Martii Gregoriani, sive die A 19 Februarii Juliani, horis 7 post mediam noctem, feria IV Cinerum ineunte, in qua eclipsi observavimus interceptum nobis fuisse solaris disci digitum 1 et 1/4. Apparebit luculenter, per hos annos 1768, qui inter utramque eclipsim effluxerunt, omnimodus consensus tabularum cum motibus observatis. Nam solislocus in ecliptica ex tabulis in meridie ejus diei colligitur in gr. 11, 35, 30 piscium ; ubi etiam conspectus fuit per observationem exactam, Licet enim die 2 Martii non potuerim observare solem in meridiano, attamen die proxima, quæ fuit 3 Martii, licuit conspicere tum solis utrumque limbum appellentem ad meridianum, tum etiam Sirii appulsum ad idem planum meridiani horis æquinoctialibus 7, 39, 0 post solem ; unde ex ascensione recta Sirii gr. 98, 17, colligebatur ascensio recta solis grad. 343, 57, quæ ostendit locum solis in zodiaco, die quidem 3 in gr. 12, 36 piscium ; die vero proxime præcedenti in gr. 11, 36, quemadmodum ex tabulis B quam proxime eliciebatur. Lunæ autem latitudo, longitudo, diameter et parallaxis hora indicata 7, post mediam noctem, Romæ talis provenit, qualem manifestat obscuratio digiti unius cum quadrante, eodem tempore a nobis spectata, per telescopium excepta solis imagine in charta ad rectos angulos constituta cum axe tubi optici, in cubiculo de more obscurato : in qua etiam observatione notavimus, puncta *a* et *b* circumferentiæ solaris disci a lunæ limbo intersecti, cadere hinc in grad. 5, inde in 60, ab azimutho *c d*, secante solis circumferentiam in *c*, juxta methodum observandi infra a nobis traditam in hoc ipso opusculo Reparationis temporum, cap. 4.

Calculus eclipsis solaris, quæ partialis Romæ, totalis vero in Africa interiori, et in Thebaide superiori conspecta est anno 50 Juliano proleptico ante æram Christi communem, sive 4664 periodi Julianæ Scaligeri, die 21 Augusti horis matutinis, C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo coss.

Radices motuum solis ac lunæ, relatæ ad meridiem Parisiorum Kalendis Januarii anni 51, ante æram Christi communem supra excerptæ ex tabulis D. de la Hire.

Kal. Januarii anni 51 ineuntis ante æram Chr.	Sol ab Ar. S. G. M. S.	Apog. solis ab Ar. S. G. M. S.	Luna ab Ariete. S. G. M. S.	Apog. lunæ ab Ar. S. G. M. S.	Nodus Asc. ab Ar. S. G. M. S.
	9. 8. 5.39.	2. 8.12.46.	6.25.24.49.	0. 5.44.18.	5.25.02.59. Sub.
Motus anni unius.	11.29.45.40.	1. 2.	4. 9.23. 3.	1.10.39.52.	0.19.19.43.
Radix motuum ad ann. 50 ineuntem	9. 7.51.19.	2. 8. 13. 48.	11. 4.47.52.	1.16.24.10.	5. 5.43.16.
Julius complet.	6.28.57.26.	35.	9. 3.23.44.	0.23.37. 8.	0.11.13.34.
dies XIX.	18.43.38.	3.	8.10.21. 5.	2. 7. 1.	1. 0. 2.
Horæ XVIII.	44.21.		9.52.56.	5. 01.	2.23.
Locus solis medius	4.26.16.44.		4.28.25.37.		
Apog. solis subtr.	2. 8.14.26.	2. 8. 14.26.	2.12.13.20.	2.12.13.20.	0.12.16. 0.
Anom. solis.	2.18. 2.18.	Anom. lunæ	2.16.12.17.	Locus Ω	5. 5.43.16.
Prostaph. subtr.	1.52.34.	Prost. subtr.	4.47.13.	Locus lunæ.	4.23.27.16.
ex motu medio.	4.26.16.44.	ex motu med.	4.28.25.37.	in ♂	4.24.24.10.
Locus solis verus.	4.24.24.10.	Locus lunæ	4.23.38.22.	Dist. a Ω	0. 0.56.54.
Lunæ verus.	4.33.38.27.	verus.		Lat. Lunæ.	0. 3.15. B.

Dist. lunæ a sole 0.0.45.48.
Hora 6. ad merid. Paris. p. m. n.
quæ est Romæ hora 6. 42. p. m. n.

Ex Anomalia 2 16.12.17.
Parallaxis horizontalis lunæ 0.59.37.
Diameter horizontalis lunæ 0.32.32.
Motus horarius verus lunæ 0.36. 1.
Motus horarius Lunæ a sole 0.33.34

Ex anom. solis.
2.18 2.18.
Diam. solis 32. 2.
Motus hor. 2.27.
solis.

Contigit igitur synodus vera Luminarium in gr. 24, 27, 26, Leonis hora 7, 22. Paris. p. m. n. quæ Romæ erat hora 8, 1, post mediam noctem.

Hora Roma post mediam noctem 6, 0, quæ est ante meridiem 6, 0 fiat diagramma eclipsis. Sol erat in S. gr. 24, 22, 28, Leonis. Distabat a vertice G. M Luna erat in L. gr. 23, 15, Leonis. Distabat a vert. gr. 78, 30. Parallaxis lunæ in ea elevatione erat gr. 0, 59.

A S E Angelus azimuti solis cum ecliptica gr. 22. Apparebat igitur Romæ Lunæ centrum, in H. in suo azimuto, HL. depressum per parallaxim min. 59, ut ostendit figura.



Fig.a 2.



Fig.a 3.

In Thebaide autem superiori, et in Cyrenaica Libyæ interioris sub tropico cancri sita, ubi angulus A S L exignus est, et ubi ferme coindicit azimutum solis S A cum linea eclipticæ S E, tota parallaxis lunæ abit in longitudinem, eamque deprimit in linea L S ita ut in parallelo tropici æstivi, ejusque parte a Romano meridiano dissita versus orientem gr. 15 circiter, eadem hora, Romæ ante meridiem 6, ibi 5, elevata supra horizontem luna gradibus circiter 25, parallaxis L M, minutorum 52, centrum lunæ exhibuerint in M. et ubi meridianus Romanus parallelum tropici intersecat in Africa, ibi parallaxis S L, eadem hora lunæ centrum in S exhibuerit, totumque solis discum occultaverit populis in eodem parallelo, et meridiano sitis.

Calculus eclipsis solis digiti 1 1/4 Romæ observatæ anno 1718, feria IV *Cinerum, die 2 Martii stylo Gregoriano, seu 19 Febr. stylo Jul.*

Ad annum 51. prolept. ante Ær. Christi	Sol. ab ariete S. G. M. S.	Apogæum Solis ab. ar. S. G. M. S.	Luna ab ariete. S. G. M. S.	Apogæum ☾ ab Ar. S. G. M. S.	Nodus Ascend. ab Ar. S. G. M. S.	
Radix inventa	9. 8. 5 39.	2. 9. 11. 46.	6. 25. 24. 49.	0. 5. 44. 18.	5. 25. 2. 59.	
anni Mille	7. 38. 20.	17. 5. 0.	6. 17. 20. 10.	0. 12. 22. 41.	8. 21. 51. 10.	
Anni DCC.	5. 20. 50.	11. 57. 30.	11. 24. 50. 7.	1. 14. 39. 52.	7. 9. 17. 49.	
ann. LX.	27. 30.	1. 1. 30.	1. 10 42. 1.	9. 11. 32. 34.	2. 20. 30. 40.	
anni VIII.	3. 40.	8. 11.	1. 11. 25. 36.	10. 25. 32. 20.	5. 4. 44. 5.	
Januar. comp. L.	1. 0, 33. 18.	10.	1. 18. 28. 6.	0. 3. 27. 13.	1. 38. 30.	
dies XVII.	16, 45. 22.	3.	7. 13. 59. 55.	1. 53. 39.	54. 1.	
Horæ XVIIII.	46. 49.		10. 25. 53.	5. 18.	2 31.	
	11. 9. 41. 28.	3. 9. 24. 10.				
Locus solis med.	3. 9. 24. 10.		11. 13. 36. 47.	10. 15. 17. 55.	11. 28. 58. 46.	
Solis Anom.	8. 0. 17. 18.	Diame Solis	10. 15. 17. 55.			
Prost. add.	1. 41. 46.	32. 26.	0. 28. 18. 52.	Anom. Lunæ	5. 25. 2. 59.	
loco solis medio	11. 9. 41. 28.	Motus horarius Solis	2. 17. 40.	Prost. subtr.	5. 26. 4. 13.	Locus ☊
locus solis verus	11. 11. 23. 14.	2. 30.	11. 13. 36 47.	ex loco med.	11. 26. 4. 13.	nodi asc.
Locus lunæ verus.	11. 11. 19. 7.		11. 11. 19 7.	Locus Lunæ verus.	11. 11. 19. 7.	Locus gr.
			Anom. Lunæ.	0. 28. 18. 52,	0. 14. 45. 6.	Dist. lunæ a. ☊
Dist. ☾ a ●	0. 0. 4. 7.	hor. minut. 8.	Diam. Lunæ.	horiz. 29. 44.	1. 16. 7.	Lat. Lunæ A.

Hora paris. 7. 8. post med. noctem
Romæ 7. 50. post med noctem
Solis elevatio supra horizontem Rom. gr. 16.
Angulus azimuti solis cum ecliptica gr. 61.
Hora Romæ. 7. 0. post med. noctem.
Solis elevatio supra horiz. gr. 6.
Lunæ gr. 7, Parallaxis min. 53. 56.

Parallaxis horizont.	54.26	29.57.
Motus horarius verus	29.57.	2.30.
Lunæ 16. 40. Elevat supra horiz.		Mot hor
Paralaxis gr. 0.52.16.		27.27. ☾ a ●

Diagramma eclipsis solaris digiti 1 1/4 Romæ observatæ h. 7. 0.

Constat igitur de fide tabularum cum observatis eclipsibus ab ætate Cæsaris ad nostram ita arcte connexa, ut octodecim ferme sæculorum intervallo, ne minutis quidem duobus aut tribus discrepans deprehendatur in luminarium sede indicanda, et in eclipsium quantitate omnino consentiat.

Quare inter documenta temporum hisce octodecim sæculis tribuenda, principem locum merito damus cœlesti huic testimonio, annos, dies et horas conspectarum eclipsium adeo subtiliter ac fideliter demonstranti.

Figatur itaque clavus annalis anni *Juliani proleptici quinquagesimi ante æram Christi communem* in Kalendis Januariis, inter utramque demonstratam eclipsim solis ita constitutis, ut a priori illa distent per dies 300 (quot numerantur a 7 Martii ad 1 Januarii sequentem), et ante posteriorem præcedent 233, quot fluunt a Kalendis Januarii ad 21 Augusti proxime succedentem in anno Juliano communi, qualis est prolepticus 50 ante æram Christi.

Ratum pariter sit, eidem anno 50 ante æram Christi communem tribuendos esse consules *C. Claudium Marcellum et L. Cornelium, Lentulum*, a Dione connexos cum indicio earumdem eclipsium, priore quidem ante illorum consulatum proxime præcedenti, secunda vero inclusa annali spatio eorumdem magistratus. Quibus autem diebus anni lunaris luxati a Romanis tunc adhibiti, parientur dies anni Juliani proleptici per hoc quinquennium præmissum anno primo Julianæ ordinationis, et 45 ante æram Christi communem, ostendere satagam ex Hirici commentariis, et Ephemeride, ac ex lunæ situ in ea consignato.

CAP. IV *ejusdem opusculi Reparationis temporum æræ Christianæ, in quo exhibetur demonstratio anni 45 et 46 ante æram Christi communem. — Primum ostenditur, in serie annorum communium, producta proleptice ante æram Christi vulgarem, Julianum primum annum, novæ ordinationis a Cæsare dictatore constitutæ dierum 36, in triennio non bisextili, et 366 in quarto bisextili, fuisse illum qui a Novilunio inchoat Kalendas Januarii, et obtinet sedem 45 ante initium æræ Christi communis: eumque annum signari oportere quinto Cæsaris consulatu Kalendis Januarii, ejusque cæde Idibus Martii. — Deinde ostenditur, huic anno primo novæ ordinationis Julianæ, qui obtinet sedem 45 ante æram Christi vulgarem, fuisse a Cæsare præmissum annum, quem vocant confusionis, constantem diebus 445. Horum dierum postremi 365 constituunt annum, 46 prolepticum ante æram Christi communem, qui annus signandus est quarto Julii Cæsaris consulatu. Reliquis autem diebus 80 præcedentibus annum prolepticum 46, et inclusis in anno confusionis, ostenditur signatum fuisse pariter quartum Cæsaris consulatum necnon tertiam et quartam dictaturam.*

Pergendum est ad ostensionem anni quadragesimi quinti ante epocham Christi communem, quem primum ex Julianis a Cæsare dictatore ordinatis, habendum esse demonstrant ipsæ Kalendæ *novilunium ferentes verum et medium*.

Observarunt viri celeberrimi Paulus de Middelburgo episcopus Forosemproniensis in sua *Paulina*, et Henricus cardinalis Norisius sub initium dissertationis de Paschali Latinorum cyclo, cum Langio lib. 1 de Annis Christi cap. 12, producti a me in dissertatione de Kalendario et cyclo Cæsaris, fuisse a Cæsare selectam diem, quam appellaret Kalendas Januarii novæ suæ ordinationis eam, quæ novilunium includeret: ut annum civilem et sacrificia *ordinaret habitis ad lunam dimensionibus*, teste Macrobio Saturnalium lib. 1, cap. 14. Caput anni, ac cycli, *octo litterarum* serie explicati, et in vetustis marmoribus autographis ejusdem Kalendarii rite signati, easdem Kalendas eamdemque neomeniam constituit quæ ab universis astronomorum tabulis exhibetur ineunte anno 45 Juliano (et quidem bissextili) ante æram Christi communem. Ex tabulis D. de la Hire dedimus supra 3, capite hujus numeri epilogismum ejusdem, et novilun. medium ac verum. Synodus media contigit horis 5, 25, post meridiem Parisiis, quæ sunt hon 6, 6 post meridiem Romæ. Synodus vera incurrit in horam 14, 45 post meridiem Parisiis, quæ fuit 15, 26 post meridiem Romæ.

Fasti consulares in fragmentis autographis hodie superstitibus præservant nobis integrum quinquennium a consulibus memoratis *Marcello et Lentulo*, signantibus annum 50 ante æram Christi communem ad annum 45 consulum nomina ita ordinant quinquennium fastorum. Apponam in margine cifras Arabicas numerantes annos Julianos proleptícos ante æram Christi communem suis ordinariis consulibus respondentes.

50	C. CLAUDIUS, M. F. M. N. MARCELLUS.	L. CORnelius Lentulus
49	C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR II.	P. SERvilius
48	Q. FVFIVS Q. F. C. N. CALENVS	P. VATinius
47	C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR III.	M. AEmilius
46	C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR IIII.	SINE collega
45	*Hic annus Confusionis habendus est dierum 435, ut ex Hirtio ostendam.*	
	C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR V	M. Antonius

Hic annus Julianæ ordinationis primus est dierum 366 novilunio insignitus Kalendis Januarii.

Eamdem seriem consulum retinent membranæ celebres bibliothecæ Vindobonensis a Bucherio productæ, et a card. Norisio illustratæ post epochas Syromacedonum, opus quarti a Christo sæculi, ut Bucherius indicat et comprobat Norisius.

Anni Urbis	*Anni Cycli*	
705	75	Marcello II. et Cruscello
706	76	Julio Cæsare et Isaurico
707	77	Cæsare et Vatinio
708	78	Cæsare III et Lepido
709	79	Cæsare IV et solo
710	80	Cæsare V et Antonino.

Annus itaque novæ ordinationis Julianæ, quem die novilunii aperuerunt consules Cæsar V et Antonius, est 45 ante æram Christi communem; cum nullus annorum, Cæsare superstite et rempublicam moderante, sive opprimente, præter hunc quintum a Kalendis Januariis anni 50 proleptici indicio eclipsium necessario tribuendi coss. Marcello et Lentulo, protulerit synodum Luminarium Kalendis Januarii anni Juliani.

Ostendendum modo suscipiam, annum huic proxime præmissum, quem scilicet Cæsar *consul quartum solus* signavit, fuisse annum *Confusionis* dictum, et diebus 445 explicatum. Id vero lubentius exsequar, quod nostri est instituti *Reparationem temporum consectari*, nempe gestis assignare tempora, quibus ea geri contigerit, ex narratione scriptorum æqualium et fide dignorum. De hoc autem anno quarti consulatus Cæsaris, quem arbritror a me demonstratum iri diebus 445 constasse, ex chronologis aliquot, et quidem clarissimi, aliter judicarunt, asserentes hunc eumdem esse Julianorum primum diebus 365 definitum.

Contraham ea quæ fusius exposui in fastorum explicatione, ut demonstrarem ex Kalendis Januarii ad terminum ejusdem dies necesario numerandos 445, inclusis extremis. De dierum numero annum confusionis complente, locuples testis est Censorinus *de Die natali* cap. 8, ubi etiam docet. qua ratione per duas intercalationes perfectum id fuerit. Constabat annus lunaris, a Romanis usu receptus, diebus 354, cui ad pariandas rationes solis intercalaris mensis Merkedonius dierum 23 identidem inserebatur, juxta monita pontificum, post mensem Februarium. Cæsar anno confusionis, præter Merkedonium intercalarem eo loco positum, addidit duos menses dierum 68, inter Novembrem et decembrem. Summa itaque dierum fuit 445. Verba Censorini sunt: « Adeo aberratum est, ne C. Cæsar pontifex Maximus suo III et M. Æmilii Lepidi consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalares dierum 68, inter mensem Novembrem et Decembrem interponeret: cum jam mense Februario dies 3 et 28 intercalasset, faceretque eum annum dierum 445 simul providens in futurum, ne iterum erraretur. » Macrobius tribuit anno confusionis dies 444, lib. I, cap. 14, ita scribens: « Ergo C. Cæsar exordium novæ ordinationis initurus, dies omnes, qui confusionem adhuc facere poterant, consumpsit: eaque re factum est, ut annus confusionis ultimus in 444 dies protenderetur. » Nihil moror unius diei differentiam in anno *confusionis*. Indicare autem placet, occasionem tribuendi annum confusionis consulatui tertio Cæsaris collega M. Æmilis Lepido desumptam ex verbis Censorini non satis, ut arbitror, pensitatis. Video, ex Censorino colligi, decretum ejus *duplicatæ intercalationis* adhibendæ, *iis consulibus* statutum esse: non video ex verbis Censorini inferri, eodem anno decretam intercalationem fuisse insertam. Imo, ex magistratuum more recepto, par est interpretari, indictam iis consulibus legem confusionis ita tollendæ in proximum annum. Sed conjectura necessaria non est, ubi suppetit demonstratio ex æquali scriptore, eoque comite Cæsaris individuo Aulo Hirtio. Is in libro Belli Hispanici suscepti a Cæsare dictatore III, designato IV, uti scribit initio libri, præter historiam continet etiam *Ephemeridem* ejusdem anni. Sed antea monere oportet *dictaturam tertiam* Cæsaris in marmoribus Capitolinis connecti cum anno quo Cæsar *consul tertium* processerat. Ita enim legimus in lapide adhuc præservato in Capitolio, uti ediderunt Marlianus, Aldus, Panvinius, Gruterus, aliique, continentur post consules Q. Furium Calenum, P. Vatinium.

C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR III.	M. AE milius
C. IVLIVS C. F. C. N CAESAR III.	Dictator
M AEMILIUS M. F. Q. N. LEPIDVS	Magister equitum
EODEM ANNO	
C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR IIII.	SINE collega

Connectit etiam Dio in Historiæ suæ libro XLIII, quem ita exorditur: « Sequenti anno dictaturam, consulatumque, tertio utrumque magistratum, collega M. Lepido, gessit. » Lapis autem Capitolinus subnectit connexionem etiam consulatus quarti cum continuato magistratu Cæsaris dictatoris III et quidem *eodem anno*: unde colligitur, dictaturæ renovatæ diem esse diversam a die renovati consulatus. Neque enim aliter posset eadem dictatura III cum duplici consulatu III et IV connecti. Nos alibi ostendimus, dictaturæ annuæ epocham Cæsari renovari Circa mensem Quinctilem, cum ei decretus fuisset is magistratus ad Decennium eodem mense, dum in Africa confecto bello, in Italiam reditum pararet; teste Dione, aliisque historicis; ex Africa enim solvens Idibus Junii, post diem tertium in Sardiniam cum pervenisset, inde ad VII Kal. Quinctil. naves conscendens, die duodetricesimo ad urbem Romam venit: accurate colligente hæc tempora ex Hirtio aliisque historicis Fran. Fabricio in M. Tullii Ciceronis historia per annos singulos digesta pag. mihi 210. Consulatus vero epocham, quæ ad Kalendas Januarias referri debuisset more majorum, post hoc decretum dictaturæ decennalis, ad annum

ejusdem dictaturæ revocare cœptum ex mense Quinctili, quasi annus ad dictaturam potius, quam ad consulatum pertineret. Hæc obiter delibata ex pluribus in eam rem collectis et explicatis per nos fusius in *Fastorum restitutione* ad hunc annum, sufficiant ad indicandum, qua ratione Fasti marmorei cum historicis concilientur, quos discrepare suspicabantur chronologi etiam majoris subsellii. Nunc ad demonstrationem anni confusionis ex Hirtii ephemeride absolvendam revertimur.

Putant igitur celebres viri inter chronologos annum confusionis, quem totis 444 seu 445 diebus Cæsar explicandum duxit, incidere in hunc annum, *tertio ejus consulatu, tertiaque dictatura* insignitum. Annum vero huic proxime succedentem, quo Cæsar *quartum consulatum solus* gessit sine collega, et in Hispanica expeditione maximam partem egit, esse putant *Julianorum primum novæ ordinationis*, qui diebus 365, vel 366, fuerit constitutus, et 45 habendus sit ante æram Christi communem. Affirmo, utrique huic asserto repugnare Hirtii Ephemeridem, et adversari cœlestes motus in ea consignatos. Asserendum esse contendo, annum signatum *consulatu Cæsaris tertio, tertiaque dictatura*, postquam victor ex Africa solvit, esse illum, quo Cæsar post quatriduum triumphi sui, legibus plurimis perlatis, recitatis a Dione lib. XLIII, pag. 225 edit. H. L. inter cæteras edixit *de anni correctione in proximum adhibenda*, quando ipse novum annum aperiret *consulatu suo quarto*. In fastis Capitolinis marmoreis *eodem anno* ita signato numeris *consulatus* III *et tertiæ pariter dictaturæ Cæsaris* legitur inisse magistratum *consul suffectus Q. Fabius q. f. q. n. maximus*, et cum is in magistratu mortuus fuisset, in ejus locum legitur substitutus *C. Caninius c. f. c. n. Rebilus* : quem Dio refert lib. XLIII, pag. 236, *ad paucas horas* suprema anni die creatum, et perfunctum fuisse consulatu astipulante Cicerone. Quare, observante Sigonio in Fastis, huic est Caninio aptius tribuendum festivum Ciceronis dictum, quod alii cum Macrobio lib. II de P. Vatinio prolatum tradunt.

Post hanc itaque diem, ita *claudentem paucis horis consulatus Caninii* annum signatum *tertio consulatu, tertiaque dictatura Cæsaris* sequitur Kal. Januarii annus inscriptus *quarto Cæsaris consulatu*, quem gessit *sine colléga*. Hic annus, a reliquis diversus, dictus fuit *annus confusionis* : in quo *menses quindecim* numeratos affirmat Suetonius cap, 30, cum præter 12 consuetos, *tres intercalares* fuerint adjecti, unus Merkedonius dierum 23, inter Februarium et A Martium, duo vero (singuli dierum 34, inter Novembrem et Decembrem, uti Censorinus commemorat, affirmans summam dierum hoc anno numeratorum fuisse 445. Post eam diem, quæ hunc numerum clausit die postrema Decembris, cœpit *novus annus ordinationis Julianæ*, eumque aperuit Kal. Januarii *Cæsar consul quintum*. Inde affirmo initium factum *anni quadragesimi quinti* ante æram Christi communem, *die novilunii et Julianorum novæ ordinationis*, eodemque anno Cæsarem obtruncatum fuisse a conjuratis in curia Pompeii Idibus Martii.

Demonstratio nostra ex Hirtio talis est : Scribit Hirtius Cæsaris comes in Hispanica expeditione, Cæsarem, citatis itineribus, Roma profectum, pluribusque in itinere ordinatis rebus, ad Ateguam oppugnandam se contulisse : deinde Cordubenses legatos ad se accedentes excepisse, et oppido per deditionem potitum esse die XI Kalendarum Martii. et appellatum fuisse imperatorem. Aliquot dierum B gesta, recenset : tum ait, a transfugis nuntiatum, ad diem III Nonarum Martii metum fuisse magnum, et Atium Varum circum castella præfuisse. « Eo die, inquit, Pompeius castra movit, et circa Hispalim in oliveto constitit. Cæsar prius quam eodem est profectus, luna hora circiter sexta visa est. »

Pridie igitur nonas Martii, vel nocte nonas Martii præcedente, luna supra horizontem fuit hora sexta noctis, seu nocte media.

Dico sententiam chronologorum, qui annum hunc *Hispanicæ expeditionis Cæsaris ejusdem consulatus quarti* notis illustrem, putant esse ante æram Christi 45 ; eumque primum e Julianis, 365 vel 366 diebus completum, Hirtio et lunæ motibus refragari. Nam si is annus fuit 45 Julianum ante æram Christi, *et novæ ordinationis primus, et Novilunium præferens Kalendis Januarii* ; necesse est lunam die 6 Martii ante horam noctis sextam infra horizontem descendisse. Accensa enim luna Kalendis Januarii ostendit C renovatam Kalendis Martii : et ex Kalendis Martii ad noctem Nonas præcedentem luna intra dies quinque ad quadraturam nondum accedens, maturius infra horizontem descendit, quam hora sexta numeraretur. Epilogismus demonstrat, ea die et hora solem percurrisse 14 gradum piscium ; lunam vero 26 tauri : tauri autem gradus 26 ad horizontem occiduum Hispali pertingit horis 5 circiter post gradum piscium 14. Quare non solum videri luna minime potuit, dum hora noctis sexta proxime numeraretur ea die ab Hirtio indicata, sed etiam videri destitit intra horam quintam : neque movendis castris opportune lucere Cæsari potuit.

Radix anno.	Sol ab Ariete. S. G. M. S.	Apog, solis Ar. S. G. M. S.	Apog. lun. Ar. S. G. M. S.	Luna ab Aricte. S. G. M. S.
Juliano-rum.	9. 7.38.50.	2. 8.18.55	9. 4.53.43.	8. 9.50.13.
Februar.				
Bissextil.	1.29. 8.19.	10.	2.10.35.21.	0. 6.41. 6.
complet				
dies V.	4.55.42.	1.	2. 5.52.55.	35.25.
horæ XII	29.34.		6.35.18.	3.21.
	11.12.12.15.		1.27.57.17.	
	2. 8.19. 6.	2. 8.19. 6.	8.17.10.05.	8.17.10 5.
Anom.	9. 3.53. 9.		5.10.47.12.	
solis.	1.55.20.	Anom. lunæ	1.37.50.	
Prostaph.	11.12.12.15.	Prost. subtr.	1.27.57.17.	
add.	1.55.20.		1.37.50.	
Locus		Locus lunæ	1.26.29 27.	
solis.	11.14. 7.35.	in Tauri.	gr. 26.19.27.	
in Pisc	gr.14. 7.35.			

At in nostra sententia quæ annum confusionis, D productum a Cæsare ad dies 445, pariat *cum quarto ejus consulatu et cum Hispanica expeditione*, mirifice consentit conspectus lunæ circa horam sextam nocte præcedente Nonas Martii (ex qua, more Romano, numerabatur initium *diei civilis pridie Nonas, seu 6 Martii)* ab Hirtio indicata. Nam tenemus ex Dione, Censorino, Macrobio, eum annum *confusionis* ita dispositum fuisse, ut dies 23 *Merkedonii* fuerint interpositi inter Februarium et Martium : dies vero 68 duorum mensium extra ordinem intercalarium numerati fuerint eo anno inter Novembrem et Decembrem ; reliqui vero menses de more *a Tarquinio inducto* fuerint, teste Censorino, *sex cavi* dierum 29, *quatuor pleni* dierum 31, ex Martio ad Decembrem ; Januarius dierum 29, Februarius 28, quæ summa

complet dies 355, *anno Tarquinii* debitos, a Romanis recepto usque ad Cæsaris correctionem.

Sunt itaque dies numerandi post *Pridie Nonas Martii* ad finem ejusdem Martii Tarquin. dies 25, Aprilis 29, Maii 31, Junii 29, Julii 31, Augusti 29, Septembris 29, Octobris 31, Novembris 29, duorum intercal. 68, Decembris 29, et universorum summa dierum 360.

Novimus itaque, dies 360 intercessisse *hoc anno confusionis* ex pridie Nonas Martii ad finem anni, et ad Kalendas Januarii ejus anni proxime consequentis, qui Julianæ ordinationis primus erat futurus, et novilunium perlaturus erat ipsa die Kalendarum inchoante annum solarem Julianum 45 ante æram Christi communem. Periodi Jul. Scaligeri 4669, Cyclo solis 21, lunæ 14, lit. Dominic. CB. cum sit bissextilis.

Calculo operoso non indigemus, ut assequamur, an *circa horam noctis sextam* (hoc est circa mediam noctem) luna supra horizontem videri posset *pridie Nonas Martii ejusdem anni confusionis*. Nam ex diebus 360, horis 18, et minut. 45, quæ supersunt ad horam novilunii Kal. Jan., a Cæsare pariati cum exordio suæ æræ et Kal., deductis duodecim lunationibus mediis, seu diebus 354, horis 8, minutis 48, supersunt veteris lunationis dies 6, horæ 9, minutæ 57.

Nonæ igitur Martii anni Confusionis illustrabantur postrema lunationis quadratura, ante eam diem horis tantummodo 23 circiter celebrata ; ita ut hora sexta noctis (quæ Romanis erat media nox) fulgor appareret lunæ ad horizontem ortivum ita proximæ, ut paulo post, nempe ante horam septimam spectata sit, et Cæsari castra moventi facem prætulerit, quemadmodum Hirtius observavit : et per spatium noctis reliquum maximam progrediendi facilitatem præbuerit copiis Cæsarianis : necnon averterit discrimen illud, quod caliginosæ noctis obscuritas intulerat Pompeianis paulo ante deceptis, quando Cæsaris equitatus per eorum præsidia progressus intra Cordubam admissus fuit, ut Cæsar optaverat, quod vis tempestatis subortæ tantam caliginem induxisset, ut miles quisque vix posset sibi proximum internoscere. Hirtius id refert pag. 32 Aldinæ editionis.

Colligere possumus etiam ex contextu rerum gestarum a Cæsare ante Nonas Martii ejusdem anni, quo in Hispaniam profectus est, intercalatum fuisse mensem Merkedonium dierum 23 inter Februarium et Martium, adeoque annum fuisse, quem decimus *confusionis*, extensum diebus 445.

Tradit Appianus Alexandrinus, scriptor æqualis, lib. II Bellorum civil., Cæsarem ex Urbe profectum in Hispaniam, dum gereret *consulatum quartum* (τέταρτον ὑπατεύων), diebus *septem ac viginti* Roma ad suos pervenisse, cum esset *gravissimo exercitu longum emensus iter*. Verum paucos admodum itineris istius citati comites habuisse Cæsarem testis est Dio, lib. XLIII, pag. 229 : « Interim Cæsar cum paucis Hispaniam attigit, etc. : maximam enim partem militum post se reliquerat. » Celeritas igitur itineris Cæsaris referenda ad excursum per Italiam, et per provincias Galliarum sibi devotas, quas intra 27 dies emensus est. Sed Hispaniæ fines cum attigisset, ubi Pompeii rebus plerique studebant, præsertim in universa Hispania mediterranea, quæ Pompeio sese conjunxerat (ut habet Dio, laudato loco) *tardius Cæsar milites in aciem educebat*, inquit Appianus. Totus ferme tractus Hispaniæ citerioris et ulterioris adhuc illi supererat peragrandus, antequam, ex Tarraconensi ad Bæticæ fines, et ad obsidendam Cordubam et Hispalim perveniret. Expedito cursori, nuntium victoriæ Cæsaris Munda Romam afferenti proximo mense, tres ac triginta dies impensi sunt, si Hirtium et Dionem audimus. Nam constat ex Hirtio Mundense prælium, et in eo partam Cæsari victoriam contigisse die XVI Kal. Aprilis, seu 17 Martii, et nuntium inde transmissum pervenisse ad Urbem pridie Palilium, seu 20 Aprilis. Si cursori septem saltem dies excurrendo Hispaniæ tractui necessarii sunt (ut demus 27 reliquos e finibus Hispaniæ Romam pervenienti) ; profecto Cæsari exercitum ducenti in hostico plerumque solo, multo plures erant insumendi. Demus itaque Cæsarem, exartis Kalendis Januariis, quibus *consulatus quarti* fasces sibi præferri jussit in Urbe, statim postera die Hispanico itineri se commisisse. Die 28 Januarii attigerit fines Tarraconensis. Ut eo pervenit, « Q. Pedium, et Q. Fabium Maximum legatos suos de suo adventu facit certiores ; mandatque ut quem sibi equitatum ex provincia fecissent, præsidio mitterent, » ait Hirtius. Dandis litteris, et responsis cum equitatu accipiendis dies aliquot impendere oportuit. Certior factus Cæsar de adventu præsidii ducat inde exercitum ad Bætim. Ut celerrime id facit *(tardius autem milites eduxisse* scribit Appianus) intra dies decem, aut quindecim copiæ transmissæ pervenient ad Cæsarem. Ibi primum removeat necesse est Cn. Pompeium ab Ullæ oppidi obsidione. Ejus rei ergo ad oppugnandam Cordubam ipse accedit : quo in itinere, « cum ad flumen Bætim venisset (Hirtii verba sunt) neque propter altitudinem fluminis transire posset, lapidibus corbes plenos dimisit : ita insuper ponte facto, copias ad castra tripartito transduxit. » Interea Cn. Pompeius, fraternis litteris excitus, ab Ulla ad Cordubam, ex adverso Cæsaris castra ponit. Opera utrinque fiunt ad pontem occupandum : « ex qua contentione (Hirtius ait) quotidiana minuta prælia fiebant, ut modo hi, modo illi superiores discederent. » Nemo non videt, post insumptum Januarium mensem in celeri accessu ad Hispaniam, et dimidium Februarii saltem in cogendis, ac ducendis copiis ad Bætim, reliquam mensis partem quotidianis hisce velitationibus emensam. Post hæc *diebus compluribus cupiebat Cæsar in apertum campum hostem deducere*. Ad Ateguam oppugnandam tandem accessit. Numerat Hirtius dies decem illius obsidionis, singillatim prosecutus ephemeridem rerum gestarum : quorum decem dierum postremo numerato, ait : *Ita ante diem* XI *Kalendarum Martii oppido potitus est imperator*. Unicus mensis Februarii tot dies non continet, quot requiruntur ad hunc numerum implendum. Cæsar tamen, ac Pompeius ante diem XI Kalendas Martii hæc omnia dictim absolverant. Quis itaque non videat, post Januarium ac Februarium, intercalarem quoque mensem Merkedonium ante Kalendas Martii huic anno insertum fuisse ? Ex die XI Kal. Martii (quæ fuerit 14 illius Merkedonii) Hirtiana Ephemeris octo consequentes dies singillatim enumerat : et ita demum ad Martium pertingit, scribente historico : *Insequenti tempore cum nostri temere in opere distenti essent, nuntiatum a transfugis ad* III *Nonarum Martii prælium affere ad Soritiam*, etc. *Eo die Pompeius castra movit, et circa Hispalim in oliveto constitit. Cæsar priusquam eodem est profectus, luna hora circiter sexta visa est*. Vel ego fallor, vel nulla est demonstratio temporis evidentior, quam anni istius, qui tot characteribus cœlestium motuum, tantaque copia, et dinumeratione dierum ferme singulorum comprobatur continere Merkedonium mensem ante Kalendas Martii, et duos intercalares extra ordinem dierum 68 inter Novembrem et Decembrem. Ita demum pervenitur post annum *quarti consulatus quartæque dictaturæ Cæsaris productum per dies* 445 ad Kalendas Januarias novæ ordinationis Julianæ quæ æram Christi communem præcedunt annis Julianis solidis 45, et Novilunium verum, ac medium nobis exhibent ipsa die anni primi Juliani ineuntis, uti supra exposuimus.

Hæc duo capita transcribenda esse duxi ex nostro Opusculo *de Reparatione temporum*, non solum ut illustretur perioche illa chronologica, quam Schelestratius opportune deduxit ex consulatu Celonii Rufi

Albini, et ex Capitolina ejusdem inscriptione, ad hunc ipsum consulatum (qui clausit, die anni suprema, Silvestri pontificatum) numerante post Cæsariana tempora annos 380, vel 380 et 1 ; verum etiam ut firmamenta ponerem totius chronologiæ huic tomo notarum inclusæ a Cæsarianis temporibus ad exitum mortalis vitæ beati Silvestri. Firmata vero undique mihi videtur tota extensio, ac dimensio istius temporis per documenta omnium quæ haberi possint in re chronologica maxime certa, nempe demonstrationibus motuum cœlestium, in adductis eclipsibus manifeste requirentium hoc spatium ætatis, atque consignationibus lapidum, et scriptorum ejusdem ætatis æqualium, et consensu doctorum hominum inter probatiores historicos et chronologos relatorum. Utraque igitur hac meta temporis huic tomo constituta, notas ejusdem chronologicas cum Vita Silvestri, et pace Ecclesiæ claudamus. Tentabimus in tomo proximo, si Deus dederit, pari certitudine ac evidentia, tum summam temporis, tum singulorum pontificum vitas pro nostro modulo definire, ubi eruditis hæc non displicuisse compertum fiat.

NOTÆ HISTORICÆ.

Linea 4. — *Hic in exsilio fuit in mortem Soractem, persecutione Constantini concussus, et postmodum rediens cum gloria baptizavit Constantinum Augustum.* Actum agere fortasse credar, si velim attingere quæstionem a pluribus, et quidem præclaris auctoribus, antea versatam *de baptismo Constantini Magni*. Plenam utramque paginam videre licet apud Baronium, scribentem pro baptismo, Romæ administrato illi a Silvestro, uti Bibliothecarius affirmat cum secundo catalogo ætatis Justiniani : et apud auctores refragantes Baronio, indicatos a Pagio in Critica, et ab altero Pagio in notis ad hunc numerum : qui juxta Eusebium sentire putans, pronuntiat baptismi gratiam Constantino collatam fuisse Nicomediæ. Res plena turbarum est. Acta Silvestri, quæ Romano baptismo favent, culpantur ab omnibus, et ab ipso Baronio exhibentur tanquam interpolata, et infarta ineptis additamentis. Historia Eusebii, quæ Nicomediensis lavacri partes juvat, defertur tanquam contexta ab auctore Ariani devoto, et inflexa ad ingenium Ariani principis Constantii. Quia etiam scriptorum veraciorum testimonia dicuntur vitiata in nominibus per amanuenses : quale est Athanasii de Synodis, quod opponebatur Baronio : contra quod tamen excipitur a defensoribus, legi oportere *Constantena* non *Constantinum* in codicibus Athanasii. Vide Pagium in Crit. ad Baron. ad ann. 324, n. 5 : ubi etiam Ambrosii et Hieronymi verba interpretari observantur utriusque sententiæ fautores, neutri satis aperte commoda ; et complura etiam reperies de Zosimi, Socratis, Sozomeni libris in dubium revocata, tum a Baronio diligenter excussa, tum ab his qui post Baronium scripserunt.

Præsumitur a criticis, Eusebio scriptori ætatis Constantini, et cum eo versanti, atque ita affirmanti, par testimonium non posse opponi ex Actis interpolatis, et per Latinos ad Romanorum ingenium serius contextis. Bono tamen historiæ fato in lucem prodiit, non ita pridem, Chronographia Joannis Malalæ scriptoris Antiocheni, sexto sæculo conscripta sub Justiniano, quæ historiam baptismi Romæ administrati Magno Constantino a Silvestro papa, exhibet, nullis infartam additamentis ; et quod tantumdem æstimari debet, Acta quoque Nicomediæ sub exitum vitæ Constantini exhibet nuda : neque ea suo marte procusa, sed fideliter descripta ex vetustiori chronographo, cui nomen *Nestorianus :* cujus etiam meminit Chronicon, quod vocant Alexandrinum, ut advertit Vossius de Historicis Græcis. Scriptor itaque Antiochenus Malala initio libri XIII suæ Chronographiæ, post enuntiatam crucis visionem, et victoriam sub ejusdem auspiciis reportatam a magno Constantino, memorat principis victoris ingressum in urbem Romam, et legem editam, ut Christianorum ecclesiæ ubique aperirentur. « Tunc vero (inquit) ubi jejunasset, et rudimentis Christianæ religionis imbutus fuisset, *baptizatus est ipse cum matre Helena a Silvestro episcopo Romano : baptizati etiam sunt propinqui ejus omnes et amici ; Romanorumque insuper aliorum multitudo ingens.* Sic itaque imperator Constantinus Christianus factus est. » Enumerat deinde res gestas ejusdem principis, magistratus ab eo institutos, præfectos prætorio e Christianis Orienti datos, provincias constitutas, Constantinopolim conditam et ornatam, aliasque civitates reparatas, fundatam de matris nomine urbem Helenopolim, et denominatam provinciam Helenopontum. Tum subdit : « Non longo autem post tempore (ab his civitatibus, et provinciis constitutis) imperator Constantinus in Nicomediam Bithyniæ itinere facto, in morbum incidit : a quo cum per sex dies decubuerat, in ejusdem civitatis suburbio quodam Achyrone dicto, non procul ab Urbe diem suum obiit, antequam opus illud magnificum, et inter orbis miracula censendum, ecclesiæ nempe Antiochenæ fabricam ad exitum perduxisset. Mortuus est autem annos natus 60 cum mensibus tribus : uti hæc memoriæ prodidit sapientissimus Nestorianus chronographus : qui prædictorum quoque imperatorum res gestas Chronico descripsit. »

Habemus igitur testem Constantino satis proximum, eumque nec addictum Eusebio, neque auctoribus Occidentalibus Latinorum : qui nullis infartam additamentis historiam baptismi a Constantino, Helena, suisque in urbe Roma suscepti, administrante Silvestro papa, consignat, et mortem Nicomediæ obitam a Constantino post matris Helenæ pridem vita functæ, nomen inditum civitati Helenopoli, et provinciæ Helenoponti. Dixi testem satis proximum Constantino ; cum sæculo quinto vixerit, et historiam suam produxerit ad annum Christi 474 emortualem Leonis Junioris, ut ipse Malala testatur in fine libri XII observatus a card. Norisio, de Epochis Syromacedonum, pag. 174 editionis Lips. Spero hoc testimonium lubentius acceptum iri, si demonstravero, ex nuda ista et brevi narratione chronographi, componi posse nostratum Latinorum asserta de baptismo per Silvestrum Romæ administrato cum impositione manuum, et sacramento confirmationis eidem imperatori Constantino collato per Eusebium episcopum Nicomediæ sub exitum vitæ, occasione baptismi solemnis administrandi ipsa in vigilia Pentecostes, non quidem Constantino jam Romæ baptizato, sed pluribus ad fidem Christianam conversis.

Dico igitur, colligi ex chronographo per Malalam nobis servato, et ex aliorum scriptorum testimoniis utrinque productis in celebri quæstione *de loco, ac tempore baptismi Constantini,* hunc principem ad lumen veræ fidei divinitus vocatum, ostenso cœlitus crucis signo, et parta contra Maxentium victoria, postquam Urbem victor intravit anno 312, cogitasse de religione Christiana profitenda : statimque curasse ut ejusdem rudimenta sibi traderentur a sacerdotibus ea de causa ad se accitis, ut Nestorianus chronographus apud Malalam nitide narrat, Eusebio consentiente in Vita Constantini libro I, cap. 32 et 42. Et quidem Eusebius narrat cap. 32 Constantinum, a priori crucis visione et Christi Domini apparitione, antequam signa educereret contra Maxentium « nullum alium præter illum, quem viderat, Deum sibi colendum statuisse, ejusque rei causa ad se accivisse sacerdotes, arcanæ illius doctrinæ mysteriis instructos, a quibus catechesim Christianam edoctus, unitatem Dei, et adventum Christi, ejusque causas, ac de morte triumphum in signo crucis sibi præmonstratum accepit, cumque cœlestem illam visionem, et sacerdotalium sermonum interpretationem inter se contulisset, confirmatus est animo, harum rerum cognitionem ipsius Dei magisterio sibi tradi

pro certo habens. Exinde ipsemet divinorum librorum lectioni vacare instituit : et cum sacerdotes Dei sibi assessores adscivisset, Deum illum, quem viderat omni observantia colendum esse duxit. » Græcus textus habet : τὸν ὀφθέντα Θεὸν πάσαις δεῖν ὥετο θεραπείαις τιμᾶν : *illum quem viderat Deum omni cultu prosequi oportere duxit* : « Post hæc munitus spe bona, quam in illo collocaverat, tyrannici furoris incendium exstinguere aggressus est. » Sequitur expeditio et victoria contra Maxentium anno 312. Capite vero 42 ejusdem libri, ubi gesta sequentium annorum prosequitur Eusebius, commemorat episcopos, aliosque ministros Dei a Constantino accitos : eosque non modo mensæ adhibitos, sed quocunque iter faceret secum ductos, atque inter eos in synodis consedisse (*cap* 44.) : idque antequam sua decennalia perageret (*cap*, 48) : quæ incidunt in annum Christi 316. Hoc autem comitatu sacerdotum Dei per integrum decennium, ex prima illa apparitione, a Constantini latere non recedente. eodem uti non destitit imperator, etiam ex testimonio Eusebii, usque ad sua quindecennalia, referenda ad annum Christi 321. Siquidem Eusebius, qui in Chronico ad annum 320 refert persecutionem Licinii, ejectis a palatio Christianis, in Vita Constantini lib. II, cap. 3, tradit, ejusdem persecutionis causa et ad reprimendam hanc oppressionem tyrannicam adversus fideles excitatam, susceptum fuisse, a pio principe Constantino bellum contra Licinium. Expeditionem refert auspiciis talibus inchoatum cap. 4 : « Cumque precationibus. si unquam antea, sese tunc maxime indigere intelligeret, sacerdotes Dei secum duxit : eos velut optimos animæ custodes adesse coram, et secum versari debere existimans. » Labente igitur hoc secundo quinquennio, quo a bellis plerumque liber ordinabat provincias occidentales, a Licinio receptas post priorem victoriam in decennalibus reportatam, cum satis instructus esset mysteriis nostræ religionis per divinas Scripturas a se avide lectas, easdemque sibi explicatas quotidie per ministros Dei, adhibitos a se commensales et assessores : quis credat a principe illo, qui jam deliberaverat *omni cultu Deum prosequi oportere* (ut ait Eusebius) quem Deus ipse hominibus mandavit, et intellexerat per decennium a servis ac ministris Dei, primum hunc, et necessarium ad æternam salutem esse, ut baptismo in morte Christi administrato rite tingamur, et ex inimicis Dei reddamur filii adoptionis et cohæredes Christi, quis (inquam) credat aliud peractum fuisse a pio principe quam illud ipsum quod a Nestoriano vetusto et illustri chronologo scriptum refert Malala, nempe perceptum fuisse baptismum, administrante Silvestro papa. tum a Constantino Augusto. tum a matre Helena, et propinquis, ac domesticis et amicis ? Consequitur enim alterum, quod ab eodem historico traditur. et quod parietes ipsi comprobant, erectas fuisse ubique basilicas in præcipuis imperii civitatibus. præsertim Romæ, proximoque Urbi tractu, et in Syria. Optaverat Consiantinus baptismi sacramentum solemni ritu percipere in Jordanis flumine, quem locum Salvator noster elegerat ad exemplum nobis tradendum et symbolum indicandum alterius a se instituendi, quando a Joanne præcursore tingi voluit ; *ut sanctificaret baptismum Joannis*, tradente S. Ambrosio in Lucæ Evang. cap. I.

Hujus desiderii a se antea nutriti testimonium protulit imperator morti proximus in ea concione quam habuit ad episcopos a se convocatos, uti narrat Eusebius, lib. IV, cap. 62, de Vita Constant. Contigit autem concio illa anno vulgaris æræ 338 quando Paschæ solemnitate peracta Constantinopoli cum cæteris fidelibus (*cap.* 60) profectus Helenopolim, in Bithynia cœpit ægrotare : « Ibique in templo martyrum diu commoratus, supplicationes et preces obtulit Deo. Cumque extremum vitæ diem sibi jam imminere sentiret, tempus tandem adesse existimans, quo totius vitæ delicta expiaret, firmissime credens, quæcunque humanitus percavisset, arcanorum verborum efficacia, et salutari lavacro penitus esse delenda, genu flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso martyrio : quo in loco manuum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere. »

Hoc testimonium Eusebii, opinantur complures evertere historiam baptismi per Silvestrum Romæ administrati Constantino Augusto, et constabilire creditur sententiam eorum qui persuasi sunt, ac cæteris suadere nituntur, ut secum tueantur sententiam baptismi in fine vitæ ab eodem imperatore suscepti Nicomediæ. Siquidem hæc addit Eusebius laudato loco : « Hinc ab suburbana Nicomediæ digressus, convocatis episcopis, sic ad eos verba fecit, » etc. Exponit ea quæ ante protuli de pio desiderio quod aliquando nutriverat, percipiendi signaculum salutare in Jordanis flumine. Verum Deo disponente, ibidem, ubi tunc agebat, nempe in suburbio Nicomediæ *solemni ritu cæremonias esse peragendas* : quod exsequi nondistulerunt antistites. « Divino enim donatus signaculo pius princeps : θείας σφραγῖδος ἀξιόμενος, candidis ac regiis vestibus lucis instar radiantibus est amictus, et candidissimo in lecto recubuit, nec purpuram contingere amplius voluit » per paucos dies quibus supervixit, usque ad Dominicam Pentecostes, qua placide in Christo obiit.

Mihi tamen hæc testimonia Eusebii attente perpendenti, longe diversa ab eorum opinione sententia inhæret. Neque enim Eusebius refragari videtur Nestoriano et Malalæ, baptismum Romæ administratum perspicue narrantibus ; neque de baptismo hic loqui, sed de duobus Ecclesiæ sacramentis a baptismi lavacro diversis, licet unum istorum appelletur perfectio baptismi, nempe *confirmatio*, alterum vero, secundus quidam baptismus, vel secundæ ad evadendum e naufragio tabulæ, nempe *pœnitentia* : duo hæc sacramenta baptismo jam initiatis congruentia, nempe *sacramentum confirmationis, et sacramentum pœnitentiæ*, si recte percipio. indicare videtur Eusebius in allatis verbis : quin etiam videtur Constantinus ipse in ea allocutione episcopis indicare causam dilatæ susceptionis sacamenti confirmationis ad eam diem, eamque quodammodo excusare dilationem, utpote rationabili ex causa profectam. quando significavit desiderium sibi fuisse subortum a prima conversione ad Christum, suscipiendi regenerationis lavacri in eo loco, ubi Christus Dominus exemplo, ac virtute sua sanctificaverat fluenta Jordanis. Religiosum principem pia corripit affectio suscipiendi sacramentum baptismi in Jordane, statim ac a Sylvestro aliisque sacerdotibus audivit ex Evangelica historia, ibi vocem Patris auditam promulgantem Filium dilectum Patris, per quem nos adoptamur, ibi divinum Spiritum visibili specie super ipsum apparuissee in typo columbæ. in quo secum clamamus : Abba Pater. Verum non defuerit Silvester officio providentis pastoris, declarando, scilicet fideli Constantino, posse utique devotionis affectui indulgere, ubi salutis æternæ periculum non immineat ex dilatione. Non posse autem, nec debere differri ea quæ præcepto Dominico declarata sunt ad consequendam salutem necessaria. Ostenderit Silvester principi, sacramentum baptismi ad salutem necessarium sollicite conquirendum esse, ubi congrua catechesis animum adulti suscipientis instruxerit ad illud pie percipiendum, exemplo Philippi diaconi in via baptizantis eunuchum Candacis reginæ, et Petri apostoli aquam illico afferri præcipientis, eaque confestim baptizantis Cornelium, ac socios, ita credentes in Christum, ut linguis loquerentur. Ostenderit, piaculum fore periculo plenum, si obtentu salutaris lavacri in eo flumine percipiendi, in quo memoria gestorum Christi pietatem posset intendere, differretur gratiæ

divinæ perceptio, et animus adhuc sordesceret culpis obnoxius. Differri quidem posse ad eum locum susceptionem alterius signaculi (si ita videretur) quo ungimur athletæ Christi per *sacramentum confirmationis*. Si princeps velit, cum spe uberioris gratiæ ex ea dispositione impetrandæ per hoc secundum Christianæ professionis sacramentum, quo in gratia jam per baptismum suscepta roboramur, et dona divini Spiritus et virtutis septiformis assequimur; se non refragari piæ voluntati Augusti, ubi semel in tuto posuerit rerum summam per consecutionem primæ gratiæ baptismi. Nam et exempla suppetere apostolorum ablegantium episcopos ad signaculum confirmationis iis conferendum qui effecti essent multo ante per baptismum Christiani; et pro episcopi providentia, non semper adultis illico administrari chrismatis sacramentum e lavacro baptismi prodeuntibus, sed spatium non semel concedi augendæ perceptæ gratiæ per exercitia virtutum, quo ampliorem consequantur ita dispositi ad confirmationem. Pium igitur desiderium conversi ad Christum Constantini hac in parte exaudiendum, quæ confirmationem protraheret ad accessum Jordanis cum spe disponendæ mentis ad dona Spiritus uberius percipienda: ubi pars altera consilii non nutaret, conquerendæ scilicet illico gratiæ ad salutem necessariæ per susceptionem baptismi. His vero doctrinis imbutum Constantinum petiisse a Silvestro, et obtinuisse citra moras ullas, post congruam catechesim, baptismum: et non dissensisse Silvestrum a dilatione confirmationis, quam pro voto principis prorogari posse etiam cum fructu duxerit ad accessum in Palæstinam, et ad ripam Jordanis. Hanc excusationem dilatæ confirmationis videtur mihi Constantinus significare episcopis ad se convocatis, narrante Eusebio, correptus morbo dum tenderet in Palæstinam. Illuc, ut arbitror, properabat imperator, quando substitit Nicomediæ, et correptus ægritudine, ac prævidens in Palæstinam se non perventurum, abire vita noluit non munitus altero Christi signaculo, quo confirmamur. Nam Θεῖαν σφραγῖδα pariter nominant etiam Græci et hic Eusebius *confirmationis sacramentum*; non secus ac *divinum signaculum* vocatur tum apud ipsos, tum apud nos chrisma, baptismi quoque donum.

Contendo igitur, non adversari Eusebium narrationi Nestoriani ac Malalæ de baptismo a Constantino Romæ suscepto, sed adversari præjudicatos interpretes verborum Eusebii. Dico Eusebium nobis exhibere *confirmatum*, non *baptizatum* Nicomediæ Constantinum, qui jam salutari Christi lavacro Romæ tinctus fuerat a Silvestro. *Divinum signaculum* (Θεῖαν σφραγῖδα) utique percepit Nicomediæ: quandoquidem per tempus ipsi non licuit, quod jamdiu optaverat, in Palæstinam pervenire, et ad Jordanis fluenta Spiritus sancti dona per chrismatis unctionem percipere. Ab episcopo Nicomediæ agente confirmatus est; non tamen ab episcopo Nicomediæ Eusebio Ariano, sed ab illo ex episcopis catholicis, quem ex destinatione Silvestri papæ, secum ducebat pius, imperator, veluti patrem ac directorem vitæ, postquam a Silvestro fuerat Romæ baptizatus; non secus ac sanctus presbyter Simplicianus Roma transmissus Mediolanum fuit ad dirigendum in episcopali regimine, et in ecclesiastica disciplina beatum Ambrosium, delegatione sancti pontificis Damasi, statim ac Ambrosius ex catechumeno electus ad episcopatum illius ecclesiæ fuit, ut alibi observavi cum card. Baronio ad annum 374, dum agerem de consuetudine vicariorum ab episcopis adhibitorum quarto Christi sæculo.

Plures episcopos in comitatu secum ductos a Constantino, antea probavi ex Eusebio, tum ut monita divinæ legis ab iis bauriret quotidiana expositione sacrorum codicum, tum ut destinatos a summo pontifice ad erudiendos in fide populos novarum regionum imperio additarum per Constantini victorias, promptius erectis in sedibus collocaret. Ab Ariano nequaquam baptizatum ex auctoritatibus allatis probavi. Sed neque alia sacramenta ab Arianis percepisse Constantinum quispiam memorat, nisi vitiosa illa testimonia ab Arianis ex Eusebio detorta in gratiam Constantii ejus filii, ut supra indicavi, et cum notis Labbei huic numero insertis, jam dictum fuit. Ante confirmationem tamen, cum adultus esset, purgandus erat alio sacramento, quod metaphorice *lavacrum alterum* appellamus, nempe sacramento *pœnitentiæ*, imo, et a S. Augustino appellatur *lavacrum quotidianum*, adnotante Morino de Pœnit. lib. v, cap. 31, num. 15 et seqq. Hoc autem rite præmissum fuisse a Constantino susceptioni *confirmationis*, ita perspicue declarant Eusebii verba, ut nullus supersit ambigendi locus eadem attente considerantibus. Quid enim peractum memorat a Constantino, « cum extremum vitæ diem sibi jam imminere sentiret, et tempus adesse duceret, quo totius vitæ delicta expiaret, ? » Fidei nempe suæ ac nostræ vim totam excitavit, « firmissime credens, quæcunque humanitus peccavisset, arcanorum verborum efficacia, et salutari lavacro penitus esse delenda. » Id cogitavit et, renovato fidei consensu, constanter tenuit, virtute a Christo Domino indita sacramentis ab eo institutis, duo illa præstare ad universa vitæ peccata penitus tollenda, quæ nostris a theologis dicuntur *sacramenta mortuorum*, nempe *baptismun et pœnitentiam*; istud, quod *arcanorum verborum efficacia*, istud quod *et verborum arcanorum efficacia, et salutari lavacro junctim* administratur. Et quoniam salutare hoc lavacrum baptismi iterari Christus interdixit, *qui arcanorum verborum medelam*, seu spiritale lavacrum *pœnitentiæ* tum septies, tum septuagies septies, pro indigentia fidelium, renovari ac adhiberi indulgenter permisit; hoc unice sibi superesse intelligens Constantinus, qui jam pridem baptizatus fuerat, hoc etiam rite percepit Nicomediæ ad expianda universa vitæ peccata, ut ita purgatus accedere posset ad chrismatis sacramentum, quod (ut innuimus cum Eusebio) distulerat, sperans ad ripam Jordanis a se perceptum iri. Quare « genu flexo humi procumbens, veniam a Deo supplex poposcit, peccata sua confitens in ipso martyrio. » Nihil hæc ad baptismum: omnia pertinent ad sacramentum pœnitentiæ: quemadmodum etiam administratio sacramenti quæ sequitur: « quo in loco manum impositionem cum solemni precatione primum meruit accipere. » Nemo ignorat, inter antiquos ritus administrationis pœnitentiæ, *præsertim publicæ*, recenseri *manus impositionem*, a sacerdotibus pœnitentium capiti præstandam, cum *solemni fusione precum*. Post hæresim Novati, instauratam fuisse hanc apostolicam disciplinam, luculenter docet Morinus *in tertiæ* præsertim *stationis* pœnitentibus, quam *substrationem* appellant. Vide Morin. de Pœnit. lib. VI, cap. 8, et lib IX, cap. 9, ubi Patrum tertii et quarti sæculi testimoniis, et ex canonibus Nicæno etiam concilio vetustioribus, eam consuetudinem comprobat, quam hic a Constantino servatam indicat textus Eusebii. Quoddam enim genus publicæ pœnitentiæ imitari ac percipere voluit studiosus æternæ salutis imperator, et ita purgatus ad sacramentum Confirmationis, indicata ex causa dilatum, accedere: quo ad extremum vitæ agonem properans muniretur. Nec deerant causæ cur flagitaret ut hujusmodi publica susceptione pœnitentiæ admissa totius vitæ errata deleret. Fortasse enim et cædes Crispi innocentis filii, et hujusmodi facta, quæ vel imprudenter ira correptus, vel zelotypiæ stimulis impotenter actus, et ad ultionem potius quam ad judicium properans, sibi videbatur admisisse, talia reputavit, ut plusquam privato pœnitendi ritu, coram Ecclesia exomologesi edita, duceret esse sananda. Zosimus ethnicus scriptor, lib. II, cap. 26, eam gravitatem admissorum suorum a principe reputatam ita memorat, ut calumniam ad-

dat ejus pœnitentiæ, cum scribit Constantinum tentasse diluere per lustricas ethnicorum expiationes totius vitæ peccata : quas expiationes, cum nemo ex deorum sacrificulis ipsi exhibere vellet, monitu Ægyptii, apud Christianos conquirendas curavit. Calumniam scriptoris infensi non minus Christiano nomini quam principi Christianæ fidei assertori et amplificatori, satis refellit integrum vicennium, quod cum episcopis aliisque sacerdotibus Christianis imperator jam exegerat, quotidie conferens cum eisdem de divini cultus ratione, ac mysteriis, ut proinde ignorare non posset, remedium sacramenti pœnitentiæ, peccantibus post baptismi susceptionem, et culpas deflentibus a miseratione Christi esse paratum. Hæc tamen calumnia Zosimi licet confingat, falsa remedia et exsecranda fuisse a Christiano imperatore quæsita, attamen insinuat veram et acrem censuram vitæ suæ a pio principe severius excitatam.

Non est propterea mirandum si publicam pœnitentis principis confessionem, pari impudentia, Zosimus sit calumniatus pro ethnicis superstitionibus scribens, ac illam Ariani posteriores diversa calumnia in suas partes pertrahere sint conati. Zosimus non erubuit confingere pium principem studiosum abolendi criminis, ad taurobolia, et impiis ejusmodi lustrationes, conquirendas a mystis dæmonum, se convertisse : quod scelus postea Julianus impiissimus apostata revera perpetravit : cui Zosimus tanquam commystæ suo concinebat Ariani pariter non erubuerunt, veram Constantini pœnitentiam in falsam iterationem baptismi impudenter convertere, ut Constantio impio ejus filio assentarentur : quem in ipsorum hæresim pertractum existimarunt lubentius accessurum ad sacrilegam perceptionem baptismatis ab Arianis administrandi, si princeps filius, paterno exemplo, iterare illud sibi videretur, et crederet. Quod itaque Cæsariensis Eusebius perscripsit, vel de mystico lavacro pœnitentiæ a Constantino perceptæ Nicomediæ vel de Constantini fide confitente admissorum in vita criminum, duas esse purgationes a Christo Domino institutas in Sacramentis, unam iterandam per arcana scilicet verba in confitentis ac pœnitentis absolutione, aliam non iterandam per verba et lavacrum in baptismo ; id illi detorserunt ad falsam iterationem baptismi Constantino patri affingendam, ut veram, et sacrilegam Constantio filio suaderent, vel a se jam administrandam ab auctoritate superioris exempli deductam esse jactarent.

Video nonnullos scriptores de Arianorum fraudibus ita esse persuasos, ut hunc ipsum Eusebii textum suspicentur, data opera, ab illis mutilatum in lib. III de Vita Constantini, cap. 7. Pagius Junior ex Petro de Marca ita censuit in Breviario gestorum S. Silvestri, num. 21, pag. 77, cum Gelasius Cyzicenus, lib. II Historicæ concilii Nicæni, cap. 5, profiteatur se transcripsisse ex indicato Eusebii loco et capite hæc verba, quæ hodie in Eusebio desiderantur : « Ipse enim Hosius ex Hispaniis nominis et famæ celebritate insignis, qui Silvestri episcopi maximæ Romæ locum obtinebat, una cum Romanis presbyteris Vitore et Vincentio cum aliis multis in consessu illo adfuit. »

Præterea idem Pagius Junior dubitat in aliis etiam locis de interpolatione textus Eusebii. Nam in Vita s. Fabiani, n. 4, postquam suspicatus est Actis S. Pontii addita fuisse complura fabulosa, descendit ad Eusebii textum, de quo ita scribit : *Quod attinet ad Eusebium, vel ejus Historia ab aliquo est interpolata, sicut ejus Chronicon ab Hieronymo, vel certe falsis rumoribus deceptus est. In Chronico enim supponit, in celebratione ludorum sæcularium Philippi, plura gentilitatem redolentia peracta esse, quod manifeste repugnat narrationi libri sexti ejus Historiæ :* ubi (scilicet cap. 36 lib. VI) affirmat Philippum fuisse Christianum, et ex Eusebio id hausit Hieronymus in lib. de Script. Eccles. ad sectionem Origenis, ita scribens : « Ad Mammæam matrem Alexandri imperatoris religiosam feminam rogatus venit Antiochiam, et summo honore habitus est, quodque ad Philippum imperatorem, qui primus de regibus Romanis Christianus fuit, et ad matrem ejus litteras fecit, quæ usque hodie exstant, quis ignorat ? » additque Pagius : « Quoad Vincentium Lirinensem, Cassiodorum, et alios, qui Philippum Christianum fuisse persuasum habuere, illi in errorem tracti sunt a Paulo Orosio, qui et ipse deceptus est, ut statim ostendo, » etc.

Quæ si vera sint, non video cur critici nonnulli apud Cave mirentur, quod in decreto Gelasii papæ Historia Eusebii referatur inter apocrypha. Non enim ideo referebatur in eam classem, quod pleraque ab Eusebio relata putarentur a veritate aliena, aut ab Eusebio non esse scripta ; sed quia justa suberat causa dubitandi, num textui genuino Historiæ Eusebianæ aliqua fuissent intrusa ab Arianis, aut a Donatistis, quandoquidem isti auctores mussitant interpolatum fuisse utrumque opus Eusebii, tum Chronicon scilicet, tum Historiam.

Verum de corruptione textus Eusebiani, hac saltem in parte Historiæ de Vita Constantini, quæ paulo ante producta est ab assertoribus baptismi Nicomediensis, ipse non queror, imo nec suspicor. Conqueror tantummodo de præjudicata interpretatione ac detorsione ejusdem sententiæ : cui occasionem præbuit (quemadmodum in Orosio adnotabat Pagius) usus translati verbi sive metaphoræ juxta disciplinam arcani, quæ illa ætate vigebat cum sermo esset de Sacramentis, dum prolata ab Eusebio de susceptione salutaris lavacri pœnitentiæ per arcana verba et manuum impositionem cum solemni precatione a sacerdotibus administratæ principi confitenti peccata totius vitæ referunt inconsiderate ad baptismum ; et divinum signaculum ab Eusebio memoratum et Constantino inditum per episcopum Nicomediensem interpretantur baptismum, cum sit de chrismate seu confirmationis sacramento intelligendum.

Ita vero interpretandam esse Eusebii sententiam demonstrare me posse puto. Nisi enim ita exponatur, fatendum esset Eusebium in Historia de Vita Constantini contrarium esse sibimetipsi aliter scribenti, tum in Chronico, tum in Historia ecclesiatica. In hac enim affirmat (lib. VI, cap. 34) Philippum imperatorem fuisse Christianum. Idem tradit in Chronico ad annum ejus imperii primum, Olympiadis vero 255 quartum, ita scribens : « Philippus Philippum filium suum consortem regni facit, *primusque* omnium ex Romanis imperatoribus Christianus fuit. » Cum igitur hæc tradatet in sua Historica ecclesiastica et in suo Chronico qua ratione posset in memorato libro IV Vitæ Constantini, cap. 61 et 62, ea narrare de perceptis Nicomediæ sacramentis, tum subdere hæc verba : « *Solus* igitur ex omnibus qui unquam fuerunt imperatoribus Constantinus in Christi martyriis renatus et renovatus est, et divino donatus signaculo exsultavit spiritu, renovatusque est ac divina luce repletus ? » Si hæc nihil significant quam baptismum, quomodo *solus* inter imperatores divino donatus signaculo, si sæculo ferme solido ante Constantinum *primus* e Romanis imperatoribus baptizatus fuerat Philippus et Christianus redditus juxta Eusebium? Pugnat secum historicus, si utrobique de baptismi tantum signaculo affirmetur. At si divinum signaculum θεῖαν σφραγῖδα, et τελεῖον φυλακτήριον Nicomediæ ipsi collatum, intelligamus sacramentum confirmationis, cui pœnitentiæ sacramentum præmiserit (quod Philippus imperator fecisse non traditur ab historico) ; componitur utrumque dictum Eusebii, ut *primus* inter imperatores Romanos, in Eusebii sententia, Christianus sit effectus per baptismum Philippus; et *solus* inter imperatores usque ad ætatem Eusebii Christiano ritu professus publice pœnitentiam Magnus Constantinus per arcana sacerdotum verba in eo sacramento purgatus, spiritus

sancti dona per confirmationis sacramentum acceperit ab episcopo, *divinum signaculum*, θείαν σφραγῖδα, *et perfectum animi tutamentum*, τελεῖον φυλακτήριον. Addendæ sunt hic notæ eruditi viri Hugonis Menardi in Sacramentarium S. Gregorii Magni, præcipue pag. 126 et 140, ubi dum probat ab apostolis traditum fuisse episcopis, uti et ipsi acceperant a Christo Domino, administrandi chrismatis potestatem et ritum, ait : Imo et praxim fuisse ostenditur tempore apostolorum, ut notum est ex historia quam ex Clemente Alexandrino refert Eusebius lib. III Hist. Eccles., cap. 17, ubi de quodam episcopo, qui baptizaverat quemdam juvenem sibi a S. Joanne apostolo commendatum, scribit: ὡς τὸ τελεῖον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου· id est, *signaculo Domini tanquam perfecta animi custodia signasset*. Quod non potest aliter intelligi, quam de chrismatione, quæ, eo quod fit in modum crucis in fronte, ut postea dicetur, recte signaculum Domini appellatur : quemadmodum et in Ecloga Vitæ sancti Athanasii in Bibliotheca Photii num. 258, τούτους ἐπιγρίσας διὰ τῆς ἐκ Χρίστου σφραγῖδος ἐτελείωσεν· id est, *qui cum eos inunxisset Christi signaculo, confirmavit*. Agitur enim de illis pueris, a puero Athanasio baptizatis, quibus postea S. Alexander pontifex confirmationis sacramentum contulit. » Hunc vide laudato loco: et observa eadem phrasi, quam adhibet in Vita Athanasii, uti Eusebium in chrismate Constantini. In Vita Cypriani Pontius diaconus ita circumscripsit chrismate confirmatos confessores Christi, *frontium notarum secunda inscriptione signatos* Vide supra notas Bencini ad Marcellum, lin. 9, *Ita circum*.

Nihil igitur dissonum, nihil inter se pugnans invenitur in Eusebii textibus, ita si intelligantur: neque adversantur narrata ab Eusebio apertissimis testimoniis Nestoriani chronographi, apud Malalam præservatis et proximo sæculo scriptis, quo scribebat Eusebius: in quibus diserte narratur baptizatum fuisse in urbe Roma una cum matre Helena Constantinum, et cum pluribus domesticis et amicis.

Admisso autem baptismo Constantini et matris Helenæ in urbe Roma, recte procedit universa chronologia et Historia Eusebii : quæ utique turbaretur, si detorquerentur ad baptismum Nicomediæ quæ de pœnitentia et chrismate ibidem susceptis hactenus sunt explicata.

Helenam enim Augustam matrem quod attinet, una cum filio Constantino baptizatam, teste Nestoriano; hæc certe differre non potuit ad annum emortualem Constantini 338 baptismi sacramento initiari; cum multo ante migrasset ad Dominum meritis plena ; et cum Eusebius ipse eam ita describat morientem *præsente atque astante Constantino filio* (utique Romæ, ubi sepulcrum ejus ad cœmeterium SS. Petri et Marcellini repertum, in Lateranensi patriarchio asservatur, et ab ill. Ciampino describitur una cum mausoleo ad tertium ab Urbe lapidem per Constantinum ipsi constructo via Lavicana, quod infra num. 43 hujus Vitæ Silvestri assertum a Bibliothecario confirmat testimoniis veterum a Valesio etiam perpensis in notis ad cap. 47, lib. v Eusebii, de Vita Constantini. Vide Ciampin. de sacr. Ædif. a Magno Constantino constructis cap. 8, postquam affecta jam ætate (ut Eusebius refert lib. III. cap. 42) sacram peregrinationem instituisset Hierosolymam, et ibidem perfuncta omnibus Christianæ pietatis officiis, orando et perquirendo nostræ redemptionis instrumenta, liberalitatis etiam magnificæ exempla præbuisset in ecclesiis Deo erigendis regio sumptu, et ab illa peregrinatione redux, ac diu superstes in urbe Roma degeret, Constantinopolis regia nondum absoluta. Eam vero peregrinationem et crucis Dominicæ, perquisitionem, hortatu filii Constantini a matre susceptam diserte tradit idem chronologus a Malala exscriptus, et proximus sæculo Constantini. Ait enim lib. XIII, pag. 5, edit. Oxoniensis GL. : « Idem Constantinus imperator matrem suam domi- A nam Helenam Hierosolymas misit ad exquirendam crucem venerabilem. Ex eo tempore res Christianorum melius se in dies habuere. » Deinde consequitur Byzantii instauratio *Gallicano et Symmacho coss.* Christi anno 330, octennio ante mortem Constantini: cui etiam concinit Hieronymus in prosecutione Chronici Eusebiani ad annum proximum (Christi 331) ejusdem Urbis dedicationem attexens : *Constantinopolis dedicatur pene omnium urbium nuditate.* Optime autem respondet ætati assignatæ per Eusebium lib. III, cap. 46, de Vita Const., Helenæ matris ferme octuagenariæ, cum moreretur paulo ante annum Christi 330, nempe circa annum 327. ut Sigonius quoque colligit apud Ciampinum loco laudato; cum decennio post, nempe anno 338, filii ejus Constantini Magni tunc morientis ætas asseratur sexagenaria, vel triennio major, juxta Epitomen Victoris, nisi ternarius ille non fuerit annorum sed mensium, uti Nestorianus affirmat apud Malalam. B

Cum igitur Helena mater Augusta Romæ decesserit circa annum 328, in castris Christianæ fidei veterana atque emerita, astante piissimo filio Constantino, manusque ejus amplectente, juxta Eusebii narrationem, quæ ab Hierosolymis reportaverat, hortatu ejusdem filii, pignora et instrumenta nostræ redemptionis : et cum baptismus a matre ac filio simul fuisset perceptus, ex Chronologia Nestoriani ac Malalæ ; affirmandum est, textum Eusebii de sacramentis ab eodem imperatore perceptis Nicomediæ anno 338, paucis diebus antequam vita exiret, intelligi nequaquam posse de baptismo, sed de pœnitentia et de confirmatione ipsi administrata ; cum totis XV circiter annis ante id tempus, vel etiam XVIII aut XX, baptizatus fuisse Romæ a Silvestro papa in palatio Lateranensi : dilato tantum sacramento confirmationis, ut obsecundaret pio studio illud signaculum Christianæ professionis suscipiendi in ripa Jordanis, data opportunitate invisendi eam C regionem Christi Domini præsentia sanctiorem redditam, ad quam transmiserat piam matrem. Dilatæ confirmationis exempla per eam ætatem in adultis si quis requirat, oportet ut parem Constantini consilio causam inveniat. Scio, ut plurimum consignari consuevisse ab episcopo adultos, a presbyteris, vel ab ipso episcopo recenter baptizatos. Sunt attamen causæ nonnullæ cur baptismate mundatis sacramentum confirmationis differri possit. Canones Laodiceni sub eodem Silvestro, de quo loquimur, necnon epistolæ Cypriani sæculo integro ante Silvestrum datæ declarant, eos qui ægritudine, vel alia necessitate adacti baptismum percepissent compendiario sacramenti ritu (quale fuit eunuchi Candacis a Philippo diacono in via baptizati) ubi convaluerint. aut ab illa necessitate expediti sint, debere symbolum apostolicum addiscere, et reddere, et ad confirmationis sacramentum ab episcopo ministrandum accedere. Vide can. 47 et 48 : « Oportet baptizatos, post D baptismum chrismatis quoque cœlestis, et regni Christi participes fieri, etc. » Ex veteri enim praxi apostolorum ac traditione ita observaverat et observat Ecclesia, uti ex epistola beati Cypriani constat. in qua ita scribitur : « Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut, accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Christi, et habere in se gratiam Christi possit. » Quæ chrismatis consignatio ita proxime adjungebatur baptismo adulti, ut causam erroris inde traxerint episcopi Africani, opinantes apud hæreticos non esse verum baptisma, apud quos nec unctio constaret. Damnarunt errorem Cornelius ac Sixtus, retenta tamen chrismatis traditione ac disciplina rituum, quos ibi recenset Cyprianus in fonte benedicendo, catechumeno interrogando, cæterisque solemnibus cæremoniis baptismi. Chrismatis tamen susceptionem differendam pro episcopi copia, et opportunitate, aut pio suscipientis voto, et profectu, pro data sibi facultate cum intelligeret Silvester, nihil vetabat, quominus Constantino cupienti cœleste signaculum θείαν σφραγῖδα percipere in ripa

Jordanis, spe ulterioris profectus, ita differri indulgeret. Disciplinæ attamen tenax providit, ne unctio aliqua omitteretur etiam cum presbyter baptizaret: et mysterii retinendi causa constituit, ut *baptizatum liniret presbyter chrismate, levatum de aqua,* quod occurret sequenti sectione.

Præterea disciplinam Ecclesiæ vigentem suo, et Silvestri sæculo, in chrismatis sacramento administrando non semper illico post baptismum, sed interposito quandoque tempore, varias ob causas rationabiles, satis expressam exhibet nobis S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, ubi Orthodoxus affirmat: « Hanc esse ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus, manum impositurus excurrat »: et paulo post hoc idem nitidius explicans, docet: « Hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit, ut scilicet in ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi non accipiat Spiritum sanctum *(in sacramento confirmationis)* quem nos asserimus in vero baptismate tribui: et inde veniret, ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter neque diaconus jus habeat baptizandi, quod frequenter, si tamen necessitas cogat, scimus etiam licere laicis. » Baptizatis igitur in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos ait evenire ut ante vita excedant, seu dormiant, quam per episcopum invisantur: unde patet, non omnibus etiam adultis illico post baptismum, conferri consuevisse chrismatis sacramentum, sed pro varia opportunitate differri, ut etiam hodie fit: quemadmodum Spiritus sanctus in Actis apostolorum datus pluribus diebus post ascensionem Domini hanc disciplinam Ecclesiæ monstravit attemperandi collationem chrismatis, seu confirmationis sacramenti juxta opportunitatem loci ac temporis, cæteris muneribus ab episcopo obeundis, aut causis dilationis ab ipso approbandis. Non igitur mirum videri debet, si eadem disciplina usus est beatus Silvester in reservanda opportuniori loco, ac tempore confirmatione Constantini, quam in exordio Ecclesiæ a Spiritu sancto apostolis traditam cognoscebat.

Stat igitur summa dictorum cum legitimo sensu Eusébianæ Historiæ et Chronologiæ de Vita, ætate ac baptismo B. Helenæ et Constantini, et conciliatur cum Nestoriani et Malalæ chronographia, et narratione, et cum Bibliothecarii textu, asserentibus: baptizatum fuisse a Silvestro papa pium illum imperatorem in urbe Roma ad Lateranum.

Sin autem phrasis Eusebio usurpata lavacro pœnitentiæ, ac de signaculo confirmationis transformandæ ejus sententiæ ansam dedit Arianis, id non est vitio vertendum historico, sed abutentibus ejus historia in patrocinium erroris: posteris vero abusus ille imprudenter imposuit, cum illegitimam plagiariorum detorsionem, pro recto scribentis sensu admiserunt. Imponi autem posteris, sequiori præsertim ætate, non fuit difficile hac in historia, vexata tot artibus hæreticorum: quibus tribuitur mutatio nominis Constantii in Constantinum in textu Athanasii de Synodis, necnon Ambrosii, Zosimi, Socratis, Sozomeni loca in dubium revocata, et a Baronio excussa, uti ex Pagio adnotabam initio notarum historicarum in hunc numerum.

Nec dissimilis transformatio sententiæ suspicari potest deducta ex Actis Silvestri, cum vero baptismo per eumdem administrato Helenæ et Constantino, admista est lepræ curatio: quæ in Actis genuinis, ut arbitror, memorabatur, sed longe diversa sententia ac legitur in transformatis. Ex phrasi consueta, quæ sordes mentis peccati reatu notatæ *lepræ* nomine solet exprimere, Constantino additum fuisse imprudenter morbum corporis elephantiasim, seu lepram, a quo metaphora Scripturarum desumpta est, valde suspicor. Consuetudo enim ejus translati verbi in Scripturis ad peccata significanda adhibiti, cum lepram a lepra distinguere ad officium sacerdotis refertur; ita familiaris erat ætate Silvestri et Constantini, ut ecclesiasticis viris passim assumeretur etiam in dictandis canonibus conciliorum: quod perspicuum fit legentibus canonem 17 concilii Ancyrani sub Silvestro, ita conceptum, ac Latine redditum: « Eos qui irrationabiliter vixerint, et lepra inusti criminis alios polluerint, præcepit sancta synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo. » Lepra igitur criminum, non lepra corporis mundatum exhibebant Constantinum sincera illa documenta quæ describebat auctor secundi catalogi, et cum eo Bibliothecarius in hoc numero, dum affirmabant, a Silvestro papa baptizatum fuisse Constantinum Augustum, « quem curavit Dominus per baptismum a lepra. » Acta Silvestri non interpolata, probabile admodum est, nihil ultra hæc verba fuisse complexa; cum nihil his adjecerit Auctor secundi catalogi, nihilque addiderit Bibliothecarius fideliter transcribens phrasim passim adhibitam per eam ætatem etiam in canone concilii Ancyrani. Vetus arcani disciplina, in mysteriis sacramentorum tractandis, caute proloqui studens, et profanorum oculis occultare fidelium sanctiora theoremata, ita assueverat uti translatis ejusmodi locutionibus, expressis in divinis litteris, ut passim eas adhiberet tanquam proprias, sive ut propriarum æquipollentes, et quandoque in significando expeditiores, juxta monitum B. Augustini in libris de Doctrina Christiana. Hæc deinde dogmata figuris, ac translatis inclusa fidelibus distincte exponebantur per sacerdotes *arcanæ doctrinæ mysteriis instructos:* quos etiam adhibuisse Constantinum ab ipso conversionis initio docet Eusebius. Tempora vero subsecuta ex mysticis ac metaphoricis locutionibus, compendii causa, substitutis propriorum verborum usui, ansam quandoque obtulerunt lectoribus, sequioris præsertim ætatis, suoque marte ausis ea interpretari; ut ineptas narrationes deducerent ex ignorata vi translati verbi, longe diverso sensu ab illo primo scriptore adhibiti, ac perciperetur a sero aliquo transcriptore: qui deinde ausus sese in auctorem erigere admirabilis alicujus historiæ aliis ignoratæ, inventa sua venditabat, aut assuebat veterum narrationibus, ita ut in nonnullis codicibus additus reperiatur numerus trium millium infantium ad balneum Constantini lepræ parandum crudeliter mactandorum, quem a codicibus castigatis resecandum censuit cura diligentior posterorum.

Quidpiam igitur simile procusum fuisse suspicor ex phrasi et metaphora *lepræ per baptismum mundatæ* in historia Constantini a simpliciori aliquo artifice sequioris ævi, ac illud vetustius additamentum, quod minus felices interpretes historiæ Eusebianæ, sive etiam Ariani studiosi ejus corruptores procurarunt in gratiam gregalis sui Constantii de baptismo Nicomediensi, sumpta occasione ex metaphora Eusebii, qua spiritus purgationem per exomologesim, seu pœnitentiam *nomine lavacri,* et sacramentum confirmationis per vocabulum ipsi commune cum baptismo, nempe *divini signaculi,* θείας σφραγῖδος, de Constantino loquens expressit.

Neque ex verbis Chronici Eusebiani in additamento Hieronymi quidquam proficient asserores baptismi Nicomediensis. Nam Hieronymus non suum, sed Eusebii Chronicum Latine reddens, et post Vicennalia Constantini (in quibus Chronicum Eusebii desinebat) ulterius producens, ex ejusdem auctoris historia, totidem verbis reddidit metaphoram salutaris lavacri, si de sacramento pœnitentiæ eadem prolata credidit, vel suppletos solemnis baptismi ritus si forte more compendiario, et privato, non secus ac decumbentium ægritudine administratum baptismum antea supposuit, ut in aliquibus magno-

rum principum regiis hodieque fit, rationabili ex causa, eoque sensu locutum Eusebium esse putavit. Cæterum in eam periochen Hieronymi ad supplementum chronici Eusebiani observat Scaliger ex Gelasio Cyziceno scriptore sæculi quinti apud Photium, aliter perscriptam fuisse historiam baptismi a Constantino percepti. Neque enim ab Ariano episcopo, quali labe aspersus erat Eusebius Nicomediensis, sed ab orthodoxo baptizatum fuisse asseverat Magnum Constantinum. Quin etiam, ejus verba si attente perpendantur, indicat etiam Eusebius Cæsariensis, in extremo vitæ termino remissionem peccatorum consecutum pium imperatorem lavacro quod diximus mystico pœnitentiæ, per arcana sacramenti verba prolata ab orthodoxo antistite, non ab hæretico. Cum enim narret consuevisse Constantinum habere in domestico suo comitatu episcopos, ex quo Romæ curaverat in primo ad fidem accessu obtinere quotidianas ab iisdem divinæ legis explicationes, suppetebat illi copia catholici antistitis, a quo remissionem peccatorum ritu catholico, et confirmationis sacramenta perciperet. Quare Gelasius ille Cyzicenus nitide declaravit et mundatum retulit, ὀρθοδόξου μυσταγωγήσαντος, καὶ τελέσαντος, ἀλλ' οὐχ ὡς τίσιν ἔδοξε, τῶν αἱρετικῶν τινὸς χειραπτήσαντος· *ab orthodoxo sacerdote sanoque ritu, non ut quidam prodiderunt, ab hæreticorum aliquo manus imponente* (postrema hæc verba propria sunt, præsertim apud Græcos, sacramenti Pœnitentiæ, ut supra cum Morino explicuimus); ubi etiam Gelasius addit causam dilati ritus, eamdem scilicet, quam ex Cæsariensi Eusebio memoravimus : *quod ipse in Jordane baptizari peroptasset*, licet videatur Gelasius iste de baptismo loqui, non de spiritali lavacro pœnitentiæ. Verum apertissime testatus est Nestorianus eorumdem temporum scriptor apud Malalam Photio vetustiorem, baptismi gratiam Constantino, Helenæ, suisque omnibus collatum fuisse ministerio Silvestri papæ in urbe Roma, uti retinuit in hoc numero Bibliothecarius.

Linea 17. — *Fundum Valerium*, etc., *præstans solidos* 80. In singulis numeris Vitæ Silvestri, quæ consequuntur, præcipua cura Bibliothecarii est ut enumeret dona per Constantinum Deo oblata, ut essent *Patrimonii jure* attributa huic sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ejusque episcopo Petri successori, tanquam res Deo sacræ, sub omnimoda potestate pontificatus Maximi retinendæ, ac disponendæ per Silvestrum, ejusque legitimos successores. Ne igitur sistamus ad singulos numeros, morosa perquisitione, eaque satis supervacanea, singulorum fundorum loca, nomina, censum, vicesque variis consectantes placet in universum attexere utiliorem (ut arbitror) observationem de illarum summa, ac de prosecutione non intermissa jurium patrimonialium, ex hac oblatione Constantini Magni plena potestate, attributorum totius Christianæ reipublicæ patri, ab eoque retinendorum, et vindicandorum tum ex jure patrimonii, tum alio potiori divinis e legibus emanante, quo res Deo sacræ per summum Dei sacerdotem procurandæ, possidendæ, retinendæ, et vindicandæ, et repetendæ sunt, a sacrilegis usurpatoribus quoties occupentur. Contentus ero de illarum summa nonnihil hic delibare, ac reservare notis, ad Vitas pontificum octavi et noni sæculi attexendis, comparationem hujus summæ cum annua præstatione trium talentorum, et semis, quam huic substitutam pendebant imperii successores, nomine *sacri Patrimonii*, post invasas a barbaris provincias complures, ubi eadem patrimonia fundata fuerant a Constantino; suo etiam tempore ut demonstremus, parem circiter summam a pontificibus Romanis imperatam Roberto Viscardo, et consecutis post eum principibus in utraque Sicilia, fiduciariis legibus iis attributa a directo domino, Ecclesiæ scilicet Romanæ ac universalis episcopo, et sacerdote summo, cum jura patrimonii in eas provincias translata consolidassent eam potestatem parenti publico in suum patrimonium, a cujus procurationis, ac præstationis officio demandat, filii perduelles exciderant. Jurium istorum diligentior pertractatio congruis ut locis reservetur illustranda, quod præstitit luculenter Nicolaus Alamannus in doctissimo libro de Lateranensibus Parietinis, occasione oblata explicandi musivi Leonis III quod superest in patriarchio Lateranensi, et in ejusdem pontificis Vita per nos quoque dabitur, summam hic tantummodo colligemus annui reditus illorum fundorum, quæ, *Patrimonii* nomine, per Silvestri papæ manus Deo, Christique in terris vicario sacerdoti summo, obtulit Constantinus. Colligentibus nobis e singulis numeris hujus Vitæ nomina fundorum ac summam annuæ præstationis, ex iisdem fundis singillatim perceptæ, hujusmodi catalogus constituitur.

OBLATA IN BASILICA SALVATORIS SEU CONSTANTINIANA ET LATERANENSI.

Massa Gariliana præstat solidos 400 ; Muronica. 340; Auriana, 500 ; Urbana, 240 ; Sentiliana, 240 ; Castis, 1000 ; Trapea, 1650. — Summa, 4370.

FONTIS LATERANENSIS.

Massa Festi præstat solidos 300 ; Gaba, 202 ; Pictas, 205 ; Statibana, 200 ; Taurana, 500 ; Horti et domus in Urbe, 2200 ; Bassi, 120 : Latina, 200 ; Caculas, 50 ; Statiana. 350 ; Murinas ; 300 ; Virginis, 280 ; — *In Africa*, Massa Vineis, 800 ; Capsis, 600 ; Varia Sardana, 500 ; Cameras, 405 ; Mimas, 710 ; Baldari, 810. — *Cretæ*, Massa Cefalinam, 500 ; Amaron, 222. — Summa ; 9374.

IN BASILICA VATICANA.

Antiochiæ, Massa Domus Datiani præstat solidos 240 ; In Caene, 20 ; Caele, 20 ; Balneum in cerateas, 42 ; Pistrinum, 43 ; Popina, 10 ; Hortus Maronis, 10 ; Hortus alius, 11 ; Possessio Sibyllæ, 323. — *Alexandriæ*. Massa Timialia. 620 ; Euthimica, 500 ; Parthenopolis. 800 ; Hybromias, 450. — *In provincia Euphratensi*. Massa Armanalanan. 380 ; Morbaris, 260 ; — Summa : 3709.

IN BASILICA S. PAULI VIA OSTENSI.

Tyri. Possessio Comitum præstat solidos 550 ; Timia, 230 ; Fronimusa, 700. — *In Ægypto*, Possessio Cyrias, 710 ; Basilea 550 ; Insula Machabeo, 510. — Summa : 3270.

IN BASILICA SESSORIANA.

Possessio Sponsas præstat solidos 262 ; Patras ; 120 : Anglesis, 150 : Terega, 140 ; Herculis, 140, Nymphas, 115 ; Angulas, 153. — Summa : 1080.

IN BASILICA S. AGNETIS VIA NOMENTANA.

Fidenis præstat solidos 160 ; Pavetinas, 105 ; Muci, 80 ; Vico Pisonis, 250 ; Caculas, 100. — Summa : 695.

IN BASILICA S. LAURENTII VIA TIBURTINA.

Fundus Veranus præstat solidos 140 ; Aquas Tucia, 153 ; Augusti in Sabinis, 120 ; Micinas, 150 ; Thermulas, 60 ; Aranas, 70 ; Septimiti, 130 ; Summa : 823.

IN BASILICA SS. PETRI ET MARCELLINI VIA LAVICANA.

Fundus Laurentius et Mons Galbius præstat solidos 1120 ; Sardinia insula, 1024 ; Mosenum ins., 810 : Insula Articiæ, et Mons Argentarius, 600 ; Ad duas Casas, 200. — Summa : 3754.

IN BASILICA OSTIENSI.

Assis, etc., præstat solidos 300 : Græcorum, 80 ; Quiriti, 311 ; Balneolum, 42 ; Nunsula, 30 ; Massa Malliana, 115 ; Fundus Picturas, 43 ; Fundus Surorum, 56. Massa Gargiliana, 655. — Summa 1632.

IN ECCLESIA ALBANENSI.

Lacus Turni, etc., præstat solidos, 40 ; Molas possessio, 50 ; Albanensis cum lacu, 250 ; Massa Muci,

170; Domus et Horti, 20; Tiberii Cæsaris, 80; Maritanas, 50; Nemus, 280; Armatiani, 150; Statiliana, 70; Medianæ, 30. — Summa : 1090.

Collectis igitur hisce partialibus summis

	solid.
Basilicæ Lateranensis	4370
Fontis Lateranensis	9374
Basilicæ Vaticanæ	3709
Basilicæ S. Pauli	3270
Basilicæ Sessorianæ	1080
Bas. S. Agnetis	695
Bas. S. Laurentii	823
Bas. SS. Petri et Marcellini	3754
Basilicæ Ostiensis	1632
Basilicæ Albanensis	1090
Fit summa totalis solidorum	29,797

Huic summæ solidorum si addantur annuæ species iisdem provinciis imperatæ, ubi hæc patrimonia fundata erant, ut solverentur Romanæ Ecclesiæ, scilicet balsamum, oleum nardinum, pisticum, cyprium, aromata, storacem, chartas decadas, papyrum mundum, racanas, linum, noscuntur proxime accedere ad solidos triginta quinque mille, quot affirmarunt Nicephorus, ac Theophanes pendi quotannis consuevisse a præsidibus provinciarum ante Leonem Isauricum. His vero redditibus colligendis, rectores patrimoniis suis a Romano pontifice datos in vicinioribus regionibus Italiæ inclusis, aut adjacentibus, nempe in Calabria et Sicilia, constat ex litteris Gregorii Magni, ad eosdem datis; nec non ex epistola Nicolai ad Michaelem imperatorem, ab Alamanno producta pag. 169 laudati libri de Lateranensibus Parietinis.

Summam solidorum auri triginta quinque millium facile comparamus cum ætatis nostræ monetis aureis et argenteis; cum pondus et valor solidi certus reddatur ex antiquis ponderibus illius ætatis, quæ in cimeliarchiis custodiuntur, signata certis notis numeri solidorum ipsis respondentium. Est apud me æneum pondus indubitatæ antiquitatis, quadrata figura præditum, qualia etiam incisa spectantur inter cimelia musæi S. Genovefæ Parisiis, et apud Sponium in Miscellaneis. Huic nostro insculptæ sunt litteræ SOL. XII, indicantes duodecim solidos auri contineri uncia una et dodrante (1 3/4) quod est pondus illius ænei typi, et exagii. Sunt autem in unica una aurei nummi Hispanici quatuor ex iis, quas vulgo appellamus *Doppie*, ita dictos, cum contineant singuli eorum duplicatum solidum, seu scuta aurea, aut florenos aureos duos, duosve ducatos aureos. Pendet enim *una doppia Hispanica* quadrantem unciæ. Quare solidi duodecim ævi Constantiniani, ad quam ætatem pertinet illud pondus, æquales sunt 14 scutis aureis nostratibus (*ducatis*, seu *florenis* etiam *aureis* dictis ab impresso typo ducatus aut floris), sive septem Hispanicis, aut Italicis nummis *doppie* appellatis. Unde comperimus duodecim millium solidorum summam continere mille pondera nostro exagio æqualia, quæ sunt unciæ auri 1750. Triplicata hæc summa, quæ constituit solidos triginta sex mille, continet etiam uncias auri 5250 et Hispanicos nummos *doppie* dictos uno et viginti millia, quæ sunt *floreni* aurei, seu aurei quadraginta duo mille. Deducta parte 1/36 pariantur 35 mille solidi nummis aureis *doppie* dictis 20,417, sive aureis ducatis 40 millibus circiter. Decisa parte decima insumenda in ministros exactionum argentariorum sive campsorum sumptus, supersunt illa triginta quinque circiter millia, quotannis inferenda nomine patrimoniorum ærario apostolico Romanæ Ecclesiæ: quæ sunt aurei nummi *doppie* dicti 17 mille, sive unciæ auri 4250. In idem recidit supputatio Theophanis, scribentis in Nicephoro, uti observat Alamannus pag. 170, *libras auri tercentum quinquaginta* esse summam talentorum auri trium, et semis, *quæ in annos singulos Ecclesiæ Romanæ ab imperatoribus pendebantur* (et quidem ἔκπαλαι *ab antiquo*, ut verbis Theophanis, *antiquitatem longissimam, et pene ultimam Christianorum Cæsarum indigitantibus* expressit pag. 168) *appellata patrimonia sanctorum principum apostolorum, qui apud veterem Romam in veneratione sunt.* In libris autem 350 numerantur unciæ 4200.

Pendi vero consueverunt antiquitus ab imperatoribus, ex quo barbari orientales provincias post magnum Theodosium infestarunt suis exsecutionibus, et patrimoniorum procurationem difficilem in Syria, Ægypto, Africa, aliisque regionibus, et provinciis Romani imperii reddiderunt. Augustorum enim pia sollicitudo partium suarum non oblita, quæ Ecclesiæ defensorem excitant ad res ejusdem tuendas, in se receperat ejusmodi tutelam, et condicta cum Romanis pontificibus annua illa præstatione, quæ responderet proventui patrimoniorum jam indicato in oblationibus Constantini Magni, promissa implebat, quotannis juxta Theophanem persolutis Romanæ Ecclesiæ per illarum provinciarum præsides, auri libris 350. Videntur autem ex pacto cum Romana Ecclesia inito, facilioris consecutionis causa, substituta fuisse patrimoniis in Syria, Ægypto, Creta, et Africa constitutis proximiora patrimonia, quæ leguntur in epistola Nicolai ad Michaelem, et aliis in monumentis noni sæculi, nempe Calabritanum, et Siculum, Beneventanum, Salernitanum, Neapolitanum, et utriusque Calabriæ superioris, et inferioris atque Siciliæ : quæ tenebantur pontificibus summis imperatores Orientis ita præstare, ut Alamannus observet pag. 167 : « ab Adriano I commoneri Constantinum imperatorem repetundarum lege, eidemque non reddenti patrimonia, proscriptionem interminari. »

Visuri sumus lobo opportuno, eamdem ferme summam annuæ præstationis librarum auri 350 provenire ex censu imperato per Romanos pontifices Roberto Viscardo, et successoribus, quando, fiduciario jure, dominium earumdem provinciarum, in eos transtulerunt, in quas jura patrimonii translata, vindicandorum quoque potestatis libere exerendæ ansam dederunt. Constabit enim ex imperato tributo duodecim Papiensium denariorum in singula terræ jugera (cui annuatim persolvendo se obstrinxit Robertus anno 1059) Nicolao II Romano pontifici, et successoribus in prima, quam vocant, investitura, legenda apud Baronium in Annalibus, et Labbeum in Conciliis, colligi quam proxime parem summam aureorum solidorum 35 millium ex patrimoniis Constantinianis percipiendorum ; si modus ille Decimæ regalis aptetur spatio utriusque Calabriæ et Siciliæ, quem a celebri marescallo D. Vauban nuper inventum Christianissimus rex universis regni sui finibus, tanquam rationibus ærarii, et subditorum commodis in primis utilem adoptavit. Ea res ostendi posset calculo non admodum operoso. Verum, ne hujus numeri notas diutius protraham, opportuniori loco diligentius pertractanda reservabitur ad Vitas pontificum octavi et noni sæculi.

CIACONII.

Num. 34, linea 5. — *Baptizavit Constantinum.* De Constantini baptismo, Romæ suscepto anno Christi 323, Silvestri papæ 11 et ipsius imperii 18, certa et indubitata sunt testimonia. Concilium Romanum sub Silvestro papa Romæ coactum, in ejus exordio id testatur ; Gregorius Turonensis Franc. Reg. Hist. lib. II, cap. 31 ; Hincmarus in Vita S. Remigii ; Acta Silvestri ; Adrianus papa IV : concilium Nicænum secundum, et tom. II Epist. Decretalium ; Nicolaus I Romanus pontifex in epistola ad Michaelem imperatorem Constantinopolitanum, qui cultores Dei Augustos, qui Ecclesiam Dei exaltaverunt, et præcipue Romanam, Constantinum Maximum commemorat, Constantem Theodosium majorem, et Valentinia-

num. Nicephorus, Hist. c. 3, card. Baronius tom. III, et alii quamplurimi. Quapropter impostura Eusebii Arianorum signiferi ostenditur, qui in gratiam Constantii imperatoris Ariani, commentum finxit, baptizatum Constantinum Nicomediæ ab episcopo Ariano, volens ea nota eum inurere, ut filio adularetur et morem gereret, et ejus errores videretur extenuasse, si ad parentis normam mendaciis astruxisset.

Num. 35, linea 1 et 2. — *Factum est consilium*, etc. Sub Constantino Maximo imp. Arius presbyter quidam Alexandrinus erupit, qui conabatur docere Filium Dei ex nihilo in tempore factum esse, et prorsus creaturam, alteriusque quam Patris substantiæ, cujus doctrina, nisi opportune dissipata fuisset, pectora multorum atque animos, sicut cancer, penetrasset, ut Optatus Milev. lib. IV tradit. Synodus autem in Oriente, contra Arium et sectatores ejus, in sequentem annum post concilium Romanum a Silvestro et Constantino consulto dilata est, ut vulnera inflicta propinquius curarentur. Synodus igitur ad Nicæam metropolim Bithyniæ convocatur, ad quam 318 episcopi ex toto orbe convenerunt, cœpta a die XVIII Kal. Julias, usque ad diem VIII Kal. Sept. anno 325, Silvestri papæ 11, Constantini imp 20. Ad hanc Osius episcopus Cordubensis, Victor et Vincentius, presbyteri urbis Romæ, a B. papa Silvestro legati missi fuere, qui pro eodem, in eadem synodo præfuere, a quibus omnibus congregatis in templo maximo, fides plena et orthodoxa conscribitur et explicatur, et Constantinus imperator summa pietate Patrum decreta complectitur. Interim dum subscriberentur decreta synodi. Chrysantus et Musonius episcopi vita functi. Quare Patres reliqui, ad tumulum eorum accedentes, illos obsecrarunt ut vellent et ipsi decretis subscribere. Et super loculos eorum scripta sigillata relinquentes, et pervigiles in illa nocte pernoctantes, mane facto aperientes, solutis quæ erant imposita signaculis, compererunt horum duorum episcoporum dormientium subscriptiones : Gregorio Nazianzeno de magn. Syn. Nicæn. et Nicephoro lib. VIII, cap. 21 attestantibus.

Num. 36, linea 2. — *Basilicam Constant.* Huic basilicæ de suo nomine Constantinianæ appellatæ (quamquam usus obtinuit ut Lateranensis potius diceretur) opulentissima donaria, et redditus, ut primariæ sedi pontificiæ liberalissime largitus est, quæ ascendebant ad summam (ut vulgarius loquamur) 2,285,867 aureorum. Quæ summa recte colligitur ex libris argenti ad valorem auri redactis, et solidis singulis quatuor aureorum pretio supputatis. Redditus autem eidem basilicæ, et baptisterio proximo, a se magnificentissime constructo, assignati fuerunt ex prædiis, villis et fundis A 77,856 aurei coronati, annis singulis, inter quos redditus fuere ducentæ libræ balsami summi pretii olei, quod duplo rependebatur argento, Plinio attestante lib. XII, cap. 25. Quod oleum S. crucis Gregorius Magnus lib. VII, epist. 43, appellat. Et Constantinus primo ad cultum religionis sacra traduxit, ut in celebritate Paschæ, et aliis, nocturni luminis usum præstaret.

Num. 37, linea 1. — *Donum fontis baptisterii.* Constantinus Aug. in eodem loco palatii sui Lateranensis, in quo baptizatus est, summo splendore baptisterium postea construxit, mirificeque exornavit, ut sanctæ rei monumentum regenerationis suæ perpetuo exstaret, in quo ipsi dum sacra lavacro ablueretur, visibili signo divinum lumen cœlesti fulgore coruscans apparuit : manum sibi porrigere visus est Christus, qui non solum sordes animæ eluit, sed et lepræ protinus contagio liberavit squammis toto corpore defluentibus.

Num. 38, linea 1 et 2. — *Fecit Constantinus*, etc. Postquam Constantinus baptizatus est, octava die processit, albis depositis, expiatus, mundatus et incolumis ; populoque se publice spectandum præbuit : et qui ante baptismum visus est fluctuasse, deinceps se in omnibus et coramomnibus, maxime vero gentilibus, perfectissimum Christianum exhibuit, et in propaganda Christiana fide ardentissimum declaravit ; utque Deo pro beneficio animæ et corporis expiati gratias ageret, una cum beato Silvestro papa ad confessionem S. Petri accessit, ubi postquam preces effudisset, diademate capitis deposito, imperatorias vestes exuens, accipiens bidentem, terram primus aperuit, fundamentis jaciendis, ut novam basilicam Petri apostoli titulo conderet, et ob numerum duodecim apostolorum, duodecim cophinos terra plenos super humeros suos extraxit.

Num. 42, linea 1. — *Fecit basilicam sanctæ martyris Agnetis ex rogatu Constantiæ filiæ suæ.* Quæ a lepra precibus ejusdem virginis fuerat sanata ; ubi et baptizata fuit a S. Silvestro ; ibidemque virginitatem perpetuo vovit atque servavit.

Num. 42, linea 17. *Cujusdam Cyriacetis religiosæ feminæ.* Fuit hæc Cyriaca vidua, et martyr, quæ in persecutione Valeriani, cum se suaque omnia in sanctorum obsequia impendisset, hoc de suo nomine cœmeterium construxit, in quo corpus B. Laurentii martyris sepelivit : et ideo bona ejus fuerunt publicata ; et e fisco ab imperatore Constantino eidem cœmeterio restituta.

Num. 44, linea 26. — *Præstans solidos* 1120. Solidi, qui referuntur aurei, erant semiunciales, pendentes singuli quatuor aureos nostrates. Idemque erat siclus aureus apud Hebræos, et stater apud Græcos.

ORDO RERUM QUÆ IN HOC TOMO CXXVII CONTINENTUR.

ANASTASIUS ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER ET BIBLIOTHECARIUS.

Notitia historica et bibliographica. 9
Notitia bibliographica altera. 13
Elogia pro Anastasio. 17
PROLEGOMENA AD VITAS ROMANORUM PONTIFICUM.
Epistola dedicatoria. 19
Catalogus pontificum Romanorum de quibus in hoc opere agitur. 25
Præfatio Blanchini ad tom. I, edit. Rom. 27
Præfatio Blanchini ad tom. II. 103
— — ad tom. III. 109
Catalogus pontificum Romanorum. 119
Depositio episcoporum. 121
Depositio martyrum. 123
Notæ Blanchini in chronologiam Catalogi Romanorum pontificum. 123
Catalogus alter Romanorum pontificum. 133
Nomina pontificum sanctæ Romanæ ecclesiæ per ordinem. 139
Catalogus pontificum et decretorum ab ipsis editorum. 141
Catalogus alter. 143
De episcopis romanæ Ecclesiæ. 145
Blanchini adnotationes ad catalogos superiores. 147
Scheleistratii dissertatio de antiquis Romanorum pontificum catalogis 157
Blanchini brevis Appendix ad dissertationem præcedentem. 219
Blanchini dissertatio de antiquis Romanorum pontificum catalogis eorumque comparatione et delectu instituendo. 235
Blanchini observationes ad opuscula chronologica subsequentia. 315
Catalogus imperatorum a Julio Cæsare ad Henricum III. 323
Catalogus summorum pontificum 329
Chronicon Gregorii Catinensis. 333
Blanchini monitum ad duo sequentia opuscula. 343
Descriptio regionum Urbis, sive Anonymi Itinerarium per Urbem circa octavum Christi sæculum. 347
Appenddix ad opusculum præcedens. 367
Enumeratio et descriptio topographica cœmeteriorum SS. martyrum prope Urbem. 375
De chronologia pontificia, Cæsarea et consulari. 383
Chronologia consularis et Cæsarea Romanorum, etc. 395
Chronologia a S. Sylvestro ad Gregorium Magnum. 601
Chronologia a S. Gregorio Magno ad S. Stephanum III alias IV. 819
Appendix ad chronologiam. 923
Tractatus de præeminentia et auctoritate sanctæ sedis. 937
Charta Cornutiana. 971
VITÆ ROMANORUM PONTIFICUM. 1004

I. — Sanctus Petrus apostolus. 1004
II. — Sanctus Linus. 1047
III. — Sanctus Cletus. 1059
IV. — Sanctus Clemens. 1077
V. — Sanctus Anacletus. 1113
VI. — Sanctus Evaristus. 1135
VII. — Sanctus Alexander. 1143
VIII. — Sanctus Sixtus. 1159
IX. — Sanctus Telesphorus. 1175
X. — Sanctus Hyginus. 1185
XI. — Sanctus Anicetus. 1203
XII. — Sanctus Pius. 1213
XIII. — Sanctus Soter. 1239
XIV. — Sanctus Eleutherius. 1249
XV. — Sanctus Victor. 1279
XVI. — Sanctus Zepherinus. 1305
XVII. — Sanctus Calixtus. 1317
XVIII. — Sanctus Urbanus. 1333
XIX. — Sanctus Anterus. 1331
XX. — Sanctus Pontianus. 1337
XXI. — Sanctus Fabianus. 1341
XXII. — Sanctus Cornelius. 1353
XXIII. Sanctus Lucius. 1383
XXIV. — Sanctus Stephanus. 1389
XXV. — Sanctus Sixtus II. 1407
XXVI. — Sanctus Dionysius. 1417
XXVII. — Sanctus Felix. 1435
XXVIII. — Sanctus Eutychianus 1441
XXIX. — Sanctus Caius. 1457
XXX. — Sanctus Marcellinus. 1467
XXXI. — Sanctus Marcellus. 1481
XXXII — Sanctus Eusebius. 1495
XXXIII. — Sanctus Melchiades. 1499
XXXIV. — Sanctus Sylvester. 1511

3565-6

FINIS TOMI CENTESIMI VICESIMI SEPTIMI.

Châteauroux. — Typographie et stéréotypie A. NURET et FILS, rue Grande, 72.